THEOLOGIAE SCHOLASTICAE IN PRIMAM [-TERTIAM] PARTEM DIVI...

Augustin Reding, Josè Maria Fonseca de Evora, ...


37
28 E
5



A. R. P.
AVGVSTINI
REDING
HELVETO-EIN-
SIDLENSIS, ORDINIS
S. BENEDICTI,

THEOLOGIÆ SCHOLASTICÆ

TOMUS SECUNDUS.



THEOLOGIAE SCHOLASTICÆ IN SECUNDAM PARTEM DIVI THOMÆ,

AD NORMAM THEOLOGORUM SALISBURGENSIUM

TOMUS SECUNDUS

DE
- ULTIMO FINE ET ACTIBUS HUMANIS.
- CONSCIENTIA ET PECCATIS.
- LEGIBUS DIVINIS ET HUMANIS.
- CENSURIS ET IRREGULARITATIBUS.

CUM DUPLICI INDICE.

AUTHORE
A. R. P. AUGUSTINO REDING
ORDINIS S. BENEDICTI
PROFESSO, ET DECANO
EXEMPTI MONASTERII EINSIDLENSIS, SS. THEOLOGIÆ DOCTORE, ET
Ordinario olim Professore Almæ Archiepiscopalis Universitatis.
SALISBURGENSIS
EMINENTISSIMI AC REVERENDISSIMI PRINCIPIS ET ARCHIEPISCOPI
DOMINI, DOMINI
GUIDOBALDI,
SANCTÆ ECCLESIÆ ROMANÆ CARDINALIS
CONSILIARIO.

Typis Monasterii EINSIDLENSIS,
Per NICOLAUM WAGENMANN.
ANNO CHRISTI M. DC. LXVIII.

FACULTAS

ILLUSTRISSIMI, ET REVERENDISSIMI
DOMINI, DOMINI
ABBATIS EINSIDLENSIS.

PLACIDVS

DEI, ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA ABBAS
Monasterij Einsidlensis Exempti, & Sacri Romani Imperij

PRINCEPS

CUM præsens Sacræ Theologiæ Tomus Secundus ab Admodum Reverendo, Clarissimo, & dilecto nostro Patre AUGUSTINO REDING SS. Theologiæ olim Professore Almæ Archiepiscopalis Universitatis Salisburgensis, ad instantiam eiusdem Magnifici Patris Rectoris Alphonsi Stadelmayr in lucem publicam edendus per tres Theologos respective Sacræ Theologiæ Professores fuerit recognitus & approbatus: idcirco tenore præsentium facultatem concedimus, eundem Typis mandandi. Actum in Monasterio nostro Einsidlensi, die 2. Februarii, 1668.

PLACIDUS ABBAS

APPROBATIO

THEOLOGICA.

SEcundum Tomum, cui titulus est THEOLOGIÆ SCHOLASTICÆ &c. de Ultimo Fine &c. Admodùm Reverendi ac Clarissimi Domini AUGUSTINI REDING singulari animi admiratione, & jucunditate lustravi, in quo nihil sanctionibus sacris contrarium, quin potiùs Theologicas quæstiones summâ ac mirâ subtilitate ventilatas, atque decisas reperi, ut suum propalent authorem. Faxit Deus, ut author suus ubique, & sibi constans, opus tam præclarum, atque conspicuum, non minùs doctissimorum virorum applausu incœptum, quàm plurimorum desiderio anxiè expetitum, feliciter ad bonum, utilitatemque publicam orbis litterarij perficiat. Dabam in exempto Monasterio Einsidlensi, die 2. Februarij, Anno 1668.

P. Bonifacius Tschupp Monachus Einsidlensis, & SS. Theologiæ Professor Ordin.

CUm hic tractatus de actibus humanis Admodùm Reverendi & Clarissimi Patris ac Domini AUGUSTINI REDING Decani nostri Einsidlensis meritissimi, admirabili humani ingenij eruditione & doctrinâ plenus sit, hinc ut latius effluere, atque non sine ingenti omnium sapientiæ, & scientiæ amantium bono, se diffundere possit, dignissimum omnino judicavi, ipsum luci publicæ, & per hanc pluribus communicari. Dabam in Monasterio Einsidlensi, die 2. Februarij. 1668.

P. Ægidius Effinger Monach. Einsidlensis, & SS. Theol. Professor Ordin.

Quia

QUia in præſenti ſecundo Tomo Admodùm Reverendi ac Clariſſimi Domini AUGUSTINI REDING homo ratione præditus per regulas tum internas, tum externas, Conſcientiam ſcilicet ac Leges Divinas & Humanas ſecurè ad Creatorem ſuum tanquàm Ultimum ſuum Finem & omne Bonum æternùm beandus dirigitur. Ne & author ſpe ſuâ plurium emolumenti, & ſtrenui laboris fructu defraudetur, haud ſine injuriâ publicæ luci, ac litterario orbi ſubtraheretur. Dabam in Monaſterio Einſidlenſi, die 2. Februarij. 1668.

P. Dionyſius Hartman Monachus
Einſidlenſis, & Theologus.

PRÆ-



PRÆFATIO.

BENEVOLO LECTORI SALUTEM.



CUm in primo Tomo Divinæ in ſe, & in Perſonarum Trinitate individuè ſubſiſtentis Majeſtatis ſplendorem ſub omnimodæ perfectionis ſimpliciſſimâ puritate, ſuique ad extra per creationem in Intelligentias præſertim emanatione expoſuerimus, congruenter in hoc ſecundo Tomo Primam Secundæ continente procedimus ad explicandum, qualiter Divinæ in creatam mentem ex DEI Ideatione emanantis participationis radij ad Primâ Divinæ lucis & ſubſtantiæ imaginem, in ſplendoribus Sanctorum ante Luciferum genitam, ipſumque adeò Deum, ceu Ultimum Finem reflectantur. Quare præſens ſecundus Tomus exhibebit Ultimum creatæ mentis, tanquàm ex Deo effigiatæ imaginis Finem pro ſtatu tam naturæ, quàm elevationis ſupernaturalis in omni actione morali intentum, & ſub conſummatâ Divinæ participationis perfectione, ceu Beatificâ fruitione poſſidendum, cum virtute & efficaciâ hujus beatificæ fruitionis radios ſuos diffundendi in omnes hominis vires. Et quia ex hujus beatifici gaudij abundantiâ in præmium præſtitutâ reſultat in mente creatâ affectiva ad id proſequendum appretiatio, oportet, conſequenter inveſtigare media ad illud ſuperabundans Beatificæ fruitionis gaudium perducentia. In quâ proinde diſquiſitione occurrit inprimis actuum moralium, ceu mediorum Fini Ultimo aſſequendo proportionatorum principium, arbitrium liberum. Ubi ſtatim aperitur difficultas in exponendo tum Divinam, arbitrij creati præfinitivam motionem, tum ejuſdē ex objecto non niſi per præviam cognitionem ſpecificationem. Exinde verò hiſce libertatis, & moralitatis *Efficienter* ac *Finaliter* motivis, & ſpecificativis principijs expeditis, fit progreſſus ad moralium actuum bonitatem, ſub quâ pervenitur ad Ultimi Finis conſecutionem. In hac ipſâ tamen moralitatis ad Finem Ultimum ducentis viâ opus eſt directione rectam Dei mandatorum ſemitam oſtendente: quod equidem fit, tum per legem ſive naturalem, ſive poſitivam, Legis æternæ omnimodam moralem rectitudinem efformantis ideatam effigiem, tum per Conſcientiam legis ad agibilia particularia ſub certitudine morali eatenus applicativam, ut Divinæ legis ſplendor ex intellectu in oculum intentionis derivata ad totum moralis operis corpus lucidum reddendum derivetur.

Quemadmodùm autem in naturalium rerum creatione accidit, lucem Univerſi non adeò puram ſubſtitiſſe, quin & tenebris aliquis ſupereſſet locus, ut proinde opus eſſet, Deum dividere lucem à tenebris: ita Divinæ ſanctitatis ſplendor eatenus radios ſuos diffu-

dit in creatas mentes, ut haberet sibi oppositas Peccati, & Malitiei Moralis tenebras, quas tamen oporteat eatenus à luce rectitudinis moralis esse diversas, ut ista, non illæ refundantur in Divinæ Efficientiæ, imò & Finalizationis, & Ideationis causalitatem. Etenim Divina simplex Essentiarum ad extra Idealiter efformatrix Intelligentia creatas mentes, earumque universam omnimodæ Moralis ex Sanctitate suâ increatâ effigiatæ rectitudinis participationem non sub omnimodâ puritate, sed admixtione potentialitatis exprimendo, in hac ipsâ potentialitate repræsentet Defectibilitatem. In cujusmodi tamen intelligibili Divinæ potentialitatem Defectibilitatis moralis, atque adeò peccabilitatis fundatricem intrinsecè admixtam habentis participationis expressione, Increatæ Scientiæ lux in tantum servat suam puritatem, ut formalitatem rectitudinis & Bonitatis moralis oculo Judicij affirmativi, rationem verò malitiei oculo Judicij duntaxat negativi aspiciat: Unde sub ipso peccati seu malitiei moralis aspectu dividit Deus lucem à tenebris, dum moralem impuritatem, & malitiam per Judicium negativum ex parte objectivi sui conceptûs discernit ab omnimodâ sive Entitativâ, sive morali bonitate, non nisi per Judicium affirmativum attactâ. Quia verò voluntas divina simplicis suæ Intelligentiæ Judicio indefectibiliter conformatur, idcirco formalem malitiæ rationem nequit Deus attingere per Decretum approbativum, seu positivè præfinitivum, sed per Decretum duntaxat nolitionis. At verò in divinâ voluntate eatenus subsistit vis & efficacia intrinseca Essentias, & rationes per simplicem Dei Intelligentiam sub divinæ participationis cum potentialitate, atque adeò Defectibilitate commixtæ formalitate intelligibiliter expressas ad exercitum Existentiæ statum determinandi, ut formalitates Bonitatis affirmativo divinæ simplicis Intelligentiæ Judicio repræsentatas attingat per Decretum volitionis ac præfinitionis. Hæc ipsa verò divinæ præfinitivæ volitionis efficacia non tantùm habet rationem causalitatis ad extra efficientis, sed prout ex Increatâ Dei bonitate, ceu unico voluntatis divinæ, *formaliter identicè* motivo & specificativo Fine, *Intransitivè* tamen est mota, sortitur actualitatem causalitatis Finalis, ex Increatâ adeò Bonitate in formalitatem vi divinæ volitionis præfinitam profundentis aliquam sui participationem.

Verùm econtrario, quia sanctissima DEI voluntas sub purissimâ Increatæ Bonitatis suæ actualitate objectivas malitiei rationes divino simplicis Intelligentiæ negativo Judicio expressas attingit per decretum duntaxat nolitionis ac reprobationis, idcirco objectivas malitiei moralis rationes ad exercitum quasi Existentiæ statum determinando, non exercet in illas aliquam causalitatis sive Finalis, sive Efficientis virtutem, sed execrationis, & abominationis efficaciam.

Quam equidem divinæ efficaciæ distinctionem legis à tenebris divisivâ eleganter exprimere solitus est Divus Augustinus, omnimodæ moralis Bonitatis formalitatem referendo in electionem divinæ misericordiæ, Peccati verò permissionem, seu exercitum malitiei moralis statum reducendo in Judicium divini scilicet Dominij, ex intelligibili per simplicis Intelligentiæ Scientiam omnium ad extra possibilium formalitatum repræsentatione *objectivè* indifferente potentis per suum omnino independens, & in se perfectè subsistens

Esse se determinare ad viam Execrationis, nullam ut sic divinæ participationis Bonitatem causantis, sed in vi nolitionis negationem divinæ participatæ sive Entitativæ, sive morali Bonitati *privativè* oppositam efficaciter inferentis. Quare per istam Judicij super absolutũ Dei Dominium intrinsecè fundati viam eatenus datur homo in sensum reprobum, ut peccati malitia in hominis voluntatem, quà ejus *indirectè* saltem, sed *liberè* appretiativam reducta, consequenter procedat ex ejusdem creatæ liberæ voluntatis causalitate tam Finali, quàm Efficiente, cùm econtra nequeat referri in divinæ voluntatis aliqualem causalitatem, eo ipso, quòd ista *originaliter* non sit nisi volitionis divinæ præfinitivum, atque adeò Bonitatis suæ communicativum Decretum. Neque verò malitia ut sic cadere possit sub divinum Decretum, nisi Nolitionis ac Execrationis quandam à Bonitate extra Deum participabili deficientiam efficacia sua subinferentis.

Hæc proinde, Benevole Lector, sunt, quæ hic secundus Tomus exhibet ad moralitatis in Deum Ultimum Finem reducentis, omnimodæque ab Ultimo Fine removentis defectibilitatis formam adumbrandam, ac ex integro effigiandam. Quæ dum tuæ Censuræ, simul & benevolentiæ offeruntur, penitus volo subjecta S. Romanæ Ecclesiæ judicio, pro non dicto reputans, si præter voluntatem aliquid minus rectè scriptum ex ignorantia mea se ingessetit.

VALE, ET FAVE.

INDEX QUAESTIONUM, ARTICULORUM ET CONTROVERSIARUM.



COROL-



QUÆSTIO V.

DE

Motivo voluntatis. 141.



QUÆSTIO VI.

DE

Actibus voluntatis. 162.

QUÆ-



QUÆSTIO VII.

DE



QUÆSTIO VIII.

DE

QUÆSTIO IX.

DE

QUÆSTIO X.

CON-

QUÆSTIO XI.
DE
Peccato Omissionis, & Commissionis. 320.



QUÆSTIO XII.
DE
Specificâ, & numericâ peccatorum distinctione. 315.



QUÆSTIO XIII.
DE
Subjecto proximo Peccatorum. 325.

QUÆSTIO XX.

IN PRIMAM SECUNDAE SUMMÆ DIVI THOMÆ AQUINATIS.

1. CUM Sacræ Theologiæ ratio formalis *Quæ* specificativa sit Deitas, consequens est, Theologi esse, tractare de Ultimo Hominis Fine, nec non Actibus Humanis, ac Virtutibus, Divinisque gratiæ auxilijs ac legibus ceu medijs, tum ab intrinseco, tum ab extrinseco Ordinativis ad æternæ vitæ, seu Beatitudinis cælestis Finem ultimum. Etenim Deitas est actualissima purissimi in se subsistentis Esse intelligibilis expressio. Hæc autem Divini Esse omnem creatam Essentialitatem Eminenter continentis expressio intelligibilis sub immediato Gloriæ, vel mediato ænigmatico revelabilitatis lumine applicata intellectui creato, hunc deducit ad creatarum ex Divini Esse causalitate manantium quidditatum cognitionem. Et quia hæ ipsæ creatæ quidditates in Esse sui fontem primævum per suas operationes in tantum reflectuntur, quantum perfectionis, ac indeficientiæ in illis operationibus Deitatis intelligibilis expressio in Deo repræsentat; Idcirco scientiæ ex Deitate tanquàm ratione formali *Quâ* specificatæ est, operationes creaturarum in Deum ceu Ultimum finem reflexivas eatenus considerare, quatenus per Divinæ revelabilitatis rationem formalem *sub Quâ* sunt intellectui nostro accommodatæ.
2. Unde cùm sub isto Divinæ revelabilitatis lumine notum sit, hominem Divinæ naturæ mediante gratiâ consortem, supernaturalium Virtutum exercitijs seu actibus quasi Divinis reduci ad Deificum æternæ Gloriæ splendorem, in cujus faciali intuitione in id ipsum dormiendo, in pace plenè satiativâ, ceu ultimo Fine requiescat, oportet, Theologum hominis seu creaturæ rationalis ad supernaturalem gratiæ statum elevatæ finem ultimum unà cum medijs ad eum reducentibus specialiùs indagare. In quo Theologia vel maximè distat ab 3.
Ethica, seu morali Philosophiâ, quòd hæc ex ingenitis naturæ Principijs creaturæ rationalis Finem ab intrinseco proportionatum unà cum honestate luminis duntaxat naturali commensuratâ investiget, illa verò sub Divinæ revelabilitatis lumine divinitùs participato lustretur finem supernaturali Divinitatis participationi proportionatum, medijs actibus creatæ naturæ vires omninò superantibus, nec nisi per gratiæ Divinæ auxilia elicitis comparabilem, in cujus assecutione ipsa Deitatis intra intellectum creatum fiat immediata & intuitiva repræsentatio. De hoc proinde ultimo Hominis fine & 4.
medijs in eum ordinativis deinceps disseremus, ut tamen in eorum investigatione Moralis Philosophiæ Principia intimiùs simus quoque consideraturi, partim quòd Divinitatis super nos signatum lumen supernaturale sit commensuratum naturali nobis indito lumini, partim quòd Theologia doceat, Moralia naturaliter insita Principia sublimare ac elevare ad altioris Divini luminis intentionem ac Honestatem supernaturalem.

QUAESTIO PRIMA *DE* ULTIMO FINE HOMINIS.

ARTICULUS I. DE *Fine in genere.*

1. SUpponendum 1. Finem rectè definiri, quòd sit id, cujus gratiâ cætera fiunt. ex Aristotele *2. Phys. tex. 29. & 31.* Item *5. Metaph. tex. 2. & 1. Eth. tex. 23. item 2. de an. tex. 37.* Ratio est. Nam Finis est Principium in operabilibus ab homine. ex S. Thoma *præs. q. 1. a. 1. arg. sed contra.* Unde causa Finalis dicitur prima inter omnes causas. ex eod. S. Doctore *hic a. 2.* Hæc autem Causæ Finalis prærogativa per hoc insinuatur, quòd ejus gratiâ, ejus amore, & Morali Bonitatis ipsius allicientiâ fiant cætera omnia.

2. Supponendum 2. Finem ex ratione suâ formali

mali seu modo Finalizandi tripliciter dividi 1. In Finem *Cujus*, & Finem *Cui*; Finis *Cujus* est objectum, cujus obtinendi gratiâ aliquid fit: Finis *Cui* est subjectum, cui volumus obtinere objectum aliquod. ex S. Thoma *1. 2. q. 2. a. 7. ad 2.*

3. 2. In Finem *Ultimum* & *Intermedium*. *Ultimus* Finis est, qui nullius gratiâ appetitur, sed ejus gratiâ cætera. *Medius* Finis est, qui ratione sui appetitur, cum ratione tamen & dependentiâ ab ulteriori fine. ex Aristotele *2. Metaph. tex. 8.*

4. & S. Thomâ *præs. q. 1. a. 5. ad 3.* 3. In Finem *Qui* & *Quo*. Finis *Qui* est ipsa res, quam assequi intendimus. Finis *Quo* est ipsa adeptio seu possessio Finis. ex S. Tho. *hic a. 8.*

5. Supponendum 3. Finem materialiter spectatum seu ex parte rationis suæ materialis dividi 1. in finem *Operis* & *Operantis*. Finis *Operis* est, in quem operatio per intrinsecam suam naturam ordinatur. Finis *Operantis* est, quem operantis intentio præfigit operi. ex S. Thomâ *2. 2. q. 141. a. 6. ad 3.* 2. In Finem *Primarium*, & *Secundarium*. *Primarius* finis est, qui per se primò movet seu intenditur. *Secundarius* est, qui non per se primò, sed alio priori supposito, tanquam hujus effectus vel aliquid ipsi annexum movet consecutivè. ex Divo Tho. *in 2. dist. 1. q. 2. art. 3.*

3. in Finem *Naturalem* seu ordinis naturalis, & *Supernaturalem* seu ordinis Divini excedentis proportionem totius creatæ naturæ. ex S. Doctore *1. 2. q. 5. art. 5.* Quibus adeo suppositis septem hic veniunt discutiendæ principaliores contro-

6. versiæ. 1. *Utrùm omni agenti intellectuali conveniat agere propter finem? 2. Utrùm agentis intellectualis proprium sit agere propter Finem? 3. In quo consistat Formalis Finalizandi ratio seu causalitas Finalis? 4. Utrum homo in omni actu se moveat in finem. 5. Utrùm Finis, Bonum, & objectum Voluntatis sint adæquatè idem? 6. An præter Ultimum Finem dentur Fines aliqui intermedij? 7. Utrùm actus humani specificentur ex fine?*

❁❁❁❁❁❁❁❁❁❁):(❁❁❁❁❁❁❁❁❁❁

CONTROVERSIA I.

Utrùm omni Intellectuali etiam Increato Agenti conveniat agere propter finem?

1. NOn procedit 1. controversia de agente Intellectuali creato: quia lumine fidei constat, agens intellectuale creatum agere propter finem: Hinc enim David *Psal 18.* dixit, *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum propter retributionem.* Quam equidem retributionem sacra Scriptura vocat finem fidei nostræ, juxta illud *1. Petri 1. Reportantes finem fidei vestræ salutem animarum vestrarum.* Neque secundò procedit controversia

2. de actione Dei Transeunte, ac effectibus ex hac productis in tempore. Nam qui universa propter semetipsum operatus est Dominus, *Proverb. 16.* non potuit non omnes effectus a se conditos ad se tanquam finem ordinasse. Unde *Apocalypsis 1.* vocat se *Alpha* & *Omega*, *Principium* & *Finem*. Imò cùm nihil realitatis sit in effectibus creatis, quin ex Volitionis Divinæ causalitate profluxerit, oportet, omnimodam rerum creatarum non tantùm in Deum tanquam Ultimum finem, sed in Bonum Universi, imò etiam in particularia tanquam fines intermedios ac proximos ordinabilitatem esse à Deo decretam. Unde *in 1. p. q. 6. a. 2. conc. 1.* diximus, Bonitatem aliquam creatam posse esse rationem Finalem ex parte volitorum Terminativam Divinæ Voluntatis. Constat proinde, Dei ad extra transeuntes actiones sive effectus à Deo fieri tum propter Bonum aliquod creatum ceu Finem proximum, tum propter Increatam ipsius Divinæ Essentiæ Bonitatem, ceu Finem Ultimum. In quem sensum Divus Thomas illud ad *Rom. 11. Ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia*: exponens ait; per *Tò Ex ipso* designari causam Efficientem, per *Tò per ipsum* Causam Exemplarem, & per *Tò in ipso* Causam Finalem. Solùm igitur superest hic decidenda difficultas: *Utrùm Deus quoad actiones suas immanentes tum liberas, tum necessarias agat propter finem.*

Referuntur Sententiæ.

ILdephonsus Baptista *1. 2. q. 1. a. 2. disp. 1. n. 161.* & Martinez *eod. art. 2. dub. 1. concl. 4.* existimant probabile, quòd Deus in operatione suâ immanente etiam necessariâ, sive sit Essentialis, sive notionalis, operetur propter finē. Fundamentum est desumptum ab illo axiomate, quo dicitur omne agens agere propter finem. ex S. Thoma *1. p. q. 44. a. 4.* Modus verò agendi propter finem non includit aliquam imperfectionem, ratione cujus Deus excipiatur ab universalitate illius axiomatis. Unde cùm Deus in omni immanente præsertim notionali actione sit propriè agens, dici debet agere propter finem, non quidem à se participandum, velut accidit in creatis; sed propter finem omnimodæ perfectionis communicandum Personæ productæ. 3

Andreas Lao *præs q. 1. a. 2. disp. 2. n. 229. & 236.* distinguit, asserendo, amorem Essentialem, quo Deus suam Bonitatem diligit, esse quidem propter hanc Bonitatem, tanquam propter rationem finalem; attamen amorem Dei notionalem formalissimè loquendo non esse propter finem. Fundamentum est, Nam amor Notionalis licèt Virtualiter non sit distinctus ab Essentiali Dei amore, attamen sub Formalitate Notionalis Dilectionis importat quandam fœcunditatem, quam habet, prout est in Patre ac Filio. At istam fœcunditatem amor Notionalis non habet formalissimè ex cognitione Divinæ Bonitatis: si enim per impossibile intelligeremus, Deum amare suam Bonitatem absque ipsius perfectâ cognitione, posset adhuc amor ille cognosci tanquam Notionalis & fœcundus. Nequit autem Bonitas aliqua habere rationem finis, nisi mediâ suâ cognitione perfectâ. Hac verò positâ, Bonitas eo ipso influit in sui amorem, ac erga illum exercet munus Causæ, vel Rationis finalis. Unde Bonitas Divina quatenus à Deo perfectissimè cognita & appretiata ejus voluntatem movet ad sui dilectionem necessariam, hoc ipso rationis Finalis munus exercet respectu amoris Divini Essentialis, non autem Notionalis. 4.

Alensis *1. p. q. 31. memb. 3.* Gabriel *in 2. dist. 1. q. 5. a.* 5.

q. 5. art. 1. notab. 1. Suarez *to. 1. Metaph. disp. 23. sect. 9.* Salas *t. 2. tract. 1. disp. 4. sect. 3. §. Dicendum tamen.* Amicus *praes. disp. 1. sect. 5* Curiel *praes. q. 1. a. 2. dub. 1. §. 2. & 3.* negant, actiones Dei immanentes etiam liberas esse propter finem, seu habere causam finalem. Fundamentum est. Nam agere propter finem dicit potentialitatem in Agente: quod enim agit propter finem, supponit carentiam, & intendit ejus consecutionem. At Deo uti purissimo Actui repugnat potentialitas. Nequit ergo Deus quoad actiones suas immanentes etiam liberas agere propter finem.

6. Conradus *praes. q. 1. art. 2. §. Nota.* Soncinnas *2. Metaph. q. 2.* & probabiliter Lao *cit. disp. 2. n. 23.* tenent: operationem Dei liberam quà immanentem esse propriè propter Bonitatem ipsius, tanquàm Finem seu Causam Finalem. Fundamentum est. Nam Causalitas Finalis in hoc discriminatur à Causalitate efficientis, quòd ista sit realis, illa verò Metaphorica duntaxat. Unde ad veram Causalitatem finalem nihil aliud requiritur, quàm Metaphoricè moveri ad amandum finem, vel aliquid propter finem. At Deus Metaphoricè movetur ad amandum suam Bonitatem, & cætera propter ipsam.

7. Cui sententiæ cum Doctoribus à se relatis accedit sub aliquâ licèt distinctione Ildephonsus Baptista *cit. disp. 8. n. 87. & 90.* asserendo; si Deus absolutè consideretur, non ut Formaliter agens, & ejus actio libera consideretur Materialiter ut identificata cum Deo, sic neque Deum agere propter finem, nec ejus actionem esse propter finem: secùs esse, si Deus consideretur, in quantum est formaliter agens actione liberâ formaliter immanente, & Virtualiter transeunte, sic enim talem actionem formaliter sub ratione actionis spectatam esse verè & realiter propter finem.

Conclusio I.

8. Nulla Deo inexistens actio sive necessaria sive libera potest sub formalitate actionis Deo immanentis esse propter finem, tanquàm Causam finalem, sed Bonitas Dei Increata respectu actionis voluntati Divinæ immanentis habet rationem Finis tanquam Motivum formaliter identicè, non autem extrinsecè finaliter specificativum.

Probatur & Explicatur. Nam in hoc differunt Causa intrinseca & extrinseca, quòd illa in primo modo perseitatis, ista verò non nisi in Quarto perseitatis modo conveniat effectui saltem considerato secundùm causalitatem, mediante quâ fluit ex causâ ejusmodi. Hic autem quartus perseitatis modus consistit in quadam habitudine seu commensuratione Essentiali effectûs seu causalitatis ad Causam ceu formam Extrinsecè specificativam. At verò ex recepta omnium Philosophorum sententiâ Causa Finalis recensetur inter causas extrinsecas. Unde id, quod est propter Finem tanquàm Finalem Causam, nequit ab hac specificari intrinsecè in primo Perseitatis modo, sed extrinsecè duntaxat in quarto Perseitatis modo. Atqui Voluntatis Divinæ Finis non est nisi sua Bonitas. ex S. Thomâ *1. contra Gentes cap. 87. & 2. p. q. 19. a. 1. ad 1. & 2.* Est autem Increata Dei Bonitas omnis Divinæ Voluntatis actionis etiam liberæ specificativa non Extrinsecè duntaxat in Quarto perseitatis modo, sed Formaliter Identicè in primo modo Dicendi per se. Unde licèt Bonitas Divina possit nostro intelligendi modo concipi Causa amoris Divini, nequit tamen intelligi sub ratione Causæ Finalis, sed Formalis intrinsecè specificativæ. 9.

Dices. Sanctum Thomam *cit. cap. 87. contra gent.* discurrere in hæc verba. *Voluntati causa volendi est finis, Finis autem Divinæ Voluntatis est sua Bonitas. Ipsa igitur est Deo causa volendi, quæ est etiam ipsum suum velle.* Ex quo evincí, in Deo dari causam volendi, quæ sit Finis Voluntatis Divinæ. Ejusmodi verò Causam esse Finalem. Ergo Voluntatis Divinæ dari Causam Finalem. 10.

Contra. Nam Bonitas Dei Increata eo modo est Causa volendi & Finis Divinæ Voluntatis, quo modo est hujus motivum specificativum. At Bonitas Dei increata *Intransitivè* duntaxat, non autem *Transitivè* dici potest Motivum Voluntatis Divinæ, in hac excitando amorem creaturarum liberum, atque hunc specificando non *Extrinsecè*, sed *Intrinsecè* per realem Formalem sui cum tali libero amore identitatem. Ejusmodi verò intrinseca per realem Formalem Identitatem specificatio nequit reduci ad Causam Finalem, de cujus utpote Causæ extrinsecæ ratione est movere ac specificare solùm Extrinsecè. Ergo Bonitas Dei Increata, quatenus est Finis Divinæ Voluntatis, atque huic non quidem realiter, sed secundùm nostrum intelligendi modum est Causa volendi, non tam reduci debet ad Causam Finalem, quàm ad Causam quasi Formalem. 11.

Responsio ad opposita Fundamenta.

Ad *n. 3.* oppositum Fundamentum Respondetur. Sustineri posse, quòd Deus in omni actione suæ Voluntatis etiam Notionali agat propter Finem, suam scilicet Increatam Bonitatem, ut tamen iste finis non Causalitatem Finalem utpote extrinsecè Motivam ac specificativam, sed Causalitatem quasi Formalem realiter identicè Motivam, & specificativam exerceât in Dei Amorem Increatum non Essentialem duntaxat, sed etiam Notionalem. Probatur ista responsio de amore Notionali. Nam hic est amor Divinus in Patre & Filio productivus Spiritûs Sancti. At sicuti Pater intelligendo se & Filium & Spiritum Sanctum & omnem creaturam, producit Verbum, sic Pater & Filius diligendo se invicem imò totam Trinitatem, producunt Spiritum Sanctum. Ille verò amor, quo Pater & Filius se invicem, tanquàm unum spiratorem diligunt, habet pro objecto ipsam spirationem à Patre & Filio præamatam ex Motivo Bonitatis suæ Increatæ: Hic ipse verò spirationis activæ amor in Patre & Filio est formaliter communicativus, & ut sic productivus Spiritûs Sancti. At ille spirationis activæ amor specificatus *intrinsecè* per Increatam Dei Bonita- 12. 13.

tem ſe habet ad iſtam tanquàm Finem. Ergo in ipſa productione Spiritûs Sancti formaliter importante amorem ex Bonitate Dei increatâ *formaliter identicè* ſpecificatum includitur actio Bonitatem Dei Increatam in Patre & Filio communicativam, & in Spiritu Sancto communicatam reſpiciens tanquam finem non quidem *Finaliter Extrinſecè*, ſed *Formaliter Identicè* Motivum.

14. Ad *n. 4.* oppoſitum fundamentum Reſpontum. Amorem Divinum in Patre & Filio eſſe Notionalem ac Spiritûs Sancti productivum, quatenus Increata Bonitas in Patre Originaliter, Communicativè autem in Filio, intelligibiliter expreſſa *formaliter identicè* Motiva illius Divini amoris, in hoc fundat relationem ſpiratoris. Hæc autem relatio ſpiratoris habens ratione͞ activæ ſpirationis Formaliſſimè importat illum ipſum Divinum ex Bonitate Dei Increatâ in Patre & Filio intelligibiliter expreſsâ ſpecificatum amorem. Hic verò in ſpiratione activâ Tranſcendentaliter incluſus amor Divinus habet pro objecto ipſam Spiritûs Sancti productionem à ſe præamatam ex Formali Bonitatis Dei Increatæ Motivo. Conſequens proinde eſt, Amorem Dei Notionalem quà in Patre & Filio productivum Spiritûs Sancti, omninò eſſe propter finem, non quidem *extrinſecè* & *Finaliter*, ſed *intrinſecè formaliter* Motivum. Imò licèt Genera-

15. tio Divina non ſit per Voluntatem, eſt tamen *Concomitanter* voluntaria, veluti probat S. Doctor *1. p. q. 41. a. 2.* Ut ſic autem Generatio Divina propter Increatam Dei Bonitatem tanquàm finem eſt volita. Etſi proinde Generatio Divina non ex ſe *Formaliter* & *Originaliter*, *Concomitanter* tamen, imò *Identicè* eſt propter finem à Voluntate Divinâ amatum: ut adeò verum ſit, omne etiã Divinũ Intellectuale agens agere propter Finẽ, vel *Extrinſecè Finaliter*, velut Intelligentias creatas, nec non Deum in actionibus ſuis Tranſeuntibus, vel *Formaliter identicè*, veluti Deum in ſuis immanentibus liberis actionibus, nec non Notionali Spiritûs Sancti productione, vel *Concomitanter Identicè*, veluti Deum Patrem in Filij æternâ Generatione.

16. Ad *n. 5.* Oppoſitum Fundamentum Reſpondetur. Agere propter finem importare ex parte agentis potentialitatem, ſi *ly propter Finem* ſignificet extrinſecam ſtrictè ſumptam finalem Cauſalitatem: ſecùs eſſe ſi *ly propter finem* importet intrinſecam ex fine tanquàm Motivo formali ſpecificationem per Eſſe ſubſiſtens puriſſimè actuatam. Hoc igitur poſteriori modo eſſe proprium Dei, agere propter Finem.

17. Ad *n. 6.* Oppoſitum fundamentũ Reſpondetur Cauſalitatem finalẽ quantumvis dicatur motio Metaphorica, importare quandam ex fine ceu Cauſa Extrinſecâ non in primo, ſed Quarto Perſeitatis modo ſpecificationem. At Divinum ex Increatâ Dei Bonitate tanquàm finali Motivo motum amorem ſpecificari ex iſto Fine ſecundùm primum, non verò Quartum Perſeitatis modum. Unde ſecundùm noſtrum etiam intelligendi modum debere illam ex Bonitate Increatâ amoris Divini Motionem reduci non ad Finalem, ſed Formalem quaſi cauſalitatem.

***

CONTROVERSIA. II.

Utrùm ſolius naturæ rationalis ſit proprium agere propter finem?

1. Doctor Angelicus *præs. q. 1. a. 2.* docet: Naturæ rationalis proprium eſſe, ut tendat in finem, quaſi ſe agens, vel ducens ad aliquem finem. Naturæ verò irrationalis eſſe, ut ſit quaſi ab alio acta vel ducta ſive in finem apprehenſum, veluti accidit in brutis animalibus, ſive in finem non apprehenſum, veluti evenit in ſubſtantijs cognitione carentibus. Circa quam Doctrinam duæ reſultant difficultates; altera; *Quomodo cum ipsâ ſubſiſtat commune axioma, quo dicitur omne agens agere propter finem?* Altera; *An non brutum v. g. hirundo, dum paleas colligit, aquâ lutoque permiſcet, aliquid cogitet de nido, vel de ovis excludendis in nido, & propter hunc finem operetur, appetendo mediorum ejuſmodi utilitatem? vel econtra collectio palearum ſecundùm ſe ut Bonum delectabile, collectis verò paleis commixtio cum aquâ & terrâ, factâ verò iſtâ commixtione volatus ad nidum eatenus proponatur, ut hirundo nunquam appetat unum objectum propter aliud?*

Referuntur Sententiæ.

Philoſophi nonnulli præcipuè Democritus exiſtimantes, omnia caſu & fortuitò accidere, eo ipſo negabant, agentia creata agere propter Finem. Probari poteſt argumento per Ildephonſum Baptiſtam *præs. diſp. 8. n. 22,* deducto. Nam ignis per ſuam formam realiter determinatur ad productionem ignis in genere Cauſæ Formalis, & in genere cauſæ Efficientis radicalis, non verò in genere Cauſæ Finalis. Ergo reſpectu ignis illa actio nullo modo eſt propter finem. Antecedens probatur. Forma enim ignis determinat Formaliter ignem ad Eſſe ignis, atque adeò ad Eſſe generativi alterius: deinde in genere Cauſæ efficientis concurrit elevando calorem, ut ignem poſſit producere: unumquodque enim per ſuam formam agit, nec aliquid amplius habet in ſe iſta forma. Ergo ſolùm in genere Cauſæ Formalis & Efficientis concurrit ignis ad generationem ignis, non verò in genere Cauſæ finalis. 2.

Alij apud Ildephonſum *diſp. 9. n. 230.* contendunt; animalia bruta & irrationalia ſe movendo, ſenſu ſuo & appetitu ſenſitivo attingere finem formaliter in ratione finis, & ideò verè & propriè & abſolutè operari propter finem ſe movendo in illum. Probari poteſt argumento per eundem authorem *n. 233.* deducto. Nam ad hoc, quòd aliquid operetur propter finem, movendo ſe in illum, ſolùm videtur requiri, ut cognoſcat finem in Eſſe convenientis, vel etiam cognoſcat & apponat media convenientia & proportionata fini. At brutum cognoſcit finem in ratione boni convenientis ſibi, ſiquidem inter varias herbas aſſumat proficuam, & repellat nocivam. 3.

Inſuper Salas *hic tract. 1. diſp. 4. ſect. 4. n. 69.* probat, Bruta cognoſcere media eorumque cum fine proportionem, ſi hæc ſit per ſe manifeſta; ſiquidem inter viam, quâ brutum iturum eſt, & 4.

est, & cibum distantem mediâ illâ viâ consequendum tam aperta sit proportio, ut ad illam cognoscendam nullus sit necessarius discursus. Cur ergo bruto sit ignota? Imò hirundo pro nido pullorum educationi idoneo faciendo inter duas sibi præsentes materias eligit aptam, & ineptam relinquit, partemque nidi exteriorem ex materiâ durâ, interiorem verò ex molliori materiâ conficit. Hoc autem fieri nequit absque cognitione proportionis materiæ ad finem. Constat proinde, Brutum agere propter finem ex cognitione proportionis mediorum cum fine. Ergo propriè ac simpliciter agit propter finem, se movendo in illum.

5. Huic sententiæ adstipulatur Rodericus de Arriaga in *Phy. disp. 8. sect. 7. n. 72.* existimans; in brutis dari species insensatas in æstimativâ potentiâ productas, ac sine ullo quidem discursu repræsentativas convenientiæ, vel disconvenientiæ, nec non utilitatis mediorum ad finem. Quâ proinde finis ac mediorum cognitione in brutis suppositâ, si ex eo, quòd non faciant medio discursu reflexam comparationem mediorum cũ fine, negetur operari propter finem, fieri quæstionem de nomine duntaxat. Fundamentum est. Quia Deus non defuit in dandis animali tales species utpote necessarias ad vitæ, ac speciei ipsius conservationem ac propagationem.

Ioannes à S. Thoma *hic disp. 1. a. 2. n. 34. 35.*
6. *& 36. art.* Bruta moveri à Bono non tantùm Delectabili, sed etiam utili, non tamen comparativo & collativo modo cognitis, nec adeò strictè loquendo movere se in finem. Fundamentum est. Nam determinatio & motio sui ad finem supponit in Agente, quòd ex se vel à naturâ non sit determinatum, sed indifferens ad finem. Unde uti debet Principio determinativo hujus indifferentiæ. At Principium istud est Iudicium non coarctatum & alligatum ad unum, seu ipsam appetitûs indifferentiam taliter adæquans, ut eam possit vincere. Ejusmodi verò Iudicium eo ipso, quòd indifferens sit, debet esse collativum, debetque non tantùm appetitus habere super illud potestatem, sed etiam vis cognoscitiva debet habere vim judicandi de tali judicio utpote indifferente ac vertibili. At ejusmodi vis tum judicativa, tum appetitiva eo ipso, quòd sit reflexiva, est immaterialis ac spiritualis. Constat proinde, motionem sui ad finem convenire soli Agenti immateriali, seu intellectuali, nec adeò irrationalia se movere ad finem.

7. Ildephonsus Baptista *cit. disp. 9. n. 237. ac seq.* Andreas Lao *hic disp. 2. n. 313.* existimant, Bruta movere se in finem *Physicè ac Efficienter*, non tamen movere se in finem *simpliciter*, id est *moraliter*, nec adeò agere propter finem *Formaliter*. Fundamentum est. Nam Cognitio Finis est Principium movendi & dirigendi in ipsum. Unde illa solùm se movent in Finem *Formaliter*, quæ cognoscunt ipsam rationem Formalem finis. Probatur. Nam finis *formaliter* est, *cujus gratiâ*, id est, propter cujus merita aliquid fit. Unde ad cognoscendum finem *Formaliter* sub ratione Finis, oportet cognoscere ac expendere merita objecti, quod habet rationem finis, nec non proportionem finis ad actum, qui propter finem fit, & proportionem actûs ad talem finem, At hoc nequit fieri sine ratiocinatione & discursu. Cùm igitur Bruta per cognitionem sensitivam solùm apprehendant objecta sub ratione delectabilis, ejusque ad appetitum convenientiam, nec tamen expendere valeant merita & dignitatem objectorum, eorumque ad actum, qui fit, convenientiam & proportionem, consequens est, ipsa non cognoscere finem *Formaliter* sub ratione Finis, nec adeò se movere in Finem *Formaliter*, sed *materialiter* duntaxat.

Conclusio I.

Omne Agens *Physicè* & *efficienter* agit propter finem, non tamen se movet 8. etiam *physicè* in finem.

Explicatur, & Probatur. Nam actio propter finem nihil aliud importat, quàm effectûs alicujus in certum finem ordinati emanationem. Hæc autem ratio emanationis stare potest cum prævia potentiæ operativæ inclinatione intrinsecè determinatâ ad certum finem. At verò indubitatum est, quin omnis actio sit quædam effectûs ex naturali vel elicita inclinatione in certum finem determinati ab Agente Physica & Causalis emanatio. Oportet igitur, omne Agens *physicè efficienter* agere propter finem, id est elicere actionem, quæ ex Agentis vel naturali vel elicitâ inclinatione ordinetur ad determinatum effectum seu Finem. Econtra motio sui in finem importat intrinsecam Mobi- 9. lis ad finem ejusmodi determinationem. Atqui agentia non viventia distinguuntur à viventibus, quòd ista habeant vim se ab intrinseco movendi ac perficiendi ultra statum suum connaturalem; illa verò non habeant intrinsecum se ipsa movendi ac perficiendi Principium, ex S. Thoma *1. p. q. 18. a. 1. ac seq.* Constat proinde, Agentia naturalia non viventia, licèt *Physicè* ac *efficienter* agant propter finem, non tamen movere se in finem.

Dices. Agentia naturalia non viventia li- 10. cèt in actu primo sint in se ipsis determinata ad fines à naturâ sibi præstitutos, in actu tamen secundo ad actualem agendi determinationem requiri actionem ab ipsarum potentijs distinctam in ipsis intrinsecè receptam. At istam actionem esse quandam Motionem in finem. Ergò Agentia naturalia in actu secundo determinare ac movere se ipsa in finem à naturâ sibi præstitutum.

Contra. Nam actio Transiens licèt *inchoativè* sit in agente, attamen *consummativè* est in Ter- 11. mino & Passo extrinseco; cùm ècontra actio immanens quoad omnimodam suam Formalitatem consummetur in agente. At verò per Formalitatem actionis inchoatæ non denominatur agens in Esse Moti, sed moventis duntaxat. Illa verò denominatio, quâ agens dicitur movere se ipsum, denotat agens sub Formalitate non moventis duntaxat, sed etiam moti. Constat proinde, Agentia naturalia, quorum actiones sunt transeuntes, catenus agere propter finem, ut non tam se ipsa, quàm subjectum aliquod Extrinsecum moveant in finem à naturâ præstitutum; cùm ècontra Viventia utpote

utpote immanentèr operativa sint sui ipsorum
in finem moventia.
12. Replicabis. Gravia & levia habere in se
principium Motûs ad sua Centra, Doctore An-
gelico in *2. dist. 14. q. 1. a. 5. ad 2.* asserente: *Sub-
stantiam, sicut non est Principium alterationis nisi me-
diante calore vel frigore, ita neque esse Principium mo-
tûs vel quietis localis, nisi mediante gravitate & levi-*
13. *te.* Ex quo patere, quòd in gravibus & levi-
bus quietis localis tanquam finis à naturâ præ-
stituti Principium Principale & radicale sit for-
ma substantialis, levitas verò & gravitas sint
Principium proximum ac minùs Principale.
Ergo gravia & levia esse sui ipsorum in Finem
à naturâ præstitutum moventia. Ergo falsum
esse, quòd Agentia naturalia inanimata non
sint sui ipsorum Physicè moventia in finem à
naturâ præstitutum.
Contra. Nam licèt Gravia & levia habeant
14. in se Principium motûs ut *Quo* activum, ta-
men Principium ut *Quod* non est ipsum Grave,
quod movetur, sed ipsum Generans: D. Tho-
mâ 3. *de Cælo, lect. 7. circa finem* asserente; quòd
*forma Gravis & levis non est Principium activum per
modum moventis, & sicut agens motum, sed sicut Quo
movens movet, ut adeò Motus gravium & levium pro-
cedat à generante immediatè.* Cujus ratio est. Nam
15. forma substantialis est per se ipsam intrinsecè
determinata ad emanationem propriæ passio-
nis. Unde ista absque ullâ mediâ actione ex in-
trinsecâ formæ determinatione, sublato impedi-
mento, resultat. Atqui Agens, ex cujus efficien-
tiâ fluit intrinseca ad effectum aliquem deter-
minatio, est immediatè causans talem effectum,
Unde commune ortum est axioma, quòd agens
dans formam substantialem, det etiam proprie-
tates connaturaliter ex illâ emanantes: sicut e-
nim Agens Physicum, quatenus mediâ actio-
ne superadditâ ponit Causalem effectûs ex se
fluentis determinationem, sortitur rationem
Causæ immediatè effectricis: sic agens formæ
alicujus substantialis generativum, quatenus in
hâc ipsâ formâ substantiali causat determina-
tionem intrinsecam, ex quâ immediatè resultat
passio propria, est hujus Principium physi-
cè causativum. Etsi proinde emanatio pro-
priæ passionis sit ab intrinsecâ formâ substan-
tiali, tanquàm Principio *Quo*, attamen à Ge-
16. nerante procedit tanquam Principio *Quod*. Un-
de patet differentia inter animata & inanima-
ta, quòd hæc ultra perfectionem connaturalem
seu passiones proprias ex ipsorum formis sub-
stantialibus tanquam Principio *Quo*, à Gene-
rante autem tanquam Principio *Quod* proce-
dentes non sint sui ipsorum perfectiva, illa ve-
rò medijs actionibus immanentibus ac Vitali-
bus ultra perfectionis naturalis statum sint sui
perfectiva. Consequens proinde est, quòd agen-
tia animata duntaxat eatenus agant propter
finem, ut saltem *physicè* ac *efficienter* se ipsa mo-
veant in finem.

Conclusio II.

17. NE animata quidem irrationalia se
ipsa in finem movent *Formaliter*,
sed *Physicè* duntaxat ac *efficienter*.

Probatur: Quia in actionibus ad finem or-
dinatis alia est Formalitas, secundùm quam fi-
nalizatur à fine, & sub ejus causalitate com-
prehenditur: alia verò est Formalitas, secun-
dùm quam ipse agens seu producens actionem
taliter finalizatam, se movet & dirigit in finem.
At prior formalitas invenitur quidem in omni
cujusvis Agentis actione, posterior tamen for-
malitas non reperitur nisi in agente Intellectua-
li. Probatur istud assumptum. Nam motio in 18.
finem consistit in quadam allicientiâ & morali
appetitûs motione seu attractione. Hæc verò
allicientia & attractio moralis præsupponit cog-
nitionem finis sub ratione convenientiæ, haben-
tis ut sic vim moraliter alliciendi appetitum.
At ista Finis cognitio, quâ mediante Finis est
appetitûs moraliter motivus & attractivus,
debet importare quandam Indifferentiam, su-
per quâ appetitui sit Dominium aliquod.
Probatur istud Assumptum. Nam movere 19.
se ad finem est ex Principio se determinare.
Unde ut appetitus aliquis se moveat & deter-
minet in finem, necesse est, talem appetitum
supponi indeterminatum ac indifferentem. At
verò appetitus nequit esse indifferens, nisi Prin-
cipium ejusdem regulativum sit indetermina-
tum. Ejusmodi verò Principium appetitûs in-
trinsecè regulativum est judicium seu cognitio
repræsentativa Finis sub ratione convenientiæ.
Ut ergo appetitus ex Principio intrinseco pos-
sit se determinare, atque adeo movere *Formali-
ter* in finem, oportet Cognitionem Finis, seu
judicium ejusdem sub ratione convenientiæ re-
præsentativum eatenus esse indifferens, ut ta-
men super illud habeat potestatem & Domini-
um, vi cujus possit pro libitu se ab intrinseco
circa illud determinare. Atqui ut judicium Fi-
nis sub ratione convenientiæ repræsentativum
ejusque determinatio ac resolutio sit in potesta-
te ac Dominio judicantis, requiritur discursus &
ratio. Probatur istud assumptum. Nam Iudi- 20.
cium Finis ac mediorum repræsentativum in
tantum est in potestate Iudicantis, in quan-
tum de hoc ipso judicio suo judicare potest:
de hoc enim, quod est in nostrâ potestate, pos-
sumus judicare. ex S. Thoma *q. 24. de Verit. art.
2.* At judicare de judicio suo solius rationis
est, quæ super actum suum reflectitur, & cognos-
cit habitudines rerum, de quibus judicat, &
per quas judicat, *ex citato Sancto Doctore.*
Ergo ad hoc, ut judicium finis & Medio-
rum sub formali Convenienriæ ratione repræ-
sentativum sit in judicantis potestate ac Domi-
nio, requiritur discursus & ratio. Cùm igi-
tùt movere se ad finem sit determinare se ad ip- 21.
sum. Hæc autem determinatio in appetitu sui
determinativo supponat indifferentiam ad fi-
nem. Ista verò indifferentia nequeat se tenere
ex parte appetitûs, nisi suppositâ indifferentiâ
in Iudicio ceu radice appetitûs, non ab instin-
ctu seu alterius motione, sed ex ipsius Iudican-
tis potestate ac Dominio determinabilis. Ista
verò super judicium suum potestas stare non
possit, nisi judicans possit se reflectere super a-
ctum suum proprium, possitque cognoscere ha-
bitudines rerum; hæc autem super judicij pro-
prij actum nec non rerum habitudines vis re-
flexiva importet Rationem & collationem dis-

cursivam: evidenter sequitur, quòd movere se ad finem sit proprium Agentis rationalis, nec adeò animata irrationalia sint sui ipsorum in finem moventia nisi *Physicè efficienter*, non autem strictè loquendo *Finaliter*, Doctore Angelico *præs. art. 2.* expressis verbis asserente; illa, quæ rationem habent, se ipsa movere ad finē, eò quòd habeant Dominium suorum actuum per liberum arbitrium, ceu facultatem rationis & voluntatis.

Responsio ad opposita Fundamenta.

22. AD argumentum *n. 2.* oppositum Respondetur. Formam ignis in genere causæ Formalis ac Efficientis eatenus determinari ad generationem alterius ignis, ut hæc ipsa tamen determinatio subdatur Causalitati & motioni Causæ primæ. Ut sic autem moveri in finem vi Divinæ effectricis volitionis ac Dictionis præstitutum. Ergo ipsammet Formæ ignis intrinsecam in genere Causæ formalis ac Efficientis determinationem, & ex hac resultantem ignis alterius productionem quà Divinæ motioni Essentialiter subordinatam participare de causalitate Finali Finalizatâ ut sic per motionem Divinæ Voluntatis. Quare ignem generando alium ignem, eatenus moveri in finem à Deo tanquàm authore naturæ præstitutum, ut *physicè efficienter* agat propter finem, nec tamen moveat se ipsum in genere præsertim Causæ finalis, sed moveatur à Divinâ effectrice Voluntate *Formaliter Identicè* Finalizatâ per suam Increatam Bonitatem, ac vi hujus Finalizationis ipsammet creatam Formæ ignis productionem Finalizante per Essentialem ex suâ causalitate derivatum respectum ad compositum ignis de novo productum, ceu finem illius productionis.

23. Ad *n. 3.* oppositum Respondetur. Ad hoc, ut aliquid non *physicè* duntaxat *Efficienter*, sed *finaliter* se moveat in finem, requiri; ut se ipsum determinet ad finem, nec adeò supponat se determinatum à naturâ, vel ab instinctu Authoris naturæ mediante objecto. At verò ut aliquid supponatur non determinatum à naturâ vel instinctu authoris naturæ, in appetitu sui determinativo requiritur indifferentia Electiva, & vis Dominativa super judicio finis ac mediorum repræsentativo. Hæc autem indifferentia Electiva ac Dominativa vis supponit indifferentiam Iudicij in eo se tenentem, quòd tum in fine, tum in medijs per tale Iudicium sint repræsentabiles diversæ formalitates, secundùm quarum aliquas finis aut media habeant rationem convenientiæ, secundùm alias verò habeant respectu appetitûs rationem disconvenientiæ. Ista verò diversarum convenientiæ ac disconvenientiæ formalitatum in uno objecto repræsentativa ratio supponit vim cognoscendi reflexivam & comparativam mediorum tam cum fine, quàm cum appetitu. Hæc autem

24. vis *reflexè & comparatè* cognoscitiva importat virtutem collativam, atque adeò discursivam. Atqui Brutum non cognoscit finem ac media sub tali reflexivâ convenientiæ ac disconvenientiæ Formalitatum repræsentatione, sed quemadmodum visus colorem mediante luce tanquàm ratione formali *sub Quâ* cognoscendo *Materialiter ac Exercitè*, non autem *signatè & Formaliter*, cognoscit convenientiam, sub quâ color per lucem proportionatur in ratione Visibilis; sic æstimativa vis in Bruto unam ex herbis proficuam, alteram verò nocivam æstimando, *Materialiter* duntaxat cognoscit convenientiam vel disconvenientiam herbæ.

Probatur istud Assumptum. Nam sicuti luci corporali respectu visûs in ratione objecti per se inest proportio, *sub Quâ* colores constituuntur in Esse formali visibilis, quin tamen ista lucis ad visum proportio *signatè* attingatur per cognitionem visivæ potentiæ, sic per naturalem proprietatem, sive instinctum ab authore naturæ impressum inest æstimativæ Brutorum virtuti lumen aliquod in certo quodam phantasmate seu specie se tenens, sub quo lumine herbæ proximè proportionentur cum sensitivo Brutorum appetitu, quin ista proportio *signatè* ac *reflexè* attingatur. Unde hirundo quando pro nido pullorum educationi idoneo faciendo, inter duas sibi præsentes Materias unam eligit, alteram relinquit, nec non duriorem pro exteriori, molliorem autem pro interiori nidi parte applicat, tunc sub quodam sensibili nidi confectionis singularum ejus partium repræsentativo lumine eatenus determinatur ad congruam materiæ selectionem & applicationem, ut ipsa tamen proportio non nisi per collativum judicium noscibilis *Formaliter* ac *signatè* non cognoscatur à Bruto, sed huic repræsentetur duntaxat aliqua in singulis objectis sensibilitatis ratio, per quam moveatur hirundo ad singularum nidi partium appetitionem ac dispositionem, donec nidi tandem proportio congrua resultet. Constat proinde, Bruta non ita agere propter finem, ut ipsa *Finaliter* se moveant in Finem, sed *physicè* duntaxat secundùm vitalem suæ operationis elicientiam.

Ad Arriagæ *n. 5.* oppositum Respondetur. 26.
Deum utique non defuisse in dandis speciebus ad cujusque animalis vitæ ac speciei conservationem necessarijs, has tamen ita attemperari naturæ Brutorum, ut tam Finis, quàm media conservationem ejusmodi spectantia per illas species repræsententur, non secundùm Formalem convenientiæ aut disconvenientiæ proportionem, sed sub aliquâ sensibilis convenientiæ ratione appetitûs sensitivi determinativâ. Unde super ejusmodi convenientiæ ratione appetitu Brutorum nullam esse vim Dominativam seu indifferentiam Electivam: atque adeò propter finem ex vi illarum specierum, ac inde causatæ repræsentationis sibi determinatum operando non nisi *Physicè Efficienter* secundùm vitalem elicientiam, non autem *Finaliter* se movere in Finem, sive ad hunc se determinare ex aliqua super illam repræsentationem Dominativâ virtute, *uti efficaciter probant fundamenta* Ioannis à S. Thomâ & Ildephonsi Baptistæ *n. 5. & 6 adducta.*

***

(MARIA)

SON-



CONTROVERSIA III.

In quo consistat ratio finalis Causalitatis?

1. PRima sententia relata à Suarezio *1. 2. 2. disp. 1. sect. 1. n. 8,* & Ildephonso *hic disp. 3. n. 124.* traditaque ab Ægidio *lib. 1. de fine in communi. q. 6. a. 6. §. 3.* docet, causalitatem Finalem consistere in quadam motione Metaphoricâ voluntatis, quæ distinguatur ab omni elicito actu voluntatis, atq; hûc tempore præcedat. Fundamentũ est. Nam finis non movet nisi præcognitus. At eo ipso, quòd finis sit cognitus, excitat ejus Bonitas voluntatem, etiamsi hæc per suam libertatem se non moveat. Probatur istud Assumptum. Hæc enim excitatio intelligitur oriri ex conjunctione & Sympathiâ Intellectûs & voluntatis, quà in eâdem animæ Essentiâ radicatarum. Unde antecedenter ad actum voluntatis intelligitur hæc moveri ac excitari à fine cognito. In quâ proinde præviâ motione ac excitatione *Formaliter* consistit causalitas Finalis.

2. Secunda à Cabero apud Ioannem à S. Thoma *in Phys. q. 13. a. 2.* tradita sententia tenet, Causalitatem Finis seu motionem ejus Metaphoricam consistere in apprehensione & cognitione Bonitatis Finis ut hîc & nunc convenientis. Fundamentum est. Nam Essentia Finis est ipsa bonitas movens ad operandum quà cognita. Unde motio Finis videtur consistere in debitâ Cognitione Bonitatis & convenientiæ respectu operantis. Quâ proinde cognitione positâ, si voluntas nolit operari, effectus non sequetur, non quidem ex defectu finis, sed Causæ Efficientis nimirum voluntatis, positâ etiam finali causalitate liberè tendentis in finem.

3. Tertia per Ioannem de Salas *prax. disp. 3. sect. 2. n. 17.* exposita sententia in actu voluntatis varias à diversis causis dependentias considerans, asserit, illum actum, ut egreditur ab Agente, esse causalitatem effectivam, ut verò egreditur à Fine, esse Motionem Metaphoricam, quæ est causalitas finis, ut denique à voluntate tanquàm Causâ materiali egreditur, esse Materializationem. Favent huic sententiæ Avicenna *lib. 6. Metaph. tract. 5. cap. 5.* Albertus Magnus *5. Metaph. tract. 1. cap. 13.* Alensis *1. p. sum. q. 17. mem. 3.* Ferrariensis *1. cont. gentes. cap. 73.* Suarez *hic disp. 1. sect. 1. n. 8.* Ildephonsus Baptista *prax. disp. 3. n. 186. & 193.* Andreas Lao *disp. 1. dub. 6. n. 80.* & Ioannes à S. Thomâ *in Phys. q. 13. a. 2.* specialiter affirmans; Metaphoricam Motionem, quâ finis dicitur causare, secundùm veritatem esse primum amorem Finis ut passivè pendentem ab appetibili, non ut activè elicitum ab appetitu.

Fundamentum ab authore proximè citato deductum est. Nam amor seu appetitus actualis pendet à duplici Principio, scilicet ab appetibili ut attrahente & alliciente appetitum; nec non ab Efficiente seu eliciente actualem appetitum sive amorem. Unde amor in ordine ad Causam Efficientem se habet ut actio seu causalitas Efficientis; in ordine verò ad Finem explicatur per modum cujusdam ponderis seu spirationis inclinantis in amatum, juxta illud; *Pondus meum amor meus, eo feror, quocumque feror.* In hoc ipso autem amoris actu, quatenus pendet ab objecto, duplex adhuc reperitur habitudo, nempe specificationis, ac Finalizationis. Inter 4.
istas verò habitudines hoc discriminis est, quòd objectum quà specificativum respectu actûs specificati se habeat per modum Causæ Formalis extrinsecæ. Unde specificatio ab objecto consistit in dependentiâ ab ipso ut determinante speciem actûs. Econtra finis non constituit speciem, sed movet Agens ad exercitium actionis. Hoc autem exercitium actionis fit per inclinationem, quæ non potest tendere nisi ad aliquid certum. Vnde priùs necesse est, inclinationem respectu termini, in quem tendit, reddi taliter proportionatam, ut vi talis proportionis inclinatio conjuncta appetibili ex hoc quasi ponderosa facta tendat in finem. Patet proinde, specificationem in actû amoris ratione nostrâ ratiocinatâ esse priorem Finalizatione, hanc verò licèt cum Efficiente causalitate realiter identificatam esse *virtualiter* priorem; siquidem Voluntas ex hoc se determinet ad Efficientiam amoris, quòd finis per modum appetibilis alliciendo voluntatem, huic imprimat aliquod quasi pondus, & sic mediante ponderosâ aliquâ inclinatione voluntatem trahat ad se ipsum.

CONCLUSIO.

CAusalitas Finalis est Formaliter actus amoris seu appetitus à voluntate elicitus per modum passivæ motionis allectus, & ut sic specificatus à Bonitate finis tanquam Formali motivo.

Probatur. Nam motio immediatè excitata, ac Essentialiter dependens ab aliquo principio extrinseco, respectu istius habet rationem Causalitatis. Atqui quivis voluntatis actus Essentialiter pendet ab aliquo Motivo Formali. Hoc autem est in objecto ratio *propter Quam.* Ejusmodi verò appetibilitatis ratio respectu actûs à voluntate eliciti est Finis seu Causa Finalis, à qua tanquàm Motivo suo formali Essentialiter est dependens. At Essentialis à Principio Extrinseco dependentia importat Quartum perseitatis modum, situm in specificatione actûs Essentialiter pendentis à principio sui Extrinsecè specificativo. Cùm igitur actus voluntatis sit Essentialiter pendens à Causâ Finali tanquàm Motivo suo Formali, consequens est, omnẽ actum voluntatis tanquàm motionem à Causa Finali immediatè excitatam, ab ejusmodi principio sui extrinsecè specificativo dependere Essentialiter. Ergo omnis actus voluntatis respectu Causæ Finalis seu Motivi sui Formalis habet rationem Causalitatis Finalis, ut sic Formaliter importantis Essentialem sui specificationem ex Fine tanquàm principio, non *intrinsecè secundùm primum*, sed *Extrinsecè secundùm Quartum perseitatis modum* specificativo Causalitatis ejusmodi. 5.

6. Dices ex Ioanne à Sancto Thomâ *cit. a. 2.* Amoris ab objecto suo Formali tanquàm Extrinseco specificativo dependentiâ pertinere ad agens causæ formalis Extrinsecæ, esseque communem omni-

omnibus cujusvis intentionalis etiam cognoscitivæ potentiæ actibus. Ergo in tali dependentiâ seu specificatione non posse constitui propriam & specificam Finalizationis seu Causalitatis Finalis rationem.

Contra. Nam alia ex objecto Formali spe-
7. cificatio est in actibus cognoscitivæ potentiæ, alia verò in actibus Voluntatis. In illis enim objectum seu motivum formale secundùm Esse suum Intentionale unitum intellectui se habet ad actum per modum Principij Effectivi, & assimilativi, cùm econtra respectu actuum Voluntatis se habeat objectum Formale per modum attractivi seu impulsivi. Hoc autem Principium attractivum habet rationem Causæ Finalis, à quâ ut sic actus voluntatis Essentialiter est dependens tanquàm principio sui *Extrinsecè* quidem, attamen *secundùm Quartum Perseitatis modum Formaliter* specificativo: cùm econtra actus Intellectûs ab objecto suo Formali potentiæ Intellectrici intelligibiliter unito Essentialiter pendeant tanquàm à principio sub ratione Causæ Effectricis vel assimilativæ *secundùm quartum perseitatis modum* specificativo. Etsi proinde talis ex objecto formali specificatio *Genericè* spectata sit communis actibus Intellectûs & Voluntatis, *specificè* tamen considerata prout *formaliter* importat Essentialem à Causa quà Finali dependentiam, est propria actuum voluntatis, respectu quorum objectum formale tanquàm extrinseca Causa formalis eatenus se habet, ut, quemadmodùm ista ratio Extrinsecæ Causæ Formalis seu specificativæ in ordine ad actus Intellectûs habet rationem Principij assimilativi ac secundùm Intentionale Intellectui unitum Esse Effectivi, sic respectu actuum voluntatis habeat *formaliter* rationem Principij Finalis. Consequens igitur est, actus Voluntatis Essentialiter pendentes ab objecto suo Formali, ab hoc specificari tanquàm Principio *formalissimè* finali, atque adeò Finalizationem seu Causalitatis finalis rationem in actibus voluntatis *formalissimè* importare ipsorum ex Motivo suo quà Principio Finali specificationem Essentialem.

Responsio ad opposita fundamenta.

8. AD primæ sententiæ *n.1.* oppositum fundamentum Respondetur. Causalitatem dicere actualem effectûs à causâ emanationem. Atqui ex naturali inter intellectum & voluntatem sympathiâ, proposito appetibili tanquàm fine, non oriri actualem voluntatis excitationem, atque adeò effectûs à Causa finali emanationem, nisi dum fit quædam motio recepta in voluntate. Unde antecedenter ad istam actualem receptionem ex objecti appetibilis repræsentatione, ac ex vi naturalis illius sympathiæ dici posse voluntatem *in actu* duntaxat *primo* excitatam, cuiusmodi excitationem non venire nomine Causalitatis finalis, eo ipso quòd non sit actualis à Causa Finali excitata voluntatis motio, seu emanatio effectûs. Talem igitur Causalitatem consistere in excitatione actuali amoris per modum passivæ motionis allecti à Bonitate Finis tanquàm Motivo formali.

9. Ad secundæ sententiæ *n.1.* oppositum fundamentum Respondetur. Eo ipso, quòd Essentia finis sit Bonitas quà appetibilis, oportere ipsius Causalitatem importare formaliter hujus appetibilitatis reductionem in actum. At propriam actualitatem appetibilis ut sic esse appeti actu. Unde S. Thomam *q. 22. de Verit. a. 2.* affirmasse, *quòd sicut influere Causæ efficientis est agere, ita influere Causæ Finalis esse appeti & desiderari.* Quare consequens esse, quòd apprehensio Finis non sit Causalitas Finalis, sed istam sit antecedens tanquam conditio *sine quâ non*, non extrinsecè duntaxat se tenens ex parte applicationis Causæ ad passum seu effectum, sed intrinsecè imbibita in intrinsecâ causandi ratione, adeò ut sine tali conditione Finis nullatenus movere possit voluntatem, *velut infra de Voluntario fusiùs probabitur.*

Ad tertiæ sententiæ *n. 3.* oppositum fundamentum Respondetur. In eo unicè displicere, 10.
quòd actûs amoris ex Fine specificatio dicatur ratione nostrâ distingui à Finalizatione. Etenim finis movet agens ad exercitium actionis, non utcumque, sed quà allectæ ac excitatæ ex Bonitate finis. Atqui actionis ex finis Bonitate excitatæ exercitium ut sic formaliter importat intrinsecam & Essentialem actionis commensurationem respectu Finis quà Motivi, secundùm specificam Voluntatis attractivam Bonitatem considerati. Hæc autem intrinseca cum Fine secundùm specificam suam Voluntatis allectivam Bonitatem spectata commensuratio est Formalis specificatio actionis à voluntate elicitæ. Oportet igitur dicere, Finalizationis rationem in actu amoris *Formalissimè* importare intrinsecam actionis ejusmodi ex Finis Bonitate tanquam Motivo formali specificationem.

Instabis ex Ioanne à Sancto Thoma *1. 2. disp. 1. a. 3. n. 21.* Finem causare Finaliter, qua- 11.
tenus movet ad existentiam sui effectûs. At prædicatum existentiæ esse accidentale. Unde finem quatenus secundùm rationem suam specificam importat Bonitatem voluntatis allectivam, esse quidem specificativum amoris, ut sic tamen non habere Formaliter rationem Finis, sed motivi Formalis, seu Formæ extrinsecæ.

Respondetur Sicuti Causa efficiens, quæ in 12.
specificâ Formæ suæ ratione habens radicatam suam agendi Virtutem, eatenus est causans effectûs sui existentiam, ut ipsam tamen specificam Essentiam Causaliter tribuat suo effectui, sic Causam Finalem Formaliter in ratione Causæ finalis spectatam non posse considerari, quòd causet accidentale duntaxat Esse Existentiæ, sed specificum amoris prædicatum situm in intrinsecâ commensuratione cum Fine utpote Motivo & allectivo voluntatis, secundùm specificam suæ Bonitatis appetibilitatem. Sicut ergo Forma Agentis seu Causæ efficientis sub formali effectivi saltem Radicalis, sed Principalis Principij est Forma extrinsecè secundùm Quartum perseitatis modum specificativa effectûs sui univoci, sic Causam Finalem *Formaliter* sub ratione Finis ceu Motivi Formalis esse in quarto Perseitatis modo specificativum amoris propter specificam ipsius Bonitatem eliciti.

Verùm de his pluribus infra.

CONTROVERSIA IV.

Utrùm homo in omni & solo voluntatis actu operetur propter Finem, vel moveat se in finem.

1. Doctor Angelicus *pres. q. 1. a. 1.* omnes actiones humanas esse propter finem, sequenti probat argumento. Nam actiones dicuntur propriè humanæ, quæ sunt propriæ hominis, in quantum est homo. At homo differt ab irrationabilibus creaturis in hoc, quòd est Dominus suorum actuum. Unde illæ solùm actiones sunt propriè humanæ, quarum homo est Dominus. Est autem homo Dominus suorum actuum per rationem & Voluntatem. Illæ ergo actiones sunt propriè humanæ, quæ ex voluntate deliberatâ procedunt, cæteræ autem actiones sunt quidem hominis, non autem propriè humanæ. Atqui omnes operationes procedentes ab aliquâ potentiâ, causantur ab ipsâ secundùm rationem sui objecti. Objectum autem Voluntatis est Finis & Bonum. Oportet igitur, omnes actiones huma-
2. nas esse propter finem. Ex quâ Divi Thomæ ratiocinatione duæ oriuntur difficultates. 1. *Qualiter verificetur, quòd solæ actiones voluntatis deliberatæ sint propriè humanæ, nec adeò nisi in istis se moveat voluntas in Finem?* 2. *Qualiter verum sit, quòd, cùm ex actibus voluntatis aliqui sint necessarij, nec adeò super his videatur habere Dominium, actus ejusmodi sint propriè propter finem eliciti à voluntate?*

Referuntur Sententiæ.

3. PRima sententia esse potest, si dicatur; non illas duntaxat actiones esse humanas, quæ à Voluntate deliberatâ procedunt, nec adeò verum esse, quòd in omnibus actionibus humanis homo se propriè moveat in Finem. Fundamentum est. Nam actiones propriè humanæ sunt, quotquot procedunt ex potentijs radicatis in specificâ hominis differentiâ. In hanc verò hominis specificè constitutivam differentiam, id est rationalitatem reducuntur admiratio, risus, fletus, ac quævis operationes Intellectuales omnem quoque Voluntatis motum antecedentes, nec non quælibet voluntatis etiam indeliberatæ actiones. In his verò actionibus voluntas non habet Dominium, nec subsunt ejus motioni ac imperio, vel etiam deliberationi. Falsum proinde est, quòd in omnibus actionibus humanis se Finaliter moveat Voluntas in finem Formaliter spectatum.

4. Secunda Gregorij *in 1. dist. 1. q. 1. a. 2.* Hervæi *quodl. 1. q. 8. a. 2. circa finem.* Gabrielis *in 2. dist. 38. q. un. a. 1. not. 2.* Vasquez *1. 2. disp. 3. c. 2.* sententia negat, omnes voluntatis actus etiam liberos esse strictè propter finem. Fundamentum à Vasquezio deductum est. Quia finis Metaphoricè movet voluntatem, quatenus non ad instar Causæ Efficientis per se ipsam, sed mediante sui desiderio sive amore movet. Atqui ad primum amorem Finis non movetur voluntas medio aliquo amore. Ergo intentio seu primus amor Finis non est strictè propter Finem, ita ut hic Metaphoricè moveat Voluntatem ad sui amorem seu intentionem. Confirmatur. 5.
Nam Finis se habet in agibilibus, sicuti Principium in speculabilibus. Atqui propter Principia non assentimur ipsis principijs, sed conclusioni. Ergo nec volumus Finem propter finem, sed media propter finem præintentum, ac præamatum.

Tertia Suarezij *pres. disp. 1. sect. 2.* Curielis *hic q. 1. a. 1. dub. 2. §. 4.* Amici *disp. 1. sect. 4. concl. 1.* sententia affirmat, non illos duntaxat voluntatis actus, qui versantur circa media, sed amorem ac intentionem Finis esse propriè propter Finem tanquàm rationem volendi intrinsecam. Quibus adstipulatur Ildephonsus Baptista *pres. disp. 7. dub. 2.* cum Caietano *hic art. 2. §. sed hoc dicitur.* & Conrado *§. His consequenter.* Martinez *dub. 4.* asserens: ex hoc, quòd objectum Voluntatis sit Finis & Bonum, rectè concludi à Divo Thomâ, quòd omnes actiones humanæ sint propter Finem. Fundamentum à præcitato Ildephonso deductum est. Nam sicut propria ratio objecti est, quòd circa illud versetur actio, ita propria ratio ac Causalitas finis est, quòd omne, quod fit ejus motivo, fiat propter Finem. Atqui voluntatis objectum est Finis & Bonum. Nequit autem potentia egredi extra limites sui objecti. Sicut ergo voluntas in omni suâ actione non potest non ferri in Finem tanquam suum objectum, sic in omni operatione humanâ agit propter Finem.

Hûc reduci potest doctrina Ioannis à S. Thomâ 6.
hic disp. 1. art. 1. n. 39. ac seq. asserentis: 1. Actiones dici posse hominis proprias secundùm substantiam, prout radicantur in propriâ hominis differentiâ seu rationalitate, atque ut sic sunt intra lineam spiritualitatis ac intelligibilitatis. 2. Quoad modum dici actiones hominis proprias, quatenus homo est operativus secundùm universalitatem, indifferentiam, & reflexionem supra se; ac potestatem super actus suos. 3. Alium actum dici deliberatum *Consummativè*, in quo nimirum tanquàm quasi effectu consummatur deliberatio; alium verò *initiativè*, qui est principium Deliberationis, velut intentio & amor finis. 4. Actus insuper posse dici liberos ac deliberatos vel *Eminenter*, si omnem universalitatem & indifferentiam voluntatis erga Bonum vincant; veluti amor Dei in Beatis, & Gaudium Beatificum, vel *Formaliter*, si ex indifferentiâ judicij objectivâ, vel voluntatis Dominativâ procedant. Hinc 5. omnem & solam actionem in quantum de prætactis deliberationis ac libertatis modis participat, esse propter finem, atque adeò verificari, quòd sola actio humana prout ex Dominio Voluntatis *Consummativè* vel *Initiativè* deliberatæ secundùm libertatem aut *Formalem* aut *Eminentialem Electivè* seu *Imperativè* procedit, eatenus sit propter Finem, ut Voluntas quoad operationes ejusmodi sit movens se ipsam in finem.

CONCLUSIO.

OMnis & sola actio voluntatis, quæ non *physicè* duntaxat, sed *moraliter* est humana, est *Formaliter* propter finem, ita ut Voluntas per eam non tantùm *Ef-* 7.

tùm *Efficienter*, sed *Formaliter* se moveat in Finem.

Probatur. Nam actio Humana dici potest, quæ ex Formali hominis differentiâ scilicet rationalitate, tanquàm Principio suo in Quarto perseitatis gradu specificatur. Ejusmodi verò est omnis spiritualis & imaterialis ab animâ rationali ceu principio radicali procedens actio. At verò in hoc genere actionum alia procedit ab aliquâ Formæ rationalis potentiâ, ut à principio physicè duntaxat Effectivo, cujusmodi sunt operationes Intellectûs ex intrinsecâ ad agendum necessitate, non verò ex imperio Voluntatis elicitæ, nec non actiones voluntatis omninò indeliberatæ. Cujusmodi proinde operationes *physicè* duntaxat, non autem *Moraliter* sunt Humanæ, nec in ijs homo nisi *Efficienter*, non autem *Finaliter* se movet, sed movetur à Deo in Finem Formaliter saltem spectatum, veluti à pari *sup. cont. 2. conc. 2.* explicatum est. Aliæ igitur hominis actiones procedunt a Formæ rationalis potentiâ aliquâ secundùm vim Dominativam. Hæc autem vis Dominativa *Radicaliter* importat objectivam judicij indifferentiam, *Formaliter* autem indifferentiam activam, atque adeò libertatem ad opposita, in cujusmodi indifferentiâ & libertate fundatur moralitas. Unde illæ duntaxat hominis actiones sunt *Moraliter* humanæ, quæ procedunt à liberâ formæ rationalis potentiâ. In quibus proinde actionibus hominem se *Finaliter* movere in Finem etiam *Formaliter* spectatum, efficaciter demonstratur argumento Sancti Thomæ *præs. cont. n. 1.* deducto.

8. Dices. Illo Sancti Doctoris argumento probari, quòd illæ duntaxat actiones humanæ per intrinsecam hominis non effectivam duntaxat, sed Finalem Motionem sint propter finem, quæ procedunt ex voluntate deliberatâ. At Deliberationem importare Consiliationem de medijs, ad quam præsupponitur amor & intentio Finis. Non igitur videri, quod secundum Divum Thomam amor & intentio Finis per propriam & intrinsecam hominis Finalem motionem sint propter Finem, maximè cùm ista motio videatur importare quandam successionem, seu Transitum ab uno actu ad alium; cujusmodi successio & Transitus non est in primo amore Finis.

9. Contra. Nam Deliberatio spectari potest tum *Initiativè*, tum *Consummativè*. Etsi verò Finis intentio non procedat ex deliberatione consummativâ, eo ipso tamen, quòd sit Principium Formalis deliberationis, jam est actio voluntatis *Initiativè* deliberata: potestque adeò denominari *Moraliter* humana actio, utpote quæ ex objectivâ judicij *Radicaliter*, & Dominativâ voluntatis indifferentiâ *Elicitivè* sit emanans. Etsi proinde per ejusmodi Finis intentionem, seu primum amorem voluntas non sit se ipsam movens *Transitivè*, eo ipso tamen, quòd à Voluntate eliciatur ex Finali Bonitatis ab Intellectu repræsentatæ motione à se licèt realiter indistinctâ, dici potest voluntas per ipsam *Finaliter* & *Moraliter*, sed *Intransitivè* se movere in finem.

10. Replicabis. Gratiæ actualis motiones indeliberatas, quas Deus secundùm D. Augustinum in nobis sine nobis liberè operantibus operatur; esse *Initiativè* deliberatas, utpote motrices ad liberum Voluntatis à Deo motæ consensum. Si ergo ad Voluntatis in finem motionem propriam sufficiat deliberatio initiativa, posse in hisce motibus suavem quandam ex Bonitate Finis alicujus specificatam delectationem importantibus dici voluntatem se *Finaliter* movere in finem. At consequens esse falsum, siquidem per illas motiones intrinsecas & vitales voluntas non nisi *Physicè* ac *Efficienter*, non autem *Finaliter* & *Moraliter* sit sui ipsius motrix, sed ut sic moveatur à Deo in finem.

Contra. Nam ad Finalem sui ipsius motionem non sufficit Deliberatio initiativa, nisi cum hâc ex parte voluntatis stet libertas non *physicè* duntaxat, sed *Moraliter* influens in operationem tanquàm Finalem sui ipsius motionem. At in illis Gratiæ actualis motionibus voluntas non operatur *liberè* & *Moraliter*, sed *vitaliter* duntaxat & *physicè*, ut adeò verum sit, voluntatem non esse pro tunc sui ipsius *Finaliter* Motricem, sed ut sic moveri à Deo in finem, ad quem ex vi actûs illam Dei motionem consequentis voluntas postea liberè ac *Moraliter* se movet. 11.

Instabis. Amorem Dei in Angelis primo creationis instanti fuisse liberum: per hunc enim se disposuisse ad Gratiam sanctificantem. Atqui in hoc amoris Divini actu Angelos non tam movisse se ipsos, quàm fuisse motos à Deo. Econtra Beatorum Voluntatem in amando Deum movere se ipsam non *Efficienter* duntaxat, sed *Finaliter* ex infinitâ Divinæ Essentiæ appretiabilitate per visionem Beatificam intelligibiliter unitâ ipsorum intellectui. At hunc Dei amorem Beatificum esse necessarium. Non igitur verificari, quòd in omnibus & solis actionibus moralibus, atque adeò liberè elicitis voluntas se ipsam *Finaliter* moveat in Finem. 12.

Contra. Nam actus amoris, quo Angeli in primo creationis instanti movebantur in Deum tanquàm Finem Ultimum dupliciter spectari potest, nimirum quà Donum Dei, & quà actus à voluntate creatâ per supernaturale auxilium elevatâ liberè elicitus. Etsi vero prior Doni Divini Formalitas sit Transcendentaliter imbibita in actu amoris Divini utpote Essentialiter pendente à Divinæ voluntatis causalitate, cum hâc tamen stat ejusdem actûs à Voluntatis creatæ per supernaturalem Formam elevatæ vi Dominativâ realis dependentia. At eo ipso, quòd ille amoris Divini actus pendeat à vi Dominativâ & liberè operativâ voluntatis Angelicæ, consequens est, hanc Voluntatem se *Finaliter* movere ad illum actum. Quare per illum Dei amoris actum Voluntas Angelica & movebatur à Deo tanquàm per Donum ex Divinæ Voluntatis causalitate descendens, & movebat se ipsam tam *Moraliter* seu *Finaliter*, quam *Physicè* & *Efficienter* tanquàm per actum ex Dominativâ Voluntatis illius vi liberè procedentem. 13.

Deinde licèt amor in Beatis sit *Formaliter* necessarius, est tamen *Eminenter* liber, quatenus tendit in infinitam Divinæ Essentiæ Bonitatem *intuitivè* repræsentatam Voluntati, suâque appretiabilitate adæquantem, imò superantem cujusque Voluntatis supernaturaliter elevatæ vim Dominativam. At iste appretiabilitatis volun- 14.

tatis creatæ vim Dominativam coæquans excessus facit, quòd objectum ejusmodi suâ Finalizatione sit magis attractivum voluntatis, quàm quodvis aliud sub indifferentiâ objectivâ propositum objectum. Unde indubitatum est, quin amor Dei in Beatis ex infinitâ Divinæ Essentiæ appretiabilitate voluntati ipsorum supernaturaliter elevatæ *intuitivè* repræsentatâ strictè loquendo finalizetur. At ista Finalizatio *Formaliter* importat voluntatis Motionem, quæ respectu objecti Finalizantis eatenus est passiva, ut respectu tamen voluntatis debeat esse activa. Verum igitur est, quòd voluntas Beatorum se ipsam moveat *Finaliter* ad amorem Beatificum *Formaliter* quidem necessarium, attamen *Eminenter* liberum. Quare ut actio sit *Formaliter* propter Finem, atque adeò voluntas non tantùm *Efficienter*, sed *Finaliter* se moveat in Finem, requiritur ac sufficit, actum ejusmodi esse vel *Formaliter* vel *Eminenter* liberum.

Responsio ad opposita Fundamenta.

15. AD primæ sententiæ fundamentum Respondetur. Nomine actionis humanæ simpliciter posito venire operationem non *Physicè* duntaxat, sed *Moraliter* humanam. Etsi verò quælibet in gradu rationalitatis radicatæ operationes sint *Physicè* humanæ, attamen *Moraliter* non dici humanas, nisi prout ex rationalitate tanquàm Principio radicali secundùm vim Dominativam, atque adeò *liberè* & consequenter *Moraliter* operativo in Quarto Perseitatis genere specificantur. Quare admirationem, risum & fletum, ac intellectûs operationes, licèt sint *physicè* humanæ, utpote radicatæ in specificâ hominis differentiâ; *absolutè* tamen seu *moraliter* nequeunt dici Humanæ, nisi quatenus ex voluntatis imperio pendentes ab isto possunt *Extrinsecè* participare libertatem & Moralitatem. Unde secundùm ejusmodi duntaxat libertatis participationem potest Homo in illis actionibus seipsum *Finaliter* esse movens, non autem si *Physicè* secundùm suam præcisè Entitatem considerentur.

16. Ad secundæ sententiæ ejusque Confirmationem Respondetur. Sicuti Principium in speculabilibus eatenus est Intellectui motivum assentiendi conclusioni, ut ex vi tamen veritatis suæ per se propositionaæ intellectui hujus sit determinativum, atque adeo *Intransitivè* Motivum ad sui ipsius immediatum assensum. Sic finis eatenus excitat *immediatè* sui amorem & hoc mediante mediorum Electionem, ut consequenter respectu amoris erga se ipsum *Intransitivè*, respectu verò Electionis Mediorum *Transitivè* sit Motivus.

17. Ad tertiæ sententiæ ab Ildephonso deductum fundamentum Respondetur. Illum in Sancto Thoma fundatum discursum eatenus accipi debere, ut eo ipso, quòd Voluntatis objectum sit Finis, debeat universa voluntatis operatio tendere in Finem vel *Formaliter*; velut in actibus deliberatis, vel *Materialiter*; velut in actibus indeliberatis id est non procedentibus ex perfecto prævio judicio. Nam Finis *Formaliter* importat proportionem cum mediis & cum voluntate, cujusmodi proportio *signatè* ac *reflexè* seu *Formaliter* non est intelligibilis nisi per actum Intellectûs perfectum. Unde quantum deest de tali actûs intelligendi perfectione, tantum deficit de Formali Finis cognitione, atque adeò voluntas tunc vel omninò, vel saltem perfectè non potest amare Finem *Formaliter* sumptum, sed *Materialiter* duntaxat sub præcisâ *Entitativæ* Bonitatis & convenientiæ, non autèm *reflexivæ* & *comparativæ* proportionis ratione.

Quare ex eo, quòd objectum Voluntatis sit Finis, concluditur quidem, omnem Voluntatis actionem esse propter Finem saltem *Materialiter*, ut tamen actio ejusmodi *Formaliter* sit propter Finem, requiritur cognitio Finis *Formaliter* spectati, quâ cognitione positâ, eò ipso stat Voluntatis Dominativa vis *Formaliter* vel *Eminenter* libera sui ipsius in Finem non *vitaliter* duntaxat, sed *Finaliter* motrix. 18.

✲✲✲✲✲✲✲✲✲✲✲✲✲✲✲✲✲✲✲✲

CONTROVERSIA V.

Utrùm Finis, Bonum, & Objectum Voluntatis sint adæquatè idem?

CONtroversia ista excitatur ex discursu Sancti Thomæ ubi supra ex eo, quod voluntatis objectum sit Finis & Bonum, arguentis, omnes humanas à voluntate procedentes actiones fieri propter Finem. Ex quo difficultas enascitur 1. *Utrùm media nullam habeant Bonitatem intrinsecam Motivam, vel per se Terminativam, sed merè extrinsecam ac per accidens duntaxat Terminativam Voluntatis?* 2. & consequenter *utrùm non Finis duntaxat, sed etiam media sint objectum per se Formale Voluntatis?* 1.

Referuntur Sententiæ.

PRima Conradi *in fine Comment. præs. a. 1.* & Medinæ *ibi dub. 1. circa medium* sententia est, Media solùm *extrinsecè* & *per accidens* participare Bonitatem ex fine: sicuti substantia ratione coloris eatenus est visibilis per accidens, ut tamen Visio ad hanc non terminetur, sed sit subjectum duntaxat Formæ, ad quam est visionis Terminatio. Fundamentum est. Nam variato tantùm fine, nullâ factâ mediorum variatione, variatur horum utilitas ad finem: velut idem cibus, qui antea erat utilis, fit noxius variatâ dispositione subjecti. At si media haberent aliquam à Bonitate Finis distinctam Bonitatem, propter quam essent appetibilia, illâ adhuc retinerent, sublatâ Finis Bonitate. Consequens igitur est, nullam aliam Bonitatem habere media, quàm Bonitatem Finis extrinsecam. 2.

Secunda Saurezij *tract. 1. de actib. human. disp. 1. sect. 5.* Andreæ Lao *hic disp. 1. dub. 4. n. 44.* sententia est: Media esse de objecto per se Terminativo Voluntatis, non quidem *Formali*, sed *Materiali*. Fundamentum est. Quoniam media ita comparantur ad voluntatem, ut verè attingat & amet illa in se ipsis. Ergo sunt de objecto per se terminativo Voluntatis. At non sunt de objecto formali. Probatur istud assumptum. Etenim S. Thomas ex hoc, quòd omnes alicujus potentiæ actiones ab ipsâ causentur secundùm rationem sui objecti, demonstrat, omnes actiones humanas esse propter Finem tanquàm obje- 3.

objectum voluntatis. At manifestum est, istam rationem fore inefficacem, si medium etiam esset de objecto formali voluntatis.

Tertia Gabrielis *in 1. dist. 38. q. 1. a. 1.* sen-
4. tentia est, media etiam ut media sub ratione Boni utilis habere rationem Causæ Finalis. Unde consequens esse, quòd Finis sit adæquatum objectum voluntatis. Fundamentum est. Quia Causalitas Finis consistit in motione voluntatis. Atqui voluntas non tantùm movetur à fine, sed etiam à medio quà Bono utili: hoc enim ratione suæ utilitatis trahit voluntatem ad se; Ergo in ipso medio est Causalitas Finalis. Cùm igitur medium quà tale & quà Bonum utile habeat rationem Causæ Finalis, absolutè verificatur, Finem esse adæquatum voluntatis objectum.

5. Quarta Ildephonsi Baptistæ *præs. disp. 6. dub. 2. n. 548.* sententia est, quòd Finis operantis non solùm Principale, sed Formale adæquatum Voluntatis sit objectum, ita ut omnis actus Voluntatis sit ex motione talis Finis, nec adeò possit voluntas ad ullum actum etiam circa media procedere sine tali dependentiâ à fine operâtis. Fundamentum est. Nam voluntas sive operetur circa Finem, sive circa media, movetur à Fine. Unde Finis est objectum Motivum respectu omnis actûs voluntatis. At id, quod est Motivum respectu omnis actûs voluntatis, adæquat omnes istos actus, & convertitur cum illis. Ergo Finis est objectum Formale Motivum voluntatis adæquatum, non verò Principale.

Quinta Gregorij *in 1. dist. q. 1. a. 2. in fine.*
6. Vasquezij *præs. disp. 1. cap. 2.* Curielis *hic a. 1. dub. 2. §. 5.* & Amici *disp. 1. sect. 3.* sententia asserens; Media esse etiam objectum Voluntatis non tantùm *per accidens*, neque *Materiale* duntaxat, sed *per se* & *Formale*; consequenter negat verificari, quòd Finis & objectum Voluntatis sint *adæquatè* idem. Fundamentum à Curiele deductum est. Nam Medium ut Medium & ut distinctum à Fine importat Bonitatem quandam, quæ dicitur utilitas. Hæc autem est per se terminativa, imò & Motiva Voluntatis. Minor probatur. Quia propositis duobus medijs ad eundem numero Finem, quorum unum sit altero convenientius & subinde utilius ad Finem; voluntas potiùs eligit, quod utilius est. At pro tunc Bonitas Finis est numero eadem respectu utriusque medij. Unde illa utilioris medij præ altero electio non est propter Bonitatem Finis, sed propter majorem utilitatem ad finem. Hinc autem est consequens, quòd ista utilitas sit ratio terminandi, imò & movendi actum Voluntatis. Ergo utilitas medij quà talis est ratio per se terminativa, imò & motiva voluntatis. Ergo est hujus objectum Formale Motivum. Ergo Voluntatis objectum etiam Formale adæquatum non est Finis.

Huic sententiæ adstipulatur Marcus Serra
7. *præs. a. 1. dub. 2. assert. 2. circa medium* affirmans, quòd, licèt media pertineant ad objectum formale *Quod* voluntatis, objectum tamen Formale *Quo* adæquatum voluntatis esse Finem. S. Doctore *infra q. 8. a. 2. ad 2.* attestante; *Finem & media ita se habere respectu voluntatis, sicut &*
8. *color se habet respectu potentiæ visivæ.* Concordat etiam Ioannes à S. Thoma *1. 2. disp. 5. a. 2. n. 17. & 18.* docens: Media ratione suæ intrinsecæ proportionis & ordinis movere *Formaliter* appetitum, ac terminare ejus actum, qui est electio; esseque adeò *Formaliter & intrinsecè* bona, licèt dependenter, per ordinem ad finem, ut ad terminum, non verò ut ad formam *extrinsecè* denominantem. Unde Bonum, ait, convenire *Analogicè* Fini & Medijs, non secundùm analogiam attributionis, sed proportionalitatis. Fundamentum est. Nam bonum idem est, quòd appetibile. Est autem appetibile id, in quod tendit appetitus, tanquàm motus in terminum appetitûs satiativum. At eo ipso, quòd medium se habeat ut via & instrumentum tendendi ad finem, nequit appetitus in illo quiescere & satiari. Unde sicut non *simpliciter*, sed *relatè* ad Finem est appetibile, sic non simpliciter, sed tantùm *analogicè* seu *dependenter* a Fine est Bonum. Nihilominùs hæc ipsa medij à Fine dependentia importat ordinem & proportionem ad finem. Hæc autem proportio convenit medijs *intrinsecè* ratione propriæ naturæ, sic enim medicinæ habent naturalem vim & proportionem ad temperandum humorem, atque restituendam sanitatem. At hæc ipsa mediorum intrinseca proportio habet rationem appetibilita-
tis, atque adeò Bonitatis. Probatur istud as- 9.
sumptum. Etenim Bonum dicitur *formaliter* id, quod *formaliter* movet appetitum. Atqui intrinseca mediorum ad finem proportio & ordo ad finem movet *Formaliter* appetitum, terminatque ejus actus, qui sunt electio, consensus, & usus mediorum; hi enim actus *Formaliter* versantur circa media, quantoque major in his est proportio & efficacia ad consequendum finem, tantò magis appetuntur & eliguntur. Constat proinde, media ratione suæ connaturalis ad finem proportionis habere Bonitatem intrinsecam *Formaliter* terminativam & Motivam Voluntatis.

CONCLUSIO.

Eo ipso, quòd medio non absolutè & simpliciter, sed analogicè tantùm conveniat esse objectum per se Terminativum Voluntatis, subsistit consequentia Doctoris Angelici ubi supra ex eo, quòd cujusque potentiæ actiones causentur secundùm rationem sui objecti; inferentis, omnes actiones humanas esse propter finem.

Probatur. Nam aliud Motivum est per se 10.
sufficiens ad movendam & alliciendam Voluntatem, cujusmodi est Finis: aliud verò non nisi dependenter, & cum intrinsecâ ad Finem ceu Primarium Motivum subordinatione habet vim movendi voluntatem; cujusmodi esse media, infra patebit. At eo ipso, quòd medijs non sit vis se solis, sed unà cum fine movendi voluntatem, sequitur; nullum esse voluntatis actum, cujus Motivum formale non sit Finis saltem in actu exercito. Hoc autem supposito, manifestè evincitur, id, quod absolutè ac simpliciter est voluntatis Motivum, *adæquatè* convenire cum fine, licèt etiam media secundùm quid & *analogicè* participent rationem Motivi voluntatis.

 Proba-

11. Probatur iſtud Aſſumptum. Nam de Eſſentiali medij ratione eſt, dicere quandam cum Fine proportionem. Hæc autem intrinſeca Medij proportio eo ipſo, quòd non propter ſe, ſed propter Finem appetibilis ſit, non habet vim ſe ſolâ & ſine Finis concurſu & influxu movendi, ſeu trahendi voluntatem. Unde medium *abſolutè* non meretur nomen Motivi Voluntatis, ſed *ſecundùm Quid* unà cum Fine, adeòque *Analogicè*. Probatur iſtud Aſſumptum. Nam
12. objectum in Quarto perſeitatis modo ſpecificativum actûs voluntatis eſt hujus formale Motivum; ſiquidem objectum materiale non fundet ſpeciem, ſed individualem unitatem ac multitudinem actuum. Atqui mediorum intrinſeca Bonitas in Quarto perſeitatis modo eſt ſpecificativa Electionis, aliorumque actuum circa media verſantium. Probatur iſta minor. Quia
13. Electio non phyſicâ duntaxat, ſed morali quandoque ſpecie differt ab intentione Finis, ſic enim actus voluntatis ex Motivo pœnitentiæ eligens eleemoſynam quà ex formali ſuæ Honeſtatis ratione Fini præfato idoneam non phyſicâ duntaxat, ſed morali ſpecie differt ab intentione per præciſum pœnitentiæ Motivum ſpecificatâ. At hæc ſecundùm ſpeciem tam phyſicam, quàm Moralem conſiderata differentia nequit eſſe niſi ex medij Bonitate intrinſecâ ut ſic fini præintento intrinſecè proportionatâ. Cùm igitur actuum voluntatis ſpecificatio ſit ex motivo ſeu objecto Formali, non autem Materiali, conſequens eſt, Mediorum intrinſecam Bonitatem quà Fini alicui proportionatam eſſe reſpectu Electionis objectum formale, atque adeò Motivum non quidem *abſolutè*, ſed *dependenter* à Fine.

Dices. Intrinſecam mediorum Bonitatem
14. quà Electionis ſpecificativam & Motivam habere rationem finis intermedij. Unde univerſaliter abſque aliquâ diſtinctione verum eſſe, quòd Finis ſit adæquatum Motivum Voluntatis.

15. Contra. Nam mediorum Bonitas intrinſeca habet rationem Finis intermedij, quatenus eſt propter ſe appetibilis, habetque adeò rationem Boni Honeſti vel delectabilis ex ſe ſaltem imperfectè ſatiativi, ac ſe ſolo Motivi Voluntatis. Econtra habet *formaliter* rationem medij, quatenus eſt appetibilis propter aliud, habetque adeò rationem Boni utilis ex ſe nullatenus ſatiativi, nec proinde Medium quà Mediũ ſe ſolo, ſed ſecundum actualem à ſui Finis concurſu & influxu dependentiam eſt Motivum Voluntatis. Unde Eleemoſynæ Honeſtas propter pœnitentiæ Motivum præintenta ſecundùm ſuam intrinſecam cum hoc Fine idoneitatem ac proportionem ut ſic non niſi dependenter à pœnitentiæ Motivo, ejuſque Finali influxu eſt motiva voluntatis, licèt ſub formali ſuæ Honeſtatis ratione poſſit ſe ſolâ movere Voluntatem. Sub quâ proinde poſteriori, non autem priori formalitate Eleemoſynæ Honeſtas habet rationẽ Finis intermedij. Conſtat proinde, non ſecundùm omnimodam univerſalitatem verificari, quòd Finis ſit adæquatum objectum Formale Motivum Voluntatis, ſed quòd Voluntatis Motivum *abſolutè* ac ſe ſolo potens movere ſit *adæquatè* idem cum Fine, licèt præter illud detur aliud Formale voluntatis objectum, nempe medium ſecundùm intrinſecam quidem utilitatis ſuæ rationem & cum fine proportionem, non tamen ſe ſolo, ſed dependenter ab actuali Finis influxu potens movere Voluntatem. Confirmatur ex Divo Thomâ *q. 8. a. 2.* taliter diſſerente: *Voluntas ſe extendit ad Finem, & ad ea, quæ ſunt ad Finem, quia ad ea ſe extendit unaquaque potentia, in quibus inveniri poteſt ratio ſui objecti: ſicut viſus ſe extendit ad omnia, quæ participant quocunque modo colorem: ratio autem boni, quod eſt objectum voluntatis, invenitur non ſolùm in fine, ſed in his, quæ ſunt ad Finem.* Ex quo ita licet argumentari: Id, in quo eſt ratio objecti potentiæ proprij, eſt ſaltem aliqualiter *Formale* Motivum objectum. Atqui non in fine duntaxat, ſed etiam in medijs eſt ratio Boni, quæ ut ſic eſt ratio propria objecti Voluntatis. Ergo non Finis duntaxat, ſed etiam media ſunt quodammodò objectum Formale Motivum Voluntatis. 16.

Inſtabis ex Sancto Doctore ubi ſupra affirmante, *quòd, ſicut intellectus reſpicit concluſiones ut in eis relucent Principia, ita voluntas feratur in media, prout in eis relucet ordo ad finem, ſic enim ſe habet finis in appetibilibus, ſicut Principium in intelligibilibus.* Ex quo ſic licet arguere: Concluſiones licèt in ſe habeant veritatem intrinſecam, ſintque adeò *intrinſecè* objectum Intellectûs, non tamen ſunt iſtius objectum formale, ſed reſpectu Principiorum tanquàm Formalis Motivi ſe habent ut objectum Materiale, & ſecundarium. At ſicut Intellectus reſpicit concluſiones, ut in eis relucent principia, ita voluntas fertur in media, prout in eis relucet ordo ad Finem. Ergo media, licèt habeant Bonitatem intrinſecam, non ſunt de objecto *Formali* Voluntatis, ſed *Materiali* duntaxat. 17.

Contra. Nam objectum ſpecificativum actûs eſt formale. Atqui veritas concluſionis ut relucens in principijs eſt ſpecificativa aſſenſûs concluſionis: hic enim *ſpecificè* differt ab aſſenſu Principiorum, debetque adeò habere Motivum ſaltem inadæquatè diverſum à veritate Principiorũ tanquàm Motivo aſſenſûs hiſce præſtiti ſpecificativo. Etſi proinde Veritas concluſionis non *abſolutè* ſe ſolâ, attamen prout relucet in principijs, unà cum Veritatis Principiorum quaſi influxu & concurſu eſt determinativa & Motiva ad ſui aſſenſum. Unde licèt concluſionis Veritas in comparatione ad Principia dici poſſit objectum Materiale, attamen aliquo ſaltem modo eſt objectum Formale aſſenſûs concluſionis. Pari ergo ratione diſſerendum eſt de Bonitate Mediorum, quòd non *abſolutè*, ſed *dependenter* à Finis influxu ſit Motiva, & ut ſic ſpecificativa actûs Electionis; veluti Sanctus Doctor *cit. a. ad 2.* hiſce verbis inſinuat: *Utile & honeſtum*, inquiens, *non ex æquo ſe habent, ſed ſicut quod eſt ſecundùm ſe, & ſecundùm alterum; hujuſmodi autem ſemper referuntur ad eandem potentiam, ſicut per potentiam viſivam ſentitur color & lux, per quam color videtur.* 18.

Replicabis ex Ioanne à S. Thomâ *hic n. 22.* Medium & Finem, licèt *Entitativè* in ſe ſpectata *analogicè* ſe habeant ad invicem, attamen in ratione movendi voluntatem convenire *Univocè*, oportet enim unius potentiæ volitivæ eſſe objectum Formale Motivum *Univocè* unum. At eo ipſo, quòd Finis & Medium in ratione objecti Motivi ac ſpecificativi voluntatis conveniant *Univocè*, ſequitur medium abſolutè participare 19.

cipare rationem objecti Voluntatis Motivi ac specificativi.

20. Contra. Nam secundùm Divum Thomam superiùs allegatum ita se habent Finis ac media ad Voluntatem, sicut lux & colores ad potentiam visivam. At colores specie differentes catenus *intrinsecè* participant rationem Formalē *Quæ* objecti visibilis, ut tamen sub unâ ratione Formali *sub Quâ* nempè *luce* induant unam rationem potentiæ visivæ specificativā; qui ipsi tamen colores per differentias suas specificas tanquàm rationes Formales *Quæ* diversas fundant actus videndi specie differentes. At verò media cū non propter se, sed propter Finem sint appetibilia, non ex se præcisè habent perfectam & absolutam vim voluntatis Motivam, sed ista consummatur ex fine. Quamvis proinde media per suam intrinsecam, de se licèt imperfectam voluntatis motivam Bonitatem fundent actus specie diversos ab operationibus in finem præcisè tendentibus; nihilominùs ista Finis ac medij in ratione objecti Motivi diversitas non magis impedit specificam potentiæ volitivæ unitatem, quàm specifica colorum differentia obsit specificæ potentiæ visivæ unitati.

21. Urgebis ex Ildephonso Baptista *cit. dub. 2. n. 557.* Finem operantis, licèt sit objectum *Formale* adæquatum respectu omnis actûs voluntatis, non tamen esse *formale* immediatum & specificans respectu omnis actûs: sed respectu actuum, qui versantur immediatè circa finem, esse objectum Formale immediatum, & Essentialiter specificans; respectu verò actionum, quæ versantur circa media, esse objectum Formale mediatum solùm, sive *formale* quasi *radicale*, à quo procedat Bonitas quædam participata à medijs, non tribuens speciem diversam à specie medij, loquendo de specificatione Essentiali, sed per respectum ad tale objectum radicale resultare speciem accidentalem Finis operantis.

22. Probatur istud Assumptum ultimùm. Tum quia in objecto cujuscumque medij directi in finē tria possumus considerare, nempè rationem materialem objecti, rationem Formalem intrinsecam conducentiæ seu utilitatis ad Finem, & rationem ipsius Finis, ut movet ad tale medium. Hæc autem tria in eleemosyna v. g. electâ ad finem pœnitentiæ taliter se habent, ut ipsius eleemosynæ objectum inprimis considerari debeat prout est sublevatio alienæ miseriæ, quo modo se habet ut objectum materiale illius electionis: deinde in eleemosynæ actu considerari debet ejus idoneitas seu utilitas ad satisfaciendum pro peccatis, quæ utilitas se habet ut ratio Formalis ad rationem materialem medij, sub quâ proinde ratione Formali Materiale Medij dat speciem Electioni, alijve actui circa medium versanti. Quia verò illa ipsa ratio utilitatis seu conducentiæ ad Finem ex se non dicit Bonitatem propriam & appetibilitatem intrinsecam, sed à Fine derivatam, idcirco talis ratio formalis non est in se completa, sed completur per connotationem Finis, quem Electionis aliusve circa media versantis operationis objectum mediante sui ad consequendum finem idoneitate respicit. Unde ratio finis operantis est actûs circa media versantis ratio formalis, non quidem immediata & intrinseca, sed mediata & extrinseca. Ex hoc autem fit consequens, quòd Finis actibus circa media versantibus non tribuat speciem Essentialem, sed accidentalem, quæ sit Bonitas quasi radicalis faciens in media derivari aliam Bonitatem naturæ ac speciei Mediorum intrinsecam, sed à radicali dependentem, & ut sic Essentialiter specificativam actuum circa media versantium. Tum quia si actus circa media versantes specificarentur Essentialiter à Fine operantis, sequeretur, quòd cùm quis ordinat in finem Charitatis se & omnia sua, actus fidei & omnium Virtutum, quos elicit, non esse fidei, & talium virtutum, sed solius Charitatis. Hoc autem est impossibile & absurdum. Falsum igitur est, quòd Finis sit adæquatum Essentialiter specificativum Motivum omnium actuum voluntatis. 23.

24. Contra. Nam actuum aliquorum in finem ordinatio fieri potest vel *extrinsecè* ex imperio super alios actus reflexivo, & ut sic actuum imperatorum Excitativo, vel *intrinsecè* per Essentialem cujusque actûs voluntatis respectum ad aliquem Finem. At licèt prior extrinseca in finem ordinatio actibus imperatis tribuat accidentalem duntaxat ex fine speciem; attamen posterior, eaque intrinseca in Finem ordinatio est ipsa Essentialis actûs Voluntatis specificatio seu specifica differentia. Ejusmodi verò intrinseca & Essentialis in finem ordinatio est in omni etiam circa media versante voluntatis actu. 25. Probatur istud Assumptum. Nam eo ipso, quòd media secundum intrinsecam suæ ad Finem idoneitatis Bonitatem non sint propter se appetibilia, nequeunt ex se præcisè ac independenter à Finis seu Boni propter se expetibilis influxu actuali habere rationem voluntatis Motivam, atque adeò actuum ejus in Quarto perseitatis modo specificativam. At verò ejusmodi ex aliquo Motivo seu objecto formali secundùm Quartum perseitatis modum specificatio convenit omni actui voluntatis. Oportet igitur, omnem actum voluntatis *intrinsecè* ac *Essentialiter* respicere aliquem Finem sui in Quarto perseitatis modo specificativum. Ergo Finis eatenus est Formale voluntatis adæquatum objectum, ut non tantùm *Mediatè*, sed *immediatè* sit specificativus cujuslibet actûs voluntatis, adeò ut cujuslibet ejusmodi operationis specificatio Essentialis sit ex aliquo fine, licèt præter hanc ex alio operantis scilicet Fine, in quem ex imperio supra se reflexivo *extrinsecè* ordinatur, possit adhuc participare speciem accidentalem. 26. Unde casu, quo quis aliarum Virtutum actus ordinat in finem Charitatis, ejusmodi ordinatio solùm *Extrinsecè* afficiens illos actus, non extrahit ipsos à suâ specie Essentiali ut sic *intrinsecè* ordinatos ad Motivū sui in Quarto Perseitatis modo specificativum; secus est in actu, quo Eleemosyna ratione suæ intrinsecæ ad satisfaciendum pro peccatis idoneitatis intenditur ex Motivo pœnitentiæ, tunc enim ille actus eligens eleemosynam tanquàm medium ad pœnitentiæ Finem utile Finaliter non ex proprio Misericordiæ Motivo, sed ipsius ad finem pœnitentiæ idoneitate movetur solùm *secundùm Quid*, & *dependenter* ab actuali Finis pœnitentiæ influxu, ut adeò talis actûs specificatio intrinseca & à fine tanquàm Motivo primario

mario,& à medij idoneitate tanquàm Motivo ſecundario ſecundùm Quartum Perſeitatis modum ſpecificetur.

Reſponſio ad oppoſita fundamenta.

27. AD Primæ ſententiæ *n. 2.* oppoſitum Fundamentum Reſpondetur. Utilitatem medij *Formaliter* importare habitudinem ad unum finem *intrinſecè* ex naturâ ſuâ coarctatam. Unde variato Fine ſtare quidem in medio intrinſecam ipſius Bonitatem, prout hæc tamen non in ordine ad quemlibet, ſed ad certum ac determinatum duntaxat Finem eſt intelligibilis.

Ad ſecundæ ſententiæ fundamentum *n. 3.* oppoſitum, negatâ minore, Reſpondetur ad ejus probationem. Eo ipſo, quòd omnis Voluntatis actio debeat ſiſtere in aliquo Motivo ſui ſecundùm Quartum perſeitatis modum Eſſentialiter ſpecificativo, cùm aliàs daretur proceſſus in infinitum, conſequens eſſe, quòd omnis voluntatis actio ſit propter Finem tanquàm formale ſuum objectum, ſeu Motivum. At hoc non impedire, quò minùs aliqua actio poſſit ſpecificari non ex finis duntaxat, ſed etiam medij intrinſecâ Bonitate tanquàm objecto Formali non *ſimpliciter* Motivo, ſed *dependenter* à Finis actuali influxu. Unde Doctoris Angelici argumentationem omnino ſubſiſtere, ſi dicatur, Finem reſpectu omnis actionis à Voluntate procedentis eſſe objectum Formale *ſimpliciter* & *abſolutè* motivum, Mediorum verò Bonitatem intrinſecam ſolùm *dependenter* ab actualis Finis influxu eſſe motivam reſpectu actuum circa media verſantium.

28. Ad tertiæ ſententiæ fundamentum *n. 4.* oppoſitum Reſpondetur. Illo argumento probari quidem, quòd mediorum Bonitas intrinſeca poſſit eſſe motiva Voluntatis, quia tamen hæc vis motiva non convenit medijs niſi *dependenter* ab alterius Principalis Motivi influxu, idcirco illam mediorum Bonitatem non habere rationem finis. Quare finem eſſe adæquatum Voluntatis objectum *Formale* non quaſi *privativè* excludendo media à ratione objecti voluntatis Motivi, ſed quaſi *Cumulativè*, concurrendo cum medijs ad Motionem ac ſpecificationem cujuslibet voluntatis actûs circa media verſantis.

29. Ad quartæ ſententiæ Fundamentum *n. 5.* oppoſitum Reſpondetur. Illo duntaxat probari, quòd Finis ſit adæquatum voluntatis objectum *adæquatione Univerſalitatis*, non verò *Totalitate integrali*. Nam licèt nullus ſit actus voluntatis, qui non eatenus ſit propter finem, ut ab hoc in Quarto perſeitatis modo Eſſentialiter ſpecificetur. Unde verum omnino eſt, quòd Finis *adæquatione* & *Totalitate Univerſalitatis* ſit adæquatum & Totale voluntatis objectum Motivum. Nihilominus quia Finis reſpectu actuum circa media verſantium ad ſuum ſub ratione Motivi conſortium eatenus admittit medij Bonitatem intrinſecam, ut hæc unà cum fine concurrat ad actûs ejusmodi motionem ac ſpecificationem. Idcirco negari debet, quòd Finis *Totalitate integrali* ſit objectum Formale voluntatis.

30. Ad quintæ ſententiæ *n. 6.* propoſitum fundamentum Reſpondetur. Illo rectè probari, quòd Finis *Totalitate integrali* non ſit adæquatum voluntatis Motivum, quia tamen intrinſeca mediorum Bonitas non niſi *dependenter* ab actuali finis concurſu eſt voluntatis Motiva, adhuc ſubſiſtere, quòd Finis *adæquatione & Totalitate univerſalitatis* ſit adæquatum Voluntatis motivum ſeu formale objectum.

Ad Serræ *n. 7.* propoſitam Doctrinam Reſpõdetur. Illâ nobis probari eâ præſertim ratione, quòd ſicut colores non niſi dependẽter à luce tanquàm ratione Formali *ſub Quâ* ſunt viſibiles, ſic mediorum Bonitas intrinſeca non ex ſe *præcisè*, ſed *dependenter* ab actuali Finis influxu poſſit eſſe motiva voluntatis, ut adeò finis ad mediorum appetibilitatem in intrinſecâ ipſorũ Bonitate fundatam ſe habeat inſtar rationis Formalis *ſub Quâ*, ſeu objecti formalis *Quo*.

Ad Ioannis à S. Thoma *n. 8. & 9* propoſitam ratiocinationem Reſpondetur. Illâ rectè probari, quòd media non quidem *abſolutè*, ſed *analogicè* ac *dependenter* à Fine ſint Motiva voluntatis. Hinc autem rurſus ſequi, quòd, licèt intrinſeca mediorum Bonitas in comparatione ad finem ceu rationem Formalem *ſub quâ* ſit voluntatis objectum materiale, in comparatione tamen ad actus circa media verſantes utpote in Quarto perſeitatis modo ab ejuſmodi Bonitate *Eſſentialiter* ſpecificatos dici poſſe objectum Formale, non quidem primarium ſed ſecundarium, ſicuti concluſionis in principijs relucens veritas ad ſui aſſenſum comparata eatenus eſt objectum formale Partiale, ut tamen in comparatione ad principia ad concluſionis illationem Intellectûs motiva & determinativa habeat rationem objecti materialis. 31.

✽✽✽✽✽✽✽✽✽✽)(✽✽✽✽✽✽✽✽✽✽

CONTROVERSIA VI.

An præter finem ultimum dentur aliqui fines intermedij?

VAſquez *1. 2. diſp. 4. cap. 2.* negat, dari propriè loquendo Finem intermedium, ſed omnem finem, ſi cauſalitatem finalem exerceat, eſſe ultimum vel *ſimpliciter* & *abſolutè*, vel *ſecundùm quid* in certâ ſerie alicujus actionis vel artis. Fundamentum primũ petitum eſt ab authoritate Ariſtotelis *2. Phyſ. cap. 3. tex. 39.* definientis, finem, *eſſe id, cujus gratiâ cætera fiunt*. At per *ly cætera* intelliguntur omnia; *veluti* Argyropylus *expoſuit conformiter ad mentem Ariſtotelis*. Probatur iſtud Aſſumptum. Nam idem Philoſophus *2. Metaph. cap. 2.* volens demonſtrare non dari in finibus proceſſum in infinitum, taliter diſſerit: *Item ipſum, cujus causâ finis. Tale autem eſt, quod non eſt alterius gratiâ, ſed cujus causâ cætera. Quare ſi tale erit ultimum, non erit infinitum: quòd ſi nihil tale, non erit ipſum, cujus gratiâ: ſed qui faciunt infinitum, latet eos, quòd Boni naturam auferunt.* Ex quo ſic licet argumentari. Non eſt id, cujus gratiâ cætera fiunt, niſi ſit ultimum. Hoc autem eſt, cujus gratiâ omnia fiunt. Quando igitur Philoſophus Finem definivit eſſe id, cujus causâ cætera fiunt, per *ly cætera* intellexit omnia, adeò ut ſoli ultimo Fini voluerit appropriare definitionem Finis. Secundum à ratione 1. 2. 3.

tione petitum fundamentum est. Nam punctum præsentis controversiæ in eo situm est, an intermedijs ratione utilitatis, quà media sunt, possit convenire ratio finis? Si enim in intermedijs præter rationem utilitatis, quà sunt media, sit etiam aliqua ratio honesti aut jucundi; nemo negat, eis etiam convenire rationem finis. At verò Utile quatenus utile non potest appeti gratiâ sui. Bonitas autem, quæ ex se non sufficit, ut gratiâ sui appetatur, nequit sufficere, ut aliud gratiâ ipsius appetatur. Cùm igitur de ratione Finis sit, ut gratiâ ipsius cætera appetantur, nequit Bonum utile ut sic habere rationem Finis, nec adeò in intermedijs quà talibus potest inveniri ratio Finis.

4. Martinez *hic dub. 2. §. Tertia tamen sententia.* tenet; Finem intermedium, qui scilicet ultra rationem Utilis habet rationem honesti vel Delectabilis, dupliciter posse considerari; primò, respectu actionis, vel artis, quæ ad ipsum ultimò terminatur: secundò, respectu actionis vel artis ordinantis tale medium ad ulteriorem finem. Primo igitur, non autem secundo respectu habere veram rationem Finis. Fundamentum est. Quia motus Finis Metaphoricè per analogiam ad motum localem dicitur motus. Unde sicut de motu locali, sic de motione Finali proportionaliter est differendum. At in motu locali sursum non solùm concavus Lunæ, qui est terminus simpliciter ultimus, habet rationem termini; sed etiam media aëris regio, si motus quiescat in eâ, potest habere rationem termini: si verò motus localis sursum ultra progrediatur usque ad locum ignis, tunc aëris locus non est terminus motûs, sed medium ad ulteriorem terminum. Pari ergo ratione differendum est de fine, ita ut finis Ultimus sit ultimus terminus, in quem potest tendere motio Finalis. Si verò finis sit intermedius, tunc habebit rationem termini & Finis, si motus quiescat in illo; si verò motus ulteriùs progrediatur, tunc non finis & terminus, sed Medium dici debet. v. g. sanitas si comparetur ad artem Medicam, & ad actum, quo quis gratiâ ipsius applicat medicinam, verè ac propriè est Finis, quia ut sic motus finalis quiescit in illâ; si verò comparetur ad actum, quo sanitas ordinatur ad serviendum Deo, seu ad Philosophiam moralem, sive ad virtutem sanitatis ordinatricē ad convenientem finē, tunc sanitas non habet verè ac propriè rationem Finis, sed rationem medij.

5. Ildephonsus Baptista *pras. disp. 13. dub. 1. à n. 30.* eatenus asserit, fines intermedios habere veram & propriam Finis seu Causæ Finalis rationem, ut tamen *n. 43.* affirmet, medium, ad quod alia priora assumuntur, non tantùm sub ratione Honesti, aut Delectabilis, sed præcisè sub ratione utilis respectu aliorum priorum ad se ordinatorum mediorum esse quodammodò Finem, seu Causam Finalem. Fundamentum est. Nam finis verè & propriè est, cujus gratiâ aliquid fit. Atqui gratiâ secundi medij apponitur primum, & gratiâ tertij apponitur & primum & secundum, etiamsi in tali Medio solùm reperiatur ratio Boni utilis, absque aliquâ ratione Honesti, & Delectabilis. Minor probatur. Nam primum medium apponitur gratiâ secundi & ultimi medij, si primum utpote remotum nullam cum fine habeat convenientiam & proportionem, nisi interveniente proximo medio. At medium remotum v. g. præparatio medicinæ solutivæ non habet proportionem cum fine scilicet sanitate, nisi mediante sumptione, & attenuatione humorum. Unde sicut medium remotum, præparatio nimirum medicinæ perfectè ac immediatè non ordinatur in sanitatem, sed in sumptionem, sic non habet cum sanitate tanquàm Fine proportionem nisi mediante sumptione tanquàm medio fini propinquiore. Ergo istud medium propinquius respectu remotioris medij habet rationem, Finis, dependenter tamen à sanitate tanquàm fine *Respectivè* ultimo.

Ioannes à Sancto Thomâ *pras. 1. n. 4. n. 2.* 6.
Andreas Lao *disp. 4. dub. 1.* asserunt, indubitatam esse sententiam Aristotelis & Divi Thomæ, quòd detur Finis intermedius, qui subordinetur Ultimo, & verè Finis sit sive simpliciter, sive in aliquâ determinatâ lineâ, & serie. Fundamentum est. Nam non solùm medijs, quatenus media sunt, sed etiam finibus convenit, alijs perfectioribus subordinari, & tamen gratiâ sui ab alijs inferioribus appeti. At per se patet, convenire Fini ejusmodi, quidquid requiritur ad rationem finis. Eoipso autem, quòd sit subordinatus, nequit esse ultimus, sed subordinatus. Major probatur. Tum in finibus secundarijs, qui primario subordinantur non ut media, sed ut fines minùs perfecti. Hi enim tanquàm fines subordinati appetuntur; veluti constat in eo, qui recitat Horas, aut præsentiam facit in Ecclesiâ principaliter quidem propter cultum Dei, sed secundariò propter lucrum stipendij; tunc enim sustentatio mediante illo lucro procuranda non appetitur ut medium ad cultum Divinum, sed ut per se, minùs tamen principaliter, appetibilis. Tum in ipsis etiam medijs, quæ appetuntur non ut merè utilia, transitum dant in finem, sed ut in se & ratione sui important sufficientem Bonitatem supra alia, quæ ordinantur ad se in aliquâ serie, & ut terminant motum & ordinationem illorum ad se, non tamen simpliciter omnem motum & ordinationē in illo genere. Sed in talib⁹ medijs id, quod ratione propriæ Bonitatis est sufficiens terminare aliquem motum & ordinem, subordinatur & dependet ab ulteriori Bonitate, & in quantum bonum sic subordinatur.

Confirmatur 1. authoritate Sancti Thomæ 7.
1. Eth. lect. 9. differentis in hæc verba. *Est enim aliquid, quod appetitur non propter aliquam Bonitatem formalem in ipso existentem, sed solùm in quantum est utile ad aliud, sicut medicina amara. Est autem aliquid, quod est appetibile propter aliud, sicut medicina valdè sapida. Et hoc est Bonum perfectius. Bonum autem perfectissimum, quod ita appetitur propter se, quòd nunquam appetitur propter aliud. Et in hoc gradu ponit (scilicet* Philosophus*) fælicitatem, seu Beatitudinem.* Ex quo sic argumentari licet. Bonum illud seu medium appetibile, quod in se quidem habet formaliter Bonitatem, terminat motum & ordinem aliorum ad se, attamen illam ipsam Bonitatem, quam in se habet, subordinat ulteriori bono, seu Fini. At istud Bonum eo ipso, quòd ratione Bonitatis sibi Formaliter inexistentis terminet motum & ordinem aliorum ad se, verè & propriè dicitur Finis, & non solùm medium, sicut Bonum præcisè utile ut sic propter ali-

ter aliud duntaxat appetibile. Consequens proinde est, non omnia media esse purè media, id est præcisè transitum præstantia ad finem, sed etiam aliquid habere de fine seu appetibilitate in se, quam tamen rursus subordinent alteri; & sic non propter se simpliciter appeti, sed subordinatè etiam in eo, quòd bona sunt: veluti constat de medicinâ saporosâ, quæ non solùm appetitur ut medicina per modum medij, sed etiam ut saporosa ratione sui, ita tamen, ut hæc ipsa saporis ratio subordinetur sanitati.

8. Confirmatur 2. authoritate Aristotelis *1. Eth. cap. 7. tex. 22.* differentis in hæc verba. *Cùm itaque plures sint fines, & horum quosdam ob alios expetamus, ut divitias, fistulas, instrumentaque, omnino perspicuum est, non omnes fines esse perfectos. At finem optimum, perfectum quid esse constat. Quare si tantum unus perfectus sit Finis, is erit, qui quæritur. Si plures, is, qui horum perfectissimus. Eum autem, qui per se est expetibilis, perfectiorem eo dicimus esse, qui est propter alium expetendus, & eum, qui nunquàm ob alium expetitur, ijs universis, qui per se & propter illum expetuntur.* Ex quo ita licet argumentari. Datur Finis, qui nunquàm ob alium expetitur. Hic autem est perfectissimus. Ergo & ultimus. At præter hunc dantur Fines, qui per se, & propter Ultimum expetuntur. Hi verò Fines formaliter habent rationem Finis quatenus per se sive propter se expetuntur. At eo ipso, quòd propter alium Finem expetantur, non sunt ultimi. Ergo dantur Fines intermedij Fini ultimo subordinati. Hæc autem subordinatio est secundùm inæqualitatem perfectionis Formaliter in ratione Finium: ipso Philosopho insinuante, dari quandam in Finibus perfectionis graduationem. Consequens igitur est, dari Fines intermedios, qui non tantùm Materialiter ut media, sed *Formaliter* sub ratione Finium sint intermedij.

9. Confirmatur 3. ratione. Quia principia etiamsi prima non sint, per modum præmissarum influunt in conclusiones: & Causæ Efficientes principales propriâ virtute influunt & causant, licèt in agendo pendeant ab aliâ superiori causâ. At sicuti causa Efficiens licèt dependēs habet vim influxivā, & sicuti Principium secundum ab alio priori dependens ratione veritatis suæ intrinsecæ habet vim illustrativam, & ut sic illativam conclusionis: sic in medijs quandoque invenitur Bonitas propria per se expetibilis sub ratione suæ intrinsecæ Honestatis, vel delectabilitatis ex se eatenus attractiva voluntatis, ut tamen sub hâc ipsâ formali Honestatis vel Delectabilitatis ratione habeat intrinsecam subordinationem seu referibilitatem ad finem ulteriorem. Consequens proinde est, Finem ulteriori alicui Fini subordinatum habere vim Finalizandi seu Formaliter in ratione Finis influendi in aliquem effectum. At per se manifestum est, Finem ejusmodi non esse ultimum, sed intermedium. Oportet igitur, admittere Finem intermedium *Formaliter* in ratione Finis.

CONCLUSIO.

EO ipso, quòd detur ratio Honestatis seu delectabilitatis ut sic ab intrinseco Formaliter ordinabilis seu referibilis in ulteriorem Finem, Efficaciter demonstratur, dari Fines formaliter sub ratione Finium intermedios.

10. Probatur. Nam inter supernaturales voluntatis virtutes nonnullæ, nimirum spes & Charitas sunt specificatæ ex aliquâ ultimi Finis sive Dei Formalitate, tanquàm suo formali secundùm Quartum perseitatis modum Essentialiter specificativo & ut sic *Formaliter* Motivo objecto. Aliæ verò infusæ virtutes scilicet morales sunt immediatè specificatæ ex creatæ supernaturalis Bonitatis Motivo Formali. At istud creatæ supernaturalis Bonitatis Motivum nequit virtutis Moralis in Quarto perseitatis modo esse specificativum nisi sub formali Honestatis ratione. Hæc verò ut sic est propter se expetibilis. Atqui Bonitas quà propter se expetibilis, est motiva sub ratione Finis *Formaliter* quà talis. Ergo creata supernaturalis Bonitas moralium infusarum virtutum motiva & in Quarto perseitatis modo specificativa *formaliter* habet rationem Finis. At illa ipsa creata Supernaturalis Bonitas sub Formalis virtutum moralium specificativæ Honestatis ratione est ut sic Essentialiter referibilis in Finem ultimum.

11. Probatur istud Assumptum. Nam ista Honestatis ratio *Formaliter ut sic* est Fundamentum meriti. At meritum tam *Formaliter*, quàm *Fundamentaliter* dicit proportionem & ordinem intrinsecæ referibilitatis ad præmium seu finem ultimum. Ergo illa creata Virtutum moralium infusarum specificativa Honestas sub ratione Honestatis, seu propriæ propter se appetibilitatis, atque adeò *Formaliter* sub ratione Finis est ab intrinseco ordinabilis in Finem ultimum. At Finis ex suâ intrinsecâ formali ratione ad Finem ulteriorem ordinabilis non est ultimus. Datur ergo Finis *Formaliter* sub ratione Finium intermedius.

12. Dices. Ex hoc discursu evinci, quòd nullus detur Finis *secundùm quid* ultimus. Probatur istud assumptum. Nam finis *secundùm quid* ultimus est, qui intra lineam alicujus artis seu negotij non est ad ulteriorem Finem referibilis. Atqui nulla est ars seu negotium, quin secundùm singulas suas actiones saltem in individuo suo spectatas reduci debeat ad moralem vel Honestatem vel Inhonestatem. At verò si actioni conveniat Honestas aliqua, est hoc ipso *intrinsecè* referibilis in Ultimum Finem, atque adeò ut sic habet rationem Finis intermedij, nec consequenter est finis etiam *secundùm Quid* ultimus. Si verò actioni alicui desit Honestas, tunc continet malitiam moralem, in quâ ut sic *virtualiter* constituitur Finis non tantùm *secundùm quid*, sed *simpliciter* ultimus. Consequens proinde est, nullum dari finem *secundùm quid* duntaxat ultimum. Hoc autem est contra communem sensum Philosophorum ac Theologorum. Ergo & id, ex quo sequitur.

13. Contra. Nam Deus intra limites Bonorum tam Naturalium quàm supernaturalium, creaturæ intellectuali inprimis indidit Bonum Honestatis, quòd *Consummativè* est in Beatitudine, *Initiativè* verò est in Bono Virtutum Moralium. Ad hujus autem Boni Honesti consecutionem contulit Deus Bonum utile. At verò utrique isti tam Honesto, quàm utili Bono Deus per modum condimenti superaddidit Bonum delectabile.

Ex quo

Ex quo proinde triplici Bonorum genere Bonum Utile *formaliter* ut sic non habet rationem Finis. At hæc ipsa duo Bona conveniunt quidem, tum quòd Bonum tam Honestum, quàm Delectabile reperiatur *Formaliter* in Fine Ultimo, tum quòd utrumque possit habere rationem Finis intermedij; veluti patet tam in Honestate virtutum moralium, quàm in Bono Delectabili à naturâ adjuncto per modum condimenti alicui utilitati, seu medijs Fini alicui congruis: attamen discrepant quòd ratio Finis *secundum Quid* Ultimi possit convenire Bono Delectabili, non autem Bono Honesto.

14\. Probatur istud assumptum. Nam licèt Bonum Delectabile non sit per se primò datum creaturæ Intellectuali, sed *secundariò* in condimentum quasi Boni Utilis ac Honesti. Nihilominùs Bonum utile situm in necessarijs naturæ plures fundat artes, quæ ex suâ specificatione in aliquo artefacto quiescunt tanquàm Fine secundùm propriam & formalem artis ejusmodi rationem Ultimo. Hic proinde Finis licèt *absolutè* loquendo tam in genere physico, quàm in genere morali *intrinsecè etiam formaliter* sub ratione Finis, ulterius sit ordinabilis, respectu tamen illius artis, atque adeò *respectivè* sive *secundum Quid* est ultimus. At illud ipsum artefactum intentionis quâ restrictæ ad artis regulas ultimò terminativum habet rationem Finis non secundum sui ad Humanæ sustentationis, conversationis, Ornatûs, ac similes usus, utilitatem; sed secundum formalem Delectabilitatis Bono ejusmodi Utili per modum condimenti à naturâ annexæ rationem. Ejusmodi proinde Delectabile Bonum dici potest Finis *secundum Quid* ac *respectivè* ultimus, licèt *absolutè loquendo* in genere moris præsertim, sit intermedius.

15\. Probatur istud assumptum; Nam in *1. p. q. 2. a. 2. cont. 4. à n. 18.* demonstravimus, creaturam Rationalem eo ipso, quòd rationalis sit, habere sibi eatenus insitam Dei quâ sui objecti secundùm naturæ etiam statum Beatificativi notitiam, ut nequeat operari Moraliter, quin istud objectum Beatificum ceu finis ultimus resplendeat. Unde in omnis operis moralis honestate est eo ipso intellectui nostro relucens quædam in Deum ceu Ultimum Finem ordinabilitas. Hæc verò operis moralis in Ultimum Finem ordinabilitas, tùm *Formaliter* importet Honestatem non tantùm per modum medij propter Finem ultimum, sed per modum Finis propter se est expetibilis. At hæc ipsa Honestatis Moralis Fini ultimo subordinatæ propter se appetibilitas nequit habere rationem Finis in genere Moris Ultimi. Patet proinde, non dari in genere moris Finem Ultimum nisi unicum, eumque *simpliciter* Ultimum, reliquos autem Fines esse intermedios.

Responsio ad opposita Fundamenta.

16\. AD 1. Vasquezij *n. 1.* oppositum fundamentum Respondetur. Additionem vocis *Tò omnia* ab Argyrophylo adjectæ restringere definitionem finis ad finem duntaxat Ultimum. Neque verò ex textu Aristotelis *2. Metaph. cap. 2.* evinci, quòd illa restrictio sit de mente ipsius. Etenim Philosophus suæ argumentationis ibi positæ fundamentum in eo statuit, quòd si nihil sit ultimum, cujus gratiâ fiunt cætera, tolli è medio naturam Boni. At ista ratiocinatio non arguit omnem Finem debere esse ultimum, sed nisi admittatur finis Ultimus, omnimodè tolli rationem finis. Quare conformiter ad mentem Aristotelis tùm *hic*, tùm *supra n. 8.* citati adstruendus est intermedius Finis.

Ad 2. Vasquezij *n. 2. & 3.* oppositum Respondetur. Admitti quidem posse, quod præsentis controversiæ punctum in eo se teneat, *An intermedijs ratione utilitatis, quâ media sunt, possit convenire ratio Finis?* Nihilominus istud punctum ad aliud reduci, an scilicet quibusdam medijs sub formali suæ ad finem ultimum utilitatis ratione spectatis *Transcendentaliter* insit ratio Boni Honesti, seu Delectabilis, ut adeò non sint expetibilia propter Finem ultimum, quin ratione Honestatis in se *Transcendentaliter* imbibitæ sint etiam propter se appetibilia? Hoc autem posito fundamento, sequitur, media ejusmodi ratione utilitatis ab Honestate omninò inpræscindibilis *inseparabiliter* habere Formalitatem tam medij, quam Finis. At verum est, quod virtutum moralium objecta formaliter ex suâ Essentiali ratione eatenus sint referibilia in finem Ultimum, ut sub hâc ipsâ referibilitati formalitate eatenus habeant boni Utilis rationem, ut in hâc ipsâ *Formalissimè* & *Transcendentaliter* sit ratio Honesti per se expetibilis. Constat proinde, dari media, quæ *Formaliter* sub ratione medij seu Boni utilis *Transcendentaliter* & secundùm nostram quoque rationem *inseparabiliter* habeant rationem Finis. 17.

Ad Martinez *n. 4.* propositum fundamentum Respondetur. Id non *simpliciter* subsistere. Nam ad virtutis moralis Bonum sub ratione tum Honestatis propriæ ac per se appetibilis, tum sine in finem Ultimum intrinsecæ referibilitatis repræsentatum voluntas se potest dupliciter habere. 1. Ut illam Honestatis rationem expetat *formaliter* ac *explicitè*, non referendo ipsam ad Finem Ultimum. Tunc autem voluntas eatenus quiescit in illo Bono, ut tamen *virtualiter & implicitè* ex naturâ operis, licèt non ex intentione operantis fiat quædam in Ultimum Finem ordinatio. 2. Ut operis virtuosi in Finem ultimum referibilitatem sub hac Formali ratione expetat. Tunc autem nequit voluntas istam referibilitatem velle, quin *formaliter* ac *explicitè* velit rationem Honestatis utpote in illâ referibilitate *formalissimè* importatæ. At verò tunc unus simplex voluntatis actus habet rationem motus, prout illam referibilitatem sub ratione suæ ad Finem Ultimum utilitatis respicit; habet insuper rationem quietis, prout eandem ad Finem ultimum operis virtuosi referibilitatem intrinsecam sub ratione Honestatis *Transcendentaliter* in illâ inclusæ respicit. Consequens proinde est, non omninò verificari, quòd medium v. g. sanitas, dum sub ratione medij per virtutem ipsius ad finem ultimum ordinatricè ulterius ordinatur à voluntate, non possit ratione Honestatis in tali medio *formalissimè* inclusæ habere rationem Finis. 18.

Ad Ildephonsi Baptistæ *n. 5.* propositum fundamentum Respondetur. Ut aliquid fiat gratiâ alterius; debere istud habere vim voluntatis *moraliter attractivam* seu *Finaliter* Motivam. At licèt media priora non habeant cum fine proportionem nisi mediantibus posterioribus 19.

medijs, hinc tamen evincitur solùm, quòd media priora quà propter finem appetibilia dicant ordinem ad posteriora. Hic autem ordo nisi habeat rationem Boni Honesti vel Delectabilis, non habet vim Voluntatis Moraliter attractivam seu *Finaliter* Motivam. Etsi proinde tunc verificetur, unum medium esse propter aliud ex parte volitorum, nequit tamen medium à Fine remotius ex parte actûs volendi, esse propter mediū propinquius, nisi istud habeat rationem Boni Honesti vel Delectabilis. At verò ad motionem Finalem non sufficit, quòd voluntas unum medium expetat cum ordine ad aliud medium, quòdque adeò unum medium sit propter alterum ex parte volitorum duntaxat, sed requiritur, ut unum sit propter alterum ex parte actûs volendi. Ad hoc autem exigitur, ut unum habeat vim voluntatis *Moraliter* attractivam & *Finaliter* Motivam ad alterum volendum. Unde cùm ista vis *Moraliter* attractiva & *Finaliter* motiva, ipsomet Ildephonso *praced. disp. 6. dub. 2. præsertim n. 5.* fatente, non conveniat medijs, sed fini duntaxàt sub ratione Boni Honesti seu Delectabilis spectato, consequens est, Media fini propinquiora, abstrahendo à ratione Boni Honesti ac Delectabilis, non posse respectu mediorum à Fine remotiorum habere rationem Finis.

20. Ad Ioannis à Sancto Thomâ *n. 5.* propositum fundamentum Respondetur. Id nobis omninò probari. Tum quia Fines secundarij sunt, qui non sub ratione Medij, sed sub ratione Finis habent quandam respectu primarij finis subordinationem, cujusmodi est, v. g. sustentatio per assistentiam chori procuranda, vel delectabilitas in cibo & potu. Hæc enim si ordinatè appetantur, per modum quasi condimenti ac incitamenti sub quâdam ad Finem primarium subordinatione expeti debent. At hæc ipsa ad Finem primarium subordinatio excludit rationem ultimi Finis ex se *simpliciter* satiativi. Oportet proinde, fines ejusmodi secundarios censeri inter Fines intermedios. Tum quia omni virtutis moralis sive naturalis sive supernaturalis Honestati est intrinseca ad Finem Ultimum ordinabilitas, ratione cujus Honestas ejusmodi non est sub ratione finis eatenus appetibilis, ut voluntas in eâ *simpliciter* sistat, sed saltem *virtualiter* & *Implicitè* ipsam referat in finem Ultimum. Oportet igitur, ejusmodi Honestatem quatenus propter se, cum aliquâ tamen ex parte operis ad Finem *virtuali* saltem relatione, expetibilis est, habere rationem Finis intermedij, *velut efficaciter probant authoritates & rationes à n. 6. deducta.*



CONTROVERSIA VII.

Qualiter actus humani tum ex Principio sui Effectivo, tum ex fine specificentur?

1. Controversia non procedit de specificatione intrinsecâ *in primo modo Dicendi per se*, sed de Extrinseco *secundùm Quartum perseitatis modum* specificativo. Etenim *Tò per se* ex parte particulæ *per* denotat aliquam Causæ habitudinem, ex parte autem particulæ *se* denotat Essentialem causæ habitudinem. At verò Causa intrinseca est duplex, scilicet Formalis & Materialis. Est autem hoc discriminis inter istas duas causas, ut licèt materia æquè ac forma fundet concretum *Essentialiter*, atque adeò per se prædicabile, sola tamen forma tribuat speciem, materia autem fundet potentialitatem generis & Numericam individuationis multiplicationem. Unde forma *intrinsecè* constitutiva, est *in primo modo per se* specificativa. Deinde licèt materia præcisè sumpta non sit specificativa, attamen subjectum secundùm differentiam specificam ex suâ formali ratione determinatum ad certas passiones, ad istas *in abstracto* consideratas se habet per modū Principij Formalis, non quidē constitutivi, sed ab intrinseco determinativi illarum ex se emanationis. Insuper ad easdem passiones *in concreto* spectatas subjectum ex propriâ specificæ differentiæ ratione se habet per modum intrinseci constitutivi. Unde ejusmodi subjectum ad suas proprietates se habet *in secundo modo Dicendi per se*. 2.

Adhæc, licèt existentia comparata ad formas creatæ substantiæ, ejusque formalem & specificam constitutionem se habeat accidentariò, attamen comparata ad substantiam quà singularem non specificè duntaxat, sed individualiter spectatam habet talem connexionem, ut existendi perseitas formaliter importans Hypostasin, sit ipsa ratio individui *completè intrinsecè* constitutiva, actualitas verò existentiæ sit per se connexa cum tali Hypostasi. Unde sicuti ratio existendi per se respectu Dei est gradus Essentiæ specificus, atque adeò dicitur de Deo *in primo Dicendi modo per se*: sic respectu substantiæ creatæ est gradus individuationis completæ *intrinsecè* constitutivus, atque adeò de substantiâ non *specificè*, sed *individualiter* spectatâ dicitur in *tertio modo Dicendi per se*. 3.

Denique licèt Causæ extrinsecæ non sint *intrinsecè* specificativæ, formis tamē *Transcendentaliter* aut *Prædicamentaliter* relativis inest Essentialis ad Causas extrinsecas, sive objecta, sive Terminos habitudo, quæ *in primo modo Dicendi per se* eatenus est *intrinsecè* ipsarum specificativa, ut illa ipsa tamen habitudo *Extrinsecè* ac *Terminativè* specificetur ex termino habente rationem vel Causæ extrinsecæ, vel objecti, vel effectûs, vel puri Termini. Quæ proinde specificatio non tam est in Essendo, quàm in Causando vel Terminando, diciturque esse *in Quarto modo Dicendi per se*. 4.

Juxta quem proinde Quartum perseitatis modum actus humanos specificari ex fine, Doctor Angelicus *1. 2. q. 1. a. 3.* sic ostendit. *Unumquodque sortitur speciem secundùm actum, non verò secundùm potentiam. Unde sicut composita ex materiâ & formâ constituuntur in suis speciebus per formas proprias: sic motus proprij, qui quodammodo distinguuntur per actionem & passionem, ab actu speciem sortiuntur.* Atqui respectu actionis per modum actûs se habet principium agendi, respectu verò passionis terminus. Ergo actio speciem sortitur à principio, passio verò à termino. At verò actûs humani quà humani, sive consideretur ut actio, sive ut passio, Principium est Finis. 5.

6. Probatur istud assumptum. Nam actus humani formaliter quà tales dicuntur, quatenus procedunt à Voluntate deliberatâ. At eo ipso, quòd

quòd objectum Formale voluntatis sit Bonum & finis, sequitur; humanorum actuum non principium duntaxat, sed etiam terminum esse finem. Oportet igitur, actus humanos, qui idem sunt cum actibus moralibus, sortiri speciem ex fine.

7. Ex quo proinde Sancti Doctoris discursu duplex hic oritur difficultas. 1. *Qualiter verificetur, actionem ex Principio Effectivo, passionem verò ex termino specificari?* 2. *Qualiter verum sit, actus humanos ut sic specificari ex fine.*

Referuntur Sententiæ.

8. Circa primam difficultatem tres sunt Doctorum sententiæ. Prima est Curielis *præs. a. 3. dub. 1.* existimantis; actionem specificari *Efficienter* duntaxat à principio, *Formaliter* autem specificari à Termino vel objecto. Fundamentum est. Nam illud dicitur *Efficienter* specificare, quod efficit Entitatem actûs quà determinati ad certam speciem. Illud verò dicitur *Formaliter* specificare, quod terminat actûs habitudinem aut commensurationem, in quâ consistit illius specificatio. At Entitatis actûs quà ad speciem certam determinati effectio duplicem dicit ordinem, alterum ad Entitatem actûs specificam, alterum ad Principium Efficiens. Hic verò ad causam effectricem Ordo est quasi Transcendens: sicut enim potentia activa & habitus operativus, quatenus sunt aliquid agentis, important habitudinem ad ipsum, & tamen specificantur per ordinem ad sua objecta, sic actio est aliquid agentis, & quasi actus ipsius, in quantum est id, quo agens tanquam exercitio suæ activitatis communicat, aut producit aliquid. Unde actio importat quidem habitudinem ad Causam Effectricem, quia tamen ejus ordo specificus est ad specificam termini vel objecti Entitatem & Formalitem, sequitur; actionem non à principio sed à termino seu objecto specificari.

9. Secunda Suarezij *Metaph. disp. 48. sect. 3.* opinio est, actionem specificari & à Termino, & à Principio. Fundamentum est. Tum quia terminus comparatur ad actionem per modum formæ, & actûs ultimi, propter quem *primò* ac *per se* fit. Ergo inde sumit primariam suam rationem. Tum quia actio non fluit ab agente per actionem aliam, sed se ipsâ. Unde per se & per suam modalem entitatem pendet ab hoc agente.

10. Tertia Ioannis à Sancto Thomâ *præs. disp. 1. art. 3. n. 7.* sententia est, actionem, ut actio est, sub hâc formalitate, quâ distinguitur à passione, specificari *formaliter* à suo Principio, non ut præcisè Efficiente, seu in genere Causæ Effectivæ respiciente actionem, & effectum; sed ut fundante formalem rationem agendi adæquatam & propriam ipsi actioni. Fundamentum est. Tum quia efficiens sub præcisâ & purâ formalitate Efficientis est Principium existentiæ, dans Esse ipsi effectui & actioni. At existentia in nullâ re creatâ pertinet ad speciem & quidditatem, sed ad aliquid accidentale. Ergo Principium Efficiens prout est Causa dandi Esse seu existentiam, non est Principium specificandi actionem, quia prout sic non dat prædicatum aliquod quidditativum & specificum actioni, sed accidentale. Unde natum est axioma, quòd *per causam efficientem non fiat demonstratio.* Tum quia Principium operandi *Quo* est forma agentis, quæ sicut constituit determinatam speciem agentis, cujus est forma, sic determinatæ speciei operationem postulat, tanquàm sibi propriam, adeò ut hæc operatio sit adæquata Formæ, utpote quæ sit propter operari. Unde verum est, quòd omne agens operetur actionem suam sub aliquâ ratione formali, cui adæquetur, & correspondeat operatio hujus speciei potiùs, quàm alterius. At ex hoc clarè evincitur, quòd forma quatenus præbet formalem rationem agendi, sit Principium specificandi operationem siquidem ex tali formalis Principij ceu formalis operandi rationis ad operationem & rem operatam proportione resultet determinata specificatio, seu specifica operationis determinatio. Constat proinde, quòd actio specificatur à suo Principio non ut præcisè Efficiente, sed ut fundante formalem agendi rationem ipsi actioni adæquatam & propriam. 11.

Circa secundam difficultatem quatuor sunt Doctorum sententiæ. Prima Medinæ *hic art. 3. §. alij aliter longèque meliùs.* opinio est, quòd Sanctus Thomas asserens actus humanos specificari ex Fine, loquatur de Fine operis, non verò de fine operantis. Fundamentum est. Quia Finis operis est objectum Formale actûs humani, finis verò operantis est solùm circumstantia. Atqui omnis actus specificatur à suo objecto Formali, veluti docent Aristoteles *lib. 2. de anima cap. 3. & 4.* & S. Thomas *1. p. q. 77. a. 3. & 1. 2. q. 18. a. 2. & 4. & q. 19. a. 1. & 2.* 12.

Secunda Conradi *eod. art. 3. §. Nota hic primò.* sententia est; omnem humanam actionem accipere Essentialem speciem etiam à Fine operantis. Fundamentum est. Dato enim, quòd aliqui actus humani Essentialiter specificentur ex fine operantis, idem debet consequenter dici de omnibus actibus humanis: tùm aliàs rerum naturæ viderentur pro libitu variari. At inprimis verificatur circa dolorem de peccatis, specificari ex fine operantis, si enim eliciatur ex fine satisfaciendi pro injuriâ Deo illatâ, Essentialiter est actus pœnitentiæ: si verò elicitatur ex eo, quòd peccatum fuerit contra Deum amicum, est actus Charitatis Essentialiter; veluti docet Sanctus Thomas *3. p. q. 85. a. 3. ad 1.* Deinde eadem verba circa idem objectum prolata ex diversis Operantis finibus pertinent ad diversas Essentiales virtutis vel Vitij species: sic enim levis alicujus defectûs objectio, si fiat à Prælato ex zelo disciplinæ, ad virtutem Iustitiæ vindicativæ: si autem fiat à personâ privatâ ex intentione correctionis, ad amorem proximi: si verò fiat causâ joci & delectationis, ad virtutem Eutrapeliæ pertinet: si autem fiat ex animo auferendi honorem, ad vitium contumeliæ, si porro fiat ex fine dissolvendi amicitias, ad vitium susurrationis; si denique ex fine causandi erubescentiam, ad Irrisionis vitium spectat. 13.

Tertia Ildephonsi Baptistæ *hic disp. 10. n. 20. & 76.* opinio est, Sanctum Thomam *in præsenti* asserendo, humanam & moralem actionem speciem sumere à Fine, loqui quidem de fine operantis, non tamen loqui determinatè de specie Essentiali neque de specie accidentali, sed loqui in ge- 14.

in genere abstrahendo à specie tam Essentiali, quàm accidentali. Fundamentum est. Nam Sanctus Doctor *præs. art. 3.* loquitur de Fine, quatenus est Principium Humanorum actuum, *ex contextu ejusdem art.* Hoc autem Principium est id, quod voluntas intendit tanquàm finem, *ex eod. art.* At per se clarum est, hunc finem esse operantis, quem voluntas intendit in serie alicujus actionis. Dicendum igitur, Sanctum Doctorem *hic* loqui de Fine operantis. At eo ipso, quòd Divus Thomas *hic* agat de Fine quà Principio humanorum actuum, sequitur, ipsum non respexisse ad intrinsecam actuum naturam, quæ est secundùm specificationem Essentialem, sed hanc rejecisse ad quæstionem octavam ac sequentes aliquot. Unde mens ipsius fuit, solùm obiter hic insinuare, omnem actum humanum, quantum ad speciem suam moralem sive sit Essentialis sive accidentalis, dependere à Fine.

15. Quarta Ioannis à Sancto Thomâ *præs. disp. 1. art. 2. n. 29. & 32.* Andreæ Lao *hic disp. 3. dub. 3. n. 406. & 407.* sententia est 1. Finem operantis per se immediatè non specificare quidē quosl. liber actus humanos, scilicet actus exteriores, & qui versantur circa media, imperanturque & moventur ab actu interiori & intendente Finem. Attamen 2. ordinem ad finem & dependentiam ab ipso ut à Motivo Finalizante *intrinsecè*, pertinere ad specificativum *Formale & proximum* actûs exterioris, ac Electionis mediorum. Unde consequens esse, quòd Finis ipse, qui *immediatè* & *in se* est objectum actûs interioris; *mediatè* & *respectivè* etiam pertineat ad specificativum tum Electionis mediorum, tum actûs exterioris & imperati, non quidem in se, sed ut participatus in medijs.

16. Fundamentum primi est, quia Finis operantis, qui est objectum intentionis, est circumstantia actûs exterioris. At id, quod se habet ut circumstantia, *accidentaliter* se habet ad actum, non *Essentialiter* & *specificativè*. Fundamentum secundi est. Quia bonitas mediorum quà talium *Essentialiter* dependet à Fine. Implicat ergo, medium esse objectum specificativum actûs tendentis ad se, quin finis intret in obliquo, utpote *participativè* inclusus in medijs. Sicut ergo lux & est in se res visibilis *ut Quod*, & respectu colorum est ratio videndi illos *ut Quo*, nec adeò color specificat visum, nisi quatenus involvit lucem ut in se participatam, seu quatenus habet ordinem ad illam: sic finis & est appetibilis *ut Quod* respectu sui, & est appetibilis *ut Quo* respectu Mediorum, utpote quorum bonitas sit dependens à Fine, atque ad hunc ordinetur. Unde fit consequens, Finem, quatenus in medijs licèt *in obliquo* tantùm includitur, pertinere ad specificationem Electionis Mediorum; non verò è contra Media in Fine *in obliquo* inclusa spectare ad specificationem intentionis Finis.

17.

CONCLUSIO I.

EO ipso, quòd omnis actio *Formaliter* sub ratione actionis secundùm specificam differentiam spectata respectu sui Principij sub Formali agendi ratione considerati importet intrinsecam & Essentialem commensurationem, sequitur, actionem specificari à suo Principio Effectivo quà *Formaliter* Effectivo.

18. Probatur. Nam forma *in Quarto perseitatis modo* specificativa est Formalis terminus habitudinis actui specificato *intrinseca* ejusdemque Essentialiter constitutivæ. Atqui actio sub Formalitate actionis importat Essentialem habitudinem ad Principium Effectivum, cujus est actualitas. Istius verò habitudinis Terminus formalis est illa Principij Effectivi ratio & Formalitas, cui habitudo illa secundùm specificam suam quidditatem spectata commensuratur. Atqui ratio Principij Effectivi ut sic est per formam agentis. Unde Principij Effectivi Forma spectata secundùm Formalitatē, in quâ radicatur Virtus agendi, habet rationem Principij Radicalis, ad quod ceu Terminum Formalem commensuratur habitudo actionis ab illo Principio Essentialiter dependentis *intrinsecè* specificativa. Cùm igitur agendi ratio Essentialem actionis *specificè* spectatæ commensurationem & habitudinem *formaliter* terminans sit ipsa Principij Effectivi ratio, consequens est, Principium Effectivum quà formaliter Effectivum esse *in Quarto perseitatis modo* specificativum actionis secundùm specificam suam differentiam spectatæ.

19. Dices Principium Effectivum *Formaliter* sub ratione Effectûs tendere ad Esse, seu Existentiam rei à se effectæ. Unde actionem sub ratione habitudinis ad Principium *quà Formaliter* effectivum relatæ nihil aliud esse, quàm existentiæ Communicatricem vel Effectricem causalitatem. At verò istam Formalitatem non esse actionis specificam, sed potiùs genericam. Consequens proinde esse, quòd Principium Effectivum quà Effectivum non sit Formalis Terminus actionis secundùm specificam suam Formalitatem spectatæ, nec adeò sit hujus *in Quarto perseitatis modo* specificativum.

20. Contra. Nam ea est differentia inter Principium Effectivum creatum & Increatum, quòd hujus Forma agendi *Formaliter* importet Esse subsistens, illius verò agendi Forma sit Quidditas potentialitati materiæ immersa. Ex hac verò creati & Increati agentis differentiâ rursus oritur, quòd actio Causæ Increatæ sit *intrinsecè in primo perseitatis modo* specificata per Esse subsistens, ac Terminus formalis per ipsam productus in Effectu sit Esse actualis Existentiæ. Econtra verò Causæ creatæ actio non *intrinsecè* in *primo*, sed *Extrinsecè* ac *Terminativè* in *Quarto perseitatis modo* specificatur per Formam agentis quà potentialitati immersam, & ut sic sub differentiâ aliquâ specificâ limitatam & coarctatam. At ex hâc ipsâ per formam potentialitati immersam actionis specificatione fit, quòd actio ejusmodi in suo effectu non respiciat Formaliter Esse ut sic, sed quà receptibile. Ad hoc ipsum verò Esse receptibile eatenus se habet actio Causæ creatæ, ut *per se primò* terminetur ad effectûs sub specificâ Generis alicujus differentiâ coarctati Esse potentiale; ex quo consequenter vi talis actionis resultet Existentia in illo Esse potentiali receptibilis. At eo ipso, quòd terminus per actionem creatam productus *per se primò* non sit Esse actualis existentiæ, sed Esse 21.

potentiale hujus receptivum, & sub specificâ aliquâ Generis differentiâ coarctatum, sequitur, actionem creatam terminari *Formaliter* ad Esse specificum sui effectûs. Hinc autem sequitur; quòd Principium etiam quà *Formaliter* effectivum non tendat præcisè ad Esse existentiæ, sed ad Esse effectûs specificum ut sic Essentiale, ac receptivum existentiæ suæ connaturalis. Consequens proinde est, Causam creatam *quà Formaliter* Effectivam non tantùm esse intelligibilem sub ratione genericâ Principij Existentiæ communicativi, sed sub ratione etiam specificâ Principij Formæ specificæ productivi. Sub quâ proinde Formalitate Principium effectivum *in Quarto perseitatis modo* est specificativum actionis ex se emanantis.

22. Instabis. Ex prætacto dicursu inferri, quòd non tam Principium Effectivum, quàm terminus per actionem *Formaliter* productus sit specificativus actionis. Probatur ista sequela. Nam formale *in Quarto Perseitatis modo* specificativum est terminus *Formaliter* terminans habitudinem formæ specificatæ intrinsecam & Essentialem. At *præc. n. 21.* dictum est, quòd actio creata terminetur Formaliter ad Esse specificũ sui effectûs. Hoc igitur Esse specificũ effectûs videtur *in Quarto perseitatis modo* esse specificativũ actionis sui effectricis.

23. Contra. Nam actionis, prout est Formalitas Principij Effectivi *intrinsecè* actuans, Essentialis est habitudo tum ad Formam effectivam, tum ad formam effectam. In istâ verò realiter indivisibili, per rationem verò ratiocinatam distinctâ, habitudinis formalitate istud est discriminis, quòd ad formam effectivam, ex quâ emanat, se habeat tanquàm ad aliquid *secundùm Quartum perseitatis modum* à priori specificativum, ad Formam verò Effectam se habeat tanquàm ad aliquid sui à posteriori duntaxat commensurativum. At verò specificatio *in Quarto perseitatis modo*, est simpliciter secundùm modum Causandi. Undelicèt Terminus per actionem *Formaliter* productus possit dici specificativus actionis *in cognoscendo*, quatenus per ipsum tanquàm Extrinsecam habitudinis actionem *intrinsecè* specificantis mensuram potest cognosci specifica actionis differentia; Principium tamen Effectivum, cùm non *in cognoscendo* duntaxat, sed in Causando sit specificativum actionis, *simpliciter* & *absolutè* meretur dici Formale *in Quarto perseitatis modo* specificativum actionis.

24. Urgebis. Ex hoc evinci, quòd etiam Passio *in Quarto perseitatis modo* specificetur ex Principio Effectivo. Probatur istud assumptum. Quia etiam passio dicit Essentialem comensurationem ad specificam principij sui effectivi Formam. Ergo ista non duntaxat in *cognoscendo*, sed etiam *in causando* est specificativa Passionis.

25. Contra. Nam ista Essentialis ad specificam Principij sui Effectivi Formam habitudo & commensuratio est communis passioni, ac Effectui absque ullâ passione Transmutativâ per Creationem productio. Ergo non est specificativa Passionis. Probatur antecedens. Nam omnis effectus creatus secundùm Existentiæ actualitatem, ut sic *Formaliter* respicit Esse Causæ Primæ tanquàm Principium sui Effectivum. At verò effectus creatus ut sic eatenus est Terminus creationis activæ Deo *Formaliter* immanentis, ut creatio passiva sit ipsemet effectus *Essentialiter* commensuratus creationi activæ, atque sine ullâ passione Transmutativâ per hanc *Formaliter* productus. Consequens proinde est, quòd illa Essentialis ad specificam Principij sui Effectivi Formam habitudo & commensuratio non sit propria passionis, sed huic ac effectui per creationem producto si communis. Unde sequitur; passionem *Formaliter* sub ratione passionis non specificari ex principio Effectivo, sed ex termino suo Formali. Probatur istud assumptum. Nam passio est actualitas subjecti, per quam fit transitus de potentiâ ad actum. 26. Unde passioni inest Essentialis habitudo tum ad subjectum de potentiâ ad actum transmutabile, tum ad Formam subjecti actuantem. Atqui subjectum terminat illam habitudinem tanquàm Materiale, Forma verò subjecti actuans est Formale Terminativum illius habitudinis. Id verò, quod habitudinis alicujus est Formale terminativum, est ejusdem *in Quarto perseitatis modo* specificativum. Consequens igitur est; passionem *Formaliter* sub ratione passionis *in Quarto perseitatis modo* specificari per terminum suum Formalem.

Conclusio II.

EO ipso, quòd Finis sit Principium actuum humanorum, sequitur, actiones morales in Quarto perseitatis modo specificari à Fine.

Probatur. Nam quælibet Causalitas specificatur à suo Principio secundum Formalem causandi rationem spectato. Atqui actus humani comparantur ad Finem tanquàm suum Principium. Hoc ipsum verò Principium sub Formali Finis ratione est Motivum actuum *quà Formaliter* humanorum; *veluti supra controv. 4. demonstratum est* ex S. Thomâ *hic art. 3.* At Finis se habens ad actus humanos tanquàm Formale motivum, est actuum ejusmodi Excitativum & *Finaliter* causativum absque aliquâ mediâ causalitate. Unde ipsi actus humani ad Finem sui Motivum se habent per modum actualis causalitatis. Cùm igitur quælibet causalitas specificetur à suo Principio secundùm formalem causandi rationem spectato, actus verò quà Formaliter humani ad Finem *formaliter* spectatum se habeant tanquàm actualis ipsius causalitas, consequens est, actus quà *Formaliter* humanos specificari ex fine. 27.

Dices. Actus Voluntatis imperatos esse *Formaliter* humanos: At istos non habere se ad Finem tanquàm Causalitatem, sed tanquàm effectu ex Finali à se distinctâ causalitate excitatos: Consequens proinde esse, quòd ratio proximè deducta saltem universaliter respectu omnium humanorum actuum non concludat. 28.

Contra. Nam actus à Voluntate imperati alij sunt potentiarum naturalium; alij Intellectûs; alij denique ipsius voluntatis ex quodam imperio reflexo eliciti. At verò potentiarum naturalium & intellectûs operationes nihil habent Moralitatis nisi ex influxu voluntatis vel Directo per imperium; vel indirecto, sed positivo per sympathiam naturalem, vel Negativè seu interpretativè indirecto per omissionem 29.

actionis

actionis cauſantis actus potentiarum ſibi ſubordinatarum. Unde fit conſequens, quòd in actibus inferiorum potentiarum quà imperatis à Voluntate ratio Moralitatis *formaliter* importet voluntatis actum imperantem actuum ſibi ſubordinatorum in Eſſe moris conſtitutivum ac Denominativum. At hic ipſe actus imperans ad finem tanquàm ſui Formale Motivum ſe habet per modum cauſalitatis ab ipſo *immediatè* excitatæ.

30. Deinde actus voluntatis ex aliquo reflexo imperio à potentiâ volitivâ eliciti duplicem habent moralitatem ſeu ſpeciem moralem; alteram ex ſe ipſis ſecundùm intrinſecam ad objectum ſui motivum tendentiam, alteram ex Denominatione actûs imperantis. At hæc utraque moralitas reſpicit ſuum Motivum Formale per modum cauſalitatis *immediatè* excitatæ ab illo motivo. Ejuſmodi verò Motivum eo ipſo *Formaliter* habet rationem Finis, quòd adæquatum Voluntatis objectum Formale ſit Finis. Conſequens proinde eſt, omnes actus morales quoad Formalitatem moralitatis ſe habere ad ſuum Formale Motivum tanquàm Cauſalis Finales. At verò actus morales & actus humani ſunt idem. ex S.Thomâ *hic art.3.* Cùm igitur quælibet cauſalitas ſpecificetur à ſuo Principio ſecundùm Formalem cauſandi rationem ſpectato, evidenter ſequitur, omnes actus humanos quà *Formaliter* humanos ſpecificari ex fine.

31. Inſtabis. Dari actus morales, qui non ex ſolo Fine ſpecificentur, ſed etiam ex medijs. Quare non eſſe univerſaliter verum, quòd actus *quà formaliter* Humani ſpecificentur ex Fine. Antecedens probatur. Nam actus Furandi ex Fine adulterij medijs pecunijs furto ablatis procurandi exercitus habet malitiam non adulterij duntaxat ex fine, ſed & Furti ex medio ſpecificatam. Deinde ex motivo pœnitentiæ faciens eleemoſynas, in tali actu exercet moralitatem Virtutis tam pœnitentiæ ex Fine, quàm miſericordiæ ſpecificâ medij honeſtate ſpecificatam. Conſequens igitur eſt, actus morales non ex Fine duntaxat, ſed ex mediorum etiam honeſtate vel malitiâ ſpecificari.

32. Contra. Nam ea eſt differentia inter malitiam & Honeſtatem moralem, quòd iſta ut ſic per ſe expetibilis ſit, illa verò non ſub Formali Malitiæ Moralis ratione, ſed ſub ratione delectabilitatis duntaxat ceu proximo malitiæ moralis fundamento ſit per modum Finis per ſe appetibilis. At verò actus quà moralis ſeu Humanus ut *ſic Formaliter* procedens à voluntate deliberatâ, debet *Finaliter* eſſe cauſatus à Bonitate per modum Finis per ſe appetibili. Unde de actu moraliter malo verum eſt, quòd moralitas ipſius ut ſic *Formaliter in Quarto perſeitatis modo* ſpecificetur à Morali objecti malitiâ non *Formaliter*, ſed *Fundamentaliter* ſpectatâ. Ex hoc autem fit, quòd malitia moralis *Formaliter* conſiderata ad actûs humani Moralitatem, ejuſque fundamentalem malitiam ſe habeat per modum duntaxat accidentis Denominativè convenientis, at neceſſariò reſultantis ex Moralitate actûs ex ſe *intrinſecè* ac *Eſſentialiter* habentis illam moralitatem ac Fundamentalem malitiam. Hæc verò moralitas ſeu fundamentalis propria malitia volitionis v. g. furtum propter adulterium appetentis eſt hujus intrinſecè *in primo perſeitatis modo* catenus ſpecificativa, ut conſequenter ab objecti Delectabilitate ut ſic malitiam illam fundante & actûs illius *Finaliter* motivâ ſpecificetur *in Quarto perſeitatis modo*. Conſtat igitur, illam volitionem quoad ſuam intrinſecam & Eſſentialem moralitatem *in Quarto perſeitatis modo* ſpecificari ex Fine.

33. Deinde faciens eleemoſynas ex Motivo pœnitentiæ pro Fine habet non Pœnitentiæ duntaxat, ſed Miſericordiæ quoquè Honeſtatem. Unde actûs ejuſmodi moralitas ex Miſericordiæ Honeſtate non *Formaliter* quà medio, ſed quà Fine ſpecificatur. Conſequentia eſt evidens. Antecedens verò probatur. Nam eleemoſyna eſt medium ex Motivo pœnitentiæ appetibile per ſuam intrinſecam pro peccatis ſatisfaciendi idoneitatem. Hæc autem idoneitas *ſpecificè* conſiderata *Tranſcendentaliter* ac *Formaliſſimè* importat Honeſtatem Miſericordiæ propriam. Unde eleemoſynæ ex pœnitentiæ motivo appetitio per modum motivi formalis attingit ipſam etiam Miſericordiæ Honeſtatem non præciſè ſub ratione medij, ſed per modum Finis intermedij ac ſubordinati Fini pœnitentiæ. Patet proinde, quòd illa Eleemoſynæ ob pœnitentiæ Finem volitio, non aliter ſpecificetur ex Miſericordiæ Honeſtate, niſi quà Fine. Eſt igitur univerſaliter verum, quòd actus morales ut ſic ſpecificentur ex Fine.

34. Urgebis. Unius actûs in Eſſe tam morali, quàm Phyſico non eſſe niſi unam ſpeciem. At ſi actus quà morales ſpecificentur ex Fine, poſſe unius actûs plures eſſe ſpecies morales. Probatur iſta minor. Nam actus Virtutum moralium ex harum motivis proprijs ac Formalibus ſpecificati poſſunt per Imperium Charitatis ordinari in Finem ipſius proprium ac ſpecificum; ſicut etiam Eleemoſyna ex Honeſtate non Miſericordiæ duntaxat, ſed pœnitentiæ facta pro fine habet duplicis Virtutis Finem ſpecificum. Si proinde ex Fine fiat ſpecificatio actuum moralium, conſequens erit, poſſe unius ad diverſos Fines ordinati actûs moralis diverſas eſſe ſpecies.

35. Contra. Nam ſicut in Phyſicis, ſic in moralibus alia forma ſeu ſpecies eſt Eſſentialis, alia verò accidentalis. Atqui actûs Moralis ſpecies Eſſentialis conſiſtit in intrinſecâ ad Motivum ſuum Formale commenſuratione, ſpecies autem accidentalis conſiſtit in denominatione proveniente ex voluntatis ordinatione actui extrinſecâ. Sic v.g. actus charitatis ex ſpecificâ ad objectũ ſuum Formale comenſuratione eſt tendentia in Deum quà Bonum ſummè ac infinitè appretiabile; ſic actus ex Motivo pœnitentiæ, vel etiam Charitatis eligens Eleemoſynam per unam individualem ſuæ Entitatis tendentiam Eſſentialiter reſpicit honeſtatem objectivam non pœnitentiæ ſeu Charitatis duntaxat, ſed etiam Eleemoſynæ. Unde talis actûs moralis ſpecies Eſſentialis importat Formalem cum objectivâ tam Miſericordiæ, quàm pœnitentiæ, vel etiam Charitatis Honeſtatis ratione commenſurationem.

36. Econtra actus Virtutum moralium à Charitate imperati non ex ratione ſuæ Eſſentialis ad objectum Formale commenſurationis, ſed ex ordinatione ac denominatione extrinſecâ actûs imperantis habent tendentiam moralem à Fine Charitatis immediatè ſpecificatam. Unde talis ſpecies ex actu imperante derivata in actum

in actum imperatum est solùm accidentalis. Etsi proinde verum sit, non posse unius actûs Moralis esse nisi unicam Essentialem speciem; attamen fieri potest, ut uni morali actioni ex suo Fine intrinseco *Essentialiter* specificatæ *accidentaliter* superveniat alia, imò plures morales species. Verùm de his pluribus infra ex instituto agetur.

Responsio ad Primæ difficultatis opposita fundamenta.

37. AD primæ sententiæ *n. 8.* oppositum fundamentum Respondetur. Nullum à parte rei dari actionis ordinem ad Principium Efficiens, nisi prout istud sub specificâ suâ agendi ratione consideratur. At istam specificam agendi rationem aliam esse sitam in puro subsistente Esse, quæ ut sic est specificativa actionis creativæ: aliam esse Formalitatem potentialitati immersam, ut sic Generis alicujus sub certâ specie constitutivam. Sub quâ proinde specificâ agendi ratione Principium Efficiens fundare actionem non sub Transcendentalis duntaxat, sed specificæ habitudinis ordine spectatam. Et si igitur Principium Efficiens sub præcisâ Principij Effectivi, Causæ Creatæ & Increatæ *analogicè*, causis verò creatis inter se comparatis *Univocè* communi ratione non possit specificare actionem; attamen sub specificâ agendi ratione, posse esse specificativum actionis.

38. Ad secundæ opinionis *n. 9.* oppositum fundamentum Respondetur. Actionem respectu sui effectûs seu Termini importare prioritatem causalitatis ac Originis. At in isto priori intelligi actionis specificationem intrinsecam, utpote à quâ effectus accipiat suum Esse, imò & naturam & speciem. Quare ab effectu non *simpliciter*, sed cum addito duntaxat *à posteriori* potest specificari actio, utpote quæ pro aliquo priori effectum antecedente, ex principio sui effectivo habeat suam formalem ac specificam determinationem. Unde dici debet; Actionem à suo Principio Effectivo *in Causando & à priori* sive *simpliciter*; ab Effectu verò suo specifico *secundùm Quid, in cognoscendo, à posteriori* duntaxat specificari.

39. Ad tertiæ sententiæ *n. 10.* oppositum fundamentum Respondetur. Principium Effectivum sub Formali Effectivi ratione dupliciter terminari ad Existentiæ communicationem. Primò *per se formaliter* ex vi suæ formalis virtutis. Ut sic autem virtutem effectivam esse creativam ac *Formaliter* importare Esse subsistens, per quod *Formaliter intrinsecè in primo perseitatis modo* specificatur actio creativa. De hac igitur creativâ actione omninò verum est, quòd specificetur per suum effectivum Principium etiam *Formaliter* sub ratione Effectivi spectatum. Secundò *Consequenter*, ita ut *per se Formaliter* terminetur ad Formam potentialitati immersam, ex quâ prout actionem sui effectricem terminat, connaturaliter resultet actualitas existentiæ. Ut sic autem Principium effectivum *Formaliter* importare naturam creatæ substantiæ, tanquàm primum operationis principium. At cujusque substantiæ naturam importare *Formaliter* specificam differentiam, atque adeò determinatam agendi virtutem radicalem. Cùm igitur ista determinata agendi virtus radicalis sit in substantiâ creatâ de *Formali* primi Effectivi principij ratione: Illa ipsa verò determinata agendi virtus radicalis sit *in Quarto perseitatis modo* specificativa actionis ex substantiâ tanquàm primo Effectivo Principio emanantis; consequens esse, quòd actio creatæ substantiæ *in Quarto perseitatis modo* specificetur ex suo principio quà *Formaliter* Effectivo, non quidem *Generice*, sed *specificè* spectato.

Responsio ad Secundæ difficultatis opposita fundamenta.

AD primæ sententiæ *n. 11.* oppositum Fundamentum Respondetur. Actum moralem Essentialiter spectatum eatenus comparari ad Finem operis tanquàm objectum suum Formale, ut tamen actus imperati ex alterius imperantis actionis influxu participata & Denominativa Moralitas, specificetur ex Fine operantis *in Quarto perseitatis modo* Essentialiter se habere ad illam participatam & Denominativam Moralitatem. Quare Finem operantis esse quidem circumstantiam respectu actionis Externæ seu imperatæ quoad substantiam suam spectatæ utpote ad quam omninò *accidentaliter* se habeat, attamen esse *Formaliter in Quarto perseitatis modo* specificativum actûs Voluntatis *per se primò* terminati ad Finem ejusmodi, atque adeò speciem accidentalem actui morali ex reflexo voluntatis imperio seu influxu supervenientem. Essentialiter esse connexam cum Fine operantis. Unde absolutè verum esse, quòd Finis etiam Operantis, non Operis duntaxat sit specificativum actuum humanorum. 40.

Ad secundæ sententiæ *n. 12.* oppositum fundamentum Respondetur. Finem Charitatis dupliciter posse se habere ad Dolorem ex Motivo specialis pœnitentiæ virtutis elicitum, *primò* ut actus doloris ex intrinsecâ ratione eatenus respiciat Motivum pœnitentiæ quà ex propriæ suæ specificæ Honestatis formalitate per se appetibile, ut idem tamen doloris actus illam Honestatem, prout intrinsecam respectu Finis Charitatis idoneitatem habet, ad hujus Motivum Formale referat. In quo proinde actu esse unam simplicem quidditatem indivisibiliter specificatam ex motivo Formali tam pœnitentiæ, quàm Charitatis. *Secundò* ut actus Doloris ex ratione suâ intrinsecâ præcisè terminetur ad Motivum specialis pœnitentiæ, ac ex solâ extrinsecâ imperij à Charitate eliciti ordinatione referatur ad hujus finem. In quo proinde actu species duntaxat accidentalis ex Denominatione imperij supra se reflexi proveniens specificatur ex fine Charitatis. Pari proinde ratione discurrendum est de levis alicujus defectûs objectione erga alterum factâ, hæc enim de se indifferens speciem moralem induit ex denominatione actûs voluntatis moraliter influentis in illam defectûs exprobrationem. Unde sicut actus iste voluntatis speciem Essentialem habet ex fine suo intrinseco, sic ex istâ moralis actûs voluntatis specie per influxum Moralem in verbis defectum illum objicientibus resultat eadem species *accidentaliter*, non verò *Essentialiter* conveniens. 41. 42.

Ad tertiæ opinionis *n. 13.* propositum Fundamentum Respondetur. Ex illo bene probari, quòd Sanctus Doctor ibi citatus loquatur de fine operantis non quidem prout hic *adæquatè* 43.

D contra-

contraponitur Fini operis, sed prout *Generaliter* sumptus complectitur tam finem intrinsecum, ad quem actus Operantis ex Essentiali suâ commensuratione refertur, quàm Finem Extrinsecum, ad quem actus moralis ex alterius à se distincti voluntatis actûs influxu morali *extrinsecè* ordinatur. Unde etiam verificari, quòd omnis actus moralis speciem vel Essentialem, vel accidentalem accipiat ex fine operantis, Essentialem quidem ex fine intrinseco, accidentalem verò ex fine Extrinseco.

44. Ad Quartæ sententiæ *n. 14.* propositum primum fundamentum Respondetur. Illo duntaxat probari, quòd actus moralis ex Fine operantis se habente ad illum per modum circumstantiæ extrinsecæ, non desumat speciem suam Essentialem, licèt ex eodem possit habere moralitatem accidentalem, ex eodem Fine *in Quarto perseitatis modo* specificatam.

45. Ad ejusdem Quartæ sententiæ *n. 15.* oppositum secundum fundamentũ Respondetur. In illo videri supponi, quòd Finis *in obliquo* duntaxat, ut participatus in medijs, non *Formaliter* in se ipso sit specificativus Electionis mediorum. At contra hoc esse, quòd Electio mediorum attingat Finem in se ipso tanquàm suum Formale Motivum. Unde electionem mediorum, nec non actûs exterioris imperati moralitatem *intrinsecè* ac *Essentialiter* specificari per finem non quà participatum duntaxat, sed quà in se ipso spectatum. Verum de hoc alibi ex instituto.



ARTICULUS II.

DE

Fine Ultimo.

DARI Finem Ultimum non tantùm pro statu supernaturalis elevationis, sed naturæ; manifesta Sacrarum Literarum evincit authoritas, Proverb. 16. *Universa*, inquiens, *propter semetipsum operatus est Dominus.* Et Apocalyps. 1. *Ego sum Alpha & Omega, Principium & Finis.* Circa quem proinde ultimum finem controvertitur Primò. *An Finis ultimus lumine Naturali sit demonstrabilis?* Secundò. *An unus tantùm detur Finis ultimus?* Tertiò. *An & quomodo qualibet actio hominis deliberata sit propter finem ultimum?* Quartò. *An solus Deus habeat rationem Ultimi Finis?*



CONTROVERSIA I.

An lumine Naturali sit demonstrabile, quòd detur Finis Ultimus?

1. DOctor Angelicus *prat. q. 1. a. 14.* dari Ultimum Finem, probat sequenti argumento. Impossibile est in finibus procedere in infinitum. Ergo sicut est aliquod primum, à quo incipit motus ad Finem, ita est unus ultimus Finis. Probatur tam antecedens, quàm consequentia. Si enim in finibus daretur processus in infinitum, nec in ordine intentionis, nec in ordine executionis posset dari motus ad finem. At consequens repugnat experientiæ & rationi. Ergo & id, ex quo sequitur. Sequela majoris probatur. Nam subtracto Principio motûs, impossibile est, dari motum. At principium intentionis est Finis, omne autem Principium est primum, à quo incipit motus. Unde si in ordine intentionis non detur primum, à quo movetur appetitus, impossibile est, dari motum ad finem. Deinde Principium executionis est, unde incipit operatio. Hoc autem 2.
est primum eorum, quæ sunt ad Finem. At si in his daretur Processus in infinitum, neque daretur primum in his, quæ sunt ad finem, nec circa hæc terminaretur consilium, nec consequenter inciperetur unquam operatio. Consequens igitur est, nullum ordine tam intentionis, quàm executionis posse dari motum ad finem, si in finibus daretur processus in infinitum. At si impossibilis sit motus in finem, implicat ratio Boni voluntatis finaliter Motivi. Hæc autem ratio est ipsa natura Boni. Ergo si admittatur in finibus infinitum, aufertur Natura Boni, *veluti argumentatur* Philosophus *2. Metaph. tex 8.*

Adversùs istam argumentationem Sanctus Doctor citatus opponit Primò. Bonum est diffusivum sui. Ergo id, quod procedit ex Bono, ipsum etiam est Bonum. At istud Bonum ex ratione Formali Bonitatis iterum est diffusivum sui. Unde in istâ Boni diffusione datur processus in infinitum. Atqui Bonum habet rationem finis. Ergo in finibus datur processus in infinitum. 3.

Secundò. Ea, quæ sunt rationis, multiplicantur in infinitum. Atqui desiderium Finis sequitur apprehensionem rationis. Ergo in finibus datur processus in infinitum. 4.

Tertiò. Bonum & Finis est objectum voluntatis. At voluntas potest infinities reflecti supra se ipsam. Ergo in finibus humanæ voluntatis potest procedi in infinitum. 5.

CONCLUSIO.

EO ipso, quòd in Finibus per se subordinatis repugnet processus in infinitum, oportet dari Finem ultimum.

Probatur argumento Ioannis à Sancto Thomâ *prat. disp. 1. art. 5. n. 1.* ad sequentem normam redacto. Nam experientia docet, multas 6.
fieri actiones & motus ad finem cum certo quodam intentionis ac executionis ordine. At si in finibus daretur processus in infinitum, oporteret, dari intentiones infinitas singulis finibus respondentes. At inter istas intentiones infinitas non daretur una prima determinata, unde motus inciperet. Nequit autem sine determinatâ intentione fieri determinata executio, & inchoatio motûs. Imò remotâ illâ primâ intentione, removeretur etiam omnis electio eorum, quæ sunt ad Finem, siquidem ista ab intentione Essentialiter oritur, sicut conclusio à principijs. Atqui remotâ electione non datur mediũ Finis assecutivũ: Remoto autẽ medio Finis assecutivo, removetur Principium, per quod fiat operatio & motus. Consequens proinde est, non dari ordine vel intentionis vel executionis motum ad Finem, si detur

si detur Finium processus in infinitum. At isto in infinitum processu remoto, datur eo ipso Finis ultimus, cui sit primum in intentione, & ultimum in executioue. Ex eo igitur, quòd in finibus repugnet processus in infinitum, efficaciter demonstratur, dari Finem ultimum.

7. Dices. Operans pro suo cerebro potest cuicumque operationi quemlibet Finem præstituere. Atqui dantur Syncategorematicè infinitæ operationum series. Ergo non est impossibile, dari Syncategorematicè infinitũ processum Finium

8. Contra. Nam inter operantis fines, qui pro cujusque cerebro præfigi possunt quibusvis in infinitum multiplicabilibus actionibus, nulla est subordinatio nisi per accidens. At eo ipso, quòd inter ejusmodi Fines nulla sit per se subordinatio, cuilibet actionum ejusmodi seriei respondet Finis non tantùm *respectivè*, sed etiam *absolutè* ac *positivè* ultimus. Quare ratio Finis ultimi non excludit Finium *per accidens* subordinatorum, sive *Concomitanter duntaxat* conjunctorum processum Syncategorematicè infinitum. Imò in sententiâ illorum, qui concedunt, posse dari actu infinitum, consequenter admitti debet possibilis Finium processus Categorimaticè infinitus. Deinde inter Fines in ratione Causandi *formaliter* ut sic subordinatos alius est ordo Finium *per se*, alius *per accidens* subordinatorum. At fines sub formali causandi & Finalizandi ratione spectati dicuntur *per se* subordinati; quatenus unus pendet ab alio *in Causando*, per accidens autem subordinati dicuntur, quatenus omnes concurrunt ad unum effectum, ita tamen, ut non omnes, sed una vel aliquæ duntaxat suâ causalitate attingant effectum; reliquæ autem solùm *remotè* ac *mediatè* se habeant ad effectum ejusmodi. Sicuti si ponatur, mundus fuisse ab æterno, unius v. g. hominis nunc geniti fuissent Progenitores infiniti, quin tamen omnes suâ causalitate *per se immediatè* influerent in talis hominis generationem. In quo proinde casu sicuti fuissent infinitæ Causæ effectrices, quæ sub Formali causalitatis in unũ effectum influentis ratione non *per se*, sed *per accidens* duntaxat essent subordinatæ; sic quia cuilibet ejusmodi causæ effectrici responderet determinatus aliquis Finis; sequeretur; futurum fuisse finium sub Formali finalizandi ratione & causalitate finali *per accidens* subordinatorum processum infinitum. Quare Divi Thomæ *præs. art. 4.* ex infiniti finium processûs impossibilitate Finem Ultimum demonstrantis ratio solùm tenet de finibus sub Formali finalizandi ratione *per se* subordinatis, *veluti idem Sanctus Doctor in fine cit. art. expressè affirmat.* Con-
9. firmatur. Nam tota rationis vis in eo sita est, quòd admisso infinito Finium processu, non daretur primum in serie tam intentionis, quàm Consultationis ac Electionis. Hinc autem rursus sequeretur, non posse ex parte tam intentionis, quàm Executionis inchoari motum ad Finem. At hoc totum procedit de Fine *per se* Finaliter Motivo intentionis, ac de medijs ex talis finalis causalitatis vi electis. Ut sic autem intelligitur quædam Finis ac mediorum sub Formali Finalizationis Causalitate spectatorum subordinatio. Consequens igitur est, illam Divi Thomæ rationem solùm concludere de Finibus sub Formali Finalizandi causalitate *per se* subordinatis; adeò ut nisi daretur Primum in intentione, quod esset Finis ultimus, non posset dari motus ad finem.

Replicabis. Homo secundùm puræ naturæ statum consideratus pro fine ultimo *Quo* habet Naturalem Divinitatis ex creaturis contemplationem. Hæc autem intra limites statûs naturalis nunquam foret adeò perfecta, quin intellectualis creatura ad elevatiorem ac depuratiorem Divinæ Virtutis ac Deitatis notitiam abstractivam magis syncategorematicè in infinitum tenderet. Unde in Finibus *Quo* secundùm statum Naturæ foret processus in infinitum. At isti fines etiam *Formaliter* in ratione Finium essent *per se* subordinati. 11. Probatur istud Assumptum. Nam prima Deitatis ex creaturis contemplatio abstractiva eatenus est *Finaliter* motiva & satiativa voluntatis creatæ secundùm naturæ statum spectatæ, ut ipsius tamen perfectio *intrinsecè* ordinetur ad elevatiorem adhuc Intelligibilitatis Divinarum naturaliter noscibilium perfectionum repræsentativæ lucem vi abstractionis syncategorematicè in infinitum magis depurandæ in Intellectu creato generandam. At eo ipso, quòd illa abstractiva Divinitatis contemplatio sit *Finaliter* motiva, sequitur; habere *formaliter* rationem Finis. Illa ipsa verò contemplatio, cùm in suâ intrinsecâ *per se* appetibilitate importet ordinem quendam ad depuratiorem adhuc Divinarum perfectionum repræsentativam lucem ex se abstrahendam, est luci ejusmodi Intelligibilitatis in infinitum magis depurandæ *intrinsecè*, atque adeò *per se* subordinata. At verò quælibet istarum Intelligibilitatum Deitatis *abstractivè* repræsentativa est Finis *Quo* ultimus creatæ Intelligentiæ secundùm naturæ statum consideratæ. Constat igitur, in finibus *Quo* ultimis posse dari processum in infinitum. Quare ex impossibilitate infiniti Finium processûs malè arguitur, dari Finem Ultimum.

10. (margin, at "Replicabis")

12. Contra. Nam Finis *Quo* in se *Formaliter* spectatus non habet simpliciter vim Finaliter motivam, sed ratione sui objecti. At implicat, in objectis *Finaliter* motivis dari processum in infinitum. Ergo subsistit adhuc ratio ex impossibilitate infiniti Finium processûs inferens dari Finem ultimum. Major probatur. Nam Fi-
13. nis *Quo* ultimus *Formaliter* ut sic est possessio Intelligibiliter unitiva ac repræsentativa Bonitatis ex se plenè satiativæ voluntatis. At ista repræsentatio habet quidem rationem honestatis *per se* appetibilis. Hæc tamen honestas non est plenè satiativa, sed sub Formali Finalis motionis ratione ab intrinseco se habet ad objectum tanquàm conditio *intrinsecè* applicans seu repræsentans Bonitatis plenè ac perfectè satiativæ. Unde illa repræsentatio non *absolutè* ac *simpliciter*, sed *analogicè duntaxat* habet rationem finis ultimi cum addito *ly Quo*. Etsi proinde in Finibus *Quo* possit dari processus in infinitum, adhuc tamen dari debet unus finis *simpliciter* ultimus.

14. Instabis. Hoc saltem adhuc verificari, quòd in ejusmodi Finibus *Quo* in infinitum processuris esset subordinatio *per se* sub formali causalitatis Finalis ratione. Ergo falsum esse Principium superiùs positum, quòd scilicet in finibus *formaliter* sub Causalitatis finalis ratione specta-

tis, & ut sic *per se* subordinatis nequeat dari
15. processus in infinitum. Antecedens probatur. Nam prima abstractiva Deitatis notitia sub propriæ Honestatis Formalitate est eatenus appetibilis, ut hæc ipsa appetibilitas importet intrinsecum ordinem ad Depuratiorem Divinitatis repræsentativam Intelligibilitatem. Hæc ipsa verò depuratior Intelligibilitas ex se *Intrinsecè* ordinatur ad tertiam & quartam, & sic in infinitum syncategorematicè elevatiorem lucem Intelligibilem. At eo ipso, quòd quælibet ex illis Intelligibilitatibus ex ratione suæ propriæ Bonitatis eatenus sit appetibilis, ut hæc ipsa tamen appetibilitas ex ordine ad lucem Intelligibilem in infinitum perfectiorem sit magis expetibilis, potest voluntas illam primæ Intelligibilitatis Divinitatem *abstractivè* repræsentantis lucem appetere cum ordine ad alias in infinitum elevatiores Deitatis Intelligibilitates. Ut sic autem voluntas intenderet Finium *per se* subordinatorum processum infinitum. Non igitur implicat iste Finium quà *Finaliter* motivorum, ac sub formali Finalis motionis *per se* subordinatorum processus infinitus.

16. Contra. In tantum enim est Bonitas aliqua *Finaliter* motiva Voluntatis, in quantum est per Intellectum repræsentata. At Intellectus creatus potest quidem syncategorematicam Intelligibilitatum Divinitatis abstractivè repræsentantium infinitatem *confusè* cognoscere; nequit tamen omnes ac singulas ex illis Intelligibilitatibus *Syncategorematicè* infinitas naturali saltem Virtute *actu simul* conspicere. Eo ipso verò, quòd Intelligentia creata ex intrinseco suo statu naturali quoad substantiam mensuretur æternitate, quoad operationes verò non coævas mensuretur tempore, sequitur; illam syncategorematicam elevatioris semper intelligibilitatis abstractionum infinitatem eatenus habere rationem Finis ultimi *Quo* respectu Desiderij etiam coævi tali creatæ Intelligentiæ secundùm naturæ statum spectatæ; ut tamen Finis ultimus *Quo* actualis fruitionis nequeat esse nisi quædam determinata Intellectui ipsius actu inexistens Divinitatis ex creaturis abstractiva repræsentatio, cum intrinseco licèt ordine ad illam syncategorematicam *confusè* cognitam infinitatem. At eo ipso, quòd ista syncategorematica *confusè* cognita infinitas se habeat per modum unius per Intellectum designati objecti *Finaliter* motivi Voluntatis, sequitur, Voluntatem quatenus Intelligibilem Divinitatis repræsentationem actu habitam suique *Finaliter* motivam, ad aliam depuratiorem, imò ad illam ipsam etiam infinitatem ordinat, non facere in finibus processum nisi finitum. Constat igitur ex illâ syncategorematicâ Finium *Quo* infinitate non inferri in finibus quà *Finaliter* motivis & sub Formali Finalizandi causalitate *per se* subordinatis processum infinitum.

17. Urgebis. Fieri posse, ut anima lumine gloriæ elevata videat in Verbo distinctè Intelligibilitates Divinitatis abstractivè ex creaturis repræsentativas per totam æternitatem *syncategorematicè* in infinitum ab animæ naturali virtute intellectrice producibiles. At verò in his ipsis infinitis *distinctè* cognitis Divinitatis repræsentativis Intelligibilitatibus animam taliter elevatam videre in Verbo singularum quoad perfectionem inter se subordinationem. Posse proinde talem animam omnes ac singulas illas abstractivas Divinitatis repræsentationes possibiles uno voluntatis actu eatenus appetere, ut ad istum appetitum moveatur ex ipsarum Bonitate intrinsecâ quà *Finaliter* Motivâ illius appetitûs. At in istâ appetitione unam quandam determinatam Deitatis repræsentationem ad alias in infinitum perfectiores *intrinsecè* ordinabilem appeti cum istâ ad omnes illas infinitas se perfectiores Divinitatis abstractivas repræsentationes coordinatione. In ejusmodi verò intrinsecæ ordinabilitatis appetitione infinitas illâ unâ determinatâ Deitatis repræsentatione expressas perfectiores Intelligibilitates esse *Finaliter* Motivas respectu tù illius determinatæ, tum respectu quarumlibet infinitarum se imperfectiorum Intelligibilitatum. Tunc igitur sub Formali Causalitatis Finalis ratione Finium *per se* subordinatorum dari in appetitu elicito Voluntatis processum infinitum.

Contra. Nam datâ illâ appetitione sive possibili sive impossibili, esset quidem processus syncategorematicè infinitus *ex parte Volitorum* seu *Objectorum materialium*, attamen *ex parte Causalitatis Finalis* esset unica simplex motio realiter indistincta ab illâ appetitione. At hæc ipsa appetitio eatenus respiceret singularum Divinitatis repræsentationum Intelligibilium Bonitate proprias cum intrinsecâ illarum ad magis magisque syncategorematicè in infinitum perfectiores abstractivas Deitatis Intelligibilitates, coordinatione, ut sola tamen collectio in Intellectu repræsentata, se haberet per modum unius ultimi Finis *Quo* illius appetitionis seu desiderij. Constat proinde, ex parte Causalitatis Finalis in se *Formaliter* spectatæ, imò ex parte etiam Finis *Quo* Ultimi *Finaliter* motivi eatenus dari unitatem, non verò multiplicitatem infinitam; ut, licèt fines *Quo* in illâ infinitate sint per se Terminativi ac per modum Finium intermediorum *Finaliter* Motivi Voluntatis; ille tamen processus infinitus eatenus reducatur in Unitatem tum Finis *Qui* ultimi, tum collectionis intentionalis Finium *Quo*; ut nisi staret ista ad unitatem tam Causalitatis Finalis, quam Finis *Qui* Ultimi nec non Finium *Quo*, ad unam ex omnibus integratam *Ultimatè* motivam Bonitatem collectionis reducto, non posset dari Causalitas Finalis. Firmum igitur manet, quòd Causalitas Finalis eatenus respuat processum sub Formali Finalizationis ratione infinitum, ut consequenter debeat dari Finis Ultimus. 18.

Responsio ad opposita Fundamenta.

AD 1. *n. 3.* oppositum Respondetur. Bonum vel quatenus sub abstractâ universali ratione includit collectionem omnium Bonorum, vel quatenus accipitur pro Bono *Eminenter* continente totius Boni collectionem, infinitè esse diffusivum sui tam *Efficienter*, quàm *Finaliter*, ita tamen ut hæc infinita vis sive *Finaliter*, sive *Efficienter* sui Diffusiva *quoad effectus saltem* subordinetur libertati Divinæ Voluntatis, ipsaque Boni Virtus *Finaliter* sui Communicativa respectu Voluntatis Divinæ sit unica Essentiæ Divinæ Bonitas increata. Ex hac proinde tum Efficientiæ, tum Finalizationis in creatarū Intelligentiarum per totam æternitatem futuras volubiles 19.

cogita-

cogitationes & volitiones diffuſæ communicatione, dari proceſſum infinitum; ita tamen ut communicatio ejuſmodi ſyncategorematicè infinita, quatenus à Deo volita in unicam Divinæ Increatæ Bonitatis Finalizationem reducatur, ſicuti per ſanctas & pias Angelorum hominumque intentiones cujuslibet etiam Motionis fit in ipſis Finalis reductio ſaltem virtualis in Deum, ceu Ultimum Finem: per pravas autem peccatorum affectiones conſtituitur Finis ſive *poſitivè* ſive *Negativè* ultimus in objecto creato. Conſtat proinde, in Finali Cauſalitate non poſſe eâ ſaltem ratione dari proceſſum ſyncategorematicè infinitum, quin finium ſub Formali Finalizationis ratione *per ſe* ſubordinatorum debeat eſſe ſtatus, & quies in uno Ultimo fine.

20. Ad 2. *n.* 4. oppoſitum Reſpondetur. Etſi non repugnet, in Angelorum v. g. totâ æternitate futuris volubilibus cogitationibus & affectionibus proceſſus ſyncategorematicè infinitus: ejuſmodi tamen Finalizationes ac Fines infinitos non eſſe *per ſe* ſubordinatos, niſi in Sanctis Angelis in ordine ad Deum ceu unicum omnis ipſorum volitionis Finem ultimum. Poſſe proinde inter Fines *per accidens* ſubordinatos (quod maximè contingit in damnatis Angelis in perpetuo cogitationum ſuarum Chaos ſine ullâ ad unum finem coordinatione perſiſtentibus) dari proceſſum ſyncategorematicè infinitum. Secus verò eſſe de finibus ſub Formali ſaltem Finalizationis ratione *per ſe* ſubordinatis, ſiquidem in tali coordinatione cujuslibet actionum ſeriei debeat dari Finis, in quo ſit ſtatus & quies voluntatis.

21. Ad 3. *n.* 5. oppoſitum Reſpondetur. Etſi voluntas per actus ſupra ſe reflexos poſſit eatenus facere proceſſum ſyncategorematicè infinitum, ut priorem poſterioris *reflexè* imperativam volitionem ſemper velit ex intentione hujus poſterioris tanquàm finis: nihilominùs in iſto reflexionum proceſſu ſub formali ſaltem Finalizationis ratione non eſſe ſubordinationem niſi *per accidens*. Probatur iſtud Aſſumptum. Quia ut inter illas reflexiones ceu finales motiones eſſet *per ſe* ſubordinatio, deberent omnes poſteriores *Finaliter* movere ad quamlibet priorũ volitionem. At in illis reflexionibus prima eatenus moveretur ex intentione ſecundæ, hæc verò ex intentione tertiæ, ac ſic deinceps; quin omnes vel ſaltem infinitæ eſſent *Finaliter* motivæ ad primam, vel aliam quandam illarum reflexionum. Conſtat igitur, inter fines *per accidens*, non autem ſub formali Finalizationis ratione *per ſe* ſubordinatos intelligi poſſe proceſſum ſyncategorematicè infinitum.

CONTROVERSIA II.

An unus tantùm detur Finis Ultimus?

1. Finis ultimus ſpectari poteſt tum *Formaliter*, tum *Materialiter*. *Formaliter* ac *Genericè* conſideratur finis ultimus ſub ratione abſtractâ Boni plenè ſatiativi voluntatis, ſive ſub ratione Cumuli omnium Bonorum excludentis omne malum appetitui adverſans. *Materialiter* ſeu *particulariter* & *individualiter* conſideratur finis ultimus tanquam res aliqua particularis, in quâ invenitur Formalis ratio ſummi Boni voluntatis perfectè ſatiativa. De hoc proinde fine ultimo *Materialiter* ſpectato infra *Controv.* 4. & 5. redibit quæſtio: *Qualiter ſoli Deo ſit conveniens, qualiterque peccator Ultimi Finis rationem transferat in creaturam?* Ex quarum controverſiarum deciſionibus patebit, intra lineam honeſtatis ac rectitudinis Moralis etiam naturalis Deum reſpectu omnis Intelligentiæ etiam creatæ eſſe unicum Finem *ſimpliciter* ultimum *Materialiter* quoque ſpectatum: licèt in viâ declinationis à morali rectitudine, finis ultimus *Materialiter* ſpectatus poſſit pro cujuſque pravâ Voluntate variari ac in quovis creato Delectabili Bono conſtitui.

Finis porrò ultimus *Formaliter* ſpectatus comparari poteſt *Primò* ad morales Intelligentiæ operationes pro uno ac eodem inſtanti elicitas vel imperatas à voluntate. Sub quâ comparatione Divus Thomas *præs. q.* 1. *a.* 5. *primâ ratione* probat, dari unicum finem ultimum. Etenim illud appetitur tanquàm ultimus finis, quod appetitur ut Bonum perfectum & completivum ſui ipſius. At iſtud Bonum perfectum appetitûs completivum ita adimplet totum hominis appetitum, ut nihil extra ipſum relinquatur appetendum. Ex hoc autem evincitur, implicare, quòd appetitus eatenus tendat in duo Bona, ut utrumque ſit Bonum ipſius perfectum & completivum. Evidenter igitur repugnat, reſpectu ejuſdem appetitûs eſſe ſimul duos ultimos fines. 2.

Idem ultimus Finis *Formaliter* conſideratus *Secundò* comparari poteſt ad voluntatem non ſub actualis operationis, ſed ſub potentiæ univerſaliter appetitivæ Formalitate conſideratam. Sub quâ etiam comparatione Sanctus Doctor *citatus in* 2. *rat.* probat, dari unum finem ultimum. Etenim ſicut in proceſſu rationis Principium eſt id, quod Naturaliter cognoſcitur; ſic in proceſſu rationalis appetitûs ſeu Voluntatis oportet Principium eſſe id, quod Naturaliter deſideratur. At eo ipſo, quòd Natura ſit determinata ad unum, oportet, utrumque illud Principium eſſe unum, Principium autem in proceſſu rationalis appetitûs eſt Ultimus Finis. Oportet igitur id, in quod tendit voluntas ſub ratione Finis ultimi, eſſe unum. 3.

Idem denique ultimus Finis *Formaliter* ſpectatus *Tertiò* comparari poteſt ad univerſitatem operationum moralium ſub unâ Moralitatis genericâ ratione conſideratarum. Sub quâ comparatione dari quoque unicum Finem ultimum, Angelicus Doctor *ubi ſupra in tertiâ ratione* probat ſequenti argumento. Etenim ſicut actiones Voluntariæ ex fine ſortiuntur ſpeciem, ſic ex Fine Ultimo utpote omnibus communi ſortiuntur rationem generis. At omnia appetibilia voluntatis in quantum hujuſmodi, ſunt unius generis. Oportet igitur, Finem ultimum eſſe unum; maximè cùm in quolibet genere ſit unum primum Principium, Finis autem Ultimus habeat rationem primi Principij. At verò ſicuti ſe habet ultimus finis hominis *ſimpliciter* ad totum humanum genus, ita ſe habet ultimus Finis hominis ad hunc hominem. 4.

Sicut igitur omnium hominum naturaliter est unus Finis ultimus; sic oportet, hujus hominis voluntatem in uno ultimo Fine statui.

5. Quibus adeò suppositis, oritur hîc difficultas. *Qualiter verum sit, dari unum tum respectu operum moralium vel exercitè pro determinato aliquo instanti, vel signatè sub moralitatis ratione universali consideratorum, tum respectu Voluntatis in se ipsâ secundùm potentiæ rationem spectatæ Finem ultimum?*

Referuntur Sententiæ.

6. SUarez *tract. 1. de actib. human. disp. 3. sect. 2. 3. & 4.* Oviedo *præs. tract. 1. Cont. 1. punc. 3. præcipuè n. 24. & 29.* cum pluribus Doctoribus ibi relatis docet Primò; non repugnare, quòd eadem voluntas intendat diversos fines, quorum uterque sit ultimus *Negativè*. Imò Secundò, nullam esse repugnantiam, quòd aliquis simul intendat unum finem ultimum *simpliciter* respectu personæ operantis, & tamen quòd in aliquo opere sistat tanquàm in Fine *Negativè* ac *secundùm Quid* respectu talis operis ultimo. Verùm Tertiò esse impossibile, ut aliquis *Copulativè* vel etiam *Disjunctivè* amet plura bona distincta & *Formaliter* diversa tanquàm totales Fines *positivè* ac *simpliciter* ultimos. Fundamentum Primi est. Quia cuilibet v. g. arti seu facultati est suus proprius ac specificus Finis. Hic verò licèt dicat ordinem ad operantem tanquàm Finem *Cui*; est tamen in ratione Finis *Cujus Negativè* ultimus, eo ipso, quòd in suo genere ac ex intentione talis artis, imò ipsius etiam operantis ulteriùs non referatur. At verò non repugnat, aliquem intendere simul plurium artium Fines proprios, neutrum referendo ad alterum vel ulteriorem Finem. Patet igitur, non repugnare, dari simul plures Fines *Negativè* ultimos efficaciter intentos ab uno operante. Fundamentum secundi est. Quia Iustus

7. peccans Venialiter habet Deum pro ultimo fine *simpliciter*, & tamen in objecto venialis peccati constituit Finem ultimum *secundùm Quid*.

8. Fundamentum tertij est. Quia finis ultimus integer & Totalis est ille, quem homo appetit ut complementum suorum desideriorum, atque adeò, ut Bonum sibi sufficiens, & alijs præferendum ac maximè necessarium. At impossibile est, ut inter duo Bona *Formaliter* diversa homo existimet, utrumque esse tale, eo ipso enim, quòd ex duobus objectis unum ametur ut sufficiens, alterum non potest amari ut necessarium.

9. Rodericus de Arriagâ *in 1. p. to. 2. disp. 46. sect. 6. n. 58.* existmat, si ultimus Finis apprehendatur non ut Bonum necessarium, sed quatenus potens satiare appetitum, non videri omninò certum, non posse quem appetere duas res diversas tanquàm Fines *simpliciter* ultimos. Fundamentum est. Non enim ita apertè videtur impossibile, Bona duo esse, quorum quodlibet hominem satiet, ut non appetat aliud.

10. Andreas Lao *præs. disp. 5. n. 572. & 589.* tenet; non posse quidem voluntatem simul *actualiter*, imò etiam *habitualiter* appetere plures ultimos Finis adæquatos, & Totales. Imò *n. 610.* asserit impossibile, quòd idem homo pro eodem tempore habeat duos Fines ultimos, ita ut unus *absolutè* & *simpliciter* sit ultimus, alter verò sit ultimus *Negativè*. Attamen *n. 620.* docet, posse eundem hominem pro eodem tempore *Formaliter* & *Copulativè* habere duos Ultimos Fines *simpliciter*, unum *Efficaciter*, alium verò vel alios *inefficaciter*. Fundamentũ Primi est. Quia de ratione Ultimi Finis est, ut plenè dominetur voluntati, cujus est Finis. Hoc autem fit, quatenus Finis omnes voluntatis affectus & effectus sive actuales sive habituales sibi subordinat & subjicit. At totalis subornatio voluntatis ad unum Finem non permittit subjectioné ad alium, nisi hic posterior illi priori subordinetur, atque adeò rationé finis ultimi amittat. Fundamentum secundi est. Nam Finis 11. *simpliciter* ultimus est ille, in quem dirigit homo se & omnia sua. Finis verò dicitur *Negativè* ultimus, in quo eatenus quiescit voluntas, ut non ordinetur ad alium Finem. At eo ipso, quòd iste Finis *Negativè* ultimus non ordinetur ad finem *positivè* ac *simpliciter* ultimum, sequitur, hunc amittere suam Formalem rationem. Implicat ergo, Voluntatem simul intendere duos Fines, quorum unus *positivè* ac *simpliciter*, alter verò *Negativè* ac *secundùm Quid* ultimus sit. Fundamentum tertij est. Nam existens in peccato 12. Mortali quando facit eleemosynam ex Motivo misericordiæ aliudve opus moraliter Bonum; tunc vi peccati Mortalis eatenus pro Fine *simpliciter* ultimo habet Bonum commutabile, ut vi actûs moraliter Boni ordinetur in Deum tanquàm Finem *simpliciter* ultimum *inefficaciter*, non autem *efficaciter* volitum, eo ipso, quòd non avertatur ab objecto lethaliter peccaminoso. At verò non repugnat, voluntatem eodem tempore, quo peccat Mortaliter, facere actum moraliter Bonum. Non igitur implicat, voluntatem eodem tempore ordinari saltem *virtualiter* ac *implicitè* in duos Fines *simpliciter* ultimos, in unum quidem *inefficaciter*, in alterum verò *Efficaciter*.

Marcus Serra *præs. art. 5. concl. 3.* censet, posse eundem hominem habere plures Fines ultimos adæquatos & totales diversi Ordinis & rationis. Fundamentum primum est. Quia homo 13. existens in peccato Mortali creaturam habet pro ultimo fine, in quem ordinatus est libertate propriâ: ratione verò naturæ à Deo conditæ pro ultimo Fine habet Deum, in quem ceu Ultimum Finem ordinatur naturali necessitate. Fundamentutum secundum est. Si 14. enim homo peccaret contra supernaturalia v. g. Fidei vel spei, non autem naturalia præcepta, posset averti à Deo, ut Fine supernaturali, non autem, quà fine naturali: hæ enim duæ Finis Ultimi rationes *virtualiter* distinguuntur in DEO. Unde sicuti ratione Virtualis in Deo distinctionis potest quis peccare contra Deum, quà Bonum, quin peccet contra ipsum quà Verum, uti patet in eo, qui peccat contra charitatem, integrâ manente fide: sic posset quis peccare contra Deum quà Finem supernaturalem, quin contra eundem peccaret quà Finem naturalem. At in tali casu homo haberet Deum Auctorem Naturæ pro ultimo Fine, & præterea alium oppositum Deo auctori supernaturali. Constat igitur, respectu ejusdem voluntatis posse pro uno instanti dari plures Fines ultimos adæquatos diversi tamen ordinis & rationis.

Con-

CONCLUSIO I.

PRima Divi Thomæ *n. 3.* à nobis deducta ratio efficaciter probat, respectu operationum Moralium pro uno eodemque tempore à voluntate elicitarum seu imperatarum non posse dari nisi unum Finem simpliciter Ultimum etiam Materialiter seu individualiter spectatum.

15. Probatur. Nam de ratione Finis ultimi est, esse satiativum & *complete* perfectivum appetitûs. Hæc autem *complete* perfectivi ratio in eo se tenet, quòd omnia alia Bona *quoad æstimationem & appretiationem* Voluntatis subordinentur Bono *perfecti* completivo seu satiativo. At impossibile est, voluntatem eatenus amare duo diversa Bona, ut cuilibet illorm *appretiativè* subordinet omnia alia Bona. In quo adeò sensu accipi potest illud Christi Domini. *Matth. 7. Nemo potest duobus Dominis servire.* Consequens proinde est, fieri non posse, quòd Voluntas rationem Finis *simpliciter* ultimi pro eodem instanti affingat duobus diversis Bonis.

16 Dices. Ethnicos colendo plures Deos, quemlibet *appretiativè* habuisse pro summo Bono, absque subordinatione unius ad alterum. Ergo non repugnare, voluntatem pro uno etiam tempore per summæ appretiationis æstimationem fieri in plura objecta, atque adeò tendere simul in plures Fines, secundùm suam appretiationem simpliciter ultimos.

17. Contra. Nam Ethnici plurium Deorum Cultores vel in uno ponebant omnimodæ perfectionis Bonitatem, vel non. Si prius, tunc consequens est, Deum, qui omnimodæ perfectionis Bonitatem in se continebat, habuisse in se totam illam perfectionem, quæ secundùm pravam ipsorum æstimationem inerat cæteris Dijs. Ex hoc autem infertur, reliquorum Deorum perfectionem *quoad appretiationem voluntatis* fuisse subordinatam illi Deo omnimodæ perfectionis Bonitatem in se continenti. Probatur istud

18. Assumptū. Nam eo ipso, quòd voluntas in aliquo Bono *appretiativè* ponat omnimodæ perfectionis Bonitatem, sequitur, tale Bonum in tantum æstimari à voluntate, ut vi talis æstimationis *virtualiter ac interpretativè* parata sit reliqua omnia deserere. At virtute istius ad omnia reliqua Bona intuitu Boni summè appretiati deserenda affectionis saltem Virtualis Voluntas Bono illi summè appretiato *Interpretativè* ac *æstimativè* subordinat omnia alia Bona. Si proinde Ethnici pluralitatis Deorum cultores unum Deum sub omnimodæ perfectionis Bonitate *appretiativè* habebant tanquàm summum Bonum, atque adeò Finem ultimum, consequens est, reliquos Deos ab ipsis habitos fuisse tanquàm illi Deo *appretiativè* saltem subordinatos. Ergo non nisi unum Deum habebant pro fine Ultimo. Si dicatur posterius, quòd Ethnici nullum ex Dijs à se cultis reputarint pro summo Bono, sed quemlibet coluerint secundùm participatam duntaxat certorum effectuum virtutem effectricem, tunc sequitur, nullum illorum Deorum habitum fuisse pro Fine ultimo. Patet igitur, ex plurium Deorum cultu non inferri, quòd respectu Voluntatis pro uno tempore dari possint plures Fines *simpliciter* ultimi.

Instabis. Ad hoc, ut voluntas in aliquo bono constituat rationem finis *simpliciter* ultimi, non esse necessum, in tali Bono, à voluntate *appretiativè* constitui omnimodæ perfectionis Bonitatem. Probatur istud Assumptum. Nam peccans Mortaliter peccato v. g. luxuriæ, in hujus Delectabilitate *interpretativè* ponit Finem *simpliciter* ultimum. At cùm peccatori ejusmodi præsertim habituato probè notum sit, plura mala istud vitium comitari, nequit *appretiativè* habere libidinis delectabilitatem tanquàm omnis Boni contentivam. Eo ipso verò, quòd talis delectabilitas *quoad voluntatis appretiationem* non sit contentiva omnis Boni, sequitur, cætera Bona ipsi non subordinari *appretiativè*. Falsum igitur est, de ratione Finis *simpliciter* ultimi esse, quòd omnia reliqua Bona ipsi subordinetur *appretiativè*. 19.

Contra. Nam illa appretiativa subordinatio consistit in quadam Eminentiæ æstimabilitate, ratione cujus Bonum summè appretiabile æstimetur præferendum omnibus alijs Bonis. Hæc autem Eminentiæ æstimabilitas non importat formalem, sed Eminentialem omnis Boni continentiam. At hæc ipsa in genere Finis *simpliciter* Ultimi, sive ex vi suæ realis perfectionis, sive ex vi pravæ æstimationis Eminentia Motiva Voluntatis infigit huic pondus, virtute cujus omnia reliqua illi secundùm æstimationem vel veram vel pravam supereminentiali Bonitati postponantur, adeò ut illo æstimationis pondere stante in voluntate, hæc *interpretativè* ac *Virtualiter* parata sit omnia cætera Bona potiùs, quàm illam Eminentialem Bonitatem deserere, imò illo pondere stante, voluntas non possit in sensu Composito affici erga aliud Bonum repugnans illi Eminentiali Bonitati. Etsi proinde luxuriosus probè norit, hujus vitij delectabilitatem comitari privationem multorum Bonorum, illam tamen Delectabilitatem summè æstimatam *appretiativè* habet tanquàm Bonitatem in ratione Causæ *Finaliter* Motivæ Eminenter contentivam omnimodæ Bonitatis, ita ut vi talis æstimationis sit *virtualiter* paratus deserere potius omne aliud Bonum, quàm illam Delectabilitatem. 20.

Urgebis. Fieri posse, ut quis pro uno instanti feratur in duplicis objecti Mortaliter peccaminosi Delectabilitatem. At in qualibet istarum constitui finem *simpliciter* ultimum, imò ipsam rationem Finis Ultimi Deo proprij tunc à Voluntate *Virtualiter* ac *Interpretativè* transferri in illud duplex objectum. Consequens proinde esse, quòd secundùm pravam voluntatis dispositionem possit pro uno instanti dari duplex Finis *simpliciter* ultimus. 21.

Contra. Nam in peccato Mortali distingui debet tum ratio conversionis ad creaturam tanquàm Finem Ultimum, tum ratio aversionis à Deo Fine Ultimo. Atqui ratio aversionis in eo se tenet, quòd, cùm Deus aliquam vel actionem vel abstinentiam ex jure Finis Ultimi exigat à creaturâ rationali, hæc peccando violet jus ultimi Finis. Unde illa ratio aversionis importat Iuris Divini in ultimo Fine radicati violationem seu destructionem Moralem, peccati Mortalis *ut sic Formaliter* constitutivam. At verò Conversio ad creaturam seu ultimum Finem 22.

nem consistit in affectione summè appretiativâ Delectabilitatis creatæ supra Deum. Hæc autem supra Deum summè appretiata Delectabilitas importat quandam convenientiæ Deo adversariæ, homini autem congruæ Bonitatem. At si homo pro uno instanti intendat duo objecta Mortaliter peccaminosa duplicem Delectabilitatis speciem habentia, tunc neutra istarum Delectabilitatum summâ appretiatione concupiscitur, sed licèt utriusque affectio seorsim etiam spectata habeat Formalem à Deo tanquàm Ultimo Fine aversionis rationem, ex ipsis tamen *conjunctim* spectatis, & ut sic relatis ad hominem resultat una tertia hominis plenè satiativa commoditatis & convenientiæ ratio secundùm pravam æstimationem summè appretiabilis. Etsi verò non sit necessum, quòd voluntas illius duplicis peccati mortiferam Delectabilitatem appetens *Formaliter* & *actu* tendat in tertiam ex illis duabus Delectabilitatibus resultantem commoditatem seu congruentiam; Nihilominùs hæc tanquàm Finis *simpliciter* ultimus *Virtualiter* ac *Interpretativè* est hoc ipso volita, quòd ambæ illæ Delectabilitates sint *actu* volitæ cum juris Divini in Ultimo Fine radicati destructione morali. Constat igitur, ne in illo quidem casu, quo quis duplicis objecti Mortaliter peccaminosi Delectabilitatem intendit, dari respectu voluntatis duos Fines *simpliciter* ultimos etiam *Materialiter* consideratos, siquidem voluntas nequeat in duobus bonis constituere appretiabilitatem sub ratione *Finaliter* motivâ omnis Boni sibi subordinantem.

CONCLUSIO II.

23. Secunda Divi Thomæ *h. 3.* deducta ratio efficaciter probat voluntatis sub potentiæ universaliter appetitivæ ratione consideratæ Finem simpliciter Ultimum esse unum *Formaliter*, non autem *Materialiter*.

Probatur. Nam ratio Finis ultimi *Formaliter* est Bonitas quà voluntatis satiativa, & *completè* perfectiva. Hæc autem adæquat totam intrinsecam voluntatis proportionem, atque commensurationem. Unde ad hanc se habet tanquàm ratio Formalis objectiva *Finaliter* Motiva & *secundùm Quartum perseitatis modum Essentialiter* specificativa. At verò ratio ejusmodi specificativa *in Quarto Perseitatis modo* se habet ad voluntatem, tanquàm ipsius Formale, atque adeò Naturale Principium, non quidem *Intrinsecè*, sed *Extrinsecè* specificans. Eoipso autem, quòd Natura sive Essentia cujusque rei sit determinata ad unum, oportet, Principium Naturale *in Quarto perseitatis modo* specificativum, & ut sic *Naturaliter* Motivum voluntatis esse unum. Consequens igitur est, Finem ultimum *Formaliter* consideratum esse unum.

24. Dices. Ultimum Finem *Formaliter* spectatum esse quoddam lumen objectivum sub ratione Numinis super omnia appretiabilis à naturâ inditum menti rationali, ac relucens in omni morali actione, *veluti 1. p. q. 1. a. 1. cont. 4. demonstratum est.* At istud Numen non esse *Naturaliter* motivum Voluntatis. Falsum igitur esse, quòd ratio Finis ultimi *Formaliter* spectata sit voluntatis principium *Naturaliter* motivum.

Contra. Nam illud objectivum sub ratione 25. Numinis super omnia appretiabilis in mente rationali repræsentatum lumen vel potest considerari *abstractè & Formaliter*, seu *Concretè & Materialiter*. At licèt ratio Formalis illius Numinis realiter non inexistat, nisi Deo vero, ut adeò à parte rei sit unicus Finis ultimus etiam *Materialiter* spectatus, *veluti sequenti Cont. probabitur.* Ni- 26. hilominùs secundùm pravæ dispositionis æstimationem illa super omnia appretiabilis Numinis ratio transfertur quandoque in creaturam. Illa ipsa verò Numinis Divini Deo realiter inexistentis *intuitivè* repræsentata ratio eatenus est adæquans completam Voluntatis commensurationem, ut eam necessariò trahat ad sui amorem, nec adeò respectu talis Voluntatis admittat aliud Principium *Ultimatè* Motivum. Unde verificatur, respectu voluntatis per Dei intuitivam visionem illustratam Finem Ultimum esse unicum non tantùm *Formaliter*, sed *Materialiter*. Nihilominùs quia illa ipsa Numinis Divini seu Boni perfecti Deo inexistens ratio non *Intuitivè* prout est in se, sed secundum imperfectam duntaxat ex creatis formis abstractam intelligibilitatem *Connaturaliter* repræsentatur voluntati creatæ; Idcirco istius Commensuratio & proportio non simpliciter coæquatur ex Boni Increati amore, potestque adeò in tantum converti ad Bonum creatum, ut huic *Appretiativè* affingat Boni *completè* perfectivi speciem ac Formalitatem.

At verò quia hæc ipsa Bono creato *appretiativè* afficta Bonitas *completè* satiativa ex *parte Materialis, ipsius etiam Dei* plures importat cum Naturâ, vel quà rationali, vel quà sensitivâ, sive veras, sive fictas inconvenientias, idcircò nullus finis ultimus *Materialiter* spectatus est *Naturaliter* motivus, atque voluntatis secundum universalitatis suæ proportionem & adæquationem consideratæ specificativus.

Secus autem est de Fine ultimo *Formaliter* 27. spectato. Probatur istud Assumptum. Nam potentiæ intentionalis Motivum connaturale est id, quod ejusdem est Principium quasi formale non quidem intrinsecum in primo modo Dicendi per se, sed extrinsecum in Quarto perseitatis modo specificativum. Atqui commensurationis ac proportionis voluntati Essentialis in Quarto perseitatis modo specificativum est Bonum ut sic *formaliter* sub ratione Boni spectatum. Ejusmodi verò ratio Boni abstractè sumpta intelligitur ut præcisa ab omni malitiæ commixtione, Atqui malitiæ cum Bono commixtio est per immersionem potentialitatis. Unde Bonitas ut præcisa ab omni malitiæ commixtione importat Formalem ab omnimodæ potentialitatis immersione abstractionem. Ex hâc autem abstractione eatenus habetur ratio Bonitatis quà Divinæ, ut per omnimodam à malitiæ comixtione præcisionem habeatur ultimi Finis ratio Formalis. Cùm igitur Bonitas ab omnimodæ malitiæ commixtione abstracta sit Naturaliter motiva voluntatis utpote ejus commensurationem ac proportionem adæquans per modum Principij Formalis Extrinsecè & in Quarto perseitatis modo specificativi; Ejusmodi verò specificativum Formale non possit esse nisi unum, consequens

est,

est, dari unicum Finem Ultimum formaliter spectatum.

28. Instabis. Formale Voluntatis specificativum debet respectu omnium potentiæ Volitivæ actuum sub ratione suâ genericâ consideratorum se habere per modum objecti Formalis *immediatè* attacti. At licèt omnis actus voluntatis *virtualiter* ac *mediatè* tendat in Formalem Ultimi Finis rationem, attamen hæc Formalis ultimi finis seu Boni ab omni malitiæ commixtione, atque adeò immersione potentialitatis abstracta ratio non attingitur *Formaliter* ac *immediatè* ab actibus virtutum moralium. Falsum igitur est, quòd Formalis ratio ultimi Finis prout dicit rationem Boni ab omnimodæ potentialitatis, atque adeò malitiæ immersione seu commixtione *Formaliter* abstractam esse voluntatis creatæ specificativum Formale.

29. Contra. Nam sicuti ratio Veri ut sic est Principium *Quasi formale* Intellectûs *Extrinsecè* specificativû, sic ad voluntatem se habet ratio Boni. At ratio Veri eatenus est specificativa intellectûs, ut nulla Formalitas sit per se intelligibilis, nisi vel prout est ipsa Veritas, vel prout habet in se *Formaliter* participatam Veritatem. Pari ergo ratione nihil per modum objecti per se appetibilis referri potest ad Voluntatem, nisi sit ipsa Bonitatis Formalis ratio, vel istam habeat in se *Formaliter* participatam. Est autem istud discrimen inter ipsam formalem Bonitatis ut sic rationem, & inter Bonitatem non nisi cum immersione potentialitatis, atque adeò malitiæ commixtione participatam, quòd ista non sit adæquans commensurationem voluntatis, sitque adeò sub hujus vi Dominativâ ac liberè Electivâ: illa verò universalem potentiæ volitivæ proportionem adæquans sit Naturaliter ejus motiva, ejusque commensurationis intrinsecæ *in Quarto perseitatis modo* eatenus specificativa, ut consequenter nullus sit voluntatis actus possibilis, nisi sub intrinsecâ ad Formalem Bonitatis, ut sic ab omnimodâ potentialitate abstractæ, vel secundùm proportionalitatis analogiam *intrinsecè* participatæ rationem. Etsi proinde verum sit, quòd aliqui voluntatis actus non *immediatè* ac *Formaliter* attingant Formalem Bonitatis ab omnimodâ potentialitate abstractæ rationem, attamen ex Essentiali suâ genericâ quidditate debent *immediatè* per modum objecti Formalis attingere saltem participatam Bonitatem, in quâ illa Formalis Bonitatis abstracta ratio secundùm analogiam proportionalitatis *intrinsecè* reluceat. At verò ad hoc, ut illa Bonitatis ab omni potentialitate *Formaliter* abstracta ratio sit Formale voluntatis *in Quarto perseitatis modo* specificativum, sufficit, omnem voluntatis actum habere Essentialem tendentiam ad Bonitatis illius formalitatem saltem participatam.

30. Probatur istud assumptum. Nam illud Principium *Quodlibet est, vel non est*, est Intellectûs commensurationem adæquans, ejusque adeò proportionis intrinsecæ *in Quarto perseitatis modo Formaliter* Determinativum, licèt aliqui potentiæ Intellectricis actus illud Principium non attingant *immediatè* in signatâ ipsius Intelligibilitate, sed in aliquâ veritate *intrinsecè* participante illius Principij Intelligibitatem ac Veritatem. Pariter ergo dicendum est, Bonitatis ab omnimodæ malitiæ commixtione *Formaliter* abstractæ rationem ut sic esse intrinsecæ voluntatis commensurationis & proportionis *in Quarto perseitatis modo* specificativum formale, licèt Bonitas illa non *immediatè* in se ipsâ, sed in aliquâ sui participatione intrinsecâ attingatur à quibusdam voluntatis creatæ actibus. Cùm proinde ratio potentiæ volitivæ *in Quarto perseitatis modo Essentialiter* specificativa sit ejus Principium *Quasi Formale*, *Naturaliter* licèt *Extrinsecè* Motivum, Principium autem *Naturaliter* Motivum ex intrinsecâ naturæ ad unum determinatione oporteat esse unum. Illud verò voluntatis specificativum formale sit ratio Bonitatis ut sic: Hæc autem *simpliciter* & *absolutè* spectata sit Bonitas ab omni malitiæ commixtione, atque adeò potentialitatis imersione Formaliter abstracta. Ista verò sit Finis ultimi Formalis ratio per modum cujusdam Numinis super omnia appretiabilis *naturaliter* repræsentata in mente rationali; consequens est, Finem ultimum *Formaliter* spectatum esse omninò unum.

Conclusio III.

Tertia Divi Thomæ *n. 4.* deducta ratio efficaciter probat, respectu operationum moralium sub unâ genericâ moralitatis ratione consideratarum Finem ultimum *Formaliter* spectatum esse omninò unum tanquàm Formale illius Genericæ formalitatis specificativum.

Probatur. Nam idem est specificativum formale potentiæ intentionalis secundùm differentiam suam specificam spectatæ, ejusque actionum secundùm genericam rationem consideratorum. At potentiæ volitivæ ut sic specificativum Formale est finis ultimus formalis spectatus secundùm Bonitatis vel *simpliciter* in ipso subsistentis, vel in aliquo fine intermedio *intrinsecè* participatæ rationem. Minor patet ex dictis *praced. concl.* probaturque sequenti argumento. 31.

32. Nam potentiæ volitivæ *Formaliter* distinctiva ratio importat vim quandam vitalis tendentiæ in Bonum per se appetibile sub Formalis convenientiæ & ad appetentem proportionis ratione à prævià intellectûs cognitione repræsentatum. At Bonitas per se appetibilis sub ejusmodi formali convenientiæ ac proportionis ratione per intellectum repræsentata habet *Formaliter* rationem finis. Unde ratio finis *formaliter* spectata est potentiæ volitivæ Formale *in Quarto perseitatis modo* specificativum. At verò Moralitatis ratio in actibus voluntatis Essentialiter importat rationem vitalis tendentiæ in Finem *Formaliter* spectatum. Est autem Moralitas generica ratio actuum voluntatis spectatorum sub illâ formali ratione, secundùm quam commensurantur ad potentiam volitivam sub ratione suâ specificâ consideratam. Constat igitur, rationem Genericam actuum voluntatis quà Moralium respicere Formalem Finis rationem quà *Formaliter* Motivam, & *in Quarto perseitatis modo* specificativam. Atqui ratio Finis ut sic importat vel Bonitatem *simpliciter* subsistentem ultimi Finis propriam; vel participatam *intrinsecè* in fine aliquo intermedio. Consequens

quens proinde est, Bonitatem Finis ultimi, vel qua *Formaliter* in hoc subsistentem, vel qua in fine intermedio *intrinsecè* participatam esse actuum voluntatis sub genericâ Moralitatis ratione consideratorum Formale specificativum.

53. Dices. Ratio objectiva specificans actum voluntatis specificum nequit esse specificativa genericæ omnium voluntatis actuum Formalitatis. Atqui Bonitas ultimi finis est ut sic specificans actum voluntatis specificum.

Contra. Nam Bonitas ultimi Finis multipliciter potest considerari. 1. *Concretè*, prout in se ipsâ actualissimè subsistens sub formalitate Bonitatis super omnia appretiabilis est Terminativa actûs amoris Dei. Sub quâ proinde formalitate Bonitas ultimi Finis est specificativa actûs specifici voluntatis. 2. Bonitas ultimi Finis etiam *Concretè* spectari potest, prout est *intrinsecè* participata in finibus intermedijs. Ut sic autem diversas habere potest species, easque creatas Formalitates actuum ad diversas virtutes morales pertinentium Terminativas. 3. *Abstractè* considerari potest ratio ultimi Finis secundùm abstractionem Formalem. Hæc autem abstractio omnem malitiæ commixtionem, atque adeò potentialitatis immersionem *Formaliter* separans à Bonitate, est hujus repræsentativa sub purissimæ, atque adeò actualissimæ super omnia appetibilis amabilitatis. Unde sub tali Formali ultimi Finis abstractione re ipsâ repræsentatur Bonitas Divina, actûs amoris Dei ut sic *Formaliter* Terminativa. 4. *Abstractè* spectari potest ratio ultimi Finis secundum universalitatem analogicam; prout sub conceptu aliquo confuso repræsentatur ultimi Finis Bonitas, vel prout est *Formaliter* in se ipsâ, vel prout *intrinsecè* est participata in finibus intermedijs. Ut sic autem potest ultimi finis Bonitas se habere tanquàm Terminus Genericæ Moralium voluntatis actuum rationis specificativus.

54. Instabis. Bonitas ultimi Finis sub illo confuso conceptu secundùm analogicam universalitatem spectata potest etiam esse Terminativa alicujus realis actûs voluntatis. Atqui omnis actus realiter existens est individuus, atque adeò specificus. Ergo sub illo etiam *analogicæ* communitatis confuso objectivo conceptu ratio finis ultimi est specificativa alicujus specifici voluntatis actûs.

55. Contra. Nam ille *analogicæ* universalitatis conceptus objectivus spectari potest vel quatenus repræsentatur sub quâdam formalitate *analogicè* unâ. Ut sic autem verum est, posse actûs specifici voluntatis esse Terminativum. Vel conceptus objectivus *analogicè* unus considerari potest quà resolubilis in sua analogata, Bonitatis scilicet in Ultimo fine *actualissimè* subsistentis, nec non Bonitatis in finibus intermedijs *intrinsecè* participatæ. Ut sic autem se habet tanquàm specificativum moralitatis secundum Genericam suam rationem spectatæ. Constat igitur, ultimum Finem esse aliquo modo Principium *in Quarto perseitatis modo Extrinsecè* specificativum actuum voluntatis sub genericâ Moralitatis ratione consideratorum.

***

Responsio ad opposita Fundamenta.

Ad primum ex parte Suarezij *n. 6.* oppositum Respondetur. Aliud esse, si loquamur de fine Ultimo, prout comparatur ad determinatam artis alicujus, vel negotij intentionem; aliud verò esse, si sermo sit de Fine ultimo, prout ad universalem Moralitatis, voluntatem quà *Formaliter* vel *Eminenter* liberam omnino adæquantis lineam comparatur. Etsi verò loquendo *comparatè* ad determinatam ex intrinsecâ alicujus artis seu actionis naturâ coarctatam intentionem possint dari plures fines *Negativè* ultimi, utpote secundùm restrictas actionum naturas ulterius non referibiles. Verum quia Moralitas est ratio quædam generica universalem voluntatis virtutem suâ commensuratione adæquans, ejusmodi vero universalis virtus per naturam suam ordinatur in Finem, non tantùm *secundùm Quid*, sed *simpliciter* in universo appetibilitatis genere Ultimum: idcirco repugnare, in lineâ Moralitatis plures Fines *Negativè* ultimos, siquidem in hâc lineâ debeat omnis voluntatis actio vel sistere in fine *simpliciter* ultimo, vel saltem *virtualiter* esse ordinata in finem *simpliciter* ultimum. 36.

Ad secundum ex parte Suarezij *n. 7.* oppositum fundamentum Respondetur. Peccati venialis objectum spectari posse tum *Materialiter* secundùm intrinsecam Entitatis suæ *Formaliter* inexistentem Delectabilitatis Naturalis Bonitatem: tum *Formaliter* secundùm rectitudinis moralis in illius objecti Delectabilitate radicatam privationem. At licet peccati Venialis objectum *Formaliter* spectatum non sit referibile in finem Ultimum, non tamen habet ut sic aliquam etiam naturalem Bonitatem per se appetibilem. Unde nequit ut sic habere rationem Finis *Negativè* ultimi. Verùm si objectum illud spectetur *Materialiter* ac *Entitativè*, tunc habet rationem Finis duntaxat intermedij, non verò Ultimi etiam *Negativè*. Probatur istud Assumptum. Nam Finis est eo ipso intermedius, si ejus appetitio importet virtualem saltem ordinationem ad Finem ulteriorem. At ista Virtualis ordinatio in eo sita est, quòd, cùm objectum concupitum ex se non sit satiativum voluntatis, in hâc relinquatur pondus quoddam innatum inclinans ad Finem ulteriorem. Eo ipso autem, quòd peccati Venialis objectum vi suæ Bonitatis non sit plenè satiativum voluntatis, in hâc oportet manere illud pondus cum aliquali innatâ inquietudine inclinativum ad finem ulteriorem. Cum igitur peccati venialis objectum habeat rationem Finis duntaxat intermedij, nequit in lineâ Moralitatis *absolutè* ac *simpliciter* spectatæ esse Finis ultimus etiam *Negativè*. 37.

38.

Ad tertium ex parte Suarezij *n. 8.* propositum fundamentum Respondetur. Eo efficaciter probari, duplicis pro uno voluntatis instanti Finis Ultimi repugnantiam. 39.

Ad Arriagæ *n. 9.* oppositum Fundamentum Respondetur. Id omnino esse falsum. Nam ex terminis notum est, voluntatem non satiari, dum in ipsâ superest pondus aliquod innatæ suæ inclinationis quodammodò inquietativum. At eo ipso, quòd voluntas sit potentia suæ naturæ commensuratione intrinsecâ complectens

Bonum

Bonum universum, oportet in ipsâ remanere aliquod inquietudinis pondus, quamdiu non est infixa Bono omnis Bonitatis *Emmenter* vel *Formaliter* contentivo. Eo ipso autem, quòd essent duo Bona voluntatis satiativa, neutrum ipsorum esset *Formaliter* vel *Eminenter* contentivum alterius Boni, sed unum esset alterius per realem distinctionem *intrinsecè* exclusivum. Repugnat igitur, respectu voluntatis dari, vel etiam fingi duo Bona voluntatis eatenus satiativa, ut voluntatis innatæ inclinationis pondus intrinsecum omninò ac plenè quiescat. Etsi proinde Chimærica hujus duplicis Boni plenè satiativi fictio fieret, non posset tamen habere vim ponderis voluntati innati satiativam.

40. Ad Primum Andreæ Lao *n. 10.* propositum Fundamentum Respondetur. Id omninò nobis probari. Nam quia finis ultimus in ratione suæ super omnia appretiabilitatis est *Formaliter* vel *Eminenter* contentivus omnis Bonitatis, consequens est, non esse intelligibilem Finem ultimum sine Eminentiali omnis alterius Boni continentiâ, atque adeò intrinsecâ ad se subordinatione. At implicat, dari duos Fines omnis Boni *Eminenter* contentivos, ac universorum à se distinctorum Bonorum ad se *intrinsecè* subordinativos. Efficaciter igitur ex illo Andreæ Lao fundamento demonstratur; non posse pro uno saltem voluntatis instanti dari, nisi unicum finem *simpliciter* ultimum.

41. Ad secundum Andreæ Lao *n. 11.* propositum Fundamentum Respondetur. Id sub sequenti saltem expositione videri nobis omninò efficax. Etenim omnia non quidem *Formaliter* ac *Explicitè*, sed *virtualiter* ac *implicitè* debent referri ad finem ultimum. Hæc autem virtualis relatio in eo se tenet, quòd finis ultimus sub summâ sui appretiabilitate amatus ex vi talis amoris in se *æstimativè* seu *appretiativè* habeat omnimodæ Bonitatis Eminentialem continentiam. At vi talis appretiationis fit, non posse fieri aliquam extra Finem ultimum Bonitatem amari nisi cū virtuali Ordine ad Finem ultimum. Constat proinde, rationem Finis ultimi non admittere extra se Finem ulterius non referibilem, atque adeò *Negativè* sive *secundùm Quid* ultimum, nisi *Comparativè* ac *respectivè* loquendo in ordine ad unam determinatam ex actionis alicujus naturâ intrinsecâ coarctatam intentionem.

42. Ad tertium Andreæ Lao *n. 12.* oppositum Fundamentum Respondetur. Casu, quo peccans Mortaliter eodem instanti facit Eleemosynam, ex parte operis virtuosi fieri virtualem in Deum ceu Finem ultimum relationem, ex parte tamen operantis per affectum mortaliter peccaminosum totam illam Finis ultimi rationem ex Deo transferri in objectum peccaminosum. Unde adhuc verificari, quod pro illo instanti respectu operantis detur unicus Finis ultimus etiam *Materialiter* spectatus. Probatur tam antecedens, quàm

43. consequentia. Nam virtuosus actus eleemosynæ *virtualiter* refertur in Deum, quatenus appetitus voluntatis ex eleemosynæ morali honestate necdum plenè satiatus non quidem *expressè* & in *actu signato*, sed *exercitè* habet pondus *intrinsecè* inclinativum ad Numen quoddam sub ratione Boni super omnia appretiabilis in mente rationali pro instanti præsertim actionis morali illustratum. Hoc autem Numen est realiter ipse Deus. Unde verum est, quòd pro illo instanti virtuosus eleemosynæ actus *virtualiter* ac *exercitè* referatur in Deum. Nihilominùs ab ipso Deo pro illo instanti aufert voluntas rationem ultimi Finis, eamque transfert in Bonum creatum. Probatur hoc assumptum. Quia Deus est ultimus finis, quatenus habet rationm Boni super omnia appretiabilis. At ista ratio Boni per affectū mortaliter peccaminosum transfertur in Bonum creatum; *veluti infra cont. 5 ostendetur.* Etsi proinde actus eleemosynæ peccato mortali pro illo instanti conjunctus *Exercitè* ac *virtualiter* referatur in ultimum finem, ille tamen actus quà virtuosus in suâ specie omnino perficitur per virtualem sui ad Deum relationem, nec opus est, Deum sub ratione finis ultimi *signatè* intendi per illum virtutis actum: aliunde verò per affectum lethaliter peccaminosum pro eodem instanti ratio finis ultimi *Moraliter* & *affectivè* aufertur à Deo, & transfertur in objectum creatum. Ergo pro tunc respectu voluntatis operantis manet unicus finis ultimus etiam *materialiter* & *individualiter* spectatus. 44.

Ad 1. Serræ *n. 13.* Oppositum fundamentum Respondetur. Pro illo casu rationem finis ultimi, in quem creatura rationalis naturali necessitate ordinatur, ex vi affectûs mortaliter peccaminosi *Moraliter* & *affectivè* ex Deo transferri in Bonum creatum. Ergo etiam pro tunc manere unicum finem ultimum. 45.

Ad 2. Serræ *n. 14.* Oppositum fundamentum Respondetur. Eo ipso, quòd ultimi finis ratio formalis sub Eminentialis super omnia appretiabilitatis formalitate sit omnino indivisibilis, non posse lethaliter peccari contra Deum qua finem supernaturalem, quin ultimi finis etiam quà Naturalis ratio *affectuosè* ac *Moraliter* transferatur in Bonū creatum. Unde licèt ratione virtualis inter Bonitatem & veritatem divinā distinctionis, fide manente integrâ, peccari possit contra Deum quà Bonum, non autem quà Verum: eo ipso tamen, quòd indivisibilitas ultimi finis non admittat, quin in Deo quà fine supernaturali sub unâ *formaliter* indivisibili ultimi finis ratione includatur formalitas finis Naturalis, consequens est: non posse dari casum, in quo voluntas circa Deum quà authorem tum Naturalem, tum supernaturalem intendat duplicem finis Ultimi rationem. 46.

CONTROVERSIA III.

An & quomodo quælibet hominis actio deliberata sit propter Finem ultimum?

Doctor Angelicus *hic art. 6.* hominem, quæcunque vult, velle propter ultimum finem, probat duplici argumento. Primum est. Quidquid enim appetit homo, appetit sub ratione Boni. At si istud non sit perfectum, necessariò appetitur ut tendens in Bonum perfectum, quod est finis: inchoatio enim perfectionis ordinatur in perfectionem consummatam. Cùm igitur omne id, quod appetitur, necesse sit appeti vel ut Bonum perfectum, vel ut tendens ad consummationem Boni perfe- 1.

perfecti, consequens est, omnia, quæ appetit homo, appeti propter Bonum perfectum tanquàm ultimum finem.

2\. Secundum argumentum sic se habet. Nam ultimus finis se habet in movendo appetitum, sicut in alijs motionibus se habet primum Movens. At Causæ secundæ Moventes non movent, nisi secundùm quod moventur à Primo Movente. Oportet igitur, secunda appetibilia non movere appetitum nisi in ordine ad primum appetibile, quod est ultimus finis.

3\. Ex cujus duplicis rationis alterâ, eâque primâ videtur evinci, quòd omnis actio hominis deliberata saltem virtualiter sit propter ultimum finem. Ex alterâ verò, eâque secundâ ratione videtur probari, quòd actio ejusmodi sit *formaliter* propter finem ultimum. Unde oritur difficultas: *Qualiter hæc Formalis vel Virtualis omnium humanorum actuum in Finem ultimum ordinatio subsistat?*

Referuntur Sententiæ.

4\. Scotus in *4. dist. 44. q. 10. n. 15.* docet, posse nos velle aliqua non propter Beatitudinem tum *Negativè*, id est non cogitando de eâ, ac etiam non propter eam: tum *contrariè*, id est advertendo, quæ volumus esse contra eam. Fundamentum est. Tum quia Intellectus aliud potest intelligere vel cogitare, quàm Beatitudinem, quando voluntas illud vult. Tum quia Intellectus potest cognoscere rationem illam Boni, non ut ad finem ordinatur, sed ut in se est quoddam Bonum, & sic voluntas potest ipsum velle non in ordine ad Beatitudinem. Tum quia aliquis fidelis apprehendens finem, apprehendit certitudinaliter esse Beatitudinem in Deo Trino & Uno. Similiter autem apprehendit fornicationem ut impossibilem ordinari ad finem illum: sed dictante intellectu, quòd fornicatio non est ordinabilis ad illum finem, qui est beatitudo, imò quòd est contraria fini, tamen voluntas eligit fornicationem. Ergo non tantùm *Negativè*, sed etiam *Contrariè* potest voluntas non agere propter Beatitudinem seu finem ultimum.

5\. Cajetanus *1. p. q. 82. a. 2 dub. 2.* Medina *præs. art. 6. concl. 1.* Vasquez *hic disp. 2. cap. 2.* Valentia *disp. 1. q. 1. punc. 4. & 5.* Salas *tract. 1 disp. 2. sect. 5. n. 54.* Tannerus *disp. 1. dub. 4. assert. 4.* Oviedo *hic cont. 1. punc. 2. n. 9.* Amicus *disp. 2. sect. 1. n. 10.* Curiel *præs. art. 6. dub. unico §. 2.* Andreas Lao *hic dub. 1.* Serra *eod. art. 6.* docent, in omni actione deliberatâ agere hominem propter ultimum finem saltem *abstractè* & *formaliter* spectatum. Fundamentum à Vasque citato deductum est. Omnia enim, quæ appetimus, solùm appetimus sub ratione Boni. At omnia hoc ipso, quòd Bona sunt, suapte naturâ videntur ordinata ad Beatitudinem. Probatur ista Minor. Nam licèt non omnia Bona appetibilia ordinentur ad veram Beatitudinem; multa enim huic sunt contraria. Nihilominùs in omnibus Bonis participatione quâdam includitur affectus Beatitudinis. Est enim affectus Beatitudinis habere omne Bonum, & carere omni malo. At desiderio cujusque rei, quam appetimus, desideramus habere aliquod bonum & carere aliquo malo, & ita requiem invenire. At hæc veluti pars est Beatitudinis in universum consideratæ. Consequens proinde est, nos omnia appetere propter Beatitudinem, etiam appetendo id, quod peccatum est. In quo sensu Divus Augustinus *13. de Trinit. cap. 3.* ait: *Quidquid enim aliud quisque latenter velit; ab hac voluntate*: (scilicet Beatitudinis) *quæ omnibus hominibus nota est, non recedit.*

Ioannes à Sancto Thomâ *cit. disp. 1. a. 6.* illi sententiæ eatenus accedit *n. 16.* asserendo, omnes actiones humanas & à voluntate procedentes esse propter aliquem ultimum finem *Explicitè* vel *Implicitè* volitum, qui saltem respectu Operis sit ultimus: ut idem tamen author *n. 32.* dicat, ad actionis alicujus in ultimū finem ordinationem ejusque ab ultimi finis finalizatione dependentiam non esse necessariam actualem relationem, sed sufficere virtualem. Fundamentum est. Nam triplex actionis alicujus est in finem relatio scilicet Formalis, Virtualis & Habitualis. Est autem formalis & actualis sive expressa in finem relatio, quando ex intentione actu existente erga finem derivatur electio, seu volitio eorum, quæ sunt ad finem. Virtualis verò ad finem ordinatio præsupponit intentionem & cognitionem finis nō revocatā contrariâ intentione, sed continuatam in suo effectu vel virtute, quâ mediante influit in actionem relatam ad finem. Habitualis denique relatio præsupponit quidem intentionem finis non revocatam, ut tamen ad actionem in finem taliter ordinatam se habeat merè *Concomitanter*, absque aliquo sui in illam influxu etiam mediato. At verò ut actio aliqua sit propter finem Ultimum, debet iste Finalizationis influxum exercere erga illam. Hic autem influxus nequit esse vi intentionis præteritæ, nisi maneat in aliquo suo effectu ac virtute, quâ mediante illa intentio sit influens. At intentio manens in aliquo effectu seu virtute à se relictâ est Virtualis, non autem merè Habitualis. Nequit ergo ad hoc, ut actio aliqua sit propter finem, sufficere habitualis in finem relatio, sed requiritur vel actualis vel virtualis. 6.

Ildephonsus Baptista *hic disp. 16. n. 24. 29. 42. & 93.* docet 1. Quòd omnem volitionem particularem moralem ad minus debeat præcedere in priori naturæ volitio implicita seu Exercita finis ultimi formalis, seu Boni perfecti sive Beatitudinis in communi. 2. Quòd in principio usûs rationis, quando homo incipit humano modo operari, primus actus formalis & explicitus sit circa Bonum perfectum, seu Beatitudinem, atque finem Ultimum in communi, cujusmodi volitio explicita finis ultimi tempore præcedat omnes alias volitiones in decursu vitæ habendas. 3. Quòd probabile sit, volitionem formalem & explicitam finis ultimi in communi præcedere, quoties de novo incipit operari. Hinc 4. probabile esse, quòd omnis actus voluntatis si non *Expressè* sit propter ultimum finem in communi, ad minus *virtualiter* sit propter ipsum in virtute præcedentis actûs formalis, quo talis finis fuerit *Expressè* & *Formaliter* volitus saltem in principio usûs rationis. 7.

8\. Fundamentum Primi est. Quia omnis causa in quantum talis præcedit saltem naturâ suum effectum. At ultimus finis est causa finalis cujuscumque actûs Voluntatis circa Bonum particulare. Nequit autem Ultimus finis esse finalis causa actuum voluntatis, nisi illius intentio istos naturâ præcedat. Hæc verò naturæ prioritas non debet necessariò esse formalis, sed sufficit interpre-

terpretativa in eo ſe tenens, quòd, cùm intentio Ultimi finis conſideretur quaſi imbibita in omni actu voluntatis circa Bonum particulare verſante, concipiatur cum fundamento in re naturâ prior actu ejuſmodi, ſicuti etiam finis ex naturâ ſuâ eſt prior medijs. Conſtat proinde, quòd omnem particularem volitionem moralem in priori naturæ debeat præcedere implicita Ultimi finis intentio.

9. Fundamentum ſecundi eſt. In actibus voluntatis, ne detur proceſſus in infinitum, devenire debet ad aliquem primum actum, in quo Voluntas non ſe moveat, ſed moveatur ab auctore naturæ. ex D. Thoma *infra q. 9. a. 4.* Ergo voluntas in primo actu ſimpliciter poſt uſum rationis, imò & in omni primo actu, in quo de novo incipit operari, operatur ut natura & ut mota ſcilicet ab authore naturę. Atqui Cauſę univerſali debet reſpondere effectus univerſalis, Primoque Principio reſpondere debet finis ultimus. Cùm igitur Deus ſpecialiter moveat voluntatem ad illam operationem, ſequitur, quòd illa operatio ad rationem ultimi finis *formaliter* in communi ſpectatam de neceſſitate terminetur.

10. Fundamentum Tertij eſt. Tum quia in voluntate eſt naturalis inclinatio innata ad Beatitudinem potiùs, quàm ad bona particularia; Ergo debet priùs prorumpere in actum formalem circa Beatitudinem, quàm exeat in actum formalem circa bona particularia. Tum quia Sanctus Thomas *præs. a. 6. ad 3.* ait: *Non oportere, ut ſemper aliquis cogitet de ultimo Fine, quandocumque aliquid appetit, vel operatur, ſed virtutem primæ intentionis, quæ eſt reſpectu ultimi Finis, manere in quolibet appetitu cujuſcumque rei, etiamſi de ultimo Fine actu non cogitetur, ſicuti non oportere, quòd, qui vadit per viam, in quolibet paſſu*

11. *cogitet de Fine.* Fundamentum Quarti eſt. Omnem enim actum voluntatis circa Bonum particulare præcedit volitio formalis & Explicita finis ultimi in communi, ſeu Beatitudinis habita ſaltem in principio uſûs rationis; *veluti ſupra demonſtratum eſt.* At virtus illius actûs manet per totam vitam, ita ut ratione illius fiant omnes electiones bonorum. Minor iſta probatur. Tunc enim cenſetur manere virtus præcedentis intentionis, quando virtus ejuſmodi conſervatur in aliquibus medijs; ſic enim ſi quis determinat ire Hieroſolymam ad ſanctum Sepulchrum, tunc omnia, quæ fiunt in ordine ad iſtum terminum, ſunt propter illum finem *virtualiter*, etiamſi nihil cogitet ampliùs de illo fine, eò quòd virtus illius intentionis maneat in medijs. At virtus intentionis formalis circa Ultimum finem in communi ſemper manet in medijs electis per totam vitam. Minor hæc probatur. Nam virtus illius volitionis, quâ voluit homo formaliter finem ultimum in communi, eligit primum bonum particulare, quod tunc proximè ſe offert, eò quòd conſonum eſt ad illum finem, bona enim particularia conducunt ad felicitatem *Partialiter*, licèt illam non adæquent. Manet ergo virtus illius finis in primo medio. Deinde cum vult ſecundum Bonum particulare, eodem modo conducit ad illum finem. Ergo ſimiliter in illo manet illa virtus, & ſic de reliquis. Ergo manet per totam vitam, & tranſit de uno medio, & conſervatur in alio, & ſic ſemper conſervatur.

12. Suarez *præs. diſp. 3. ſect. 1. n. 4.* tenet, non eſſe neceſſe, ut omnis homo, quando primò operatur, intendat propriâ & formali intentione elicitâ aliquem finem ultimum ſimpliciter, in quem ſe & omnia ſua referat. Fundamentum eſt. Quia talis intentio neque eſt *abſolutè* neceſſaria, neque ad alias operationes. Probatur illud aſſumptum. Tum quia omnis intentio voluntatis in viâ eſt libera ſaltem *quoad exercitium*, vel etiam *quoad ſpecificationem*, ſi ſit de re aliquâ determinatâ. Tum quia ad operationes morales ſufficit intentio particularis finis, qui propriè intendatur, & ſit ultimus tantùm *ſecundum quid*, & *Negativè*. Unde quando homo pervenit ad uſum rationis, poteſt inchoare operationes ſuas morales à particularibus objectis, v. g. intendendo honorem, ſalutem, vel quid ſimile, prius quàm tractet de Ultimo fine *ſimpliciter*, & propter illos fines poteſt liberè eligere & operari, ita ut ne quidem *interpretativè* intendere debeat finem illum particularem, tanquam finem ultimum *ſimpliciter* & *poſitivè*.

Cui doctrinæ non ſatis conformiter Suarezius *Metaph. diſp. 24. n. 15.* docuerat 1. agentium ſecundorum actiones, quatenus ab ipſis ſunt propter finem, non ſemper cauſari *Finaliter immediatè* ab ultimo fine *immediatione ſuppoſiti*, id eſt per ſe ipſum, & per Bonitatem ſuam *Finaliter* influentem in agentium ſecundorum actiones 2. *Virtualiter* tamen dici poſſe ultimum finem movere ſemper hujuſmodi agentia, quia ſemper moventur ab aliquo bono ſub ratione Boni, quod in quantum eſt participatio ſummi Boni, cenſetur in virtute illius movere. Fundamentum Primi eſt. Quia finis ultimus in ſe ipſo cogitatus non ſemper movet agẽtia ſecunda, quando propter aliquem finem particularem operantur. Fundamentum ſecundi eſt. Quia appetendo partem boni, virtute cenſetur quis magis amare totius Boni complementum. In quo adeò ſenſu accipiendus eſt Divus Thomas *cit. a. 6. ad 3.* aſſerens, quòd virtus primæ intentionis reſpectu ultimi finis moveat in quolibet appetitu cujuſcumque rei, etiamſi de ultimo fine *actu* non cogitetur. 13.

Conclusio I.

PRimum Divi Thomæ *n. 1.* deductum argumentum efficaciter probat, in omni actione deliberatâ agere hominem virtualiter propter Finem ultimum, etiamſi formaliter ac explicitè non ſit priùs volitus.

Explicatur & Probatur. Nam ultimi finis intentio virtualis eſt duplex, altera conſiſtit in quadam per præcedentem formalem finis ultimi intentionem impreſſâ virtute, in vi naturalis Sympathiæ ſaltem Moraliter motrice actuum ex primâ illâ formali intentione *Conſecutivè* derivandorum. Altera ultimi finis intentio virtualis conſiſtit in alicujus volitionis intrinſecâ terminatione ad Bonitatem ex ultimo fine participatam. Eſt autem hujus duplicis virtualis Intentionis diſcrimen, quòd in priori virtus ex formali intentione relicta ſpectet tum ad Cauſam ſaltem *Moraliter* Effectricem, tum ad actualem cauſalitatem finalem creatæ voluntati impreſſam, & ex hâc derivatam ad illam virtutem ceu effectum ex formali intentione relictum: in poſteriori autem 14.

virtus

virtus participata & intentionis quà virtualis denominativa spectet tum ad causam finalem sub quâdam ultimi finis participatione voluntatis creatæ motivam, tum ad actualem Finalizationem voluntati Divinæ *Formaliter* immanentem, ac *Virtualiter* Transeuntem in illam ipsam Ultimi finis participatam Bonitatem. Proba-
15. tur istud assumptum. Nam Bonum ut *sic formaliter* radicatur in Esse, ex D. Tho. *1. p. q. 5. a. 3.* At Esse ut sic in rebus creatis est proprius effectus Dei ex S. Doctore *1. p. q. 4.* Unde Bonum sub formali Boni ratione est effectus Dei. At Deus ad extra operatur secundum consilium voluntatis suæ. Hæc autem *formaliter identicè* specificatur per Finalizationem Esse Increati tanquàm ultimi, imò unici finis motivi Voluntatis Divinæ. In omni ergo Bono creato ut sic, effectus *finaliter* causatus ab Ultimo fine, manet tanquà virtus in *genere Causæ Finalis* motiva creatæ voluntatis. At eo ipso, quòd Bonum creatum vim voluntatis creatæ *finaliter* Motivam habeat ex Causalitate finali ultimi finis, sequitur; tale Bonum ex formali suâ quâ Boni *Creati*, & ut sic ex ultimo fine non tantum *Effectivè*, sed *finaliter participati* ratione dicere *Fundamentaliter* ordinem ad ultimum finem, adeò ut non sit à creatâ voluntate appetibile, nisi cum hoc intrinseco *Transcendentaliter* in se imbibito ad ultimum finem ordine. Hinc autem rursus fit, quòd virtus in Bono creato *Finaliter* motiva dupliciter dici debeat virtus ultimi finis, partim quia est ab hoc non *Effectivè* duntaxat, sed *Finaliter* derivata, partim quia non est in se *Finaliter* motiva nisi cum intrinseco ad ultimum finem ordine. Patet proinde, quòd in omni Boni creati appetitu *virtualiter*, id est in virtute Finalizativè ex se derivatâ, & ad se secundùm formalem *finaliter* Motivam virtutem relatâ sit volitus ultimus finis. De quâ proinde virtuali ultimi finis appetitione procedit primum superius deductum S. Thomæ argumentum. Probatur i-
16. stud assumptum. Nam ex eo, quòd omne Bonum non plenè perfectum ex suâ formali ratione ordinetur ad consummatam perfectionem, probat Sanctus Doctor, omnia appeti propter ultimum finem. At ista ratio non procedit *formaliter* de virtuali intentione formalem ultimi finis volitionem sui motricem præsupponente, sed de virtuali intentione, quatenus in ipso Bono non perfecto ob intrinsecum ad perfectionis consummationem ordinem est virtus ab ultimo fine cum tali ordine Transcendentali impressa, atque ut sic voluntatis creatæ motiva. Constat proinde, secundùm primum Doctoris Angelici argumentum verificari, quòd omnia saltem *virtualiter* appetantur propter ultimum finem, etiamsi ejusmodi volitionem non præcessisset formalis & explicita ultimi finis intentio.

CONCLUSIO II.

SEcundum Divi Thomæ *n. 2.* deductum argumentum efficaciter probat, omnes actiones morales creatæ intelligentiæ esse formaliter propter ultimum Finem, non quidem semper immediatè immediatione suppositi, sed immediatione Virtutis ex parte Operantis Finaliter motivum.

Probatur. Nam illius argumenti ratio in eo 17.
se tenet, quòd, cùm moventia secunda se moveant quà mota duntaxat à Primo movente, oporteat, secunda appetibilia non movere *finaliter* nisi quà mota ab ultimo fine tanquàm primo appetibili. At ista ratio probat quidem, omnes creatæ intelligentiæ morales operationes *ex parte Operis* ac respectu primi motoris esse *Finaliter* causatas ab ultimo fine *secundùm immediationem etiam suppositi* Finalizante: attamen respectu creatæ Intelligentiæ Operantis esse causatas ab ultimo fine *quà finaliter* Motivo non *immediatione suppositi*, sed *immediatione virtutis*. Prior Minoris pars
probatur. Nam motio primi motoris non est ni- 18.
si per voluntatem. At ista sub formali ad extra Motionis ratione in *primo Dicendi modo per se* specificatur ex Divino Esse subsistente tanquàm Motivo finali *Formaliter identicè* specificativo. Istud autem Dei subsistens Esse est *Formalissimè* suppositum Divinum. Cum igitur Dei subsistens Esse sit *Finaliter* Motivum omnis Motionis Dei ad extra tam *Formaliter*, quàm *virtualiter* Transeuntis; In hoc autem Esse Dei subsistente *Formaliter* consistat ultimus finis Primi motoris quoad motionem immanentem *Identicè* & *Intransitivè*, quoad motionem vero Transeuntem *Extrinsecè* & *Transitivè Finaliter* Motivus, omnis verò creatæ Intelligentiæ actio moralis sit quædam motio Dei transiens, consequens est, omnem ejusmodi moralem motionem ex causalitate finis ultimi derivari *immediatè immediatione etiam suppositi*. At eo ipso, quòd talis motio per suam Essentiam sit ex Ultimo fine *immediatione suppositi*, sequitur, quòd etiam *ex parte Operis* sit propter ultimum finem *immediatione suppositi finaliter* ejusdem Causativum. Patet igitur, omnem creatæ intelligentiæ operationem *ex parte Operis* ac respectu primi Motoris esse *immediatione suppositi* propter ultimum finem. Posterior Minoris pars pro-
betur. Quia Angeli peccatores in primo creatio- 19.
nis suæ instanti per motionem sui Creatoris supernaturalem eatenus erant conversi in Deum tanquàm Ultimum suum finem, ut in secundo tamen instanti conversi ad se ipsos averterentur à Deo. At licèt ista secundi instantis Angelici operatio prava ex parte objecti intenderit Beatitudinem, in quâ cuperet Angelus Altissimo similis esse, illa ipsa tamen operatio non poterat fluere ex causalitate primæ ad Deum ceu Ultimum finem conversionis. Probatur istud as-
sumptum. Etenim illa supernaturalis in Deum 20.
conversio ex suâ specificâ Essentiâ coarctabatur intra lineam honestatis Moralis, ultra quam nec *immediatè* per se ipsam, nec *mediante aliquo imperio* aliàve ex se Moraliter etiam emanante causalitate ac effectu poterat se extendere. Unde ipsius influxus etiam moralis non poterat excitare peccaminosam secundi Angelici instantis ad seipsum in similitudine Dei superbè expetendâ conversionem, atque à Deo ceu Ultimo Fine aversionem. Hæc proinde peccaminosa pro secundo Angelico instanti similitudinis Divinæ affectio *Virtualiter* tendebat in Ultimum Finem, non prout ex virtuali primæ ex Dei causalitate specialiter motæ ad Deum conversionis influxu procedebat, sed quatenus rationem Ultimi Finis *Effectivè* & *Moraliter* transferebat ex Deo in ipsam Angelicæ substantiæ naturam.

Consequenter, omnem actionem Voluntatis deliberatam eatenus *virtualiter* referri in Finem ultimum, quatenus procedat ex virtuali Formalis erga Finem ultimum conversionis ac intentionis præcedentis influxu, sed quatenus ex parte objecti tendat in Bonum vel formale ultimi finis, Bono tamen creato, si affectio sit peccaminosa, *Moraliter* & *Affectuosè* impositum, vel participatum habens se tanquam Virtutem ab Ultimo Fine *Finaliter* causatam, & ut sic voluntatis creatæ in genere Causæ Finalis motivam.

21. Dices. Tametsi supernaturalis ad Deum ceu Ultimum Finem conversio ex suâ ad Honestatem moralem Essentiali restrictione non possit suo virtuali influxu esse motiva affectionis peccaminosæ, at in homine pro primo usûs rationis instanti esse motionem quandam naturalem Ultimi Finis in communi sub abstractâ plenæ Bonitatis ac perfectionis ratione appetitivam. At eo ipso, quod omne Bonum creatum in objecto etiam peccaminoso *Entitativè* importet aliquam hujus plenæ Bonitatis participationem sub ratione vel excellentiæ, vel delectationis, vel affluentiæ, vel commoditatis, vel pacis saltem imaginariæ; sequi, quòd illa in primo instanti Ultimi Finis *Formaliter in abstracto* appetitiva motio sit proportionata ad quamlibet Boni creati etiam mortaliter peccaminosam affectionem suo morali saltem influxu excitandam. Ex illâ proinde pro primo usus rationis instanti homini inditâ ad Ultimum Finem motione *virtualiter* secundum moralem saltem influxum procedere omnes deliberatas hominis actiones.

22. Contra. Nam ut iste virtualis in quodam illius primæ ad Ultimum Finem motionis affectu consistens influxus se ad omnes totius humanæ vitæ deliberationes posset extendere, opus esset, non illam duntaxat motionem primam ex se proportionari ad quemvis Boni creati affectum excitandum, sed etiam affectum per modum virtutis actûs secundi excitativæ ex illâ primâ motione relictum semper habere proportionem respectu subsequentis affectûs in voluntate excitandi. At verò demus, secundum ex illâ primâ motione excitatum affectum peccaminosum ex consideratione suæ cum altero creato peccaminoso objecto incompossibilitatis tertio statim instanti displicere voluntati, atque hunc converti ad aliud cum priori Bono incompossibile objectum, tunc ille secundus ex primæ intentionis virtute fluens actus non est proportionatus ad tertium ratione objecti omninò incompossibilem actum excitandum. Tunc igitur iste actus non procedit ex virtuali primæ illius intentionis influxu etiam morali. Ergo nequit aliter dici *virtualiter* procedere ex intentione ultimi Finis etiam *Formaliter in abstracto* spectati, nisi quatenus iste mediante Bono à se *Finaliter* participato dicitur in ratione objecti motivi influere *immediatione virtutis* ex Bono illo participato *Finalizata*.

23. Instabis. Sicut prima Intellectûs principia semper concurrunt ad cujuslibet conclusionis assensum, sic quia Finis ultimus est primum appetibile, atque adeò primum voluntatis motivum principium; debere semper concurrere ad cujuslibet Boni ex Ultimo Fine participati appetitionem. Ex hoc autem sequi, quòd pro quolibet instanti, in quo fit Boni ex ultimo Fine participati appetitio, stet in voluntate Formalis ac expressa ultimi Finis volitio, ex cujus influxu morali procedat appetitio Boni participati.

Contra. Nam prima Intellectûs principia non oportet pro cujuslibet conclusionis assensu esse *Formaliter* ac *signatè* expressa in Intellectu, sed secundùm sui in principijs secundis Transcendentaliter inclusam concretionem, in istis *Materialiter* esse contenta & cognita, atque adeò in talibus secundis principijs tanquàm effectibus ex se intelligibiliter derivatis esse *immediatione quasi virtutis* motiva ad Illationem specificæ, seu particularis conclusionis. Pari ergo ratione ultimus Finis *Formaliter & abstractè* sumptus tanquàm primum inter appetibilia voluntatis motivum principium non debet secundùm expressam ac signatam sui intentionem *per se immediatè* concurrere ad cujuslibet Boni ex se participati appetitionem, sed *immediatione duntaxat virtutis* seu Bonitatis *Finaliter* Motivæ, objecto creato impressæ, concurrit duntaxat *exercitè* & *quasi Materialiter*. 24.

Confirmatur ex Divo Thomâ *in 4. dist. 49. q. 1. a. 3. q. 4. ad 6.* disserente in hæc verba: Sicut in intelligibilibus non oportet, ut in omnibus contrahentibus demonstrationibus prima principia Essentialiter ingrediantur, quasi *actualiter* cogitata, sed *virtute* tantùm, dum demonstratio conficitur ex his, quæ per prima Principia fidem habent; ita etiam quamvis omne desiderium ad Beatitudinem referatur, non tamen oportet, quòd in omni desiderio de Beatitudine *actualiter* cogitetur, sed desiderium Beatitudinis *virtute* est in omnibus alijs desiderijs, sicut Causa in effectu. 25.

Ex quo ita licet argumentari. Sicut in Intelligibilibus prima principia non *Essentialiter* & *Formaliter*, sed *virtute* sunt in principijs secundis, utpote per prima fidem habentibus: sic desiderium Beatitudinis tanquam primum in appetibilibus voluntatis Motivum principium non *actualiter*, sed *virtute* est in omnibus desiderijs, sicut causa in effectu. Atqui prima principia Intelligibilia sunt *Virtute* in secundis ex vi Causalitatis primorum principiorum, prout actus sunt intellectûs non *formaliter*, sed *objectivè* spectatorum, quatenus ipsa veritas secundorum Principiorum importat quandam veritatis concretionem, ex quâ illa prima principia sunt *formaliter* abstrahibilia. Pari ergo ratione Desiderium Ultimi Finis est *virtute* in omnibus alijs desiderijs, non quatenus pro Formali actu Desiderij accipitur, sed *objectivè* spectatum, quatenus ipsius objectum, ultimus nimirum Finis est in omni Bonitate participatâ tanquàm virtute secundùm aliquam sui ab ultimo Fine participationem, *Finaliter* Motiva; *veluti supra ostensum est*. Patet igitur, omnes hominis morales actiones esse ex parte etiam operantis *formaliter* per causalitatem ultimi Finis non quidem semper influentis *immediatè immediatione suppositi*, sed *immediatione virtutis* ex illo participatæ, & ut sic *Finaliter* motivæ.

Responsio ad opposita Fundamenta.

26. AD Scoti *n. 4.* oppositum fundamentum Respondetur. Posito, quòd pro aliquo saltem moralis operationis instanti ultimus Finis ne quidem *formaliter* & *abstractè* sub ratione communi Beatitudinis esset *signatè* cognitus, non tamē actionis ejusmodi objectum posse intelligi sine ordine ad Bonum perfectum, atque adeò Beatitudinem saltem *Exercitè* cognito. Probatur istud assumptum. Nam innatum voluntatis pondus ad Bonum perfectum *connaturaliter* excitat in Intellectu cognitionem cujusvis non perfecti, sed inchoati Boni repræsentativam sub ordine ad Bonitatem consummatam. Hic autem Bonitatis imperfectæ ad Bonum perfectum ordo habet vim voluntatis *finaliter* Motivam in virtute Boni consūmati tanquàm Ultimi Finis. Consequens proinde est, Finem Ultimum in omnis Boni desiderium *Finaliter* influere *immediatione* saltem *virtutis* seu Bonitatis ex se participatæ. Deinde licèt
27. per fidem agnoscamus Deum quà Unum & Trinum esse nostram Beatitudinem, cui ut sic repugnat Fornicatio; hæc tamen repugnantia non impedit, quò minùs Beatitudinis ratio ex Deo tanquàm vero objecto Beatifico transferatur in Delectabilitatem objecti Mortiferi. Tunc autem licèt non agatur propter verum, prout est in Deo, *Materialiter* spectatum Finem ultimum, attamen agitur pro tunc propter Finem ultimum tum *Formaliter* spectatum, & ut sic ex Deo abstractum, tum *Materialiter* consideratum quà Bono creato *affectivè* & *Moraliter* concretum.

28. Ad Vasquezij *n. 5.* propositum Fundamentum Respondetur. Illo probari, quòd omnia Bona appetamus propter ultimum Finem quà *finaliter* motivum non semper *immediatione suppositi* per seipsum, sed quandoque *immediatione virtutis* secundùm Bonitatem ex se participatam.

29. Ad Ioannis à Sancto Thomâ *n. 6.* propositum Fundamentum Respondetur. In eo displicere, quòd dicat, omnem actionem esse *virtualiter* propter finem ultimum, ex vi cujusdam effectûs à formali ejusdem Finis intentione relicti, cum virtute cujuslibet subsequentis moralis operationis *Moraliter* excitativâ. Etenim supra probavimus, quòd hæc virtualis in ultimum Finem relatio non subsistat respectu omnium moralium actionum, sed quòd operationes ejusmodi dicantur esse *Formaliter* vel *Virtualiter* ex intentione ultimi Finis, quatenus hujus Bonitas saltem *abstractè* spectata vel *immediatione suppositi* per se ipsam, vel *immediatione virtutis* per Bonitatem ex se participatam est *Finaliter* motiva cujusvis deliberatæ volitionis.

Ad 1. Ildephonsi Baptistæ *n. 8.* propositum
30. Fundamentum Respondetur. Intentionem Finis ultimi non quidem reali, sed secundùm rationem ratiocinatam interpretativâ naturæ prioritate dici posse priorem quâlibet Boni participati appetitione, non eo quidem sensu, quòd ratio Ultimi Finis semper per se *immediatione suppositi*, sed *immediatione* saltem *virtutis* ex se derivatæ, sit *finaliter* motiva Bonorum particularium appetitionis, ut sic *Transcendentaliter* includentis appetitionem Finis ultimi, ipsam Finalizantis secundùm immediationem virtutis, ac Bonitatis ex se participatæ.

Ad 2. Ildephonsi *n. 9.* propositum Fundamentum Respondetur. Posito & admisso, quòd homo in primo usûs rationis instanti moveatur à Deo ad Finis ultimi appetitionem, quæ de se esset proportionata ad quemvis Boni creati appetitivum actum *Moraliter* excitandum: attamen deficere proportionem in actibus intermedijs ex ratione suæ cum actu subsequente incompossibilitatis omninò improportionabilibus ad hujus subsequentis actûs excitationem. Unde Finem Ultimum *Virtualiter* influere in talem actum, non in vi illius primæ intentionis, sed virtute Bonitatis ex se participatæ ut sic Finalizantis actum ejusmodi. 31.

Ad 3. Ildephonsi *n. 10.* oppositum Respondetur. Multò magis in intellectu esse naturalem inclinationem ad prima principia, quàm voluntatis ad Ultimum Finem *Formaliter* spectatum. At non obstante illâ Intellectûs inclinatione naturali, hunc faciendo demonstrationem, non debere semper *in actu signato* habere in se expressam notitiam primorum principiorum, sed sufficere, ut hæc *in actu exercito*, prout in secundis principijs *Transcendentaliter* sunt imbibita, atque adeò *concretè* spectata, vel quà in principijs secundis Intelligibiliter participata concurrant ad Demonstrationem. Similiter ergo Ultimi Finis rationem *abstractè* ac *signatè* seu *Formaliter* spectatam non debere *immediatione quasi suppositi* per se ipsam *finaliter* influere in quamlibet voluntatis creatæ motionē, sed sufficere, ut concurrat in Bono particulari vel *Concretè*, vel secundùm aliquam sui participationem ut sic voluntatis *immediatè* motivam. In quo adeò sensu accipi debere Divum Thomam *ubi supra* asserentem, *quòd virtus primæ intentionis maneat in quolibet appetitu cujuscumque rei.* Hoc enim intelligendum est tum de Ultimi Finis intentione *objectivè* sumptâ, quæ ut sic in suâ virtute, id est Bonitate participatâ, est motiva cujuscumque circa Bonum creatum appetitionis, tum de intentione Ultimi Finis *Concretè* spectatâ, cujus virtus cuilibet appetitui *Transcendentaliter* inest, eoipso, quòd nulla sit intentio, quæ non *Formaliter* referatur in Ultimum Finem, vel in ejus virtutem, id est Bonitatem participatam ut sic *Finaliter* Motivam cujusvis volitionis. 32.

(33. stands beside the line beginning "motivam. In quo")

Ad 4. Ildephonsi *n. 11.* oppositum Respondetur. Non subsistere talem intermediarum intentionum respectu primæ ad Ultimum Finem terminatæ intentionis ordinē, ut secunda utpote ratione objecti quandoq; incompossibilis cū tertiâ, ad istam sit virtualiter motrix. Unde ultimi finis omnium subsequentium intentionum motricem virtutem non tam debere constitui in ejusmodi intentionum *Formaliter* spectatarum subordinatione, quàm in objectorum *Finaliter* Motivorum ex ultimo Fine participatione, ita ut Fines intermedij non habeant vim Finalizativam, nisi per modum Bonitatis *Finaliter* participatæ ex ultimo Fine, in cujus adeò virtute sint *Finaliter* Motivi voluntatis. 34.

Ad Suarezij *n. 12.* oppositum fundamentum Respondetur. In eo supponi, quòd voluntas ferri in Bonum imperfectum possit sine virtuali saltem ad Bonum perfectum relatione. At hoc falsitatis ex eo redargui, quòd innatum erga perfectionem Consummatam voluntatis pondus, dum appetitus non plenè satiatur, 35.

tur, excitet quandam inquietudinem, atque adeò virtualem saltem motionem in ultimum Finem. Hæc autem virtualis motio omni volitioni ex Bono duntaxat imperfecto motæ *Transcendentaliter* est imbibita, eo ipso, quòd Bonum non plenè satiativum voluntatis non aliter sit hujus motivum, nisi sub Transcendentali Bonitatis participatæ ad Ultimum Finem ordine. Constat proinde, omnem voluntatis motionem oportere ad Ultimum Finem vel *Formaliter*, vel saltem *virtualiter* terminari, uti Suarezij (nescio, an omnimodè in hoc sibi consoni) alterum *n. 12.* propositum fundamentum probat.

CONTROVERSIA III.

An solus Deus habeat rationem Ultimi Finis?

NOn procedit (saltem ex instituto, sed quasi incidenter ob Arriagæ infra *n. 4.* referendam sententiam) difficultas. 1. de Ultimo Fine rerum irrationalium. Nam agentia irrationalia tendunt in finē propter inclinationem naturalem quasi ab alio mota, non autem à se ipsis. ex Divo Thoma *præs. q. 1. a. 2.* Hic autem irrationalium in Finem motor est Deus, 1. ad quem tota irrationalis natūra comparatur, sicut instrumentum ad agens principale. *ex citato* S. Doctore. At Deus ad extra agens secundum consilium voluntatis suæ, nequit habere alium finem, nisi se ipsum ut sic *formaliter identicè* specificativum omnis volitionis Divinæ ad extra tum *Efficienter*, tum *formaliter* motricis. Undè idem Angelicus Doctor *in 4. dist. 49. a. 8. q. 1. in Corpore* ait. *Omnia creata secundùm impressionem à Creatore receptam inclinatur in Bonum appetendum secundùm modum suum, ut sic in rebus circulatio quædam inveniatur, dum à Bono egredientia in Bonum tendunt.* Quod adeò verum tenet idem Sanctus Doctor, ut *q. 22. de Verit. a. 2. ad 3.* differat in hæc verba: *Ipsi Dæmones appetunt esse & vivere naturaliter, & in hoc ipsum Deum appetunt.* Unde infertur, creaturarum etiam 2. Intellectualium operationes, prout procedunt ad auctore naturæ, juxta inclinationem ab ipso sibi inditam, ut sic respicere Deum tanquàm Ultimum Finem: siquidem ut sic à Deo sint *Efficienter*, cujus efficientia quà Voluntati Divinæ *formaliter* immanens *Essentialiter*, quà verò ad extra *Formaliter* transiens *Denominativè* est Finalizata per suam increatam Bonitatem. Ex quo adeò cum eodem Sancto Doctore *cit. q. 1. a. 8.* concludere licet, omnes etiam irrationales res cum homine convenire in ultimo Fine, quantum ad rem volitam seu Finem *Qui* & *Cujus*, licèt disceptent quoad Finem *Quo*, seu consecutionem ultimi Finis, siquidem rationales creaturæ Deum consequantur per cognitionem & amorem, creaturæ autem irrationales per aliquam ex Deo participatam Essendi, vivendi, vel cognoscendi similitudinem, in sensualitate radicatam.

Neque difficultas 2. procedit respectu hominis 3. secundùm elevationem supernaturalem spectati. Eo ipso enim, quòd aliqua operatio humana sit declinās à rectitudine morali unicè ac essentialiter referibili in Deum tanquàm Finem ultimum, sequitur deviatio à Fine Ultimo supernaturaliter per visionem & amorem Beatificum consequibili. Difficultas igitur est respectu Moralitatis naturalis consideratæ secundùm lineam tam rectitudinis, quàm deviationis moralis.

Referuntur Sententiæ.

Rodericus de Arriaga *cit. disp. 46. sect. 6. subsect.* 4. *2. n. 50. & 52.* docet 1. Probabilius esse, quòd Deus non debeat tam homines, quàm alias creaturas ad se ut ultimū Finem necessariò ordinare. 2. Casu, quo Deus amaret creaturam non ad se ordinando, sed quamlibet propter propriam creaturæ perfectionem, non fore omnium ultimum Finem. Hinc 3. Finem hominis ultimum *Cujus*, quem quidem pro quolibet etiam puræ naturæ statu propter Finem *Cui* habere deberet, fore in Bono creato, sive in honore, sive in quietā vitā, sive in cumulo multorum Bonorum. Fundamentum primi est. Quia Deus potest velle creaturas propter Bonitatem, quæ in illis reperitur, nec ordinando illas ad se, nec se amando ut objectum 5. formale. Fundamentū secundi est. Nam præter Deum non est aliud, ad quod omnes creaturæ ordinari queant. Probatur istud Assumptum. Si quid enim horum esset, id foret Bonum Universi. Atqui ad ista non omnia sunt referibilia saltem eo casu, quo Deus produxisset duos mundos, quorum neuter ordinaretur ad alterum. Imò de facto Angeli non ordinantur ad Bonum Universi, nisi quatenus in mundo includuntur, quod magis est ordinari ad se. Denique Universum nihil aliud est, quàm aggregatio omnium specierum. In tali autem aggregatione ordo rerum Universi videtur potiùs ordinari in Bonum singularum specierum, quàm è contrario. Fundamentum tertij est. Eo ipso enim, quòd in finibus 6. non detur processus in infinitum, debet homo aliquid ultimò appetere. Ergo casu, quo Deus non esset ipsius Finis ultimus, deberet hujus ratio constitui in Bono aliquo creato.

Suarez *disp. 3. sect. 6. n. 4. & 5.* affirmat, hominem 7. in omnibus suis actionibus virtuosis *interpretativè* operari propter ultimum Finem particularem seu realem, propter quem est conditus, id est propter Deum. Imò dum etiam peccat, per ipsummet actū peccati, aliquo modo operari propter Deum, non tamen eo modo, quo per actum honestum habet proportionem cum Ultimo Fine vero, & ex se tendit in Deum.

Fundamentum est. Nam actus peccati quoad suam positivam entitatem est quædam Bonitatis Divinæ participatio, in ejusque objecti Delectabilitate vel commoditate homo appetit aliquo modo fælicitatem, cupitque assimilari Deo.

Ildephonsus Baptista *præs. disp. 17 n. 176. 180. 188.* 8. *194. 197. & 201.* docet, 1. Omnem actum humanū, ut procedit ab homine ex determinatione Dei, tendere necessariò in Deum tanquàm Ultimum Finem. 2. Actum humanum etiam, ut procedit ab homine, si est bonus *Moraliter*, semper respicere Deum ut Finem Ultimum. 3. Entitatem cujuscumque peccati esse propter Deum finem ultimum. 4. Peccatorem secundùm quod in actu peccati intendit bonum aliquod, seu Fælicitatem & Beatitudinem, operari propter Deum tanquàm propter Ultimum finem *Interpretativè*, si

ſpectetur, in quantum hæc ratio à malitiâ peccati præſcindatur aliquo modo, non quidem ſimpliciter, ſed ſecundùm quid. 5. In actu peccati ut peccatum eſt, ſeu ut dicit deformitatem & malitiam moralem, nullo modo operari hominem propter Deum, neque talem actum, ut eſt malitia & peccatum, eſſe propter Deum. 6. Simpliciter loquendo non eſſe neceſſarium, quòd omnis actus humanus quatenus procedit ex deliberatione hominis, ſit propter Deum Ultimum Finem, ſeu, quòd homo omnia in univerſum, quæ appetit, appetat propter Deum ultimum finem *abſolutè loquendo*: ſive quòd idem eſt, quando homo peccat, dicatur operari propter Deum, tanquàm propter Ultimum finem.

9. Fundamentũ primi eſt. Nam Deus movet cauſas ſecundas & ſimul concurrit ad eorum actiones. Ergo quidquid agit homo, aliave Cauſa ſecunda ex determinatione Dei, eſt etiam effectus ipſius Dei. Atqui omnis res, quæ eſt à Deo in genere Cauſæ Efficientis, ordinatur ad Deum in genere Cauſæ finalis. Ergo omnes actus humani, ut procedunt ab homine ex Determinatione Dei, tendunt in Deum tanquam Ultimum fi-
10. nem. Fundamentum ſecundi eſt. Nam objectum actionis *Moraliter* bonæ, imò ipſa actio *Moraliter* honeſta ex naturâ ſuâ tendit in Deum, tanquàm ejus participatio. Unde niſi violenter retorqueatur, & ordinetur in aliquem finem malum, ex ſe tendit in Deum. Quando igitur infideles talem actionem non ordinant *actu* in Idolum, vel alium finem malum, uti ſupponitur (aliàs non eſſet actio moraliter bona) relinquitur in ſuâ naturâ. Ergo ut ſic reſpicit Deum tanquàm finem ultimum, ipſeque operans eo ipſo, quòd talem actionem propter ſe & honeſtatem velit, non ordinando ad finem malum, *Interpretativè* vult finem talis actionis. Ergo licèt non *formaliter*, *interpretativè* tamen operatur tale opus propter Deum auctorem naturæ. Fundamentum ter-
11. tij eſt. Nam omne, quod eſt à Deo in genere Cauſæ efficientis, eſt ad illam in genere Cauſæ finalis. *veluti ſupra dicebamus.* At Entitas peccati eſt Ens reale, atque adeò productum à Deo, vel homine per auxilium Divinum moto. Ergo talis Entitas ad Deum, ceu ultimum finem ordinatur. In quem ſenſum S. Auguſtinus *lib. 2. de Liber. arbit. cap. 20.* ſic diſſerit. *Omne Bonum ex Deo. Nulla ergo Natura eſt, quæ non ſit ex Deo. Motus ergo ille averſionis, quem fatemur eſſe peccatum, quia defectivus motus eſt, omnis autem defectus ex nihilo eſt, vide quò pertineat. Et ad Deum pertinere non dubites. Qui tamen defectus quoniam eſt voluntarius, in noſtrâ poſitus eſt poteſtate.* Ex quo evincitur, Motum peccati quà Entitatem ſeu *Entitativè* Bonum eatenus eſſe ex Deo, & libero noſtro arbitrio, ut tamen ſub ratione Deficientiæ quoad imputabilitatem Moralem, ſuamque peccati formalitatem referri debeat ad ſolã noſtram voluntatẽ. Fundamentum quar-
12. ti eſt. Nam tunc aliquis cenſetur velle aliquid *Interpretativè*, quando Expreſſè vult aliquid ex naturâ ſuâ ordinatum ad illud, niſi opponat circumſtantiam repugnantem. At omne bonum, quodcumque homini repræſentari poteſt, in quantum Bonum, eſt quædam participatio Bonitatis Divinæ ex naturâ ſuâ ad illud ordinata; ſicut imperfectum ad perfectum, ſicut inchoatio ad conſummationem, & ſicut pars ad totum. Ergo eo ipſo, quòd quis appetit bonum aliquod, in quantum Bonum eſt, præſcindendo à malitiâ morali, & ab omni malo, cum quo eſt conjunctum, appetit Deum ſaltem *interpretativè*.

Fundamentum quinti eſt. Nam ex duobus capitibus 14.
poteſt quis dici, agere propter Deum tanquàm ultimum finem; alterum eſt, quòd talis actus, ſeu ejus objectum ex propriâ ratione ordinetur ad talem finem. Unde intendens tale objectum, *Implicitè* ac *Interpretativè* vult eundem finem ultimum. Alterum eſt, quòd voluntas operantis id, quod ex naturâ ſuâ non eſt ordinabile in Deum, pro ſuâ libertate ordinet ad iſtũ finem. Atqui peccatum quà tale non eſt ordinabile in Deum tanquàm finem, neque peccans ut peccans ordinat actum peccati in Deum, niſi fortè ex ſuâ perverſitate, vel ignorantiâ, juxta illud *Ioan. 16. Venit hora, ut omnis, qui interficit vos, arbitretur obſequium ſe præſtare Deo.*

Fundamentum ſexti eſt. Quando enim ob- 15.
jecto actus repugnat ordinari in aliquem finem, etiam repugnat actui, quatenus terminatur in tale objectũ. At actus peccati Mortalis, quatenus procedit ex deliberatione ac directione hominis reſpicit tanquàm objectũ immediatũ id, cui repugnat, ordinari in Deum tanquàm finem ultimum. Ergo ut ſic non poteſt ordinari in Deum tanquàm finem ultimum,

Conclusio.

SOli Deo eatenus convenit ratio ultimi Finis, ut ſub Formalitate Numinis ſupremi ac Boni perfecti, vel quà in Deo realiter ſubſiſtentis, vel quà ad Bonum creatum ex vi pravæ affectionis Moraliter & appretiativè contracti debeat interpretativè eſſe volita in omni actu morali etiam peccaminoſo.

16.
Probatur. Nam hominis Intellectui ineſt appetitus naturalis ad ſuæ intelligibilitatis aciem eouſque exacuandam, ut ad altiores ac ſublimiores formas Intelligibiles ſub elevatiori quâdam puritate, adeòque unitate, plurium veritatũ *virtute* ſaltem &, *potentiâ*, ſi non actu repræſentativas, innato pondere ſemper contendat. At iſte Intellectûs appetitus innatus nequit exhauriri vel adæquari niſi in objecto *adæquatè* commenſurato cum potentiâ intellectrice. Ejuſmodi verò objectum eſt ſolus Deus. Probatur iſtud aſſump- 17.
tum. Nam objectum Intellectûs formale ſpecificativum eſt Verum ut ſic ſub formali ſuæ abſtractionis ratione comprehendens omne Ens. Ergo illud duntaxat objectum eſt Intellectûs Eſſentialem *in Quarto perſeitatis modo* ex tali objecto ſpecificatam intrinſecam commenſurationem, & proportionem adæquans, cui convenit ratio Eſſendi omnimodam Eſſentialitatis, atque adeò veritatis formalitatem complectens. Ejuſmodi verò Eſſendi ratio eſt propria ſolius Dei, ex quo tanquàm ſuperſubſtantiali principio primævo & Fontali emanat omnis Eſſentialitas, atque adeò Veritas. Nequit ergo ullum objectum, præter unicum Deum, coæquare Virtutis intellectricis Eſſentialem commenſurationem ac proportionem. At eo ipſo, quòd Intellectus

lectûs & voluntas in unâ in animæ specificâ Essentiâ radicentur, est consequens, quòd, sicut Intellectûs intrinseca commensuratio in suo objecto respicit veritatem in universalissimâ Essendi formalitate fundatam, sic voluntatis intrinseca ex objecto suo Formali *in Quarto perseitatis modo* specificata proportio respicere debeat rationem Boni in universalissimâ Essendi ratione radicatam. Quare nec intellectûs, nec voluntatis innatus appetitus potest expleri nisi per fruitionē, ac possessionem objecti omnem Essentialitatem *formaliter* vel *Eminenter* continentis. At ejusmodi est solus Deus. Ergo solus Deus potest esse objectum plenè satiativum, atque completivum Commensurationis ac proportionis Intellectui ac Voluntati *Essentialiter*, atque *specifice* convenientis. Atqui ultimus finis est objectum plenè satiativum. Ergo soli Deo convenire potest ratio ultimi finis.

18. Dices. In objecto Mortaliter peccaminoso statui rationem Ultimi Finis. At in objecto peccaminoso non inveniri illam Formalem Ultimi Finis rationem, quæ est in Deo. Ergo citra Deum posse inveniri rationem ultimi Finis.

19. Contra. Nam in objecto Mortaliter peccaminoso duo reperiuntur: alterum est Entitativa Delectabilitatis vel commoditatis realiter ipsi inexistentis Bonitas: alterum est malitia Formalis, seu privatio rectitudinis debitæ. Ex his autem nequit posterior ex se præcisè esse objectum prosecutionis, nec adeò in ipsâ ut sic constituitur per voluntatem ratio Finis ultimi. Etsi verò Entitativa objecti peccaminosi Bonitas ex suâ Essentiâ dicat Transcendentalem ad Deum, ceu ultimū finem relationem, quia tamen ejus vel abstinentiam (si cadat sub præceptum Negativum) vel positionē (si cadat sub præceptum affirmativum) Deus exigit ex jure supremæ in ultimo fine radicatæ Majestatis: Idcircò objecti ejusmodi positio (si affirmativè sit præceptum) vel abstinentia, (si sit prohibitum) Moraliter ac secundùm regulas rationis non est in Deū referibilis. Unde voluntas cōplacens in peccaminosà objecti vel abstinentiâ vel positione, quætit Delectabilitatem aut commoditatem omnimodè sistendo in ipsâ, imò in illam *affectuosè* & *Moraliter* transferendo illam ipsam Finis ultimi rationem, quæ Deo realiter inexistit. Probatur istud assumptum.

20. Nam abstinentiæ aut positionis Mortaliter peccaminosæ Delectabilitas sive commoditas voluntati repræsentatur tanquàm illicita ex vi Divinæ in supremo Ultimi Finis jure radicatæ Majestatis. Unde pro tunc in ordine ad voluntatis vim Dominativam ac liberè electivam fit quædam comparatio inter Divinæ Majestatis in ultimo, omnium moralium actionum Motivo Fine radicatæ jus, & inter illam peccaminosæ, vel abstinentiæ vel actionis Delectabilitatem seu commoditatem. At voluntas eo ipso, quòd peccet, sibimet liberè infigit pondus, vi cujus peccaminosam Delectabilitatem, aut commoditatem ejusmodi præfert Iuri Divinæ Majestatis in Ultimo Fine radicato. Ejusmodi autem commoditatis creatæ præ ultimi Finis jure Divino prælatio *affectuosè* ac *Moraliter* saltem *Exercitè* imponit Bono illi creato appretiabilitatem Ultimi finis Deo realiter inexistentis juri præponderantem. Atqui appretiabilitas ejusmodi saltem *exercitè* secundùm naturam affectûs Divino ultimi Finis juri præponderantis, importat Bonitatem super Ens omnis perfectionis ac Bonitatis *Formaliter* ac *Eminenter* contentivum, appretiabilem. Est autem per se manifestum, non posse voluntatem *affectuosè* ac *Moraliter* imponere Bono creato Bonitatem super Ens omnis perfectionis contentivum appretiabilem, nisi in tali Bono creatò secundùm exercitam saltem affectionis suæ præponderationem constituat rationem summi Boni. Hæc autem summi Boni ratio est Formalissima ultimi Finis Quidditas soli Deo eatenus propria, ut realiter nulli Bono creato sit communicabilis. Ergo illa Voluntas mortaliter peccaminosa vi ponderis sibi liberè infixi ab ipsomet Deo *Moraliter* saltem *exercitè* trahit rationem ultimi Finis, eamque *affectuosè* saltem *interpretativè* ponit in Bono creato juxta illud Apostoli; *Quorum Deus venter est.* Constat proinde, rationem ultimi Finis eatenus Deo propriam esse, ut hæc ex vi affectionis Mortiferæ *Moraliter* & *affectuosè* contrahatur ad Bonum creatum, atque ut sic *Interpretativè* saltem & *appretiativè* volita sit per actum lethaliter peccaminosum. Verùm de his ex instituto agemus in materiâ de peccatis.

Instabis. Actus Virtutum moralium ex suâ specificâ ratione terminari ad Honestatem creatam tanquàm Motivum suum Formale specificativum. In hoc autem tanquàm Fine intrinseco eatenus quiescere, ut non sit necessum, eorum objecta per intentionem Operantis inferri etiam *virtualiter* in Finem ultimum. Quare non subsistere, quòd ratio ultimi Finis sub Formalitate Numinis supremi ac Boni perfecti debeat esse volita in omni actu morali. 21.

Contra. Nam in actibus ac objectis Moralium virtutum tres considerari possunt formalitates. 1. est Honestas ipsorum specificativa. 2. est hujus cum naturâ rationali in genere moris connexio per Divinam simplicis Intelligentiæ scientiā Intelligibiliter expressa, tanquàm ex intrinsecis Naturæ Intellectualis principijs omnino necessaria, atque adeò *Naturaliter* præcepta. 3. est honestatis ab intrinseco non necessariæ cum naturâ rationali in genere moris connexio obligatoria vi Decreti Divini liberi, atque adeò vi legis duntaxat positivæ. At istæ duæ posteriores alicujus obligationis expressivæ Formalitates important *Formalissimè* vim *Moraliter* exactivam honestatis ejusmodi ex Divinæ Majestatis in Ultimi Finis ratione radicatæ Iure ac Dominio supremo. Unde nulla unquam Honestas Moralis sive naturalis, sive supernaturalis repræsentatur voluntati quà præcepta, sive in genere Moris simpliciter necessaria, nisi sub expressione necessariæ ad Finem ultimum saltem sub abstractâ supremi Numinis seu Boni perfecti ratione cognitum habitudinis, honestati ejusmodi vel *naturaliter* ac *intrinsecè* (ex vi Divinæ simplicis omnium creatarum Essentiarum, earumque proprietatum Intelligibiliter Formativæ Intelligentiæ) inexistentis, vel *Extrinsecè* ex vi positivæ Decreto Dei libero nitentis legis) convenientis. Etsi verò honestas virtutum moralium sub nullo legis vinculo contenta non exprimatur secundùm aliquam sui cum Fine ultimo connexionem in genere moris necessariam; 22.

Nihilominùs repræsentatur tanquàm Bonitas 23.

 natu-

naturæ quà rationali eatenus conveniens, ut tamen ejus intrinsecam Commensurationem non adæquet. Ut sic autem exprimitur secundùm appetibilitatis rationem voluntatis per rationem regulatæ non plenè satiativam. Unde cum talis Bonitatis seu Moralis rectitudinis appetitione stat in voluntate pondus innati appetitûs ad ulteriorem plenæ nimirum perfectionis consummationem. Ex vi autem hujus ad plenam perfectionem *naturaliter* inclinantis ponderis fit, quòd illa Moralis non plenè satiativa Honestas fit voluntatis *Finaliter* Motiva, tanquàm participatio quædam perfectionis consummatæ. Ex hoc autem rursus sequitur, quòd honestas illa sit *Finaliter* motiva per modum virtutis ab ultimo Fine *Finaliter* participatæ. Cùm igitur objectiva virtutum moralium Honestas per modum virtutis ab ultimo Fine Finalizatæ sit voluntatis in genere Causæ Finalis Motiva; sequitur: Ultimum Finem in illâ ipsâ Honestate *Interpretativè* esse volitum saltem sub ratione abstractâ supremi Numinis aut Boni perfecti.

24. Probatur istud assumptum. Nam *Interpretativè* dicitur volitum id, ad quod volitionis motivum Formale importat intrinsecam & necessariam habitudinem: sive id, ex cujus Finalizativâ participatione objectum volitionis formale habet omnimodam vim *Finaliter* Motivam. At honestas virtutum moralium etiam objectiva repræsentatur voluntati sub ratione intrinsecæ ad finem ultimum sub abstractâ supremi Numinis, aut Boni perfecti formalitate spectatum habitudinis, ut sic habentis virtutem *Finaliter* motivam ex Finalizativâ ultimi Finis *Formaliter* saltem spectati participatione. Constat proinde, in omni virtutum moralium objectivâ Honestate *interpretativè* volitam esse rationem ultimi Finis saltem *Formaliter* spectati. At hæc ipsa ultimi Finis ratio formalis à parte rei non est nisi in Deo purissimè & actualissimè subsistens. Ergo in omni virtutis etiam moralis actu ultimi Finis Deo realiter inexistentis ratio est volita *saltem interpretativè*, atque adeò *virtualiter*, id est in virtute non nisi per ultimi Finis participationem Finalizativâ.

25. Urgebis. Ex vi actûs venialiter peccaminosi non posse ultimi Finis rationem etiam *Interpretativè* & *affectuosè* seu *appretiativè* trahi in Bonum creatum. At hunc ipsum actum venialiter peccaminosum non posse respicere objectum referibile in Finem Ultimum, sed in objecti sui Delectabilitate constituere Finem in lineâ moralitatis ultimum *Negativè*. Quare non subsistere, quòd ratio Finis Ultimi *saltem Interpretativè* sit volita in omni actu etiam peccaminoso.

26. Contra. Nam in objecto etiam Venialiter peccaminoso est duplex ratio, altera est negatio rectitudinis, non quidem secundùm Divini in ultimo Fine radicati juris exigentiam, sed secundùm aliqualem cum naturâ rationali in genere moris connexionem debitæ. Altera est objecti venialiter peccaminosi Delectabilitas, vel commoditas, aliave Bonitas naturalis. At prior illa ratio *secundum se præcisè* nequit esse objectum prosecutionis, nec adeo ut sic potest habere rationem Finis. Illa verò posterior ratio est volitionis Venialiter peccaminosæ *Finaliter* motiva. At eo ipso, quòd ipsius appetibilitas neque sit plenè satiativa voluntatis, neque per affectum Venialiter peccaminosum appretietur tanquàm Divinum Numen, sequitur, ex vi affectuosæ appretiationis rationem Ultimi Finis non tantùm non trahi ad Bonitatem illam creatam, sed hanc sub ratione Boni non plenè satiativi volitam non esse voluntatis *Finaliter* motivam, nisi sub ratione Virtutis ab ultimo fine participatæ. Ex hoc autem fit, quòd talis Bonitatis volitio *Interpretativè* referatur in Ultimum finem, saltem sub abstractâ Boni perfecti ratione *Formaliter* spectatum. At eo ipso, quod ista abstracta Boni perfecti ratio per intelligibilem sui ut sic expressionem sit exuens omnimodam limitationem, atque adeo potentialitatem, sequitur; sub tali abstractâ Boni perfectione *Formaliter* repræsentari Bonum Divinum. Illius igitur Bonitatis volitio in actu venialiter peccaminoso *Interpretativè* refertur in rationem ultimi Finis Deo realiter inexistentem. Etsi proinde objectum quà venialiter peccaminosum in genere moris spectatum ut sic *formaliter* importet negationem rectitudinis aliqualiter debitæ. Hæc autem negatio ut sic per actum prosecutionis nec appretiabilis, nec consequenter in in Deum, ceu Ultimum Finis referibilis sit. Nihilominùs Bonitas naturalis ejusmodi negationi conjuncta non tantùm in lineâ naturæ ex parte rei seu Operis, sed in lineâ etiam Moralitatis ex Operantis affectu *Interpretativè* refertur in Ultimum Finem. Probatur istud assumptum. 27.
Nam linea moralitatis adæquatè est una cum lineâ libertatis. At illa objecti Venialiter peccaminosi Bonitas naturalis est liberè volita sub interpretativâ sui ad Bonum perfectum relatione. Ergo illa Bonitas naturalis secundum lineam naturæ eatenus ex parte Operis refertur *intrinsecè* in Deum ceu Ultimum Finem, ut tamen secundum lineam moralitatis non ex parte Operis, sed ex depravato Operantis affectu *Interpretativè* ordinetur in ultimi finis *Formaliter* spectati rationem. Constat proinde, omnimodè verum esse, quòd ratio ultimi Finis eatenus sit conveniens soli Deo, ut sub Formalitate supremi Numinis, seu Boni perfecti, vel quà realiter in Deo subsistentis, vel quà ad Bonum creatum ex vi affectionis mortaliter peccaminosæ *Moraliter* & *appretiativè* contractæ debeat *Interpretativè* esse volita in omni actu morali. *Verùm de his plura in materiâ de peccatis.*

Responsio ad opposita Fundamenta. 28.

AD Primum Arriagæ *n. 4.* oppositum Fundamentum Respondetur. Id omninò esse falsum, quia omni creaturæ Essentialiter inest Transcendentalis ordo ad Deum quà Causam sui effectricem. Unde nequit Deus velle creaturas nisi hunc ordinem amando, easque adeò ad se ordinando saltem quà Causam effectricem. At Deus non operatur ad extra nisi per consilium suæ voluntatis. Hæc autem nequit in suâ specificatione pendere ab objecto creato tanquàm suo formali Motivo. Omnis ergo cujusvis creatæ Bonitatis effectrix Dei volitio specificatur *Formaliter identicè* ex Bonitate suâ Increatâ creatis Entibus se communicante per amorem eorumdem effectivum. At qui objectum volitionis Motivum ac specificativum habet *formali-*

malissimè rationem Finis. Nequit ergo voluntatis Divinæ ullus esse actus, quin pro suo Fine habeat ipsammet Dei Bonitatem Increatam.

29. Ad secundum Arriagæ *n. 5.* oppositum Respondetur. Bonum Universi specialiter consistere in attributorum Divinorum ex creaturis resplendescentiâ. Etsi verò in quâvis creaturâ reluceat aliquod Dei attributum, ex omnibus tamen *Collectivè* sumptis qua inter se coordinatis specialiùs resplendet attributorum Dei; Providentiæ præsertim ex creaturis relucens Gloria. Posito igitur, quòd Deus posset amare creaturas, quin illas ordinaret ad se, adhuc posset eas reducere ad sui gloriam Extrinsecam ex universitate creaturarum, earumque collectivâ multitudine specialiùs relucentem.

30. Ad tertium Arriagæ *n. 6.* oppositum Respondetur. Eo ipso, quod in nullâ hypothesi Deus intelligi possit mutare rerum Essentias, implicare; quòd, si per impossibile hominem non ordinaret ad se tanquàm ultimum Finem, Voluntas hominis sisteret in Bono Creato tanquàm ultimo fine: siquidem voluntatis in ipsâ animę substantia radicatæ universalitatem Essendi adæquans Essentialis proportio & Commensuratio non posset satiari ex Bono secundùm modum Essendi finito ac limitato.

Ad Suaretij & Ildephonsi à *n. 7.* propositâ fundamenta Respondetur. Omnia nobis probari, siquidem ipsa tam Honestatis Moralis, quàm naturalis cuivis positivæ Entitati Transcendentaliter inexistentis Bonitatis per Divinam simplicis intelligentiæ scientiam [illegible] formata Quidditas importet intrinsecam & Essentialem ad Deum ceu ultimum finem relationem. Consequens proinde est, tali morali Honestate seu Bonitate Naturali volitâ tanquam virtute, quæ sub ratione vis *finaliter* motivæ, est Increatam Dei Bonitatem sibi Finalizata, *Interpretativè* appeti Deum quà ultimum finem. Imò in objecto etiam mortaliter peccaminoso constituitur appretiabilitas ex vi affectionis pravæ ipsimet Deo prępōderans. Unde ratio Dei qua ultimi finis tunc *appretiativè* seu *Moraliter* & *affectivè* trahitur in Bonum creatum, ut adeò, licet respectu electûs peccaminosi secundùm concretionem ad Bona diversa creata possint *Materialiter* esse diversi fines Ultimi, in his tamen manet semper eadem formalitas, Boni nimirum super omnia appretiabilis, soli Deo realiter inexistens, & non nisi *Moraliter* & *affectu* sê translata in Bonum creatum. 31.

***

QUÆSTIO SECUNDA DE BEATITUDINE.



1. SUpponendum 1. Beatitudinem distingui in *Formalem* & *Obiectivam*. Hæc est objectum Beatificum, illa huius adeptio. Quam utramque dividi in *Naturalem*,& *Supernaturalem*. Et quidem de supernaturali Beatitudine constare ex fide, quòd objectum Beatificum nequeat esse creatum, sed sit solus Deus. Etenim Beatitudo est status omnium Bonorum aggregatione perfectus. ex Boëtio *lib. 3. de Consol.* Cui consonat Divus Thomas *1.2. q.5. a.3. & 4.* asserens; Beatitudinem esse perfectum ac sufficiens Bonum, omne malum excludens, & omne desiderium implens. At omnimoda satietas, repletio & sufficientia secundùm sacras litteras habetur in Vitâ æternâ, quæ est per visionem Dei. Unde Propheta Regius *psal. 16.* psallit ad Deum. *Satiabor, cùm apparuerit gloria tua.* Et *psal. 35. Inebriabuntur ab ubertate domûs tuæ & torrente voluptatis tuæ potabis eos, quia apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen.* Hinc etiam Philippus *Ioan. 4.* dicebat ad Christum : *Domine ostende nobis Patrem & sufficit nobis.* Indubitatum ergo est, quin Beatitudo supernaturalis consistat in solius Dei intelligibili ac Intentionali possessione: juxta illud, *Ioan. 3. Cùm apparuerit, similes ei erimus, quia videbimus eum, sicuti est.*

2. Supponendum 2. Ratione naturali demonstrari posse, quòd Beatitudo etiam naturalis consistat in Bono duntaxat Increato ac infinito. Etenim Bona hominis creata, pro quibus (uti apud Aristotelem *lib. 1. Eth. 10.* nec non Sanctum Augustinum *10. de Civit. à princ. & cap. 56. item tract. de Epicureis & Stoicis* videre licet) Philosophi tanquàm pro ultimo fine concertabant, reduci possunt ad tria capita. In primo continentur externa hominis bona; scilicet Divitiæ, Honor, Fama, & Potestas. At inprimis Divitiæ naturales, cujusmodi sunt vestimenta & alimenta, serviunt ipsi homini, & ad ejus naturæ commoditatem, ac sustentationem ordinantur. Divitiæ verò artificiales, veluti pecuniæ ordinantur ad comparandas vel conservandas naturales Divitias. Nequit ergo voluntas hominis in Divitijs sive naturalibus sive artificialibus sistere tanquàm ultimo fine. ex S. Thomâ *pres. q. 2. a. 1.* Deinde Honor exhibetur in signum Excellentiæ alteri
3. inexistentis. Unde honor *subjectivè* est Honorantis, ac solùm *Terminativè* est Honorati, cujus non tam est Excellentia, quàm Excellentiæ in ipso suppositæ testificatio extrinseca. At Beatitudo formalis est hominem *intrinsecè* perficiens, illumq; excellentem reddens non supponens. ex Divo
Thomâ *hic art. 2.* Adhæc fama seu Gloria nihil a- 4.
liud est, nisi clara alicujus notitia cum laude. At ista notitia seu laus, si est una, supponit in ipso excellentiam illi famæ parem & condignam, non illam tribuit. Si verò est falsa, non datur ejusmodi excellentia in homine. Nullo igitur modo potest Beatitudo hominis consistere in famâ, seu Gloriâ humanâ. ex Doctore *pres. art. 3.* De-
nique potestas non est omnis mali exclusiva, sed 5.
cùm malè eâ quis uti possit, compati secum potest plurima mala. Imò cùm potestas habeat rationem Principij Gubernativi, aliorumque adeò in fines debitos ordinativi, nequit ex hoc etiam fundamento habere rationem ultimi finis, ex Divo Thomâ *hic art. 4.*

Supponendum 3. In secundo creatorum Bo- 6.
norum hominis capite censeri Bona corporis, veluti sanitas, robur. At ista non posse ultimum esse finem hominis, Doctor Angelicus *hic art. 5.* probat, tum quòd omnia Bona corporis ordinentur ad Bonum animæ tanquàm ipsius *Organa*. Finis autem ultimus sit, ad quem cætera omnia ordinantur. Tum quòd Bona Corporis pertineant ad ejus conservationem in Esse. Eo ipso autem, quòd homo nequeat sui ipsius esse finis ac Bonum *Completè* satiativum, neque conservatio
ejus in Esse potest esse ipsius Beatitudo. 7.

Supponendum 4. In tertio creatorum Bonorum hominis capite poni Bona animæ. Ejusmodi verò sunt tum ipsius substantia, tum potentiæ, tum species intelligibiles, ac objecta per has repræsentata, atque operationes. At eo ipso, quòd Intellectus & voluntas animæ se extendant ad universale Bonum, in omni autem re creatâ sit Bonum ac Verum duntaxat participatum, non autem universale ac ultimatum, nequit ullum Ens creatum sive substantia sive accidens animæ inexistens ipsius esse completivum, ac perfectè satiativum. Non potest igitur ullum animæ Bonum esse Beatitudo hominis objectiva, licèt operatio Bonum Increatum Intentionaliter attingens, ac sistens in animâ sit
hujus Beatitudo formalis. ex S. Doctore *cit. q. 2.* 8.
a. 6. 7. & 8. Quibus adeò circa Beatitudinem objectivam suppositis, eas, quæ moveri possunt de Beatitudine formali difficultates, duobus complectemur articulis. In 1. acturi *de Essentia & proprietatibus formalis Beatitudinis*. In 2. *De Dotibus, Aureolis, & fructibus statum Beatificum concomitantibus.*

ARTI-



ARTICULUS I.

DE

Essentiâ, & Proprietatibus Formalis Beatitudinis.

De hac formali Beatitudine sequentes veniunt examinandæ controversiæ. 1. *In quo consistat naturalis beatitudo hominis.* 2. *An & qualis pro statu viæ detur animæ Beatitudo supernaturalis?* 3. *An supernaturalis formalis Beatitudo pro statu Gloriæ consistat in Increato Divinæ Essentiæ in animam illapsu?* 4. *In quâ Formâ creatâ anima pro statu Gloriæ Essentialiter consistat supernaturalis Beatitudo?* 5. *Utrùm amor necessariò in exercitio sequatur ex visione Beatificâ?* 6. *An visio Beata ex se formaliter sit exclusiva peccati tam actualis, quam habitualis?* 7. *Utrùm visio Beata constituat animam ab intrinseco impeccabilem?* 8. *Denique an perpetuitas sit de Essentiâ Beatitudinis, & unde oriatur?*



CONTROVERSIA I.

An detur, & in quo consistat hominis Beatitudo Naturalis?

1. Vasquez *1. p. disp. 226. cap. 2. & 1. 2. disp. 12. cap. 3.* negat, dari posse Beatitudinem naturalem. Fundamentum est. Beatitudo enim nequit compati secum summam miseriam. Atqui tam contemplatio, quam amor Dei naturalis secum compatitur summam miseriam: scilicet peccatum. Ergo neutra habet rationem Beatitudinis.

2. Martinez *hic q. 2. a. 8. dub. un. concl. 5.* existimat, Beatitudinem possibilem pro statu separationis animæ à Corpore, non autem pro hâc vitâ. Fundamentum est. Quia de ratione Beatitudinis est, perpetua vel saltem diuturna duratio: Bonum enim citò transiens nequit vocari Beatitudo. At in hâc vitâ nequit ulla operatio esse durabilis, sed somno alijsque operationibus oportet de momento in momentum interrumpi. Econtra in statu separationis animæ à corpore vis Intellectiva ab organis corporis jam expedita potest ex creaturis Evidenter cognoscere Deum, in ejusque Divinitate uniformi & constanti contuitu mentis oculum figere, potestque adeò in hac contemplatione jucundari, ac beari. Ergo pro tunc potest naturæ viribus habere Beatitudinem.

3. Divus Thomas *1. p. q. 62. a. 1. & q. 64. a. 1. ad 1.* Item *1. 2. q. 3. a. 5.* supponens, dari Beatitudinem naturalem; constituit eam in contemplatione Divinorum. Fundamentum *proximè cit. a. 5.* deductum est. Oportet enim, quòd Beatitudo sit optima operatio hominis. Optima autem operatio hominis est, quæ est optimæ potentiæ respectu optimi objecti. Atqui optima potentia est Intellectus, cujus objectum optimum est Bonum Divinum. Ergo Beatitudo maximè consistit in contemplatione Divinorum, utpote ex se maximè delectabilis.

Hoc Angelici Doctoris argumentum pro 4.
præsenti instituto refutat subtilis Doctor *in 4. dist. 49. q. 4. à n. 10.* Fundamentum est. Si enim Intellectus esset perfectior voluntate, hoc esset *primò* ob majorem Veri qua objecti Intellectûs, quàm Boni, qua voluntatis objecti perfectionem. At Bonum & Verum sunt Transcendentia, seque mutuò denominant, suntque adeò æqualis perfectionis, esse Essentialiter verum, ac esse Essentialiter
Bonum. *Secundò* id esset ob majorem perfectionem 5.
habitûs Intellectualis veluti de sapientiâ testatur Philosophus esse nobilissimum habitum. Atqui charitatem esse perfectiorem omni virtute etiam intellectuali, constat *ex 1. Corinth. 13.* Unde Augustinus *5. de Trinit. cap. 19.* ait: *in Donis Dei nullum est maius Donum charitate, nec æquale.* *Ter-*
tiò id foret ex eo, quòd actus Intellectûs sit 6.
Causa actûs voluntatis. At hæc ratio nullius est momenti; tum quòd voluntas imperet Intellectui, sicque adeò causa respectu Intellectionis: tum quòd posterius generatione secundum Philosophum *9. Metaph. tex. 15.* sit priùs perfectione, debeatque adeò volitio tanquàm posterior Intellectione magis esse perfecta. Tum denique, quòd volitio sit Finis Intellectionis.
Hinc prætactus Doctor subtilis *cit. q. 4. n. 4.* 7.
Beatitudinem ponit in actu voluntatis, non autem Intellectûs. Fundamentum est. Si enim velle sit magis volendum, quam Intelligere, tunc in illo potiùs debet constitui Beatitudo. At eo ipso, quòd Finis Ultimus tanquàm simpliciter optimum, sit objectum summè volendum, sequitur, id quod Fini Ultimo est immediatius, esse magis volendum. At velle est immediatius ultimo fini, quàm Intelligere: siquidem finis ultimus quà talis sit proprium objectum ipsius velle. Ergo in velle potiùs, quàm in intelligere poni debet Beatitudo Formalis.

Ildephonsus Baptista *1. 2. disp. 44. dub. 1. n.* 8.
335. 340. & 341. tenet; *Primò.* Beatitudinem in hâc vitâ *Completivè* includere actus Intellectûs tam speculativi (quibus perficiatur in contemplatione Dei Auctoris naturæ, substantiarum separatarum, & reliquarum rerum naturalium saltem in communi) quàm practici; quibus disponatur ad rectè operandum. Insuper includere ex parte voluntatis actum amoris Dei Auctoris naturæ super omnia, & actus præcipuarum virtutum. Denique includere ex parte Corporis Bona exteriora huic inservientia. *Secundò.* Probabile esse, quòd Beatitudo naturalis præsentis vitæ *Essentialiter* non solùm includat actum intellectûs speculativi, sed practici, nec non actum amoris Dei Auctoris naturæ super omnia. *Tertiò.* Multò tamen probabilius esse, quòd distingui debeat vitæ hujus Beatitudo naturalis, ita ut una homini quà contemplativo competat *Essentialiter* consistens in perfectissimâ optimi intelligibilis, scilicet Dei Auctoris naturæ contemplatione; altera verò homini quà [illegible]tivo, seu ad aliam vi[illegible] tendenti competat, *Essentialiter* consistens in actu perfe-

ctissi-

ctissimo Intellectûs practici scilicet prudentiæ, prout est Principium Amoris naturalis Dei & reliquarum virtutum.

9. Fundamentum Primi est. Nam Aristoteles *10. Eth. cap. 8.* docet, quòd tam fælicitas seu Beatitudo Contemplativa, quàm activa hujus vitæ dependeat aliquo modo à Bonis Corporis, ac exterioribus.

Fundamentum secundi est. Hoc enim dis-
10. criminis est inter supernaturalem & Naturalem Beatitudinem, quòd in supernaturali Beatitudine visio intellectûs necessariò secum adferat amorem Dei, nec adeò possit stare cum aversione voluntatis à Deo, sive cum peccato. Econtra Contemplatio Dei quà auctoris naturæ non adferat secum necessariò amorem Dei, nec excludat turpitudinem peccati. Atqui non videtur posse Beatitudo consistere cum peccato, cùm alioquin in Dæmone habente Dei quà Auctoris naturæ cognitionem esset Beatitudo naturalis.

11. Fundamentum tertij est. Sicut enim in Beatitudine supernaturali præter unam perfectam, quæ est in patriâ, distinguimus alteram, quâ quis judicatur Beatus *inchoativè*: sic in Beatitudine naturali oportet distinguere unam, quam habet homo in viâ *Inchoativè*. Hæc autem est operatio Virtutis naturalis. Probatur ista minor. Sicut enim Beatitudine supernaturali hujus vitæ tendimus in Beatitudinem patriæ, sic Beatitudo practica hujus vitæ tendit in Beatitudinem naturalem alterius vitæ. At ista tendentia eatenus est per operationem Virtutis, ut hæc ipsa sortiatur Formalem Beatitu-
12. dinis rationem. Probatur istud assumptum. Nam Beatitudo consistit in perfectissimâ operatione, quâ homo conjungitur Deo, & ab eo participat fælicitatem. At homo non in parte duntaxat speculativâ per contemplationem Dei naturalem natus est conjungi Deo, sed in parte etiam practicâ assimilatur ipsi per hoc, quòd amet illum, & operetur omnem virtutem. Hæc autem originatur ex cognitione practicâ. Oportet igitur, Beatitudinem hujus vitæ *Essentialiter* importare etiam operationem Intellectûs practici, prout nimirum ex isto procedit Amor Dei, & operatio virtutis.

Conclusio.

Beatitudo naturalis Essentialiter consistit in solâ Dei quà auctoris naturæ contemplatione.

13. Probatur. In illâ enim operatione consistit naturalis Beatitudo animæ, ad quam tota hujus vitæ virtus ex innato suo appetitu ultimatè collimat. Atqui animæ vis alia est cognoscitiva, alia verò appetitiva. Hæc autem animæ quà rationalis propria tanquàm objectum sui specificativum respicit Honestatem moralem, utpote *Formaliter* sitam in conformitate cum naturâ quà rationali. At verò Honestas moralis in statu etiam naturæ alia versatur immediatè circa Deum quà objectum sui specificativum, alia circa convictum publicum & Humanum, alia denique circa passionum sub rectâ ratione moderationem. Hæc autem passionum moderatio eò tendit, ut ratio à sui corporis conspersione depurata expeditè se moveat in ijs, quæ rationis sunt propria. Illa verò rationis à corporis conspersione depuratio eò collimat, ut elevatiores semper Intelligibilitatis Formæ abstrahantur. Ista verò Intelligibilium Formarum abstractio ultimatè consummatur in unius primi Intelligibilis contemplatione, ad quam omnes Intellectuales discursus ac elevationes Intelligibiles convolutæ in intellectu pariunt unam depuratiorem ac subtiliorem primi Intelligibilis sub puritate omnimodam imperfectionem removente repræsentativam intelligibilitatem. Constat proinde, innatam animæ quà rationalis vim ad moderamen passionum ab intrinseco inclinativam ut sic ultimatè collimare in Intelligibilitatem Primi Intelligibilis repræsentativam, atque adeò Divinitatis contemplativam intellectionem.

Dices. Illam primi Intelligibilis repræsen- 14.
tativam Intelligibilitatem consistere in quâdam specie impressâ, cum quâ sit conjunctus habitus sapientiæ, omnium specierum ad depuratiorem Primi Intelligibilis repræsentationem ordinativus, & ut sic in unam Primam Causam omnium creatorum effectuum Intelligibiliter reductivus. In hoc proinde sapientiæ habitu collocari debere primam naturalis Beatitudinis Essentiam: Siquidem habitus ejusmodi sit radix contemplationis, omnisque perfectionis ad Beatitudinem *Completivè* spectatâ pertinentis.

Contra. Nam Beatitudo Formalis *Essentialiter* consistit in primâ Finis ultimi consecutio- 15.
ne actuali, ad quam vel omnes Intelligentiæ operationes ex specificâ naturæ quà intellectualis inclinationes ordinantur, vel ex quâ ceu primâ sui radice & principio radicali cæteræ status Beatifici *quasi integraliter* completivæ operationes *connaturaliter* consequuntur. At eo ipso, quòd intellectionis proprium sit, esse objecti sui repræsentativam, facereque adeò objectum sibi intelligibiliter præsens, consequenter Intellectioni Primi Intelligibilis repræsentativæ & contemplativæ convenit esse ultimi Finis consecutionem actualem; cùm econtra sapientiæ Habitus, vel impressa Dei quà Auctoris naturæ repræsentativa species non tam sit ultimi Finis in esse intelligibili consecutio actualis, quàm potentialis seu Habitualis. Non igitur sapientia Habitualis sub ratione tam habitûs, quàm specierum spectata, sed prout dicit actualem primi Intelligibilis contemplationem, est in statu naturæ *Essentialiter* Beatitudo Formalis, utpote ad quam omnes Intellectualis ad passionum moderamen inclinativæ naturæ operationes ut sic Ultimatè colliment, *veluti superiùs est demonstratum*; & ex quâ omnium virtutum naturalium ex specificâ animæ quà rationalis inclinatione immediatè circa Deum vel circa convictum politicum versantium actiones natæ sint emanare.

Probatur istud assumptum. Nam cognitio 16.
sub puritate omnimodam imperfectionem Intelligibiliter removente, Dei repræsentativa voluntati exhibet summæ Bonitatis appretiabilitatem. Hæc autem ut sic nata est excitare voluntatem ad sui amorem omni creato Bono præponderantem. Unde illa contemplativa Dei notitia nata est generare amorem Dei super omnia. Deinde virtutes circa convictum poli-

17. politicum versantes in eo fundantur, quòd, cùm omnes homines in una Dei secundum specificam suae quà Intellectualis naturae convenientiam participatione inter se consocientur, oporteat quemlibet hominum, ut, quod vult sibi fieri, alteri faciat. At ista in gradu intellectivo Dei participatio eatenus est propter Deum appretiabilis, ut consequenter amor Dei sit connaturaliter inclinativus in appretiationem illius participationis, in quâ ut sic radicatur omnimoda virtutum circa politicum convictum versantium Honestas. Consequens proindeest, cùm ex appretiabilitate Divinae Bonitatis quodammodò pullulet appretiabilitas Honestatis virtutum circa convictum humanum versantium specificativa, contemplationem, sub puritate omnimodam imperfectionem Intelligibiliter removente, Dei repraesentativam esse radicem, ex quâ non amor duntaxat Dei super omnia, sed omnium virtutum actus pullulent, imò ad quam etiam ex intrinsecâ naturae quà Intellectualis inclinatione ordinentur virtutes passionum moderativae. Ergo in ipsâ ceu primaevâ actuali primi Intelligibilis consecutione, & radicali omnimodae naturalis Beatitudinis origine rectè constituitur Essentia Formalis Beatitudinis naturalis.

18. Instabis. Formalem Beatitudinem in statu etiam naturae debere ex ratione suâ intrinsecâ esse exclusivam malitiae Naturae quà Intellectuali repugnantis. Hanc verò malitiam esse peccatum; Atqui contemplationem Dei naturalem utpote abstractivam duntaxat non esse exclusivam peccati etiam mortalis.

19. Contra. Nam sicuti substantia aquae non *immediatè & formaliter* per se ipsam est exclusiva caloris, sed *radicaliter* duntaxat ac mediante frigore ex se pullulante: sic contemplatio Dei abstractiva est *radicaliter* exclusiva affectûs Mortaliter peccaminosi, utpote quoad objectum sibi repugnantis. Probatur ista consequentia. Nam virtus in aquae substantiâ *Connaturaliter* exclusiva caloris est ipsa ejus Essentia, habens sibi realiter identificatam virtutem pullulativam caloris *proximè* ac *formaliter* à subjecto excludentis frigus sibi oppositum. At contemplatio Dei quà summi Boni repraesentativa habet vim generativam amoris Dei super omnia. Hic autem amor nequit subsistere cum actuali affectu lethaliter peccaminoso; siquidem per hunc Bonum aliquod creatum, per illum verò Bonum increatũ super omnia appretietur, nequeat autem simul stare duplicis Boni super omnia appretiatio. Etsi verò intrinseca contemplationis Dei abstractivae ad amorem Dei super omnia appretiativum in voluntate * excitandum vis superari possit à liberâ & Dominativâ voluntatis potestate: hoc nihil impedit; quò minùs illa Dei abstractiva contemplatio sit *radicaliter* exclusivâ
20. affectûs peccaminosi. Probatur istud assumptum. Nam licèt substantia aquae ad frigoris ex se emanationem vis intrinseca superari possit ab igne; hoc tamen non obstat; quò minùs aquae substantia sit ab intrinsecò *radicaliter* exclusiva caloris. Haec autem vis radicalis in eo se tenet, quòd substantia aquae, inexistente licèt calore, habeat sibi identificatam virtutem reproductivam frigoris, atque hoc mediante caloris exclusivam. Atqui abstractiva contemplatio Dei super omnia appretiabilitatis repraesentativa, renitente licèt voluntatis arbitrio, est de se apta excitare amorem Dei, atq; ex hoc parere gaudium, omnimodamque virtutum honestatem cujusvis peccaminosi affectûs, si non insuperabiliter, saltem sufficienter exclusivam. Unde per intrinsecam suam naturam semper manet tanquàm radix omnimodae faelicitatis gradui Intellectivo competentis, quantùm est de se, sufficienter generativa, atque adeò miseriae naturae quà rationali convenientis exclusiva. Cùm igitur Beatitudo Essentialiter spectata consistat in primâ Dei intentionali consecutione, habente radicalem omnimodae gradûs Intellectualis propriae felicitatis virtutem; ejusmodi verò secundùm statum purae naturae sit abstractiva Dei contemplatio, consequens est, in hac consistere Naturalem Beatitudinem.

Urgebis. Beatitudinem definiri, quòd sit 21.
statusomnium Bonorũ aggregatione perfectus. Atqui hunc Naturae quà Intellectualis perfectum statum non praecisè consistere in abstractivâ Dei contemplatione, sed omnimodae faelicitatis aggregatione. Imò abstractivam Dei cognitionem ne *Radicaliter* quidem exclusivam esse peccati saltem Habitualis. At statum simpliciter perfectum omnimodae miseriae, atque adeò peccati etiam exclusivum esse.

Contra. Nam Beatitudinis status potest spe-
ctari tum *Essentialiter*, tum *Integraliter*. Etsi verò 22.
de statu integrali Beatitudinis sit omnimoda faelicitas naturae quà Intellectuali conveniens: attamen Essentia Beatitudinis consistit in tali objecti Beatifici Intelligibili consecutione, quae sit radix omnimodae illius faelicitatis. At Dei abstractiva contemplatio est sapientia naturalis ex se nata parere gaudium & laetitiam, omnimodamque Honestatem naturae quà rationali congruam, excludereque *Radicaliter* affectum peccaminosum, atque adeò miseriam intelligentiae creatae ut sic dissonam. Insuper Dei super om-
nia amor naturalis in ratione conversionis ad 23.
Deum ex illâ contemplatione emanans esset peccati in purae naturae statu perpetrati de condigno reparativus. Et licèt peccati secundùm injuriae rationem spectati gravitas in illo etiam purae naturae statu non esset *Condignè* reparabilis per illum Dei amorem, hic tamen aliquam in se fundaret congruitatem remissionis à Deo offenso misericorditer faciendae. Unde abstractiva Dei contemplatio habet radicalem quandam Virtutem peccati non tantùm actualis, sufficienter, licèt non insuperabiliter impeditivam, sed Habitualis etiam peccati quoad rationem injuriae (quantum est in viribus purae creaturae) quodammodò exclusivam. Constat igitur, quòd abstractiva Dei contemplatio sit *radicaliter* status omnium Bonorum aggregatione perfectus, omnisque mali naturae Intellectuali ut sic dissoni exclusivus. In quâ proinde contemplatione consistit tota Beatitudinis perfectio Essentialis, non autem integralis.

Responsio ad opposita Fundamenta.

AD Vasquezij *n. 1.* oppositum Respondetur. 24.
Contemplationem & amorem Dei naturalem secum quidem compati peccatum tum habituale, tum etiam actuale. Hinc tamen solùm

evinci, tum quòd contemplationis Dei intrinseca ad amorem Dei excitandum, & hoc mediante removendum affectum peccaminosum virtus non sit insuperabilis, tum quòd amor Dei naturalis esset peccati in puræ naturæ statu perpetrati de congruo duntaxat reparativus. Cùm igitur de ratione Beatitudinis naturalis sit, esse summæ miseriæ exclusivam non absolutè ac insuperabiliter, sed secundùm proportionem virium Intelligentiæ creatæ commensuratarum, consequens esse; quòd contemplatio & amor Dei naturalis habeant rationem Beatitudinis proportionatæ viribus creatæ intelligentiæ.

25. Ad fundamentum ex parte Martinez *n. 2.* oppositum Respondetur. Beatitudinem *Essentialiter* consistere in Intelligibili objecti Beatifici consecutione, habente ut sic omnimodæ fælicitatis naturæ quà rationali competentis radicalem virtutem. At hoc totum convenire naturali Dei contemplationi habitæ pro statu animæ cum corpore unitæ. Unde perpetuitatem seu diuturnitatem Durationis non esse de Essentiâ Beatitudinis saltem *Genericè* spectatæ, prout abstrahit à supernaturali ac naturali Beatitudine, conveniente animæ statui tum separationis, tum unionis cum corpore.

26. Ad Divi Thomæ *n. 3.* propositum fundamentum Respondetur. Id omnino nobis probari. Etenim sicut perfectio dicit actualitatem, sic imperfectio fundatur in potentialitate, atque adeò materialitate, utpote fundatrice limitationis. Unde, cùm potentiæ intentionales specificentur per rationem formalem objectivam, est consequens, potentiam ejusmodi tantò esse perfectiorem, quantò magis ejus ratio formalis objectiva depuratur à potentialitate, atque adeò materialitate. Atqui objectum intellectûs sub abstractiori à potentialibus seu materialibus conditionibus ratione est motivum potentiæ, quàm objectum voluntatis. Probatur istud assumptum ex Ioanne à S. Thomâ *de animâ. q. 12 a. 5.* Nam objectum Intellectûs hunc
27. eatenus movet, ut ad omnia, quæ sunt in objecto sub quocunque statu, possit intimè penetrare. Hinc intellectus dicitur quasi intus legens, utpote quantum est de se, ac nisi impediatur ex defectu luminis Intelligibilis seu specierum, potens ad ultima quæque ingredi. Atqui voluntas econtra nihil horum facit, sed factum ab intellectu supponit, se inclinando ad objectum, prout intentionaliter repræsentatum. In hoc ipso tamen debet Intellectus priùs repræsentare Bonitatis convenientis rationem depuratam à conditionibus imperfectionis ac limitationis. Ex hoc autem evincitur, quòd, licèt voluntas in motu quasi applicativo ac effectivo sit posterior intellectu, hic tamen in attingentiâ objectivâ superet voluntatem. At eo ipso, quòd ab objecto sumatur specificatio, sequitur; illam potentiam Intentionalem esse simpliciter perfectiorem, quæ in attingentiâ objectivâ potiorem obtinet locum. Cùm igitur intellectus absolutè sub quocunque statu, voluntas autem sub illo duntaxat statu, in quo secundùm rationem convenientiæ vel existentiæ & assequibilitatis est ipsius allectivum, attingat objectum sibi ab intellectu priùs repræsentatum; consequens est, Intellectum esse potentiam simpliciter voluntate perfectiorem, atque adeò in primi ac Beatifici objecti repræsentativâ operatione intellectuali consistere Beatitudinem.

Ad Primum Scoti *n. 4.* oppositum Respondetur. Illo duntaxat probari, quòd Verum & Bonum *Entitativè* sint æquè perfecta, atque adeò *Materialiter* æquè perfectum esse objectum voluntatis, ac intellectûs; licèt *Formaliter* in ratione objecti intellectûs immutativi, ac voluntatis motivi, illud sit isto perfectius. Probatur istud assumptum. Nam perfectio objecti potentiæ motivi desumitur ex abstractiori & depuratiori ratione. Atqui intellectus respicit in suo objectio quamlibet Formalitatem sub ratione Quidditatis ac Essentialitatis. Hæc autem ratio Essentialitatis est universalissima, ipsam etiam materialitatem ac individuationem quandoque importans sub Formalitate, ex parte repræsentationis saltem, si non ex parte rei repræsentatæ, *signatè* abstractâ à potentialitate; ita ut licèt Intellectus istam *signatè* suo quandoq; actu exprimat, in hac tamen expressione per modum objecti Formalis Motivi se habeat ratio Essentialitatis, seu Quidditatis; non autem potentialitatis, utpote *Materialiter* solùm se habentis ad universalem Intellectûs commensurationem. Econtra voluntas universali suâ commensuratione respicit Bonum sub ratione Finis. Atqui sub istâ ratione Finis importatur existentia vel assequibilitas ipsius. Hæc autem Finis existentia, licèt respectu unius determinati voluntatis actûs, charitatis nimirum Theologicæ, sit purissima Essendi actualitas: respectu tamen voluntatis secundùm universalem sui cum objecto commensurationem spectatæ complectitur Existentiam & assequibilitatem Boni etiam creati, sub determinatâ Bonitatis ad creatum, atque adeò potentiale Esse concretione considerati. Hinc autem fit, quòd voluntas sub universali suâ Commensuratione spectata non habeat pro objecto formali Essentialitatis seu Quidditatis ut sic *Formaliter* spectatæ rationem, sed Bonitatem quà concretam ad Esse vel actuale, vel potentiale. Ex hoc autem manifestè evincitur; objectum Intellectûs *Formaliter* spectatum esse objecto voluntatis ad universalem ipsius commensurationem comparato universalius & abstractius, atque adeò à materialitate, & consequenter ab imperfectione depuratius. Cum igitur potentiæ intentionales specificētur ex objecto suo formali motivo, consequens est, Intellectum esse voluntate *simpliciter* perfectiorem. 28.

Ad secundum Scoti *n. 5.* oppositum Respondetur. Charitatem Theologicam inprimis non esse perfectiorem sapientiâ *Intuitivè* repræsentativâ Divinitatis. Deinde licèt charitas in *genere moris ac meriti*, imò & *in ratione affectuosæ* cum Deo summo Bono *unionis*, quin imò *in genere quoque Entis* secundùm specificam suam differentiã ex suâ ad particulare objectum Motivum commensuratione consideratam esset perfectior sapientiâ etiam supernaturali Dei solùm *abstractivè* contemplativâ: attamen hæc in ratione specificationis Genericæ secundùm universalem Intellectûs cum objecto Formali motivo commensurationem spectatæ est altior ac depuratior. Unde ex majori Charitatis Theologicæ supra reliquas ipsius etiam supernaturalis abstractivæ sapientiæ virtutes perfectione non infertur;

fertur; quòd voluntas sit Intellectu *simpliciter* perfectior secundùm universalem tam Intellectûs, quàm voluntatis ad objecta sua motiva *Formaliter* spectatam commensurationem, sed *secundùm Quid*, quoad unius voluntatis actûs, charitatis nimirum Theologicæ comparationem cum uno determinato Intellectûs actu, sapientiâ nimirum supernaturali abstractivâ.

32. Ad tertium Scoti *n. 6.* oppositum Respondetur. Verum quidem esse, quòd Intellectus moveat voluntatem, ac econtra voluntas imperando moveat Intellectum. Nihilominùs intellectum esse voluntatis Motivum *specificativè* ac *objectivè*, imò & *Finaliter*: voluntatem verò esse Intellectûs motivam solùm *applicativè* ac *Effectivè*. Hos autem diversos movendi modos in eo se tenere, quòd hic posterior sit ad exercitium duntaxat, ille verò ad speciem actûs. At per se manifestum esse, quòd modus movendi ad speciem sit perfectior modo movendi ad exercitium duntaxat. Consequens proinde esse, quòd ex hoc etiam capite Intellectus sit perfectior voluntate. Unde illud Aristotelis dictum, *quòd posterius generatione sit prius perfectione*, non debet extendi *ultra lineam Generationis*, intra quam natura eam quandoque facit subordinationem, ut substantiæ priùs generatæ dispositio sit ordinata ad majorem & perfectiorem substantialem formam. Secus verò est *de lineâ Emanationis*, secundùm quam potentiæ Intellectiva animæ substantiæ intimior hujus immaterialitatem voluntate perfectiùs participat, nec adeò volitio *absolutè* ac *per se* secundùm Intellectûs naturam loquendo, se habet ad Intellectionem tanquàm Finis, sed tanquàm affectio quædam ex Intellectione ceu Formâ *objectivè* specificativâ vel *simpliciter* ac *Insuperabiliter* secundùm necessitatem vel secundùm indifferentiam Electivam liberè emanans.

33. Ad subtilis Doctoris *n. 7.* oppositum fundamentum Respondetur. Ultimi Finis rationem *formalissimè* importare Essentialitatem. Ut sic autem spectare ad Intellectum, tanquàm objectum ipsius Formale Motivum. At omnimodam ejusdem ultimi Finis Formalitatem, quà voluntatis objectum debere secundùm Formalitatis ejusmodi Essentialitatem priùs repræsentari per actum Intellectionis. Unde ultimum Finem sub Formalissimâ sui ratione per prius se habere ad Intellectum, quàm ad voluntatem. Si ergo Beatitudo *Essentialiter* consistat in primâ ultimi Finis intentionali, attingentiâ seu possessione, consequens esse, Beatitudinem Formalem *Essentialiter* consistere in Intellectione, non autem in volitione.

34. Ad Ildephonsi Baptistæ à *n. 8.* propositam doctrinam & fundamenta Respondetur. Nobis probari quidem, quòd Beatitudinem naturalem *Completivè* & *integraliter* ponat in omnimodâ Naturæ quà rationali secundùm quemlibet statum spectatæ congruâ Boni possessione: attamen improbari, quòd Beatitudinem naturalem hujus saltem vitæ *Essentialiter* statuat in actu Intellectûs,
35. non speculativi duntaxat, sed etiam practici, imò & amoris Dei. Ratio hujus nostræ improbationis est. Tum quia licèt Contemplatio Dei naturalis componibilis sit cum peccato, hæc tamen compatibilitas respectu illius contemplationis se habet per accidens, estque ex vi Dominativâ voluntatis supra ultimum finem non *ut est in se*, sed *abstractivè* duntaxat repræsentatum. Unde sicut substantia aquæ per se ipsam determinata ad frigus compati secum potest calorem frigoris expulsivum non per se, & ab intrinseco, sed ratione alterius agentis prædominantis: sic contemplatio Dei abstractiva ex se nata est parere amorem Dei, omnemque virtutis honestatem, atque adeò excludere peccati malitiam. Sicut ergo in substantiâ aquæ se habet naturæ vis frigoris non respectu cujuslibet agentis extrinseci insuperabiliter, sed quantum est de se sufficienter ac determinatè pullulativa: sic in contemplatione Dei abstractivâ quà secundùm se natâ generare amorem Dei, omnimodamque virtutis honestatem, *Essentialiter* consistit Beatitudo naturalis. Unde Dæmones actum istum cognitionis Dei retinentes habent Beatitudinem naturalem *Entitativè*, non autem *Denominativè*, siquidem totam illius Entitatem eatenus habeant, ut hæc tamen non sit denominativa in ratione Beati, nisi cum connotatione perfectionis peccati exclusivæ: cujusmodi connotatio non stat in Dæmonibus.

Tum quia practica virtutum regulativa 36.
cognitio in statu viæ seu tendentiæ se habet ut medium ad Beatitudinem, in statu autem possessionis se habet ut proprietas consequens abstractivam Dei contemplationem, siquidem hæc nata sit in voluntate excitare amorem Dei, ac omnis virtutis honestatem, atque adeò præviam istius honestatis in Intellectu expressam regulationem. Consequens proinde est, istam regulationem practicam non pertinere ad primam formalis Beatitudinis quidditatem, sed in statu Beatifico se habere ad illam instar proprietatis.

CONTROVERSIA II.

An & qualis detur pro statu viæ Beatitudo supernaturalis?

DAri supernaturalem hujus vitæ Beatitudinem, evincitur ex sacris litteris: si- 1.
quidem *Psal. 1.* dicatur, *Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum.* Et *Psal. 118.* asserantur *Beati immaculati in viâ.* Et *Math. 5.* affirmentur *Beati pauperes spiritu, ac mundo corde.* Unde videtur concludi, Beatitudinem supernaturalem hujus vitæ sitam esse in puritate & sanctitate vitæ ac honestate Virtutum supernaturalium maximè Theologicarum. Verùm difficultas moveri potest:
In qua supernaturali Formâ seu actu præcipuè ac Essentia- 2.
liter consistat hujus vitæ Beatitudo supernaturalis?

Referuntur Sententiæ.

FRanciscus de Oviedo *præs. tract. 1. cont. 2. punc.* 3.
8. n. 117. existimat, Beatitudinem supernaturalem hujus vitæ *Essentialiter* consistere in præciso statu sanctitatis Habitualis. Fundamentũ est. Tum quia in hac vitâ nulla major potest esse approximatio ad Beatitudinem supernaturalem, quàm status sanctitatis, ex vi cujus homo immediatè jus habet ad Beatitudinem. Tum quia positis omnibus actibus supernaturalibus, secluso sanctitatis

ctitatis statu, potest intelligi homo cum maculâ peccati lethalis habitualis, cum quâ nequit homo esse Beatus.

4. Vasquez *hic disp. 12. cap. 3. n. 13.* docet, Beatitudinem hujus vitæ esse præcipue charitatem, & deinde opera omnium aliarum virtutum. Fundamentum est. Nam in hâc vitâ eatenus potest quis vocari Beatus, quatenus initium habet veræ Beatitudinis, quam sperat in aliâ vitâ. At istud initium solummodò contingit per modum meriti. Meritum autem præcipuè est opus charitatis, deinde aliarum virtutum. Rectè igitur dicitur Beatitudo hujus vitæ sita esse in charitate, & in operibus aliarum virtutum, Divo Thomâ *infra q. 5. a. 5.* expressè asserente: *Imperfectam beatitudinem hujus vitæ sitam esse in operatione virtutis.*

5. Suarez *præs. disp. 7. sect. 2. n. 17.* sentit, hominem in hâc vitâ posse dupliciter considerari; *Primò* prout existit in quodam statu, in quo potest aliquo modo consequi, ac tenere suum finem, abstrahendo à promissione alterius perfectæ Beatitudinis, atque ut sic Beatitudinem hominis *Essentialiter* non requirere alium actum, quàm cognitionem & amorē Dei. *Secundò*. Prout homo tanquàm viator tendit ad perfectam Beatitudinem sibi promissam consequendam, atque ut sic spem aliquo modo esse Essentialem Beatitudinem hujus vitæ. Fundamentum Primi est. Tum quia Beatitudo est apprehensio & possessio finis. Unde Beatitudo hujus vitæ debet esse inchoata apprehensio. At Intellectus est potentia apprehensiva, atque adeò etiam in hâc vitâ per illum maximè apprehendimus ultimum finem. Consequens proinde est, Beatitudinem hujus vitæ importare *Essentialiter* actum Intellectûs. Tum quia illa est præcipua forma, vel pars Essentialis Beatitudinis, quæ maximè rectificat hominem in ordine ad finem ultimum, magisque eum illi conjungit. Atqui hoc facit in viâ dilectio.

6. Fundamentum Secundi est. Quia perfectio Viatoris ut sic in motu consistit. Hic autem motus est secundùm spem. In hâc ergo consistit Beatitudo hominis quà viatoris, utpote per quam consequitur aliquo modo finem ultimum, si non in re, saltem in spe, juxta illud *ad Rom. 8. Spe salvi facti sumus.*

7. Ildephonsus Baptista *hic disp. 45. à n. 388.* docet 1. Dupliciter considerari debere hominem, scilicet secundùm esse supernaturale sibi de facto communicatum, nec non secundùm id, quod sperat in alterâ vitâ. 2. Hominis utroque illo modo spectati in hâc vitâ Beatitudinem *completivè* pro statu acceptam includere actus fidei, spei, Charitatis, omniumque virtutum, & Donorum: Insuper omnia illa, quæ quomodolibet conducunt ad perfectionem vitæ spiritualis. 3. Si homo ad esse supernaturale elevatus in vitâ consideretur secundùm se, Beatitudinem ipsius supernaturalem consistere in actu Intellectûs elicito *immediatè* à Dono sapientiæ, *Præsuppositivè* autem ab habitu fidei. 4. Actum tamen Intellectûs non habere rationem Essentialem Beatitudinis, nisi in quantum subsequitur actum Charitatis, vel informatur ab illo. 5. Si homo in Esse supernaturali constitutus consideratur ut Viator, ipsius Beatitudinem supernaturalem *Essentialiter* consistere in actu charitatis: *Præsuppositivè* autem in actu fidei, & *Consequenter* in actibus aliarum virtutum.

Fundamentum Primi desumitur ab auctoritate S. Thomæ *1. 2. q. 69. a. 2.* disserentis in hæc verba. *Considerandum est, quòd spes futuræ gloriæ seu Beatitudinis potest esse in nobis propter duo, primò quidem propter aliquam præparationem vel dispositionem ad futuram beatitudinem, quod est per modum meriti: alio modo per quandam inchoationem imperfectam futuræ Beatitudinis in viris Sanctis etiam in hac vitâ. Aliter enim habetur spes fructificationis arboris, cùm virescit frondibus, & aliter cùm jam primordia fructuum accipiunt apparere.*

Fundamentum Secundi est. Nam Beatitudo sumpta pro statu non solùm includit id, in quo Essentia illius consistit, sed insuper accidentia propria & communia, imò & dispositiones prævias, quæ antecedenter supponuntur. Unde omne id, quod aliquo modo conducit ad perfectionem, in quantum per illam ordinamur ad statum spiritualem perfectum, & ad futuram gloriam, est de ratione hujus statûs. 8.

Fundamentum Tertij est. Nam supernaturalis Beatitudo hujus vitæ videtur describi illis verbis Apostoli *2. Corinth. 18. Nos autem revelatâ facie gloriam Domini speculantes, in eandem Imaginem transformamur.* At ista speculatio importat Divinitatis contemplationem, vi cujus conversatio nostra est in cælis, juxta illud *ad Ephes. 3. Nostra conversatio in cælis est.* Vi autem hujus conversationis permanentem quandam cum Deo loquelam importantis, ac delectationem Beatitudinis propriam fundantis, efficimur Deò familiares. At effectus ejusmodi non sunt præcisè ex fide, sed ex Dono Sapientiæ. Est igitur Beatitudo supernaturalis hujus vitæ *immediatè* ex Dono Sapientiæ. 9.

Fundamentum Quarti est. Hoc enim discriminis est inter actum Intellectûs supernaturalem viæ ac patriæ, quòd in hâc antecedenter ad actum voluntatis perfectissima sit speculatio Intellectiva, non verò in viâ propter obscuritatem, ut adeò fidei actus *Essentialiter* perficiatur ex amore. Unde si actus fidei aliquo modo pertineat ad Beatitudinem, hoc est, in quantum subsequitur actum charitatis, à quo informatur: sicut de actu Doni sapientiæ manifestius est, informari charitate, siquidem non detur de facto sine charitate. 10.

Fundamentum Quinti est. Nam supernaturalis Beatitudo hominis quà Viatoris importat motum ad futuram gloriam. Ejusmodi verò est dilectio, juxta illud *ad Ephes. 5. Ambulate in dilectione.* De quâ viâ etiam Apostolus *1. Corinth. 12.* ait, *Adhuc excellentiorem viam vobis demonstro.* Unde Augustinus *epist. 2. ad Macedon.* ait. *Imus in Deum non ambulando, sed amando, & tantò Deum habemus præsentiorem, quantò amorem, quo in Deum tendimus, habuerimus puriorem.* Etsi proinde per fidem ambulemus *2. Corinth. 5.* hoc tamen fit, quatenus fides illuminat iter, quod per charitatem verè ambulando perficimus. Cùm igitur Beatitudo hominis quà viatoris consistat in tendentiâ ad Deum, consequens est, illam consistere *Essentialiter* in actu charitatis. 11.

CONCLUSIO

HOminis ad Esse supernaturale elevati quomodocumque secundùm statum etiam

etiam Viatoris spectati Beatitudo in hâc vitâ *Essentialiter* est contemplatio Divinitatis elicita per Donum sapientiæ operantis ex prævio Charitatis Theologicæ affectu.

12. Probatur. Quia Beatitudo formalis *Essentialiter*, atque adeò pro quolibet statu consistit in primâ possessione Ultimi finis. Atqui actus fidei attingit Deum ut latentem sub obscurâ Divinâ revelatione. Unde opus est, supernaturali voluntatis à Spiritu Sancto motæ imperio Intellectûs determinativo ad rei creditæ assensum ex Divinæ Veritatis motivo præstandum. Ex hoc autem fit, quòd verbum mentis in fidei circa res Divinas assensu interveniens sit istarum rerum repræsentativum, non prout sunt in se ipsis intelligibiliter præsentes, sed prout sunt sub velamine ænigmatico obscuræ revelationis Divinæ applicatæ voluntati per prudentiale credibilitatis judicium, tum Intellectui per supernaturale voluntatis imperium. At verò isto fidei circa res Divinas assensu præhabito, voluntas per infusam Charitatis Theologicæ virtutem elevatâ potest in ipsam Divinitatis Increatam Bonitatem sub ænigmatio licèt fidei lumine repræsentatam tendere, prout in se ipsâ *actualissimè* subsistens habet infinitam Bonitatis suæ Increatæ appretiabilitatem. Hâc verò infinitâ Divinitatis in se *actualissimè* subsistentis appretiabilitate per Charitatis Theologicæ actum *immediatè* attactâ, eo ipso inest animæ pondus, actualiter ejusdem attractivum, & ut sic *intentionaliter* unitivum Divinitati. Vi autem hujus cum Divinitate unitivi ponderis fit anima isti eatenus præsens, ut revelatâ facie gloriam Dei speculans transformetur in eandem imaginem. At hæc ipsa per faciem Revelatam gloriæ Dei in hujus imaginem transformativa speculatio est prima ultimi finis in statu viatoris possessio, pertinetque ad Donum Sapientiæ.

13. Probatur istud Assumptum. Nam quia Intellectus in fidei assensu non movetur ex Intelligibili Divinitatis lumine sibi Intentionaliter præsentis, neque fertur in hoc Divinitatis lumen, nisi prout latet sub ænigmatico obscuræ revelationis Divinæ velamine, nequit per fidem haberi possessio Divinitatis, sed per fidei assensum utpote ex voluntatis motu procedentem eatenus ambulamus in Deum, ut ipsum tamen credendo non assequamur. At verò licèt Theologicæ Charitatis actus Divinæ Bonitatis infinitam appretiabilitatem in se *immediatè* attingens illud ænigmaticum velamen quasi abstrahat à Divinitate, utpote secundùm se ac propter se purè attacta; hæc tamen attingentia est ex vi Bonitatis Divinæ ad se *appretiativè* rapientis voluntatem Theologicâ charitate instructam. Unde per actum charitatis anima non tam est possidens, quàm possessa à Divinitate, veluti sequenti controversiâ elucidabitur. At ubi voluntas per Theologicæ charitatis actum rapta à Divinitate, hanc immediatè secundùm suæ appretiabilitatis infinitæ puritatem non intendendo ad ænigmaticum obscuræ revelationis velamen, attigit, potest consequenter Intellectus Spiritûs Sancti Donis instructus revelatâ jam facie gloriam Domini speculando transformari in eandem gloriam, eamque ut sic *Intentionaliter* possidere. Hoc autem fit per contemplationem subsequenter ad actum charitatis à Dono Sapientiæ elicitam. Probatur istud assumptum. Nam ex illo charitatis Theologicæ cum Divinitate unitivo actu per 14. connaturalem, volitivæ ac Intellectivæ Spiritûs Sancti Donis instructarum in unius animæ gratiâ sanctificante informatæ fundo radicatarum potentiarum resultat lumen quoddam Intelligibile Divinitatis repræsentativum non quidem ut est in se, sed prout stat sub amorosæ illius unionis imagine: Hæc autem imago non intendens in obscuræ revelationis velamen est eò ipso revelans faciem Dei non quidem *Intuitivè*, sed *abstractivè*. Illa ipsa verò ex charitatis Theologicæ actu impressa imago eatenus inservit Dono Intellectûs ad interiorem Divinorum penetrationem, ut hæc excitet judicium rectæ de Divinis æstimationis pertinens ad Donum Sapientiæ. ex Divo Thomâ *1. 2. q. 8, a. 6.* Atqui judicium Intellectûs ab objecti alicujus Formâ Intelligibili etiam non *Intuitivè*, sed *abstractivè* ejusdem repræsentativâ motum, ac objecti ejusmodi æstimativum est hujus possessio saltem imperfecta & inchoata. Consequens proindè est, quòd Judicium Intellectûs charitatis Theologicæ actum subsequens sit possessio Divinitatis spectans ad Donum Sapientiæ. Cùm igitur Beatitudo supernaturalis hujus etiam vitæ Essentialiter consistat in possessione Divinitatis; hæc verò sit actûs Doni sapientiæ; consequens est, hunc actum esse *Essentialiter* Beatitudinem Formalem hujus vitæ ad statum supernaturalem elevatæ.

Dices. Beatitudinem supernaturalem hujus 15. vitæ *Essentialiter* consistere in actu, ad quem omnes virtutes ac Dona, eorumque actus se habent vel ut media ac dispositiones, vel ut proprietates. Atqui actum Doni sapientiæ esse perfectivum Intellectûs speculativi, nec adeò Donorum ac Virtutum partis practicæ Intellectûs perfectivos actus ordinari ad ipsum. Imò Intellectûs Donum eo ipso, quòd sit speculativum, per se quiescere in veritatis Divinæ penetrativâ cognitione; nec adeò videri per se ordinari ad actum sapientiæ.

Contra. Nam Donum Sapientiæ differt à 16. Dono Intellectûs, quòd istud importet capacitatem quandam penetrandi res Divinas per Fidem supernaturalem creditas: ad illud verò spectet judicium rectum de rebus Divinis, quo scilicet anima judicat ab ijs non esse recedendum. ex S. Thomâ *cit. a. 6.* Unde donum Intellectûs in veritatis Divinæ penetratione ex se quidem quiescit, attamen charitas excitat Donum sapientiæ ad judicium de rebus Divinis ab Intellectu penetratis ferendum. Ex hoc autem evincitur, quòd per Donum Intellectûs quasi præparetur materia Dono sapientiæ, ejusque judicio æstimativo. Atqui ad res Divinas sublimiùs penetrandas Intellectus Spiritûs Sancti Donis instructus concitat speculationem omnimodæ Veritatis, non tantùm creditæ per fidem supernaturalem, sed scitæ per scientias etiam naturales; *Invisibilia enim Dei per ea, quæ facta sunt, conspiciuntur. ad Rom. 1.* Hinc autem fit consequens; totam Intellectûs speculativæ portionem non tantùm quoad Mysteria supernaturaliter credita, sed etiam quoad virtutes natu-

naturaliter scitas famulari tum Dono Intellectûs, tum ultimatè Dono sapientiæ, siquidem istud circa Divinorum ab Intellectûs Dono sublimatam penetrationem per intelligibilem ex amoroso charitatis Theologicæ affectu abstractam & expressâ formatione moveatur ad ferendũ judicium condignæ de ipsis æstimationis, ac firmæ adhæsionis. At hæc ipsa rerum Divinarum condigna æstimatio per modum dispositionis exigit depurationem tum Intellectûs ab errore, tum voluntatis à pravo affectu. Hæc
17. verò voluntatis à pravis affectionibus depuratio fit per virtutes morales. Imò illa ipsa æstimatio Divinorum condigna parit consilia operum singularium in Deum ordinata, paritque omnimodam voluntatis Honestatem ac rectitudinem moralem. Hinc autem evincitur, quòd Intellectûs quoque practici portio unà cum omnimodâ voluntatis morali rectitudine se habeat ad actum Doni sapientiæ partim *Dispositivè*, partim *Effectivè, veluti patet* ex S. Thomâ *cit. a. 8. & q. 180. a. 2. & a. 4.* Consequens igitur est, omnes Virtutes ac Dona, eorumque actus, imò Intellectûs tam practici, quã speculativi, quoad veritates non duntaxat Naturales, sed etiam supernaturales, portionem omnimodam, cum universâ voluntatis rectitudine morali, vel per modum præviæ dispositionis, vel per modum effectûs ac proprietatis reduci in hâc vitâ ad actum Doni sapientiæ. In hoc igitur actu rectè constituitur supernatulis vitæ hujus Beatitudo; Doctore Angelico *2. 2. q. 80. a. 4.* attestante, *Contemplationem Divinæ veritatis* (quæ est per speculum ex amoroso charitatis Theologicæ affectu efformatum) *esse quandam inchoationem Beatitudinis, quæ hic incipit, ut in futuro continuetur.*
18. Instabis. Statum viatoris ut sic Essentialiter importare motum. Ergo hominis ad statum supernaturalem elevati quà viatoris Beatitudinem non esse intelligibilem sine motu. Atqui contemplationem Divinæ Veritatis, teste Divo Tho. *cit. q. 180. a. 1. & 7.* terminari ad delectationem excitatam tum ex ipsâ contemplatione, tum ex amore. In hac autem delectatione esse quietem & statum. Non posse igitur in contemplatione consistere Beatitudinem supernaturalem hominis quà Viatoris.
19. Contra. Nam eo ipso, quòd contemplatio hujus vitæ non sit intuitiva, sed abstractiva in speculo imaginis ex amoroso Charitatis affectu efformatæ, sequitur: esse Beatitudinis inchoationem duntaxat, ex S. Tho. *cit. a. 4.* At ista inchoatio est (non quidem formaliter, sed radicaliter ac virtualiter) quædam spes futuræ Beatitudinis, eodem Sancto Doctore *1. 2. q. 67. a. 2.* attestante: *Spem futuræ Beatitudinis esse in nobis etiam per quandam futuræ Beatitudinis inchoationem respectu cælestis fœlicitatis habentem se instar primordij fructuum.* Hæc ipsa verò futuræ Beatitudinis spes radicalis actui Divinitatis contemplativo competens nequit parere delectationem, in quâ sit ultimata quies & status, sed impotat virtualem quandam tendentiam & motum ad futuram Beatitudinem. Consequens proinde est, quòd in tali actu contemplativo consistat Beatitudo supernaturalis hominis etiam quà viatoris spectati.
20. Urgebis. Beatitudinem hujus vitæ *Math. cap. 5.* octo gradibus distingui. Hos verò gradus posse in tres classes redigi, & quidem in primâ classe enumerari actus, quibus removentur impedimenta vitæ cælestis, cujusmodi est tum paupertas spiritûs per contemptum honoris & divitiarum, juxta illud, *Beati pauperes Spiritu*: tum passionum vis irascibilis moderatio per Mititatem, juxta illud: *Beati mites*, tum abdicatio passionum vis concupiscibilis per moderatum luctum, juxta illud *Beati qui lugent*. In 2. verò classe censeri actus virtuosos vitæ activæ, tum Justitiæ, juxta illud; *Beati qui sitiunt Iustitiam*; tum misericordiæ juxta illud, *Beati misericordes*. In 3. denique classe locari actus vitæ contemplativæ, tum munditiam cordis seu mentis à passionibus & erroribus depurationem, tum pacem ex virtutibus vitæ activæ partam. Cui triplici classi eatenus accenseri Beatitudinem persecutionis ex Justitiæ Motivo cum patientiâ susceptivam, ut hæc sit quasi transcendens respectu reliquarum septem Beatitudinum. ex S. Tho. *1 2. q. 69. a. 3. in corp. & ad 5.* Ex quibus proinde constare, quòd hujus vitæ Beatitudo consistat in omnimodis virtutum speciebus, nec intellectûs duntaxat speculativi, sed etiam practici portionem ac Voluntatis moralem rectitudinem complecti. 21.

Contra. Nam prætacti actus virtuosi habent rationem Beatitudinis, prout istam participant in spe. ex S. Tho. *præs. q. 69. a. 1.* At spes Beatitudinis est per hoc, quòd aliquis moveatur ad illam. *ex S. Doctore citato* Unde illi actus habent rationem Beatitudinis non tam *formaliter*, quàm *Causaliter* per modum meriti, seu dispositionis ad futuram Beatitudinem. ex Divo Thomâ *cit. q. 69. a. 2.* At præter istam Beatitudinis in spe participationem *Causaliter* spectatam, datur participatio futuræ Beatitudinis secundùm quandam inchoationem non merè Causalem, sed quasi formalem: ita ut hæc sit præmium quasi inchoatum meritorum, quæ ut sic, *Causaliter* non autem *formaliter* denominantur Beatitudines. Illa verò inchoata Beatitudo est actus Divinæ contemplationis. ex Divo Thomâ *superiùs citato*. Patet igitur, Beatitudinem hujus vitæ non merè *Causaliter*, sed *Formaliter* spectatam non includere *Essentialiter* omnes illos superiùs enumeratos virtutum actus, sed illam duntaxat cordis munditiam, quæ in Divinæ Virtutis contemplativo contuitu consistit, cordis à passionibus ac erroribus alteri quàm Divinæ Veritati oppositis depuratione habente se ad illam *Dispositivè* duntaxat.

Responsio ad opposita Fundamenta.

Ad Oviedo *n. 2.* oppositum Respondetur. Beatitudinem huius vitæ nõ consistere præcisè in approximatione ad æternam gloriam, sed in inchoatâ hujus gloriæ participatione, quoad actualem Divinitatis in Esse intelligibili possessionem. At gratiam Sanctificantem Esse quidem participationem Divinitatis in potentiâ, seu radice, non verò in ratione actualis quoad Esse ipsius Intelligibile possessionis. Quam proinde inchoatam sub actualis divini Intelligibilis esse possessionis ratione æternæ gloriæ participationem convenire actui Doni Sapientiæ: quem si non *formaliter* & ratione sui, saltem *radicaliter* ratione tum actûs Charitatis, tum Habitualis Sanctitatis tanquàm suæ radicis esse peccati exclusivam, quod sufficit ad rationem formalis Beatitudinis. Ergo in actu Doni Sapientię potiùs, quàm in præciso Sanctitatis statu Essentialiter constituidem 22.

tui debere supernaturalem hujus vitæ Beatitudinem.

23. Ad 1. Suarezij *n. 5.* oppositum fundamentum Respondetur. Oportere duplicem circa Deum ceu objectum Beatificum in hâc vitâ distinguere actum Intellectûs supernaturalem, alterum Fidei, alterum Doni Sapientiæ: At priorem moveri in Deum, prout latet sub ænigmaticæ obscuræ revelationis speculo, nec adeò se habere tanquàm actualem Dei in Esse intelligibili possessionem: posteriorem verò moveri in Divinitatem, prout repræsentatur sub imagine amorosæ Dei super omnia appretiativæ dilectiònis. Unde istum Sapientiæ Doni actum supponere talem animæ amantis in Divinitatem raptum, ut hæc ex vi suæ appretiabilitatis ad se trahendo animam, hujus sit secum intentionaliter unitivà. Atqui repræsentationem Divinitatis sub amorosâ sui ad animam unione esse veram possessionem Divinitatis, non quidem in se ipsâ, sed in speculo imaginis ex affectivâ amoris unione abstractæ, & ut sic Divinam super omnia appretiabilitatem quà Intentionaliter unitam repræsentantis. Hanc igitur repræsentationem, vi cujus Divinitas sub affectuosâ in Deum transformativâ imagine fit animæ Intelligibiliter præsens, esse supernaturalem hujus vitæ Beatitudinem, utpote inchoatam æternæ gloriæ participationem. Quam proinde participationem tum *Radicaliter*, tum *Causaliter* rectificare voluntatem, partim quòd præsupponat actum dilectionis Dei, partim quòd nata sit excitare ad omnimodam supernaturalem Honestatem, quod sufficere ad rationem formalis Beatitudinis, *velut infrà elucidabitur.*

24. Ad 2. Suarezij *n. 6.* oppositum Respondetur. Beatitudinem viatoris eatenus consistere in motu, ut tamen aliquam objecti Beatifici possessionem animæ quodammodò satiativam importet. At ejusmodi non esse actum spei *formaliter* spectatum, sed ipsamet Divinitatis contemplationem abstractivam. Quam *virtualiter* seu *radicaliter* habere rationem spei, eò quòd non sit perfecta, sed inchoata duntaxat objecti plenè satiativi possessio. Quare Beatitudinem supernaturalem hujus vitæ non tam consistere in spe *formaliter*, quàm *Virtualiter* & *Radicaliter* spectatâ.

25. Ad Ildephonsi Baptistæ à *n. 7.* proposita fundamenta Respondetur. Nobis improbari, tum quòd pro præsenti instituto distinguat in homine statum viatoris & præcisum Esse supernaturalis statum: tum quòd Beatitudinem hominis quà viatoris ponat in actu dilectionis Dei. Ratio hujus improbationis est. Nam Divus Th. ab Ildephonso *citatus* vitæ æternæ spem, ex quâ homo ad Esse supernaturale elevatus constituitur Viator, ponit partim in dispositione ad præparationem futuræ Gloriæ meritoriâ, partim in quâdam imperfectâ Gloriæ inchoatione. At dispositio futuræ Gloriæ meritoria, nec non ejusdem Gloriæ inchoata participatio non sunt spes *Formaliter*, sed *radicaliter* & *virtualiter* spectata. Hæc ipsa verò spei *radicaliter* seu *virtualiter* consideratæ ratio est ipsissimum Esse supernaturale hominis actuale. In hoc autem actuali hominis Esse supernaturali alia est Forma per modum puræ tendentiæ ad futuram Gloriam, alia verò per modum Formæ Divinitatem sub amorosæ transformationis imagine Intelligibiliter præsentem exhibentis & ut sic non tamen *plenè* & *Consummatè* satiantis. At hæc eatenus participat essentiam Formalis Beatitudinis, ut tamen eo ipso sit *radicaliter* in motu ac spe ad futuram Gloriam, quòd hujus non sit consumata possessio. Eo ipso autem, quòd ista possessio Divinitatis imperfecta, spem futuræ Gloriæ *virtualiter* importans, sit *radicaliter* in motu; sequitur: ipsam convenire homini quà viatori. Non est igitur, cur alia Beatitudo constituatur pro homine quà viatore, alia verò quà spectato secundùm præcisum Esse supernaturale.

CONTROVERSIA III.

An supernaturalis Formalis Beatitudo pro statu Gloriæ consistat in Increato Essentiæ Divinæ in animam illapsu?

Affirmativam sententiam olim defendebant aliqui Doctores Parisienses relati à Gregorio *in 2. dist. 7. q. 2.* Accedit Ioannes de Ripa à Caietano *in 3. p. q. 9. a. 1. in init.* relatus. Adstipulatur etiam Hugo de S. Victore *3. tom. in tract. de sapientiâ animæ Christi.* ubi docet: quòd Beatitudo non sit accidens, sed ipse Deus sit sapientia, quâ cognoscimus, & amor, quo diligimus. *Et in sum. sent. tract. 1. cap. 16.* ait: quòd alia sapientia, quàm Divina, non fuerit in Christo. Fundamentum est. Nam in visione & amore Dei Beatifico anima transformatur in Deum, sicut ferrum candens in ignem, & diaphanum in lucem, ita ut anima & ejus potentiæ sint quasi ipse Deus, & totum, quod apparet, sit Divinum; *veluti Patres passim loquuntur.* At iste loquendi modus propriè importat ipsam Esse Divini transfusionem in animâ, ita ut hæc sit substantialiter unita Intellectui seu animæ Beatæ. Si proinde in hâc substantiali Divinæ Essentiæ cum animâ unione non sit absurditas implicatoria, oportet: ipsam ob sanctorum Patrum authoritatem de facto adstruere. Atqui in unione illâ substantiali non est ulla contradictionis implicantia, atque adeò impossibilitas. Probatur istud assumptum *Primò.* Nam de facto substantialiter unita est Humanitati personalitas Verbi Divini, & secundùm plures Theologos Essentia Divina per se ipsam unitur Intellectui creato tanquàm species Intelligibilis: imò secundùm Thomistas Intelligibilitas Dei actualissima & Increata sub ratione Verbi, seu conceptûs formalis se ipsâ unitur Intellectui Beato. Cur ergo repugnet, ipsam Increatam Dei Intellectionem ut sic uniri se ipsâ creato Intellectui, ad hunc *formaliter* constituendum in Esse Intelligentis, ac videntis Divinam Essentiam? Etenim *Secundò*, si quæ hujus esset implicantia, in eo se teneret, quòd Intellectio sit actus vitalis; De hujus verò ratione Essentiali sit esse operationem immanentem ab Intellectu originatam: implicet verò, Intellectionem Divinam originari ab Intellectu creato. At istam rationem haud subsistere, evincitur tum ex authoritate S. Thomæ *1. p. q. 34. a. 1. ad 3.* docentis; intel-

intelligere solùm importare habitudinem Intelligentis ad rem intellectam. In hâc verò habitudine non importatur aliqua ratio Originis. Tum ostenditur ex eo, quòd intelligere Divinum nullam dicat Originem seu processionem, sed actualitatem puram & ultimam in genere Intelligibili. Neque *tertiò* Intellectionem Divinam illabi creato Intellectui ad hunc in genere Intelligibili actuandum, implicat ex eo capite, quòd deberet esse informans creatum Intellectum: ejusmodi verò Informatio repugnet Actui puro, cujusmodi est Increata Dei Intellectio. Nam subsistentia Verbi Humanitatem Christi, ac Essentia Divina in Esse Intelligibili Intellectum Beatum actuat sine informatione, sed per modum Formæ per se ac purè subsistentis. Cur ergo non posset ejusmodi actuatio in Intellectui creato fieri per Intellectionem Dei Increatam?

4.

5. Oppositam negativam sententiam tradunt Theologi communiter, nominatim Sanctus Thomas *1. 2. q. 3. a. 1.* Scotus *in 4. dist. 49. q. 2. n. 5.* Capreolus *in 3. dist. 14. q. 1. in init.* Gregorius *dist. 7. q. 2. a. 1.* Cajetan. *3. par. q. 9. a. 1. in init.* Medina *hic art. 1.* Martinez *eâd. q. 3. a. 4. dub. 1. concl. 2.* Suarez *tract. de Beatitud. disp. 6. sect. 1. n. 4.* Vasquez *disp. 7. n. 1.* Oviedo *hic cont. 2. punc. 6.* Amicus *disp. 2. sect. 3. n. 30.* Ægidius de Præsent. *lib. 4. de Beatitudine. q. 1. a. 5. §. 41.* Gammachæus Sorbonicus *præs. q. 3. cap. 2.* Ildephonsus Baptista *disp. 38. n. 33.* Andreas Lao *disp. 18. dub. 1.* Curiel *tract. de Essent. Beatitud. q. 4. §. 5.* Ioannes à Sancto Thomâ *disp. 2. a. 2. n. 22.* Fundamenta ab isto authore deducta sunt 1. Beatitudo enim nostra *1. Ioan. 3.* exponitur istis verbis: *Videbimus eum, sicuti est.* Hæc autem visio est vita æterna, juxta illud *Ioan. 17. Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum.* Unde Beatitudo nostra formalis exponitur per visionem, quæ sit vita actualis, sive operatio vitalis. At operatio vitalis secundùm omnes tam doctos, quàm indoctos intelligitur ac definitur esse actus immanenter elicitus à potentiâ vitali. Nisi ergo dicere velimus, visionem illis Sacræ Scripturæ verbis in alio, quàm inter homines usurpato sensu, adeòque *æquivocè* accipi, oportet dicere, quòd Beatitudo nostra formalis sit operatio creata vitaliter ac immanenter elicita à Beatis. At æquivocationes à communi hominum sensu remotas in verbis Sacræ Scripturæ eò vel maximè vitandas, probat Divus Thomas *in suppl. ad 3. p. q. 75. a. 2.* quòd alioquin ejusmodi verbis Divinis nihil nobis notificaretur.

6.

7. 2. Agatho Papa *in suâ Epistolâ lectâ & approbatâ in 6. Synodo act. 4.* probat, cuicumque naturæ Intellectuali esse suam voluntatem, adeò ut Angelica natura nequeat habere Divinam, neque humana natura possit habere voluntatem Dei vel Angeli. At hic nomine voluntatis sumitur operatio, prout dicit motum animæ, *ex contextu Epist.* Sicut ergo volitio Divina, sic Intellectio Dei increata nequit convenire homini. Atqui Agatho Papa per illam propositionem, *quòd natura humana nequeat habere voluntatem Divinam*, duas in Christo operationes Divinam scilicet & Humanam distinctas contra Monothelitas probare intendebat. Hæc autem probatio non subsisteret, si natura humana saltem supernaturaliter posset actuari per volitionem Divinam, siquidem non nisi supernaturaliter loco humanæ operationis esset in Christi humanitate volitio & Intellectio Divina. Ex eo igitur, quòd cuicumque naturæ Intellectuali sit sua propria Intellectualis operatio, rectè evincitur, quòd Intellectio Divina ne quidem supernaturaliter possit communicari Intelligentiæ creatæ. 3. Nam eo ipso, quòd Deus sit Actus purus, nequit illa Dei intrinseca formalitas communicari Enti creato per modum formæ informantis, sed per modum actûs *Terminativè* duntaxat actuantis. Probatur ista sequela. Nam actuatio Terminativa in eo differt ab actuatione informativâ, quòd actus informans per modum compartis comparetur ad potentiam, cum quâ est tertiæ alicujus naturæ constitutivus in ratione Totius vel substantialis, vel accidentalis. Unde actus informans quodamodò involvit imperfectionem potentialitatis, cujus est forma actuans. Econtra actus purè Terminativus non concurrit per modum partis ad tertiam aliquam naturam constituendam, sed naturam in ratione naturæ completæ jam constitutam supponens, hanc trahit ad suum consortium, illam terminando, eique se communicando per modum formæ per se subsistentis, absque ullâ coinquinatione imperfectionis potentialitati propriæ. At per se notum est, ejusmodi imperfectionis ex potentialitate participationem repugnare Actui puro. Cum igitur quælibet Deo inexistens formalitas sit Actus purus, implicat, ullam Dei formalitatem *Intrinsecè* actuare Ens aliquod creatum per modum formæ informantis, sed per modum formæ *Terminativè* duntaxat actuantis. At verò subsistentia Verbi increata respectu Humanitatis Christi, ac Essentia Divina in Esse Intelligibili respectu Intellectûs lumine gloriæ elevati potest quidē se habere tanquā forma purè *Terminativè* actuans: attamē ipsum intelligere, seu intellectio non nisi informando vel etiam procedendo ab Intelligente potest intelligentem reddere. Probatur illud assumptum. Nam cognitio est actu secundus vitalis immanens. Unde constituit ipsum operantem in se *intrinsecè* actuatum, & reductum de potentiâ ad actum in aliquâ specie actûs vitalis, ad quem est in potentiâ, & quo *Immanenter* ac *intrinsecè* perficitur. Sicut ergo ex eo, quòd albedo, vel calor, aut habitus sint formæ specificæ, id est determinatam speciem præbentes, sequitur, ipsas non per terminationem, sed per informationem veram & propriam debere subjectum afficere: Sic actus immanens & operatio eo ipso, quòd vitalis adeòque immanens sit, debet specificā aliquam rationē præbere subjecto, & consequenter informare ipsum constituendo speciem aliquam in illo genere operationis. Cùm igitur operatio nequeat aliquem constituere operantem, nisi sit aliquid illius: nequeat autem operatio pertinere ad operantem, nisi vel secundùm realem cum ipso identitatem, vel secundùm habitudinem effectûs ac formæ informantis ad causam & subjectum; Intellectioni autem Divinæ respectu Intellectûs creati repugnet tam identitas, quàm habitudo effectûs & formæ informantis, consequens est, Intellectionem Divinam non posse afficere Intellectum creatum hunc *Formaliter* constituendo in Esse Intelligentis.

8.

9.

10.

***

CON-

CONCLUSIO.

Non tam ex illo Principio, quòd *operatio naturam creatam à se distinctam in Esse operantis constituens debeat Essentialiter esse actus informans*, quàm ex ipso Principio, quòd *cuilibet Naturæ sit sua specifica operatio*, efficaciter demonstratur, Intellectionem Divinam non posse uniri creato Intellectui ad hunc Formaliter in ratione Intelligentis constituendum.

11. Probatur. Sicut enim subsistentia ac Existentia est substantiæ ultima actualitas in ratione Essendi, sic operatio in ratione principij operativi, atq; adeò in ratione naturæ est ultima actualitas. At sicut subsistentia creata actuans substantiã ab istius potentialitate Essentialiter dependet tanquàm forma receptibilis in ipsâ, sic operatio *intrinsecè* actuans naturam à se distinctam, ab istâ Essentialiter dependet tanquàm subjecto informationis. Sicut ergo operatio naturam creatam à se distinctam constituens in Esse operantis Essentialiter est actus informans, sic subsistentia creata Essentialiter est actualitas receptibilis in substantiâ, cujus est complementum substantiale. Si ergo ista subsistentiæ receptibilitas Essentialis non obstet, quò minùs ejus effectus formalis in substantiâ creatâ supernaturaliter suppleri possit per Increatam Verbi subsistentiam, cur Intellectionis creatæ à subjecto informationis dependentia Essentialis impediat, quò minùs effectus ipsius formalis in Intellectu creato supernaturaliter possit suppleri per Increatam Dei Intellectionem?

12. Dices. ex Ioanne à S. Thomâ *cit. a. 2. n. 23. ac seq.* rationem disparitatis in eo se tenere, quòd subsistentia Divina se habeat per modum ultimi complementi naturæ, quam reddit suppositatã. Unde subsistentiam Increatam Verbi tanquàm actum *Terminativè*, non autem *Informativè* actuantem inexistere Humanitati Christi non per modũ partis, sed per modũ totius, ad cujus Esse trahatur Humanitas tanquàm pars. Secus esse de operatione; siquidem ista potentiam actuet non terminando, id est non ad communicationem sui tanquàm ad quoddam totum trahendo Intellectum, sed ipsa potiùs trahitur operatio ad intellectum, atque adeò hunc informando constituat in actu ultimo operante.

13. Contra. Nam ratio, cur increata Verbi subsistentia possit actuare Humanitatem Christi, in eo se tenet, quòd ista subsistentia per modum Totius possit ad se trahere Humanitatem tanquàm quoddam in ratione substantiæ incompletum. Ergo à contrario dici debet, Intellectionem Divinam ideò non posse actuare Intellectum ab Intelligentiæ creatæ, præsertim Angelicæ sui ipsius intellectionem sibi identificatam habentis naturâ ex plurium sententiâ probabiliter indistinctum, quòd Intellectio Divina in lineâ actualitatis Intellectualis non possit tanquàm Totum ad se trahere Intelligentiam creatam. At istud non est ex terminis per se notum. Debet igitur aliqua hujus adstrui ratio, quam hic indagamus.

14. Replicabis. Ex proximè allegato authore *n. 64.* asserente: Operationem, licèt sit actus ultimus in genere elicitivo & in comparatione ad actum primum, non tamen dici ultimum alicujus complementi, & totalitatis, sed se habere ut accidens præsupponens aliam se priorem formam accidentalem, scilicet potentiam seu actum primum. At eo ipso, quòd aliquid dicatur per modum formæ accidentalis, oportere, esse formam informantem, non terminantem: siquidem accidens non tantùm sit minus Toto, quod ex illâ resultat, sed ipso etiam subjecto, ad cujus Esse trahitur. Unde subjectum non comparari ad formam accidentalem, ut ad aliquod totum, sed potiùs è converso. Cùm proinde operatio substantiæ creatæ se habeat ut forma accidentalis, & consequenter ut forma informans, non posse suppleri à Dei intrinsecâ actualitate.

15. Contra. Nam subsistentia creata, licèt se habeat tanquàm Totalitas ut *Quo*, non tamen ut *Quod*. At illa Totalitas ut *Quo* in subsistentiâ creatâ Essentialiter importat receptibilitatem in substantiâ, cujus est actualitas non per modum Totius ad se trahentis naturam, sed per modum Formæ in hâc receptibilis. Unde non est minor ratio, cur operatio creata, licèt sit accidens, sit forma informans, quàm subsistentiâ creata. At de fide est, per Divinam Verbi subsistentiam posse suppleri creatam subsistentiã, non quoad sui in naturâ receptibilitatem, sed quoad actualitatem ultimi in lineâ Essendi substantiæ complementi. Cur ergo non sit dicendum, operationem creatæ Intellectionis, non quidem quoad sui in subjecto informationis dependentiam, sed quoad actualitatem ultimi in lineâ operativâ Naturæ complementi posse suppleri ab Intellectione Divina. 16. Cujus proinde disparitatis ratio ex eo deduci debet, tum quòd subsistentia sit de genere substantiali supponens naturam in ratione substantiæ incompletam, tum quòd cuilibet naturæ creatæ sit sua operatio specifica Essentialiter supponens substantiam in ratione naturæ completam. 17. Explicatur ista ratio. Nam possibile est, unumquodque per actualitatem aliquam compleri in illo genere, in quo est intrinsecè incompletum. Econtra verò implicat, aliquid actuari & compleri in illo genere, in quo intrinsecè ac Essentialiter est actuatum & completum. At cùm naturæ Divinæ sit proprium, quòd sit suum Esse subsistens, sequitur, hoc ipso quamlibet naturam creatam esse incompletam in ratione substantiæ, atque adeò ut sic esse actuabilem per subsistentiam non involutam in ipsius ratione Essentiali, sed ab ipsâ distinctam. Est autem quælibet Dei actualitas per suam Eminentialem Formalitatis creatæ ex se *Idealiter* derivatæ continentiam de se nata per modum formæ non quidem partialis & incompletæ, nec adeò per modum actûs informantis, sed per modũ formæ ex se completæ ac purè subsistentis seu irreceptibilis, atque adeò per modum actûs Terminativi suum quasi effectum Formalem communicare creatæ substantiæ, in quantum hæc in genere substantiæ non est completa. Cùm igitur natura creata per limitationis & potentialitatis transcendentalem substantiæ quâ creatæ propriam rationem, de se in ratione substantiæ sit incompleta, sitque adeò actuabilis per subsistentiam à se distinctam, consequens est, subsistentiam Divinam posse hanc supplere per sui Formalem actuationem seu substantialem cum naturâ

turâ creatâ unionem. Secus verò eſt de operatione Divinâ, quæ eo ipſo, quòd *intrinſecè* involvat Eſſe ſubſiſtens, ſitque adeò Eſſentialiter ſubſtantia, habet rationem naturæ ſimpliciter in lineâ ſubſtantiali completæ. At implicat, operationem, quæ *Formaliſſimè* eſt natura ſecundùm rationem ſubſtantiæ *ſimpliciter* completa, uniri naturæ creatæ. Probatur iſtud aſſumptum.

19. Nam implicat, actuari aliquid in illo genere, in quo eſt Eſſentialiter actuatum & completum. At eo ipſo, quòd operatio Divina Eſſentialiter ſit Natura in ratione ſubſtantiæ ſimpliciter completa, implicat, ipſam uniri naturæ creatæ, niſi hanc formaliter in ratione naturæ actuet. Cùm igitur omnis natura creata ex ſe Eſſentialiter ſit in ratione naturæ completa, æquè repugnat, operationem Divinam actuare ſubſtantiam creatam, atque impoſſibile eſt, fieri Divinitatis cum ſubſtantiâ creatâ unionem in unitate naturæ. Unde etiam patet, quàm efficax ſit Patrum Orthodoxorum demonſtratio, ex diſtinctione naturarum in Chriſto probatiû dualitatem operationum, ut adeò verum quoque teneat, cuique naturæ propriam eſſe ſuam ſpecificam operationem alteri naturæ omninò incommunicabilem, nec conſeqnenter poſſe Intellectionem Divinam communicari Intelligentiæ creatæ: veluti ſupra *n.7.* ex Agathone Papâ & ſextâ Synodo deductum fuit.

20. Inſtabis. Rationem à nobis proximè adductam non adæquatè concordare cum argumento præallegato ſextæ Synodi & Agathonis Papæ.

Probatur iſtud aſſumptum. Etenim Agatho Papa proceſſit ex iſto Principio, quòd cuicumque Intelligentiæ adeò ſit propria ſua operatio, ut neq; Divina naturæ Angelicæ, neq; operatio Angelica Humanæ naturæ poſſit cõmunicari. At ratio per nos proximè deducta probat, quòd operatio Divina ſit *Eſſentialiter* Natura, nec adeò ob duarum naturarum unionis impoſſibilitatem poſſit uniri naturæ creatæ: Unde inter hanc & illam rationem hoc eſſe diſcriminis, quòd iſta procedat ex ratione operationis quà concretæ ad Eſſe naturæ; illa verò Agathonis Papæ ratio procedat ex univerſali & abſtractâ operationis quidditate.

21. Contra. Nam eo ipſo, quòd inter Formalitatem creatam & Increatam nulla detur univocatio, nequit inter operationem Divinam & Angelicam ſeu Humanam aliqua eſſe unitas, ſecundùm objectivam Formalitatis alicujus communis præciſionem, ſed ſecundùm Analogiam duntaxat proportionis. Unde iſtius per Agathonem Papam poſiti Principij: *quòd ſcilicèt cuique naturæ ſit propria ſpecifica operatio alteri naturæ incommunicabilis*, ſenſus redditur; operationem naturæ creatæ per ſuam Eſſentialem ab iſtâ dependentiam & quidditativam reſpectu hujus determinationem taliter eſſe incommunicabilem alteri naturæ, ſicut operatio Divina per Eſſe ſubſiſtens in ſe Eſſentialiter involutum, atq; adeò per ſuum omnimodum in ratione naturæ, imò & ſubſtantiæ complementum eſt Eſſentialiter incommunicabilis, ſeu non unibilis alteri creatæ naturæ. At per ſe manifeſtum eſt, noſtram ſuperiùs deductam rationem reduci ad iſtud ultimum ab Agathone Papâ inſinuatum Principium. Si proinde Divinæ operationis reſpectu naturæ creatæ incommunicabilitatem formalem probemus ex iſto Principio, quòd ſcilicet cuicumque naturæ ſit ſua ſpecifica operatio alteri naturæ incommunicabilis, tunc Principium hoc implicitè ac virtualiter reducimus ad iſtud, quòd operatio Divina per ſuum Eſſentiale in ratione naturæ, imò & ſubſtantiæ complementum non ſit unibilis creatæ naturæ.

Reſponſio ad oppoſita Fundamenta.

ADfundamentum *n.1.* oppoſitum Reſpondetur. Quòd ferri candentis in ignem & diaphani in lucem transformatio *ſecundùm quid* duntaxat æquiparetur Unioni Divinitatis cum animâ Beatâ. Illa enim eſt tum Formalis & Phyſica lucis cum Corpore diaphano unio, tum eſt ſubſtantiæ ignis ſecundùm præſentiam localem cum ferro candente conjunctio. At Divinitas transfunditur in animâ Beatam 1. per ſui cauſalitatem effectricem ex Divinitatis gradu quaſi ſpecifico ideatam; ſiquidem lumen Gloriæ & viſio Beatifica ſint formæ ex ipſâ naturâ Divinâ ut ſic exemplatæ. Unde cùm ex operatione Dei arguatur intima ipſius præſentia, conſequens eſt, ipſam Divinitatem ſecundùm gradum quaſi ſpecificum illabi animæ Beatæ. 2. Divinitas ſub ratione ſui Intelligibilis Eſſe non unione *Phyſicâ Formali*, ſed *Cauſali & Effectivâ* vi luminis gloriæ unitur animæ Beatæ tanquàm ſpecies Intelligibilis luminis iſtius in ratione objectivi cõcurſûs determinativa ad viſionis Beatificæ Divinitaté, ut eſt in ſe, *Intentionaliter* attingentis efformationem. 3. Iſta viſio Beatifica eſt vitalis attactus Divinitatis, eſtque adeò quædam intentionalis conjunctio Deitatis, ut eſt in ſe, ſecundùm actualiſſimam puri ſubſiſtentis Eſſe repræſentationem expreſſæ. 4. Vi Amoris Beatifici anima conjungitur Divinitati ſecundùm moralem affectivam unionem. Conſtat proinde, Divinitatis ſubſtantiam per ipſum Eſſe Divinitatis illabi animæ Beati, non quidem *ſecundùm realem ſubſtantialem*, vel *Phyſicam Formalem* ſui cum animâ unionem, ſed tum *per Phyſicam cauſalem in genere cauſæ efficientis* ac *Exemplaris*, tum per *intentionalem in Eſſe objectivo* per modum ſpeciei Intelligibilis tam impreſſæ per lumen gloriæ, quàm expreſſæ per viſionem Beatificam ſibi conjunctæ, tum per *moralem affectivam* vi amoris Beatifici unionem. 22.

23.

24.

25.

26. Ad probationem *n. 2.* oppoſitam Reſpondetur. Sub illâ duntaxat ratione Formam eſſe *Phyſicè* ac *realiter* unibilem Enti creato, ſub quâ Formalitate Ens hujuſmodi eſt actuabile. At eo ipſo, quòd natura creata in ratione ſubſtantiæ Primæ ſeu ſuppoſitatæ per Eſſentiam ſuam non ſit completa, eſſe actuabilem à ſubſiſtentiâ realiter diſtinctâ. Unde cùm ſubſtantia Increata *Eminenter Formaliter* ſit contentiva Formalitatis ſubſiſtendi ex ſe *Idealiter* transfuſæ in creatam Hypoſtaſin, conſequenter ſubſtantia increata eſt unibilis creatæ naturæ. Similiter Intellectus creatus per elevationẽ luminis gloriæ habet quidẽ ſupernaturalẽ viſionis Beatificæ elicitivã potentiã. 27. Hæc ipſa tamẽ ſupernaturalis Intellectiva potentia eſt in genere Intelligibili adhuc incompleta, ſiquidem ex potentiâ ſimul & objecto generetur notitia. Oportet igitur, ipſam eſſe actuabilem per Eſſe objecti Intelligibile nõ quidem *Phyſicè formaliter*

maliter, sed *in genere objectivo ac Effectivo* sibi unitum. Pari ratione de quidditate visionis est, esse quandam actualem in Esse Intelligibili objecti intentionem. Ejusmodi verò Intellectio est habitudo *Intentionaliter* apprehensiva Intelligibilitatis objecti *actualiter* expressæ per modum verbi talis Intelligibilitatis repræsentativi. Unde eo ipso, quòd visio Beatifica sub ratione Divinitatis actualiter repræsentativâ sit actuabilis per Verbum Deitatis, ut est in se, repræsentativum, idcirco est unibilis, imò est actualis intentionalis unio cum Verbo *realiter Formaliter* i-
28. dentificato Divinitatis Intelligibilitati. Econtra verò Intellectio Divina sub ratione operationis *Formalissimè* importat Naturam Divinam. At impossibile est, concipi Intelligentiam cum potentiâ Intellectrice identificatam, nisi sub ratione naturæ substantialis sit completa. Cùm igitur nulla sit possibilis unio Formæ ad Ens sub propriâ Formæ ejusmodi ratione completum: nequit Intellectio Dei Naturam Divinam *Formalissimè* importans uniri creatæ Intelligentiæ secundùm Naturæ substantialis rationem *essentialiter* completæ.

29. Ad secundam *n.3.* oppositam probationē ℟. Etsi ratio Intellectionis, prout sub Analogicæ proportionalitatis communitate creatam & Increatam complectitur, non *Essentialiter* exigat sui à virtute Intellectrice vitalem ac immanentem originem, sed ista originationis ratio secundo saltem perseitatis modo propria sit creatæ Intellectionis. Nihilominùs sicuti creata Intellectio per istam vitalis originationis Essentialem à determinato Intellectu dependentiam non est alteri Intelligentiæ communicabilis: sic intellectio quà Increata *Formalissimè* importans Esse subsistens in se intelligibiliter expressum habet rationem naturæ Divinæ, nec adeò est alteri naturæ unibilis: siquidem repugnet, substantiam in Esse naturæ Completam sub ratione naturæ uniri alteri naturæ.

30. Ad tertiam *n. 4.* oppositam probationem Respondetur. Eo ipso, quòd operatio spectet ad lineam naturæ, oportere, quamlibet operationem vel *Formaliter*, vel *radicaliter* esse naturam. At eo ipso, quòd operatio, quæ non *Formaliter* uti Divina, sed *radicaliter* est natura, sit extra quidditatem realem naturæ, oportere, ipsam esse accidens, adeòque actum informantē. Cùm proinde nulla operatio habens *Formaliter* rationē naturæ, sit *formaliter* unibilis alteri naturæ, consequens est, quòd omnis operatio creatæ naturæ quovis modo unibilis sit actus informans. Unde cùm Divinæ Intellectioni per rationē actûs puri *Essentialiter* repugnet, esse formam informantem, consequenter ex hoc etiam secundario fundamento implicare, ipsius cum naturâ creatâ unionem Formalem. Secus verò esse de subsistentiâ Increatâ. Hæc enim supponit naturam in ratione substanstantiæ incompletam. Hinc autem fit, quòd, licèt ratio subsistentiæ sit extra quidditatem naturæ, non tamen sit accidens, sed substantiæ quà completæ seu suppositatæ ac *positivè* individuæ Formale complementum. Unde subsistentia Increata potest actuare naturam creatam non per modum accidentis seu Formæ informantis, sed per modum actûs Puri *simpliciter* subsistentis. Patet proinde ratio differentiæ, cur subsistentia Increata, non autem Intellectio Divina sit unibilis creatæ naturæ, primariò desumi debere ex eo, quòd Intellectio Divina, non autem subsistentia Increata sub Formali naturæ ratione debere uniri naturæ creatæ, cujusmodi duarum in unâ substantiâ naturarum unionem Formalem *Essentialiter* repugnare, patet ex dictis.

CONTROVERSIA IV.

In quâ formâ creatâ animæ pro statu Gloriæ Essentialiter consistat supernaturalis Beatitudo?

Plures sunt formæ supernaturales, quibus anima in statu Gloriæ perficitur. Prima est Gratia consūmata, quæ secundùm substantiam est quidem una cum Gratiâ viæ, attamen quoad modum differt ab illâ. Est enim gratiæ substantia in eo sita, quòd animam reddat Divinæ naturæ consortem, ex eaque dimanent habitus virtutum & Donorum supernaturalium. Ejusmodi verò dimanatio aliter se tenet in statu originalis justitiæ, in quo dimanabant ex Gratia habitus, quibus anima subjiciebatur Deo, passiones appetitûs rationi, & corpus animæ. Aliter verò illa virtutum dimanatio accidit in statu viæ, in quo ex Gratiâ dimanant habitus, quibus ratio subditur Deo; non verò habitus, quibus passiones totaliter subjiciantur rationi & corpus animæ. Aliter denique se tenet illa dimanatio in statu patriæ, in quo dimanant ex Gratiâ habitus, quibus corpus animæ, ac vires inferiores rationi, & ratio Deo indeclinabiliter, adeoque perfectiori modo subjicitur, quàm in statu Justitiæ Originalis. Unde Ildephonsus Baptista *disp. 38. n. 32.* infert, gratiam consummatam Patriæ recipere aliquem modum ac perfectionem realem, non habitam in viâ, ratione cujus adeò modi habeat, tum ut per modū radicis, mediantibus habitibus ex se dimanantibus, influat in omnes effectus in patriâ, non autem in viâ causatos: tum ac specialiter, ut ex Gratiâ per illum modum realem consummatâ oriantur lumen Gloriæ in Intellectu, nec non Principia seu habitus supernaturales pertinentes ad subjectionem virium inferiorum, & ad dotes, gloriamque Corporis resurgentis. 1.
2.

Secunda proinde animæ in statu Gloriæ forma supernaturalis est Lumen Gloriæ, vi cujus sit tum elevatio Intellectûs ad intuitivam Dei visionem, tum dispositio ejusdem ad suam intentionalem unionem, cum Divinæ Essentiæ Intelligibilitate, ceu specie impressa, seu Formâ non quidem *physicâ* sub ratione Formæ informativæ actuantis, sed sub ratione Formæ *objectivè* repræsentantis, & ut sic *realiter* causantis visionem Beatificam. De quo lumine *1. p. q. 4. a. 5.* fuse disseruimus. 3.

Tertia Forma est ipsa Visio Beatifica Divinæ Essentiæ, quà in suo Esse Intelligibili actualiter expressæ *vitaliter* & *intuitivè* apprehensiva, seu attactiva. De quâ *eâd. q. 4.* dictum est. Quarta forma est amor Beatificus Divinæ Essentiæ per visionem intuitivam, ut est in se, intelligibiliter repræsentatæ appretiativus, & ut sic animam cum Divinitate *Affectivè* unitivus. Quinta est gaudium Beatificum resultans ex Divinæ Essentiæ, per intuitivam sui in animâ repræsentationem possessione, nec non inde secutâ amorosâ unione. De 4.
5.
6.

ne. De quibus proinde formis difficultas esse potest; *in quâ Essentialiter consistat supernaturalis gloria Beatitudo?*

Referuntur Sententiæ.

7. Henricus Gandavensis *Quodlibet. 13. q. 12.* Beatitudinem in intimo Divinitatis in animam illapsu constituens à pluribus exponitur, quasi Beatitudinem Formalem posuerit *Principaliter* in habituali (cujusmodi est per Gratiam Habitualem præsertim consummatam) animæ cum Bono increato conjunctione, *minus principaliter* autem in actuali potentiarum operatione. Fundamentum ab Amico *præs. disp. 2. sect. 4. n. 44.* deductum est. Non enim solùm potentia, sed ipsa Essentia animæ est beatificabilis. Unde Beatitudo *completè* sumpta non tantùm consistit in conjunctione potentiarum cum objecto Increato, sed ipsius animæ Essentiæ cum Deo summo Bono. Atqui habitualis cum Deo conjunctio est ipsam Essentiam animæ afficiens, per eamque intimius per ipsammet scilicet Essentiam attingitur Divinitas; cùm econtra actualis operatio *immediatè* afficiat potentiam, nec adeò per ipsam *immediatè* afficiatur Essentia animæ. Est autem animæ cum Divinitate conjunctio principalior, quæ ipsam animæ substantiam afficit, hanc cum ipsâmet Divinitatis substantiâ *immediatè* uniendo. Ergo in habituali cum Deo conjunctione *principalius*, adeòque *Essentialiter* consistit Beatitudo.

8. Albertus Magnus *in 4. dist. 48. a. 4.* Divus Bonaventura *ibi. dist. 47. a. 1. q. 4. & 5.* Richardus *a. 1. q. 6.* Alensis *3. p. sum. q. 23. memb. 1. ad 1.* Valentia *1. 2. disp. 1. q. 2. punc. 4.* Suarez *disp. 7. sect. 1. n. 31.* Amicus *cit. disp. 2. n. 116.* Gammachæus Sorbonicus *præs. q. 3. cap. 14. concl. 2.* tenent; Beatitudinem Formalem Essentialiter consistere simul in actu Intellectûs & voluntatis.

9. Fundamentum ab Amico *n. 17.* deductum est. Nam Beatitudo formalis est perfecta assecutio & possessio objectivæ Beatitudinis. At objectum assequi & possidere est illud adæquari potentiæ secundùm rationem objectivam ipsius. Eo ipso autem, quòd potentiæ specie distinctæ nequant eandem rationem objectivâ saltem *sub Quâ* habere, oportet, Dei ceu objectivæ Beatitudinis aliam esse rationem quà Terminativam actûs Voluntatis, aliam verò quà Terminativam Intellectûs. Atqui Deus ceu Objectiva Beatitudo non potest dici perfectè possessus & appetitui animæ *simpliciter* coæquatus, nisi possideatur secundùm omnimodam suam rationem objectivam. Unde nequit anima esse plenè satiata ex possessione Dei per actum solius Intellectûs, sed istam plenam satietatem oportet fieri per objectivæ Beatitudinis possessionem potentiæ tam volitivæ, quàm Intellectivæ satiativâ. Cùm igitur Beatitudo Formalis *Essentialiter* consistat in perfectâ objectivæ Beatitudinis possessione, consequens est, ipsius Essentiam constare actu Intellectûs simul & voluntatis.

10. Scotus *in 4. dist. q. 3. 4. & 5.* Beatitudinem formalem Essentialiter constituit in solo actu Charitatis, qui sit amor amicitiæ erga Deum. Fundamentum est. Nam Beatitudo Formalis est, quæ attingit objectum Beatificum quà Beatificum. Est autem Deus objectum Beatificum sub ratione Boni. Atqui Intellectus attingit Deum sub ratione Veri, sola autem voluntas sub ratione Boni. Ergo Formalis Beatitudo *Essentialiter* consistit in solo actu voluntatis: maximè cùm istius actûs major sit perfectio, quàm cognitionis, quod manifestè elucet ex eo, quòd Seraphini, qui sunt in supremo gradu intellectualis naturæ, denominentur ab amore, non à cognitione.

Aureolus *in 4. dist. 49.* docet, Beatitudinem Formalem consistere *Essentialiter* in actu gaudij seu delectationis de Bono Divino. Fundamentum est. Quia Beatitudo Formalis est quies ultima, summa requies & satietas Beati in summo Bono. At gaudium & delectatio de summo Bono eatenus habet rationem quietis plenè satiativæ, ut omnis ipsam antecedens sive Visionis sive amoris actus se habeat per modum viæ ac tendentiæ ad delectationem summi Boni, in quâ veluti centro tandem quiescit anima. Unde sacra scriptura Beatitudinem sub ratione gaudij explicare solet *Matth. 35. Intra in gaudium Domini tui.* Et *Ioan. 15. Ut gaudium vestrum sit plenum.* Et *Proverb. 10. Expectatio iustorum lætitia.* In ejusmodi ergo gaudio summi Boni *Essentialiter* constituenda est Formalis Beatitudo. 11.

Divus Thomas *præs. q. 3. a. 4. ac seq. & in 4. dist. 49. q. 1. a. 1. q. 2.* Capreolus & Cajetanus *ibi.* Ferrariensis *3. contra Gentes. cap. 25. & 26.* Vasquez *disp. 11. cap. 3.* Fasolus *1. p. q. 26. a. 2. n. 3. & 4.* Oviedo *hic cont. 2. punc. 7. à n. 90.* Curiel *hic q. 6. §. 7.* Serra *præs. a. 4. dub. 2.* Ildephonsus Baptista *disp. 43. per totam.* Andreas Lao *disp. 20. dub. 2.* Ioannes à Sancto Thomâ *disp. 2. a. 2. n. 21.* docent; Formalem Beatitudinem Essentialiter esse intuitivam Dei quà Finis Beatifici visionem. Fundamentum per Ioannem à Sancto Thomâ *n. 34. ac sequentibus* deductum est. Nam Beatitudo Formalis idem est ac Finis Beatificus. Unde Beatitudo Formalis est ipsa consecutio Beatitudinis objectivæ, qui est Deus. At ejusmodi consecutio non est actus voluntatis, sed intellectûs. 12.

Probatur istud assumptum. Nam vi talis consecutionis fit objectum intentionaliter præsens. At voluntas tendendo in objectum per modum desiderij, nequit attingere id, ut præsens, sed ut futurum. Si verò voluntas per actum amoris, vel gaudij versetur circa rem ut præsentē, eo ipso supponi debet alius actus, quo talis res antecendenter sit præsens, & conjuncta seu attacta. Unde voluntas non facit objectum præsens, si aliàs ex se non sit præsens, sed *præsuppositivè & antecedenter* debet ejus præsentia supponi, ut attingatur à voluntate per actum amoris vel Gaudij. Atqui objectum Beatificum nequit voluntati fieri præsens nisi per actum Intellectûs. Consequens igitur est, objectum Beatificum *per se primò* fieri præsens per actum Intellectûs. At ubi incipit adeptio objecti Beatifici, ibi incipit *substantialiter* ac *Essentialiter* Beatitudo. Consequens igitur est, beatitudinem Formalem *Essentialiter* consistere in actu Intellectûs, quo Essentia Divina tanquàm objectum Beatificum *intuitivè* in sua propriâ existentiâ videtur. 13.

***

CONCLUSIO.

BEatitudo Formalis Essentialiter consistit in visione intuitivâ Essentiæ Divinæ.

14 Probatur. Nam Beatitudo Formalis supernaturalis consistit Essentialiter in tali objecti Beatifici possessione, ad quam universa Intelligentiæ perfectio vel ordinatur tanquàm medium ac dispositio, vel istam consequitur per modum proprietatis sive effectûs. Eo ipso autem, quòd Intelligentiæ Quidditas in se fundet potentiam tum Intellectivam, tum volitivam, quæ suâ intrinsecâ commensuratione ac proportione in objecto suo specificativo respicit universitatem Essendi, sequitur; nullum objectum posse Intelligentiæ satiativum, atque adeò Beatificum esse, nisi habeat rationem puri Esse subsistentis in se Eminenter continentis universam Essendi formalitatem. At ejusmodi est unica Essentia Divina. Nequit verò Essentia Divina, ut est in se, atque adeò secundùm commensurationem Intelligentiæ plenè ac simpliciter satiativam attingi, nisi per visionem intuitivam. Hæc autem totius creatæ naturæ proportionem excedens, non nisi secundùm supernaturalem Divini luminis elevationem elici potest à creatâ Intelligentiâ. Unde in hac est intrinseca quædam secundùm potentiam obedientialem elevabilitas ad luminis supernaturalis actuationem. At vi hujus luminis Intelligentia creata eatenus determinatur ad vitalem Divinæ Essentiæ, ut in se est *Intelligibiliter* expressæ attactum, ut iste attactus vitalis sit actualis consecutio, ac possessio Divinæ Essentiæ qua secundùm puram Essendi actualitatem in se *Intelligibiliter* expressæ. Probatur istud assumptum. Nam possessio consistit in appre-
15 hensione seu detentione rei possessæ. At eo ipso, quòd Deus sit spiritus purè subsistens, nequit apprehendi nisi per immaterialem attactum Essentiæ ejusdem secundùm purissimam Essendi actualitatem in se Intelligibiliter expressæ vitaliter apprehensivum, adeò ut ipse Deus suæ Essentiæ possessionem aliter habere nequeat, nisi per intelligibilem sui actualem expressionem. At eo ipso, quòd Deus sit Actus purus, sequitur; Intelligibilem Divinæ Essentiæ in se expressionem eatenus esse *realiter Formaliter* identificatam cum sui actuali apprehensione, seu attactu vitali, ut sit prima Vita Dei in se *Formalissimè* beata. Est autem Beatitudo creata Beatitu-
16 dinis Divinæ participata similitudo. Hæc verò similitudo participata in eo se tenet, quòd Intellectus Beatus per attactum vitalem creatum sit Divinæ Essentiæ quà in se Intelligibiliter expressæ apprehensivus; & intussusceptivus. Unde *1. Ioan. 3.* dicitur: *Similes Deo erimus, quoniam videbimus eum, sicuti est.* Constat proinde, quòd sicuti possessio Esse Divini quà objecti Intelligentiæ Beatifici est in Deo per actualissimam sui expressionem Intelligibilem ab Esse Divino *realiter Formaliter* indistinctam, sic possessionem Divini Esse in creatâ Intelligentiâ esse per attactum ab istâ Vitaliter elicitum, ut sic apprehensivum Essentiæ Dei, quà secundùm puram Essendi actualitatem in se *intelligibiliter* expressæ.

Dices. Antecedenter ad visionem Dei sup- 17
poni Divinam Essentiam mediante lumine gloriæ in ratione speciei Intelligibilis unitam Intellectui Beato. At vi hujus unionis jam haberi possessionem Divinæ Essentiæ. Si ergo in hujus possessione sit Beatitudo Formalis, illam videri ponendam in lumine Gloriæ.

Contra. Nam vi luminis Gloriæ Essentia 18
Divina in ratione speciei Intelligibilis unitur Intellectui Beato, quatenus sub ratione Causæ Effectivæ secundùm ipsissimam Naturæ suæ Divinæ à lumine gloriæ creato participatam similitudinem illabitur Intellectui beato, huic vi luminis gloriæ *Formaliter* tribuendo connaturalem exigentiam ad objectivum concursum ab Essentiæ Divinæ actualissimâ intelligibilitate præstandum, atque ut sic eliciendum actum visionis Essentiam Divinam quà in se intelligibiliter expressam vitaliter attingentis. Atqui patet, ejusmodi unionem necdum importare actualem Essentiæ Divinæ apprehensionem seu attactum vitalem, sed habere se ex parte principij duntaxat Effectivi. Hoc autem Principium *per se Formaliter* non est in actu, prout se tenet ex parte intellectûs creati lumine gloriæ illustrati, sed est adhuc in potentiâ. Ejusmodi verò potentialitas de se importat imperfectionem. At Beatitudo Formalis est ultima Intelligentiæ actualitas & perfectio, objecti plenè satiativi, atque ut sic Beatifici per modum actualis possessionis apprehensiva. Consequens proinde est, Divinæ Essentiæ tanquàm speciei intelligibilis cum Intellectu creato vi luminis Gloriæ unionem non esse *Formalem & actualem*, sed *potentialem* Beatitudinem, se tenentem ex parte Principij *Effectivè*, non autem *Formaliter* Beatificativi.

Instabis. De ratione Beatitudinis Formalis 19
esse, quòd sit talis objecti Beatifici consecutio; ut non sit ordinabilis ad ulteriorem Intelligentiæ Beatæ perfectionem. At visionem Divinæ Essentiæ intrinsecè ordinari ad hujus amorem, qui æquè habet rationem actûs Divinæ Essentiæ consecutivi. Probatur istud assumptum ex Scoto *in. dist. 49. q. 4. §. in istâ quæstione.* Nam 20
Divinæ Essentiæ quà Beatitudinis objectivæ consecutio non est *in Esse reali*, sed *in Esse intentionali*, sive *in Esse* objecti: Hoc autem fit, quatenus objectum *intentionaliter* attingitur à potentiâ. Atqui hoc genus attingentiæ ac consecutionis æquè convenit actui voluntatis ac intellectûs. Cùm igitur visio Dei sit ordinabilis ad hujus amorem, qui æquè ac illa sit Divinæ Essentiæ consecutio intentionalis, consequens est, in amore potiùs, quàm in visione Dei ponendam esse essentiam Formalis Beatitudinis.

Contra. Nam consecutio rei *in Esse intentionali* 21
est attingentia intentionalis hujus ad se attractiva, & ab intrinseco apprehensiva. Atqui Intellectus attingit objectum trahendo ad se, ac *intentionaliter* secundùm Esse repræsentativum intra se suscipiendo: Econtra voluntas attingit objectum, ut ab intellectu repræsentatum. Hæc autem objecti secundùm existentiam repræsentatio facit objectum secundùm Esse intentionale præsens. At hac ipsâ objecti secundùm Esse Intentionale præsentiâ suppositâ, fertur voluntas in objectum, non illud trahendo ad se, sed

ab hujus Bonitate attrahitur, ut feratur extra se. Unde objecti alicujus consecutio *intentionaliter* possessiva est per Intellectum, non autem per voluntatem, sed ista potiùs possidetur ab objecti *Finaliter* attractivâ, & Voluntatis ad se motivâ appretiabilitate ac Bonitate: uti Sanctus Augustinus *lib. 83. quæst. q. 35.* distinguens inter cognoscere & amare expressè affirmat; quòd *cognoscere, non autem amare* sit *habere*, adeò, *ut, quidquid habetur mente, cognoscendo habeatur*. Constat proinde, visioni, non autem amori Dei convenire, quòd sit objecti Beatifici possessio taliter consecutiva, ut ad ipsam vel per modum medij aut dispositionis, vel per modum proprietatis ac effectûs ordinetur omnimoda Intelligen-
22. tiæ perfectio. Probatur istud assumptum. Nam eo ipso, quòd Gratia habitualis & lumen Gloriæ sint Naturæ Divinæ participationes, secundùm rationem potentialitatis, per actualem Divinæ Essentiæ visionem, ceu actualiorem Divinitatis participationem actuabilis, sequitur; illas supernaturales formas ab intrinseco ordinari ad Divinæ Essentiæ visionem, tanquàm ultimam in Esse supernaturali actualita-
23. tem ac perfectionem. Deinde virtutum moralium supernaturalium actus non attingunt *immediatè* aliquam Increatam Dei perfectionem, sed participatæ supernaturalis Honestatis objectivæ creatam Formalitatem. Et licèt virtutum Theologicarum actus *immediatè* ferantur in aliquam Dei perfectionem sui specificativam, hujus tamen attingentia in statu viæ fit vel sub velamine speculi ænigmatici, vel secundùm modum tendendi imperfectum. Unde perspicuum fit, omnem virtutis supernaturalem actum ex intrinsecâ suâ proportione importare, respectu perfectæ Dei quà objecti Beatifici consecutionis,
24. quandam medij, seu meriti tendentiam. Insuper quia Intelligentia creata ex naturâ suâ habet appetitum innatum ad talem Primi Intelligibilis intentionalem consecutionē, quæ secundum naturæ vires ex parte objecti *intentionaliter* attacti possit quidem esse satiativa Intelligentiæ, ex parte tamen modi attingendi ad elevatiorem semper ac depuratiorem objecti ejusmodi expressionem *syncategorematicè* in infinitum tendat; idcirco ad talem appetitum satiandum competit Intelligentiæ creatæ elevabilitas obedientialis, vi cujus non tantùm Intellectus, sed omnes animæ vires cum universis Bonis ac Dotibus, seu perfectionibus huic subordinatis sunt elevabiles ad visionem Divinæ Essentiæ, ceu objecti Beatifici perfectam possessionem consequendam. Constat proinde, omnem tam supernaturalem, quàm naturalem perfectionem, quam creata Intelligentia usque ad instans visionis Dei est nata habere, vel *connaturaliter*, vel *obedientialiter* per modum dispositionis, seu meriti, aut potentiæ saltem elevabilis ordinari ad Divinæ Essentiæ [illegible]tionem. At istâ habitâ, eatenus in Intelligentiâ stat possessiva objecti Beatifici consecutio, ut habeat rationem plenæ satietatis, nec adeò per se ordinetur ad subsequentes amoris & Gaudij, seu delectationis actus, sed isti econtra per modum proprietatis referantur ad
25. Visionem Divinæ Essentiæ. Probatur istud assumptum. Nam ad istam visionem substantia animæ secundùm potentiam obedientialem sive *proxime*, sive *radicaliter* concurrens, Divinæ Essentiæ actualitatem purissimam & infinitam in ipsum Essentiæ suæ fundum Intelligibiliter trahit. Imò per visionem Divinæ Essentiæ in substantiâ suâ receptam anima vi hujus visionis tanquàm contactûs vitalis habet substantiæ suæ unitum purissimum Divinitatis Esse Intelligibile. At verò animæ substantia ex se *Connaturaliter* profundens potentias Intellectivam & volitivam, has in se *Eminenter* continet. Hinc autem fit, quòd in ipso animæ fundo *Eminenter* ac *Radicaliter* inexistat illa ad universam Essendi rationem commensuratio, sub quâ potentiæ Intellectiva & volitiva respiciunt sua objecta. At eo ipso, quòd Visio Divinæ Essentiæ ex animæ substantiâ *Obedientialiter* saltem *Radicaliter* emanans, tanquàm Vitalis contactus in ejusdem animæ fundo subjectata, sit hujus cum Divinitate unio quædam intentionalis, sequitur; vi talis unionis in Esse Intelligibili fieri unionem objecti sub purissimâ ac infinitâ Esse subsistentis actualitate omnimodam Essendi formalitatem Eminenter continente, atque adeò omnimodam animæ commensurationem ac proportionem simpliciter coæquante. Ex vi autem talis unionis est plena in ipso animæ fundo substantiali satietas eo ipso, quod habeat possessionem objecti quà plenè satiantis, seu coæquantis fundum animæ, sive habitualem ipsius commensurationem, ex quâ per modum proprietatis in se *Eminenter* ac *Radicaliter* contentæ fluit omnis sua connaturalis, atque Intellectiva adeò potentia. Hinc autem fit, quod, sicut animæ 26.
substantia totam voluntatis ex se *Connaturaliter* emanantis commensurationem *Eminenter* continet, sic Visio Dei unitiva per modum vitalis contactûs animam cum Divinitate in Esse Intelligibili unientis substantialem animæ fundum coæquans se habeat instar radicis ex se *Connaturaliter* profundentis quoslibet voluntatis actus circa Deum quà in se *Intuitivè* visum versantes. Unde in visione ejusmodi tanquam radice est quædam Eminentialis continentia amoris & gaudij Beatifici. Sicut ergo potentia volitiva ad animæ fundum se habet instar proprietatis connaturalis, refertur q; adeò ad animæ fundum tanquam forma non per se, sed propter Bonum substantiæ, in quâ fundatur, intenta: sic amor Dei & Gaudium Beatificum se habent ad visionem Beatificam per modum proprietatis ex istâ *Connaturaliter* emanantis, ordinanturque ad ipsum animæ fundum non in puris suis naturalibus spectatum, sed quà ex objecto sui *Eminenter* coæquante plenè satiatum, mediante Divinitatis intelligibili per visionem intuitivam unione. Constat igitur, Visionem Dei se habere in Beatitudinis statu tanquàm Formam Essentialem seu quasi substantialem, Amorem verò Dei & Gaudium Beatificum esse ad instar proprietatum.

Responsio ad opposita Fundamenta.

AD *n. 7.* oppositum Respondetur. Beatitudinem Essentialiter consistere in tali animæ Formâ, quæ in lineâ supernaturali, ceu analogicâ Beatitudinis Dei Increatæ participatione, non sit in potentiâ, sed in actu Divinitatis Intentionaliter possessivo. Ejusmodi verò actum esse visionem, quæ Essentiam Divinam tanquàm 27.
Termi-

Terminum intrinsecum *in Quarto perseitatis modo Formaliter* specificativũ sub actualissimâ sui in se intelligibili expressione sit Vitaliter attingẽs. Hunc ipsum verò vitalem attactum in animæ substantiâ subjectatum, & in ipsâ tanquàm Principio *radicaliter* Effectivo fundatum reduci in ejusdem animæ fundum, hujus universalem omnimodæ potentijs ex ipsâ emanantibus propriæ proportionis *Eminenter* contentivam commensurationem coæquando, atque adeò plenè satiando. Constat proinde, qualiter Visio Dei non potentiæ duntaxat Intellectricis, sed ipsius animæ substantiæ sit cum Bono increato quoad esse Intelligibile conjunctio actualis ac perfecta, ipsum adeò animæ fundum in se ipso satians ac Beatificans.

28. Ad *n. 8.* oppositum Respondetur. Verum esse, quòd possessiva Beatitudinis objectivæ consecutio importet totius animæ commensurationis ex objecto Beatifico coæquationẽ. Hanc verò ex visione Divinæ Essentiæ in ipsum animæ fundum reductam, & ut sic substantialis omnimodam Intellectui ac voluntati propriam proportionem *Eminenter* continentis animæ commensurationis satiativam, *intrinsecè* terminari ad omnimodam Divinitatis, prout est in se, actualitatem. At visionem & amorem Beatificum *quoad rationes objectivas sub quibus* in eo duntaxat discriminari, quòd iste Essentiam Divinam sub ratione summi Boni attingendo eatenus habeat Formalitatem Bonitatis infinitam pro suo Formali specificativo Termino, ut in hâc ipsâ tamen Formalitate sit appretians omnimodam Dei perfectionem: sicuti econtra visio Divinæ Essentiæ hujus Intelligibilitatem sub ratione Primi Veri tanquàm termini *Formaliter* specificativi eatenus attingit, ut in hâc ipsâ tamen Intelligibilitatis in se actualiter expressæ Formalitate ut sic attingat omnimodam Divinitatis perfectionem. Constat proinde, per visionem & amorem Beatificum attingi unam simplicissimam in se purissimè subsistentis Essentiæ actualitatem, quæ sub ratione Veri per purissimam Essendi actualitatem in se *transcendentaliter* imbibitam sit ipsissimam Bonitatis infinitæ perfectionem continens, quæque adeò per Primum sui, mediante visione, contactum vitalem sit animæ hoc ipso satiativa, quòd omnimodam in fundo ipsius subsistentem potentiarum ex ipsâ emanantium contentivam commensurationem universalem sit *supereminenter* adæquans.

29. Ad *n. 9.* oppositum Respondetur. Deum esse objectum Beatificum sub ratione tam Veri, quàm Boni, ita quidem, ut ratio Veri in objectivâ Beatitudine sit prima ratio *sub Quâ* Terminativa Formalis ac Essentialis Beatitudinis, quæ tamen ratio Veri repræsentata voluntati *Formalissimè* importet rationem summi Boni. Quam equidem summi Boni repræsentationem esse primam possessivam objecti Beatifici consecutionem, redundantem in ipsam animæ substantiam, esseque hujus adeò in suo quasi fundo Beatificativam, atque ut sic ex ipsâ emanare affectivam & Summi Boni summè appretiativam mediante amore unionem. Quare amorem Summi Boni se habere ad statum Beatificum non ut Essentiam & primam quasi substantiam, sed ut proprietatem.

30. Ad *n. 10.* oppositum Respondetur. Aliam in objecto Beatifico esse Quietem affectivam, aliam verò esse ipsius animæ fundi, ejusque potentiarum in ejusdem animæ substantiâ *Eminenter* contentarum satiativam per omnimodam ac supereminentem universalis in animæ fundo subsistentis oommensurationis coæquationem. Quam porro primam commensurationis animæ fundo intrinsecæ satiativam coæquationem sitam esse in vitali per visionem Divinæ Essentiæ contactu; ex eoque mediante affectivâ per amorem Divinitatis ad animam unionè consequi Quietem affectivam in actu gaudij sitam. Unde hanc per modum proprietatis se habere ad statum Beatitudinis: istius verò Essentiam *Formaliter* consistere in Visione Divinæ Essentiæ, veluti etiam demonstratur fundamento *n. 11. & 12.* proposito.

CONTROVERSIA V.

Utrùm amor Dei necessariò in exercitio sequatur ex visione Beatificâ?

Scotus *in 1. dist. 1. q. 4. a. 3. & in 4. dist. 49. q. 6. n. 9.* Lychetus & Tartaretus *in 1. cit. q. 4.* Hiquæus *in 4. cit. q. 6. n. 8. comment.* Ocham *in 1. dist. 1. q. 6. concl. 5.* Gabriel *ibi.* & alij negant, Voluntatem necessitari ab ultimo Fine clarè viso, sed liberè elicere actũ quoad *exercitium*, quamvis necessitetur *quoad specificationem.* Fundamentum ab Hiquæo *n. 16.* deductum est. Necessitas in agendo est à principio activo. Unde si voluntas ab intrinseco necessitaretur ad amandum Deum clarè visum, tunc iste actus amoris non esset ab intrinseco voluntatis principio, sed ab Extrinseco. Hoc autem est falsum. Ergo ut amor Dei in beatis esset necessarius, deberet voluntas habere intrinsecum ad amorem determinativum principium. At per hoc, quòd intellectus nunc videat objectum Beatificum, nihil fit intrinsecum voluntati. Neque verò voluntas ex se ipsâ *intrinsecè* est determinata respectivè ad objectum sub ratione omnis Boni repræsentatum. Probatur istud assumptum. Quia Deus etiam per fidem proponitur sub ratione summi Boni omnimodam imperfectionem excludentis. Imò idem est objectum Formale viæ per fidem, & patriæ per visionem in Deo repræsentatum. Unde tota fidei & visionis diversitas se tenet ex parte applicationis, non autem ex parte objecti. Atqui applicatio & applicans accedunt causæ tanquàm conditio, non autem ut pars, aut modus Virtutis. Hæc ipsa verò conditio supponit principium activum cum connaturali modo agendi. Si proinde voluntas ex suâ intrinsecâ virtute agendi esset determinata ad objectum Beatificum clarè visum: ista determinatio voluntati quà activo amandi principio intrinseca non aliter se haberet ad Deum clarè visum, atque haberet se ad Deum obscurâ fidei cognitione repræsentatum sub illâ ipsâ summi Boni objectivâ ratione, quæ per visionem claram voluntati applicatur. Cùm igitur amor Dei in viâ *quoad exercitium* non sit necessarius, idem erit de amore Dei in patriâ:

Divus

3. Divus Thomas *1. 2. q. 82. a. 2. & 1. 2. q. 5. a. 4. in corp. & ad 2.* Item *3. contra gentes.* Ferrarienſis *ibi.* Capreolus *in 1. diſt. q. 3.* Caietanus *1. p. q. 82. a. 1. & 2.* Item *1. 2. q. 10. a. 2.* Medina *ibi.* Scotus *in 4. diſt. 49. q. 8.* Richardus *eâd. diſt. a. 7. q. 6. ad. 2.* Major *ibi. q. 8.* Durandus *in 4. diſt. 48. q. 2.* Curiel *hic q. 5. a. 4. §. 8.* Vaſquez *præs. diſp. 16. cap. 2.* Valentia *to. 2. diſp. 1. q. 4.* & alij tenent, voluntatem ab intrinſeco neceſſitari ad amandum clarè viſum. Quam porrò ſententiam procedere de abſolutâ Dei potentiâ, ita ut reſpectu hujus implicet, dari viſionem Divinæ Eſſentiæ ſine amore, cenſet Heinricus *quodlib. 12. q. 5.* & Ægidius *quodlib. 5. q. 6.* Econtra illam amoris cum viſione neceſſariam connexionem eſſe ſecundùm ordinariam duntaxat, non verò abſolutam Dei potentiam, tradunt Amicus *præs. diſp. 2. ſect. 10. n. 141.* & Ildephonſus Baptiſta *diſp. 5. à n. 105.* affirmantes; impoſſibile quidem, quòd Beatus etiam de potentiâ Dei abſolutâ circa amorem Dei utatur libertate quantum ad ſpecificationem; ita ut poſſit Deum odio habere, attamen non implicare, dari in Beato viſionem Divinæ Eſſentiæ abſque eo, quòd diligat Deum.

Conclusio.

Suppoſitâ Eſſentiæ Divinæ viſione, voluntati per charitatem inſtructæ convenit tam quoad Exercitium, quàm quoad ſpecificationē libertatis Formalis excluſiva ad amandum neceſſitas, ita ut per abſolutam Dei potentiam non tantùm non poſſit Deum odio habere, ſed neque habere vim ab intrinſeco ſuſpendendi actum amoris.

4. Probatur. Natura Voluntatis Eſſentialiter importat talem reſpectu Boni commenſurationem, ut objectum ſub ratione Boni *in Quarto perſeitatis modo* ſit *Formaliter* ſpecificativum actûs proſecutionis. At eo ipſo, quòd natura ſit ad unum determinata, nequit objectum quà ſpecificativum determinatæ actûs ſpeciei terminare actum oppoſitum. Unde ex ſpecificâ voluntatis naturâ eſt, quòd, ſi in objecto aliquo nulla proponatur Boni defectibilitas, nequeat terminare actum averſionis vel odij. Atqui intui-
5. tiva Divinæ Eſſentiæ viſio eatenus repræſentat puriſſimam Divini Eſſe actualitatem omnimodæ perfectionis & Bonitatis infinitæ contentivam, ut impoſſibile ſit, cum tali viſione ſtare cognitionem, quæ aliquam Bonitatis defectibilitatem ſeu rationem mali etiam reſpectivam circa Deum proponat. Ergo ex Eſſentiali naturæ ſpecificæ voluntatis quidditate tunc repugnat, hanc in Deum ferri per actum averſionis vel odij. Cùm igitur Deus nequeat rerum Eſſentias immutare, conſequenter per ipſius abſolutam potentiam fieri nequit, ut in voluntate ſit vis odio habendi Deum intuitivè viſum.

6. Dices. Non repugnare de abſolutâ Dei potentiâ, Deum alicui infundere lumen gloriæ, atque adeò viſionem Divinæ Eſſentiæ unà cum revelatione, quòd poſt aliquod tempus vellet ab ipſo tollere lumen ac viſionem ejuſmodi, ac exinde in libertate peccandi relicto permittere lapſum culpæ lethalis, eumque ex tunc pœnæ inferni addicere. At in iſto per abſolutam Dei potentiam poſſibili caſu cum viſione Divinæ Eſſentiæ ſtaret cognitio Dei repræſentativa ſub ratione mali reſpectiva. Probatur. Nam 7.
Deus ſub mali reſpectivâ ratione repræſentatur, quatenus cognoſcitur cauſa permiſſiva Defectibilitatis alicujus, nec non cauſa inflictiva mali pœnalis. Hæc enim Cauſæ ratio, licèt abſolutè loquendo ſit in Deo perfectio, reſpectu tamen creatæ Intelligentiæ importat aliquod malum. At in præfato caſu cum viſione Divinæ Eſſentiæ ſtaret cognitio Dei quà permittentis pro futuro lapſum peccati mortiferi, & infligentis pœnam inferni. Unde in tali caſu repræſentaretur Deus ſub reſpectivâ mali ratione. Atqui ad hoc, ut Deus poſſit odio haberi, ſufficit; quòd repræſentetur ſub reſpectivâ aliquâ ratione mali. Ergo in illo caſu unà cum viſione Divinæ Eſſentiæ ſtare poſſet in voluntate vis odio habendi Deum.

Contra. Nam quidquid vel Defectibilitatis ſecundùm Dei permiſſionem, vel mali pœnalis ſecundùm Cauſalitatem Divinam eſt in creatâ Intelligentiâ; totum id reſpectu Dei habet rationem Iudicij. Hæc autem ratio Iudicij quoad permiſſionem peccati in eo ſe tenet, quòd cùm Deus abſoluti ſuper omnem creatam Formalitatem Dominij rationem habeat, in permiſſione peccati non niſi de æquitate juris operetur. At hoc ipſum jus Dei eatenus ſibi ſubjectam habet omnimodam creaturam, ut, licèt permiſſio peccati vel inflictio pœnæ reſpectu creatæ Intelligentiæ importet aliquod malum, ad hoc tamen Deus nequeat aliter ſe habere, niſi ſub Formalitate Iuſti Iudicij. Unde malum ſive pœnæ ſive culpæ, prout à parte rei ſe habet ad Deum, eatenus habet rationem Bonitatis, ut eo ipſo, quòd omnimoda creatæ Intelligentiæ Formalitas reſpectu mali ejuſmodi repugnantiam habens ſit Divino Iuri, ejuſque Iudicio *Eſſentialiter* ſubordinata, nequeat Deus in comparatione ad creaturam ſecundùm rei veritatem habere rationem mali etiam reſpectivi; ſed quòd creata Intelligentia malis ejuſmodi oppreſſa Deum judicet ſibi malum, hoc provenit ex defectibilitate Iudicij. At in illo caſu 9.
Divinæ Eſſentiæ, ut eſt in ſe, ſecundùm omnimodam ſui perfectionem intrinſecam eſſet repræſentatio. Unde hæc impediret, ne Divina de amiſſione viſionis Dei, nec non permiſſione peccati, ac pœnæ infernalis in futurum inflictione revelatio poſſet vel *Formaliter* vel *Virtualiter* fundare judicium Dei ſub ratione mali etiam reſpectivi repræſentativum. Cùm igitur ex ſpecificâ voluntatis naturâ & quidditate repugnet, voluntatem odio proſequi objectum, niſi ſub ratione mali ſaltem reſpectivi repræſentatum: in prætacto autem caſu, quamdiu Divinæ Eſſentiæ viſio Intellectum ad veritatis, prout à parte rei eſt, in Deo repræſentationem determinans ſubſiſteret, ex Eſſentiali Intellectûs ad Verum determinatione Dei ſub ratione mali repræſentatio eſſet impoſſibilis, conſequenter implicaret in voluntate vis Deum tunc odio habendi.

Replicabis. Tametſi voluntas Deum clarè 10.
viſum nequeat odio habere, poſſe tamen ſuſpen-

11. ſpendere actum amoris. Probatur. Nam ſuppoſitâ viſione Divinæ Eſſentiæ, voluntas ſecundùm ſe ſpectata abſtrahendo ab infuſæ charitatis habitu, non eſt intrinſecè determinata ad amorem huic viſioni commenſuratum. At neque habitus charitatis in ratione Principij activi eſt de ſe intrinſecè determinatus ad actualem Dei amorem: ſiquidem idem Charitatis habitus ſit in via & patriâ: ut adeò amor Dei etiam in viâ eſſet neceſſarius, ſi charitas in ratione activi principij eſſet intrinſecè determinata ad amoris exercitium. Cum igitur iſta ad exercitium amoris determinatio neque ſit ex naturâ voluntatis, neque ex propriâ Charitatis infuſæ quidditate; non poſſe, ſuppoſitâ Divinæ Eſſentiæ viſione, voluntatem ab intrinſeco eſſe determinatam ad amoris exercitium.

12. Contra. Nam ipſa voluntatis creatæ Eſſentia importat activam mediante charitatis infuſæ habitu elevabilitatem. Iſta verò in voluntate Elevabilitas intrinſeca Tranſcendentaliter importat Eſſentialem ejuſdem ad Bonum univerſum omnimodæ defectibilitatis, atque adeò malitiæ ut ſic *Formaliter* excluſivum commenſurationem. Hæc autem ad Bonum univerſum commenſuratio Eſſentialis eſt *per ſe intrinſecè* determinata ad Bonum, utpote ſui Formale *in Quarto perſeitatis modo* ſpecificativum. At hæc ipſa ad Formale ſpecificativum *in Quarto perſeitatis modo* intrinſeca determinatio eſt in ratione Principij activi. Intrinſeca verò ſub ratione Principij activi determinatio eſt in ordine ad Cauſalitatem effectricem. Ejuſmodi verò cauſalitas eſt *Formaliſſimè* exercitium principij Effectivi. Conſequens igitur eſt, voluntatem ex naturâ ſuâ eſſe ab intrinſeco determinatam ad exercitium effectivum reſpectu Boni univerſi omnimodæ defectibilitatis, atque malitiæ ut ſic Formaliter excluſivæ, omnimodæque Bonitatis ac Eſſendi perfectionis contentivum.

13. vum. Atqui effectivum voluntatis reſpectu illius Boni Eminentialiter univerſi exercitium eſt amor. Eſt igitur voluntas quoad activitatem *ſaltem obedientialiter* elevabilem per naturam ſuâ determinata ad exercitium amoris reſpectu Boni univerſi. Atqui per viſionem Beatam DivinaEſſentia ſub eminentiali Boni univerſi omnimodam Defectibilitatem, atque malitiam etiam reſpectivam Formaliter excludentis, totamque Bonitatis actualitatem continentis, atque adeò univerſalem voluntatis Commenſurationem Eſſentialem ſuperminenter coæquantis ratione, ut eſt in ſe, Quidditativè repræſentatur. Ergo reſpectu Divinæ Eſſentiæ *Intuitivè* viſæ in voluntate ſecundùm ſe ſpectatâ, abſtrahendo à charitatis infuſæ habitu, eſt intrinſeca in ratione Principij activi elevabilitas ex ſe determinata ad amoris exercitium. Hæc autem in ratione Principij activi ad ſupernaturalem Dei amorem elevabilitas *Formaliter* completur per charitatis infuſæ habitum. Hujus autem habitûs natura eſt *intrinſecè* commenſurata ad naturam voluntatis. Sicut ergò iſta in ratione principij Elevabilis & proportionabilis, ſic ille in ratione principij elevantis & proportionantis per naturam ſuam eſt reſpectu Eſſentiæ Divinæ ſecundùm omnimodam Bonitatis actualitatem in ſe intuitivè repræſentatæ, intrinſecè determinatus ad exercitium amoris.

Inſtabis. Suppoſitâ Divinæ Eſſentiæ viſione, Deum ſaltem poſſe negare concurſum ad actuale amoris exercitium. Hoc autem poſito, voluntatem ſuſpendi ab actuali amoris exercitio. Ergo non ſecundum abſolutam, ſed ordinariam Dei potentiam eſſe, quòd ſtante viſione Divinæ Eſſentiæ, nequeat voluntas ſuſpendi ab actuali amoris erga Deum exercitio. 14.

Contra. Nam aliud eſt, quòd voluntas Divinæ Eſſentiæ viſione ſuppoſitâ, ex ſe habeat vim exercitij amoris ſuſpenſivam: aliud verò eſt, quòd ex ſubtractione concurſûs Divini poſſit ſuſpendi à tali exercitio. At licèt ſuperius non repugnet, niſi ſecundùm ordinariam potentiam, dici tamen debet, prius repugnare ſecundùm abſolutam Dei potentiam. Probatur iſtud aſſumptum. Nam licèt voluntas per charitatem infuſam inſtructa, viſione Divinæ Eſſentiæ intuitivâ præſuppoſitâ, in ratione Principij activi ad exercitium amoris intrinſecè determinata *connaturaliter* exigat Dei concurſum; hæc tamen connaturalis exigentia eſt ſuperabilis per Divinam potentiam, nec adeo concurſus ille Divinus eſt voluntati debitus, niſi ſecundùm ordinariam potentiam. Unde cùm Deus abſolutè loquendo, poſſit negare ſuum pro amoris illius exercitio neceſſarium concurſum, conſequens eſt; voluntatem in ſtatu præfato poſſe ſuſpendi ab amoris Divini Exercitio ſecundùm Dei abſolutam potentiam. Econtra verò ut voluntas haberet vim ab intrinſeco ſe ſuſpendendi ab amoris Divini exercitio, deberet in ratione Principij activi non eſſe ab intrinſeco determinata ad Divini amoris exercitium. At eo ipſo, quòd voluntas in illo ſtatu per ſuam Entitatem in ratione Elevabilitatis activæ & per charitatem in ratione principij intrinſecè proportionati ad exercitium amoris ſit *Formaliter* determinata, implicat, ipſam non eſſe ad tale exercitium intrinſecè determinatam. Abſolutè igitur eſt impoſſibile, voluntatem tunc habere vim ab intrinſeco ſe ſuſpendendi ab amoris Divini exercitio. 15. 16. 17.

Urgebis. Deum poſſe voluntati in illo ſtatu præcipere, vel ut ceſſaret ab amoris Divini exercitio, vel ſaltem ut iſtam ceſſationem peteret à Deo, qui tunc per ſui Divini concurſûs ſubtractionem eſſet voluntatem à tali amore ſuſpenſurus. At pro tunc ſaltem fore voluntati intrinſecâ vim ſe ſupendendi ab amoris Divini exercitio. 18.

Contra. Nam eo ipſo, quòd præceptum Eſſentialiter importet quandam obligationem operis, vel ab actione ceſſationis, in ejus, cui præcipitur, poteſtate poſitæ: implicat, Deum voluntati per Eſſentiæ Divinæ viſionem ad amoris exercitium intrinſecè determinatæ imponere præceptum ceſſationis à tali exercitio. Etſi verò DEUS poſſet Beato imponere præceptum, ut in recognitionem ſui ſupremi Dominij ſe liberè vellet deſtitutum prærogativâ amoris Divini, atque in hunc finem petere deberet à Deo, ne ſibi concederet neceſſarium pro talis amoris exercitio concurſum. Nihilominùs pro tali caſu non haberet voluntas phyſicam vim ſe ſuſpendendi ab amore Divino, ſed ad ſummum haberet vim moralem non ex ſe immediatè, ſed mediante Divinæ Voluntatis efficaciâ ſuſpenſivam amoris Dei. Patet igitur quòd ſuppoſitâ Eſſentiæ Divinæ viſione, voluntas per chari- 19.

charitatem infusam instructa eatenus sit ab intrinseco determinata ad amorem Dei, ut ne quidem per absolutam Dei potentiam possit habere vim ex se ab *intrinseco* ac *immediatè* suspensivam amoris Divini.

Responsio ad Scoti Fundamentum.

20. AD *n. 1.* oppositum Respondetur. Verum esse, quòd voluntati per charitatem infusam Instructæ respectu Essentiæ Divinæ intuitivè repræsentatæ sit intrinsecum principiū determinativum ad amoris exercitium. Hoc verò principiū esse partim Elevabilitatem activam voluntatis, ab istius Entitate realiter indistinctam; partim charitatem infusam in ratione Principij Voluntatem *Formaliter* proportionantis in actu primo Essentialiter determinatam ad amorem Dei clarè visi. Unde falsum esse, quòd voluntas ex se ipsâ in ratione Principij Elevabilis & ex actuatione charitatis in ratione Principij *completè* proportionati non sit *intrinsecè* determinata ad objectum sub ratione omnis Boni intuitivi repræsentatum.

21. Ad probationem *n. 2.* oppositam Respondetur. Per fidem non repræsentari Deum sub suo proprio Esse Intelligibili, sed sub speculo ænigmatico speciei Intelligibilis Divinum Esse repræsentantis in Verbo duntaxat creato, Dei tantùm *secundùm quid* ac *imperfectè* expressivo. Etsi proinde visionis Dei ac Fidei non sit diversitas ex parte objecti *Quod*, est tamen infinita distantia ex parte objecti *Quo*, id est Verbi, Divinæ Bonitatis Intelligibiliter repræsentativi: siquidem intuitiva Dei visio ipsam Divinitatis Essentiam in se Intelligibiliter expressam tanquàm Verbum *immediatè* attingat, Fides verò respiciat verbum creatum ex se limitatum, nec adeò in hoc Divinitas, ut est in se, intelligibilis sit, sed sub speculo duntaxat ænigmatico & alienâ Formâ. Unde per visionem infinita Dei Bonitas applicatur voluntati secundùm ipsissimam infinitæ Bonitatis actualitatem, per fidem verò applicatur secundùm Formalitatem Deo quidem realiter inexistentem, non tamen prout in se ipsâ est, intelligibiliter expressam, sed prout latet sub formâ *limitatè duntaxat*, ac *secundùm quid* expressivâ talis Bonitatis. At verò licèt applicatio non det virtutem principio activo, quò tamen objecti vel subjecti major est ad vim activam applicatio, eò magis se exerit virtus principij effectiva. Est autem voluntatis vis activa per Essentialem cum Bono commensurationem, cui ut sic coæquatur Bonum omnimodæ Bonitatis *supereminenter* contentivum. Si proinde istud Bonum secundùm sui actualitatem, prout est in se, *immediatè* applicetur voluntati, tunc istius commensuratio est eatenus coæquata, ut consequenter respectu Boni infiniti taliter sibi applicati sit *intrinsecè* determinata ad amoris exercitium. *veluti supra demonstratum est.* Constat proinde, cur ratio summi Boni per visionem, non autem per fidem applicata sit voluntatis secundùm adæquatam ipsius commensurationem, atq; adeò taliter motiva, ut consequenter voluntas per charitatem infusam actuata sit in ratione principij activi *intrinsecè* determinata ad amoris Divini Exercitium.

CONTROVERSIA VI.

An visio Beata ex se Formaliter sit exclusiva peccati tam actualis, quàm Habitualis?

DIvus Thomas *hic q. 4. a. 4.* probat, Rectitudinem voluntatis, atque adeò exclusionem peccati requiri ad Beatitudinem & *antecedenter, & concomitanter, sive consequenter.* Tum quia rectitudo voluntatis, atque adeò peccati exclusio fit per debitum Ordinem ad Finem ultimum: Finis autem comparatur ad id, quod ordinatur ad finem, sicut forma ad materiam. Sicut ergo Materia nequit consequi formam, nisi ad hanc debito modo fuerit disposita, ita nequit obtineri Finis seu Beatitudo, nisi cum debitâ in Finem ultimum ordinatione, atq; adeò cum rectitudine voluntatis, tanquàm prævia ad Beatitudinem dispositione. Tum quia Beatitudo consistit in visione Divinæ Essentiæ, quæ est ipsa Essentia Bonitatis. Hinc autem fit, quòd videns Divinam Essentiam omne id, quod amat, ex necessitate amet sub ordine ad Deum. Ex hoc autem redditur voluntas recta. Nequit ergo Beatitudo sine rectâ voluntate, atque adeò cum peccato subsistere. 1.

Quâ Doctoris Angelici ratiocinatione præsupposita, duplex oritur difficultas. 1. per præsentem controversiâ decidenda. *Utrùm visio Beatifica per se Formaliter sit exclusiva peccati tam actualis, quàm Habitualis, ita ut ne quidem per Dei absolutam potentiam visio Beatifica stare possit in animâ peccato obnoxiâ?* 2. per sequentem controversiam discutienda. *An visio Beatifica tollat potentiam peccandi, ita ut Beatus vi talis visionis etiam immediatè sit ab intrinseco impeccabilis?* 2.

Referuntur Sententiæ.

GAbriel *in 1. dist. 1. q. 6. a. 2. concl. 4.* Item *dist. 49. q. 2. a. 3. dub. 5.* Gregorius *in 2. dist. 7. q. 4.* asserunt, posse Deum de absolutâ potentiâ ad visionem Dei elevare hominem peccantem, manente non solùm peccato habituali, sed actuali etiam peccati complacentiâ. 3.

Fundamentum est. Si enim peccatum mortale esset incompossibile cum visione Divinæ Essentiæ, hoc esset propter oppositionem. At oppositio inter peccatum mortale ac visionem beatificam non est formalis, & immediata. Probatur ista minor. Nam contraria immediata debent esse circa idem, & in eodem subjecto. At visio est in Intellectu, peccatum verò in voluntate: nec adeò possunt esse contraria immediata; sed visio opponitur peccato solùm mediatè, in quantum ex ipsâ causatur amor Dei contrarius peccato. At Deus potest impedire, ne ex visione Dei oriatur amor. Consequens proinde est, tunc posse cum visione Dei stare peccatum.

In hoc fundamento conveniunt etiam aliqui ex Thomistis, nominatim Sotus *in 4. dist. 49. a. 4. ante solut. 1. & q. 3. a. 4.* item Medina *hic super q. 4. a. 4. in fine.* asserentes: quòd visio Dei solùm *radicaliter* sit expulsiva peccati non ut visio est, sed ut Causativa Dilectionis. 4.

Proba-

Probatur. Nam peccatum habituale importat privationem tum rectitudinis voluntati debitæ *Moraliter* perseverantem, tum privationem physicam gratiæ sanctificantis. At prior illa privatio se habens per modum aversionis à Deo *formaliter* tollitur per dilectionem Dei, quam ut sic consequitur infusio Gratiæ sanctificantis *formaliter* remissiva offensæ Divinæ. Consequens igitur est, visionem Dei non nisi *Radicaliter* esse exclusivam peccati.

5. Verùm visionem Dei non posse etiam de absolutâ potentiâ stare cum peccato, sive ejus maculâ problematicè quidem defendit Ildephonsus Baptista *disp. 62. n. 282.* Quæ tamen opinio videtur definitè evinci fundamento per Ioannem à Sancto Thomâ *cit. disp. 2. a. 5. n. 34.* deducto. Etenim expulsio peccati constat solùm duobus principijs, altero immu ante subjectum peccaminosum tali immutatione, quæ reddat illud conversum ad Deum: altero se tenente ex parte Dei se convertentis ad hominem peccatorem ac remit entis offensam. At positâ visione Dei, etiamsi non intelligamus, sequi actualem Dei dilectionem, utrumque illud principium tam ex parte hominis, quàm ex parte Dei ponitur. Ergo ex vi solius visionis *Formaliter* destruitur peccatum. Minor probatur. Nam visio Dei

6. ex se ipsâ abstrahendo à dilectione actuali Dei, tollit *Formaliter* quodcumque dictamen Deo oppositum, ac defectuosum, At illa, quæ ex peccato relinquitur habitualis conversio ad creaturam, & aversio à Deo habet principium & Originem in intellectu, sive in pravo dictamine.

Cùm istud igitur sit destructum per visionem Dei, consequenter voluntas Essentialiter dependens à dispositione Intellectûs, nequit ampliùs disposita manere ad conversionem defectuosam & aversivam à Deo. Ex hoc autem redditur voluntas impotens ad peccatum, atque *in actu primo* disposita ad Bonum. Ista verò ad Bonum dispositio est quædam voluntatis *in actu primo* Habitualis ac permanens rectificatio. At ejusmodi *in actu primo* Habitualis ac permanens voluntatis rectificatio est sufficiens ad tollendam Habitualem à Deo aversivam conversionem. Consequens igitur est, per visionem Dei ut sic *Formaliter* poni principium subjecti peccaminosi taliter immutativum, ut istâ imutatione mediante reddatur conversũ ad Deum. At hæc ipsa Habitualis ad Deum conversio supponit conversionẽ Dei ad peccatorem, vi cujus conversionis Deus sit pla-

7. catus ac remittat peccatum. Probatur istud assumptum. Visio Dei tanquàm habitualis ad Deum conversio & permanens voluntatis rectificatio est gratia consummata & fælicitas æterna. Atqui gratia consumata & fælicitas supernaturalis est effectus gratuitæ voluntatis Divinæ multò magis, quàm si daret gratiam non consumatam, & jus ad talem fælicitatem. Si ergò non stat, Deum dare gratiam, & jus ad hæreditatem seu fælicitatem, quin sit placatus homini & ad illum conversus, ac remittens peccatum: à fortiori hic effectus attribui debet voluntati Divinæ danti visionem Beatificam tanquàm gratiam consummatam, & hæreditatem seu fælicitatem in re, maximè cùm ista importet quandam naturæ divinæ similitudinem, per quam constituatur Filius Dei.

CONCLUSIO.

EO ipso, quòd visio Beatifica sit naturæ Divinæ participatio secundùm gradum quasi specificum, implicat, Voluntatem Divinam talis Formalitatis effectivam non esse remissivam peccati mortalis; nec adeò per Dei absolutam potentiam est componibilis visio Beatifica cum peccato mortali sive Actuali; sive Habituali.

Probatur. Quia peccatum mortale ut sic *Formaliter* importat affectivam & moralem Juris in ultimi Finis ratione radicati destructionem. Hanc autem Deus aversatur, quatenus importat negationem voluntariam Juris in ultimo Fine radicati *affectivè*, atque adeò *moraliter* destructivam. At illa Dei ergà actionem peccaminosam aversio redundat in subjectum, quod Deus odio habet tanquàm Juris sui in ultimi Finis ratione radicati *affectivè* ac *moraliter* destructivum. Hoc autem odium respicit privationem Gratiæ sanctificantis tanquàm Formæ in ultimum Finem secundùm hujus quasi specificam participationem ordinativæ. In hâc proinde gratiæ sanctificantis privatione tanquàm illius Divini odij objecto, ac præteritæ actionis Mortaliter peccaminosæ effectu consistit macula peccati Habitualis. At eo ipso, quòd Deus det visionem Beatificam, nequit ampliùs stare illius Divini odij objectum, illiusque actionis Mortaliter peccaminosæ effectus. Probatur istud assumptum. Nam illius Divini odij objectum est privatio Formæ in Deum, ceu ultimum Finem sub ratione Divinitatis *quasi specificè* participatæ ordinativa. Hæc autem participatio *quasi specificè* Divina competit Gratiæ sanctificanti tanquàm primæ, omnimodæ Formalitatis in Divinâ hâc participatione communicantis; radici: lumini verò Gloriæ competit tanquàm potentiæ elicitivæ visionis, quæ sit Divinitatis quasi specifica participatio secundùm Formalitatem Divinitatis in Esse Intelligibili actualiter unitivam cum Intellectu creato. Unde visio Beatifica est Gratiâ sanctificante actualior, atque adeò perfectior Divinitatis secundùm gradum quasi specificum participatio. At ista Divina in ultimum Finem ordinativa participatio quasi specifica descendit ex voluntate Divinâ, tanquàm causalitate sui effectrice. Unde eo ipso, quòd Deus in aliquâ animâ causet visionem Beatificam, est volens tali animæ in ultimum Finem ordinativam participationem quasi specificam. At cum tali voluntate nequit subsistere odium Dei peccatorem abominantis secundùm privationem Formæ sub quasi specificâ Divinitatis participatione in Deum ceu ultimum Finem ordinativæ. Consequens proinde est, voluntatem Divinam visionis Beatificæ effectricem, quatenus est causans formam maculæ peccati habitualis oppositam, habere talem cum peccato habituali repugnantiam, ut hujus sit *Efficienter* destructiva. 8. 9.

10. Dices. Peccatum Habituale, ejusque maculam, utpote Gratiæ sanctificantis privationem subjectari in ipsâ animæ substantiâ. Unde non posse *Formaliter* destrui per visionem Beatificam, utpote in Intellectu, non in substantiâ animæ *immediatè* receptam.

11. Contra. Nam ſubſtantia animæ reſpectu viſionis Beatificæ *immediatè* in Intellectu receptæ ſe habet tanquàm ſubjectum ſuſtentationis. Hinc autem fit, quòd Deus viſionem Beatificam ſine Gratiâ habituali infundendo, eo ipſo amaret animæ ſubſtantiam ſecundùm Divinæ participationis gradum quaſi ſpecificum. Ex hoc autem ſequitur, quòd tunc in animâ eſſet privatio Formæ ſecundùm quaſi ſpecificum Divinitatis participatæ gradum in ultimum Finem ordinativæ non ſimpliciter, ſed prout iſta Divina participatio habet rationem radicis, ac potentialitatis ad actualitatem viſionis Beatificæ Divinitatem ſub ratione actualis Intelligibilis expreſſionis intentionaliter unientem cum Intellectu creato. At verò peccati Habitualis macula eſt Gratiæ ſanctificantis privatio, prout iſta importat abſolutam participationis *quaſi ſpecificè* Divinæ in ultimum Finem ordinativæ privationem. Ut ſic autem tollitur iſta privatio æquè, imò perfectiùs per viſionem Beatificam, quàm per Gratiam ſanctificantem. Conſequens igitur eſt, per viſionem Beatificam formaliter tolli maculam peccati Habitualis, atque adeò Deum eſſe placatum peccatori per ipſiſſimam ſuam volitionem Viſionis illius effectricem.

12. Inſtabis. Peccatum habituale importare non ſolam gratiæ ſanctificantis privationem, ſed peccati præteriti connotationem, ſeu moralem perſeverantiam. Hanc verò perſeverantiam moralem conſiſtere in non retractatiòne peccati actualis præteriti. At retractationem ejuſmodi eſſe actum voluntatis, nec adeò ſufficienter fieri per viſionem, ſed per amorem Beatificum.

13. Contra. Nam illa moralis perſeverantia peccati non eſt quid phyſicum, nec adeò tolli debet per Formam *phyſicè*, ſed *Moraliter* oppoſitam præterito actui peccaminoſo, quà Juris Divini in ultimo fine radicati *affectivè* ac *Moraliter* deſtructivo. At eo ipſo, quòd viſio Beatifica in radice tollat peccatum actuale ipſam peccandi potentiam deſtruendo; *uti ſequenti controverſiâ demonſtrabitur*; conſequens eſt, ipſam ex ſe eſſe Formam actui peccaminoſo Moraliter oppoſitam, & ut ſic voluntatis in actu *quaſi primo*, ſeu *in radice* taliter rectificativam, ut conſequenter peccatum præteritum ſit per ipſam non quidem *actualiter* & *formaliter phyſicè*, ſed *virtualiter & Habitualiter* ac *formaliter Moraliter* retractatum. Patet igitur, quòd peccatum Habituale tam quoad maculam, quàm quoad moralem peccati præteriti perſeverantiam eatenus deſtruatur per viſionem Beatificam, ut iſta ex vi volitionis Divinæ ipſam cauſantis ſecundùm abſolutam adeò Dei potentiam, non ſit componibilis cum peccato Habituali.

Reſponſio ad oppoſita Argumenta.

14. Ad fundamentum *n. 3.* oppoſitum Reſponnetur. Contrarietatem mediatam dupliciter accipi poſſe, *primò* pro contrarietate, ſecundùm quam duæ formæ ſint taliter contrariæ, ut neutra neceſſariò inſit ſubjecto, veluti ſunt album & nigrum, inter hæc enim datur medium. *Secundò* Contrarietas vel oppoſitio mediata dicitur, quatenus denominare poteſt radicem & Principium ex ſe *Formaliter* determinativũ alicujus formæ ab intrinſeco oppoſitæ alteri Formæ ſeu negationi, ac privationi: velut rationalitas ſe habet ut radix ab intrinſeco determinata ad vim Intellectricem ut ſic *Formaliter* oppoſitam potentiæ Intellectivæ negationi. At verò in præſentis controverſiæ ſtatu verſari nos circa oppoſitionem ſecundo modò mediatam, prout nimirum viſio Beatifica non tantùm in ſe *immediatè* ac *formaliter* habet oppoſitionem cum privatione Formæ ſecundùm Divinam quaſi ſpecificam participationem in ultimum Finem ordinativæ, ſed inſuper habet in ſe radicatam impeccabilitatem, ſeu habitualem, & Eminentialem, ſive Radicalem voluntatis rectitudinem peccato actuali *mediatè*, ſeu *radicaliter* oppoſitam. Sicuti proinde Rationalitas ſubſtantialis tanquàm Intellectivæ potentiæ radix hujus potentiæ negationem eatenus tollit *radicaliter*, ut cum iſtâ negatione ſit *Eſſentialiter* incomponibilis, ſic dicendum eſſe de viſione Beatificâ, quòd per ſuam quidditatem ſit *Formaliter* expulſiva peccati Habitualis, non ſecundùm maculam duntaxat ſpectati, ſed ſecundùm moralem quoque præteriti peccati perſeverantiam. Et hinc patet, quid circa fundamenta *n. 4. 5. 6. & 7.* propoſita ſentiendum ſit.

❋❋❋❋❋❋❋❋❋❋❋❋)(❋❋❋❋❋❋❋❋❋❋❋❋

CONTROVERSIA VII.

Utrùm Beati ex vi Beatificæ viſionis ſint ab intrinſeco impeccabiles?

Scotus *in 4. diſt. 49. q. 6. n. 11.* docet, manere quidem in Beato potentiam intrinſecam & remotam peccandi, attamen potentiam propinquã ad peccandum eſſe impoſſibilem per voluntatem Dei prævenientem. Fundamentum eſt. Quia iſta Dei præveniens voluntas eſt, ut Beatus ſemper continuet actum fruendi. At Cauſâ ſecundâ præventâ à Cauſâ ſuperiori agente ad unum oppoſitum, nunquam poteſt potentia exire in aliud oppoſitum. Ergo vi illius divinæ Voluntatis nunquam poteſt Beatus potentiam ſuam remotam non fruendi, vel peccandi reducere ad actum. 1.

Ægidius de Præſentatione *2. 10. de Beatitud. lib. 11. q. 16. a. 4. §. 2. & art. 5. §. 3.* cui Amicus *hũ diſp. 2. ſect. 12. n. 154.* favere videtur, tenet, Viſionem Beatam eſſe radicale duntaxat principium impeccabilitatis, Formale autem eſſe dilectionem Dei, adeò ut, hâc remotâ, non repugnaret potentiâ peccandi cum viſione Dei. 2.

Fundamentum eſt. Nam potentia peccandi debet eſſe *Formaliter* libera & voluntaria. Ergo reſidet *Formaliter* in voluntate. At contraria verſantur circa idem. Ergo etiam impeccabilitas ſeu impotentia ad peccandum debet *Formaliter* reſidere in voluntate, non in Intellectu, nec adeò ſola viſio Dei, quæ eſt in Intellectu, facit impeccabilitatem, ſed dilectio, quæ ex illâ oritur. Confirmatur. Nam poſitâ viſione Dei, adhuc manet libertas in voluntate ſaltè circa creaturas. At de ratione liberi creati eſt, quòd ſit mutabile, & poſſit verti in utramque partem. Hæc autem mutabilitas eo ipſo importat potentiam peccandi, quòd ratione illius indigeat voluntas lege ducente ad Bonum, & auxilio Dei manutenente, ne cadat. At 3.

utroque isto indiget Beatus, habetque de facto præcepta naturalia. Nisi ergo illa voluntatis à Bono defectibilitas impediretur in Beato per Dilectionem Dei, non obstante visione maneret in Beato potentia peccandi.

4. Divus Thomas *præs. q. 4. a. 4.* Cajetanus *ibi.* Ferrariens. *4. contra gentes. cap. 92.* Vasquez *hic disp. 18. cap. 2.* Ioannes à S. Tho. *disp. 2. a. 5. n. 16.* Serra *hic q. 4. a. 4. dub. un.* docent, impeccabilitatem Beatorum sufficienter nasci ex visione Beatâ, nec nisi secundariò & consequenter oriri ex dilectione, ita ut hâc remotâ, ex Divinæ Essentiæ visione adhuc subsisteret impeccabilitas. Fundamentum à Doctore Angelico *cit. a. 4.* insinuatum est. Sicut voluntas non videntis Dei Essentiam ex necessitate amat, quidquid amat sub communi ratione Boni, quàm novit, sic ex virtute visionis est, ut voluntas videntis Dei Essentiam, ex necessitate amet, quidquid amat, sub ordine ad Deum. At hoc ipsum est, quod facit voluntatem rectam; ita ut exinde constituatur *intrinsecè* impeccabilis. Consequens igitur est, ex vi visionis Dei *intrinsecè* & *Formaliter* constitui voluntatem impeccabilem.

CONCLUSIO.

Voluntas ex vi Essentiæ Divinæ intuitivè visæ est secundùm ipsammet suam naturam intrinsecè determinata & quoad specificationem eatenus necessitata, ut nequeat velle objectum, nisi cum ordine ad Deum quà ultimum Finem: cujusmodi specificationis necessitas Formaliter importat impeccabilitatem, seu peccandi impotentiam.

5. Probatur. Nam Essentia Divina intuitivè visa *supereminenter* adæquat totam animæ commensurationem, quam habet mediante Intellectu ad Verum, ac mediante voluntate ad Bonum. Ex hâc autem Intellectûs adæquatione fit, ut nihil sub ratione Boni appetibilis per Intellectum visione Beatificâ illustratum possit repræsentari, nisi sub ordine ad Deum tanquàm plenam Bonitatis Essentiam. At voluntatis natura est, ut nihil possit amare, nisi sub ratione Boni. Ergo factâ Dei intuitivâ repræsentatione, nihil jam amari potest à voluntate, nisi sub ordine ad Deum tanquàm ultimum Finem. At sub tali formalitate nequit stare ullum peccatum, utpote cujus ratio & malitia *Formaliter* importet quandam à Deo, seu ultimo fine deficientiam. Consequens igitur est, Intellectum visione Beatificâ illustratum vi hujus visionis habere Bonum in se expressum, voluntatis eatenus determinativum, ut quoad specificationem sit necessitata voluntas ad nullum objectum amplectendum, nisi sub ratione Bonitatis malitiam peccaminosam *Formaliter* excludentis.

6. Dices. Ex hoc discursu videri, quòd Beatorum impeccabilitas reducatur in ipsam naturam voluntatis ex se ipsâ eatenus determinatæ ad Deum intuitivè visum, ut nullum objectum Deo contrarium amplecti possit. At voluntatis ad Deum clarè visum determinationem esse ex supernaturali elevatione, non ipsâ voluntatis naturâ.

Contra. Nam voluntatis ad Deum intuitivè visum determinatio alia est positiva, quæ consistit in Formâ voluntatis intrinsecè determinativâ ad Deum clarè visum, cæteraque Bonitati ipsius consentanea per actus positivos amplectenda. Ejusmodi autem Forma positiva sita est partim in charitate, partim in reliquis Virtutibus infusis ac Donis Spiritûs Sancti. Alia proinde voluntatis ad Deum intuitivè visum determinatio est negativa in eo sitenens, quòd voluntati, Divinæ Essentiæ intuitivâ repræsentatione sibi factâ, repugnet habere sui determinationem intrinsecam ad objectum Deo quà ultimo Fini dissentaneum. Hæc autem repugnantia importat intrinsecam voluntatis ad Bonum commensurationem, vi cujus nequeat ferri ultra objectum coæquans universalem suam proportionem. At Divinæ Essentiæ Bonitas intuitivè visa est *supereminenter* adæquans omnimodam voluntatis proportionem, atque commensurationem intrinsecam. Etsi proinde voluntas, Divinæ Essentiæ intuitivâ repræsentatione sibi factâ, non per se ipsam, sed per formam supernaturalem sit *positivè* determinata ad Deum clarè visum, nec non objecta ipsi consentanea amplectenda, attamen per ipsam naturam voluntatis repugnat; ut in tali statu amet objectum Deo quà ultimo Fini seu Summo Bono dissentaneum, cujusmodi adeò repugnantia est quædam negativa ad Bonum determinatio. 7.

Instabis. Istam negativam voluntatis ad Bonum morale determinationem, seu ad malum Morale repugnantiam primò reduci debere in Intellectum visione Beatificâ illustratum, cui ut sic repugnet defectuosum Judicium. Etenim secundùm Divum Thomam *4. contra Gentes. cap. 92. rat. 5.* nequit voluntas esse defectuosa, & peccaminosa, nisi ratio sit ignorans practicè & deficiens. Hæc autem deficientia consistit in hoc, quòd Intellectus proponat aliquid, ut volendum, non obstante contrarietate & deficientiâ ejus à Fine recto. At eo ipso, quòd per visionem Dei videatur Summum Bonum in particulari, sicuti est in se, videtur ut implens perfectè voluntatè. Eo ipso autē, quòd Deus intuitivè proponatur ut practicè adimplens voluntatem, repugnat concipi aliquid ut amandum contra ipsum, recedendo ab ipso, *veluti pluribus probat* Ioannes à S. Tho. *cit. a. 5. n. 20.* Consequens igitur est, illam voluntatis ad objectum peccaminosum repugnantiam primò reduci debere in repugnantiam Intellectûs, utpote cui ratione visionis Beatificæ repugnet habere Judicium objecti ab ultimo fine deviantis sub ratione Boni repræsentativum. 8.

Contra. Nam Sanctus Thomas *citatus* illam tum Intellectûs, tùm voluntatis ad objectum defectuosum repugnantiâ reducit ad hoc, quòd Deus intuitivè visus sit adimplens voluntatem. Ista verò voluntatis adimpletio antecedenter ad Dei amorem non est actualis, seu in actu secundo, sed radicalis & in actu primo. At ista radicalis adimpletio importat substantialem animæ tum mediante Intellectu ad Verum, tum mediante voluntate ad Bonum commensurationem. Hæc verò substantialis animæ ad verum commensuratio eatenus in actu secundo coæquatur per visionem Dei intuitivam, ut per istam actualem coæquationem sit repugnantia 9.

Formalis ad objectum Deo repugnans repræsentandum sub positivâ Essendi Formalitate. Unde nequit tunc Intellectus repræsentare objectum Deo, ejusque voluntati dissentaneum nisi sub ratione deficientiæ. At eo ipso, quòd ratio Boni Transcendentaliter importet Formalitatem Essendi, nequit pro tunc objectum Deo dissonum repræsentari quà Bonum & amabile. Consequens proinde est, quòd visio Dei intuitiva non Intellectûs duntaxat, sed animæ substantialem commensurationem coæquans sit *Radicaliter* & *in actu primo* eatenus adimpletiva voluntatis, ut hæc pro statu visionis Dei intrinsecam habeat repugnantiam amandi objectum Deo dissentaneum. In illâ proinde Radicali voluntatis quoad actum primum, Intellectûs verò quoad actum etiam secundùm adimpletivâ, substantialis animæ commensurationis *supereminenter* satiativâ per visionem Beatificam coæquatione *primariò* consistit repugnantia, seu impotentia ad peccandum.

Responsio ad opposita Fundamenta.

10. AD Scoti *n.1.* oppositum Respondetur. Impotentiam peccandi in Beato posse duplicem importare peccati repugnantiam; alteram proximam & Formalem, quæ est per charitatis infusæ ac supernaturalium virtutum actus *directè* ac *Formaliter* pugnantes cum actu peccaminoso, alteram radicalem, quæ est per substantialis animæ commensurationis *supereminenter* adimpletivam ex Deo *Intuitivè* viso coæquationem. Etsi verò prior sit ex influxu actualis auxilij Divini, hunc ipsum tamen influxum fundari in quâdam connaturali status in intuitivâ Dei visione radicati exigentiâ. Unde ipsam etiam Formalem & proximam per actus *Positivè* ac *directè* seu *immediatè* contrarios peccandi repugnantiam habere radicem intrinsecam in Essentiæ Divinæ visione, quam ut sic eo ipso esse radicalem peccandi impotentiam, quòd sit voluntatis *radicaliter* adimpletiva. *Veluti supra ostensum est.*

11. Ad *n. 2.* oppositum Respondetur. Potentiam peccandi aliam esse Formalem & proximam, consistereque in voluntate, aliam esse radicalem, esseque sitam in substantialis animæ ad Verum & Bonum commensurationis per connaturalem Intelligentiæ creatæ intelligendi modum inadæquatione. At istam *Formaliter* tolli per intuitivam Essentiæ Divinæ visionem substantialis animæ commensurationis *Formaliter*, voluntatis verò *radicaliter* adimpletivam: ex hâc enim animæ commensurationis *supereminenter* adimpletivâ coæquatione fieri, quòd quidquid voluntas videntis Divinam Essentiam amat, ex necessitate amet, in ordine ad Deum; *veluti efficaciter demonstrat ratio* ex S.Tho. *n.3. adducta*. Consequens proinde esse, quòd impeccabilitas peccandi potentiam in radice suâ excludens *Formaliter* consistat in visione Beaticâ.





CONTROVERSIA VIII.

An & qualiter perpetuitas sit de Essentiâ Beatitudinis?

NOn procedit controversia de Beatitudine, prout complectitur Beatitudinem etiam Naturalem, imò & supernaturalem in statu viæ inchoatam, has enim mensurari duratione Temporali, indubitatum est. Neque de supernaturali in statu Gloriæ consummatâ Beatitudine difficultas hîc movetur, *An saltem Entitativè spectata mensuretur æternitate?* Hanc enim controversiam discussimus *1. p. q. 3. a. 5. cont. 2.* ut adeò hîc decidendum solummodò superfit. *1. An perpetuitas sit de Essentiâ Beatitudinis? 2. An signata seu reflexè cognita inamissibilitas sit de quidditate beatitudinis? 3. An ejusmodi perpetuitas & inamissibilitas sit ab intrinseco; vel ex vi extrinseci duntaxat Decreti Divini?* 1.

Referuntur Sententiæ.

SCotus *in 4. dist. 49. q. 6. n. 10.* asserit, causam perpetuitatis non esse Formam Beatitudinis, sed ex solâ voluntate Divinâ, postea tamen *n. 19.* docet: perpetuitatem non esse de ratione Beatitudinis *secundùm perfectionem intensivam*, sed *secundùm Extensivam perfectionem* consideratæ. Fundamentum est. Nihil enim perfectum est *Extensivè*, nisi duret, quantum durare potest, sive duratio illa sit extensa realiter, sive virtualiter, sive imaginabiliter. At Beatitudo nata est perpetuò manere. Ergo si accipiatur pro perfectione *Intensivè* ac *Extensivè* summâ, includit perpetuitatem. 2.

Ægidius de Præsentatione *2. 10. de Beatitudine lib. 12. q. 12. a. 1. prop. 3.* existimat, visionem Beatificam non ex naturâ suâ, sed ex statu & permanentiâ luminis Gloriæ esse incorruptibilem. Fundamentum afferri potest. Quia in nonnullis Sanctis adhuc viatoribus visio Divinæ Essentiæ intuitiva fuit solùm *Transeunter*, non autem *Permanenter*. At visio ejusmodi erat ejusdem speciei cum visione Patriæ. 3.

Rodericus de Arriagâ *disp. 15. physica. sect. 2. n. 64.* docens, non implicare entitatem per se ipsam *Essentialiter* durantem, videtur insinuare possibilem saltem visionem Dei, cui æternitas sit Essentialis. Fundamentum est. Si enim repugnaret, hoc ideò foret, quia talis visio non esset in Dei Dominio, vi cujus posset pro libitu illam destruere. At Dominium Dei erga visionem ejusmodi sufficienter salvaretur in eo, quòd fuerit in potestate Dei illam producere, cùm sciret, eam semel productam ex suâ Essentiâ debere perpetuò durare. 4.

Franciscus de Oviedo *pras. tract. 1. cont. 3. punc. 4. n. 31.* illam Arriagæ opinionem censet communi Theologorum & Patrum sententiæ contrariam. Fundamentum est. Quia juxta horum doctrinam unanimem omnis creatura ex naturâ suâ defectibilis est capax corruptionis, & Deo subjecta non solùm in sui productione, sed etiam conservatione. 5.

Vasquez *pras. disp. 21. cap. 2. num. 10.* cùm asseruisset, perpetuam durationem esse de ratione visionis Beatificæ non quà visionis, sed

sed quà Beatitudinis: postea tamen *n. 14.* tenet: judicium de perpetuitate Beatitudinis non pertinere ad Essentiam beatitudinis, adeò ut quis posset esse beatus, etiamsi errore deceptus crederet, visionem Beatificam per tempus duntaxat duraturam. Fundamentum est. Quia licèt S. Aug. *11. de Civit. cap. 13.* nolit admittere beatitudinem cum anxietate illius amissionis: hoc tamen intelligendum est, quando talis anxietas nascitur ex verâ cognitione: tunc enim visio ipsa ex se, & non ex accidente foret sufficiens ad satiandum appetitum. At cùm visio Beata ex se postulet perpetuitatem, ipsa ex se cognitâ veritate, uti postulat status ille, sufficiens foret ad pellendum omnem timorem, & anxietudinem.

7. Scotus *in 4. dist. 49. q. 3. a. 4. concl. 2.* Martinez *hic q. 5. a. 4. dub. unico. §. ad sept.* Curiel *in dub. §. 1.* Ildephonsus Baptista *disp. 73. n. 114.* Ioannes à Sancto Thomâ *cit. disp. 2. a. 6.* tenentq; perpetuitatem convenire quidem ab intrinseco Beatitudini tum *Formaliter* sub ratione Beatitudinis, tum *Entitativè* quoad operationem seu visionem spectatæ: illam tamen perpetuitatem posse à Deo impediri, aut tolli, sicut quælibet res creata perpetua & incorruptibilis. Addit Ildephonsus Baptista *n. 17. & 140.* de ratione visionis beatæ, prout est comprehensio, ac beatitudo formalis, esse, quòd de facto sit perpetuò duratura, imò quòd Beatum reddat certum suæ inamissibilitatis, & perpetuitatis.

Fundamentum ex Doctore Angelico *cit. q. 45. a. 4.* deductum est. Beatitudo enim est Bonum perfectum ac sufficiens. Oportet igitur, quòd de se quietet desiderium, ac excludat omne malum. Atqui homo naturaliter desiderat retinere, seu non amittere Bonum semel possessum ac securitatem de hoc habere, si enim non assecuretur, ipso timore vel dolore amittendi affligitur, & si affligitur, non habet plenum, & sufficiens bonum. Requiritur ergo ad plenitudinem Beatitudinis, quatenus est perfectum & summum Bonum, quòd includat dictamen & judicium de securitate, & inamissibilitate talis boni semel possessi. At verò ejusmodi judicium, si esset falsum, grande esset malum, nec adeò illud bonum esset perfectum, utpote admittens falsum, quod est malum Intellectûs. Oportet igitur, illud de inamissibilitate beatitudinis judicium esse verum: atque adeò re ipsâ subsistere inamissibilitatem Beatitudinis.

Conclusio.

Visio Divinæ Essentiæ ex naturâ suâ habet perpetuitatem non Essentialem, sed connaturalem pendentem à libero Decreto Divinæ Voluntatis potentis eam destruere: sed ex ratione suâ individuali habet, quòd sit judicium Decreti Divini immobiliter ac æternaliter ipsam conservantis *Reflexè* ac *signatè* manifestativum, & ut sic omnimodæ de inamissibilitate securitatis expressivum.

8. Probatur. Nam visio Beatifica Divinæ Essentiæ, ut est in se, intuitivè expressiva manifestat in Verbo ipsam etiam visionem Beatificam. Hæc autem ex naturâ suâ habet intrinsecam & connaturalem suæ in totam æternitatem conservationis exigentiam. At ista connaturalis ad perpetuitatem exigentia in quovis ex intrinsecis principijs incorruptibili creato Ente est virtute Divinâ superabilis, eo ipso, quòd habeat existentiam ab Essentiâ distinctam, nec adeò sit existens per Essentiam, sed per causalitatem à liberâ Voluntate Divinâ dependentem. Unde Beatus videndo in Verbo suam Beatificam visionem, ejusque adeò naturam contemplando, videt quidem connaturalem ex intrinsecis principijs ipsius incorruptibilitatem, seu perpetuitatis exigentiam: hanc tamen videt à Divinâ absolutâ potentiâ superabilem eo ipso, quòd talis visionis existentia non sit ipsius Essentia.

Dices. Ex hoc inferri, quòd Beatus videndo Essentiæ Divinæ visionem, ex hujus intrinsecâ naturâ non *absolutè* ac *simpliciter*, sed *secundùm quid* duntaxat juxta connaturalem Divinâ tamen virtute superabilem exigentiam sit securus de Beatitudinis amissione. Unde omnimodam ejus securitatem ex hoc duntaxat subsistere, quòd in Verbo videat Decretum ejus per totam æternitatem conservativum. Hinc autem sequi, quòd visionis Beatificæ inamissibilitas non tam sit ex intrinsecis principijs, quàm ab Extrinseco Dei Decreto: *prout* Scotus *supra citatus arguit.* 9.

Contra. Nam eo ipso, quòd visio Beatifica sit in Verbo manifestativa illius Divini Decreti, sequitur: visionem ejusmodi habere intrinsecam suæ actualis perpetuitatis certitudinem, atque adeò signatam omnimodæ inamissibilitatis securitatem. Probatur ista sequela. Nam cuilibet de facto existenti Visioni Beatificæ convenit ex intrinsecis suis Principijs esse Decreti illius manifestativam. At eo ipso, quòd visionis Beatificæ Motivum Formale specificativum sit Essentia Divina, imò hæc sit ipsummet Verbum vi talis visionis Vitaliter attactum, sequitur: visionem ejusmodi habere ab intrinseco omnimodam & plusquàm Metaphysicè infallibilem veritatem ac certitudinem. Unde vi talis visionis beatus est omninò securus de Decreto ejusdem per totam æternitatem conservativo. At eo ipso, quòd illud Decretum Divinum *Intrinsecè* ac *Essentialiter* mensuretur æternitate, est de se omnino immobile. Eo ipso autem, quòd *Formaliter identicè* specificetur per Esse Divini infinitam ad extra efficaciam, est omnino infallibile ac indeclinabiliter causativum effectûs à se decretati. Hinc verò evidenter infertur: Beatum cum omnimodâ certitudine videndo in Verbo illud Divinum Decretum, non posse non habere omnimodam securitatem de visionis suæ Beatificæ inamissibilitate. Consequens proinde est, quòd Beatus non tantùm ex vi Decreti Divini ab Extrinseco, sed ex visionis Beatificæ quà Decretum ejusmodi in Verbo manifestantis intrinsecis principijs habeat securitatem de inamissibilitate Beatitudinis. 10.

Instabis. Ex hoc discursu inferri, quòd visio Beatifica ex intrinsecis naturæ suæ principijs sit per absolutam Dei potentiam omninò incorruptibilis. Probatur istud assumptum. Nam implicat, quòd visio illius Divini Decreti in Verbo manifestativa stare posset sine istâ manifestatione. Hâc verò utpote omninò infallibili positâ, implicat, visionem Beatificam vi Divinæ perpetuam 11.

petuam ejus conservationem decernentis voluntatis non durare per totam æternitatem. Consequens proinde est, secundùm absolutam Dei potentiam ex intrinsecis naturæ suæ principijs esse omninò incorruptibilem visionem Beatificam, quæ Divinæ perpetuam ipsius durationem decernentis voluntatis est ab intrinseco manifestativa.

12. Contra. Nam in ejusmodi visione Beatificâ sunt duo, alterum est actus videndi per modum vitalis attactûs intrinsecè ac Essentialiter terminati ad Verbum mentis: alterum est ipsum Verbum Essentiæ Divinæ, & in hâc tanquàm speculo creaturarum, ipsiusque adeò Beatificæ visionis repræsentativum. Hoc autem Verbum est ipsamet Essentia Divina in se secundùm omnimodæ actualitatis puritatem intelligibiliter expressa, omnisque veritatis creatæ in se expressiva. At indubitatum est, quòd vi istius Verbi Decretum visionis Beatificæ perpetuò conservativum *Formaliter identicè* in se continentis ac Intelligibiliter exprimentis, impossibile sit, visionem Beatificam à Deo destrui. Hæc autem impossibilitas est consequens voluntatem Divinam, ejusque absolutam efficaciam. At verò ex hâc ipsâ efficaciâ in actum videndi derivatur infallibiliter tum exercita æternitas, tum signata inamissibilitatis securitas. Est autem inter signatam securitatem, & exercitam æternitatem in visione Beatificâ hoc discriminis, quòd ista sit intrinseca mensura Existentiæ; illa verò identificetur cum Entitate Visionis Beatificæ. Unde eo ipso, quòd Existentia respectu nullius creati Entis se habeat ut Essentia, sed ut accidens, sequitur, exercitam visionis Beatificæ æternitatem esse accidens, inseparabile tamen ratione illius signatæ inamissibilitatis se habentis ad visionem illam tanquàm rationem individualem, non verò specificam.

13. Probatur istud assumptum. Nam actus videndi, prout est vitalis ad Verbum Divinum intrinsecè determinatus contactus specificatur ab ipsâ Essentiæ Dei Intelligibilitate. Hæc autem est unica & simplicissima in omni Formalitate Divinâ Decreti etiam liberi. Unde eadem semper manet specifica visionis Beatificæ natura, sive Decreti Dei liberi sit manifestativa, sive non. At quia illa ipsa Essentia Divina in se Intelligibiliter expressa est actualissimè expressiva omnimodæ ex se creabilis veritatis, idcirco in ipsâ tanquàm speculo per visionem Beatificam repræsentari possunt etiam creaturæ non ut objectum Formale specificum, sed materiale, atque adeò individuativum, veluti in *1.p.q.4. a.6.cont.2.* ostendimus. Unde, quòd visio Beatifica de facto existens sit manifestativa Decreti Divini exercitâ ipsius æternitatem actu causantis, hoc ipsi convenit ex ratione individuali, non autem specificâ. At vi istius manifestationis visioni Beatificæ de facto existenti intrinsecè convenientis Beatus eatenus habet signatam inamissibilitatis securitatem, ut consequenter habeat æternitatem vi Decreti Divini, tanquàm Causalitatis effectricis per visionis illius intrinseca principia manifestati exercitam. Constat proinde, visionem Beatificam non ex naturæ suæ specificæ principijs Essentialibus, sed individualibus eatenus habere tum signatam inamissibilitatis securitatem, tum Exercitam æternitatem, ut hæc ex vi Decreti Divini per visionem illam manifestati causalitate Efficienter, ex individuantibus verò visionis Beatæ principijs per quandam quasi concomitantiam seu intrinsecam infallibilitatis connexionem inferatur.

Responsio ad opposita fundamenta.

AD Scoti *n. 2.* oppositam Doctrinam Respondetur. Perpetuitatis causam in Beatitudine esse tum connaturalem ipsius secundùm rationem specificam spectatæ exigentiam, Divinâ licet virtute superabilem, tum Decreti Divini visioni Beatificæ æternitatem prædestinantis in Verbo per Visionem ejusmodi attacto repræsentationem, quam ut sic visioni Beatificæ de facto existenti convenire ex principijs individuantibus. Ex quâ Decreti Divini, atque adeò perpetuitatis & inamissibilitatis omnino infallibilis in Verbo repræsentatione visionē Beatificam habere specialem perfectionem individualem, ratione cujus sit *Intrinsecè* perfectior visione illâ, quæ non attingit Decretum ejusmodi, suique adeò æternitatem ex tali Decreto effectam. 14.

Ad *n. 3.* oppositum Respondetur. Si quando aliquis Sanctorum in viâ *Transeunter* videbat Divinam Essentiam, tunc visionem ejusmodi cum visione Patriæ fuisse ejusdem speciei, sed diversæ individualis perfectionis: ratione cujus diversitatis visioni viæ non convenisse terminationem ad actualis sui ipsius perpetuitatis in Verbo repræsentationem, sed ad connaturalem duntaxat visioni ex naturâ specificâ intrinsecam æternitatis exigentiam, quam tamen exigentiam connaturalem Divinæ potentiæ virtute tunc fuisse superatam. 15.

Ad *n. 4.* oppositum Respondetur. Eo ipso, quòd æternitas sit alicui Enti Essentialis, oportet, Ens hujusmodi esse immobiliter per Essentiam existens, esseque adeò in sui primâ etiam productione independens a cujusvis Causæ influxu *Defectibiliter*, atque adeò *Efficienter* productivo, nec proinde tale Ens subjacere Dei Dominio ac libertati. Hoc autem est proprium supposito Divino. Non esse igitur possibilem creatam visionem Beatificam, cui æternitas sit Essentialis. 16.

Ad *n. 5.* propositum Fundamentum Respondetur. Ens ex naturâ suâ secundùm Dei absolutam saltem potentiam omnimodæ exigentiæ connaturalis Dominium tenentem esse eo ipso defectibile, quòd Existentia se habeat ad illud non ut Essentia, sed ut accidens. Ejusmodi verò esse omne Ens creatum, atque adeò quamlibet visionem Beatificam; licèt aliqua ex principijs suis individuantibus habeat signatam inamissibilitatem radicatam in Decreto Divino per ipsam Vitaliter attacto. Unde visionem ejusmodi ex perfectione suâ non specificâ, sed individuali esse indefectibilem ratione infallibilitatis *objectivè* in se derivatæ ex Decreto æternitatis præfinitivo. 17.

Ad *n. 6.* oppositum Respondetur. Licèt de ratione Beatitudinis abstractè quoad specificam naturam spectatæ non sit, quòd habeat inamissibilitatis certitudinem signatam: attamen de ejus ratione intrinsecâ non quidem specificâ, sed individuali (si spectetur concretè, prout de facto datur in patriâ) esse illam signatam certitudinem, utpote sitam in vitali Verbi Divini Decretum 18.

tum æternitatis præfinitivum repræsentantis attactu realiter indistincto ab illâ visione Beatificâ.

19. Ad *n. 7.* propositum Fundamentum Respondetur. Innatum Beatitudinis possessæ in perpetuum retinendæ desiderium satiari posse non tantùm per signatam inamissibilitatis ac perpetuitatis ipsius certitudinem, sed etiam per plenam tum voluntate Divinâ conformitatem, ex quâ fit, ut videns Divinam Essentiam habeat in se radicalem omnimodi desiderij satietatem, ità ut eo ipso, quòd videat ex voluntate Divinâ aliquid oriri, de ipso concipere possit gaudium plenum in omnes animæ vires redundans. Unde consequens esse, quòd inamissibilitas Beatitudinis non sit de hujus etiam *Formaliter* spectatæ specificâ Essentiâ, licèt sit de ratione Beatitudinis tum secundùm suam individualem, prout de facto existit, perfectionem, tum secundùm omnimodæ perfectionis Beatitudinem integrantis statum & complementum quasi integralè spectatæ, quod unicè videtur intendisse Divus Thomas *cit. q. 5. a. 4.*

COROLLARIUM I.

De Inæqualitate Beatitudinis.

20. INfertur 1. Visionem Beatam non esse æqualem in omnibus Sanctis. *ex communi Orthodoxorum consensu contra Iovinianum ac novissimè Lutherum.* Ratio desumitur ab authoritate Divinâ Christi Domini affirmantis *Ioann. 14. In Domo Patris mei mansiones multa sunt.* At istum sacrum textum procedere de Gloriâ Beatitudinis, patet ex contextu. Cùm enim Petrus Christum interrogâsset, *Quò vadis*; respondit IESUS; *Quò ego vado, non potes me modò sequi, sequeris autem postea. In domo Patris mei mansiones multæ sunt.* Ejusmodi verò mansio est, de quâ dicitur *Matth. 25. Intra in gaudium Domini tui.* Neque per illas multas mansiones intelligi multitudinem duntaxat, sed etiam diversitatem graduum in Beatitudine, patet ex eo, quòd *sicut stella differt à stellâ in claritate, sic futura sit resurrectio mortuorum. 1. ad Corinth. 15.* Quam proinde diversitatem Claritatis tum animæ quoad visionem Beatificam, tum Corporis per gloriæ ex animâ redundantiam oriri ex diversitate meritorum, clarè testatur Apostolus *2. Corinth. 9. Qui parcè seminat*, inquiens, *parcè & metet, & qui seminat in Benedictionibus, de benedictionibus & metet.* Unde quando *Matth. 20.* dicuntur omnes in mercedem accepisse denarium, debet per hunc intelligi tum Beatititudo objectiva, quæ in omnibus est unica, tùm Beatitudo quoad Essentiam spectata, quæ secundùm speciem est eadem. Si enim sermo sit de Beatidine quoad intensionem, debere in hâc admitti inæqualitatem, vel ex hoc etiam evincitur, quòd *Matth. 11.* dicatur, non surrexisse major Ioanne Baptistâ: hæc enim procedere de magnitudine non Prophetiæ duntaxat, sed sanctitatis ac meriti, & consequenter Gloriæ, observat Divus Hieronymus *contra Iovinianum.*

21. Infertur 2. In ipsâ Visione Beatificâ esse inæqualitatem ex duplici capite. *Primò.* Ex majori vel minori intensione. *Secundò.* Ex diversitate perfectionis individualis sitâ in quâdam visionis extensione Virtuali ad plures vel pauciores creaturas in Verbo repræsentandas. De quo ex instituto egimus *in 1. tomo. q. 4. a. 6.*

COROLLARIUM II.

De infusis & acquisitis Beatorum scientijs, nec non supernaturalibus Intellectualibus virtutibus.

INfertur *Primò.* Præter scientiam Beatificæ visionis dari in Beatis scientiam per se infusam. ex Suarezio *hic disp. 8. sect. 1. n. 9.* Ratio est. Nam Christus est Causa Beatorum non Efficiens duntaxat, sed Exemplaris, cui adeò Beati non quidem quoad æqualitatem, sed quoad participationem perfectionis tam Intellectualis, quàm moralis debent assimilari. At Christo Domino præter scientiam Beatam inest scientia infusa. Ergò & in beatis. Cæterùm per istam scientiam cognoscere potest Beatus *Primò* futura contingentia & secretas hominum cogitationes, ubi tamen à Deo, vel homine, vel Angelô fuerint ipsis revelatæ. *Secundò* circa possibilia sibi vel in Verbo, vel extra Verbum revelata potest per illam scientiam varios formare actus Intellectuales. *Tertiò* potest illa scientia seu lumen quoddam scientiâ acquisitâ superius se extendere ad cognoscendas non substantias duntaxat rerum creatarũ, sed existentias, imò & singularia, quàm transeuntes, ac operationes tam imanentes, adeò ut vi talis scientiæ sit habiturus perfectam non duntaxat speculativam, sed practicam quoque rerum cognitionem. *Quartò* denique Beatus potest scientiâ illâ uti tum per discursum, tum sine discursu, tum per conversionem ad phantasmata, medijs speciebus eductis à sensibus, tùm sine tali conversione, medijs speciebus infusis: De quibus videri potest Ildephonsus Baptista *hic disp. 84. à n. 52.* 22.

Infertur *Secundò.* Scientias omnes in viâ acquisitas manere in patriâ quantum ad partem scientificam, non verò quantum ad partem opinativam. ex S. Thomâ *1. p. q. 89. a. 5.* Ratio est. Quia Beatitudo non destruit perfectiones subjecti non repugnantes statui Beatifico. Unde quando Apostolus *1. Corinth. 13.* ait: *Scientia destruetur*; intelligendus est de scientiarum destructione nôn *quoad substantiam*, sed partim *quoad partem opinativam* non potentem stare cum certitudine luminis per scientiam beatam & infusam illucentis beato Intellectui; partim *quoad modum operandi* cum necessariâ conversione ad phantasmata, potest enim beata anima non in statu duntaxat separationis, sed gloriosæ cum corpore reunionis per scientias etiam acquisitas operari sine tali conversione. Hinc manere in Beatis habitum Theologiæ in viâ acquisitum ex principijs fide Divinâ cognitis, atque tunc subalternari visioni Beatæ, atque adeò ex principijs in Verbo cognitis formare discursum ostendimus *in 1. p. q. 1. a. 2. cont. 2.* Imò Beati Intellectũ ex ejusmodi principijs discurrendo perficere & augere habitum suum Theologicũ tũ *Intensivè*, tum *Extensivè* quoad subtiliores vi Intellectûs supernaturaliter elevati abstractas species: insuper per operationem naturalem Intellectûs agentis abstrahere altiora specierum Intelligibilium lumina, eaque sublimare per discursus depuratiores ex principijs naturali lumine cognitis deductos; ex eo evincere licet, quòd etiam Christus Dominus lumine scientiæ beatæ ac infusæ in pri- 23. 24.

in primo ſuæ conceptionis inſtanti inſtructus, ſui Intellectûs naturali virtute ſibi compararit ſcientiam acquiſitam, ſeu experimentalem, in eaque creverit tam quoad actum, quàm quoad habitum ex Divo Thomâ *3. p. q. 9. a. 4.*

5. Infertur *tertiò.* Aliquas ex ſupernaturalibus Intellectualibus virtutibus deſtrui, alias verò manere in ſtatu viſionis Beatificæ. Sic enim fides ſupernaturalium Myſteriorum in ſpeculo duntaxat ænigmatico cognoſcitiva evacuabitur, ſuccedente clarâ Divinæ faciei in Verbo Divinorum Myſteriorum repræſentativâ viſione. Evacuabitur etiam prophetia ſtrictè ſumpta; hæc enim importat revelationem à ſtatu cognoſcentis remotam; nullam verò habebit Beatus notitiam, quæ ipſius ſtatui non ſit connaturalis. ex Divo Tho. *2. 2. q. 174. a. 5.* Verùm manebunt Dona Spiritûs Sancti Intellectualia Sapientiæ nimirum, Scientiæ, & Conſilij; *veluti alibi ex inſtituto probabimus.*

COROLLARIUM III.

De Virtutibus voluntati Beatorum inexiſtentibus.

26. INfertur *Primò.* Extra omne dubium eſſe, tum quòd in Beatis maneat virtus charitatis; juxta illud *1. Corinth. 13. Charitas nunquàm excidit, ſive Prophetiæ evacuabuntur, ſive ſcientia deſtruetur;* tum quòd in ipſis non maneat proprius ac primarius actus ſpei, verſans circa Gloriæ ac Viſionis Beatificæ conſecutionem; juxta illud *ad Rom. 8. Spes autem, quæ videtur, non eſt ſpes; nam quod videt quis, quid ſperat?* An verò infuſus ſpei habitus maneat in ordine ad actus amoris concupiſcentiæ erga Deum, nec non in ordine ad Gloriam Corporis in reſurrectione conſequendam, decidemus in 2. 2. ubi ex inſtituto agemus de virtute Spei.

27. Infertur *ſecundò.* In Beatis manere etiam Virtutes morales tam infuſas, quàm in viâ acquiſitas: ſiquidem quoad rationem ſuam formalem importent perfectionem haud repugnantem ſtatui Beatifico, licèt quoad materiam quandoque ſupponant imperfectionem, veluti Temperantia ex parte materiæ ſupponit paſſiones circa delectabilia tactûs, & guſtûs, miſericordia autem alienam miſeriam, cujuſmodi non habet locum in cæleſti fælicitate. Hinc continentia, tametſi quoad imperfectum virtutis ſtatum, prout admixta eſt cum pravis concupiſcentijs, non maneat in Beatis: attamen quoad perfectũ virtutis ſtatũ prout habet rationẽ omnimodæ à delectatione venereâ abſtinentiæ, in illis manere, probat Ildephonſus Baptiſta *præs. diſp. 64. n. 321.* Cui etiam probabile eſt, manere in Beatis virtutem ſupernaturalem pœnitentiæ, non quidem quoad actum doloris de peccatis in viâ commiſſis; ſiquidem dolor non habeat locum in ſtatu Beatitudinis: ſed quoad ſubſtantiam, & quoad actus peccatorum, à quocunque ſint commiſſa, ex pœnitentiæ Motivo deteſtationis, nec non gratiarum pro peccatis dimiſſis actionis, nec non gaudij de peccatis non admiſſis.

28. Infertur *tertiò.* Nullum in Beatorum voluntate eſſe habitum infuſum, quem non habuerint in viâ, *ex communi Theologorum, nominatim* Ildephonſi *citati n. 340. ſententiâ.* Ratio eſt. Quia omne Bonum honeſtum, quod per viſionem repræſentatur beato, ut ab ipſo operabile, potuit etiam viatori repræſentari per fidem. Unde reijciendus eſt Richardus *in 4. diſt. 49. a. 3. q. 7.* exi- 29.
ſtimans, quòd in ingreſſu beatitudinis, ſicut infunditur Intellectui habitus luminis Gloriæ, ſic voluntati infundatur habitus elicitivus actûs aſſecurationis ac rectitudinis de Beatitudine non amittendâ. Etenim quoad Intellectum & voluntatem hoc diſcriminis eſt, quòd ille in viâ non habeat lumen Intellectivum, vi cujus Divina Eſſentia ſecundùm propriam ſuam Intelligibilitatem ſit unita, ſed vi cujus Prima veritas ſub obſcuræ duntaxat revelationis ænigmatico ſpeculo ſit applicabilis Intellectui. Econtra voluntas etiam viatoris in ſtatu gratiæ omnimodam habere debet rectitudinem habitualem, nec adeò ſupereſt aliqua quoad ſupernaturalem rectitudinem perfectibilitas, cui in patriâ reſpondere debeat ſpecialis habitus infuſus. Quare ille de inamiſſibilitate ſecuritatis ac certitudinis actus non tam eſt voluntatis, quàm Intellectûs, imò eſt ipſe viſionis actus æternitatis per Decretum Divinum prædefinitæ in Verbo repræſentationem Intentionaliter uniens creato intellectui, cui repræſentationi ex parte voluntatis reſpondet actus amoris ac Delectationis, ſeu Gaudij de omnimodâ illâ Beatitudinis tripudiantis ſecuritate; *veluti partim præs. art. conſ. 8. partim ſequenti art. conſ. 1. dicitur.*



ARTICULUS II.

DE

Dotibus, Aureolis, ac Fructibus Animæ & Corporis Glorioſi.

INTER Chriſtum & animas Beatas intervenire ſpirituale conjugium, evincitur ex illo *Apocalyps. 19. Venerunt nuptiæ Agni, & uxor eius præparavit ſe, & datum eſt illi, ut cooperiat ſe byſſo ſplendido & candido.* Unde ſicut in Matrimonio corporali intervenit Dos conceſſa à patre ſponſæ, eatenus manens in hujus Dominio, ut tamen Uſusfructus ſit penes virum, qui proinde ex fructibus Dotalibus debeat illi providere de ornatu decenti, debeatque ipſam & liberos ſubſtentare. Sic Deus Pater animæ ſanctæ per gratiam in Divinæ naturæ conſortium regeneratæ in hujus Dominium & Ius conceſſit certa Bona, ſeu Dona ſupernaturalia, quibus ipſa ornetur, ut ſit quaſi regina aſſiſtens à Dextris in veſtitu deaurato *Pſal. 44.* atque adeò cum iſto ornatu traditur ſuo ſponſo Chriſto, concupiſcenti decorem ipſius & ardenti amore eam complectenti. Unde Dos à Divo Thomâ *3. p. in ſupplem q. 95. a. 1.* definitur *perpetuus animæ & corporis ornatus, vitæ ſufficiens: in æternâ Beatitudine jugiter perſeverans.* 1.

Præter iſtas omnibus Sanctis communes Dotium prærogativas, in vitâ Beatâ dantur aliquæ aureolæ inſignioribus virtutum Heroicarum vi- 2.

rum victorijs respondentes. Sicut enim mensa propositionis panum *Exodi 25.* adornabatur coronâ aureâ, cui superimponebatur corona aureola; sic in Beatis Gratiæ sanctificanti ac meritis in hâc fundatis respondet præmium Essentiale tanquàm corona aurea, huic verò ob insigniores Heroicarum virtutum victorias superimponitur aureola, tanquàm præmium accidentale. Unde ex Doctore Angelico *in 4. dist. 49. q. 5. a. 1.* definiri potest, quòd sit *Gaudium accidentale de operibus à se factis, quæ habent rationem Excellentis victoriæ.*

De quibus proinde tam Corporis, quàm Animæ Dotium & aureolarum prærogativis tres moveri possunt controversiæ. Prima. *Quales sint animæ Beatæ Dotes?* Secunda. *Quales sint Corporis Gloriosi dotes?* Tertia, *Quot, & Quales dentur aureolæ Beatorum?* Quibus tandem per modum Corollarij subnectemus aliqua de Fructibus Beatorum.

CONTROVERSIA I.

Quales sint animæ Beatæ Dotes?

3. Richardus *in 4. dist. 49. a. 3. q. 7.* Amicus *hic disp. 2. sect. 15. n. 177.* Ioannes à Sancto Thomâ *præs. disp. 2. a. 8. n. 11.* Dotes animæ gloriosæ constituunt in habitibus, quibus anima disponitur & præparatur Beatitudini, spiritualis inter Christum & animam conjugij, consummativæ, quibusque adeò acquiritur status sponsæ proprius, exuens peregrinationis statum ac dispositionem, ut proinde Formalitas Dotis magis pertineat ad statum & dignitatem, seu decentiam beatitudinis, quàm ad ejus substantiam. Fundamenta à præcitato Ioanne à Sancto Thomâ deducta sunt. *Primò.* Sacra enim scriptura explicat Beatitudinem per modum desponsationis inter Deum & animam, vocatque animam sponsam, cui promittuntur etiam ornamenta, munera, arrhæ, & similia, juxta illud *Apocalyps. 21. Vidi Civitatem sanctam Ierusalem novam descendentem de cælo à Deo, paratam sicut sponsam ornatam viro suo.* Atqui Dos correlativè se habet ad desponsationem, atque adeò in illâ cælesti desponsatione designatur animæ Dos, vi cujus dotata & ornata jungatur viro suo Christo. Hic autem ornatus describitur *cit. cap. Apocalypsis. Vidi Ierusalem descendentem de cælo habentem claritatem Dei, & lumen ejus simile lapidi pretioso.* Ex hac igitur claritate & lumine gloriæ sumendum est ornamentum, atque

4. adeò Dos sponsæ cælestis. *Secundò.* Quia Divus Thomas *3. p. in supplem. q. 95. a. 2.* Dotes Entitativè non esse operationes, sed habitus asseruit sequentibus verbis. *Dicendum est, quòd Dos, & Beatitudo etiam realiter differunt, ut Beatitudo dicatur ipsa operatio perfecta, quâ anima Deo conjungitur, sed dotes dicantur habitus, vel dispositiones, vel quæcumque alia qualitates, quæ ad hujusmodi perfectam operationem ordinantur.* Unde *ibidem ad 3.* subdit: quòd visio actualiter, id est pro ipso actu visionis accepta non est Dos, sed ipsa beatitudo: accepta autem habitualiter, id est, *pro habitu, à quo talis operatio elicitur, id est, pro ipsâ Gloriæ claritate, quâ anima illustratur ad videndum Deum, sic est Dos.* Quibus conformiter *ibidem* affirmat, *quòd comprehensio, seu fruitio, secundùm quod ponitur pro comprehensione, non importat alium habitum ab illis duobus* (scilicet Charitatis & Luminis Gloriæ) *sed importat remotionem omnium impedimentorum, ex quibus efficiebatur, ut non posset mens Deo quasi præsentialiter conjungi. Et hoc quidem fit per hoc, quòd ipse habitus Gloriæ animam ab omni defectu liberat, sicut quod facit eam sufficientem ad cognoscendum sine phantasmatibus, & ad prædominandum corpori & alia hujusmodi, per quæ excluduntur impedimenta, quibus fit, ut peregrinemur à Domino.*

5. *Tertiò.* Nam Dos non est ipsum vinculum, vel consummatio Matrimonij, aut aliquid consecutum ex consummatione, sed est aliquid antecedens, quasi habilitans & ornans sponsam, ut conjungatur sponso, & traducatur in domum ejus. At visio est ipsa consummata assecutio Finis, & conjunctio, ad sponsum, fruitio verò & dilectio, ac tentio sunt operationes post consummationem secutæ. Ergo visio & dilectio, ac fruitio non possunt convenienter accipi nomine Dotis. *Quartò.* Lumen Gloriæ 6. non solùm habet munus eliciendi visionem Dei, sed etiam disponendi Intellectum ad recipiendam Divinam Essentiam loco speciei, & ita clarificandum intellectum, quòd non sit capax ullius obscuritatis & fidei, sed solùm evidentiæ, & claritatis. Ut sic autem vocatur visio *habitualiter*, quatenus ex vi illius luminis videtur summum visibile, nec intellectus remanet in statu ullius obscuritatis, & imperfectionis: juxta illud Magni Gregorij; *Quid est, quòd non videant, qui videntem omnia vident.* At ille ipse claritatis status est ille ornatus Hierusalem descendentis de cælo, habentisque claritatem Dei, adeò ut lumen ejus simile sit lapidi pretioso, vi cujus luminis totus Intellectus sit in statu clarificationis & evidentiæ, ac visionis; nec jam locus sit fidei & opinionibus & phantasmatibus. In quo proinde ornatu Claritatis Habitualis, atque adeò luminis Gloriæ, ritè constituitur Dos visionis. *Quintò.* Charitas patriæ non 7. tantùm habet munus eliciendi amorem, sed ita complectendi summum arduum, scilicet Deum, ut sit in statu nihil sperandi, sed omnia possidendi, quæ voluerit. Hic verò status est comprehensoris, prout opponitur statui viatoris, qui est status contingentiæ, & lubricitatis, spei ac timoris. Unde sacra scriptura illum comprehensoris statum describendo *Apocalyp. 21.* ait: *Quia jam non erit ampliùs luctus, neque clamor, sed nec ullus dolor, quia priora transierunt.* At verò anima Beata habet Dotem comprehensionis ac tentionis, quatenus loco spei contingentiam habentis ex parte nostri, mutabitur fortitudo, quæ in nullo, quod volet, deficiet. Unde *Isaiæ 40.* dicitur. *Qui sperant in Domino, habebunt fortitudinem, assument pennas, ut aquilæ, volabunt, & non deficient.* At verò ista fortitudo est in voluntate per charitatem, vi cujus ita tenetur summum desiderabile scilicet Deus, ut voluntas non sit ampliùs in statu contingenter habendi & volendi, sed cum summâ securitate habendi, & possidendi, adeò ut gaudium nostrum nemo tollat à nobis, *Ioann. 16.* Consequens proinde est,

de est, Dotem comprehensionis seu Tentionis rectè constitui in habitu Charitatis.

8. *Sextò.* Dos delectationis est status habendi in omnibus ex fruitione Dei voluptatem & facultatem vivendi absque ullo dolore & timore, juxta illud *Proverb. 1. Qui me audierit, absque terrore requiescet, & abundantiâ perfruetur, timore malorum sublato.* Unde habere Delectationem pro Dote, nihil aliud est, quàm animam poni in tali statu, ut ex ordine ad dulcedinem Dei, quo frui debet, nihil sit, quod non ei reddatur voluptuosum, & delectabile, adeò ut sit in statu plenæ voluptatis, & delectationis, nec ulla possit ei accidere tristitia : juxta illud *Psal. 35. Quia torrente voluptatis tua potabis eos.* Et *Apocal. 21. Auferet Deus omnem lachrymam ab oculis eorum, & mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor.* Atqui hunc statum consequitur homo ex habitu charitatis ut fruitivæ Dei, vicujus anima in omnibus requiem quæsivit, id est acquisivit. *Ecclesiastici 24.* In hoc igitur charitatis quà Dei fruitivæ habitu rectè ponitur Dos Delectationis.

9. Paludanus *in 4. dist. 49. q. 8. a. 3.* Lessius *de summo Bono. lib. 2. cap. 20.* Dotes animæ gloriosæ consistere dicunt in actibus tum Beatificæ visionis, tum amoris concupiscentiæ, quo Beatus Deum amat ut bonum sibi; tum amicitiæ, quo eundem diligit propter ipsum.

10. Divus Thomas *præs. q. 4. a. 3.* videtur pro dotibus assignare *Visionem*, quæ est cognitio perfecta Intelligibilis finis : *Comprehensionem*, quæ importat præsentiam Finis; & *Delectationem* seu *Fruitionem*, quæ importat quietationem amantis in amato.

11. Scotus *in 4. dist. 49. q. 4. a. 3. concl. 5.* explicans sanctum Doctorem ait, visionem & comprehensionem *secundùm se* esse ipsam Beatitudinem, si verò visio spectetur, prout habet habitudinem termini ad fidem, tanquàm clara notitia obscuram & ænigmaticam fidei cognitionem evacuans, ut sic induere rationem Dotis. Similiter Comprehensionem, si consideretur ut objectum voluntatis consecutum ab illâ medio Intellectu, esse ut sic terminum spei, habereque rationem Dotis. Denique Delectationem secundùm se, prout consequitur ad visionem, esse proprietatem Beatitudinis; ut verò est terminus amoris sive amicitiæ, sive concupiscentiæ, habere rationem Dotis.

12. Ildephonsus Baptista *disp. 87. n. 100.* existimat : Visionem & Comprehensionem, si considerentur secundùm se juxta suas Formales visionis ac Tentionis summi Boni rationes, ut sic etiam esse quidem terminos fidei ac spei, attamen pertinere ad rationem Essentialem Beatitudinis Formalis. Verùm Dotes esse, quatenus respiciunt animæ ornatum contemplatione spiritualis cum Christo Matrimonij tributum. Unde visionem, quatenus per cognitionem Dei est animam illustrans, & Comprehensionem, quatenus animam ditat ut possessio Dei, & Delectationem Dei, quatenus animam hilarem & jucundam reddit ad tale Matrimonium, dotes esse.

***

Conclusio I.

Animæ Gloriosæ rectè assignantur tres Dotes scilicet Visionis, Comprehensionis, ac Delectationis.

Probatur. Nam sicut sponsæ regiæ solet subinde Pater in Dotem quoad proprietatem sub Iure ipsius, quoad usum fructum verò sub Iure Mariti existentem assignare statum aliquem, seu possessiones terrarum, sic anima beata quasi regina astans à dextris sponsi sui Christi à Patre luminum accipit status aliquos, quibus vestitur quasi in vestitu deaurato. Hi autem status sunt tres, primus Visionis importans statum existendi in claritate & evidentiâ non solius Dei in se; sed omnium, quæ cognoscit. Secundus est Comprehensionis consistens in statu consequendi omnia ex tentione Dei sine anxietate perdendi aliquid, Tertius est Delectationis, importans statum delectandi de omnibus ex fruitione & Delectatione Dei, ac de nullo dolendi, tristandi, vel timendi. 13.

Conclusio II.

Dos visionis respondens virtuti Fidei non tam realiter, quàm Formaliter secundùm rationem ratiocinatam distinguitur à Formali Beatitudine.

Probatur. Nam Dos est ornatus animæ à patre luminum concessus intuitu Matrimonij cum Christo consummandi. Hoc autem Matrimonium eatenus est in potestate Christi, ut suâ humanâ voluntate intuitu Meritorum ac sanguinis sui efficaciter applicatorum infallibiliter per Patrem æternũ acceptandâ non tantùm designarit animas Matrimonio suo jungendas, sed has sibi etiam præpararit cum omnimodo ipsarum ornatu. Unde vi hujus voluntatis Christus contraxit quasi sponsalia cum animabus electis, æterno Patre quasi stipulante, & acceptante illâ Christi voluntatem. At hæc ipsa sponsæ præparativa Christi voluntas est, per quã cuivis animæ sibi æternaliter desponsandæ præparavit in viâ tres virtutes Theologicas, Fidem nimirum Spem & Charitatem. Has autem virtutes suorum meritorum & gratiæ efficaciâ eatenus perficit, ut omnes ac singulæ sint reducendæ in æternitate ad statum perfectum. Hic verò perfectus fidei v. g. status in eo se tenet, quòd Mysteria fidei per Christi revelationem cognita, ac per meritorum ipsius efficaciam sub obscuro ac ænigmatico lumine credita, revelatâ tandem facie videntur in aperto Verbi increati Divino Intelligibili lumine. At hic ipse status revelatæ faciei Divinæ est ornatus animæ intuitu Matrimonij cum Christo consummandi à Patre luminum concessus. 14.

Probatur istud assumptum. Nam illa Christi cum animabus electis, Patre æterno quasi stipulante, ac per efficax prædestinationis Decretum acceptante, sponsalia transeunt in Matrimonium consummatum per mutuam Christi Domini, ejusque sponsæ electæ actualem conjunctionem. Hæc verò conjunctio actualis est per amorem. Atqui animæ erga Christum amor respicit supereminentem omnis gratiæ, & gloriæ 15.

gloriæ ex Christo Exemplabilitatem: sicuti è contra Christi erga animam amor pro suo motivo respicit hujus excellentiam ex illâ supereminenti suâ Exemplabilitate derivatam. Hæc ipsa verò animæ excellentia alia est in habitu, atque adeò in potentiâ, alia verò est in actu. Ista verò utpote magis participans de actualitate ac perfectione, est potior in ratione motivi terminantis illum Christi amorem, estque adeò animæ ornatus quasi proximè disponens & habilitans ad illum amorem Christi Matrimonij consummativum. At verò sicuti prima Christi Domini Exemplabilitatis participatio in viâ & quasi inchoativè est per revelationem Mysteriorum fidei, utpote ex vi luminis Christo connaturaliter debiti visorum in Verbo, & exinde animabus electis in viâ per Fidem communicatorum; sic ilia ipsa prima Christi Domini Exemplabilitatis participatio in patriâ est consummata per eorundem Mysteriorum in Essentiâ Divinâ claram visionem. Hæc igitur est una, eaque prima animæ Dos, & ornatus proximè disponens & habilitans ad Christi Domini amorosam & consummatam cum animâ electâ desponsationem.

16. Dices. Duplicem distingui debere in Beatis visionem, alteram absolutam, in quâ consistit Essentialis Beatitudo; alteram relativam Fidei respondentem & oppositam, quæ sita est in eo, quod Beatus Deum clare intuendo, se se reflectat super obscuram fidei cognitionem, quâ promereri potuit illum clari atis ac lucis æternæ intuitum. Hanc igitur relativam visionem se habere per modum accidentalis Beatitudinis. In quâ proinde, non verò in Essentiali & absolutâ Dei visione sitam esse Dotem visionis.

17. Contra. Unus, idemque visionis actus ad Verbum Divinum intrinsecè terminatus in Essentiæ Divinæ Intelligibilitate manifestat Fidei Mysteria per Christum credita, non tantùm *absolute*, sed etiam *reflexè* seu *relativè* ad obscuram & ænigmaticam fidei notitiam. At Mysteriorum fidei in Verbo repræsentatio est disponens & habilitans ad spiritualis cum Christo Matrimonij amorosam conjunctionem, quatenus est lux quædam, vi cujus illa fidei Mysteria in Verbo repræsentantur, derivata ex Christi Domini lumine Divino tum Deitati *Identicè*, tum humanitati *Unitivè* inexistente.

18. Probatur istud assumptum. Nam illius Matrimonij amorosa conjunctio consistit in reciproco tum animæ Beatæ, tum Christi Domini amore. Ille vero erga Christum quà hominem animæ beatæ amor succenditur ex eo, quòd videat in Verbo Mysteria fidei tum per Christi hominis in lege Evangelicâ factam prædicationem ac revelationem, tum per ejusdem meritum in lege etiam veteri fidelibus concredita, imò animabus electis virtute Christi meritorum Divinitùs instillata, & ad statum perfectionis eatenus deducta, ut in ipso Divinitatis Verbo videat anima Beata se à Christo tum in viâ *Inchoativè*, ac *Dispositivè*, tum in patriâ *consummativè* ornatam deaurato lucis Divinæ vestitu, & ut sic ejusdem Christi Domini Nuptijs præparatam. At ex hoc ipso etiam, quòd Christus homo videat animam suæ Exemplabilitatis consummatâ participatione ornatam, excitatur in ipso amor cum tali animâ unitivus & ut sic Matrimonij spiritualis consummativus. Consequens igitur est, ipsam visionem Beatificam, quatenus per eam repræsentantur Fidei Mysteria tum *absolutè*, tum *reflexè*, seu *relativè*, ad ænigmaticam fidei notitiam, ceu præviam pro congruo ad nuptias agni ornatu præparationem, ut sic esse ornatum proximè incitativum ad consummatum animæ Beatæ cum Christo Matrimonium. At ejusmodi ornatus congruè venit nomine Dotis. Patet proinde, Dotem visionis non realiter, sed secundùm rationem duntaxat ratiocinatam, sive secundum aliquam Matrimonij cum Christo homine per amorosam conjunctionem consumati connotationem *Formaliter* distingui à Beatitudine Formali.

CONCLUSIO III.

Dos comprehensionis virtuti Spei correspondens consistit in amore ac Delectatione Concupiscentiæ erga Deum clarè visum; habetque rationem quasi Tentionis, seu reflexæ possessionis erga Beatitudinem.

Probatur. Nam Christus Dominus sponsam electam sibi præparans, dispositionem ejusmodi fundat in spe, ad quam ut sic referuntur omnium virtutum actus, tanquàm merita & media ipsius consummationi inservientia. At ista Spei consummatio altera est ex parte objecti, altera verò ex parte actûs. Etsi verò spes habens pro objecto suo Formali Deum quà summum animæ Bonum mediante visione intuitivâ possidendum; suam substantialem ex parte objecti consummationem obtineat per ipsamet intuitivam Deitatis visionem: attamen spei ex parte actûs consumatio fit per amorem ac Delectationem Dei clarè visi, ut sic animæ tum *objectivè*, tum *Formaliter* beatificativi. In hâc ipsâ verò Spei non ex parte objecti duntaxat, sed etiam ex parte actûs consummatione sita est Dos comprehensionis. Probatur istud 19.

assumptum. Nam sicut animæ in sponsam Christi præparatio supponit gratuitam Christi hominis dilectionem, quâ illam elegit & designavit in sponsam, ac per meritorum suorum applicationem Decretum omnimodi Gloriæ ornatûs præfinitivum ab æterno Patre impetravit: sic Matrimonij per amorosam Christi cum animâ electâ conjunctionem consummatio supponit ejusdem animæ ornatum, tanquàm Motivum Christi erga animam amoris aliqualiter excitativum. At hujus Christi amoris Motivum integratur ex consummatione omnimodæ illius præparationis, quâ Christus animam à se prælectam disponi voluit ad conjugij sui amplexum. Illa verò secundùm Theologicas ceu vitæ spiritualis fundamentales virtutes animæ præparatio quoad spem consummatur tum *objectivè* per visionem Beatificam, tum *Formaliter* per actum Dei quà clarè visi *reflexè* possessivum. Atqui talis actus est amor & delectatio concupiscentiæ, eatenus tendens in Deum clarè visum, ut actûs ejusmodi objectum Formale sit tum Deus habens rationem Finis *Qui*, tum visio Beatifica habens rationem Finis *Quo*. Hic igitur amoris ac Delectationis actus in Deum clarè visum tanquàm summum animæ Bonum tendens est quidam ornatus animæ habilitans ad spirituale Christi conjugium. Ergo ut sic habet

habet rationem Dotis, quam vocare ſolent comprehenſionem, ſeu Tentionem.

21. Dices. Deum clarè viſum, quà ſummum animæ Bonum eſſe objectum Formale ſpei. Ergo illum amorem ac delectationem concupiſcentiæ non quidem *Denominativè*, ſed *Subſtantialiter* participare rationem Formalem actûs ſpei. At eo ipſo, ſi detur in Beatis actus, qui ſubſtantialiter ſpectet ad virtutem ſpei, oportere, iſtius habitum manere in Patriâ. Hoc autem pugnare cum Doctrinâ Divi Tho. *1. 2. q. 67. a. 4. in corp. & ad 3.*

22. Contra. Nam ſicut Fides eſt virtus ſtatui viatoris alligata, eo ipſo, quòd ex parte ſui objecti reſpiciat veritatem cum obſcuritate, ſic ſpes eſt virtus coarctata ad ſtatum viæ, hoc ipſo, quòd ex parte objecti reſpiciat Bonum Divinum cum arduitate. ex Divo Thomâ *citato*. Sicut ergo fidei conſummatio in patriâ non eſt ſecundùm Formalem fidei actum, ſed Eminentialem Myſteriorum fidei in Verbo repræſentationem: ſic ſpei in Beatis conſummatio eſt per Delectationem Dei clarè viſi tanquàm ſummi animæ Boni, quæ delectatio ſit quidem concupiſcentiæ, ſuperexcedat tamen ſpei Theologicæ Formale motivum, atque adeò ſpectet ad Habitum charitatis; Doctore Angelico *in ſupplem. 3. p. q. 95. a. 15. ad 3.* atteſtante, Dotem comprehenſionis non importare diſtinctum habitum à Viſione ac Dilectione. Confirma-

23. tur. Nam Dos Comprehenſionis ſita eſt in conſummatione virtutis ſpei. Hujus autem objectum eſt Deus per viſionem Beatificam poſſidendus. Unde ſpes *objectivè* conſummatur in Beatis per ipſammet viſionem tanquàm primam Dei poſſeſſionem. At eo ipſo, quòd ſpes ſit actus voluntatis, ipſius perfectio conſummatur Formaliter per actum ejuſdem voluntatis, qui ſit quædam tentio ac reflexiva poſſeſſio Beatitudinis ſperatæ. Ejuſmodi verò tentio ac poſſeſſio reflexiva eſt per amorem ac Delectationem concupiſcentiæ erga Deum clarè vi-

24. ſum. Probatur iſtud aſſumptum. Sicut enim actus ſpei eſt quidam amor concupiſcentiæ erga Deum clarè viſum; ſic amor concupiſcentiæ erga Deum clarè viſum excitans hujus delectationem facit animam eatenus immergi Divinitati per Beatificam viſionem poſſeſſæ, ut hanc quaſi poſſeſſionem ſuper omnia Bona creata appretiando, nihil relinquat de capacitate animæ ad objecta Deo contraria. Iſta verò appretiatio omnis in oppoſitum capacitatis excluſiva eſt quædam firmitas voluntatis in Deo poſſeſſo, habetque adeò rationem alicujus quaſi Tentionis ſeu reflexæ poſſeſſionis. In quâ proinde conſtituitur Dos comprehenſionis.

CONCLUSIO IV.

DOs Delectationis reſpondens Charitati viæ conſiſtit in amore ac Delectatione amicitiæ erga Deum clarè viſum.

25. Probatur. Nam Chriſtus Dominus *Ioann. 17.* cùm pro prædeſtinatis, & à ſe electis animabus ſpecialiter oraſſet, dixit *verſu 10.* ſe in eis eſſe clarificatum. At hanc ipſam clarificationem videtur, voluiſſe in hoc conſummatam, quòd ſint unum, ſicut ipſe & Pater. *Ioan. 17. vers. 11.* Hæc verò unitas eſt ſecundùm charitatem Dei in Patriâ eatenus conſummatam, ut Divinitatis *Intuitivè* viſæ habeant ſummam propter ſe appretiationem, vi cujus appretiationis eatenus ſit ſuperadimpleta animæ commenſuratio, ut conſequenter ſummâ afficiatur erga Deum delectatione & lætitiâ; Chriſto Domino *cit. Ioan. 17. vers. 13.* id inſinuante hiſce verbis: *Nunc autem ad te venio, & hæc loquor in mundo, ut habeant Gaudium meum impletum in ſemetipſis.* Hoc igitur gaudium ac delectatio, quâ Beati tripudiant in Deo à ſe clarè viſo ac poſſeſſo, omnimodæ voluntati inexiſtentis capacitatis per ſuam infinitam Bonitatem adimpletivo, eſt, quam Chriſtus in animabus à ſe electis ſpecialiter intendit, tanquam ornatum Nuptijs ſuis dignum. At hæc ipſa Delectatio amicitiæ eſt conſummatio charitatis Theologicæ, reſpiciens pro objecto unicam Divinæ Bonitatis Eſſentiam, non qua animæ Beatæ bonum, ſed quà in ſe ex infinitâ ſuâ perfectione propter ſemetipſam ſummè appretiabilem, actione viſionis Dei ad illam ſe habente per modum conditionis duntaxat, non autem per modum partialis objecti. Hanc igitur conſummationem Charitatis, ſicut Chriſtus in animabus Electis efficaciter deſideravit, ſic propter eandem jam poſſeſſam amoroſæ conjunctionis ſuæ affectu eatenus adamat animas, ut dilectio, quâ Pater dilexit Chriſtum, ſit in ipſis, & conſequenter ipſemet etiam Chriſtus per Matrimonium conſummatum ſit in eis. *ex cit. Ioann. 10. v. 26.* Conſequens proinde eſt, in illo amore ac delectatione amicitiæ rectè conſtitui Dotem Delectationis ac Fruitionis, utpote animæ taliter perfectivam & adornativam, ut cum reliquis Dotibus ſit aliqualiter Motivum Chriſti erga animas Beatas amoris excitativum.

Reſponſio ad oppoſita Fundamenta.

AD Primum Ioannis à Sancto Thomâ *n. 3.* oppoſitum fundamentum Reſpondetur. 26.
Eo ipſo, quòd Dos animæ Beatæ *Apocalyp. 21.* dicatur claritas Dei, oportere, illam conſiſtere non in habituali lumine, ſed actuali viſione Gloriæ, mediante quâ anima circumdatur Eſſentiæ Divinæ increata claritate tanquàm Formâ intelligibili, habetque ſibi unitum Divinitatis lumen incircumſcriptum, in quo tanquàm veſtitu deaurato ornata viro ſuo Chriſto aſſiſtit.

Ad ſecundum *n. 4.* oppoſitum Reſpondetur. Dotes animæ Glorioſæ conſiderari poſſe 27.
vel in ordine ad Deum, cui anima per viſionem & amorem Beatificum deſponſatur. Ut ſic autem convenire etiam Angelis in Divinitatis thorum aſſumptis per viſionis Beatificæ, & amoris cum Deo unionem. Cui proinde ſpiritualis Matrimonij cum Deo conjunctioni per modum Dotis præcedere lumen Gloriæ, & Charitatis habitum infuſum. Vel Dotes animæ glorioſæ poſſe conſiderari in ordine ad ſpirituale cum Chriſto homine Matrimonium. Ut ſic autem proximam hujus Matrimonij conſummandi Dotem eſſe viſionem & Delectationem Beatificam tum concupiſcentiæ, tum Amicitiæ quà exemplatam ex Chriſti humanitate, in viâ

in viâ quidem mediante fide, spe, & Charitate præparatam, sed consummatam in Gloriâ cœlesti. Quâ ratione Dotes convenire solis animabus Christi sanguine redemptis, non verò Angelis; eo ipso, quòd neque visio, neque amor & Delectatio Beatifica Angelorum fluxerit ex præparatione Christi hominis, utpote in cujus meritis, ac voluntariâ præelectione sola hominum, non verò Angelorum Gloria sit fundata. Unde Christus homo animas electas specialiter diligit tanquàm sanguinis sui efficaciâ ornatas, sibique ut sic desponsatas.
28. Juxta quam proinde Doris distinctionem optimè concordare sibi Sanctum Thomam. Nam *3. p. in supplemento. q. 95. a. 12.* ponens animæ Gloriosæ Dotes in luminis Gloriæ & Charitatis habitibus, censendus est, loqui in ordine ad Matrimonium cum Deo, visione & amore Beatifico mediante, consummandum; ad cujusmodi consummationem dispositiones proximè habilitantes sunt prætacti habitus: Econtra verò *in 1. 2. q. 4. a. 3.* animæ Gloriosæ Dotes constituens in actuali Dei visione, comprehensione, ac Delectatione, censendus est, loqui in ordine ad Matrimonium animæ Gloriosæ cum Christo consummandum: ad cujusmodi consumationem dispositiones proximè habilitantes esse illos actus, quâ ex Christi præelectione à Patre æterno prædefinitos, ac ex Christi humanitate exemplatos, præparatos & consummatos; constat ex dictis.

29. Ad *n. 5.* oppositum Respondetur. Concessâ majore, distinguendo Minorem. Nam visio ac dilectio Dei sunt quidem consummatio Matrimonij cum Divinitate, non autem humanitate Christi. Unde respectu Matrimonij cum Christo consummati omninò se habere possunt tanquam Dotes, ut supra dictum.

30. Ad *n. 6.* oppositum Respondetur. Illo rectè probari, quòd ille Habitualis Claritatis Divinæ status sit Dos respectu Matrimonij cum Divinitate per actualem visionem consummandi, licèt respectu Matrimonij cum Christi Humanitate consummandi ipsamet actualis visio Dei habeat rationem Dotis.

31. Ad *n. 7.* oppositum Respondetur. Per Charitatem in patriâ firmatam esse quidem Habitualem omnia, quæ voluerit anima, in Deo tanquàm summo bono, absque ullâ lubricitatis, aut contingentiæ defectibilitate possidendi Firmitatem ac Fortitudinem indefectibilem: quam ut sic proximè disponere ad amorosam Concupiscentiæ cum Deo tanquàm summo animæ Bono conjunctionem, habereque adeò rationem Dotis respectu Matrimonii cum Deo quà Beatifico animæ Bono in voluntate etiam consummandi: attamen Fortitudinem Voluntatis actualiter in summo animæ Bono per modum imobilis Tentionis corroborativam esse ipsammet erga Deum clarè visum concupiscentiæ Delectationem, quam, prout ex Christi hominis tum Exemplabilitate, tum meritorum ipsius efficaciâ ac præelectione voluntariâ est derivata, esse Christi humanitati aliquod incentivum ad amorosam cum animâ Gloriosâ Concupiscentiæ conjunctionem. In quâ proinde ex Christo exemplatâ, & per spem præparatâ, per Gloriam autem consummatâ concupiscentiæ erga Deum clarè visum Delectatione consistere animæ Dotem ad Spirituale cum Christo Matrimonium dispositivam.

Ad *n. 8.* oppositum Respondetur. Statum habendi in omnibus ex fruitione Dei voluptatem, & absque ullo dolore ac timore vivendi facultatem, habitualiter esse per habitum Charitatis in patriâ consummatæ, sed actualiter esse ex ipsomet amicitiæ erga Deum clarè visum amore ac Delectatione actuali, voluntatis capacitatem *supereminenter* adimpletivâ & satiativâ. In quâ proinde Delectatione actuali ita consistere Matrimonij cum Divinitate quà Bonitatis Essentiâ propter se infinitè appretiabili consummationem, ut hæc ipsa tamen consummatio ex Christi præelectione ac exemplatione derivata habeat rationem Dotis, respectu conjugij per amorosam cum Christo conjunctionem plenè consummandi. 32.

CONTROVERSIA II.

Quales sint Corporis Gloriosi Dotes?

SPonsæ Christi tanquàm Filiæ Regis Gloria non erit tantùm ab intus, sed etiam in fimbrijs aureis fulgebit per Gloriosi Corporis Dotes, Impassibilitatem nimirum, Agilitatem, Claritatem, & Subtilitatem, juxta illud. *1. Corinth. 15. Surget in Gloria*, id est, in claritate, *Surget in virtute*, id est in Impassibilitate, *Surget Corpus Spirituale*, id est subtile & agile. De Dote Impassibilitatis *cit. cap. 15. ad Corinth.* habetur. *Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem.* De Dote Agilitatis *Isaia 40.* Quòd Sancti *assument pennas ut aquilæ, current, & non laborabunt, ambulabunt, & non deficient.* Hinc dicitur etiam *Sapient. 3. Fulgebunt Iusti, & tanquam scintillæ in arundineto discurrent.* De Dote Claritatis *Matth. 13. Tunc fulgebunt justi, sicut sol in regno Patris eorum.* De Dote Subtilitatis *1. ad Corinth. 15. Seminatur corpus animale, surget corpus spirituale.* Has quatuor Gloriosi corporis Dotes assignandi ratio desumitur 1. ex conformitate cum Christo, juxta illud *ad Philip. 3. Qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum Corpori claritatis suæ.* Atqui Christus non in suo duntaxat immortali corpore post resurrectionem, sed in corpore etiam mortali illas quatuor Dotes ostendit, *Impassibilitatem* quidem, cùm jejunâsset quadraginta diebus, & noctibus *Matth. 4. Subtilitatem*, cùm nasceretur ex Virgine, Virginitatis Claustro inviolato: *Agilitatem*, cùm incederet supra mare. *Claritatem*, cùm transfiguraretur in monte. 2. Corpus animæ Beatæ unitum debet huic adaptari secundùm statum tam Essendi, quàm operandi: sicut ergo status Beatitudinis requirit æternitatem in Essendo, sic consequenter Corpus animæ Beatæ unitum debet habere immortalitatem. Deinde, ut Corpus adaptetur animæ beatæ tanquàm principio motûs, debet habere agilitatem, vi cuius fiat habile ad quemcumque velocissimum motum. Insuper ut impedimentum ad omnem localem motum tollatur, debet habere Dotem Subtilitatis. Denique ut congruè inserviat sensationibus ab animâ in

mâ in statu Beatitudinis eliciendis, debet habere Dotem claritatis.

5. De quibus proinde quatuor Gloriosi Corporis Dotibus Virgæ Aaronicæ *germinanti*, ut sic perpetuam quandam pullulationem seu *immortalitem* designanti, *Frondenti*, ut sic frondiũ Mobilitate *Agilitatem* significanti, *Florenti*, ut sic ex florum subtilitate Dotem *Subtilitatis* designanti, ac deniq; *Fructificanti*, ut sic *Claritatem* tanquàm ultimũm Decoris complementum significanti comparatis, difficultas hîc examinanda superest, *In quo consistant, & ex quo oriantur?*

Referuntur Sententiæ.

6. Circa Dotem Impassibilitatis Scotus *in 4. dist. 49. q. 13. n. 9.* Major *q. 7.* Durandus *dist. 44. q. 4. Supplem.* tenent, ipsam consistere in Extrinsecâ protectione Dei non Coagentis cum causis secundis ad corruptionem, vel alterationem talium corporum, eo prorsus modo, quo Deus non coagebat cum igne Babylonico ad comburenda corpora trium puerorum.

7. Alij à Sancto Thomâ *dist. 49. q. 2. a. 1. & 3. p. in supplem. q. 82. a. 1.* refutati existimabant, elementa remanere quidem in corporibus gloriosis quoad substantiam, non verò quoad Qualitates contrarias, vel saltem quoad qualitatum ejusmodi actionem, ac reactionem, seu repassionem.

8. Alij per Divum Thomam rejecti sentiunt, præter Elementa quintam, Cæli nimirum, Essentiam intrare in compositionem corporis humani, cui modò quidem prævaleant portiones elementales, ex quibus sit radix corruptionis: sed post resurrectionem fore, ut prævaleat illa quintæ Essentiæ portio, atque hinc corpus redditum iri immortale ac impassibile.

9. Divus Thomas *in 4. dist. 44. q. 2. a. 1.* Capreolus *q. 2. a. 3.* Sotus *dist. 49. q. 4. a. 5.* Suarez *3. p. to. 2. disp. 48. sect. 3.* Amicus *hic disp. 2. n. 193.* Ioannes à Sancto Thomâ *cit. a. 9. n. 10.* Impassibilitatem corporum Gloriosorum collocant in aliquo intrinseco. Quam porro intrinsecam corporis Gloriosi qualitatem oriri ex animæ Beatæ super Corpus sibi unitum Dominio, censet Sanctus Thomas *3. p. in supplem. q. 28. ar. 1.* Ægidius verò à Præsentatione *de Beatitudine. lib. 5. q. 3. a. 35.* cum alijs tenet, esse à Deo impressam. Amicus denique *cit. disp. 2. n. 195.* arbitratur, impassibilitatem in corpore Glorioso esse per hoc, quòd nativum Temperamentum *Effectivè* conservetur contra quæcumque extrinseca agentia. Hoc autem fieri mediante intrinsecâ Corporis virtute per qualitatem à Deo superadditam, aut per ipsummet corpus, & nativum ipsius temperamentum tanquàm instrumentum obedientiale elevatum ad omnes extrinsecas qualitates contrarias *Effectivè* impediendas.

10. Circa dotem Agilitatis Durandus *in 4. dist. 44. q. 7.* existimat, eam solummodò esse respectu motûs organici, ac progressivi, ita ut corpus Gloriosum non aliam sit habiturum potentiam motivam, quàm habeat corpus mortale. Econtrario Theologi communiter tenent, in Beatis fore potentiam ad motum etiam simplicem delativum, quo valeant sua corpora per aera uno quasi impetu movere ac librare.

Quam porrò potentiam Scotus *in 4. dist. 49. q. 14. n. 15.* putat, esse sine quocumque supernaturali addito corpori vel animæ, non enim opus esse ex parte animæ, nisi quòd virtus motiva fiat perfectior, & quòd resistentia ex parte corporis tollatur: quod utrumque fieri posse sine supernaturali addito.

Sotus *in 4. dist. 49. q. 4. a. 7. post 1. concl.* ponit illam in extrinsecâ Dei virtute Beatis taliter assistente, ut juxta libitum eorum concurrat ad omnem motum, quò se movere voluerint.

Divus Thomas *in 4. dist. 44. q. 2. a. 3. & 3. p. in supplem. q. 84. a. 1.* Ioannes à Sancto Thomâ *cit. a. 9. n. 50.* Dotem Agilitatis constituunt in qualitate corpori intrinsecâ causatâ ex animæ Gloriâ.

Circa Dotem Subtilitatis Durandus *in 4. dist. 44. q. 5.* arbitratur, consistere in puritate sensitivarum operationũ, ut nihil eas vel leviter obfuscare possit, nec crassities, nec impuritas spirituum animalium, sicuti fit in corpore Mortali; juxta illud *Sap. 9. Corpus, quod corrumpitur, aggravat animam, & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem.* Econtra Amicus *cit. disp. 2. à n. 198.* cum alijs ponit Dotem Subtilitatis in vi penetrativâ Corporis Gloriosi cum alijs corporibus. Hanc porrò vim penetrativam Amicus *citatus n. 20.* constituit in sublatione extensionis localis è corpore Glorioso, Scotus autem *in 4. dist. 49. q. 16. n. 19. in fine* collocat tum in assistentiâ extrinsecâ Dei *efficienter* ponentis corpus penetrativè cum alio corpore, tum in jure intrinseco, debito corpori quà informato animâ beatâ, ad coexistendum pro istius libitu in eodem loco cum alio corpore. Suarez verò *3. p. to. 2. disp. 48. sect. 5.* eam ponit in ipsâ entitate corporis, quatenus per modum instrumenti Dei obedientialiter concurrit ad effectum penetrationis cum corpore, idque pro libitu Beati. 11.

12. Verùm Ioannes à Sancto Thomâ *cit. a. 9. n. 36.* ex mente sancti Thomæ, ejusque discipulorum considerat Dotem subtilitatis tum *Quantitativè*, tum *Qualitativè*. Juxta priorem considerationem asserit, eam importare vim penetrativam cum alijs corporibus: juxta posteriorem verò considerationem affirmat, eam consistere in purificatione ac segregatione ab eo, quod est grossum ac imperfectum proveniens communiter à qualitatibus seu corporibus extraneis, quæ miscentur, & ingrossant, ac imperficiunt. Quare subtilitatis Dotem author *citatus n. 39.* ait: *per se ac physicè* non dari ad penetrationem efficiendam cum alijs corporibus, sed ad purificandum & defæcandum corpora ab omni extraneo imperficiente, quæ est subtibilitas qualificativa, per quam materia manet perfectè subjecta, & terminata à suâ Formâ sine admixione extranei impuri: *Secundariò* tamen & *quasi modo morali* subtilitatis Dotem dari ad penetrationem cum alijs corporibus, quatenus ad ejus præsentiam & in signum talis Dotis præstabitur illa penetratio à Deo ad voluntatem beati.

13. Circa Dotem Claritatis non magna est difficultas in hoc, quòd corpora Gloriosa habeant lucem in se receptam. Verùm controvertitur, an sint transparentia ac perlucida. Nam videtur id negare Scotus *in 4. cit. dist. 49. q. 15. n. 13.* & Divus Bonaventura *ead. dist. p. 2. a. 2. q. 1.* Econtra affirmat Divus Thomas *in 4. dist. 44. q. 2. a. 4. quæsti-*

queſtiuncula 1. ad 2. & 3. p. in ſupplem. q. 85. a. 1. ad 1. Quam porro lucem eſſe ejuſdem ſpeciei cum noſtrate, eſſeque adeò viſibilem ab oculo etiam non glorificato, Sanctus Doctor *cit. q. a. 2. in corp. & ad 1.* aſſerit. Econtrario negat Richardus *in 4. diſt. 49. a. 4. q. 6. §. ad argum.*

CONCLUSIO I.

DOs Impaſſibilitatis Formaliter importat vim ſuſtentativã nativi Corporum Glorioſorum Temperamenti ex animæ Gloriâ redundantem, atque illius Dominio eatenus ſubjectam, ut mediante animæ imperio fiat perpetua Temperamenti ejuſmodi conſervatio, nec adeò in Corpore Glorioſo fieri poſſit aliqua alteratio.

14. Probatur. Sicut enim Corpus Chriſti latens ſub ſpeciebus Euchariſticis habet vim iſtorum accidentium ſuſtentativam, ſic dici debet, Corpori Glorioſo ineſſe Temperamenti ſui naturalis vim ſuſtentativam. At licèt Chriſtus in Euchariſtiâ *ordinariè* nolit illâ vi ſuſtentativâ in tantum uti, quin agenti ſpecierum Euchariſticarum virtutem naturalem ſuperanti cedat ob fidei noſtræ meritum, ne alioquin ex miraculoſâ ſpecierum illarum conſervatione pateſiat Chriſti præſentia, atque adeò fides inde evacuetur. Nihilominùs anima per viſionem Dei glorificata *Connaturaliter* exigit ſubſtantialiter conjungi ſeu uniri corpori. Eo ipſo autem, quòd
15. anima tunc ſit in ſtatu Beatitudinis omnium Bonorum aggregatione perfecto, debet habere vim iſtius unionis effectivam. Unde Chriſtus *Joan. 10.* ait, *Poteſtatem habeo iterum ſumendi eam*, ſcilicet animam. At hæc ipſa poteſtas reaſſumendi animam conveniebat Chriſto quà homini, quæ poſt mortem reſidebat in animâ. Probatur
16. iſtud aſſumptum. Nam illa poteſtas fuit iſtis verbis à Chriſto expoſita. *Propterea diligit me Pater, quia ego pono animam meam, ut iterum ſumam eam. Nemo tollit eam à me: ſed ego pono eam à me ipſo, & poteſtatem habeo ponendi eam: & poteſtatem habeo iterum ſumendi eam: Hoc mandatum accepi à Patre. ex cit. 10. Ioannis capite.* At Chriſtus non ut Deus, ſed ut homo accepit mandatum à Patre, neque animam paſſus eſt tolli à Verbo Divino, ſed à ſe quà homine. Illa igitur verba ſunt de Chriſto quà homine. Unde in Dominio Chriſti hominis erat ponendi, vel non ponendi animam, eratque in ipſius animæ poteſtate, reaſſumendi ſeu
17. *Effectivè* ipſam reuniendi corpori. Hoc ipſum verò Dominium non ponendi animam actu exhibuit Chriſtus per hoc, quòd citra ſalutis corporalis diſpendium 40. diebus, & 40. noctibus jejunârit, & poſteà primum eſurierit. *Matth. 4.* Hoc autem factum eſt per hoc, quòd per illos quadraginta dies vi ſuâ ſuſtentativâ Corporis ſui diſpoſitionem in connaturali ſuâ temperie tenuerit. Ex hoc autem factum eſt, ut nulla corporis alteratio, vi cujus una primarum qualitatũ alteri prædominaretur, fuerit facta, niſi poſt abſolutos illos quadraginta dies, quibus finitis, calore naturali prædominari incipiente, poſteà eſu-
18. rijt. At verò per hoc ipſum, quòd Chriſtus homo talem habuerit poteſtatem ponendi animã, ut partim animæ ſeparatio, partim ejus reunio eſſet in libero ejus Dominio, inſinuatur Dos Impaſſibilitatis, vi cujus ſibi *connaturaliter* competentis in primo conceptionis inſtanti potuiſſet eligere vitam immortalem, & omninò impaſſibilem; Illa autem vis animam partim reuniendi corpori, partim unionem ejuſmodi pro libitu conſervandi, erat virtus innati Corpori Temperamenti, nec non unitivæ actionis effectiva. In quâ proinde virtute effectivâ rectè ponitur Dos impaſſibilitatis Beatorum.

Probatur iſtud aſſumptum. Etenim homi- 19.
nũ quoad corpora & animas Beatitudo eſt ſecundùm conformitatem cum Chriſto quà homine. Huic autem habenti poteſtatem quibuſvis agentibus naturalibus ſuperiorem, ac de ſe prædominantem, eo ipſo conveniebat impaſſibilitas, quòd vi hujus poteſtatis Temperamenti innati *Efficienter* ſuſtentativæ ita immobiliter ſtare poſſet connaturalis Qualitatum Temperies, ut conſequenter nulla iſtius alteratio, ſeu immutatio locum haberet. Etſi verò illius ſuſtentativæ virtutis efficientia eſſet ſubjecta Chriſti Dominio, nulla tamen erat ipſi efficientiam illam cohibendi, atque adeò Temperamenti ſui alterationem permittendi, ipſamque denuò animam ponendi ratio niſi ex mandato Patris liberè per ipſum acceptato. Hæc autem ratio in tantum jam ceſſat in Chriſto reſurgente, ac in Beatis Glorioſè reſurrecturis, ut potiùs videant in Verbo voluntatem Patris de omnimodæ diſſolutionis & alterationis corporis ceſſatione. Unde Beati huic Divinæ Voluntati ſe conformando, dum præſertim animæ etiam Beatæ eſt innatus ad Corporis unionẽ appetitus, dumq; Corporis Glorioſi diſpoſitio ac Temperies eſt in ſuâ omnimodâ perfectione, nullatenus habent voluntatem alicujus in ſe alterationis ab extraneis corporis agentibus permit-
tendæ. Ex hoc autem fit, quòd illa connatura- 20.
lis Temperamenti effectiva & ſuſtentativa virtus ab inſtanti reſurrectionis ſuam Efficientiæ vim ita exerceat continuò tum in illâ temperie Corporis pro primo reſurrectionis inſtanti efficiendâ, & cõſequenter faciendâ Corporis taliter diſpoſiti reunione, tum in eodẽ Temperamento in corpus reviviſcens introducto perpetuò conſervando, ut conſequenter agens contrarium prævalere non poſſit contra illam efficientiæ vim & efficaciam. Conſequens igitur eſt, in illâ Temperamenti effectivâ & ſuſtentativâ, imò animæ etiam cum corpore reunitivâ virtute animæ Beatæ ex ſtatu Beatitudinis inexiſtente, ac inde in corpus ipſi reunitum redundante, rectè conſtitui Dotem impaſſibilitatis.

CONCLUSIO II.

COrporibus Glorioſis non tantùm ineſt naturalis ad progreſſivum & organicum, ſed etiam ſupernaturalis ad quemlibet motum potentia, in quâ conſiſtit Dos Agilitatis.

Probatur. Nam anima unita Corpori ſicut in Eſſendo, ſic in operando ac movendo pendet 21.
à diſpoſitione ac organizatione Corporis. Hæc autem Organizatio eſt ſecundùm determinatam primarum qualitatum temperiem, cui congenita eſt gravitas. At verò potentia locomotiva

illi organizationi commensurata est *intrinsecè* coarctata, ac determinata ad certam organici motûs, ejusque velocitatis ac tarditatis mensuram, cujus metas potentia illa motiva nequit ex se ipsâ egredi. Etsi verò Gloriosorum Corporum de uno ad alium locum translatio non fiat in instanti, uti probat Divus Thomas *3. p. in supplem. q. 84. a. 3.* ipsorum tamen motus est velocissimus, sitque in tempore ob brevitatem quasi imperceptibili: insuper corporibus Gloriosis erit virtus post suâ resurrectionem ascendendi ad cælos, sicut credimus Christum in corpore suo Glorioso ascendisse in cælum. Unde talis vis motiva non est secundùm connaturalem Organizationis de se aggravantis, & ut sic determinantis velocitatis & tarditatis metas, nec non motum progressivum duntaxat fundantis commensurationem. Oportet igitur, in Corporibus Gloriosis præter naturalem locomotivam virtutem ponere supernaturalem ex ipso statu Beatitudinis connaturaliter debitam potentiam, quæ non tantùm independens sit ab Organizatione, sed hujus aggravatione deorsum inclinante sit superior, ac efficacior, ut adeò vi ipsius corpus Gloriosum, superando gravitatem sibi congenitam, possit se librare per aerem, & ambulare supra mare, seque instar quasi fulguris, quàm citissime moverè. In quâ proinde supernaturali vi motivâ consistit Dos Agilitatis.

Conclusio III.

22. QUalificativa Corporum Gloriosorum subtilitas in intrinsecâ à corporibus & qualitatibus extraneis depuratione consistens est quidam quasi effectus Dotis impassibilitatis: subtilitas verò Quantitativa in vi cum alijs corporibus penetrativâ consistens non realiter, sed ratione ratiocinatâ Formaliter distinguitur à Dote Agilitatis.

Probatur. Nam Corporis Gloriosi ab extraneorum Corporum, vel qualitatũ commixtione depuratio est per hoc, quòd Corpus Gloriosum quoad venas & poros suos in primo resurrectionis instanti sit repletum humoribus, sive corpusculis qualitatum Temperiem statui suo congruam habentibus. Hæc autem qualitatum Temperies ex Virtute Dotis impassibilitatis propria eatenus causatur in primo Resurrectionis instanti, ut eadem vis sit corpusculorum illorum, ac inditæ ipsis Temperiei perpetuò conservativa seu sustentativa. Ex hoc autem fit extraneorum corpusculorum & qualitatum à corpore glorioso exclusio ac depuratio omnimoda.
23. Consequens igitur est, Depurationem ejusmodi esse effectum Dotis Impassibilitatis. Deinde vis cum alijs corporibus penetrativa est per hoc, quòd potentia locomotiva non sit dependens tum ab Organizatione, tum ab extensione Quantitativâ. Probatur istud assumptum. Nam ex hoc, quòd Corpus non tantùm sub ratione mobilis, sed etiam sub ratione Motoris sit dependens ab Extensione Quantitativâ, sequitur, potentiam ipsi connaturalem esse ita coarctatam ad ejusmodi Quantitativam Extensionem, ut nequeat hujus intrinsecam exigentiam superare. Est autem Extensionis Quantitativæ in loco terminatæ & adæquatæ intrinseca & connaturalis commensuratio, vi cujus nequeat secum compati aliam in eodem loco Extensionem Quantitativam. At verò virtus locomotiva supernaturalis Doti agilitatis propria est eatenus independens ab Extensione Quantitativâ, ut sit effectrix motûs Organizationẽ Corporis, ejusque Extensionem Quantitativã superantis. Ex hoc autem fit, quòd non obstante unius corporis in aliquo loco terminatâ extensione possit causare sibimet in tali loco ubicationem eo ipso penetrativam cum alio corpore. Constat igitur, vim Corporis Gloriosi cum alijs corporibus penetrativam esse per hoc, quòd potentia ipsius locomotiva non sit dependens, tum ab Organizatione, tum ab Extensione Quantitativâ. Ejusmodi verò supernaturalem locomotivam virtutem esse realiter ipsam Agilitatis Dotem, constat *ex præcedenti concl.* Consequens igitur est, vim penetrativam, adeòque subtilitatem Quantitativam in Corporibus Gloriosis non *realiter*, sed *ratione ratiocinatâ Formaliter* distingui à Dote Agilitatis; siquidem ista ex motu naturales corporis vires superante, illa verò ex penetratione Quantitatis exigentiam connaturalem excedente denominatur.

Conclusio IV.

DOs Claritatis importat in Corpore Glorioso tum Diaphaneitatem naturales ipsius vires excedentem, tum lucem in ipso receptam à nostrate indistinctam specie, atque adeò Naturaliter, si Beatus voluerit, visibilem ab oculo corporeo etiam non glorificato. 24.

Probatur 1. De Diaphaneitate. Nam Gregorius Magnus *lib. 18. in Iob. cap. 27.* super illum versiculum: *Non adæquabitur ei aurum vel vitrum* scribit in hæc verba. *Quid ergo aliud in auro, vel vitro accipimus, nisi illam supremam Patriam, illam beatorum civium societatem, quorum corda sibi invicem & claritate fulgent, & puritate translucent.* Est paulò post. *Patebit corporalibus oculis ipsa etiam corporis harmonia, sicque unusquisque tunc erit conspicabilis sibi.* In quem sensum Divus quoque Augustinus *22. de Civit. cap. ult.* ait: *Omnes illi, qui nunc latent, harmonia Corporalis numeris non latebunt intrinsecus & extrinsecus.*

2. Probatur hanc Diaphaneitatem excedere naturales vires humani corporis, Nam istud retinebit nativum suum colorem, ac effigiem tam 25.
totius corporis, quam singularum partium. In quem sensum Divus Thomas *3. p. q. 54. a 3. ad 1.* ait. Fulgor seu claritas Corporis Gloriosi est secundùm colorem humano corpori naturalem, sicut vitrũ diversimodè coloratu recipit splendorẽ ex illustratione solis secundùm modũ sui coloris. At color definiri solet extremitas perspicui terminati. Hoc autem eo sensu accipiendum est, quatenus color ex attenuatione diaphaneitatis mixtæ cum aliquâ opacitate resultat. Eo ipso autem, quòd corpus Gloriosum sit perfectè diaphanum, potest quidem retinere suam nativam densitatem, siquidem ista optimè stet cum perfectissimâ diaphaneitate, seu transparentia, veluti patet in Chrystallo, Cælo, adamante: attamen opaci-

opacitas opponitur Diaphaneitati, quatenus ista resultat ex corpore puro, illa verò ex crasso ac impuro corpore. Unde corpus humanum non pro quocumque statu, dum præsertim in Resurrectione Gloriosâ erit omninò purum, ac defæcatum & subtile, sed pro statu duntaxat, in quo est crassius & impurius, petit opacitatem tanquàm proprietatem naturalem. Cùm igitur color in suo subjecto supponat aliquam opacitatem, nequit per naturales vires in Corpore Glorioso stare cum summâ Diaphaneitate: ista tamen stabit in corpore ejusmodi per animæ ad Gloriosæ statum elevatæ vim ut sic coloris sui nativi sustentativam, omnimodæque impuritatis impeditivam operationem.

26. 3. Probatur de luce in Corporis Gloriosi non superficie duntaxat, sed partibus etiam interioribus receptâ. Nam licèt Corpus Christi in Transfiguratione circa extremitatem duntaxat, seu superficiem fuerit lucidum: sicut enim Figura est circa extremitatem, seu superficiem, sic Transfiguratio, ceu Figuræ mediâ claritate transmutatio non interiores Christi corporis partes, sed exteriorem duntaxat superficiem afficiebat. Hoc nihilominùs factum est speciali operatione animæ Christi, Lucem & claritatem efficientis in exteriori duntaxat superficie. Verùm eo ipso, quòd corpora Beatorum sint perfectissimè Diaphana, Consequens est, lucis esse susceptiva in partibus etiam interioribus. Unde B. Laurent. Justin. *lib. de discipl. cap. 23.* scribit de Corpore Glorioso. *Nimiâ quòque claritate fulgebit, ita ut solis septies transcendat splendorem, sed ineffabili quodam modo confortabit, clarificabitque, adeò ut viscerum, cæterorumque membrorum harmonia conditoris declaret magisterium admirandum.*

27. 4. Probatur: Lucem Corporis Gloriosi naturaliter esse visibilem ab oculo etiam non glorificato. Hoc enim testatur Sacra Scriptura *1. ad Corinth. 9. Nonne Dominum IESUM ego* (scilicet Paulus Apostolus) *vidi.* Et *cap. 15. Novissimè tanquàm abortivo visus est & mihi.* Hinc Ioannes Apostolus tanquàm oculatus testis splendorem Gloriosi corporis Christi describens ait: *Apocal. 1.* Et *facies ejus sicut sol, cùm lucet in virtute suâ.* Et dicitur *Apocalyps. ult. Videbit eum omnis oculus, & qui* (reprobi scilicet in die judicij) *eum pupugerunt.* Item *Sap. 5. Videntes turbabuntur timore horribili.*

28. 5. Probatur, illâ lucem esse ejusdem speciei cum nostrate, seu cælesti luce. Etenim lux tanquàm objectum motivum ac specificativum se habet ad visum corporeum, sicuti verum ad Intellectum. Unde ratio specifica lucis est una & eadem in omni objecto per modum rationis Formalis *sub Quâ* motivo ac specificativo visûs corporei. Atqui lucem corporis Gloriosi esse visibilem oculo corporeo, patet *ex præcedentibus.* Eo ipso autem, quòd sit taliter visibilis, debet intra Formale visûs corporei specificativum, & saltem per modum rationis *Quæ* Motivum contineri. Ex hoc autem, quòd proprietas verborum Sacræ Scripturæ evincat, esse *simpliciter*, non autem *æquivocè*, seu *analogicè* lucem, infertur, participare illam specificam lucis rationem, secundùm quam per modum rationis Formalis *sub quâ* est Motivum visûs corporei specificativum, esseque adeò naturaliter visibile ab oculo corporeo, etiam non elevato, seu non glorificato. Consequens igitur est, lucem corporis Gloriosi naturaliter visibilem ab oculo corporeo esse ejusdem speciei cum nostrate, seu cælesti luce.

Probatur 6. Hanc lucem eatenus esse in potestate Beati, ut possit illam occultare. Etenim omnes dotes ex animâ Gloriosâ eatenus redundant in corpus, ut quoad exercitium pendeant ab illius imperio. Hoc autem fit, quatenus Qualitas ingenitæ v.g. Temperiei sustentativa, ut sic sanitatis plenitudinem ac vigorem incorruptionis tribuens, eatenus erat in Christi hominis potestate, ut ejus exercitiũ impediendo, redderetur mortalis ac passibilis. At qualitas illa sustentativa per hoc impediebatur à sui exercitio, quatenus Deus illam qualitatem eatenus posuit in potestate animæ Christi, ut istâ nolente, nollet qualitati illi suum præbere concursum effectivum. Pari ergo ratione dicendum est de Dote Claritatis, quòd Corpus Beati ad connaturalem Gloriæ animæ exigentiam ornetur verâ luce; quæ tamen eatenus sit in ejus potestate, ut animâ nolente; Deus non præstet ipsi concursum ad aliquam corporei oculi immutationem, Divo Thomâ *3. p. q. 85. a. 3.* attestante: Quamlibet corporis actionem fore in animæ potestate, ità ut corpus Gloriosum sit instrumentum summè obediens animæ, tanquàm principali agenti. 29.

❋❋❋❋❋❋❋❋❋❋❋)(❋❋❋❋❋❋❋❋❋❋

CONTROVERSIA III.

Quot, & quales dentur aureolæ Beatorum?

NOmine Aureolæ hic venit præmium accidentale Beatorum respondens victoriæ ex heroicis virtutum actibus reportatæ. Solent autem tres numerari, *Doctoratûs* scilicet, respondens victoriæ contra Diabolum, Divinâ Sapientiâ & doctrinâ mediante obtentæ; *Virginitatis*, respondens victoriæ contra carnem, mediante perfectâ continentiâ habitæ; & *Martyrij* denique, respondens victoriæ contra mundum ex morte propter Christum susceptâ reportatæ. De quibus triplex hic moveri potest difficultas. 1. *Cur tres tantummodò aureolæ numerentur in Beatis?* 2. *Quid requiratur ad hoc, ut aliqua ex illis aureolis obtineatur?* 3. *In quo consistant ejusmodi aureolæ?* 1.

Referuntur Sententiæ.

CIrca primam difficultatem ratio dubitandi ex eo moveri potest. Tum quia, si præcipuo actui Fortitudinis aureola Martyrij, & præcipuo actui Temperantiæ aureola Virginitatis, ac denique præcipuo Misericordiæ actui in alijs doctrinam Christianam edocendis sito aureola Doctoratûs respondeat, cur non etiam Heroico præsertim Justitiæ actui responderet aliqua aureola? Tum quia paupertati Evangelicæ respondere aureolam, videtur evinci ex eo, quòd Glossa super illud *Exodi 25. Supra illam facies alterã coronam aureolam*, disserat in hæc verba: Corona aurea additur, cùm per Evangelium his, qui mandata custodiunt, vita æterna promittitur. Et super ista verba *Matth. 19. Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*, ait Glossa. Huic aureola superpo- 2. 3.

 nitur,

nitur, cùm dicitur: Si vis perfectus esse, vade & vende universa, quæ habes, & da pauperibus. Tum quia per virtutem obedientiæ homo consequitur summam Victoriam, seipsum etiam vincendo, seque in omnibus Divinæ voluntati subjiciendo. Si ergo aureola insigni alicui victoriæ ex Heroico Virtutis actu reportatæ respondeat, cur non etiam obedientiæ præsertim voto in aliquâ religione firmatæ debeatur aureola? Tum denique, quia multa sunt virtutum opera supererogatoria, quibus in æternâ Gloriâ respondebunt certa præmia & gaudia accidentalia. Imò præcipuis etiam Ecclesiæ Officijs bene administratis in futurâ Gloriâ convenient specialia præmia, sicuti Christus Officio Apostolatûs sequentem fecit promissionem *Matth.* 19. *Amen dico vobis, quòd vos, qui secuti estis me, in regeneratione, cùm sederit Filius hominis in sede Majestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel.* Cur igitur ejusmodi Gaudia & præmia accidentalia non veniant nomine aureolæ?

4.

5.

6. Circa secundam difficultatem, quantum attinet ad aureolam Virginitatis, Divus Thomas *in* 4. *dist.* 49. *q.* 5. *a.* 3. *q.* 1. duas refert sententias, quarum altera affirmat, aureolam deberi actui virginitatis, ita ut actus servans Virginitatem etiam sine proposito illam continuandi, si sit de numero salvandorum, sit obtenturus aureolam.
7. Altera sententia tenet, deberi aureolam statui virginitatis per Votum firmatæ, vel saltem, uti Ildephonsus Baptista *disp.* 59. *a.* 3. *n.* 278. ex mente Doctoris Angelici arbitratur, per propositum totius vitæ cursum complectens stabilitæ.

8. Circa tertiam difficultatem Divus Thomas *in* 4. *dist.* 49. *q.* 5. *a.* 1. Sotus *ibidem. a.* §. *Est ergo aureola.* Ildephonsus Baptista *cit. disp.* 59. *n.* 220. docent; aureolas consistere in peculiari gaudio, quod habent Beati de suis heroicis operibus, rationem excellentis contra Mundum, Carnem, Diabolum victoriæ habentibus, esseque hoc gaudium distinctum ab illo, quod Beati ex conjunctione ad Deum percipiunt.
9. Econtra Amicus *præs. disp.* 2. *sect.* 15. *n.* 183. existimat, aureolam ex parte animi consistere in aliquâ qualitate spirituali ab accidentali gaudio distinctâ, expressivâ illius victoriæ, quam Beatus contra hoste ex hâc vitâ reportavit, subjectatâ in ipsâ animæ substantiâ, quâ mediante reddatur præ alijs illustrior, ac magis conspicuus in regno cælorum propter majorem cum Christo Capite conformitatem. Ex parte verò corporis consistere in aliquâ qualitate corporeâ suo etiam modo manifestativâ illius victoriæ, quam Beatus de triumphato hoste retulit, subjectatâ in eâ parte corporis, quæ unà cum animâ fuit proximum illius victoriæ reportandæ instrumentum: quâ proinde qualitate reddi corpus præ alijs clarius, illustrius, ac venerabilius, utpote in quo præfulgeat singularis cum gloriosissimo Christi corpore conformitas.

CONCLUSIO I.

TErnarius ex communi Theologorum sententiâ assertus aureolarum numerus omninò tenendus est.

Probatur. Nam Aureolæ nomine venit non quodcumque accidentale præmium, sed quod respondet actui heroico, per quem in certo aliquo pugnæ spiritualis genere reportatur summa victoria. Sunt autem tres humani generis hostes, Caro scilicet, Mundus, & Diabolus. Ac verò sicuti Caro propriæ concupiscentiæ illecebris nititur debellare hominem, sic perfecta contra carnem Victoria consistit in actu heroico appetitum concupiscibilem perfectissimè superante in eâ parte, quæ omnium fortissimè impugnat virtutem. Ejusmodi verò non tam est amor Divitiarum, quàm concupiscentia carnis. Est autem perfecta contra concupiscentiam carnis victoria per Virginitatem. Cùm igitur aureola respondeat perfectissimæ in aliquo genere victoriæ, hæc verò in genere concupiscibilium non tam habeatur ex superato per Evangelicam paupertatem amore Divitiarum, quàm ex devictâ per Virginitatem concupiscentiâ carnis, consequens est, præmium accidentale huic, non verò illi respondens *strictè loquendo* venire nomine aureolæ. 10.
Deinde sicuti Mundus ab Extrinseco impugnans, ab initio quidem illecebris, his verò non succedentibus, solet minis ad partes suæ falsitatis & pravitatis trahendo, impugnare Veritatem ac Virtutem, sic perfecta contra mundum Victoria consummatur in heroico virtutis actu, quo, non attentis quibusvis, quæ mundus inferre potest, malis, persistitur in Divinâ veritate ac Virtute. Etsi verò aliquod mundi superbiæ Spiritu agitati malum sit propriæ voluntatis abnegatio, ejusque ad alienam Dei, ejusque Vicarij voluntatem omnimoda subjectio. Hujus tamen mali victoria non consummatur, nisi per actum fortitudinis, quo mediante per voluntariam tormentorum ad mortem usque tolerantiam persistitur in Bono Virtutis. Unde voluntatis propriæ per obedientiæ Religiosæ votum victoria non est perfectissima in genere appetitûs irascibilis, ut sic propulsantis malum proprij amoris, & amplectentis Bonum arduum conformitatis cum Divinâ Voluntate: sed ejusmodi victoria omninò consummatur, si ex motivo perfectæ cum Divinâ voluntate conformitatis toleretur malum, quod secundùm prudentiam Carnis est omnium maximum, & vi appetitûs irascibilis maximè repellendum. Ejusmodi verò est mors. Cùm igitur Victoria ex parte appetitûs irascibilis perfectissima stet ex morte ob virtutis, seu cum voluntate Divinâ conformitatis motivo toleratâ, consequens est; aureolam appetitui irascibili correspondentem non deberi, nisi actui Fortitudinis, quo mediante ex motivo Virtutis Mors actu suscipitur. 11.
Denique sicut Dæmon ex Angelo lucis ob Intellectûs sui à veritate Dei, & voluntatis à debitâ erga Deum subjectione deviationem, factus Diabolus, insidiatur in partes suas trahere humanum genus, hujus Intellectum falsis contra veritatem Divinam erroribus maculando, ejusque voluntatem à Deo tanquàm Summo Bono ac Fine ultimo avertendo, & ad Bonum creatum inclinando: sic victoria contra Diabolum perfecta obtinetur, quando non proprius duntaxat, sed aliorum etiam Intellectus instruitur veritate Divinâ, quâ mediante & ipse Intellectus perficiatur in se ipso intra Divinum Veritatis æternæ ordinem, à quo descivit Angelus Apostata, & voluntas incitetur ad virtutis 12.

tutis

tutis Bonum Divinum, à quo Angelus apostatando, & ad se ipsum contra Deum se reflectendo, reliquit cælestis Hierarchiæ principatum suum. Unde cùm mediante Divinâ doctrinâ assumantur homines ad ejusmodi cælestis Hierarchiæ, ex quâ pulsus est Sathan, principatum, Diabolus invidiâ actus, semper machinatur suæ falsitatis maculis aspergere humanum genus, itáque deturbare ab illo cælesti principatu. Quare si quisquam hominum hosti illi antiquo se opponens, non suum duntaxat Intellectum instrui faciat Divinâ doctrinâ, sed hujus radios in aliorum quoque mentes effundi faciat, meretur aureolam, seu coronam ex victoriâ contra hostem Divinæ rationis ac Disciplinæ expugnatorem
13. perpetuum obtentâ. Constat proinde, ternarium aureolarum numerum in Beatis rectè adstrui tum ex triplici contra triplicem humani generis hostē victoriâ consummatâ, tum ex animæ portionū, appetitûs scilicet tum concupiscibilis, tum irascibilis & partis rationalis per virtutes infusas ac Spiritûs Sancti Dona ad illam trinâ consummatam victoriam reducendarum ternario
14. numero. Unde patet etiam responsio ad ea, quæ *n. 2.* opposita sunt. Etsi enim singularum virtutum actus Heroici habeant sua in cælis præmia & gaudia accidentalia, nulla tamen ex actu virtutis victoria in certo portionis vel Concupiscibilis, vel Irascibilis, vel rationalis genere consummatur, nisi aut per Virginitatem, aut per Martyrium, aut per Disciplinæ Divinæ Doctoratum. Hinc quamvis Glossa ibi citata probet, pauper-
15. tati Evangelicæ respondere speciale præmium accidentale, quod *latè loquendo* veniat nomine aureolæ, *strictè* tamen illud præmium non dicitur aureola, eò quòd hæc sit præmium accidentale respondens victoriæ in aliquo pugnæ spiritualis genere perfectissimæ. Est autem manifestum, quòd amor Divitiarum ad portionē concupiscibilem spectans habeat supra se concupiscentiam Carnis, ut adeò victoria contra hanc mediante Virginitate, non contra illum mediante Evangelicâ paupertate, obtenta mereatur aureolam *strictè* sumptam: sicut etiam obedientiæ in genere portionis Irascibilis habenti rationem victoriæ tantùm inchoatæ non nisi *latè* respondet aureola, sed ista *strictè loquendo* reservatur actui fortitudinis ad mortis usque tolerantiam in obedientiâ, seu virtute Divinitùs imperatâ firmantis.

Conclusio II.

Ad aureolam Virginitatis obtinendam requiruntur sequentes conditiones.

1. Ut perpetua corporis incorruptio servetur usque ad Finem vitæ, non tantùm actu, sed ex proposito. ex S. Thomâ *in 4. dist. 49. q. 5. a. 3. q. 1.*

16. Ratio petitur ex Sancto Augustino *lib. de virginit. cap. 13.* definiente Virginitatem, quòd sit in carne Corruptibili incorruptionis perpetua meditatio, id est, propositum perpetuò continendi. Unde citatus Sanctus Ecclesiæ Doctor ait: quòd Virginitas sit continentia, quâ integritas carnis ipsi Creatori animæ & carnis vovetur,
17. consecratur, servatur. Nihilominùs 2. ista Divi Augustini verba non ita accipienda sunt, quasi ad aureolam Virginitatis prærequiratur votum, sed nomine voti ibi venit propositum perpetuæ continentiæ. ex S. Thomâ *citato*. Ratio est. Quia aureola Virginitatis respondet Virtuti Castitatis. Hujus autem perfecta victoria stare potest sine voto, utpote cujus ratio non se tenet intra lineam Castitatis, sed elevat ad lineam Religionis. Hinc 3. Filia Iephte flens suam Virginitatem, imò & Abel habens, si supervixisset, nubendi præceptum, quia Virginitatis propositum non habuerunt, non potiuntur aureolâ Virginitatis. Quinimò Innocentes Martyres (de quibus Ecclesia canit illud *Apocalypsis. Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati: Virgines enim sunt, & sequuntur agnum quocumque ierit*) non tam strictam Virginitatis aureolam habere intelligendi sunt, quàm de carnis incorruptione quoddam gaudium, quod *latè loquendo* venit nomine aureolæ. ex S. Thomâ *ubi suprà*. Nihilominùs 4. Beatissima
Virgo, licèt propter perfectam suā Sanctificationē 18.
fuerit immunis ab inclinatione fomitis, nec adeò Virginitatis pugnam habuerit à Carne, non tamen caruit aureolâ. ex Divo Tho. *cit. q. 1. ad 2.* Ratio est. Tum quia, si pugna cum contrarijs passionibus cesset ex heroico gradu gratiæ & virtutis, non tollitur, sed cumulatur præmium; Tum quia sicuti Christus *Matth. 4. & Luca 4.* legitur tentatus à Diabolo, sic Beatissima pugnam pro Virginitate conservandâ habuit per tenta-
tionem, quæ erat à Diabolo. 5. Tametsi An- 19.
geli, utpote per naturam incapaces pugnæ contra carnem, non habeant Virginitatis aureolam, secus tamen est in frigidis & Evnuchis, qui solùm per accidens destituuntur facultate generandi: hos enim si voluntatem habeant, etiamsi forent potentes, servandi Virginitatem, potiri hujus aureolâ, docet S. Thomas *citatus ad 9.* Ratio est. Tum quia impugnari possunt à Dæmone ad coeundum. Tum quia si naturæ non repugnet actus aliquis, sed hujus facultas in aliquo individuo tantùm per accidens deest, potest quis ex necessitate facere virtutem. 6. Etsi propositum
de servandâ Virginitate interno voluntatis actu 20.
interruptum eatenus reparari possit per pœnitentiam, ut aureolâ Virginitatis potiri liceat restauranti illud propositum, carnísque integritatem usque ad vitæ finem illibatè servanti. Secus tamen est de illo, qui corporis corruptionem volens passus est. Ratio est. Quia aureola Virginitatis describitur illis verbis *Esaia 56. Non dicat Evnuchus. Ecce ego lignum aridum. Quia hæc dicit Dominus Evnuchis, qui custodierint Sabbatha mea, & elegerint, quæ ego volui, & tenuerint fœdus meum, dabo ejs in domo meâ, & in muris meis locum, & nomen melius à filijs & filiabus, nomen sempiternum dabo ejs, quod non peribit.* At verò iste sacer textus accipiendus est de Evnuchis voluntarijs, de quibus Christus *Matth. 19.* ait. *Sunt Evnuchi, qui se ipsos castraverunt propter Regnum cælorum.* Qui proinde Evnuchi voluntarij veniunt nomine castæ illius generationis, de quâ *Sap. 4.* dicitur. *O quàm pulchra est casta generatio cum claritate, immortalis est enim memoria illius, quoniam apud Deum nota est, & apud homines. Cùm præsens est, imitantur illam & desiderant eam, cùm se eduxerit & in perpetuum coronata triumphat incoinquinatorum præmium vincens.*
7. Denique aureola Virginitatis non perdi- 21.

tur ex

tur ex involuntariâ & violentâ corporis corruptione, juxta illud Beatæ Luciæ effatum. *Si me invitam jusseris violari, Castitas mihi duplicabitur ad coronam*, id est, manente Virginitatis aureolâ superaddetur alterum toleratæ propter Deum violentiæ præmium. Nec obstant verba *Apocalyps. 14.* ubi Virginitatis aureola centum quadraginta quatuor millibus, nomen Agni, & nomen Patris sui in frontibus descriptum habentibus promissa describitur per hoc, quòd ij, qui cùm mulieribus non sunt coinquinati, specialem cum Agno, ipsum, quocunque ierit sequendo, familiaritatem habentes, ante sedem Dei, & ante quatuor animalia & seniores dicant canticum, id est, speciale carnis incorruptæ gaudium exhibeant, quod nemo nisi Virgines valeant exhibere. Etenim illa Apocalypseos verba exponenda sunt de non coinquinatione voluntariâ, atque adeò de Virginitate non amissâ per voluntarium seu liberum consensum.

Conclusio III.

Ad aureolam Doctoratûs sequentes requiruntur conditiones.

22. 1. Non continget illis, qui citra tamen exercitium sublimi pollent Doctrinâ, vel alios in Divinis instruendi habent officium; veluti Prælati, sed qui actu frequentato docent alios salutarem, ac Divinam Doctrinam.

Ratio est. Quia aureola Doctoratûs describitur illis verbis *Dan. 12. Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti, & qui ad Justitiam erudiunt multos, quasi stella in æternitates perpetuas.* In quibus verbis notandum venit, illos, qui circa res Divnas docti fuerint, ac ejusmodi Doctrinas Divinas opere exhibuerint, fore fulgentes quasi splendorem firmamenti, qui verò Doctrinam ejusmodi alijs communicaverint, multos erudiendo ad Justitiam, respectu aliorum Beatorum tantum excessuros in claritate Gloriæ, quantum stellæ lux differt à splendore firmamenti. At per istum excessum intelligitur aureola illis promissa, qui multos, actu adeò frequentato erudiunt non ad doctrinas philosophicas, ac publicas, sed ad Justitiam Dei supernaturalem. His ergo duntaxat debetur aureola Doctoratûs. Unde Paulus Apostolus illos, quos per verbum Dei lucrando ad fidem, habebat Causam sibi merendi Doctoratûs aureolam, in sensu quasi Causali vocat coronam suam, juxta illud *Philipp. 4. Fratres mei charissimi & desideratissimi, gaudium meum, & corona mea.* Et *1. ad Thessalonic. 2. Quæ est enim nostra spes, aut gaudium, aut corona Gloriæ. Nonne vos ante Dominum nostrum Iesum Christum estis in adventu ejus: vos estis gloria nostra, & gaudium.*

23. 2. Requiritur, illos, qui alios ad Justitiam Dei erudiunt, hanc in se ipsis exercere, tum rectâ intentione prædicando, & docendo Divina Mysteria, tum opere implendo, quæ divinitùs præcepta sunt. Ratio est. Nam qui fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in Regno cælorum. Hæc autem magnitudo non tam est intelligenda quoad præmium Essentiale, in quo excellere potest, qui non agit vitam activam, alios in Divinis instruendo, sed contemplativam duntaxat, quàm de præmio accidentali, seu aureolâ Doctoratûs. Unde ad istam consequendam requiritur tum actualis ad justitiam instructio, tum recta intentio, tum Doctrinæ divinæ in opere exhibitio. Quæ omnia Divus Petrus *1. cap. 2.* expressit sequentibus verbis: *Pascite, qui in vobis est, gregem Dei, providentes non coactè, sed spontaneè secundum Deum: neque turpis lucri gratiâ, sed voluntariè: neq; ut dominantes in cleris, sed forma facta gregis ex animo, & cùm apparuerit princeps pastorum, percipietis immarcescibilem gloriæ coronam.* 3. Aureola Doctoratûs in hoc videtur 24.
Præexcellenter convenire Virgini Deiparæ, quòd veritates aliquas Divinas à Filio perceptas Divino, quo agebatur Spiritu, communicarit Apostolis, ac hisce mediantibus universæ Ecclesiæ.

Conclusio IV.

Ad aureolam Martyrij requiruntur sequentes conditiones.

Prima est mors actu secuta, vel secutura, nisi miraculosè impediretur: veluti Sanctus Ioannes Apostolus in ferventis olei dolium missus, sed Divinitùs præservatus ab Ecclesiâ colitur ut Martyr.

Ratio est. Quia Martyrij prærogativa hisce Christi Domini verbis explicatur. *Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam.* At 25.
vitæ propter Christum perditio importat mortem saltem in Causâ proximâ. Unde in instanti, quo infligitur vulnus lethale, ex quo naturaliter esset mors secutura, jam censetur Martyrium in substantiâ consummatum ad gratiam in Martyre causandam ex opere operato. ex S. Thomâ *in 4. dist. 49. q. 5. a. 3. q. 2. ad 2.* E- 26.
contra verò si quis propter confessionem Christi passus sit Bonorum duntaxat temporalium rapinam, vel carcerem, nisi ex hujus squalore mors sequatur, licèt speciale in cælis præmium accidentale sit obtenturus, hoc tamen præmium necdum accedit ad perfectionem aureolæ subsequentis perfectam in genere Boni ardui per appetitum irascibilem, seu fortitudinis actum superandi victoriam; cujusmodi victoria perficitur per mortem ex virtutis supernaturalis motivo susceptam. Secunda conditio im- 27.
portat Causam Marytrij, cujusmodi est fidei veritas non solùm corde credita, sed per exteriorem confessionem manifestata. Neque verò opus est, ut ista fidei protestatio sit verbis expressa, sed sufficit fieri ipso facto, adeò, ut quarumlibet virtutum opera, quatenus referuntur in Deum ceu supernaturalem, sive fide creditum auctorem, sint sufficiens causa Martyrij perfecti. ex S. Thomâ *2. 2. q. 124. a. 5. & in 4. dist. 49. q. 5. a. 3. q. 2. in fine corp. & ad 9.* Ratio est. Nam prærogativa Martyrij à Christo Domino exponitur istis verbis. *Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo.* At protestatio fidei in Christum non tantùm fit verbis, sed etiam factis, juxta illud *Iacobi 2. Ego ostendam tibi ex operibus fidem meam.* Unde *Matth. 5.* simpliciter dicuntur Beati, qui persecutionem patiuntur propter Iustitiam, in consortium Divinæ naturæ reformativam, quæ non complectitur fidem duntaxat, sed quamlibet virtutem infusam & supernaturalem. Ergo mors ex cujuslibet talis virtutis, non autem ex virtutis naturalis v.

g. ob

g. ob patriæ defensionem suscepta habet Martyrij prærogativam. Hinc si alicui Divinitùs fiat revelatio de morte per latrones inferendâ, cui Revelationi sanctus ille fide Divinâ propter veracitatem Dei assentiendo, se in voluntatem Dei ex hujus perfectissimo amore resignet, atque in hâc resignatione obviam procedat latronibus, operibus Charitatis hos excipiendo, eisque ad Divinæ Revelationis confessionem & voluntatis Divinæ sibi à Deo manifestatæ Religiosam adimpletionem, amorisque ergaDeum perfecti testificationem, se subijciendo ad tormenta, imò ad ipsam usque mortem patienter ac fortiter tolerandam, nihil sanè desiderari potest, quin sanctus ejusmodi sortiatur Martyrij prærogativam: veluti Sanctus MEINRADUS ex illo fidei per specialem à Deo revelationem in se excitatæ, nec non sui ad mortem usque erga Deum ex perfectissimâ charitate resignationis motivo, à latronibus (uti Martyrologium Romanum 20. Ianuarij habet) cæsus colitur ut Martyr, sicuti sanctæ aliquæ habentes specialem instinctum Divinum ex hujus motivo ad Christum fortiter confitendum se ipsas inijciendo in ignem sibi præparatum, speciali gaudent Martyrij prærogativâ, licèt non à Tyranno ex odio in Christum, sed ab ipsismet Sanctis ex amore erga Christum fuerit mortis causâ illata.

29. Tertia conditio est voluntaria mortis propter Christum, seu virtutis supernaturalis motivum susceptio. ex S. Thomâ *in 4. dist. 49. q. 5. a. 9. q. 1. & 2. ad 12.* Item *2. 2. q. 124. a. 1.* Ratio est. Quia Martyrium est actus Virtutis, estque specialiter actus Fortitudinis, cui respondet peculiare aureolæ accidentalis præmium. At de ratione præmij est, ut supponat actum merentis, ipsaque virtuosi actûs ratio exigit libertatem. Hinc aliqui, ut in infantibus propter Christum occisis salvarent rationem Martyrij, existimarunt ipsis acceleratum usum rationis: quod tamen miraculum voluntariè sine sufficiente ratione excogitatur. Alij è contra infantes propter Christum interfectos vocant Martyres morte non voluntate, qui nimirum non *simpliciter*, sed *secundùm quandam participationem* obtinuerint Martyrij aureolam. Verùm quia hæc opinio videtur esse contra mentem, atque sensum communem Patrum ac Ecclesiæ, idcirco ex Divo Thomâ *citato* asseri debet, quòd sicut Baptismus ad gratiam ex opere operatio conferendam in adultis rationis usum habentibus, non verò in infantibus exigit voluntariam sacramenti susceptionem, sic Martyrium tam pro gratiâ operis operati, quàm pro aureolâ obtinendâ non exigat in infantibus actum voluntatis.

30. Quartò. Tametsi Christo Domino non competat aureola, sed aurea, tanquàm perfectius ac excellentius aliquid, ex quo omnes aureolæ originentur: Beatissimæ tamen Virgini competere aureolam Martyrij sub eminentiori quâdam formalitate, dicendum est. Ratio est. Quia aureola dicitur *Diminutivè*, quòd *participativè* & non *secundùm plenitudinem* possideatur præmium ex victoriâ mortis reportatum. Ista autem plenitudo victoriæ ac præmij insinuatur illo *Apocalyp. 3. Sicut ego vici, & sedi cum patre meo in Throno ejus.* Ex hoc autem plenæ victoriæ præmio *Exemplabiliter* derivatur in Sanctos Martyres quædam participatio, juxta prætacti *Apocalyp. cap. 3.* effatum. *Qui vicerit, dabo ei sedere in throno meo.* At verò Beatissima Virgo hujus victoriæ & sessionis, seu præmij fuit exinde particeps facta, quòd compassionis gladius sub cruce in tantum pertransierit animam ipsius, ut nisi *secundùm Patres* miraculosè fuisset conservata, mori debuisset. Etsi verò ista vehementia doloris tanquàm sufficiens mortis causa non à Tyranno ad Christi fidem, aliamque virtutem expugnandam fuerit illata, sed causaretur ab intrinseco, quo prosequebatur Christum, amore, hic ipse tamen amor fuit ex vivâ in Christum fide, cujus confessionem eo ipso fecit Virgo Sanctissima, quòd staret sub cruce. Ex illius igitur Divini erga Christum ex vivâ fide excitati amoris efficaciâ animam Virginis pertranseunte, & Doloris vehementiam de se mortis causativam excitante, Sanctissima Deipara ita fuit exemplata ex Christi per mortem victoriâ, ut Martyrij aureolam in eminentiori quodam præ cæteris Sanctis Martyribus gradu jam possideat in cælis.

CONCLUSIO V.

RAtio aureolæ non tam consistit in signo victoriæ pro Christo reportatæ expressivo, quàm in actuali gaudio excitato ex victoriæ ejusmodi in Verbo intutivè viso repræsentatione.

31. Probatur. Nam victoriæ pro Christo exantlatæ expressio alia fieri posset per qualitatem instar Characteris animæ impressam, & per modum signi objectivi repræsentativam peculiaris ex ejusmodi victoriâ cum Christo conformitatis. At ista per modum signi objectivi Victoriæ Christo conformativæ repræsentatio foret secundùm potentialitatem duntaxat, nec adeò sortiretur ultimam actualitatis in illâ lineâ perfectionem, nec consequenter videretur habere rationem aureolæ, utpote ultimatè perfectæ in illâ lineâ peculiaris ex Virtutis victoriâ cum Christo conformationis expressivâ. Alia proinde victoriæ pro Christo exantlatæ repræsentatio fieri potest per Verbum creatum victoriæ illius in mente Beati actualiter expressivum. Hæc autem expressio in lineâ Victoriæ ejusmodi expressivâ non attingit summam perfectionem, nec adeò primarij, sed secundarij duntaxat victoriæ illi respondentis præmij rationem habere videtur. Quare perfectissima victoriæ ejusmodi expressio fit in Verbo Divino Intelligibiliter unito animæ Beatæ. Hæc autem expressio spectat ad auream seu præmium Essentiale. Ex quâ proinde per modum præmij accidentalis emanat speciale de illâ in Verbo Divino expressâ victoriâ gaudium. In ejusmodi igitur gaudio poni debet ratio aureolæ respondentis victoriæ ex Martyrio, Virginitate, & Doctoratu reportatæ.

COROLLARIUM I.

De Fructibus animæ Gloriosæ.

32. INfertur *Primò*. Triplici hujus vitæ circa continentiam statui in statu Beatifico respondere tres

tres fructus. Explicatur & probatur. Nã fructus pro præsenti instituto definiri potest, quòd sit præmium quoddam accidentale ex hoc debitum homini, quòd ex carnali vitâ in spiritualem transeat; ita colligitur ex S. Tho. *in 4. dist. 49. q. 5. a. 2. q. 1. & 2.* At homo ex carnali vitâ transit in spiritualem, mediante continentiâ, per quam separatur ab operibus carnis. ex S. Tho. *cit. a. 2. quæstiunculâ 3.* Hæc autem à Carnalitate depuratio alia est secundùm necessitatem in eo se tenens, quòd rectitudo spiritûs ex delectatione carnis non pervertatur. Hoc autem fit, dum aliquis secundùm rectam rationem utitur delectationibus carnis: cujusmodi spiritualitas
34. est conjugatorum. Alia verò spiritualitas est secundùm abundantiam, per quam homo se omninò abstrahit à delectationibus carnis spiritum internum suffocantibus. Ejusmodi verò abstractio vel est *simpliciter* per totum vitæ tempus, estque status Virginum, vel secundùm tempus duntaxat limitatum, estque status & Spiritualitas viduitatis. Sicut ergo ex semine bono in terram jacto excrescit fructus Temporalis, sic ex continentiâ in terram bonam seminatâ resultat fructus cælestis, alius quidem *Trigesimus* respondens *statui Conjugali*, alius *Sexagesimus* respondens *statui Viduitatis*, alius *Centesimus* respondens *statui Virginitatis*, juxta illud Christi Domini *Matth. 13. Qui verò in terram bonam seminatus est, hic est, qui audit verbum, & intelligit, & fructum affert, aliud quidem centesimum, aliud autem sexagesimum, aliud verò Trigesimum.*

35. Infertur *secundò*. Fructum Virginitatis ab aureâ, & aureolâ distingui realiter ex S. Tho. *cit. q. 1. a. 1. q. 1.* Ratio est. Quia per auream *Essentialiter* Divinæ Essentiæ intuitio, *accidentaliter* verò gaudium de Deo clarè viso, per aureolam verò Virginitatis gaudium de perfectione victoriæ contra carnem ipso opere completæ, per fructum denique gaudium de operantis in statu Virginitatis ad spiritualitatem, & ad Verbi Divini tanquàm seminis profectum dispositione intelligitur. At per se manifestum est, ejusmodi gaudia esse de diversis objectis, esseque adeò realiter distincta.

COROLLARIUM II.

De perfectione Corporis Gloriosi.

36. INfertur *Primò*. Omnia corpora Beatorum resurrectura in statu integro, ita ut, si quod corpus in hac vitâ monstrosum, aut defectuosum fuerit, omnis ejusmodi defectus in resurrectione Gloriosâ sit tollendus. ex communi Theologorum sententiâ. Ratio est. Tum quia si in statu innocentiæ omnia hominum corpora fuissent perfecta, id multò magis dici debet de statu Beatifico. Tum quia Christus reformabit corpora Beatorum configurata Corpori claritatis suæ *ad Philip. 3.* Unde etiam fit, quòd omnes Beati sint resurrecturi in eo vigore corporis, qui competit in ætate juvenili, in quâ & Christus resurrexit, & primus homo creatus fuit, quæque media est inter adolescentiam, cujus vires necdum sunt in statu pleni augmenti, & inter senium, in quo incipit virium decrementum.

Infertur *secundò*. Non tamen omnia Corpora Beatorum resurrectura in eâdem staturâ, 37.
colore & figurâ, sed ad quam unusquisque perventurus fuisset in ætate perfectâ juvenili, dum natura non aberrâsset. ex sententiâ communi, speciatim Amici *præs. disp. 2. n. 187.*

Probatur ex Sancto Augustino *Enchir. cap. 90.* taliter disserente. *Nec illud est consequens, ut ideò diversa sit statura reviviscentium singulorum, quia fuerat diversa singulorum, aut macri cum eâdem macie, aut pingues cum eâdem pinguedine reviviscant. Sed si hoc est in consilio Creatoris, ut in effigie suâ cujusque proprietas, & discernibilis similitudo servetur, in cæteris autem corporibus bonis æqualia cuncta reddantur: ita modificabitur illa in unoquoque materies, ut nec aliquid ex eâ pereat, & quod alicui defuit, ille suppleat, qui etiam de nihilo, quod voluit, potuit operari. Si autem in corporibus resurgentium rationabilis inæqualitas erit, sicut est vocum, quibus cantus impletur, hoc fiet cuique de materiâ corporis sui, quod & hominem reddat æqualem Angelicis cœtibus, & nihil inconveniens eorum ingerat sensibus. Indecorum quippe aliquid ibi non erit, sed quidquid futurum, hoc decebit, quia nec futurum est, si non decebit.*

Ex quibus Sancti Augustini verbis Amicus *citatus* duo advertit. Alterum esse, quòd non ideò 38.
Beatorum Corpora in diversâ staturâ sint resurrectura, quia diversam, dum hic viverent, habuerint staturam. Ex quo evinci, quòd neque puer in suâ puerili, nec Gygas in Gyganteâ staturâ, nec Æthiops in suo tetro ex coloris adustione causato colore, nec macer in suâ macie, nec in suis ad corporis ornatum non facientibus excrementis, sudore v. g. sputo, imò nec Adamus cum Costâ Evæ subministratâ, utpote ad corporis ipsius individui integritatem non spectante; bene tamen cum quibusvis vel integrantibus, vel ornantibus, vel ad functiones connaturales inservientibus partibus, atque adeò cum quatuor humoribus, nec non animalibus, & vitalibus spiritibus sit resurrecturus. Alterum esse, quòd in Corporibus glo-
riosis sit servanda propria cujusque effigies, ac 39.
discriminabilis figura, correctis tamen defectibus, qui aut vitio naturæ errantis, aut quâcumque ex causâ irrepserant in humana corpora.

Infertur *Tertiò*. In resurrectione cum sensibus 40.
internis reparandas esse omnes species & phantasmata, quæ in hâc vitâ Beatus acquisivit tum ad ornatum potentiarum, tum ad complementum specierum Intelligibilium, quas ex illis phantasmatibus Intellectus agens Beati in hâc vitâ abstraxerat, tum ad reminiscentiam eorum objectorum, quæ per ejusmodi species sensibiles Beatus in hâc vitâ cognovit, huic enim in statu Gloriæ erit reminiscentia non spiritualis duntaxat Intelligibilium actuum, & objectorum; sed etiam materialis actuum & objectorum sensibilium. ex Amico *cit. disp. 2. n. 185. in fine.*

COROLLARIUM III.

De oblectamentis sensuum in Beatis.

INfertur *Primò*. Omnes ac singulos sensus tam 41.
internos, quàm externos in Gloriâ resurrectionis spe-

nis speciali quodam oblectamento perfundendos esse. ex S. Tho. *in 4. dist. 47. q. 2. a. 1. q. 3. & 4.* Item *in 3. p. supplem. q. 82. a. 4.* Probatur authoritate Sancti Anselmi *lib. de simil. cap. 87.* taliter disserentis. *Eodem modo sed contrariâ consideratione*(loquebatur priùs de damnatis) *in illâ futurâ vitâ Delectatio quædam ineffabilis bonos inebriabit, & inæstimabili dulcedine sui totos eos inenarrabili abundantiâ satiabit. Quid dixi totos! Oculi, nares, os, manus, guttur, cor, iecur, pulmo, ossa, medullæ, exta etiam ipsa, & cuncta singillatim membra eorum in communi tam mirabili Delectationis, & dulcedinis sensu replebuntur, ut verè totus homo torrente voluptatis Dei potetur, & ab ubertate Domûs Dei inebrietur.*

42. Infertur *secundò*. Sicuti oculi damnatorum aliquo semper objectó cruciabuntur, sic visum Beatorum indesinenter fore oblectandum decore alicujus visibilis objecti. Et inter hæc quidem 1. Venire ipsummet Christi Domini corpus Gloriosum. 2. Corpus Gloriosissimæ Deiparæ. 3. Reliquorum Beatorum. 4. Cælum Empyreum tanquàm sedem Beatorum speciali lucis splendore nitens tum ex se ipso, tum ex quâdam Corporũ Gloriosorum in se refulgentiâ.

43. 5. Cætera corpora cælestia. Quòd si Beati existant supra convexũ cæli Empyrei, sicuti de Christo super omnes cælos ascendente tenet Divus Thomas *3. p. q. 57. a. 14. ad 2.* tunc si non ita amoveantur à superficie convexâ cæli, quin istam tangant, poterunt species illorum objectorum visibilium mediantibus ipsismet Gloriosis Corporibus emitti ad Beatorum oculos. Si verò ista se levent super cæli Empyrei convexum, tunc non connaturali modo, sed operatione Divinâ illæ species non transito medio imprimentur oculis Beatorum in Vacuo se locantium, uti pluribus advertit Ioannes à S. Thomâ *præs. disp. a. 9. n. 20.*

44. Infertur *tertiò*. Auditui in Corpore Glorioso fore suas oblectationes ex suavitate vocum & concentuum ex ipsis Beatorum faucibus formandorũ juxta illud *Psal. 149. Exultationes Dei in faucibus eorum.* Erit enim in Cælo Empyreo Corpus aliquod cum summâ suavitatis dulcedine spirabile, in quo suavis Harmoniæ concentus sit formabilis.

Infertur *quartò*. Olfactum in Beatis recreandum esse ex odore ipsismet corporibus Gloriosis inexistente, juxta illud *Psal. 44. Myrrha & gutta & casia à vestimentis suis, à domibus eburneis.* Sunt enim Sanctorum Corpora quasi vestimenta, & domus animarum. Unde de Beatissimâ Virgine in ejus assumptione canit Ecclesia: *Cujus inæstimabilis odor erat nimis in vestimentis ejus*: In cujus proinde signum Sanctorum cadavera & sicca ossa suum solent odorem spirare, quem certè in gloriâ non sunt amissuri. Neque verò ille odor corporum Beatorum resolvetur per exhalationem, afficientque medium, vel olfactûs organum reali alteratione, sicuti apud nos fit in rebus odoriferis, sed ita vivax erit odor in corporibus Gloriosis, ut sine tali evaporatione possit ex se emittere species odorabiles, quemadmodùm etiam apud nos, si odor sentitur à longè, diffunduntur species ultra, quàm diffundatur odoriferi corporis exhalatio, & alteratio realis, prout clarè patet in Vulture, qui à longissimo tractu, quò certè non pervenit exhalatoria alteratio, odoratur cadaver. Cùm proinde Odoratus Beatorum sit longè vivacior, quàm vulturis, non est opus ad odorationem, corpora odorifera mediâ aliquâ exhalatione afficere in Beatis sensum odoratûs. ex Ioanne à Sancto Thomâ *ubi supra n. 19.* 45.

46. Infertur *Quintò*. Linguam in Beatis habituram suum exercitium tum quoad loquelam, tum quoad Gustum. Quoad loquelam erit collocutio sanctorum (sicut Christus post resurrectionem locutus fuisse legitur) etiam vocalis, sive secundùm omnia idiomata, quorum in cælis habebunt Beati peritiam, sive secundùm speciale aliquod idioma à Christo Domino instituendum. ex Amico *citato n. 227.* Quoad gustum erit sensatio non quidem quoad actualem manducationem, sed quoad perceptionem sensibilem humoris alicujus omnem vitæ hujus saporem suavitate suâ superantis, incorruptibiliter linguæ innatantis, atque hanc immutantis, non secundùm physicam aliquam alterationem, sed secundùm intentionalem duntaxat per species, immutationem. 47.

48. Infertur *sextò*. Sicut damnati ex attactu aliorum corporum sentient dolorem, sic contra Beatos habituros ex tactu Delectationem. Hujusmodi verò tactûs honestâ & sanctâ delectatione recreativum objectum fore tum corpora Gloriosa; quæ palpabilia seu tangibilia fore, constat ex verbis Christi Domini de se dicentis ad Apostolos: *Palpate & videte, quoniam Spiritus carnem & ossa non habet.* Tum corpus aliquod instar aëris cælo inclusum suo afflatu recreativum; tum ipsum denique cælum Empyreum qualitatibus suis suaviter affectivum tactûs Corporum Gloriosorum. Etsi verò tactûs affectio in nobis non fiat, nisi mediante alteratione physicâ, hæc tamen solùm *Concomitanter* se habet ad intentionalem tactûs immutationem, quæ proinde intentionalis affectio per Dotem Impassibilitatis erit in Beatis sine reali tactûs alteratione. ex Ioanne à Sancto Thomâ *cit. a. 9. n. 23.*



QUÆSTIO TERTIA DE VOLUNTARIO, AC SPECIATIM DE LIBERO.

1. NON raro confundi solent *Voluntarium* & *Volitum*, quæ tamen vel maximè distinguuntur. Etenim *Voluntarium* est, quod pendet ex influxu voluntatis sive physico, sive morali, vel tanquàm actus elicitus, vel tanquàm actus imperatus, vel tanquàm effectus *positivè*, aut *negativè* procedens. Econtra *Volitum* est objectum volitionis prosecutivæ quà distinctæ ab *actu* nolitionis, seu fugæ & aversionis.

2. Etsi verò aliqui arbitrati sint, omnem voluntatis actum Imperatum quidem *Directè*, Elicitum verò *Reflexè* esse volitum per modum objecti. Hoc tamen gratis fingitur, ut enim amor fluat *Efficienter* à voluntate, non est opus, ipsum amandi actum esse tum ab Intellectu repræsentatum voluntati, tum ab hâc esse *Reflexè* amatum, sed sufficit, objectum talis amoris ab Intellectu proponi sub aliquâ Bonitatis, seu amabilitatis ratione.

ARTICULUS I. DE *Voluntario.*

SEx controversijs expediemus istam materiam, quarum 1. indagabit. *Quid sit voluntarium? 2. Quotuplex sit? 3. Qualiter tum inter se, tum in ordine ad effectus morales distinguantur intentio Virtualis, ac merè Habitualis? 4. An voluntarium liberum intrinsecè distinguatur à Necessario? 5. An voluntarium interpretativum in purâ omissione absque omni actu voluntatis dari possit? 6. Utrùm ad ejusmodi interpretativum voluntarium requiratur obligatio, ac debitum operandi actum voluntariè omissum?*

CONTROVERSIA I.

Quid sit Voluntarium?

1. VOluntarium ex Aristotele *3. Eth. cap. 1.* definiri solet. *Cujus principium est in agente sciente singula, in quibus est ipsa actio.* Quam definitionem paucioribus est complexus Divus Thomas *præs. q. 6. a. 1.* Voluntarium definiens, *esse id, cujus principium est intrà cum scientiâ.*

Adversùs quas definitiones moveri potest difficultas, quòd videantur etiam convenire actui appetitûs sensitivi. Atqui voluntarium *in initio præsent. quæst.* diximus, esse actum seu effectum ex voluntatis, sive appetitûs rationalis influxu pendentem. 2.

CONCLUSIO.

DEfinitiones Voluntarij *superiùs* positæ in sensu latiori complectuntur spontaneum, atque adeò continent sub se omnem actum, seu effectum à quovis etiam irrationali appetitu secundùm præviam cognitionem operante pendentem: at in sensu strictiori includunt solius voluntatis cum perfectâ Finis cognitione operantis actus & effectus.

Probatur ratione per Doctorem Angelicum *præs. a. 1.* insinuatâ. Cùm enim omne agens operetur propter Finem, oportet, cujuslibet actionis duplex distingui principium Efficiens & Finale. At sicuti Principium Efficiens aliud est intrinsecum, velut in motu naturali, aliud purè Extrinsecum, velut in motu violento: Sic principiū Finale aliud est ab Extrinseco movens, velut in motibus naturalibus, per quos Causa non tam agit, quàm ab Intelligentiâ Extrinsecâ agitur in Finem; *velut supra q. 1. a. 1. cont. 2. expositum est*; aliud verò Finale principium est intrinsecum. Hoc autem est in Agentibus duntaxat cognoscitivis, quorum appetitus ex prævià Finis cognitione est operativus. At in cognoscitivis ex Bonitatis per cognitionem præviam sibi propositæ vi quâdam allectivâ agentibus aliud est se ipsum non tantùm *Efficienter*, sed etiam *Finaliter* movens in Finem, adeò ut ex se ipso habeat respectu Finis ac Finalis motionis vim quandam Dominativam, sui ipsius ab intrinseco determinativam. Ejusmodi verò vis Dominativa, suique ipsius *Finaliter* motiva & determinativa est solius voluntatis propria. Unde hæc solùm simpliciter habet intrinsecum suæ actionis Principium non efficiens duntaxat, sed etiam 3.

etiam Finale. Cùm igitur Voluntarium sit actus seu effectus à Principio non Efficiente duntaxat, sed etiam Finali intrinseco procedens, sequitur; definitiones voluntarij *superiùs* positas in sensu strictiori convenire solis actibus, seu effectibus procedentibus à vi Dominativâ voluntatis cum perfectâ Finis cognitione operantis. In quo adeò sensu Divus Thomas *q. 1. a. 2.* ait: *In solis hominibus perfectam Finis cognitionem habentibus inveniri voluntarium secundùm perfectam rationem.*

4. Dices. Appetitum etiam sensitivum habere sibi intrinsecum Finale suarum actionum Motivum mediâ cognitione propositum. Ergo ejusmodi quoque actiones venire sub definitionibus superiùs positis.

5. Contra. Nam Finale principium potest esse intrinsecum agenti vel secundùm passivam duntaxat vim spectato, vel secundùm activam suam virtutem consideratò. Etsi verò appetitus sensitivus moveatur à Fine per intrinsecam cognitionem sibi proposito, hic tamen non subest appetitûs sensitivi Virtuti activæ, ita ut isti sit vis sui ipsius ad Finalem motionem determinativa; sed sicuti agenti Intellectuali proprium est, habere Formalem Finis cognitionem, sic eidem est proprium, habere vim Dominativam supra Finali erga Finem sibi propositum motione. Atqui agens *simpliciter in sensu Formali* quà agens dicitur habere intrinsecum Finale principium, si hujus motionem Finalem habeat in suâ vi activâ, atque adeò Dominativâ. Etsi proinde appetitûs sensitivi actiones eatenus sint à principio Efficiente intrinseco, ut ipsummet etiam Finale motivum hujus virtuti passivæ, non autem activæ sit intrinsecum: ex hoc tamen merentur nomen voluntarij in sensu duntaxat latiori, prout convertitur cum spontaneo, non autem *simpliciter* secundùm rationem perfectam, prout Voluntarium requirit Principium Finale Agenti intrinsecum non respectu passivæ duntaxat, sed etiam activæ virtutis ipsius, *veluti non obscurè insinuatur* à Divo Thomâ *cit. a. 2.*

6. Instabis. Ex hoc discursu sequi, quòd amor Beatificus utpote non liber non sit perfectè voluntarius.

7. Contra. Nam principium Finale dicitur Agenti respectu virtutis non passivæ duntaxat, sed etiam activæ intrinsecum, quatenus habet vim quandam Dominativam, suique ipsius ab intrinseco determinativam ad motionem Finalem. Hæc autem vis ab intrinseco determinativa inest voluntati *saltem virtualiter*, seu *Eminenter* eò ipso, quòd habeat cognitionem Finis non *Materialiter tantùm*, sed *Formaliter* spectati. Unde ipse etiam amor Beatificus supponens Deitatis quà ultimi Finis cognitionem vel maximè perfectam, dicitur *Eminenter* liber, quòd, licèt in se *Formaliter* sit necessarius, fluat tamen ex voluntate secundùm perfectam Finis cognitionem operante, & ut sic habente vim se ab intrinseco eatenus determinativam, ut non ex suâ imperfectâ, sed ex objecti ad voluntatis commensurationem supereminenti coæquatione necessitetur ad illum amorem.

CONTROVERSIA II.

Quotuplex sit Voluntarium?

Non est hìc quæstio de voluntario *latè* sumpto, prout convertitur cum spontaneo, dividiturque in voluntarium *imperfectum*, quod procedit ex appetitu sive rationali, sive sensitivo operante cum imperfectâ Finis *Materialiter* duntaxat spectati cognitione; & *Perfectum*, quod vel *Elicitivè*, vel *Imperativè*, vel *Interpretativè* procedit ex rationali duntaxat appetitu operante cum perfectâ Finis *Formaliter* considerati cognitione, seu judicio deliberato. Controversia igitur procedit de divisionibus voluntarij perfecti. Circa quod Vasquez *1. 2. disp. 28. cap. 4.* existimat; *adæquatè* convenire cum libero Formali: Verùm ècontra negant Thomistæ, speciatim Ioannes à Sancto Thomâ *præs. disp. 3. a. 2. n. 50.* 1. 2.

CONCLUSIO I.

Voluntarium strictè sumptum dividitur in Liberum & Necessarium, *Eminenter* tamen liberum.

Explicatur. Nam voluntarium necessarium dupliciter potest contingere. 1. ex coarctatione & limitatione potentiæ, quod evenit in actibus appetitûs sensitivi, nec non voluntatis motibus indeliberatis; tunc enim ex objectivæ per Intellectum propositæ indifferentiæ defectu coarctatur voluntas ad Bonitatem sibi propositam. 2. Necessitas operandi in voluntate accidere potest ex universalis ad Bonum universum commensurationis adæquatione, quod evenit in amore Beatifico, ad quem vi infinitæ, ut est in se, repræsentatæ Dei Bonitatis, ut sic universalè voluntatis ad Bonum commensurationem *supereminenter* coæquantis voluntas eatenus necessitatur, ut tamen sit *Eminenter* libera. Probatur istud assumptum. Nam radix libertatis in voluntate est per universalem ad omne Bonum commensurationem. At eo ipso, quòd amoris Beatifici necessitas sit ex supereminenti per infinitam *intuitivè* visam Dei Bonitatem voluntatis coæquatione, sequitur; cum tali necessitate stare radicem libertatis *Eminenter* contentivam. Unde amor Beatificus rectè denominatur *Eminenter* liber. Etsi proinde actus voluntatis ex imperfectione judicij & consequenter ex coarctatione potentiæ necessarius non veniat nomine perfecti voluntarij: secus tamen est de actu per adæquationem necessario, atque adeò *Eminenter* libero. Quarè optimè stat perfecti voluntarij divisio in Necessarium *Eminenter* tamen liberum, *Formaliter* liberum. 3. 4.

CONCLUSIO II.

Voluntarium non Effectivum duntaxat; sed etiam objectivum dividi solet in Directum & Indirectum positivè, ac In-

ac Interpretativum, seu Indirectum Negativè.

5. Explicatur. Nam voluntarium Effectivum propriè dictum est, quod se habet ad voluntatem tanquàm effectus ad Causam *Physicè*, vel *Moraliter* influentem. At ejusmodi effectus pendere quandoque potest à voluntatis immediatâ causalitate, veluti sunt actus tum eliciti, tum imperati voluntatis. In quo adeò casu dicitur voluntarium *Directum*. Quandoque verò potest effectus aliquis pendere ab influxu Causæ extrinsecæ per voluntatem liberè positæ cum prævisione talis effectûs inde secuturi: sicut in ebrietate liberè positâ cum prævisione pollutionis inde futuræ dicitur hæc *indirectè positivè* voluntaria. Quandoque demum potest voluntatis effectus esse Negativus in omissione actionis debitæ hîc & nunc intermissæ consistens, qui dicitur voluntarius *interpretativè*, seu *Indirectè Negativè*.

6. Deinde voluntarium *Objectivum* coincidit cum volito. At volitum *Directum* dicitur, quod in se ipso est Terminativum alicuius volitionis: *Indirectum* verò, quod in suâ Causâ volitum est. Hoc autem respectu volitionis efficaciter ponentis causam effectûs inde secuti actualiter effectricem est voluntarium non *Objectivum* duntaxat, sed *Effectivum*: respectu autem volitionis inefficacis, vel effectum actualiter non causantis est voluntarium merè *Objectivum*: sicuti pollutio prævisa, non tamen actu secuta, est *Objectivè*, non autem *Effectivè* voluntaria; sicuti etiam volens S. cti alicuius dehonorationem, vult *Indirectè* ipsiusmet Dei inhonorationem, ut adeò talis volitio habeat malitiam moralem non virtuti duntaxat Duliæ, sed etiam Latriæ, sive Religionis oppositam.

Conclusio III.

Voluntarium etiam dividitur in Voluntarium *Actuale*, *Virtuale*, & *Habitual*e.

7. Explicatur. Nam intentio Finis dicitur per se ipsam *Formaliter* movere ad media, seu effectus aliquos, quando in se actu existens per se ipsam influit. Etsi verò ista *Formaliter* perseverans, ac per se ipsam *Actualiter* influens intentio omnium optima sit, non tamen esse necessariam ad sacramenta v.g. conficienda, clarè traditur in Rituali Romano *Rub. de Sacram. in genere. §. Ad ministrandum.* Ubi sic habetur. *In ipsâ administratione actualem intentionem habere studeat, vel saltem virtualem, cum intentione faciendi, quod facit*

8. *Ecclesia.* Deinde intentio dicitur *Virtualiter* permanere in effectu aliquo, seu virtute à se relictâ. Cujusmodi intentionem Virtualem sufficere ad actum etiam meritorium, evincitur ex Doctrinâ Sancti Thomæ *in 2. dist. 40. q. 1. a. 5. ad 6.* taliter differentis. *Non sufficit omnium habitualis ordinatio ad Deum, quia ex hoc, quòd est in habitu, nullus meretur, sed ex hoc, quòd actu operatur. Nec tamen oportet, quòd intentio actualis ordinans in Finem ultimum sit semper conjuncta cuilibet actioni, quæ dirigitur in aliquem Finem proximum: sed sufficit, quòd aliquando actualiter omnes illi Fines in Finem ultimum referantur, sicut fit, quando aliquis cogitat, se totum ad Dei dilectionem dirigere: tunc enim quidquid ad se ipsum ordinat, in Deum ordinatum erit.* Denique dicitur intentio *Habitualiter* perseverare, quamdiu non est retractata; *veluti mox patebit.* 9.



Controversia III.

Qualiter tum inter se, tum in ordine ad effectus morales distinguantur intentio Virtualis, ac mere Habitualis?

Ioannes à Sancto Thomâ *1. 2. disp. 1. a. 6. n. 47. ac seq.* Habitualem ordinationem seu intentionem, sive inclinationem dicit, quæ est in actu primo, sive in habitu: quam haud sufficere ad moralem Virtutis, sive Finis alicujus Bonitatem participandam, probat tum authoritate Divi Thomæ *in 2. dist. 38. q. 1. a. 1. ad 4.* differentis in hæc verba: *Ad hoc, quòd alicujus actionis Finis sit Deus, vel Charitas, non oportet, quòd agendo illam actionem, de Deo, vel charitate cogitet: nec iterum sufficit, quod aliquis habitu tantum Deum & Charitatem habeat; quia sic etiam actum venialis peccati in Deum ordinaret, quod est falsum.* Tum ratione ex eo deductâ, quod habitualis inclinatio se habens in actu primo non sit determinata ad exercitium actûs, sed sit in indifferentiâ ad operandum, vel non operandum in exercitio. Atqui ad motionem Finis, ejusque influentiam requiritur determinatio movens, & quoad exercitium mediante sui amore alliciens. 1. 2.

3. Author citatus *n. 4.* docet, quòd Virtualis in Finem ordinatio duret, possitque influere, quamdiu non interrumpitur, seu non corrumpitur per contrariam intentionem, nec longitudine temporis dissolvi *per se loquendo*, licèt *per accidens* possit per oblivionem & per tempus corrumpi. Fundamentum desumitur 1. ab authoritate Sancti Thomæ *in 2. dist. 40. q. 1. a. 5. ad 6.* taliter differente. *Quando aliquis cogitat, se totum ad Dei Dilectionem dirigere, tunc quidquid ad se ipsum ordinat, in Deum ordinatum erit. Et si quæratur, quando oporteat actum referre in ultimum Finem? Hoc nihil aliud est, quàm quærere, quando oporteat habitum charitatis exire in actum? Quia quandocunque habitus charitatis in actum exit, sit ordinatio totius hominis in ultimum Finem, & per consequens omnium eorum, quæ in ipsum ordinantur ut bona sibi.* 2. Ratione. Nam Virtualis intentio nihil aliud est, quàm determinatio relicta ex priori intentione seu amore Finis. Hæc autem determinatio in conservari non pendet ex actuali Finis intentione seu cogitatione: ut patet, cùm quis intendit ire Romam, non enim oportet, quòd in singulis passibus Romæ recordetur, quamvis Iter ejusmodi perficiatur ex influxu præteritæ Romam eundi intentionis. Neque verò determinationis illius utpote spiritualis conservatio *per se* pendere potest à tempore. Ergo non nisi *per accidens* dissolvi potest longitudine temporis, quòd cessante usu talis determinationis, mutabilitas & instabilitas mentis facilè admittat intentionem *directè*, vel *indirectè* contrariam, sicuti etiam habitus *per accidens* destruitur ex tractu temporis, per non usum, seu cessationem 4.

nem

nem ab actu, quatenus per hujus cessationem datur locus, ut insurgant contraria, quibus corrumpatur habitus.

5. In quo porro consistat illa determinatio relicta ex priori Finis intentione, Coninch. *q. 64. de Sacram. a. 8. dub. 2.* circa virtualem sacramenta administrandi intentionem id explicat asserens: Aliquid præsens actu saltem in imaginatione relinqui ex intentione præteritâ. Quam proinde dici *Virtualiter* manere ratione talis in imaginatione impressionis ex primo, quo, quis humano modo ad agendum se applicavit, proposito relictæ, vi cujus excitetur potentia motiva, ut actus initio propositos, vel immediatè subsequentes primum actum, vel cum isto saltem mediatè connexos perficiat, homine licèt alia interim cogitante, donec actu aliquo contrario interturbetur.

6. Verùm Cardinalis de Lugo *de Sacram in genere. disp. 8. sect. 5. à n. 94.* circa istam doctrinam dubitat. An operationes Sacramentales ex Virtuali faciendi Sacramentum intentione procedentes mandari possint executioni per solam directionem ac imperium potentiæ imaginativæ, & appetitûs materialis.

Fundamentum est. Tum quia videtur adversari doctrinæ Sancti Thomæ *1. p. q. 81. a. 3.* docentis; appetitum sensitivum in homine non moveri, nisi exspectato priùs imperio voluntatis, seu appetitûs superioris: eò quòd in omnibus potentijs motivis ordinatis secundum movens non moveat, nisi virtute primi moventis. Tum quia voluntas applicans appetitum ad

7. imperanda verba Sacramentalia non potest proponere finem sacramenti, quem ipsa voluntas intendit, nec applicare imaginativam, ut proponat in actione Sacramentali rationem Boni, quæ moveat appetitum ad illud imperium: nullam enim in verbis Sacramentalibus rationem Boni nec *Honesti*, utpote cujus non sit capax potentia materialis; nec *Utilis*, cùm non referat unum ad aliud, nec *Delectabilis*, cùm nulla in illis verbis sit sensibilis delectatio; apprehendere potest vis imaginativa. Tum denique, quia,

8. dum actionem Sacramentalem priùs intentam cum summâ distractione prosequimur; non magis experimur actum vis imaginativæ & appetitûs sensitivi, quàm intellectûs & voluntatis. At isto non obstante, confitemur, dari tunc actum aliquem imaginativæ & appetitûs, quem propter tenuitatem tamen non experimur. Cur ergo non idem dicamus de actu Intellectûs & voluntatis?

Conclusio.

Intentio merè Habitualis ac Virtualis in ordine ad effectus morales vel maximè differunt, quòd ista præcisè dicat voluntatem præteritam non retractatam, seu contrario actu non interruptam: illa verò importet aliquam ex priori intentione relictam determinationem, cui vis sit excitandi, & quodammodò causandi actus habentes in genere moris connexionem cum intentione præteritâ.

Probatur. Nam 1. homini congenitum est lumen quoddam, sub quo judicat, turpe esse ab intentione *resolutoriè* captâ desistere, eique non consequenter inhærere. Huic autem judicio in voluntate respondet innata quædam inclinatio ad intentionem *resolutoriè* factam tenendam, & conformiter eidem insistendum in subsequentibus actibus. Isti verò innatæ per Constantiæ virtutem regulandæ inclinationi duo insidiantur, quorum alterum est Mutabilitas ex mentis nostræ in considerandis rectæ rationis motivis mobilitate ortum trahens, alterum est pertinacia ex obcæcato superbiæ, contraria rectæ rationis motiva deinceps menti repræsentata, ob mutabilitatis notam declinandam imprudenter respuentis spiritu proficiscens. Quare Constantiæ Virtus debet illud innatum intentioni *resolutoriè* captæ retinendi, eique conformiter insistendi lumen & inclinationem eatenus regulare, ut, si secundùm prudentiæ rectam rationem capta sit resolutio, nec fortiora in contrarium succedant Honestatis motiva, lumen super nos signatum urgeat ad constanter insistendum intentioni resolutoriæ semel captæ. Quo proinde innati luminis & inclinationis congenitæ radio menti nostræ illucente, ceu primo quodam moralis regulabilitatis principio; succedit ex intentione præhabitâ species hujus repræsentativa, ejusque actualis cognitionis excitativa. Hæc autem intentionis præteritæ actualis notitia cum illo primo Moralitatis principio combinata infert conclusionem, vi cujus specialis repræsentatur honestas in eo, quòd intentioni priùs habitæ insistatur, eique conformiter in actibus subsequentibus agatur. Quæ proinde honestas est voluntatis excitativa ad mediorum priori illi intentioni conducentium prosecutionem. Ejusmodi proinde honestatis repræsentatio, Voluntatisque secundùm principium innatum ad illam honestatem excitata inclinatio, variorumque in vi imaginativâ, nec non appetitu sensitivo, alijsque voluntati subordinatis potentijs actuum excitatio est id, in quo intentio præhabita, dum contrario actu, vel retractatione expressâ non interrumpitur, *Virtualiter* dicitur permanere, eo ipso, quòd illâ tum repræsentatione Intellectûs, tum voluntatis, aliarumve voluntati subordinatarum potentiarum Excitatione mediante, intentio priùs habita influat in actus Fini præintento congruos. 9. 10.

2. Intentio præhabita potest operari extra proprium suppositum, dum quis v. g. mandato procuratorio facto ad contrahendum suo nomine cum aliquâ Matrimonium, vi hujus mandati ab altero acceptati posuit in suo Procuratore vim, ac virtutem saltem Moralem perficiendi istum contractum, ipso licet Principali mandatum suum non revocante pro tunc dormiente. 11.

Econtra 3. potuit intentio aliqua v. g. de Sacramento recipiendo habita fuisse, quæ saltem pro aliquo instanti, seu tempore ita maneat sopita, ut nullius in Intellectu, vel voluntate, alterâve voluntati subordinatâ potentiâ actûs sit pro tunc excitativa, sicuti evenit in illo, qui priùs intendens suscipere Sacramentum, posteà incidit in amentiam. In quo proinde casu illa prior intentio non retractata manet in Habitu, non tanquàm virtute actualiter secundùm 12.

 influ-

influxum saltem moralem influendi in receptionem Sacramenti. Quare intentio taliter perseverans pro tunc dicitur merè Habitualis, non
13. autem Virtualis. Inter quas adeò intentiones respectu effectuum moralium id discriminis est, quòd intentio *merè Habitualiter* perseverans sufficiat ad effectus solam subjecti passivam dispositionem, non verò activum aliquem influxum requirentes, cujusmodi est receptio Sacramentorum. Secus verò est in effectibus activum, eumque moralem subjecti concursum exigentibus, cujusmodi sunt administratio Sacramentorum, nec non meritorius operum moralium valor. Ad ejusmodi igitur effectum v. g. ad meritum ex morali charitatis influxu obtinendũ eatenus requiritur intentio charitatis, ut tamen opus non sit, hanc perseverare *Formaliter*, & se ipsâ *immediatè* influere in actum meritorium, sed sufficit, eam perseverare in aliquo suo effectu, ut sic habente vim Intellectûs ac voluntatis, aliarumque voluntati subordinatarum potentiarum excitativam, ac ejusmodi excitatione mediante *Moraliter* influxivam. Constat proinde, intentionem *Virtualem*, ac *merè Habitualem* in ordine ad effectus morales vel maximè distingui, eo ipso, quòd ista meram non retractationem, illa verò vim ex se relictam *Moraliter actu* influxivam importet.

Responsio ad opposita Fundamenta.

14. AD Ioannis à Sancto Thomâ *n. 1. & 2.* propositam Doctrinam Respondetur. Hunc authorem videri, non aliam agnoscere ordinationem habitualem v. g. Charitatis, nisi quæ se habeat in ipso infuso Charitatis habitu, per modum habitualis ad actualem in Deum ordinationem inclinationis. At præter hanc oportere distingui aliam insuper habitualem intentionem, quæ nihil aliud sit, quàm intentio præterita non retractata, eatenus tamen sopita, ut sit merè in habitu, non verò in aliquo actu, ceu Virtute *Moraliter* influxivâ in effectum moralem. Cujusmodi adeò Habitualem intentionem considerari debere in eo, qui priùs petijt Sacramentum, nec intentionem istam ex rationis usu mox destructo retractare potuit: hanc enim Habitualem in non retractatâ recipiendi Sacramentum voluntate sitam, non verò alteram in solo Charitatis ac Religionis, seu spei in Baptismatis infusarum virtutum habitu consistentem habitualem ordinationem ad Sacramenta validè, imò obice non posito, etiam fructuosè recipienda sufficere.

15. Ad ea, quæ Author præcitatus, nec non Coninch & Cardinalis de Lugo à *n. 3.* deducunt, Respondetur. Non discrepare à nostrâ doctrinâ, per quam hoc unicè intendebamus explicare, in quo consisteret illa determinatio ex priori intentione relicta, habens determinatam voluntatis imperio non tantùm *quoad specificationem*, sed *quoad exercitium* libero subordinatam Virtutem.



CONTROVERSIA IV.

An Voluntarium Necessarium intrinsecè ac specificè distinguatur à libero?

HUrtadus *de animâ. disp. 15. sect. 6. subsect. 2.* cum alijs existimat; libertatem esse intrinsecam actui, atque adeò Liberum & Necessarium esse differentias Essentiales *specificè* distinctivas actionum hominis. Fundamentum per Ioannem à Sancto Thomâ *præs. disp. 3. a. 2. n. 45. circa medium* deductum est. Nam variato principio Essentiali, non potest non variari essentia. At principium Essentiale amoris liberi est judicium indifferens, conjunctum cum consilio & arbitrio ad deliberandum: Amoris autem necessarij principium Essentiale est judicium sine indifferentiâ, nullum reliquens locum deliberationi, sed ex impetu naturæ procedens. Cùm igitur in amore libero ac necessario sit variatio principij Essentialis, consequens est, illos actus distingui *specificè* ac *Essentialiter*. 1.

Suarez *disp. 1. de Voluntario. sect. 3. n. 18.* Vasquez *1. 2. disp. 88. cap. 3. n. 12.* Oviedo de *animâ. cont. 12. p. 2. n. 2.* existimant, libertatem esse extrinsecam actui, petitam ex denominatione potentiæ cum indifferentiâ operantis. 2.

Fundamentum à Suarezio *citato* deductum est. Nam ex hoc præcisè, quòd actus concipiatur perfectè voluntarius, ac procedens à potentiâ taliter operante, ut in ejus facultate sit, non operari, intelligitur actus liber: posito autem quocumque alio modo, seu entitate intrinseca, & præcisâ illâ habitudine, sive denominatione, non intelligitur actio libera. V. g. actus amoris Dei in Angelis Sanctis in viâ erat liber, sicuti etiam animæ in purgatorio amant Deum amore per fidem regulato, atque adeò libero: sed tam istæ, quàm illi ad statum Beatificum elevati continuabant eundem numero actum amoris Divini, qui proinde invariatâ suâ entitate intrinsecâ, ex libero transivit in necessarium ex hoc præcisè, quòd voluntas in statu viæ regulabatur per judicium admittens indifferentiam, in statu autem patriæ voluntas ex vi Beatificæ visionis omnem judicij circa Deum indifferentiam excludentis determinata sit ad amandum Deum. Consequens igitur est, libertatem nihil supra entitatem actûs dicere, nisi denominationem extrinsecam potentiæ cum judicio indifferente operantis.

Alphonsus Curiel *1. 2. q. 18. a. 1. dub. 2. §. 7. ad 4.* negat, libertatem in nostris actibus esse denominationem extrinsecam, sed esse intrinsecum modum vitalitatis. Fundamentum est. Quia effectus liberè productus à Deo dicitur liber denominatione extrinsecâ desumptâ à libertate Causæ, & tamen non est liber per modum actionis. Ergo libertas actionis in alio consistit, quàm in denominatione extrinsecâ sumptâ à libertate sui Principij. 3.

Ioannes à Sancto Thomâ *cit. a. n. 2. n. 46.* prætactas oppositas sententias componit, asserendo, Liberum & Necessarium *simpliciter loquendo* esse modos accidentales actûs *specificè* ac *Entitativè* 4.

tativè considerati, esse tamen differentias Essentiales respectu actûs spectati sub ratione Voluntarij. Fundamentum est. Tum quia in actibus hominis reperitur ordo & ratio voluntarij, quatenus desumitur ex parte subjecti operantis, pertinetque ad modum procedendi à principio Efficiente, ac Finali, à principio nimirum intrinseco operante cum cognitione Finis. Etsi verò ordo ad objectum in actibus sit specificus ac Essentialis, attamen ordo ad Principium Efficiens, & ad Finem est ut sic accidentalis; eò quòd principium Efficiens non perficiat, sed præbeat existentiam actui, vel effectui: sicuti etiam Finis movet ad existentiam, movendo Causam efficientem, ut faciat & producat rem in esse, nec adeò Finis ut Finis, & non ut objectum pertinet ad speciem, sed ad circumstantiam actûs. Cùm igitur Liberum & Necessarium dividant voluntarium in ratione voluntarij, neque verò differentia ipsorum sit nisi ex ordine ad Efficiens ac Finale principium. Consequens est, Liberum ac Necessarium non posse constituere Essentialem ac specificam differentiam actûs *Entitativè* sumpti. Tum quia actûs voluntarius *Formaliter* in ratione voluntarij consideratur quoad modum sub ratione procedendi à Voluntate. Ut sic autem *Formaliter* consideratur ordo ad principium Efficiens ac Finale. At id, quod se movet cum indifferentiâ & Dominio superactum, simpliciter se movet, quod autem necessariò operatur, magis videtur motum ab alio, vel ex ipsâ naturæ proprietate erumpens, quàm ex proprio arbitrio. Cùm proinde actus liber procedat à voluntate quà operante cum Dominio, actus verò necessarius procedat à voluntate quà motâ ac determinatâ à Fine, consequens est, Liberum ac Necessarium in *ratione Voluntarij, seu in ratione procedendi à principio* differre *Formaliter* ac *Essentialiter*.

Idem denique author *n. 48.* & ex ipso An-
5. dreas Lao *disp. 44. n. n. 2044.* docent, nunquam continuari eundem numero actum Charitatis in viâ, & in patriâ, sed diversum fuisse in Angelis amorem viæ, & Beatitudinis. Fundamentum est. Nam mutatio modi Liberi in Necessarium non est mutatio denominationis extrinsecæ, sed mutatio modi intrinseci. Hic autem modus intrinsecus est conveniens actui vitali, ut vitalis est. Unde non potest advenire ex aliquo agente extrinseco, sed ab ipsâ potentiâ vitali. Oportet igitur, si de novo conveniat actui, convenire per novam processionem, & derivationem à principio vitali. Nova autem processio petit novum actum fieri, non eundem numero continuari.

CONCLUSIO.

Actus *Formaliter* Necessarius, sed *Eminenter* liber differt à Libero non secundùm extrinsecam duntaxat denominationem, sed secundùm intrinsecam individualem differentiam.

Probatur. Nam in Christi Domini huma-
6. nitate duplex erat actus amoris Divini, alter necessarius, consequens Scientiam Beatam, alter liber, consequens scientiam infusam. At si actûs Liberi à Necessario differentia se teneret penes denominationem solùm extrinsecam, posset unus *Entitativè* ac *Intrinsecè* omnino indistinctus 7.
actus fuisse liber ac necessarius. Probatur ista sequela. Non enim repugnaret, eundem *Entitativè* actum ex intrinsecâ voluntatis ad Divinæ Bonitatis infinitam, ut est in se, repræsentatam amabilitatem, ejusdemque potentiæ volitivæ commensurationis coæquantem determinatione elicitum habere etiam respectum ad Bonitatem Divinam in Christi animâ, vi scientiæ infusæ *solùm abstractivè* ac *imperfectè* sub indifferentiâ objectivâ propositam. Ex hoc autem fieret, quòd idem numero amoris Divini actus denominaretur simul necessarius ac liber, necessarius quidem ex connotatione voluntatis quà per judicium Bonitatis ipsam *supereminenter* coæquantis repræsentativum, *in actu primo* determinatæ: liber verò ex connotatione voluntatis quà propter judicium Bonitatis Divinæ solùm imperfectè, atque adeò cùm indifferentia objectiva expressivum operantis ex vi Dominativa, seu indifferentiâ Electivâ. Consequens proinde est, quòd idem numero amoris Divini actus non tantùm successivè, sed simul posset esse liber ac necessarius, si libertas actûs consisteret in solâ denominatione extrinsecâ, petitâ ex connotatione potentiæ sub indifferentiâ objectivâ, & consequenter vi Dominativâ operantis. At illud consequens non videtur admittendum. Ergo nec id, ex quo sequitur. Ratio Fundamentalis est. 8.
Nam actus Amoris Divini procedens ex intuitivâ Essentiæ Divinæ visione habet Principium Directivum ab intrinseco, & ex naturâ suâ omnino immobile: èontra amoris Divini actus procedens ex Divinæ Bonitatis judicio duntaxat abstractivo, habet principium Directivum ex intrinsecâ intellectûs creati *Formaliter*, seu *Virtualiter* discursivi mobilitate de naturâ suâ mobile. Unde sicuti Lux solis emanans ex hujus substantiâ, atque adeò habens principium intrinsecè immobile, habet ab intrinseco connaturalem durationis æviternæ exigentiam, sic amor Beatificus ex Divinæ Essentiæ intuitivâ per naturam suam immobili visione, tanquam principio Directivo emanans ab intrinseco exigit Durationem æternam. Econtra verò sicuti Lux aëris pendens ex motu siderum, cùm habeat principium ut sic mobile, exigit Durationem temporaneam ab intrinseco subjectam mutabilitati: sic quia abstractiva Dei cognitio ceu Directivum Divini ex se emanantis amoris principium ab intrinseco est subjecta mobilitati, consequenter talis amor *Connaturaliter* exigit durationem non æternam, imò nec æviternam, sed Temporaneam ab intrinseco mutabilem. At per se clarum est, actum amoris Divini, cui est intrinseca ad æternam Durationem exigentia, *Entitativè* secundùm intrinsecam saltem individualem differentiam distingui ab amore Dei *Connaturaliter* exigente Temporaneam duntaxat sui Durationem. Consequens igitur est, amoris Divini ex cognitione Dei abstractivâ procedentis libertatem ex principio Directivo *Extrinsecè* mobili pendentem importare ex parte actûs Formalitatem intrinsecam, *Individualiter* diversam à Formalitate amoris Divini necessarij, ut sic

intrin-

intrinsecè pendentis à principio Directivo *Connaturaliter* immobili.

Responsio opposita fundamenta.

9. AD argumentum ex parte Hurtadi *n. 1.* oppositum Respondetur. Judicium indifferens non tam esse actûs liberi principium *Formaliter* intrinsecum, quàm Directivum: cui utpote *Intrinsecè* mobili eatenus commensuratur actus voluntatis ex ipso emanans, ut consequenter de naturâ suâ exigat Durationem *Intrinsecè* mobilem, cũ econtra actus non ex potentiæ coarctatione, sed ex universalis ad Bonum universum comensurationis supereminenti coæquatione in voluntate necessarius exigat principium Directivum de naturâ suâ immobile, cui eatenus comensuretur actus ex ipso emanans, ut consequenter *Connaturaliter* exigat durationem ab intrinseco immobilem. At ejusmodi connaturalis ad mobilitatem, ac immobilitatem exigentia eatenus importat intrinsecam actûs *Formaliter* Liberi, ac Necessarij differentiam, ut hæc tamen ut sic non sit specifica, sed individualis. Quare libertatis ab actu necessario, sed *Eminenter* libero differentiam arguere quidem intrinsecam, ac Entitativam, non tamen specificam, sed individualem duntaxat differentiam.

10. Ad Fundamentum ex parte Suaretij *n. 2.* oppositum Respondetur. Illam ipsam Extrinsecam potentiæ cum indifferentiâ operantis connotationẽ arguere intrinsecam durationis de se mobilis exigentiam, ex quâ consequenter actus liber secundùm differentiam saltem individualem intrinsecam distinguatur à necessario, sed *Eminenter* libero.

11. Ad Curielis *n. 3.* propositum fundamentum Respondetur. Ad hoc, ut denominatio actualis libertatis ex potentiâ indifferenter operante participetur, supponi vitalitatem per modum quasi materialis, cujusmodi vitalitas non est in Dei effectu. Quare hunc Extrinsecè denominabilem esse liberum, non quidem in ratione actionis, sed effectûs duntaxat. Secus esse de actione voluntatis cum indifferentiâ operantis, ejusmodi enim actionem, non tantùm ex Entitativâ, sive individuali differentiâ ut sic intrincam cum principio Directivo de se mobili commensurationem importante, sed etiam ex Extrinsecâ potentiæ cum indifferentiâ objectivâ, & consequenter Dominativâ operantis connotatione posse sub Formali actionis ratione liberam denominari.

12. Ad ea, quæ ex Ioanne à Sancto Thomâ *n. 4. ac sequent.* proposita sunt, Respondetur. Illis fundamentis rectè probari, quòd actus liber ac necessarius sub Formalibus istis denominationibus non importet in genere physico specificas, sed individuales duntaxat differentias, licèt in *genere Moris* in ordine scilicet ad effectus morales, possint dici differentes secundùm speciem, vel potiùs secundùm Genus. Unde etiam inferri, quòd amor viæ non idem numero continuetur in patriâ, eo ipso, quòd amor patriæ ex principio Directivo *intrinsecè* immobili emanãs *connaturaliter* exigat mensurari æternitate, cùm econtra amor viæ procedens ex principio Directivo *intrinsecè* mobili habeat connaturalem Durationis duntaxat Temporalis exigentiâ. Ex cujusmodi adeò connaturalis exigentiæ differentiâ intrinsecâ rectè concludi, Entitativam amoris Divini Liberi ac Necessarij differentiam.

❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀

CONTROVERSIA V.

An Voluntarium interpretativum in purâ omissione absque omni voluntatis actu dari possit?

NOn procedit controversia 1. de voluntario, quod dicitur interpretativum secundùm fictionem juris, vi cujus Tacens, dum posset ac deberet respondere, præsumitur consentire; cùm tamen fieri possit, ut nullum habeat realiter in suâ mente consensum. Quare interpretativum voluntarium hic sumitur pro voluntario *Negativè* Indirecto, quod consistit in liberâ voluntatis omissione. 1.

Neque 2. controversia hìc procedit, an possit dari voluntarium sine actu Intellectûs, qualiter enim ad voluntarium requiratur prævia Intellectûs notitia, infra discutietur. Neque 3. controversia est de omissione, quæ vel in se, vel in suâ Causâ est volita, tunc enim, si volitio ejusmodi sit inefficax, non tam *strictè loquendo* est voluntaria, quàm volita. Si verò volitio sit efficax, erit hoc ipso *Directè* voluntaria, quòd fluat ex reflexâ sui volitione, *Indirectè* autem erit voluntaria, dum liberè ponitur impedimentum actûs præbens hujus omissionis causam. Quare difficultas hìc examinanda superest: *An voluntas ita possit se Negativè habere ad actum hic & nunc à se eliciendum, ut dari possit pura ex parte voluntatis omissio habens veram rationem voluntarij ac liberi?*

Referuntur Sententiæ.

NOnnulli per Ioannem à Sancto Thomâ *præs. disp. 3. a. 3. n. 12.* tacitè citati putant, de ratione libertatis esse, quòd voluntas possit in vigiliâ, objecti licèt cognitione præsente, se suspendere ab omni actu etiam collectivè. Fundamentum est. Quia voluntas circa totam collectionem suorum actuum & objectorum, extra Divinæ Essentiæ Bonitatem, ut est in se intuitivè repræsentatam, est libera. Ergo à totâ illâ collectione potest abstinere. 2.

Ioannes à Sancto Thomâ *citatus n. 13.* negat, posse voluntatem exercere suam libertatem per puram suspensionem omnis actûs. 3.

Fundamentum est. Non enim libertas convenit, nisi Viventi. Ergo libertas est modus seu perfectio Vitalitatis. Hinc autem sequitur, quòd remotâ vitalitate, removeatur etiam libertas. Atqui vitalitas importat exercitium & operationem potentiæ vitalis. Unde sicut non datur vitalitas negativa, sic neque datur libertas negativa. Consequens igitur est, non dari libertatem in actu secundo, sive in exercitio sine omni operatione, sed per suspensionem omnis

omnis actûs mansuram voluntatem liberam in potentiâ duntaxat, & in actu primo.

4. Albertus *in 2. dist. 35. a. 3. ad arg. cont. 2. defin. peccati.* Capreolus *q. 1. a. 1. concl. 2.* Cajetanus *1. 2. q. 6. a. 3.* Conradus *q. 71. a. 8.* Vasquez *1. 2. disp. 92. cap. 2.* negant, posse dari voluntarium sine omni actu voluntatis. Fundamentum est. Nam voluntarium nequit salvari in solo actu primo: cùm actus primus non minùs sit principium involuntarij, quàm voluntarij. At implicat, esse actum secundum voluntatis sine hujus actione.

5. Richardus *in 2. dist. 35. a. 1. q. 1.* Hervæus *quodl. 7. q. 25.* Ocham *in 3. q. 10. ad 1. dub.* Curiel *1. 2. q. 71. a. 5. dub. 1. §. 3. conl. 1.* Suarez *de actibus human. tract. 2. disp. 1. sect. 5.* Ysambertus *q. 71. disp. 6. a. 2.* affirmant, posse dari omissionem liberam & voluntariam absque omni actu vo-
6. luntatis. Solet pro hâc sententiâ citari Sanctus Thomas *q. 6. a. 3.* asserens: quòd voluntarium possit esse absque omni actu tam exteriori, quàm interiori, scilicet cùm non vult. Verùm hunc Sancti Doctoris locum Ioannes à Sancto Thomâ *a. 3. n. 19. & 21.* ac Ildephonsus Baptista in *comment. tit. q. 6. a. 3. n. 11.* explicant, quòd omissio voluntaria ex specie suâ, & conceptu intrinseco, ut se habet per modum operis, seu potiùs non operis, non constituatur, nec requirat, vel includat actum aliquem sive interiorem, sive exteriorem. Si verò consideretur in ipso exercitio, & ex parte operantis, ajunt, tunc requiri actum, non qui constituat, sed qui sit causa, vel occasio omissionis, atque adeò voluntarium in omissione requirere actum, non ex suâ specie, sed ut exerceatur in individuo. In quem sensum Ildephonsus *citatus* trahit Medinam, qui tamen *q. 71. in explic. a. 5. concl. 3.* solùm dicit, Moraliter loquendo non dari omissionem absque actu vel præcedente, vel concomitante.

CONCLUSIO.

Tametsi voluntas non possit se ipsam Privativè seu liberè suspendere ab omni actu, fieri tamen potest, ut habeat privativam & liberam actûs alicujus determinati omissionem, quæ proinde sit voluntaria absque omni voluntatis actu Causaliter, non tamen Concomitanter ac disparatè seu occasionaliter se habente ad illam.

7. Probatur. Nam omnis potentia ex innatâ ad sui exercitium & actionem propensione *Connaturaliter* exigit à Causâ Primâ influxum actualis operationis suo agendi modo proportionatum. Etsi verò Deus possit hanc connaturalitatis exigentiam suæ absolutæ potentiæ Dominativâ Virtute superare, nullum voluntati creatæ exhibendo actualis operationis influxum. In hoc tamen casu, dum non omnes voluntatis actus possibiles, eorumque in infinitum multiplicabilia objecta essent voluntati proposita, contingeret, ut plurium actuum omissiones per modum puræ negationis, non autem per modum privationis liberæ ac voluntariæ se haberent ad voluntatem. Probatur istud assumptum. Nam voluntatis merè 8.
Negativa suspensio est, quando non est in potentiâ ad actum. At impossibile est, omnium actuum à Voluntate producibilium, nec non objectorum repræsentatione in Intellectu factâ, voluntatem instrui vi ac potestate ad omnes circa objecta in infinitum multiplicabilia possibiles, Essentialiter etiam oppositos actus pro uno instanti *Collectivè* eliciendos. Ejusmodi verò vis requireretur ad hoc, ut voluntas diceretur ab omni actu possibili *collectivè* spectato se ipsam *liberè* ac *privativè* suspendere. Nequit ergo voluntas circa omnes suos actus *collectivè* sumptos se ipsam ex vi suæ libertatis suspendere nisi *Negativè*. Quare suspensio sui privativa & libera potest fieri in voluntate respectu suorum actuum *Divisivè* duntaxat spectatorum. Hæc autem respectu alicujus actûs sufficientem in Intellectu objecti repræsentationem, necnon Dominativam in voluntate operandi, & non operandi Virtutem supponens suspensio stare posset sine omni *Causaliter* ad illam se habente voluntatis actu. Probatur istud assumptum. Si enim quis laborans ignorantiâ vincibili alicu- 9.
jus obligationis, seu moralitatis statui suo debitæ, hanc negligat, eo ipso reputabitur ad culpam. At ejusmodi negligentia stare potest in purâ omissione, quam voluntas neque *directè* voluerit, nec *indirectè* in causâ. Non posset autem omissio illa imputari ad culpam, nisi esset libera & voluntaria. Consequens igitur est, dari posse *Directè* vel *Indirectè* liberam omissionem, quin procedat ex aliquo positivo actu voluntatis.

Dices. Eo ipso, quòd Intellectus & Volun- 10.
tas præoccupentur alijs diversis studijs, quorum occasione voluntas obligationi suo statui debitæ non intendit, consequens esse, quod illa omissio habeat sui causam in aliquo voluntatis actu.

Contra. Nam ejusmodi negligentia sæpè 11.
contingit ex occupatione indebitâ Intellectûs & Voluntatis, quin tamen ejusmodi occupatio per naturam suam incompossibilis sit cum actu debito, sed ad istum se habeat *merè disparatè*. Si ergo istius actûs negligentia oriretur ex illâ indebitâ occupatione, hoc ideò foret, quòd voluntas taliter occupata per suam naturalem limitationem jam non posset alijs intendere. At quis asserere potest, quòd illa occupatio exhauriat omnimodam voluntatis capacitatem, ita ut nihil virium jam sit in ipsâ, stante illâ occupatione, ad intendendum actui debito. Eo ipso autem, quòd occupatio illa *solùm Disparatè* se habens ad actum debitum, non exhauriat vires voluntatis, quin huic possit simul intendere, nequit esse Causa etiam *Indirectè* causans omissionem, seu negligentiam actûs debiti. Consequens igitur est, puram omissionem liberam & voluntariam stare posse sine positivo voluntatis actu *Causaliter* ad illam se habente.

Instabis. Hanc nostram doctrinam apertè 12.
adversari Doctori Angelico *1. 2. q. 71. a. 5.* taliter differenti: *Quòd, si in peccato omissionis consideretur id, quod per se pertinet ad rationem peccati, sic aliquando est omissio absque omni actu tam interiori, quam exteriori, ut cùm aliquis nihil cogitat de eundo ad Ecclesiam horâ, quâ tenetur. Si verò in pec-*

catis omissionis intelligantur etiam causa, vel occasiones omittendi, sic non est omissio absque aliquo actu.

13. Contra. Nam circa istam Angelici Doctoris doctrinam bene advertendum, quòd omissio supponat, vel concomitetur actum non semper *Causaliter*, sed *Occasionaliter* ad illam se habentem. At inter Causam & occasionem hoc discriminis est, quòd illa *per se*, ista verò solùm *per accidens* habeat connexionem cum effectu. Eo ipso autem, quòd voluntas non habens vim sui ipsius ab omni actu *privativè* suspensivam, habeat respectu Causæ primæ connaturalem pro alicujus actûs concursu exigentiam, sequitur, voluntatem non posse unquàm *Connaturaliter* stare fine omni actu. Hic ipse verò qualiscunque actus licèt *disparatè* se habens ad omissionem, est hujus occasio non *Causaliter* ac *per se*, sed *Concomitanter* ac *per accidens tantùm* connexa cum ejusmodi omissione. Probatur

14. istud assumptum. Nam eo ipso, quòd talis actus, *uti suppono*, non ex se, seu naturâ suâ sit incompossibilis cum actu omisso, oportet, illum actum non esse Omissionis *per se* causativum. At quia actus ille, qui est omissionis occasio, non ita adæquat arbitrij humani vires, quin huic pro eodem instanti fortè supersit facultas ad actum omissum, consequens est, nec ex limitatione voluntatis provenire, quòd stante aliquo actu in voluntate, sit omissio alterius debiti actûs. Hæc igitur omissio pro tunc *per se* profluit ex solâ voluntatis libertate, cui ad omissionem ejusmodi actus ille indebitus non est nisi remota occasio, quatenus voluntas, si liberè desisteret ab actu, quo hic & nunc occupatur, ex connaturali suo ad aliquem pro omni instanti actum eliciendum inclinatione, ex suâ libertate fortassis intenderet actui debito. Constat proinde, verum quidem esse, non dari unquàm omissionem liberam absque aliquo actu voluntatis non *Causaliter*, sed *Concomitanter* se habente ad illam per modum occasionis remotæ, non ab intrinseco, sed ex libertate voluntatis *per accidens* duntaxat connexæ cum omissione ejusmodi.

Responsio ad opposita fundamenta.

15. AD *n. 2.* oppositum fundamentum Respondetur negando Majorem. Nequit enim voluntas circa totam actuum & objectorum suorum collectionem pro uno instanti esse libera, nisi in ordine ad hæc distinctè sibi repræsentata habeat vim Dominativam super omnes actus suos in infinitum possibiles Essentialiter licèt oppositos simul eliciendos. Hoc autem implicare, patet tum ex intrinsecâ quorundam actuum oppositione, tum ex eo, quòd aliàs possibile foret infinitum *actu* & Categorematicum. Impossibile igitur est, omnium voluntatis actuum *Collectivè* sumptorum suspensionem esse nisi Negativam, nec nisi unius, vel quorundam determinatorum actuum suspensio seu Omissio in Voluntate potest pro aliquo instanti esse privativa & libera.

Ad Ioannis à Sancto Thomâ *n. 3.* oppositum Fundamentum Respondetur. Verum quidem esse, quòd potentia libera *formaliter* importet vim *Vitaliter* operativam: huic tamen præ alijs potentijs vitalibus peculiare esse, quòd sit vitaliter operativa cum libertate non contrarietatis duntaxat ad oppositos actus, sed etiam contradictionis ad agendum, & non agendum. Ex hac verò contradictionis libertate esse, quòd per vim super actus suos vitales Dominativam possit sui ipsius ab actu ejusmodi esse *Privativè* suspensiva. Unde duplicem distingui debere in voluntate libertatem actualem, alteram positivam, quæ ut sic *Formaliter* sit perfectio Vitalitatis in se *Essentialiter* imbibita, alteram verò libertatem quasi actualem esse privativam, quæ ut sic non tam sit perfectio, quàm privatio vitalitatis *Essentialiter* importans actûs à voluntate liberè eliciendi omissionem voluntariam. Etsi proinde nequeat libertas etiam privativa in *actu secundo* dari sine aliquo *Occasionaliter* ad illam se habente actu voluntatis, posse tamen ejusmodi privativam libertatem stare sine actu positivo tum *Formaliter*, tum etiam *Causaliter* ad eam se habente, adeò ut ex vi puræ omissionis possit voluntas intelligi non in actu primo duntaxat, sed in actu etiam secundo, sive in actuali libertatis privativo exercitio.

Ad *n. 4.* oppositum Respondetur. Concessâ Majore, negando Minorem. Etenim voluntatis actus secundus est per hoc, quòd voluntatis ad agendum & non agendum, indifferentia activa & Electiva sit sui ipsius ad alterum contradictionis extremum *intrinsecè* determinativa. Atqui alterum ex his extremis est actionis hic & nunc privatio, ex vi Dominativâ voluntatis super actionem illam procedens. Ergo in istâ privatione seu omissione stare potest actuale libertatis exercitium, non quidem *simpliciter* dictum, sed cum *addito* privativum seu omissivum, adeò ut talis omissio, neq; quoad Essentiam suæ speciei, neque quoad sui in individuo exercitium *intrinsecè*, vel etiam *causaliter* importet actum, sed hic ad illam se habeat *merè occasionaliter* per modum occasionis duntaxat remotæ *Concomitanter* duntaxat ad illam se habentis; *uti ex Thomistis docent* Medina & Curiel *supra citati.* 16.

✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠)(✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠

CONTROVERSIA VI.

Utrùm ad voluntarium interpretativum requiratur obligatio ac debitum operandi actum voluntariè Omissum?

CAjetanus *1. 2. q. 6. a. 3. & q. 18. a. 9.* Medina *cit. q. 6. a. 3.* Vasquez *disp. 24. cap. 3.* Ildephonsus Baptista *disp. 79. n. 49.* arbitratur, ut omissio sit voluntaria, requiri non solùm, quòd omittens possit facere, & non faciat, sed quòd teneatur ad faciendum. Fundamentum ab Ildephonso *n. 45.* deductum est. Hoc enim est discriminis inter negationem & privationem, quòd negatio nullum habeat fundamentum in re: privatio verò fundamentum habeat. Ex hoc autem discrimine fit, quòd privatio possit contineri in aliquo, tanquàm causâ, nempe in suo fundamento: negatio autem nullum fundamentum, nec adeò causam habens 1.

habens, in nullo Ente reali contineatur. At omissio actûs indebiti se habet ut pura negatio, omissio verò actûs debiti se habet ut privatio. Unde nullâ urgente obligatione, actûs omissio nequit reduci in voluntatem tanquàm causam etiam *indirectè* influentem. Atqui voluntarium reduci debet in voluntatem tanquàm Causam *saltem indirectè* influentem. Ergo omissio actûs hîc & nunc indebiti non potest esse voluntaria.

2. Almainus *tract. 1. moral. cap. 1.* Suarez *hic disp. 1. sect. 5.* Amicus *disp. 3. sect. 3. n. 49.* Ioannes à Sancto Thomâ *cit. disp. 3. a. 3. n. 31.* negant, requiri obligationem actûs hîc & nunc eliciendi, ut ejus omissio sit voluntaria. Fundamentum per Ioannem à Sancto Thomâ *n. 33.* deductum est. Nam stantibus principijs intrinsecis ac Essentialiter requisitis ad rationem voluntarij, oportet, illud poni. At principia voluntaria intrinseca solùm sunt cognitio objecti, & potentia voluntatis, à quâ ut principio intrinseco procedit voluntarium, Præceptum autem & obligatio est aliquid extrinsecum, supponens ipsum voluntarium tanquàm materiam, super quam cadit lex obligativa. Ergo positâ Dominativâ ad faciendum potestate ex parte voluntatis, atque cognitione objecti, seu advertentiâ ex parte Intellectûs, omissio erit eo ipso voluntaria, etiamsi non interveniat præceptum & obligatio.

3. Amicus citatus *n. 56.* cum Thomâ Sanchez *to. 3. de Matrim. disp. 45. n. 33.* hoc etiam ad effectum ex omissione secutum extendit asserens: Ad hoc, ut eventus ex omissione secutus sit omittenti voluntarius, nullum *per se* requiri debitum, sed solam prævisionem, tametsi tale debitum requiratur, ut eventus sit *Moraliter* imputabilis omittenti. Fundamentum est. Qui enim vult Causam, *Moraliter* vult effectum eum eâ connexum. At eo ipso, quòd sine omissione antecedente non esset secuturus eventus aliquis, sequitur, omissionem esse quodammodò hujus causam. Unde, quia omissio independenter à debito est voluntaria, consequens est, eventum ex tali omissione secutum esse quoque voluntarium.

4. Suarez *cit. sect. 5. n. 9. & 10.* limitat istam doctrinam, asserendo, effectum *per se* secutum ex voluntariâ omissione esse hoc ipso voluntarium, effectum verò *per accidens*, nisi adsit præceptum, non censeri voluntarium, etiamsi omissio fuerit ipsius occasio. Fundamentum est. Quia effectus positivus non est voluntarius, nisi aliquo modo respiciat voluntatem. At ratione omissionis voluntariæ, utpote non habentis cum illo connexionem *per se*, nequit eventus *occasionaliter* & *per accidens* secutus spectare ad voluntatem. Nihil proinde superest, ratione cujus ipse eventus possit habere respectum ad voluntatem, nisi præceptum & obligatio.

5. Verùm Amicus *n. 85.* ne istam quidem limitationem admittit. Fundamentum est. Nam præceptum non facit, sed supponit voluntarium. Ergo si posito præcepto, effectus *per accidens* ex omissione secutus est voluntarius omittenti, etiam ante præceptum est, non quidem ad culpam imputabilis, attamen voluntarius eo ipso, quòd voluntarium dicatur, quidquid aliquo modo pendet à voluntate sive *positivè* influente, sive *Negativè* se habente, sive *immediatè per se*, sive *mediatè* & *per accidens*.

Divus Antoninus *1. p. tit. 4. cap. 3. §. 2.* Cajetanus & Medina *locis citatis.* Vasquez *ubi supra.* Ioannes à Sancto Thomâ *cit. a. 3. n. 5.* Ildephonsus *dictâ disp. 79. dub. 2. n. 65.* existimant. Si effectus ex omissione liberâ secutus non sit *per se* ac *directè* volitus, requiri obligationem & præceptum ad hoc, ut sit *indirectè* voluntarius. Fundamentum ex Ioanne à Sancto Thomâ *hic n. 53.* petitum est. Si enim sequatur submersio Navis ex eo, quòd peritus, non tamen obligatus ad gubernandum eam non gubernet, vel alicujus occisio sequatur ex eo, quòd alter, citra tamen succurrendi obligationem, ipsi non subveniat: tunc ista Gubernatio, vel subventionis omissio nec *physicè*, nec *moraliter* influit. Ergo vi talis omissionis licèt voluntariæ voluntas neque ut causa physica, neque ut Causa moralis, ne *Mediatè* quidem ac *indirectè* influit in talem omissionem. Probatur sequela antecedentis. 7. Nam negatio nequit habere physicum influxum in effectum positivum, moralis autem influxus in tali casu non subsistit, nisi interveniat debitum, & obligatio impediendi effectum ex aliquâ liberâ omissione secutum, tunc enim omissio impediendi reputatur pro voluntate contrariâ, siquidem nullus præsumatur nolle implere debitum suum, nisi magis velit oppositum. Quare obligatione interveniente, effectus ex omissione secutus censetur *Moraliter* voluntarius: secus verò est, si talis obligatio non interveniat.

6.

Conclusio I.

Etsi nullâ interveniente obligatione, nequeat puræ omissioni convenire moralis aliqua imputabilitas: attamen potest esse voluntaria.

Probatur. Nam moralis imputabilitas est 8. secundùm rationem Meriti, ac Demeriti. At meritum erga Deum non stat in purâ omissione, sed in actu duntaxat positivo, *uti suo loco dicetur.* Demeritum autem fundatur in culpâ. Omnis autem culpa discordat à lege saltem æternâ, atque adeò supponit obligationem præcepti. Evidens igitur est, puræ omissioni, nullâ interveniente obligatione, non posse convenire Moralem imputabilitatem. Nihilominùs ut sit voluntaria, solùm requiritur, ipsam pendere ex Dominativâ & Electivâ Voluntatis ad agendum, & non agendum Virtute, ut sic sui ipsius *Negativè* determinativâ ad Omissionem, sive carentiam actûs. Ad ejusmodi verò determinationem Negativam, seu potiùs liberam *merè Extrinsecè* se habet obligatio. Stare igitur potest voluntarium *Negativè* indirectum v. g. omissio actûs consilij sufficienter ab Intellectu propositi, absque ullâ obligatione.

Conclusio II.

Vt effectus positivus, qui non *per se* ac *directè* volitus est, *indirectè* ex omissione secutus sit voluntarius, requi-

ritur præceptum & obligatio ponendi actum, ex cujus omissione sequitur effectus ejusmodi.

9. Probatur. Nulla enim omissio utpote negatio potest ab intrinseco habere vim effectûs positivi causativam. Ergo *per accidens* tantùm ratione Causæ extrinsecæ non impeditæ fit, quòd omissio habeat connexionem cum effectu positivo. At id, quod præter intentionem voluntatis omninò *per accidens* ex Causæ extrinsecæ influxu evenit, non est voluntarium, nisi de tali influxu impediendo subsit lex aliqua & obli-

10. gatio. Probatur istud assumptum. Ut enim aliquid sit voluntarium, debet pendere ex voluntatis liberâ determinatione. At nulla physica v. g. submersionis navis est dependentia à voluntate illius, qui fluctuum navis submersionem causantium vim arte & operâ, ac labore suo non elidit. Neque verò moralis tunc est à voluntate effectûs illius dependentia, dum nulla subest obligatio, per quam effectus ejusmodi habeat moralem cum voluntate dependentiam. In illo igitur duntaxat Casu potest effectus positivus in se *directè* non volitus ex omissione secutus esse *Moraliter indirectè* voluntarius, quando subest obligatio impediendi effectum, qui secundùm prævisionem ex omissione est secuturus.

Responsio ad opposita Argumenta.

11. AD Ildephonsi *n. 1.* oppositum fundamentum Respondetur. Aliam *in genere moris* distingui debere privationem sub ratione moralis imputabilitatis, aliam verò sub ratione liberi Negativi exercitij. Priorem igitur *in genere moris* privationem habere pro fundamento legis alicujus obligationem, posteriorem verò fundari in ipsâ voluntatis super actum omissum Dominativâ & Electivâ virtute, hic & nunc sui ipsius liberè determinativâ ad omissionem.

12. Ad Ioannis à Sancto Thomâ *n. 2.* propositum fundamentum Respondetur. Illo solidè probari, quòd lex & obligatio se habeat solùm *Extrinsecè* ad omissionem quâ voluntariam, licèt *Intrinsecè* requiratur ad ejus moralem imputabilitatem.

13. Ad Amici *n. 3.* oppositum Respondetur. Licèt, omissione positâ, prævideatur effectus positivus certò secuturus, hoc tamen non esse ex vi omissionis, sed ex influxu Causæ physicæ *per accidens* conjunctæ cum omissione. Unde hanc nō posse effectûs positivi esse Causam nisi *per accidens*. At illum, qui vult causam per accidens, non idcirco *Moraliter* censeri velle effectum præter intentionem secuturum, nisi talis Causa moralem cum effectu connexionem habeat ratione legis obligantis ad positionem actûs omissi, vel ad impeditionem effectûs prævisi. Ejusmodi proinde obligatione cessante, effectum ex omissione secutum non censeri etiam *indirectè* voluntarium.

14. Ad Suarezij *n. 4.* propositam doctrinam ℞. Etsi effectus privativus possit *per se* habere cōnexionem cum omissione purâ, sicuti non auditio sacri *per se* sequitur ex omissione exitûs è domo, seu accessionis ad Ecclesiam. Unde volens ejusmodi omissionem, in ipsâ tanquàm Causâ Negativâ *per se virtualiter* continente effectum ejusmodi privativum, istum vult *Indirectè*. Nihilominùs omissio pura non *per se* & ratione sui, sed *per accidens* ratione alterius Causæ, seu actûs *Concomitanter* ad eam se habentis potest influere in effectū positivum. Hic ergo in purâ omissione nunquàm potest esse *indirectè* voluntarius nisi *per accidens*, si fortè omissionem ejusmodi comitetur actus voluntatis positivus, habens ex se cum actu omisso incompossibilitatem, atque adeò vim omissionis *Moraliter* causativam.

Ad Amici *n. 5.* oppositum Respondetur. Præceptum non tam supponere voluntarium *Formaliter* in se ipso, quàm *Causaliter* in Virtute Dominativâ ejusdem liberè Causativâ. At verò, ut effectus aliquis dicatur contineri in Dominativâ voluntatis Virtute, debere cum istâ habere connexionem *per se* vel physicam, vel moralem. At verò effectum positivum neque *Directè* in se ipso, neque *Indirectè* in Causâ positivâ volitum, ratione puræ omissionis utpote nullam physicam effectûs positivi effectivâ vim habentis, posse respectu voluntatis habere physicam dependentiam. Quare moralem duntaxat, ratione alicujus de actu & hîc nunc eliciendo obligationis, superesse connexionem, vi cujus effectus positivus ex omissione *directè* in se, vel *indirectè* in Causâ positivâ non volitus possit *Moraliter* seu *Interpretativè* dici *Indirectè negativè* voluntarius uti fundamentum Ioannis à Sancto Thomâ *n. 6.* deductum efficaciter probat. 15.



ARTICULUS II.

DE

Libero.

VAria distingui potest libertas, ita ut alia sit Gloriæ, quæ est libertas à servitute incorruptionis, ac omnis miseriæ; juxta illud *Romanor. 8. Tunc & ipsa creatura liberabitur à servitute corruptionis in libertatem Filiorum Dei.* Alia est Gratiæ, quæ est libertas à servitute peccati, juxta illud ad *Rom. 8. Liberati à peccato, servi facti estis Justitiæ.* Alia denique est Naturæ, secundùm libertatem à Necessitate operandi. 1.

Quemadmodùm autem operandi necessitas potest oriri tum ex morali quâdam servitutis erga Dominum aliquem contractæ obligatione, tum ex principio quodam Extrinseco actionis necessitatem inferente, tum ex intrinsecâ ad agendùm determinatione; sic consequenter libertas Naturæ est partim à servitute morali, partim à coactione, partim ab intrinsecâ agendi necessitate, ita ut potentia habeat vim suæ ad agendum indifferentiæ ab intrinseco determinativam. De quâ Apostolus *1. Corinth. 7.* ait. *Non habens necessitatem, sed potestatem habens voluntatis suæ.* 2.

Hanc igitur à necessitate intrinsecâ libertatem in præsenti indagabimus, 1. quæsituri; *An detur liberum arbitrium? 2. Quid sit libertas arbitrij? 3. An, & qualiter ad libertatem requiratur, ut potentia omnibus ad agendum ex parte actûs primi, vel etiam* 3.

tiam ex parte actûs secundi requisitis positis, in sensu non tantùm Diviso, sed Composito possit non agere? 4. Utrùm ad libertatem actionis à creato arbitrio elicitæ requiratur prævia quadam per motionem Divinam determinatio? 5. Qualiter Divina prædeterminativa causalitas consequentem, non verò antecedentem necessitatem dicatur create voluntati inferre? 6. Cui denique potentiæ conveniat, esse liberam?

CONTROVERSIA I.

Utrùm in homine etiam post lapsum peccati detur liberum arbitrium ad actus non tantùm Naturales, sed etiam supernaturales?

4. CUm Tridentinum Concilium *sess. 6. de Iustif. cap. 1.* doceat; liberum arbitrium in hominibus peccato non esse quidem extinctum, attamen attenuatum viribus & inclinatum. Idcircò duo hìc Orthodoxo Theologo incumbunt; alterum, ut probet adversùs Hæreticos, dari in homine liberum arbitrium, alterum, ut explicet illam arbitrij ex peccato attenuationem, ejusque mediante gratiâ reparationem.

Referuntur Sententiæ & Argumenta opposita.

5. LUtherus asseruit, liberum arbitrium figmentum, titulum sine re, eò quòd nulli sit in manu, quidpiam cogitare boni, vel mali, sed omnia de necessitate absolutâ eveniant. Idem nihilominùs *lib. de Visitat. Saxon. tit. de lib. arb.* sic ait. *Multi indiscretè loquuntur de libero arbitrio, idcircò hanc brevem informationem ascripsimus. Homo habet ex propriâ virtute liberum arbitrium ad faciendum, vel omittendum opera externa, per leges & pœnas adactus. Quapropter potest & sæcularem probitatem, & bona opera facere ex propriâ virtute à Deo datâ, & ad hæc obtentâ.*

6. Has discordantes Lutheri sententias conatus est Bucerus *lib. de servo arbit.* concordare, admittendo libertatem à coactione, non verò à necessitate agendi. Consentit Calvinus *lib. 2. instit. cap. 2. §. 7.* Probare nituntur hunc errorem 1. sacris litteris, in quibus Deus dicitur agere omnia in omnibus, secundùm consilium voluntatis suæ. *ad Rom. 11. & 1. Corinth. 12.* Ergo operatur Deus etiam omnia hominis opera. At operatio Dei non est in potestate hominis. Ergo nec ipsius hominis opus est in ipsius libertate; uti videtur insinuari ex illo *Hierem. c. 16. Scio Domine, quòd non est hominis via eius, nec est viri dirigere gressus suos.* Et hinc *Ioan. 6.* dixit Christus, *Neminem venire ad Patrem, nisi Pater traxerit eum.* Imò *2. Corinth. cap. 3.* habetur, quòd *non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis, sed quòd sufficientia nostra ex Deo sit.* 2. Quia Deus prædefini-
7. vit ac præscivit omnia. Hæc autem prædefinitio ac præscientia est adeò certa, ut secundùm eam sint omnia infallibiliter eventura. At illa ipsa prædefinitio ac præscientia Dei non est in potestate hominis, ita ut possit ejus efficaciam impedire ac enervare. Ergo non est in potestate hominis facere, ne ipsius opera vi præfinitionis Divinæ de necessitate eveniant.

Econtrario indubitata Catholicorum est sententia adstruens voluntatis nostræ libertatem à Necessitate; veluti apertè traditur in Concilio Tridentino *sess. 6. cap. 5. & can. 4.* Fundamentum est 1. ex sacris litteris. Etenim libertas à necessitate eo ipso datur, si homini sit potestas eligendi alterutrum ex oppositis. At istam eligendi potestatem clarè adstruit sacra scriptura, speciatim *Deuter. 30. Testes invoco hodie cælum & terram, quòd proposuerim vobis vitam & mortem, benedictionem & maledictionem. Elige ergo vitam, ut & tu vivas & semen tuum.* Eadem eligendi potestas supponebatur in Davide, cui dicebatur *2. Reg. 24. Hæc dicit Dominus, trium tibi datur optio, elige unum ex his, ut faciam tibi.* Et paulò pòst: *Nunc ergo delibera.* 8.

Hinc 2. Patres Orthodoxi libertatem à necessitate in homine apertis testantur verbis. Divus Hieronymus *epist. ad Hedibiam q. 10. Deus,* ait, *dedit arbitrij libertatem, ut faciat unusquisque, quod vult, sive bonum, sive malum.* Et Sanctus Augustinus *lib. 3. de lib. arbit. cap. 1. ac sequentibus*, totus est in eò, ut demonstret, necessitatem repugnare libertati. 9.

CONCLUSIO I.

HOmini secundùm naturæ vires etiam post lapsum peccati inest potestas pro libertate suâ operandi Bonum morale ordinis naturalis.

Probatur. Nam ad operandum Bonum morale sufficit, ac requiritur repræsentatio moralis Honestatis, & vis ejusdem Electiva. Eo ipso autem, quòd homo sit rationalis, ut sic habens inditam Dei imaginem habet *connaturaliter* in se expressam Honestatem Ultimo Fini *Formaliter* spectato convenientem. Hinc autem habet sibi congenita moralium ordinis naturalis virtutum semina, ex quibus naturaliter germinant species Honestatis moralis repræsentativæ. Ad ejusmodi verò repræsentationem inest voluntati connaturalis proportio ad Bonum morale eatenus eligendum, ut eo ipso tamen vis hæc Electiva sit indifferens, quòd nullum Bonum naturaliter cognoscibile possit voluntatis commensurationem quodammodò infinitam coæquare. Consequens igitur est, voluntati secundùm naturæ vires inesse libertatem ad Bonum morale ordinis naturalis. 10.

Dices. Sanctum Bernardum *serm. 81. in Cant.* affirmare, quòd voluntas in deterius mutata ipsa sibi necessitatem faciat, ut tamen necessitas ejusmodi, cùm sit voluntaria, excusare non valeat, imò nec voluntas, cùm sit illecta, excludere valeat necessitatem. Ex quo videri, libertatem vi peccati exclusam esse à voluntate. 11.

Contra. Nam Divus Bernardus talem hìc adstruit necessitatem, quæ non sit exclusiva libertatis, veluti patet ex contextu prætacti Capituli: sic enim habetur in antecedentibus. *Interveniente peccato, patitur quandam vim & ipse homo, sed à voluntate, non à naturâ, ut ne sic quidem ingenitâ libertate privetur.* Quare Mellifluus Doctor nomine necessitatis ibi non intelligit vim ope- 12.

 randi

ritur præceptum & obligatio ponendi a-ctum, ex cujus omiſſione ſequitur effe-ctus ejuſmodi.

9. Probatur. Nulla enim omiſſio utpote negatio poteſt ab intrinſeco habere vim effectûs poſitivi cauſativam. Ergo *per accidens* tantùm ratione Cauſæ extrinſecæ non impeditæ fit, quòd omiſſio habeat connexionem cum effectu poſitivo. At id, quod præter intentionem voluntatis omninò *per accidens* ex Cauſæ extrinſecæ influxu evenit, non eſt voluntarium, niſi de tali influxu impediendo ſubſit lex aliqua & obli-
10. gatio. Probatur iſtud aſſumptum. Ut enim aliquid ſit voluntarium, debet pendere ex voluntatis liberâ determinatione. At nulla phyſica v. g. ſubmerſionis navis eſt dependentia à voluntate illius, qui fluctuum navis ſubmerſionem cauſantium vim arte & operâ, ac labore ſuo non elidit. Neque verò moralis tunc eſt à voluntate effectûs illius dependentia, dum nulla ſubeſt obligatio, per quam effectus ejuſmodi habeat moralem cum voluntate dependentiam. In illo igitur duntaxat Caſu poteſt effectus poſitivus in ſe *directè* non volitus ex omiſſione ſecutus eſſe *Moraliter indirectè* voluntarius, quando ſubeſt obligatio impediendi effectum, qui ſecundùm prævisionem ex omiſſione eſt ſecuturus.

Reſponſio ad oppoſita Argumenta.

11. AD Ildephonſi *n. 1.* oppoſitum fundamentum Reſpondetur. Aliam *in genere moris* diſtingui debere privationem ſub ratione moralis imputabilitatis, aliam verò ſub ratione liberi Negativi exercitij. Priorem igitur *in genere moris* privationem habere pro fundamento legis alicujus obligationem, poſteriorem verò fundari in ipsâ voluntatis ſuper actum omiſſum Dominativâ & Electivâ virtute, hic & nunc ſui ipſius liberè determinativâ ad omiſſionem.

12. Ad Ioannis à Sancto Thomâ *n. 2.* propoſitum fundamentum Reſpondetur. Illo ſolidè probari, quòd lex & obligatio ſe habeat ſolùm *Extrinſecè* ad omiſſionem quà voluntariam, licèt *Intrinſecè* requiratur ad ejus moralem imputabilitatem.

13. Ad Amici *n. 3.* oppoſitum Reſpondetur. Licèt, omiſſione poſitâ, prævideatur effectus poſitivus certò ſecuturus, hoc tamen non eſſe ex vi omiſſionis, ſed ex influxu Cauſæ phyſicæ *per accidens* conjunctæ cum omiſſione. Unde hanc nō poſſe effectûs poſitivi eſſe Cauſam niſi *per accidens*. At illum, qui vult cauſam per accidens, non idcirco *Moraliter* cenſeri velle effectum præter intentionem ſecuturum, niſi talis Cauſa moralem cum effectu connexionem habeat ratione legis obligantis ad poſitionem actûs omiſſi, vel ad impeditionem effectûs prævîſi. Ejuſmodi proinde obligatione ceſſante, effectum ex omiſſione ſecutum non cenſeri etiam *indirectè* voluntarium.

14. Ad Suarezij *n. 4.* propoſitam doctrinam R. Etſi effectus privativus poſſit *per ſe* habere cōnexionem cum omiſſione purâ, ſicuti non auditio ſacri *per ſe* ſequitur ex omiſſione exitûs è domo, ſeu acceſſionis ad Eccleſiam. Unde volens ejuſmodi omiſſionem, in ipsâ tanquàm Causâ Negativâ *per ſe virtualiter* continente effectum ejuſmodi privativum, iſtum vult *Indirectè*. Nihilominùs omiſſio pura non *per ſe* & ratione ſui, ſed *per accidens* ratione alterius Cauſæ, ſeu actûs *Concomitanter* ad eam ſe habentis poteſt influere in effectū poſitivum. Hic ergo in purâ omiſſione nunquàm poteſt eſſe *indirectè* voluntarius niſi *per accidens*, ſi fortè omiſſionem ejuſmodi comitetur actus voluntatis poſitivus, habens ex ſe cum actu omiſſo incompoſſibilitatem, atque adeò vim omiſſionis *Moraliter* cauſativam.

Ad Amici *n. 5.* oppoſitum Reſpondetur. Præceptum non tam ſupponere voluntarium *Formaliter* in ſe ipſo, quàm *Cauſaliter* in Virtute Dominativâ ejuſdem liberè Cauſativâ. At verò, ut effectus aliquis dicatur contineri in Dominativâ voluntatis Virtute, debere cum iſtâ habere connexionem *per ſe* vel phyſicam, vel moralem. At verò effectum poſitivum neque *Directè* in ſe ipſo, neque *Indirectè* in Causâ poſitivâ volitum, ratione puræ omiſſionis utpote nullam phyſicam effectûs poſitivi effectivâ vim habentis, poſſe reſpectu voluntatis habere phyſicam dependentiam. Quare moralem duntaxat, ratione alicujus de actu & hic nunc eliciendo obligationis, ſupereſſe connexionem, vi cujus effectus poſitivus ex omiſſione *directè* in ſe, vel *indirectè* in Causâ poſitivâ non volitus poſſit *Moraliter* ſeu *Interpretativè* dici *Indirectè negativè* voluntarius uti fundamentum Ioannis à Sancto Thomâ *n. 6.* deductum efficaciter probat. 15.



ARTICULUS II.

DE

Libero.

VAria diſtingui poteſt libertas, ita ut alia ſit Gloriæ, quæ eſt libertas à ſervitute incorruptionis, ac omnis miſeriæ; juxta illud *Romanor. 8. Tunc & ipſa creatura liberabitur à ſervitute corruptionis in libertatem Filiorum Dei.* Alia eſt Gratiæ, quæ eſt libertas à ſervitute peccati, juxta illud ad *Rom. 8. Liberati à peccato, ſervi facti eſtis Juſtitiæ.* Alia denique eſt Naturæ, ſecundùm libertatem à Neceſſitate operandi. 1.

Quemadmodùm autem operandi neceſſitas poteſt oriri tum ex morali quâdam ſervitutis erga Dominum aliquem contractæ obligatione, tum ex principio quodam Extrinſeco actionis neceſſitatem inferente, tum ex intrinſecâ ad agendùm determinatione; ſic conſequenter libertas Naturæ eſt partim à ſervitute morali, partim à coactione, partim ab intrinſecâ agendi neceſſitate, ita ut potentia habeat vim ſuæ ad agendum indifferentiæ ab intrinſeco determinativam. De quâ Apoſtolus *1. Corinth. 7.* ait. *Non habens neceſſitatem, ſed poteſtatem habens voluntatis ſuæ.* 2.

Hanc igitur à neceſſitate intrinſecâ libertatem in præſenti indagabimus, 1. quæſituri; *An detur liberum arbitrium? 2. Quid ſit libertas arbitrij? 3. An, & qualiter ad libertatem requiratur, ut potentia omnibus ad agendum ex parte actûs primi, vel etiam* 3.

tiam ex parte actûs secundi requisitis positis, in sensu non tantùm Diviso, sed Composito possit non agere? 4. *Utrùm ad libertatem actionis à creato arbitrio elicitæ requiratur prævia quadam per motionem Divinam determinatio?* 5. *Qualiter Divina prædeterminativa causalitas consequentem, non verò antecedentem necessitatem dicatur creatæ voluntati inferre?* 6. *Cui denique potentiæ conveniat, esse liberam?*

CONTROVERSIA I.

Utrùm in homine etiam post lapsum peccati detur liberum arbitrium ad actus non tantùm Naturales, sed etiam supernaturales?

4. CUm Tridentinum Concilium *sess. 6. de Iustif. cap. 1.* doceat; liberum arbitrium in hominibus peccato non esse quidem extinctum, attamen attenuatum viribus & inclinatum. Idcirco duo hîc Orthodoxo Theologo incumbunt; alterum, ut probet adversùs Hæreticos, dari in homine liberum arbitrium, alterum, ut explicet illam arbitrij ex peccato attenuationem, ejusque mediante gratiâ reparationem.

Referuntur Sententiæ & Argumenta opposita.

5. LUtherus asseruit, liberum arbitrium figmentum, titulum sine re, eò quòd nulli sit in manu, quidpiam cogitare boni, vel mali, sed omnia de necessitate absolutâ eveniant. Idem nihilominùs *lib. de Visitat. Saxon. tit. de lib. arb.* sic ait. *Multi indiscretè loquuntur de libero arbitrio, idcircò hanc brevem informationem ascripsimus. Homo habet ex propriâ virtute liberum arbitrium ad faciendum, vel omittendum opera externa, per leges & pœnas adactus. Quapropter potest & sæcularem probitatem, & bona opera facere ex propriâ virtute à Deo datâ, & ad hæc obtentâ.*

6. Has discordantes Lutheri sententias conatus est Bucerus *lib. de servo arbit.* concordare, admittendo libertatem à coactione, non verò à necessitate agendi. Consentit Calvinus *lib. 2. instit. cap. 2. §. 7.* Probare nituntur hunc errorem 1. sacris litteris, in quibus Deus dicitur agere omnia in omnibus, secundùm consilium voluntatis suæ. *ad Rom. 11. & 1. Corinth. 12.* Ergo operatur Deus etiam omnia hominis opera. At operatio Dei non est in potestate hominis. Ergo nec ipsius hominis opus est in ipsius libertate; uti videtur insinuari ex illo *Hierem. c. 16. Scio Domine, quòd non est hominis via eius, nec est viri dirigere gressus suos.* Et hinc *Ioan. 6.* dixit Christus, *Neminem venire ad Patrem, nisi Pater traxerit eum.* Imò *2. Corinth. cap. 3.* habetur, quòd *non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis, sed quòd sufficientia nostra ex Deo sit.* 2. Quia Deus prædefini-
7. vit ac præscivit omnia. Hæc autem prædefinitio ac præscientia est adeò certa, ut secundùm eam sint omnia infallibiliter eventura. At illa ipsa prædefinitio ac præscientia Dei non est in potestate hominis, ita ut possit ejus efficaciam impedire ac enervare. Ergo non est in potestate hominis facere, ne ipsius opera vi præfinitionis Divinæ de necessitate eveniant.

Econtrario indubitata Catholicorum est sententia adstruens voluntatis nostræ libertatem à Necessitate; veluti apertè traditur in Concilio Tridentino *sess. 6. cap. 5. & can. 4.* Fundamentum est 1. ex sacris litteris. Etenim libertas à necessitate eo ipso datur, si homini sit potestas eligendi alterutrum ex oppositis. At istam eligendi potestatem clarè adstruit sacra scriptura, speciatim *Deuter. 30. Testes invoco hodiè cælum & terram, quòd proposuerim vobis vitam & mortem, benedictionem & maledictionem. Elige ergo vitam, ut & tu vivas & semen tuum.* Eadem eligendi potestas supponebatur in Davide, cui dicebatur *2. Reg. 24. Hæc dicit Dominus, trium tibi datur optio, elige unum ex his, ut faciam tibi.* Et paulò pòst: *Nunc ergo delibera.* 8.

Hinc 2. Patres Orthodoxi libertatem à necessitate in homine apertis testantur verbis. Divus Hieronymus *epist. ad Hedibiam q. 10. Deus,* ait, *dedit arbitrij libertatem, ut faciat unusquisque, quod vult, sive bonum, sive malum.* Et Sanctus Augustinus *lib. 3. de lib. arbit. cap. 1. ac sequentibus*, totus est in eo, ut demonstret, necessitatem repugnare libertati. 9.

CONCLUSIO I.

HOmini secundùm naturæ vires etiam post lapsum peccati inest potestas pro libertate suâ operandi Bonum morale ordinis naturalis.

℟. Probatur. Nam ad operandum Bonum morale sufficit, ac requiritur repræsentatio moralis Honestatis, & vis ejusdem Electiva. Eo ipso autem, quòd homo sit rationalis, ut sic habens inditam Dei imaginem habet *connaturaliter* in se expressam Honestatem Ultimo Fini *Formaliter* spectato convenientem. Hinc autem habet sibi congenita moralium ordinis naturalis virtutum semina, ex quibus naturaliter germinant species Honestatis moralis repræsentativæ. Ad ejusmodi verò repræsentationem inest voluntati connaturalis proportio ad Bonum morale eatenus eligendum, ut eo ipso tamen vis hæc Electiva sit indifferens, quòd nullum Bonum naturaliter cognoscibile possit voluntatis commensurationem quodammodò infinitam coæquare. Consequens igitur est, voluntati secundùm naturæ vires inesse libertatem ad Bonum morale ordinis naturalis. 10.

Dices. Sanctum Bernardum *serm. 81. in Cant.* affirmare, quòd voluntas in deterius mutata ipsa sibi necessitatem faciat, ut tamen necessitas ejusmodi, cùm sit voluntaria, excusare non valeat, imò nec voluntas, cùm sit illecta, excludere valeat necessitatem. Ex quo videri, libertatem vi peccati exclusam esse à voluntate. 11.

Contra. Nam Divus Bernardus talem hîc adstruit necessitatem, quæ non sit exclusiva libertatis, veluti patet ex contextu prætacti Capituli: sic enim habetur in antecedentibus. *Interveniente peccato, patitur quandam vim & ipse homo, sed à voluntate, non à naturâ, ut ne sic quidem ingenitâ libertate privetur.* Quare Mellifluus Doctor nomine necessitatis ibi non intelligit vim operandi 12.

randi ab intrinseco determinatam, sed vehementem aliquam inclinationem ex peccato contractam, eodem Sancto Doctore *in consequentibus* attestante hisce verbis. *Necessitas hæc quodammodò voluntaria est favorabilis quadam vis premendo blandiens & blandiendo premens.* At verò inclinatio ejusmodi alia est per habitum ex peccato actuali frequentatio relictum; alia verò est per Concupiscentiam Carnis, seu peccati Fomitem. Hæc verò utraque inclinatio ita subest libertati voluntatis, ut ista debeat præesse appetitui, id est inclinationi peccati; eique dominari. *Gen. 4.* jubeaturque impius derelinquere viam suam (quantumvis inveteratam, & habituatam) ac reverti ad Dominum. Etsi proinde liberum arbitrium ex peccato Originali sit attenuatum, & destructâ Originali Iustitiâ mediante Carnis Concupiscentiâ inclinatum ad malum, eo ipso tamen, quòd ista inclinatio subdatur libertati arbitrij, oportet in hoc eatenus stare vim intrinsecam ad Bonum morale, ut cum solo Generali Dei auxilio possit naturali suâ vi elicere actus moraliter honestos, licèt habeat moralem quandam impossibilitatem sine auxilio Dei speciali resistendi gravibus tentationibus, ac faciendi opera, quæ ad sui perfectionem exigunt Victoriam gravium tentationum, vel omnium ordinis etiam naturalis mandatorum adimpletionem saltem virtualiter, *uti de his suo loco fusiùs dicetur.*

Conclusio II.

Voluntas secundùm intrinsecam suam entitatem in ordine ad supernaturalia virtutum opera habet libertatem inchoatam obedientialiter elevabilem, ac mediante supernaturali Formâ proportionabilem: completam verò ac proportionatam ad actus supernaturales potentiam habet ex habitu infuso in ordine ad objectum sibi proportionatum ac sub indifferentiâ objectivâ propositum constituente voluntatem in ratione proximæ potentiæ in lineâ supernaturali liberæ.

13. Probatur. Nam ad libertatem requiritur tum indifferentia objectiva ex parte intellectûs; tum indifferentia activâ, seu Electiva, & Dominativa ex parte voluntatis super objectum, ejusque prosecutivum actum habentis Dominium. At Mysteria etiam supernaturalia ipsummet quoque Deum in hâc vitâ cognoscendo per fidem, non habemus in intellectu nostro speciem Essentiæ Bonitatis Divinæ, ut est in se repræsentativam, sed novimus eam per speculum duntaxat ænigmaticum, seu speciem ex Formis Intelligibilibus creatis abstractam, & ut sic in Esse repræsentativo limitatam & coarctatam. Vi autem hujus limitationis fit, quòd nullum supernaturale objectum in speculo ejusmodi ænigmatico licèt supernaturali repræsentatum possit voluntatis infinitam ad Bonum universum commensurationem habentis capacitatem coæquare: At eo ipso, quòd tale objectum in speculo ejusmodi repræsentatum non sit coæquans infinitam voluntatis ad Bonum capacitatem; relinquitur locus indifferentiæ objectiuæ, Huic verò objectivæ ex parte Intellectûs indifferentiæ eatenus ex parte voluntatis respondet activa, seu Electiva ad oppositos actus indifferentia, ut hæc respectu Boni suæ connaturali commensurationi proportionati habeat ab intrinseco vim super actus ejusmodi Dominativam, ac pro libitu alterutrius effectiuam. Etsi vero voluntas re- 14.
spectu Boni sub ratione Formali *sub Quâ* supernaturali repræsentati non habeat vim ex se proportionatam, nec possit adeò suâ naturali virtute circa Bonum ejusmodi elicere actum, utpote in substantiâ supernaturalem. Nihilominùs est ab intrinseco per ipsammet suam entitatem eatenus elevabilis per Formam supernaturalem, ut per hanc elevata & instructa ipsa voluntatis entitas *Vitaliter*, atque adeò *Effectivè* influat in actum supernaturalem. At hic influxus eo ipso, quòd ex parte Intellectûs circa Mysterium supernaturale, seu Essentiæ Divinæ Bonitatem in speculo ænigmatico repræsentatam supponat indifferentiam objectivam, consequenter procedit ex voluntatis indifferentiâ Electivâ, & super objecta contraria, atque adeò super actus oppositos Dominativâ. Oportet igitur, in voluntate quoad intrinsecam suam Entitatem spectatâ respectu actuum supernaturalium ponere vim Dominativam, atque adeò libertatem non ex se completam *in actu primo*, sed inchoatam se habentem per modum principij per auxilium supernaturale, sive habituale ac permanens, sive Transiens elevabilis, & ut sic mediante supernaturali Virtute, ceu proximâ supernaturaliter operandi potentiâ proportionabilis.

Dices. Auxilium Dei ad supernaturaliter 15.
operandum elevans conferre homini ipsum velle & operari, juxta illud *Ioannis 6. Hoc est opus Dei, ut credatis in ipsum.* At vi auxilij dantis ipsum velle & operari non posse intelligi voluntatem eatenus esse elevatam, & ad operandum supernaturaliter proportionatam, ut habeat super velle suum Dominativam, seu oppositi Electivam Virtutem. Non posse igitur intelligi, qualiter voluntati possit Completa ad supernaturaliter operandum libertas competere ex elevatione Divini Auxilij; maximè cùm Divinum auxilium dans velle non sit in potestate creati arbitrij.

Contra. Nam duplex distingui debet Di- 16.
vinum ad supernaturales actus eliciendos in arbitrio creato auxilium; ita ut alterum se teneat *Formaliter* ex parte actûs primi à Sancto Augustino *lib. de corrept. & grat. cap. 12.* dictum adjutorium *sine Quo*; alterum verò ex parte actûs secundi, ab Augustino *citato* dictum adjutorium *cum Quo.* At illud prius ex parte actûs primi se tenens auxilium importat vim quandam supernaturalem voluntati impressam ad eliciendum actum circa Deum v. g. mediante supernaturali notitiâ repræsentatum in ænigmatico speculo, relinquente locum objectivæ indifferentiæ. Hoc autem supernaturali ex parte actûs primi se tenente auxilio instructa voluntas habet eo ipso indifferentiam super objecta opposita Electivam, & consequenter super actus Dominativam. At eo ipso, quòd Deus sua auxilia ex parte *actûs secundi* se tenentia eatenus attemperet Causis secundis liberis, ut his conferendo velle, tribuat ipsum etiam modum liberè agendi, con-

ti, consequens est; auxilia Divina voluntati ad supernaturaliter operandum mediante formâ infusâ, sub objectivâ, atque adeò Electivâ & Dominativâ vi, in actu primo completas dare velle ab hâc ipsâ vi Dominativâ *efficienter* procedens. Est autem per se manifestum, quòd velle ejusmodi sit hoc ipso *Formaliter* liberum, quòd procedat ex voluntatis vi Dominativâ. Patet igitur, qualiter auxilia Divina tam ex parte *actûs primi*, quàm ex *parte actûs secundi* se tenentia non destruant, sed conserant libertatem.

Responsio ad opposita Fundamenta.

17. AD Primum *n. 3.* oppositum Respondetur. Oportere duplicem Dei ad Extra operationem distinguere, alteram Deo *Formaliter* immanentem, ac *Virtualiter* Transeuntem; alteram in creaturâ receptâ, & extra Deum *Formaliter* Transeuntem. Priorem esse ipsummet voluntatis Divinæ consilium, secundùm quod omnia extra se operatur. Hoc verò Dei consilium non quidem pendere à voluntatis creatæ arbitrio, attamen esse Velle creati eatenus præparativum, ut hoc fluat ex voluntatis creatæ potentiâ, quatenus operatur secundùm indifferentiam tam objectivam, quàm Electivam, & Dominativam. Unde in operatione Dei ad extra Formaliter Transeunte realem cum velle arbitrij creati identitatem habente oportere duplicem Formalitatem *Virtualiter* distinguere, alteram ex respectu ad consilium Divinæ voluntatis, ex quo tanquàm sui effectivâ causalitate *immediatè* fluit; alteram ex respectu ad arbitrij creati vim sub indifferentiâ Electivâ Effectivam. Eo ipso autem, quòd Divinæ voluntatis consilium Velle nostrum præparet, quà procedens ex voluntate secundùm objectivam, & consequenter Electivam virtutem operativâ, sequitur; voluntatem Divinam non tantùm non impedire voluntatis creatæ libertatem, sed facere, ut hæc in actu primo secundùm vim Dominativam perfectè instructa, liberè faciat opus vi illius Divini Consilij præparatum, atque donatum. Unde verificari quidem, quòd via hominis non sit ipsius, quà Primi operantis, nec adeò ejusdem sit gressus suos *primò* dirigere; sed ista convenire voluntati creatæ tanquàm Causæ duntaxat secundæ, non operanti nisi ex Donatione Dei conferentis tam posse, quàm operari *physicè*, ac *liberè* pendens ex creati arbitrij Dominativâ potentiâ, *veluti evincunt textus sacri ex Ioan. 6. & 2. Corinth. 2. cap. allegati.*

18. Ad secundum *n. 4.* oppositum Respondetur. Prædefinitionem Divinam voluntatis nostræ ad operari præparativam *adæquatè* considerari debere, prout non ipsius Velle duntaxat, sed ipsius etiam posse est Causativa. Ut sic autem intelligi, ex prædefinitione Divinâ eatenus emanare perfectam sub indifferentiâ objectivâ & Electivâ voluntatis creatæ Dominativam Virtutem, ut ipsum etiam velle fluat ex ejusdem præfinitionis Divinæ Causalitate. At verò hanc præfinitionis Divinæ ipsum Velle nostrum Donantis Causalitatem facere, ut illud ipsum Velle nostrum *Efficienter* procedat à voluntate creatâ, quà secundùm Electivam & Dominativam indifferentiam operante. Esse verò per se manifestum, quòd Divinæ ex præfinitionis quà Dominativam sub Electiva indifferentiâ virtutem causantis, eatenus subsistat creati arbitrij libertas *in actu primo*, ut consequenter ex vi ejusdem quà Velle nostrum secundùm intrinsecam sui à Dominativâ & Electivâ voluntatis creatæ virtute dependentiam causantis, stet Velle nostri libertas *in actu secundo.* Etsi proinde præfinitio Divina, ejusque intrinseca efficacia non sit in potestate nostri creati arbitrij, ejus tamen effectum ex *parte actûs secundi* in voluntate nostrâ se tenentem dependere ab hujus Dominativâ virtute, esseque adeò respectu non Divinæ duntaxat, sed nostræ etiam voluntatis tam *Causaliter*, quam *Formaliter* liberum, atque adeò Præfinitionis Divinæ infallibilitatem non importare necessitatem virtutis Electivæ, seu indifferentiæ activæ ab *actu primo* voluntatis nostræ exclusivam, & consequenter ab hujus *actu secundo* neque causalem, neque formalem libertatem excludere.

❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀

CONTROVERSIA II.

Quid sit liberum arbitrium?

NIcolaus Ysambertus Sorbonius *1. 2. de lib. arb. disp. 5. a. 2.* ubi priùs duplicem distinxisset indifferentiam, alteram *ex parte judicij rationis* se tenentem in eo, quòd objectum à ratione secundùm varias boni conceptiones propositum non inferat voluntati necessitatem, sed quantum est in se, indifferentem relinquat: alteram *activam Formalem indifferentiam* in ipsâ voluntate sitam, & in eo se tenentem: quòd præsuppositâ illâ rationis indifferentiâ, voluntas omnibus ad agendum requisitis ex parte principij positis, maneat expedita ad volendum & nolendum. Exinde asserit, Bannem *1. p. q. 19. a. 10. dub. 1. docum. 3. subseq. coroll.* multosque alios physicam prædeterminationem admittentes existimare, solam primam *Iudicij rationis* indifferentiam sufficere ad libertatem. 1.

Petrus à Sancto Ioseph *suavis concord. de prædeterm. phys. disp. 2. sect. 1. n. 1. circa finem* affirmat, Didacum Alvarez *de auxilijs Divinæ gratiæ disp. 121. illat. 2.* docere, quòd infallibilitas Divini auxilij & absoluti præfinitivi Decreti, atq; gratiæ ex se efficacis non obsit libertati, eò quòd istâ efficacitate non obstante, homo moveatur per judicium rationis liberum, & indifferens ad utrumlibet, quatenus cognoscit rationem finis, & ejus, quod est ad finem, ordinemque unius ad alterum. Unde infert, si homo dicatur esse liberi arbitrij, perinde esse secundùm Alvarezij doctrinam, ac si diceretur, liberi judicij de agendo, vel non agendo. 2.

Idem Author *n. 2.* ubi verba Bannis *superius citati* adduxisset, *in fine* concludit 1. Thomistas memoratos totam nostræ libertatis indifferentiam constituere in objecto judicato, non autem in ipso intellectu, aut voluntate. 2. Ex tali fundamento facilè conciliari libertatem nostram cum antecedenti necessitate agendi, quæ juxta eo- 3.

ta eorum sententiam ex decretis & motionibus Divinis oriatur; quòd scilicet nihil horum impediat, quò minùs à voluntate necessariò elicitus procedat ex judicio, cujus objectum est in differens.

4. Verùm his non obstantibus Oviedo *contro. 12. de an. punct. 1. n. 1.* rectè dicit; potentiam liberam ab omnibus (nimirum Orthodoxis Doctoribus) definiri, *quæ positis omnibus requisitis ad operandum possit operari, & non operari.* Unde oportet sanè, Ysambertum & Petrum à Sancto Ioseph hallucinatos esse, dum Thomistis physicæ prædeterminationis assertoribus imponunt, quòd arbitrij libertatem ponant in solâ Iudi-
5. cij rationis objectivâ indifferentiâ. Etenim 1. Thomistarum Angelicus Doctor *q. 6. de malo. art. un. & in 2. dist. 25. a. 3. ad. 3. & 1. cont. Gent. cap. 88.* verbis nimis apertis insinuat illam definitionem. A quo suo Doctore 2. haud discrepat Bannes, qui in *citato docum. 3.* ista formalia habet: *Liber-*
6. *tas actûs voluntatis, quæ in ipsâ formaliter existit, consurgit ex radice actûs intellectûs, videlicet ex tali actu, & Iudicio Intellectûs. Proponit enim intellectus voluntati objectum, quod de se ipso indifferens est ad assecutionem objecti voluntatis, neque cum illo necessariam connexionem habet, & nihilominùs judicat ordinabile esse ad finem voluntatis, vel assecutionem illius, vel ad participandam aliquam bonitatem ex fine, & tunc judicat, ut ordinetur ad finem, & tunc voluntas eligit, & in tali electione formaliter est libera. Quæ libertas oritur tanquàm ex radice, ex prædicto Intellectûs Iudicio.* En igitur objectivam judicij indifferentiam *solùm Radicaliter* ex sententiâ Bannis esse libertatem, hanc verò consistere *Formaliter* in
7. voluntatis Electivâ potestate. 3. Alvarez *de auxil. disp. 116. concl. 2. & 4.* apertè docet; Formalem libertatem arbitrij creati non consistere *Formaliter* in indifferentiâ objectivâ, sed in indifferentiâ activâ ipsius facultatis liberæ indifferenter se habentis ad opposita, ita ut de intrinsecâ ratione libertatis sit, posse agere, & posse non agere, vel posse agere hoc, vel illud.
8. Hinc 4. Ioannes à Sancto Thomâ *de animâ. q. 12. a. 3. circa finem* ait, definitionem libertatis ab omnibus *communiter* receptam, *quòd sit facultas, seu potentia, quæ positis omnibus requisitis ad agendum possit agere, & non agere*; intelligendam esse in omni amplitudine, ita ut possit non agere positis omnibus requisitis, tam ex parte Causarum secundarum moventium, quàm ex parte Causæ primæ.

Conclusio.

Libertas in in actu primo *Connotativè* importat objectivam judicij indifferentiam, *Formaliter* autem & *Essentialiter* dicit activam, seu Electivam Voluntatis indifferentiam, vi cujus super objecta sub ratione Boni & Mali, sive secundùm Boni limitati universalem Voluntatis commensurationem non coæquantis rationem proposita, nec non super actus fugæ, vel prosecutionis circa objectum ejusmodi eliciendos, eorumvè omissionem habeat vim taliter Dominativam; ut positis omnibus ad agendum requisitis possit agere, vel non agere.

Probatur. Nam potentia libera *intrinsecè* 9.
fundatur in universali ad Bonum universum voluntatis commensuratione. Ex hâc enim universali commensuratione fit, quòd objectum sub ratione Boni limitati propositum, vel Bonum etiam infinitum in alienæ ex creatis formis intelligibilibus abstractæ speciei speculo nō nisi imperfecto ac limitato modo repræsentatum non ita coæquetur proportioni voluntatis, ut hæc ex necessitate trahatur ad illius amorem. Quare voluntas tunc habet indifferentiam ad talis objecti amorem, vel ejus omissionem, vel etiam ad fugam & odium ejusdem objecti repræsentati sub ratione aliqualis Defectibilitatis, atque adeò malitiæ Bono limitato mixtæ. Hæc autem voluntatis indifferentia eatenus est Electiva ad objectum sub diversis Boni & Mali rationibus propositum, ut habeat ex se ipsâ vim ab intrinseco determinativam ad actum vel amoris, vel odij, vel etiam ad istorum actuum omissionem. At ista vis ab intrinseco determinativa *Formaliter* dicit Dominium, seu vim Dominativam super actus ejusmodi. In hâc igitur vi Dominativâ *Formaliter* consistit potentia libera. At illa vis Dominativa de se ita radicatur in Essentiâ voluntatis, ut tamen non sit proximè expedita, nisi in ordine ad objectum sub Boni & Mali objectivâ indifferentiâ repræsentatum. Hæc igitur objectiva indifferentia se habet ad potentiam liberam, non ut intrinsecum ejus constitutivum, sed tanquàm connotatum necessarium ad hoc, ut Dominativa voluntatis vis possit denominari in ratione potentiæ proximæ liberæ. Unde potentia libera *Formaliter* consistit in Electivâ & Dominativâ voluntatis virtute habente, ut sic intrinsecam & Essentialem ordinem ad judicium objecti sub Boni & Mali objectivâ indifferentiâ repræsentatum.

CONTROVERSIA III.

An, & qualiter ad libertatem in actu primo requiratur, ut potentia omnibus ad agendum ex parte actûs primi, vel etiam ex parte actûs secundi requisitis positis, in sensu non tantum Diviso, sed Composito possit non agere?

Oviedo *cit. cont. 12. punc. 2. n. 3. & punct. 4. n. 11.* advertit, dupliciter posse aliquid ad actionem requiri. *Primò.* ut præ- 1.
requisitum, & tenens se ex parte *actûs primi* ad ipsam actionem, seu actum secundum. *Secundò.* tanquàm quid comitans & imbibitum seu identificatum cum ipso actu secundo, seu cum actione. Ex requisitis primo modo esse tum habitum cum intrinsecâ voluntatis potentiâ concurrentem ad producendum actum liberum; tum Decretum Divinum, quo Deus suam omnipotentiam applicat, ut præstò adsit ad concurrendum per modum Causæ primæ, & sæpè Decretum aliud, quo Deus suam omnipotentiam parat ad concurrendum loco habitûs ad actum supernaturalem cum homine peccatore carente tali habitu. De quibus proinde requisitis se habentibus per modum actûs primi intelli-

intelligendam esse definitionem liberi arbitrij, non autem de requisitis secundo modo ex parte actûs secundi se tenentibus. Fundamentum est. Nam potentia volitiva ex omnibus ad actum, ejusque negationem indifferentibus principijs constituitur in ratione liberæ, quatenus vim habet ad illorum indifferentiam determinandam; In hac autem determinatione consistit actus secundus libertatis. Unde sicuti operatio ipsa non potest esse indifferens ad se ipsam, & ad sui negationem, ita ea, quæ per identitatem comitantur actionem, non possunt esse ad ipsam indifferentia. Quare definitio libertatis intelligenda est, quatenus voluntas omnibus comprincipijs, reliquisque circumstantijs ex *parte actûs primi* se tenentibus, non autem *ex parte actûs secundi* se habentibus positis, potest agere, vel non agere.

2. Zumel *to. 3. disp. 2. dub. 1. concl. 2. præsertim §. Adducor in hanc assertionem. & concl. 4.* Item *disp. 5. sect. 1. concl. 2.* ponit Efficaciam gratiæ ex parte actûs primi seu principij cum voluntate physice influentis in actum secundum. Unde secundùm hanc opinionem videtur consequenter dici debere, quòd voluntas omnibus in actu primo ad agendum requisitis possit non agere *in sensu Diviso*, quantum scilicet est ex parte voluntatis, non verò in *sensu composito*, quantum videlicet est ex parte Efficacis auxilij cum voluntate ut adæquatum operandi actum primum seu principium habente compositi.

Explicatur ex eodem authore *cit. to. 3. pag. 220. col. 1. litt. C.* Etenim positâ efficaci gratiâ, seu determinatione illâ per modum actûs primi est infallibile, quòd voluntas sit operatura. Hæc autem infallibilitas est tum ex Divinâ prædefinitione, & intentione Dei id ita volentis voluntate efficaci: tum etiam tanquàm à Causâ veluti secundâ, ipsâmet efficacitate gratiæ adjuvantis, & *fortiter*, attamen *suaviter* præmoventis. Ex hoc autem, quòd ista efficax gratia sit *suaviter* præmovens scilicet per quandam proportionẽ ad conditionem & naturam Causæ liberæ, sequitur; consideratâ gratiâ efficaci, aut adjuvante, quatenus cum voluntate concurrit ad operationes ejus, in nobis esse potentiam, ut separetur à suo effectu, licèt re ipsâ nunquam separetur.

3. Probatur istud assumptum. Nam quòd Gratia efficax in actu primo simul ac secundo adjuvans non separetur à suo effectu, id non provenit ex eo, quòd à nobis auferatur potentia ad non consentiendum ipsi, sed ex efficaciâ ipsius gratiæ, tanquam *ex ratione per se*, & ex præsentia sui effectûs, qui est noster consensus, tanquàm *ex conditione sine quâ non* esset gratia efficax & adjuvans in actu primo & secundo. Ex hoc autem manifeste sequitur, infallibilitatem effectûs secuturi ex gratiâ efficaci non tollere libertatem arbitrij, tum quòd tale gratiæ auxilium sit in potestate liberi arbitrij non quidem tanquàm Causâ Efficiente, sed Consentiente, tum quòd habito respectu ad voluntatem, atque adeò *in sensu Diviso* possit effectus non sequi, licèt respectu auxilij efficacis, prout venit à Deo, sit certò secuturus: ut adeò auxilium efficax in ratione principij seu actûs primi, prout venit à Deo ex ejus Decreto, & proposito, ut fiat talis effectus, possit quidem dici determinatum, possit tamen etiam dici indifferens, eo ipso, quòd non sit *intrinsecè* necessitans voluntatem.

4. Didacus Alvarez *de auxilijs Divinæ Gratiæ disp. 19. à n. 9.* negat, Motionem Divinam, quâ liberum arbitrium applicatur & movetur à Deo ad liberè agendum, se tenere ex parte actûs primi, sed esse medium quid inter actum primum, & secundùm tanquàm ultimum actûs primi complementũ; cujus effectus Formalis sit, causam secundam reddere applicatam cum Causâ Primâ, facereque determinatam ad operandum, nihil immutando de modo, quo causa secunda nata est operari; veluti pluribus deducit Ioannes à Sancto Thomâ *q. 25. phys. a. 2.* Quo adeò supposito, fit consequens; secundùm hanc opinionem nullum in actu primo prærequisitum stare in voluntate, quin verificetur, voluntatem omnibus ad agendum ex parte actûs primi requisitis positis *in sensu etiam composito* posse non agere: tametsi antecedenter ad actum secundum etiam *inchoativè* spectatum detur in voluntate determinatio prævia, vi cujus verificetur, *in sensu Composito* non posse voluntatem dissentire Divinæ efficaci præmotioni.

Fundamentum ab Alvarez *disp. 29. concl. 1. ac seq.* deductum est. Quando enim dicitur, hominem auxilio efficaci non posse dissentire *in sensu composito*, nihil aliud significatur, nisi quòd motio illa efficax, & actualis dissensus non sint simul compossibiles in eodem homine: non autem est sensus, quòd motio efficax & potentia ad dissentiendum sint incompossibiles in eodẽ. Probatur istud assumptum. Nam sensus compositus est proprius modalis compositæ propositionis. Unde ut ista propositio verificetur. *Motus auxilio efficaci potest dissentire in sensu composito*, oportet, quod modalis composita sit vera. Atqui ad veritatem modalis compositæ requiritur necessariò, quòd extrema importata per propositionem, simul sint compossibilia in eodem subjecto. Ergo ad veritatem illius propositionis requiritur, quòd motio illa efficax & actualis dissensus possint esse simul in eodem subjecto. At licèt potentia dissentiendi simul stare possit in voluntate cum Efficaci Dei præmotione: impossibile tamen est, actualem dissensum simul componi cum tali efficaci excitatione, veluti tradit Sanctus Thomas *q. 23. de verit. a. 5.* Consequens igitur est, non verificari, quòd voluntas efficaci auxilio præventa à Deo possit *in sensu composito* dissentire.

CONCLUSIO I.

POtentiæ liberæ est, ut omnibus ad agendum requisitis ex parte actûs primi positis, *in sensu etiam composito* possit non agere.

5. Probatur. Nullum ex parte actûs primi requisitum in potentiâ liberâ admitti debet, vi cujus destruatur libertas saltem contrarietatis. At si efficax Dei auxilium voluntatis ad agendum *intrinsecè* prædeterminativum ex parte actûs primi se teneret, ita ut isto requisito posito, non posset voluntas *in sensu composito* dissentire, sequeretur: Voluntatem ne *in sensu quidem Diviso* posse intelligi cum potentiâ ad eliciendum

dum actum contrarium, nec adeò stare posse in voluntate libertatem saltem contrarietatis. Probatur ista sequela. Nam si auxilium efficax
6. se teneat ex parte actûs primi, sequitur, quòd voluntas quantumvis auxilio sufficienti elevata ad actum v. g. Divini amoris sit in actu primo duntaxat inadæquato, *ipsomet* Zumel *to. 2. disp. 2. dub. 1. concl. 2. & alibi* fatente. At de ratione potentiæ *Proximè* ac *Formaliter* liberæ est, habere virtutem in actu primo completam, &
7. expeditam ad operandum. Probatur ista minor. Essentia enim potentiæ *Formaliter* liberæ importat vim Dominativam super objectum & actum. Nequit autem esse vis Dominativa super actum, nisi habeat virtutem, quæ possit pro libitu exire in actum. At per se manifestum est, non posse pro libitu voluntatem exire in actũ, quamdiu non habeat virtutem proximam, & in actu primo completam ad agendum. Eo ipso autem, quòd auxilium Dei efficax spectet ad actum primum operandi, oportet, voluntatem quantumvis auxilio sufficienti instructam antecedenter ad infusionem efficacis auxilij non habere virtutem in actu primo completam. *Ipsius fatetur* Zumel *citatus*. Ergo pro tali signo nequit intelligi voluntas *simpliciter*, seu *Formaliter* & *perfectè* libera. At pro signo infusionis auxilij ad Divini amoris actum Efficacis intelligitur voluntas taliter prædeterminata ad istum actum, ut consequenter habeat incompossibilitatem cum auxilio efficaci ad actum oppositum *Entitativè* etiam spectatum. Ergo pro tunc est impossibilitas ad hoc, ut in voluntate sit potentia in actu primo completa ad actum ejusmodi. Si proinde voluntas pro signo efficacis
8. ad Divinum amorem auxilij infusionem antecedente non potest intelligi *Formaliter* ac *Simpliciter* libera, vel ad hunc amoris, vel oppositum actum, à fortiori nequit pro signo auxilij ad amorem prædeterminativi infusionem consequente habere libertatem *Formaliter* completam ad actum oppositum. Manifestum igitur est, libertatem contrarietatis pro nullo signo stare posse in voluntate, si auxilium Dei efficax requiratur ad actum primum operandi.

9. Dices. Auxilium efficax à Sancto Augustino *lib. de Grat. & lib. arbitrio cap. 6.* describi istis verbis. Certum est nos facere, cùm facimus, sed ille (scilicet Deus) facit, ut faciamus, præbendo vires efficacissimas voluntati. At *per τò vires efficacissimas* intelligi auxilium dans virtutem, atque adeò se tenens ex parte actûs primi.

10. Contra. Nam vires efficacissimæ, quibus Deus facit, ut nos faciamus, important tum ipsas vires operandi Divinitùs donatas, tum ipsum facere, seu cor obediendi à Deo datum, *uti patet ex contextu cit. cap. 16.* At per hoc insinuatur quoddam quasi concretum ex gratiâ dante actum primum, seu facultatem operandi, & ex gratiâ dante ipsum velle, seu operari. Cujusmodi gratiæ adjutorium *quasi concretè*, seu *completè* spectatum Sanctus Augustinus *in lib. de corrept. & grat. cap. 12. circa finem* exposuit hisce verbis. *Neque de ipsâ perseverantiâ Boni voluit Deus Sanctos suos in viribus suis, sed in ipso gloriari: qui eis non solùm dat adjutorium, quale primo homini dedit, sine quo non possunt perseverare, si velint, sed in eis etiam operatur & velle; ut quoniam non perseverabunt, nisi & possint, & velint, perseverandi ejus possibilitas & voluntas Divinâ gratiâ largitate donetur.* Hinc autem patet manifestè, quòd ex parte actûs primi dantis posse non sit adjutorium gratiæ, nisi quale Deus primo homini dedit. At istud non erat efficax. Hoc igitur Efficax gratiæ adjutorium Formaliter spectatum non se tenet ex parte actûs primi, sed adjutorium ex parte actûs primi se tenens est merè sufficiens, quale fuit in Adamo. Unde verum omninò est, voluntatem adjutorio Dei ad actum primum spectante nunquam ita præveniri, quin possit dissentire, seu non operari in sensu etiam composito.

Conclusio II.

Nullum adjutorium actum secundum *simpliciter* antecedens potest voluntatis liberæ taliter esse prædeterminativum, quin pro quolibet signo actum secundum saltem *Originativè & Inchoativè* spectatum antecedente verificari debeat, posse voluntatem pro suâ libertate *in sensu etiam composito* non operari, seu dissentire.

Probatur. Demus enim, unam dari qualitatem, quæ taliter conferat virtutem agendi in actu primo, ut simul tribuat effectum Formalem Adjutorij ad actum secundum efficaciter prædeterminativi, tunc, licèt objectum sub indifferentiâ objectivâ ex parte intellectûs sit repræsentatum, sitque adeò voluntati vis Electiva *de se*, ac *in sensu Diviso* ad utrumlibet in actu primo determinativa, non videtur tamen, posse hanc in actu primo determinativam virtutẽ dici liberam. At licèt adjutorium gratiæ sufficientis conferens in actu primo virtutem agendi, & adjutorium prædeterminativum actum secundum simpliciter antecedens realiter distinguatur, hæc tamen distinctio realis non impedit, quò minus eundem tribuant voluntati effectum Formalem, quem illa qualitas habens in se identificatam rationem adjutorij sufficientis ac efficacis, esset præstitura. Sicut ergo in illo priori possibili casu, sic in casu etiam posteriori non videtur stare libertas. Probatur tam Major, 11.
quàm minor. Nam illa qualitas voluntatis, Electivâ super objecto indifferenter proposito indifferentiam *de se* ab *intrinseco* habentis, naturam Essentialiter non immutans, ad istam Electivam indifferentiam & Dominativam virtutem comparatur, sicuti frigus per resistentiam Formalem impediens activitatem caloris, & impulsus per similem resistentiam subjecti naturalem motum impediens se habet ad naturam agentis taliter impediti: quemadmodùm enim impulsus non tollit virtutem naturaliter motivam, & frigus potest resistentiæ Formalis effectum exercere contra calorem non destructum, ita qualitas illa prædeterminativa sive distinguatur, sive identificetur cum virtute actûs primi, haberet vim insuperabiliter resistendi Electivæ voluntatis indifferentiæ, ne ad oppositum se posset *in sensu composito* determinare. At licèt Grave ad motum deorsum vim naturalem, & calidum applicatum passo intrinsecam ex se ipsâ

ſe ipsâ determinatam calefaciendi activitatem habeat, eo ipſo tamen, quòd frigoris, vel impulsûs Formali reſiſtentiâ ſuperetur, non poteſt ſimpliciter dici, quod pro tunc habeat activitatem reſpectu motûs deorſum, vel calefactionis expeditam, ſed impeditam. Unde licèt *in ſenſu Diviſo*, per quem actionis ſeu motûs ejuſmodi cum naturali calefactivâ, ſeu locomotivâ virtute fit comparatio, ſalvari poſſit naturalis ejuſmodi activitas, hæc tamen conſideratio quandam à ſtatu illius Formalis reſiſtentiæ præciſionem importans non tam ſpectat ad phyſicum reſpectu calefactionis, ſeu motionis quà naturalis *exercitè* faciendæ ſtatum, quam Metaphyſicam cauſæ, ſecundùm ſuam intrinſecam cum actione *ſignatè* ſpectatâ connexionem naturalem habentis contemplationem. Sicut ergo ad hoc, ut calor, ſeu vis naturaliter motiva habeat activitatem non impeditam, oportet, à Formali illâ reſiſtentiâ fieri ſeparationem non Metaphyſicam duntaxat, ſed realem & phyſicam, ſic ut illa voluntatis Electiva indifferentia non ſit *Formaliter* impedita ab alterutro oppoſitorum, exigitur, non eſſe aliquâ actum ſecundum ſimpliciter antecedente prædeterminativâ motione *intrinſecè* ac *Formaliter* determinatam ad unum.

13. Probatur iſta conſequentia. Si enim frigus *Formaliter* non deſtruens, nec *intrinſecè* immutans activitatem caloris, vel impulſus naturalem deorſum motivam virtutem *intrinſecè* illæſam relinquens per ſuam Formalem reſiſtentiam conſtituit activitatem ejuſmodi impeditam, ſic qualitas illa ad actionem prædeterminativa habens Formalem ac Eſſentialem cum omiſſione, ſeu cum actu oppoſito reſiſtentiam, voluntatis intrinſecam reſpectu objecti indifferenter propoſiti Electivam indifferentiam conſtitueret *intrinſecè* impeditam à liberâ omiſſione, ſeu ab actu oppoſito. At libertas *Formaliter* dicit vim Dominativam reſpectu actuum oppoſitorum. Ejuſmodi verò vis Dominativa debet eſſe *phyſicè* effectiva, atque adeò debet comparari ad actus non ſecundùm Metaphyſicam aliquam conſiderationem *ſignatè* ſpectatos, ſed prout *phyſicè* pro libitu ſunt *Exercitè* effectibiles à tali Dominativâ virtute. At nequit eſſe vis *Exercitè* Dominativa reſpectu actuum, in ordine ad quos *phyſicè* efficiendos voluntas per Formalem inſuperabilem ac indeclinabilem actui ſecundo ſimpliciter præviam reſiſtentiam eſt *intrinſecè* impedita: Sicuti voluntate imperante motum brachij, ſed altero formali impulsûs à ſe impreſsâ reſiſtentiâ motum ejuſmodi impediente, manet quidem integra imperij illius, nec non voluntatis virtus *de ſe in ſenſu Diviſo* habens potentiam brachij ad motum determinativam, eo ipſo tamen, quòd iſta potentia voluntatis pro tunc per reſiſtentiam validiorem ſit impedita, nequit tunc voluntas dici habere vim ſuper brachij motum hic & nunc *Exercitè* faciendum Dominativam. Unde pro tali caſu omiſſio talis motûs voluntati etiam *merè negativè* ſe habenti non eſt *indirectè* ac *interpretativè* voluntaria ſeu libera. Pari ergo ratione, licèt in voluntate ſtaret vis de ſe ſufficiens ad actum præceptum, eo ipſo tamen, quòd voluntas pro ſigno actum ſecundum etiam *Inchoativè* ac *Originativè* ſpectatum antecedente vi qualitatis ad oppoſiti actûs entitatem prædeterminativæ haberet Formalem reſiſtentiam ad exercitium actûs præcepti, vi cujus adeò reſiſtentiæ Formalis Dominativa voluntatis virtus eſſet *intrinſecè* impedita, non poſſet dici *ſimpliciter* libera, ſed locum ſanè haberet ſententia Divi Auguſtini aſſerentis: *Sine peccato cedi cauſæ, cui reſiſti non poteſt.* Conſequens proinde eſt, ad libertatem requiri, ut antecedenter ad actum ſecundum ſaltem *inchoativè* ac *originativè* ſpectatum verificetur, voluntatem poſſe omnibus ad agendum requiſitis poſitis, non *in ſenſu duntaxat Diviſo*, ſed *Compoſito* non agere.

Dices. Sanctum Auguſtinum *cit. cap. 12. de Corrept. & Grat.* gratiam efficacem deſcribere, quòd ſit voluntas Divinæ gratiæ largitate donata. Unde hunc Sanctum Doctorem videri inſinuâſſe, Divinæ gratiæ largitatem voluntati donatæ præviam. At hanc ipſam gratiæ largitatem eſſe illam Divinam gratiam, quâ voluntas indeclinabiliter agitur. ex Sancto Auguſtino *citato.* Ejuſmodi verò Gratiâ voluntatem inſuperabiliter ac indeclinabiliter movente ſuppoſitâ, non poſſe voluntatem *in ſenſu compoſito* non agere. Ergo ex mente Divi Auguſtini debere admitti gratiæ largitatem, vi cujus antecedenter ad actum ſecundum voluntatis verificetur, non poſſe *in ſenſu Compoſito* diſſentire, ſive non agere, ſed *in ſenſu* duntaxat *Diviſo*, factâ ſcilicet non actionis comparatione ad actum primum voluntatis. 14.

Contra. Nam Divinæ gratiæ largitas alia eſt activa, quæ eſt prædeſtinatio bonorum operum, ut in illis ambulemus, præparativa: alia verò eſt paſſiva, quâ indeclinabiliter agitur voluntas in Bonum, eſtque prædeſtinationis illius effectus, conſiſtens *Formaliter* in ipſis bonis operibus, habetque rationem Donationis paſſivæ. ex Sancto Auguſtino *de prædeſt. Sanct. cap. 10.* At prior activa gratiæ largitas conſiſtens in voluntatis Divinæ prædeſtinatione, ſe habet per modum actionis Deo immanentis, ſed *Virtualiter* Tranſeuntis. eſtque prima inchoativa, & originativa actûs ſecundi formalitas: poſterior autem paſſiva gratiæ largitas conſiſtens in ipsâ voluntate donatâ, ſe habet per modum actûs extra Deum *Formaliter* Tranſeuntis & *Formaliter* immanentis creatæ voluntati, à cujus Dominativâ virtute procedit. Unde in Divinæ efficacis gratiæ largitate non invenitur media inter actum primum, & ſecundum qualitas, nec niſi actum ſecundum ex parte Dei *originativè* & *inchoativè*, ex parte autem creatæ voluntatis *completivè* ſe habentem importat, ut adeò propoſitio, quâ gratia efficax dicitur eſſe voluntas Divinæ gratiæ largitate donata, in eo ſenſu accipienda ſit, partim quòd voluntas ejuſmodi denominetur in ratione gratiæ Donatæ per prædeſtinationem tanquàm Cauſalem gratiæ largitatem, & activam ſui Donationem: partim quòd eadem voluntas per ſe ipſam tanquàm Divinæ gratiæ largitatem Formalem, ac Donationem paſſivam *Intrinſecè* ac *Intranſitivè* denominetur donata. Etſi proinde ejuſmodi, ſive *Cauſali*, ſive *Formali* gratiæ largitate, & Donatione ſuppoſitâ, non poſſit voluntas *in ſenſu compoſito*, ſed *in ſenſu Diviſo duntaxat* non agere, quia tamen hæc utraque gratiæ largitas ſpectat ad actum ſecundum, in divinâ prædeſtinatione inchoatum, & in voluntate donatâ completum, conſequens eſt, non niſi con-

si consequenter ad actum secundùm *saltem Inchoativè* & *Originativè* spectatum verificari, quòd voluntas *in sensu composito* non possit non agere.

Instabis. Prædestinationem actuum Bo-
16. norum præfinitivam ad actus ejusmodi se habere tanquàm causalitatem eorundem effectricem. Ergo antecedenter ad consensum liberi creati arbitrij verificari, quòd non possit *in sensu composito* (factâ nimirum actûs liberi comparatione ad sui præfinitionem) dissentire, seu non agere. At non apparare, cur ista dissensûs *in sensu composito* repugnantia stare possit cum libertate, si fiat compositio cum Divinâ consensûs liberi præfinitione, non autem, si ejusmodi compositio intelligatur facta cum qualitate talis consensûs prædeterminativa.

17. Contra. Nam alia est ratio resistentiæ Formalis per formam agentis informativam, itàque ipsamet agentis virturem *intrinsecè* impeditivam: alia verò est ratio resistentiæ non afficientis, nec adeò impedientis *intrinsecè* vim activam, sed actionem duntaxat. Sic enim resistentia passiva per informationem frigoris in subjecto ad agens calidum applicato non afficit *intrinsecè* virtutem activam Caloris, nec adeò istam *Formaliter* in ratione virtutis impedit, ne, quantum est de se habeat vim agendi expeditam, sed quia ejus ratio pendet à subjecto, idcirco per illam passivam resistentiam impeditur actio Calefactionis in subjecto recipiendæ. A fortiori ergò Divina actûs nostri liberi præfinitio habens secum identificatum Decretum activæ voluntatis indifferentiæ, ejusque ad agendum Dominativæ virtutis Causativum & Conservativum, taliter comparatur cum libero arbitrio, ut isti non tribuat alicujus ad unam determinatam actionem determinationis effectum Formalem. Unde nihil immutat de Dominativâ agendi & non agendi virtute, sed hâc suppositâ, taliter incipit ex parte Causæ primæ esse actio actûs nostri liberi effectrix, ut ipsum etiam modum libertatis quà ex voluntaris nostræ Electivâ indifferentiâ & Dominativâ virtute prodeuntem suâ efficacitate attingat. At hoc ipsum est, eatenus servare *intrinsecè* immutatam, & illæsam actûs primi libertatem, ut suâ efficaciâ tribuat actum quoque secundum quà liberè emanantem ex voluntatis nostræ Dominativâ virtute. Hinc autem sequitur, quòd, licèt voluntatis nostræ ad
18. Divinam actûs liberi præfinitionem comparatione factâ, non possit *in sensu Composito* non agere, hæc tamen repugnantia eatenus oriatur *causaliter* ex illâ præfinitione, quatenus ista est quædam actûs liberi activa ex se emanatio, vi cujus emanationis actio dependenter à libero arbitrio nostro posita Formalem habeat repugnantiam cum negatione actûs. Constat proinde, ex vi præfinitionis Divinæ *Causaliter*, & ex vi actionis nostræ liberæ ex talis præfinitionis efficacitate secutæ *formaliter* induci in arbitrium nostrum resistentiam non virtutis liberæ, sed non actionis taliter impeditivam, ut ipsa tamen Dominativa liberè non agendi virtus in se maneat penitus illæsa & immutata. Econtra ve-
19. rò Qualitas prædeterminativa suum formalem effectum *intrinsecè* tribuit ipsimet voluntatis activæ virtuti. At qualitas intrinsecum Formalis ad hanc actionē determinationis effectum tribuens virtuti activæ, est hujus *formaliter* determinativa, & ut sic ex parte agentis, ejusque activæ virtutis *intrinsecè* impeditiva effectûs oppositi. Est autem per se manifestum, quòd intrinseca vis activæ ad unum determinatio Formalis, virtutis ejusmodi respectu oppositi Formaliter impeditiva pugnet cum formali Electivæ oppositorum indifferentiæ, nec non vis ad opposita Dominativæ ratione. Cùm igitur præfinitio Divina ratione sui *Causalem*, ratione verò nostri liberi ex se emanantis *Formalem* cum non actione repugnantiam habens, pro signo actûs nostri liberi effectionem antecedente nullum creato nostro arbitrio tribuat effectum formalem determinationis alicujus intrinsecæ, sed pro signo secundùm prioritatem naturæ consequente faciat ex se emanare talem Voluntatis nostræ determinationem intrinsecam, quæ ab Electivâ ejusdem indifferentiâ sit dependens, consequens est, libertati non repugnare, quòd comparatione ad illam Dei præfinitionem, non verò factâ ad qualitatem voluntatis nostræ pro signo contensum ipsius antecedente *intrinsecè* prædeterminativam factâ verificetur, *in sensu composito*, voluntatem, stante licèt suâ Dominativâ virtute, non posse non agere.

Responsio ad opposita Fundamenta.

AD Oviedo *n. 1.* propositam doctrinam, ejusque fundamentum respondetur. Nobis 20.
probari quidem, quòd definitio libertatis e.t.-nus sit intelligenda, ut potentia omnibus ad agendum ex parte actûs primi, non autem secundi requisitis positis, possit non agere. Verùm displicere, tum quòd Decretum ex parte Dei ad actus nostros liberos requisitum ponat ex parte actûs primi: hoc enim pugnat cum ijs, quæ *to. 1. q. 6. a. 5.* secundùm doctrinam S Augustini fusè deducta sunt, tum quòd Decretum ejusmodi ponat de se indifferens, ex hoc enim contra Doctrinam Apostoli evinceretur, voluntatem nostram in operari primò discernere se a non operante, posseque adeò in se, non in Deo ratione hujus operandi determinationis, seu à non operante discretionis, gloriari, velut ostendimus *cit. q. 6. a. 5. cont. 6.*

Ad Zumelis *n. 2.* oppositum Respondetur. 21.
Vix apparere, qualiter secundùm proportionem & conditionem Causæ liberæ propriam *suaviter* mota dici possit voluntas, si antecedenter ad determinationem ex sui activâ indifferentiâ emanantem, *intrinsecè* & *formaliter* sit determinata per qualitatem ex parte primi præferrim actûs se tenentem. Etenim quis neget possibile, quòd objectivâ ex parte Intellectûs indifferentiâ & intrinsecâ voluntatis ex suâ ad Bonum universum commensuratione universali activam indifferentiam fundantis, entitate stante, Deus posset infundere qualitatem taliter ad unum actum prædeterminativam, ut esset *Formaliter* impeditiva ipsius ad oppositum Electivæ & activæ virtutis: sicuti imprimi potest agenti naturali impulsus, qui ejus ad motum naturalem virtutis sit *intrinsecè* & *formaliter* impeditivus. At in illo casu vix videtur intelligibile, qualiter subsistere possit vis pro libitu respectu oppositorum Dominativa. Quis autem non asserat, talem Formalem effectum de facto tribui per qualitatem illam prædeterminativam, dum ista præfer-

præsertim ex parte actûs primi se teneret? Qualiter ergo stabit liberta in actu primo?

12. Ad Alvarez *n. 4.* propositam doctrinam Respondetur. Sensum compositum optimè exponi contra Recentiorum doctrinam, qui in sensu à Thomistis haud sanè intento illum applicant, prout videre est *in to. 1. q. 5. a. 5. cont. 9. n. 20.* Insuper verum esse, *quòd voluntas efficaci auxilio prævента à Deo, non possit in sensu Co. posito dissentire.* Verùm hanc ipsam veritatem stare vix posse, si efficacia gratiæ per modum qualitatis *intrinsecè* prædeterminativæ se dicatur tenere in formâ, actum secundum *inchoativè etiam ac originativè* ex parte Dei spectatum *simpliciter* antecedente, ut hîc *concl. 2.* ostendimus. Quare auxilium ejusmodi efficax potiùs se tenere in ipsâ actuali nostrâ voluntate, quà vi Causalitatis Divinæ præfinitionis *Formaliter* immanentis, ac *Virtualiter* Transeuntis donatâ, uti *to. 1. q. 6. a. 6. cont. 2.* ex Sancto Augustino demonstravimus. ac *proximè seq. cont.* pluribus deducemus.

CONTROVERSIA IV.

Utrùm ad efficientiam actionis à creato arbitrio eliciendæ requiratur prævia quædam per motionem Divinam determinatio?

1. Quamvis prædeterminativam antecedenter ad actum secundum arbitrio nostro creato impressam qualitatem hîc *præced. cont.* & *in to. 1. ubi supra* refutaverimus tanquàm superfluam, & de mente etiam sancti Augustini minùs necessariam. Nihilominùs quia Thomistæ recentiores in eâ defendendâ plurimùm laborant, operæ pretium est videre, an ex omnium Divi Thomæ discipulorum antiquorum præcipuè sententiâ, & ex quo fundamento adstruatur.

Referuntur Sententiæ.

2. Zumel *to. 3. disp. 4. conclu. 4. circa medium* ait, modum loquendi de physicâ prædeterminatione, & voabulum ipsum a Suarezio & à suis inventa esse; cùm tamen ante hanc ætatê Thomisticæ Doctrinæ æmulatores contenti fuerint dicere, quòd Deus nos moveat auxilio efficaci ad pœnitendum: quòdque nos moveat suâ gratiâ mirificâ, aut vi suâ, aut quòd propriè efficienter nos præmoveat intus agendo. Illud autem vocabulum *physica prædeterminatio*, quia sonat prædeterminationem naturalem, non benè inventum esse ad explicandam efficaciam gratiæ respectu operum supernaturalium.

3. Cæterùm qualiter illa secundùm propriæ efficientiæ rationem præmotio Dei fiat in voluntate liberè agente, Zumel *cit. to 3. disp. 5. sect. 1. concl. 3.* advertit; duplici modo intelligi posse. *Primò*, quòd Deus antecedenter ad actum liberi arbitrij producat formam seu motionem aliquam receptam in libero arbitrio, ad cujus efficacitatem infallibiliter sequatur, quòd liberum arbitrium liberè eliciat actum illum, non quidem ad eum modum, quo ex motione, quâ scribens moveat calamum, resultat necessariò actio instrumentalis, quâ ipse calamus instrumentaliter efficit characteres: sed ad eum modum, quo Deus attingit omnia à Fine usque ad Finem fortiter, & disponit omnia suaviter, juxta libertatis & contingentiæ, vel necessitatis modos cujusque proprios. *Secundò* intelligi posse Deum taliter præmovere voluntatem nostram, quòd non intelligatur producere in libero arbitrio quid prævium actui, præter auxilia gratiæ sufficientis; quòdque tam ipse Deus, quàm liberum arbitrium elevatùm auxilio sufficiente efficiant actum: tamen priùs naturâ attingat illum *Effectivè* Deus, quam liberum arbitrium. Quem proinde utrumque præmovendi modum *an Author citatus* jure & meritò vocari posse prædeterminationem physicam, quia ponit aliquid, ex cujus positione infallibiliter consequitur actus. Hinc author ille intentus ad probandum, quòd gratiæ auxilia efficacia non *Moraliter* duntaxat, sed *physicè* moveant, multis sacræ scripturæ, & sanctorum Patrum testimonijs coacervatis, unice conatur evincere, quòd actus liberi nostri eatenus incipiant à Deo, ut non *Moraliter* duntaxat, sed *propriè efficienter*, sive *physicè* præmoveat. Nec certè argumenta per ipsum fusè deductâ probant, quòd illa Dei præmotio efficiens primo potiùs, quàm secundò modo se habeat. Fatetur etiam Ioannes a Sancto Thomâ in *phys. q. 24. a. 2. concl. 3.* quosdam ex Thomistis docere, quòd prævius Causæ primæ concursus realiter movens Causam secundam non sit aliquid creatum, & de novo productum in creaturâ, sed solum Decretum, seu voluntatem Dei efficacem extrinsecùs assistentem, quo statim moveatur creatura, quasi quâdam sympathiâ, & naturali ad Deum subjectione. 4. 5. 6.

7. Idem nihilominùs author *loco citato* tenet, illam præmotionem Dei in Causis secundis esse aliquam qualitatem per modum motionis à Deo, quâ virtus creata applicatur ad suam operationem, tollendo indeterminationem & potentialitatem ejus ad operandum.

Concluiso.

Non est necessaria qualitas voluntatis creatæ in aliquo reali naturæ priori ad actû secundû prædeterminans, sed Motio Divina Causæ secundæ liberæ prædeterminativa *Originativè* & *Inchoativè* est Decretû Dei Efficax actûs nostri quà liberi præfinitivum & Causativum: *Terminativè* verò & *Consummativè* est ipse actus liber, quà ex Divinæ prædestinationis causalitate donatus, ut sic secundùm rationem ratiocinatam habens naturæ prioritatem respectu Formalitatis in eodem actu libero realiter secum identificatæ quà dependentis & emanantis à creato libero arbitrio.

8. Probatur. Nam, ut videre est apud Ioannem à Sancto Thomâ *q. 24. phys. a. 2. concl. 2.* Thomistæ conantur, illam Divinam motionem pro aliquo priori actum secundum realiter antecedente voluntatis creatæ prædeterminativam probare ex suo Angelico Doctore *q. 3. de potentiâ. a. 7. ad 7. & 1. 2. q. 110. a. 2.* ubi inquit: *Ex motione Divinâ relinqui motum in animâ, quia actus moventis in moto est motus.* Atqui actio, passio & motus distinguuntur secundùm diversas habitudines, attestante Divo Thomâ *1. p. q. 45. a. 2.*

45. a. 2. ad 1. quòd actio & passio conveniant in substantiâ motûs, & differant solùm secundùm diversas habitudines. Hæ verò diversæ habitudines in eo se tenent, quòd actio importet habitudinem originis ad movens, passio verò dicat habitudinem receptionis ad mobile, motus denique respiciat terminum per modum transitûs, & tendentiæ ad illum de imperfecto ad perfectum. ex Ioanne à Sancto Thomâ *q. 14. phys. a. 2. concl. 2.* Unde motus *Entitativè* spectatus non distinguitur realiter à termino, licèt prout importat rationem originis, & receptionis identificetur cum actione, & passione. ex *proximè citato a. 2. concl. 3.* At verò motus, quem *de mente* Divi Thomæ *supra citat.* motio Divina relinquit in animâ, habet pro termino actum nostrum liberum ex Divinæ voluntatis efficaciâ ac creatæ voluntatis indifferentiâ Electivâ causatum. Si ergo motus *Entitativè* spectatus secundùm Ioannem à Sancto Thomâ non distinguatur realiter à termino, consequenter dici debet, quòd motus, quem motio seu prædefinitio Divina relinquit in animâ, non sit qualitas pro priori reali actum nostri liberum antecedens, sed sit ipse actus noster liber.

10. Hic verò actus liber ita comparatur ad activam voluntatis indifferentiam, ut ad eandem voluntatem se habeat tanquàm ad mobile, mediante actu illo libero immutatum, tum ex Divinâ actum ejusmodi liberum Donantis præfinitionis causalitate, tum ex sui ipsius Dominativæ virtutis actuali actûs ejusmodi effectrice determinatione. Quare actus noster liber respectu nostræ voluntatis quà mobilis eatenus induit formalitatem passionis, ut respectu ejusdem habeat etiam rationem actionis. At eo ipso, quòd ille ipse actus noster liber tam sub ratione sui à voluntate creatâ emanationis, quàm sub ratione sui in voluntate creatâ receptionis respiciat Divinam præfinitionem, ejusdem tum liberæ Emanationis, tum receptionis effectricem, ut sic induit habitudinem ad efficax Dei Decretum, ex quo tanquàm actione sui actualiter motrice, Divinæque voluntati *Formaliter* immanente, ac *Virtualiter* Transeunte fluit per modum actionis extra Deum *Formaliter* Transeuntis. Unde etiam fit, quòd actus ejusmodi liber

11. tum sub ratione sui à voluntate emanationis, tum sub ratione receptionis in voluntate, tum ratione suæmet Entitatis motionem Divinam ut sic ultimatè terminantis eatenus habeat rationem Doni, seu Donationis passivæ, ut ejus activa Donatio sit ipsa Divina actûs ejusmodi præparativa prædestinatio, seu præfinitio. At verò gratiam efficacem Sanctus Augustinus *lib. de corrept. & grat. cap. 12. circa finem* ait, esse ipsam voluntatem (id est actum nostrum liberum) divinæ gratiæ largitate donatam. In quem sensum *lib. de prædest. Sanct. cap. 10.* inquit, prædestinationem esse gratiæ præparationem, vi cujus Deus præparat opera nostra: unde gratiam esse ipsa opera nostra. Est autem gratia ipsa donatio. ex S. Augustino *citato.* Consequens proinde est, ipsum actum liberum eatenus esse Donum Dei, ut Divina ejus prædeterminativa motio *Originativè* & *Inchoativè* importet Decretum Dei Efficax ejusdem actûs liberi præfinitivum & Causativum: *Terminativè* verò & *consummativè* sit ipse actus noster liber qua ex Divinæ prædestinationis causalitate eatenus donatus, ut tamen *Efficienter* emanet etiam ex Dominativâ & Electivâ voluntatis creatæ virtute.

Dices. Nos dum efficaciam gratiæ, quatenus voluntatis nostræ consensui prævium, non verò simultaneum concursum importat, non in motu aliquo voluntati impresso, sed in Divinâ actûs nostri liberi efficaciter præfinitivâ voluntate constituimus, haud concordare cum Divi Thomæ doctrinâ. Probatur istud assumptum ex Ioanne à Sancto Thomâ *cit. q. 24. phys. a. 2.* Nam Doctor Angelicus *2. 2. q. 23. a. 2.* contra Magistrum intendens probare, quòd Charitas non sit ipse Spiritus Sanctus, sed aliquis ejus effectus in animâ, taliter argumentatur. Charitas secundùm Augustinum est motus animi ad fruendum Deum propter ipsum. At motus animi est aliquid creatum in animâ. Ergo ipsa charitas. Hæc autem probatio omninò deficeret, si Deus solo suo Decreto efficaci sine aliquo de novo producto sufficienter posset aliquam causam movere. At illud productum se habens per modum motûs, quo movetur anima, non potest intelligi esse actus elicitus, sed aliqua inspiratio recepta, ut eliciatur, siquidem motus in mobili recipitur, non autem eliciatur, ut motus est. veluti Ioannes à Sancto Thomâ *cit. §. Quare relinquitur tertia sententia.* ex suo Angelico Doctore argumentatur. 12.

Contra. Nam efficacia gratiæ seu prævius Dei cum voluntate nostrâ concursus spectari potest tum *Inchoativè* & *Originativè* in primâ scilicet gratiæ origine, tum *Terminativè* & *Consummativè* in Termino gratuitam scilicet Dei motionem Terminante. Priori ergo modo Efficaciam gratiæ rectè statui in præfinitione Divinâ, evincitur ex Divo Thomâ *cit. 1. 2. q. 110. a. 1.* docente, ipsam Dei dilectionem gratiæ ex se participatæ effectricem mereri nomen Gratiæ. At posteriori modo Gratiæ efficaciam poni debere in gratuito effectu, qui sit motus animæ, apertè docet Sanctus Doctor *cit. q. 110. a. 1. & 2.* Neque verò ex eo, quòd de ratione motûs sit recipi in mobili, non verò elici, Ioannes à Sancto Thomâ *ubi supra* evincit, esse realiter distinctum ab actu nostro libero. 13.

Probatur istud assumptum. Nam ipse Charitatis actus, quà Spiritûs Sancti effectus, est motus animi. Hic autem est elicitus à voluntate. Ergo motus eatenus potest esse elicitus à voluntate, ut eo ipso tamen, quòd talis motus non tantùm sub ratione receptionis, sed etiam sub ratione sui à voluntate emanationis sit ex Causalitate Divinæ præfinitionis, habeat respectu hujus rationem motûs, tum sub formalitate receptionis, tum sub formalitate sui à voluntate creatâ emanationis. Cùm proinde ipse Charitatis actus eatenus se habeat tanquàm motus animi, ut tamen pro aliquo priori causalitatis signo per prius respiciat Dei præfinitionem, quàm voluntatem creatam, imò ejusdem ab hâc emanatio Essentialiter pendeat ex Causalitate Divinæ præfinitionis, imò ista ex Divinâ præfinitione dependentia secundùm rationem ratiocinatam sit prior dependentiâ ejusdem actûs à voluntate creatâ, consequenter secundùm illud prius signum efficacia gratiæ *Terminativè* & *Consummativè* spectata in actu potest intelligi quà prævius, non verò simultaneus Dei concursus. 14.

Replica-

Replicabis ex Ioanne à Sancto Thomâ *citato §. Quod si inquiras*, prævium Dei concursum seu præmotionem considerari debere, quòd sit applicatio quædam actûs primi ad secundum: sicuti applicatur & conjungitur instrumentum ad operandum effectum principalis agentis. In quem sensum S. Augusti[illegible] *lib. 1. ad Simplicianum q. 2.* d[illegible] *Deo modum, quo* [illegible] *applicaret, voluntatemque* [illegible]. At alia[illegible] [illegible]icationem Causæ Efficientis cum subjecto, aliam verò unius efficientis cum aliâ Efficiente: sicuti applicantur duæ Causæ partiales, vel Causa inferior & superior, uti sol cum homine ad generationem hominis, & simpliciter Deus cum Causâ secundâ. Et quidē Deum magis intimè conjungi cum causis secundis, quàm aliam quamlibet Causam, eò quòd magis ab illo dependeant omnes causæ. At verò ex Causæ inferioris ad superiorem conjunctione semper confortari ac perfici inferiorem. Unde cùm Deus sit Causa summæ actualitatis & perfectionis, nullam habens potentialitatem, consequenter relinqui causam creatam maximè actuatam, & reductam in actum, sublatâ omni potentialitate & indeterminatione ad agendum, quod ex propriâ virtute non habebat. Cujusmodi Causæ secundæ cum Primâ conjunctionem, eo ipso quòd sit, prævia ad operationem, esse actum secundum.

16. Contra. Nam in naturâ creatâ non tantùm est potentialitas ad operari, sed etiam ad Esse. Vi autem hujus ad Esse potentialitatis in naturâ creatâ est intelligibilis quædam indifferentia ad Esse tum connaturale creatæ propriæ Existentiæ, tum supernaturale ac Divinum alienæ increatæ subsistentiæ ac Existentiæ. At verò ista ad Esse creatum & increatum potentialitas & indifferentia *Formaliter* actuatur per existentiam, *Causaliter* verò per actionem Divinam. Hæc verò Divina actio, si naturam contingat creari, non est alia nisi Decretum & Dictio Divina, ex quâ *immediatè* emanat Natura ut actuata per Existentiam. At sicut existentia comparata ad Esse Existentiæ est in Essendo actus quasi secundus, sic operari in lineâ operativâ se habet ad actum primum. Probatur

17. istud assumptum. Sicut enim Essentia in lineâ Essendi *Essentialiter* est dependens ex Divinâ Causalitate: sic Causa secunda habet in Causando Essentialem dependentiam à Causâ primâ. Atqui Essentiæ creatæ ex Divinâ causalitate dependentia Essentialis in eo se tenet, quòd licèt Essentia ejusmodi in actu primo sit *intrinsecè* determinata ad propriæ subsistentiæ ac Existentiæ actuationem, hæc ipsa tamen in actu primo determinatio eatenus pendeat ex Causalitate Divinâ, ut ad istius nutum impedibilis sit propriæ Existentiæ ex naturâ emanatio, substitutâ in ejus locum Divinâ increatâ subsistentiâ. Unde illa in Essendo ex Divinâ Causalitate dependentia eatenus importat quandam Essendi potentialitatem & indeterminationem, ut eo ipso tamen *Causaliter* sit determinata, quòd Deus habeat Decretum, vi cujus Existentiæ propriæ ex naturâ emanationem prædefiniat. Ex cujus proinde efficaci seu *Causali* determinatione eo modo consequitur Formalis per subsistentiam, ac Existentiam propriam naturæ determinatio & actuatio, ut inter istam Existendi actualitatem, seu actum Essendi, [illegible] naturæ respectu propriæ Existentiæ [illegible] in Essendo primum non interveniat actus medius.

Pari ergo ratione Causæ secundæ Essentialis ex Divinâ motione dependentia eatenus importat quandam in Causando potentialitatem ex Divinâ præmotione determinabilem, ut tamen sit hoc ipso *Causaliter* determinata, quòd Deus habeat Decretum, vi cujus præfiniat actûs secundi ex actu primo emanationem. Hæc autem Causalis per Divinam præfinitionem determinatio per suam efficaciam est *immediatè* illativa actûs secundi ex Causâ creatâ eliciendi. Vi autem hujus actûs secundi sit Causæ creatæ Formalis in Causando & operando actuatio. Sicut ergo Essentiæ creatæ in Essendo potentialitas Causalitati Divinæ Essentialiter subordinata ad sui actuationem non exigit nisi Causalem, in Decreto Divino se tenentem determinationem, & Formalem in ipsâ Existentiâ sitam actualitatem: Sic Causæ creatæ in Causando potentialitas Causæ primæ *Essentialiter* subjecta non petit actum medium inter primum & secundum, sed iste ad Divinæ Causalitatis nutum ex causâ creatâ fluens actus secundus eatenus habet rationem Formalis in operando actuationis, ut ex vi Divini Decreti sit *Causaliter* prædeterminata ad actûs secundi talem ex se emanationem, qualem Deus prædefinivit. Unde 18.

quemadmodùm Deus quà Essendi principium creativum ex vi sui Decreti præfinitivi, absque ullâ actualitate impressâ creatæ naturæ, est huic *Causaliter* unitus & conjunctus, ejusque ad creatam & increatam existentiam indeterminationis seu potentialitatis in *genere Causæ* non quidem *formalis*, sed *efficientis* prædeterminativus: sic ad hoc, quòd Causa secunda dicatur conjuncta, & applicata Causæ primæ, sitque in ratione Causæ ad operandum determinata & actuata, non est opus aliquâ impressâ qualitate, sed ex solius Decreti Divini præfinitivi efficaciâ illius ad operandum potentialitas constituitur actuata, & determinata non quidem *formaliter in genere principij formalis*, sed *Efficienter* & *Causaliter in genere principij Efficientis*. 19.

Instabis. Disparem esse rationem inter Causam creatam cum actualitate operandi comparatam, & Naturam seu Essentiam creatam cum actualitate subsistendi ac Existendi comparatam. Etenim Essentia creata ex se ipsâ habet intrinsecam determinationem ad hanc Individuam sibi propriam subsistentiam ac existentiam. E contra verò Causa creata secundùm omnimodam suam actûs primi formalitatem habet solùm determinationem ad certam speciem, non verò ad individuationem actuum. Unde in causâ creatâ requiri intrinsecam motionem Divinam, ut per ipsam fiat actûs primi determinatio ad individuum actum secundum. 20.

Contra. Nam eo ipso, quòd Essentiæ creatæ ad suam propriam Existentiam determinatio intrinseca non sit per modum puræ actualitatis, sed potentialitatis, ad Existentiæ ejusmodi ex se emanationem exigit Divinæ Causalitatis prædeterminationem. Hæc autem Divinæ Causalitatis prædeterminatio in genere principij non quidem *Formalis*, sed *Efficientis* est taliter actuans illam potentialitatem, ut ex hâc ad ejus efficaciam *Causaliter* actuatâ eo ipso emanet 21.

maneat Formalis exiſtendi actualitas. At verò
principij creati ad certæ ſpeciei individuos a-
ctus indeterminatio radicatur in ipſâ naturæ
creatæ ad ſuam Hypoſtaſin ac Exiſtentiam po-
tentialitate: ex hâc enim reſultat accidentium
& actionum in naturâ creatâ multiplicabilitas.
Unde etiam fit, individua actionum contineri
quidem in virtute creati principij, hanc tamen
Virtutem eo ipſo, quòd radicetur in Eſſentiali
potentialitate, conſequenter habere etiam in
operando potentialitatem ex Divinæ Cauſali-
tatis præfinitione determinabilem. Sicut ergo
potentialitas Eſſentiæ creatæ per ſubſiſtentiam
ac Exiſtentiam *Formaliter* determinabilis *Cauſa-*
liter deteminatur ex ſolâ Divini Decreti præfini-
tivî efficaciâ, ſic conſequenter videtur dicen-
dum, quòd Cauſæ ſecundæ ad individuos actus
indifferentia potentialis *Cauſaliter* determinetur
ex vi Divini Decreti prædeterminativi: veluti
elegantet expreſſit Divinus Dionyſius *cap. 5. de*
Divin. nominib. diſſerens in hæc verba. *Exem-*
22. *plaria dicimus exiſtentium rationes ſubſtantificas, &*
ſingularitates præexiſtentes: quas Theologia prædefini-
tiones vocat, & divinas & bonas voluntates exiſtentium
prædeterminativas & factivas, ſecundùm quas ſubſtan-
tialis Eſſentia omnia prædefinivit & produxit.
Confirmatur. Nam Divus Thomas *in cit.*
23. *cap. 5. de Div. Nom. lect. 3.* verba præallegata ſic
exponit. *Hujuſmodi rationes ſcriptura ſancta vocat*
prædefinitiones, ſeu prædeſtinationes, quæ quidem præde-
finitiones & voluntatel ſunt diſtinctivæ Entium, & effe-
ctivæ. Ex quibus patet, actualitatem rerum quà
exiſtentium prædeterminativam non eſſe re-
ceptam in Cauſâ ſecundâ, ſed Divinæ volunta-
ti inexiſtentem. ex Divo Dionyſ. *cit.* At res quà
exiſtens importat ſingularitatem. Unde idem
Divinus Doctor voluntates Divinas, ceu ratio-
nes Exiſtentium ſubſtantificas & Effectivas *cau-*
ſaliter dicit ſingularitates præexiſtentes. Con-
ſequens proinde eſt, quod ratio individui in
creatarum Cauſarum operationibus ſit ex de-
terminatione Divinæ Voluntati *formaliter* inex-
iſtente, ut ſic habente virtualem ad extra præ-
determinativam efficaciam, veluti Sanctus Tho-
mas hoc inſinuavit, dum Divinam præfiniti-
vam voluntatem ait, eſſe rerum Diſtinctivam.
24. Cujus ratio à priori ſic deduci poteſt. Ratio
ſingularitatis ac individui, cùm ſit ultima Eſ-
ſendi actualitas, nequit habere ſui principium
in Quarto modo per ſe, niſi illud, cujus For-
ma eſt Eſſe individuum. Unde etiam Sanctus
Thomas *q. 3. de potent. a. 7. ad 7.* vim, quâ Cauſa
ſecunda agit ad Eſſe ut inſtrumentum, ait, non
poſſe in Ente creato eſſe Formam permanen-
tem, niſi daretur ei univerſale Eſſendi princi-
pium. At ſub iſtâ vi, quâ Cauſa ſecunda mo-
vetur ad Eſſe actûs, S. Doctor per Ioannem à
Sancto Thomâ ſupra *citatum* expoſitus, intelli-
git motionem Divinam Cauſæ ſecundæ præ-
determinativam ad actum quà ſingularem. Un-
de formalitas ad actum quà individuum Cau-
ſæ ſecundæ prædeterminativa non poteſt eſſe
communicata formæ creatæ permanenti, niſi
huic daretur univerſale Eſſendi principium.
Conſequens proinde eſt, motionem illam, cu-
jus Terminus *Formaliter* eſt Eſſe actûs individu-
um, debere *quarto modo per ſe* influere Eſſe indi-
vidui. At ex eo, quòd implicet, ullam actio-
nem creatam dari, quæ per ſe quarto modo ſit
influens Eſſe, Ioannes à Sancto Thoma *1. p. diſp.*
18. a. 4. n. 7. probat, repugnare, quòd aliquæ
Cauſæ creatæ actio ſit creativa. Quomodo er-
go ſubſiſtere poterit, quòd motio Divina ad Eſ-
ſe actûs quà individui prædeterminativa ſit quid
creatum *ſubjectivè* receptum in Causâ ſecun-
dâ.
Urgebis ex Ioanne à Sancto Thomâ *ubi ſu-*
pra, Doctorem Angelicum *q. 3. de potent. a. 7. ad* 25.
7. de motione ad operandum Cauſæ ſecundæ
prædeterminativâ taliter diſſerere. *Virtus natura-*
lis, quæ eſt rebus in ſuâ conſtitutione collata, ineſt eis, ut
quædam Forma habens eſſe ratum & firmum in natu-
râ, ſed id, quod a Deo fit in re naturali, quo actuali-
ter agit, eſt ut intentio ſola, habens eſſe quoddam in-
completum per modum, quo colores ſunt in aere, &
virtus artis in inſtrumento artificis.
At vero illud Eſſe incompletum nequit eſ-
ſe niſi aliquid creatum in potentia Divinitus
ad operandum prædeterminatâ receptum. Ergo,
de mente S. Thomæ oportet, præmotionem di-
vinam eſſe quandam creatam entitatem ope-
rationi præviam, ex Deo derivatam, in agente
Divinitus moto receptam.
Contra. Nam ex præallegatis Divi Tho- 26.
mæ verbis conſtat, Eſſe incompletum, quod ha-
bet Divina Cauſæ ſecundæ impreſſa motio, op-
poni Eſſe rato & firmo in naturâ. Oportet i-
gitur, hoc Eſſe ratum habere rationem Eſſe com-
pleti, ſive *abſolutè* in ratione Eſſendi, ſive *com-*
paratè reſpectu Naturæ, in quâ radicatur. At
Eſſe motionis Divinæ, ſi ſit completum, debere
habere rationem Eſſendi *abſolute* perfectam &
completam, evincitur ex Sancto Doctore *cita-*
to in ſubſeq. motionem illam vocante vim, quâ
Cauſa ſecunda agit Eſſe, ut inſtrumentum Pri-
mæ Cauſæ. Unde *ibidem* concludit, ſi hæc vis
eſſet in re naturali, ut forma permanens, id eſt,
ut habens in naturâ Eſſe ratum, ſive comple-
tum, conſequens fore, quòd eſſet univerſale
Eſſendi principium. Ejuſmodi verò principium
eſt, cujus Eſſentia eatenus eſt ſuum Eſſe exi-
ſtens, ut conſequenter effectus ipſius proprius
in creatis ſit Eſſe. ex S. Tho. *1. p. q. 8. a. 1.* Conſtat igi-
tur, Divinam ſecundæ Cauſæ ad agendum præ-
determinativam motionem, ſi ſumatur *Comple-*
te, debere in ratione ſuâ Formali importare ip-
ſummet Eſſe tanquam Formam agendi, cui
ſecundum Quartum perſeitatis modum ſit pro-
prium influere Eſſe. At verò creatorum effectuum 27.
effectrix cauſalitas nequit eſſe ſpecificata per Eſ-
ſe niſi quà Deo immanens. Quare Divus Tho-
mas *ubi ſupra* aſſerens, motionem in Causâ ſe-
cundâ receptam habere Eſſe incompletum, in-
ſinuat, huic reſpondere motionem Deo imma-
nentem, voluntatis ſcilicet Divinæ ad extra præ-
finitivam Cauſalitatem per ipſummet Eſſe ſpe-
cificatam, cui conſequenter conveniat, eſſe Uni-
verſale Eſſendi principium, cujuſque effectus
proprius ſit *Eſſe*. Unde idem Sanctus Doctor 28.
motionem Divinam Cauſæ ſecundæ commu-
nicatam æquiparat virtuti artis inſtrumento
impreſſam. Hæc ipſa vero artis virtus habet
Eſſe incompletum, quatenus eſt motus artis.
ex cit. a. 7. ad 7. in Fine. Eſt autem motus artis
per quandam ex ideali artis formâ denomina-
tionem, ex cujus conjunctione & impreſſione
accipit Eſſe completum. Pari ergo ratione Di-
vina Cauſæ ſecundæ motio non eſt alia, quam
opera-

operatio Divina *ibidem*. Hæc autem alia est Deo *Formaliter* immanens ac *virtualiter* transiens, vi cujus Deus prædefiniendo, & mandando, seu dicendo, & per modum artis exemplando, prout vult, operatur, & quæcunque dicit, mandando exequitur ac facit; alia verò est *formaliter ad extra* Transiens, per quam Deus non tantùm *virtualiter*, sed *formaliter* facit, ut faciamus, dando cor obediens, atque adeò ipsummet actum nostrum liberum. Hæc proinde Divina ad extra *formaliter* Transiens operatio ita habet Esse incompletum, ut ex informatione tamen operationis Deo immanentis & *virtualiter* transeuntis, tanquam formæ actionem qua Divinam denominantis ac specificantis habeat *Esse* completum.
29. Cùm igitur Divina Causæ secundæ impressa Motio nihil sit aliud, quàm Dei ad extra, Transiens operatio: hæc verò in libero nostro arbitrio sit ipsum velle & operari Divinitùs datum & donatum, uti ex S. Augustino *lib. de grat. & liber. arb. lib. de correp. & Grat. lib. de prædest. Sanct. lib. de Dono perseverantiæ* passim constat. Consequens est, motionem Divinam Causæ secundæ prædeterminativam *Originaliter* ac *principaliter* (Divino Dionysio, & Doctore Angelico *de divinis nom. ubi supra* testibus) esse ipsammet Divinam voluntatem præfinitivam, nec non rationem Divini Intellectûs per modum artis exemplativam operationum a Causis secundis elicitarum: ex quâ proinde Divinâ *formaliter* immanente prædeterminatione eatenus derivari Causæ secundæ operationem, ut hæc ipsa sit Dei ad extra Transiens motio habens Esse incompletum, atque adeò actuabile per ipsummet Divinæ immanentis præfinitionis *Esse*, seu Formæ operationem qua *Formaliter* Divinam specificantis. Confirmatur. 1.
30. Si enim inter operationem Deo *Formaliter* immanentem & inter operationem Causæ secundæ extra Deum *formaliter* transeuntem daretur media quædam motio ad operari prædeterminativa, oporteret, illam habere *esse* incompletum sine Causæ secundæ influxu. At hoc ipsum Esse incompletum importaret quandam Defectibilitatem sub illâ ipsâ formalitate, sub quâ esset prædeterminativum ad causæ secundæ operationem. Unde hujus defectibilitas proxime reduceretur in Defectibilitatem illius prædeterminativæ motionis. Si proinde hæc penderet ex solo Dei influxu, vix intelligi posset, quomodo actûs peccaminosi Defectibilitas saltem non aliqualiter reduci deberet in motionem Divinam, atque adeò in ipsum Deum.
31. Econtra verò si præter Divinam immanentem prædeterminativam Motionem non alia in Causis secundis ponatur Dei ad extra motio nisi ipsa à Causarum secundarum influxu dependens operatio, facile intelligi potest, quatenus hæc, prout Divinæ præfinitionis est terminus, *Formaliter* importet *Esse* ut sic, Defectibilitas verò non in *Esse* ut sic, sed in *Talitate Esse* radicata reducatur unice in Causam secundam. Unde talis Causæ secundæ operatio eatenus habet in se Esse incompletum, ut tamen sub ratione *Esse ut sic* respiciat Causalitatem Divinam, sub ratione verò *Esse quà talis* ut sic Defectibilitatem fundantis reducatur in Causam secundam. At eo ipso, quod ratio Essendi ut sic ratione nostrâ ratiocinatâ sit prior *Talitate Esse*, sequitur, motionem ejusmodi per prius respicere Causalitatem Primæ, quam secundæ Causæ. Patet igitur, quod talis motio tum per denominationem Causalitatis Deo immanentis, ejusque *Esse incompletum* quodammodò actuantis, tum per prioritatem Essentialis ad Deum, quàm ad Causam secundam relationis possit vocari motio prædeterminativa. Confirmatur 2. Nam secun- 32.
dùm Apostolum dicimur creati in operibus bonis, quæ præparavit Deus. At illa creatio est, secundùm quod opera bona sunt Divinitùs præfinita ex S. Prospero *in resp. 14. ad capita Gallorum*. Creatio autem est actio specificata per *Esse ut sic*. Illa ipsa verò in bonis operibus creatio passiva importat opera bona ex vi Divinæ præfinitionis causata & donata. Cùm igitur per illam in Bonis operibus creationem intelligatur Divina ad actus Bonos prædeterminativa motio, consequens est, hanc *activè* & *originativè* eatenus importare præfinitionem Divinam *per Esse formaliter* specificatam, ut *Passivè* ac *Terminativè* importet ipsa bona opera nostra secundùm rationem *Esse ut sic*, non verò secundùm rationem Defectibilitatis terminantia Divinam præfinitionem.

CONTROVERSIA V.

Qualiter Divina prædeterminativa Causalitas agenti libero Consequentem, non verò Antecedentem necessitatem inferat?

ETsi *to. 1. q. 5. cont. 9. & q. 6. a. 5. n. 6. & seq.* demonstraverimus ex Sancto præsertim 1.
Anselmo, vi efficacis operum nostrorum præfinitivæ voluntatis Divinæ non inferri creatæ voluntati antecedentem necessitatem. Quia tamen in ore omnium Theologorum versari solet illa vox, quod necessitas antecedens, non verò consequens tollat libertatem. Idcircò visum nobis est, hic ex instituto examinare, qualiter Divina præfinitio, de mente Sancti Anselmi, ex quo ille loquendi modus petitur, non antecedentem, sed consequentem duntaxat necessitatem inferat.

Referuntur Sententiæ.

SUarez in *opusc. Theolog. lib. 1. cap. 13. §. Absolutè & simpliciter assumptum demonstratur*, sic ar- 2.
gumentatur. Secundùm Divum Anselmum *lib. de Concord. à principio*, verum est, quòd suppositio omninò antecedens, si ex illâ sequitur necessariò actus, tollat libertatem. At Divina prædeterminativa Causalitas, seu voluntatis divinæ efficacis suppositio, ponitur omninò antecedenter ad voluntatem humanam, ejusque consensum, & ex illâ necessariò sequitur opus, ita ut nulla creatura possit illi resistere. Ubi est ergo libertas?

Conclusio.

DIvina actûs liberi prædeterminativa Causalitas præfinitivum absolutè efficax Dei Decretum importans *secundùm*

Divum Anselmum non antecedentem, sed consequentem duntaxat necessitatem infert, nec adeò pugnat cum libertate.

3. Probatur. Nam Divus Anselmus *cit. lib. de concord. passim* Necessitatem Consequentem vocat, quæ rem sequitur. Hoc autem Sanctus Doctor *citatus* ait, fieri per Dei præscientiam ac liberorum nostrorum operum prædestinationem, quatenus Deus, quamvis prædestinet opera nostra, non facit voluntatem cogendo, aut voluntati resistendo, sed in suâ potestate illam dimittendo. Hinc autem sequitur, quia necesse est esse, quidquid Deus vult, cùm vult hominis voluntatem nullâ cogi, vel prohiberi necessitate ad volendum, vel ad non volendum, & vult effectum sequi voluntatem, tunc necesse esse voluntatem esse liberam, & esse, quod vult, *ex cit. concord. col. 4. litt. B. circa medium.* At eo ipso, quòd Deus velit effectum sequi voluntatem (in suâ scilicet Electivâ potestate relictam) sequitur, ex vi voluntatis Divinæ prædestinativâ taliter necessum esse, quòd sint actus Divinitùs prædestinati, ut tamen necessitas ista descendat de libertate, vi cujus opera ejusmodi, antequàm sint, possent non esse. *ex cit. Conc. col. 5. litt. C. & col. 12 lit. B.* Constat igitur, voluntatem Divinam operum voluntatis nostræ prædestinativam, seu præfinitivam, atque adeò prædeterminativam de mente Sancti Anselmi non inferre nisi consequentem necessitatem.

4. Cujus ratio à priori sic deduci potest. Nam Divina operum nostrorum præfinitiva seu prædeterminativa Causalitas opera nostra non vult facienda, nisi ex vi Dominativâ ac Electivâ potestate nostræ voluntatis. Hoc ipsum verò est, quod Sanctus Anselmus *citatus* ait, quòd Deus quamvis prædestinet opera nostra, non faciat voluntatem cogendo, aut voluntati resistendo, sed in suâ illam potestate dimittendo. At eo ipso, quòd opera nostra non velit facienda, nisi ex Electivâ voluntatis potestate, oportet, istam Electivam potestatem pro aliquo signo taliter præsupponi ex vi Divinæ omnium causatricis prædestinationis causatam & conservatam, ut Divina præfinitio operis nostri non aliter nisi quà ex voluntatis nostræ Electivâ indifferentiâ eliciendi sit prædeterminativa. At opus ex voluntatis Electivâ indifferentiâ procedens est hoc ipso liberum. Cum igitur vi Divinæ prædeterminativæ Causalitatis sit necessum, quòd res eo modo fiat, quo Divinitùs est prædestinata, sequitur, operum nostrorum Divinitùs præfinitorum non aliam esse necessitatem, nisi ut liberè fiant, possintque adeò ex voluntatis Electivâ facultate non fieri.

5. Dices. In hoc ipso, quòd dicatur necessum, ut vi Divinæ prædeterminativæ Causalitatis opus liberè fiat ex Electivâ voluntatis nostræ potestate, involvi difficultatem inexplicabilem.

6. Contra. Nam actus quà liberè eliciendus vel comparari potest ad Propositū Divinæ prædestinationis, vel ad liberum arbitrium creatæ voluntatis. *ex cit. conc. col. 6. & 7.* At in comparatione actûs ad Divinam prædestinationem ita stat actûs præfiniti necessitas, ut tamen in comparatione ejusdem ad voluntatem creatam nulla sit ipsius necessitas, sed contingentia. *ex cit. col. 7. litt. C.* Unde Sanctus Anselmus *ibidem* ait, Sacram Scripturam, dum de his, quæ libero fiunt arbitrio, quid veluti necessarium pronuntiat, loqui *secundùm æternitatem*, in quâ præsens est omne verum immutabile, non *secundùm tempus*, in quo non semper sunt voluntates, & actiones nostræ. At eo ipso, quòd in comparatione ad voluntatem nulla sit actuum nostrorum necessitas, sed talis mutabilitas, ut Propositum, secundùm quod vocati sunt Sancti in æternitate, in quâ non est præteritum vel futurum, sed præsens duntaxat ita sit immutabile, ut in ipsis tamen hominibus ex libertate arbitrij sit mutabile, sequitur, ratione hujus Mutabilitatis in Electivâ nimirum voluntatis indifferentiâ radicatæ stare illæsam actûs taliter eliciendi libertatem. *ex cit. col. 6. & 7.* Constat igitur, qualiter subsistat, quòd ex vi Divinæ prædestinationis sit necesse, actum à voluntate nostrâ liberè, non autem necessariò fieri.

Instabis. Necdum tamen intelligi posse, 7.
qualiter ista ex comparatione ad Divinam prædestinationem resultans necessitas sit consequens. Imò esse antecedentem necessitatem sic ostendi posse. Etenim Necessitas antecedens est, quæ facit rem esse. *ex cit. conc. col. 4. litt. A. & col. 12. lit. B.* At Divina prædestinativa Causalitas taliter est præcedens actus nostros liberos, ut horum sit factiva. Si ergo illa Causalitas inferat quandam actûs præfiniti necessitatem, quomodo ista non erit antecedens?

Contra. Nam Divus Anselmus *cit. concord.* 8.
col. 9. litt. D. & 12. litt. A. apertè docet, tum quòd, si Deus a rebus haberet scientiam, sequeretur, illas prius esse, quàm ejus scientiam, & sic à Deo non esse, utpote à quo nequeant esse, nisi per ejus scientiam: tum quòd Deus dicatur specialiùs præscire & prædestinare bona, quia in illis faciat, & quòd sunt, & quòd bona sunt; in malis autem non nisi, quòd Essentialiter sunt. Ex his autem apertè astruitur Causalitas præscientiæ ac prædestinationis operum nostrorum liberorum effectiva. At idem Sanctus Doctor *col. 6. & 7.* docet, quòd vi præscientiæ ac prædestinationis rerum ad extra effectricis omnia etiam libera opera nostra ita sint in æternitate immutabiliter præsentia, ut Sacra Scriptura aliquid de his, quæ fiunt nostro libero arbitrio, velut necessarium pronuntiet. Eo ipso verò, quòd Deus præsciat ac prædestinet opera nostra, ut à voluntate nostrâ liberâ in tempore mutabiliter futura, necessum esse, ut liberè fiant ex *colum. 3. lit. D. & col. 4. lit. B. ac sequent.* Constat proinde, secundùm mentem Sancti Anselmi dari Divinæ præscientiæ ac prædestinationis Causalitatem operum nostrorum, eo modo, quo præscivit ac prædestinavit, infallibiliter ac ex parte sui immutabiliter, ex parte autem liberi arbitrij mutabiliter illativam. At illam Causalitatis Necessitatem Sanctus Doctor
cit. col. 4. lit. A. & col. 12. lit. B. probat, non esse antecedentem, sed Consequentem. Cujus ratio est. Hi enim termini vel applicari possunt ad actus nostros quà comparatos ad præscientiam & prædestinationem Divinā. Ut sic autem prædestinatio Divina non est præparativa operum nostrorum, nisi voluntatem in suâ potestate, Electivâ scilicet virtute dimittendo. *ex cit. col.* 9.

cit. *col. 12. lit. B. & alibi.* Hinc autem fit, quòd ipsa prædestinationis Divinæ Causalitas non sit actuum nostrorum prædeterminativa, nisi supposità voluntatis nostræ Electivà virtute, quà eorundem actuum Mutabiliter operativà. *ex col. 6. 7. & 8.* Item *colum. 12. lit. B.* Patet igitur, quomodo prædestinationis Causalitas quà operum nostrorum sub aliquali necessitate operativa sit Consequens voluntatis vim Electivam, quà liberè & Mutabiliter operativam. Vel
10. igitur *Tò Necessitas consequens* applicatur actibus nostris liberis quà comparatis ad Causam secundam liberam. Ut sic autem manifestum est, nihil sub istà comparatione stare, quod ingerat necessitatem, nisi factà hypothesi, vi cujus, dum sunt actus nostri, necessum est ipsos esse. *ex col. 3. lit. D.* Ut sic autem Sanctus Anselmus Necessitati Antecedenti opponit Consequentem, ita ut ex mente hujus Sancti Doctoris illa duntaxat Necessitas, quæ se tenet ex parte virtutis operativæ, atque ut sic faciat esse, dicatur antecedens. Probatur istud assumptum.
11. Nam Sanctus Doctor ex Divinæ præscientiæ, ac prædestinationis operum etiam liberè futurorum immutabiliter licèt illativà Causalitate, negat, inferri necessitatem antecedentem, *uti patet ex totà illà concor. præsertim col. 4. col. 5. 6. 7. 9. & 12.* Dum ergo illam Necessitatem vocat antecedentem, quæ facit rem esse, oportet, id non accipi de illà Divinà immobiliter factivà Causalitate, sed de necessitate seu determinatione, quæ Causæ secundæ virtuti operativæ inest ad faciendum: uti patet ex eo, tum quòd seditionem liberè futuram ex comparatione ad Causam secundam non nisi *Necessitate Consequente*, ortum verò solis necessariò futurum ex comparatione ad Causam secundam *Necessitate* etiam *antecedente* dicat necessarium. *ex col. 4.* tum quòd Necessitatem antecedentem dicat eo ipso abesse, si non cogat, id est, ipsimet virtuti operativæ necessitatem non imponat, sed in suà, scilicet Electivà potestate relinquat. *ex col. 4. & 12.* Cùm igitur necessitas antecedens secundùm D. Anselmum non stet nisi ex parte virtutis operativæ, quoad operandum in actu primo determinatæ, hæc autem actûs primi, seu virtutis operativæ determinatio ex vi Divinæ actuum nostrorum liberorum prædestinativæ, atque adeò præfinitivæ, seu, uti loquitur D. Dionysius, prædeterminativæ Causalitatis non ingeratur, sed Electiva voluntatis indifferentia in suà vi Electivà dimittatur illæsa, manifestum est, quòd ex vi Divinæ prædestinativæ Causalitatis secundùm doctrinam Sancti Anselmi non inferatur Necessitas *Antecedens*, sed *Consequens* duntaxat. Atque hinc facilis est responsio ad argumentum Suatreij *supra* oppositum.

CONTROVERSIA VI.

Cui potentiæ, & quando ipsi conveniat, esse liberam?

1. DUrandus *in 2. dist. 24. q. 3.* existimavit, libertatem esse *formaliter* in Intellectu. Fundamentum est, Quia libertas consistit in indifferentià. Hæc autem per prius est in Intellectu, quàm in voluntate.

Econtra communis Theologorum sententia est, libertatem *Formaliter* esse in solà voluntate: quamvis Ocham *in 2. dist. 38.* aliique Nominales existiment, hanc exercere suam libertatem non pro eo instanti, quo elicit actionem, sed vel *in instanti immediatè* antecedente, in quo potuit actum non producere, vel *in instanti* subsequente, in quo potest ab actu cessare. Fundamentum est. Quia de ratione liberæ potentiæ est, ut possit oppositum facere. At voluntas, dum actum liberum exercet, non potest non illum exercere: siquidem omne, quod est, dum est, necessum sit esse. Hoc autem posito, repugnat actum oppositum fieri à voluntate. 2.

His tamen non obstantibus, ex unanimi Doctorum consensu, prout videre est apud Ysambertum Sorbonicum *de liber. arb. disp. 5. a. 1.* subsistit, quòd voluntas eo etiam instanti, quo actum exercet, libera sit. 3.

Conclusio I.

SOli voluntati, non autem Intellectui convenit, esse liberam.

Probatur. Hoc enim discriminis est inter Intellectum & voluntatem, quòd ista ab objecto trahatur, & moveatur ad sui prosecutionem, vel aversionem, ille verò sit objecti in se intentionaliter attractivus & susceptivus. Hæc autem vis objecti per actualem intelligibilem ejus repræsentationem intra se intentionaliter susceptiva nequit esse in actu primo completa, nisi per speciem, seu Virtualem objecti repræsentationem. Huic verò est vis Intellectûs intrinsecè determinativa ad objecti ejusmodi Formalem repræsentationem in se actualiter exprimendam. Nequit ergo in Intellectu esse vis ad operandum expedita, & in actu primo completa, nisi cum intrinsecà sui ad actum determinatione. Econtra, quia voluntas trahitur ab objecto, potest huic inesse sufficiens Bonitas, amoris à voluntate eliciendi Terminativa, ut tamen Bonitas ejusmodi non adæquet universalem ad Bonum universum voluntatis commensurationem. Hinc autem fit, quòd voluntas non necessitate trahatur à tali objecto, & tamen ob sufficientem amoris terminativà ex parte objecti repræsentatam rationem possit voluntas se movere ad objecti ejusmodi prosecutionem. Constat igitur ratio, cur Intellectui, non autem voluntati conveniat esse *Formaliter* liberam. 4. 5.

Conclusio II.

Intellectui convenit esse *radicaliter* liberam.

Probatur. Tum quia ex universali Intellectûs ad omne verum commensuratione fit, quòd appetitus Intellectum *Connaturaliter* consequens debeat habere universalem ad omne Bonum commensurationem. Eo ipso autem, quòd illa ad omne Verum universalis repræsentandi vis possit Bo- 6.

ſit Bonitatis participatæ, nec adeò univerſalem appetitûs ſibi proportionati commenſurationis coæquantis formalitatem proponere voluntati, ſequitur, ſtante tali repræſentatione Bonitatis, hanc non eſſe voluntatis de neceſſitate attractivam, licèt ipſi ſufficiens ad amorem terminandum inſit ratio objectiva. Hinc autem fit, quòd
7. voluntas abſque neceſſitate, atque adeò ſub indifferentiâ Electivâ poſſit eſſe ſui ipſius liberè motiva, ac determinativa ad Bonitatis ejuſmodi proſecutionem. Conſtat igitur, in univer-
8. ſali Intellectûs ad omne verum commenſuratione radicari voluntatis in actu primo libertatem. Tum quia Judicij objectiva in uno objecto Boni, malique repræſentativa indifferentia, ſeu Bonitatis quà univerſalem Voluntatis commenſurationem non coæquantis per Intellectum propoſita ratio eſt quædam voluntatis tum ad amorem, vel hujus omiſſionem, tum ad objecti quà mali odium *formaliter* allectiva excitatio. Ex hâc autem Formali voluntatis commenſurationem non coæquante excitatione, voluntas reddetur expedita, ad liberum ſuæ erga objecta, & actus oppoſitos Dominativæ ac Electivæ virtutis exercitium. Patet igitur, in indifferentiâ Judicij objectivâ ſe tenente ex parte Intellectûs, radicari libertatem in actu etiam ſecundo.

Conclusio III.

Voluntas eo maximè inſtanti, quo actum exercet, vel etiam continuat, non in actu duntaxat ſecundo, ſed primo eſt libera.

9. Probatur. Non enim poteſt intelligi libertas in actu ſecundo, niſi iſte procedat à voluntatis virtute quà Dominativâ & Electivâ. At ſi voluntas pro inſtanti, quo exercet, vel continuat actum, non eſſet libera, non poſſet ejus operatio pro tunc intelligi procedere ab ejus potentiâ Dominativâ & Electivâ. Ergo niſi voluntas pro illo inſtanti, quo exercet, vel continuat ſuam actionem, dicatur libera, nequit ſtare libertas in actu ſecundo. Hoc autem eſt abſurdum in fide. Ergo nullatenus admitti debet, quòd voluntas, dum exercet, vel etiam continuat actum, non ſit libera.

Reſponſio ad oppoſita Argumenta.

Ad Argumentum ex parte Durandi *n. 1.* oppoſitum Reſpondetur. Aliam indifferen- 10.
tiam eſſe objectivam, ſive objecti ſub Boni defectibilis, atque adeò malo mixti ratione repræſentativam. Hanc verò eatenus ſe tenere ex parte Intellectûs, ut hic tamen ad repræſentationem ejuſmodi determinetur ex ſpecie intelligibili *intrinſecè* determinativâ luminis Intellectualis, ad formandam actualem indifferentiæ ejuſmodi expreſſionem Intelligibilem. Quare iſtam indifferentiam tam ex parte ſui principij, quàm in ſe *Formaliter* ſpectatam dicere neceſſitatem, nec adeò poſſe liberam eſſe niſi *Radicaliter*. Huic proinde reſpondere in voluntate activam & Electivam indifferentiam, iſtam verò in eo ſe tenere, quòd, cùm Bonum ſub indifferentiâ objectivâ propoſitum non ſit coæquans univerſalem voluntatis commenſurationem, non ita trahatur & alliciatur à Bonitate taliter repræſentatâ, quin ſuper ejus amorem habeat vim Dominativam, quâ medi- 11.
ante poſſit non amare. In hac proinde Electivâ indifferentiâ, ſeu vi Dominativâ ex parte voluntatis ſe tenente, conſiſtere *Formaliter* potentiam liberam. Quare libertatem non niſi *Radicaliter* convenire Intellectui.

Ad fundamentum ex parte Nominalium 12.
n. 2. oppoſitum Reſpondetur. Aliam non actûs repugnantiam ſe tenere ex parte virtutis operativæ, utpote ab intrinſeco ad agendum determinatæ, aliam verò ſe habere ex ſuppoſitione actûs, utpote contradictoriè oppoſiti ſuæ negationi. Etſi verò pro inſtanti, quo voluntas exercet actum liberum, ex hypotheſi talis exercitij repugnet, eſſe non actum, hæc tamen repugnantia non tollit vim ejuſmodi actûs taliter effectivam, ut hæc ipſa vis ſit potentia non agendi. In hâc verò Dominativâ vi *Formaliter* conſiſtit libertas, adeò ut illa ex ſuppoſitione actûs Conſequens non actûs repugnantia non impediat, quò minùs liberè fiat exercitium actionis, utpote procedentis ex voluntatis vi Dominativâ & quantum eſt de ſe Electivâ, ſuique ipſius pro tali inſtanti ad actum determinativâ.

***

QUÆ-

QUÆSTIO QUARTA DE INVOLUNTARIO.

1.
Um Voluntarium debeat esse à principio intrinseco secundùm cognitionem Intellectualem operante, consequens est, rationem Involuntarij induci tum à principio Extrinseco, tum ex defectu prææviæ cognitionis. Ejusmodi verò extrinsecum principium aliud est inferens violentiam, aliud metum incutiens. Sicuti prævia quoque cognitionis defectus quandoque radicatur in concupiscentiâ, seu passione mentis taliter affectivâ, ut à Veri, æquique notitiâ distrahatur, quandoque verò est per ignorantiam, seu scientiæ Boni & mali demonstrativæ privationem. Quare ad ostendendum, quibus vijs inducatur involuntarium, quatuor hic ponemus articulos. In primo dicturi *de Involuntario per violentiam.* In 2. *Qualiter metus causet involuntarium.* In 3. *An, & quando Concupiscentia tollat rationem voluntarij saltem perfecti, seu liberi.* In 4. *Qualis ignorantia destruat voluntarium.*

ARTIGULUS I. DE *Voluntario per Violentiam.*

2. Supponendum 1. Violentum ex Aristotele *1. Eth. cap. 1.* definiri, esse id, *quod est à principio Extrinseco, passo nullam conferente vim, sed resistente.* Unde patet, ad rationem violentiæ requiri, quòd effectus violenter impressus eatenus fluat à virtute extrinsecâ, ut subjectum, cui infertur violentia, non influat in illum, imò non tantùm *Negativè* se habeat, *obedientialiter* recipiendo, sicuti in supernaturalium Donorum infusione anima secundùm potentiam suam obedientialem se habet *Negativè*, nullam conferendo vim ad infusionem ejusmodi: sed insuper opus esse, ut per oppositam saltem inclinationem resistat impressioni effectûs violenter in se recepti. Quam ob rationem præternaturale non venit nomine violenti *strictè* accepti, cùm istud sit à principio quidem extrinseco, non tamen sit contra intrinsecam seu connaturalem subjecti inclinationem.

3. Supponendum 2. Hanc subjecti violentiam seu passi resistentiam posse se tenere ex parte principij tum Formalis, tum Passivi. Sicut enim materia habet rationem naturæ, sic motus à Formâ ipsam actuante naturaliter elicitus est eidem quà principio passivo naturalis. Unde si motus ejusmodi à principio extrinseco impediatur, ipsi etiam ut principio passivo fit violentia. Deinde fieri potest, operationem aliquam ita fieri à principio intrinseco, ut sit tamen contra inclinationem naturalem, dum v. g. anima excitat corpus ad vigilias, seu motum, naturali inclinatione urgente ad quietem. Tunc igitur operatio ejusmodi non *absolutè* secundùm subjecti considerationem est violenta, sed *respectivè* duntaxat, secundùm comparationem ad illam inclinationem naturalem, cui ut sic est Formalis ad motum oppositum resistentia. Denique si principium activum *intrinsecè* propendens ad actum, per Formam contrariam impediatur, evidens est, ipsum ut sic pati violentiam. 4.

Supponendum 3. *Tò Necessarium* respectu *Tò Violentum*, & *Ly Violentum* respectu *ly Coactum* se habere ut terminum magis universalem. Etenim necessarium complectitur tum *Naturale* procedens ex intrinsecâ naturæ determinatione, tum *Eminenter* liberum procedens ex intrinsecâ voluntatis ad Bonum universalem ipsius commensurationem coæquans determinatione, tum *Violentum* Naturali & Libero oppositum. Deinde *Tò Coactum* strictè loquendo convenit quidem cum violento, quòd sit à principio, nullam passo vim conferente, sed resistente, at minùs latè patet, quàm *Violentum*, quòd istud opponatur tam naturali, quàm voluntario, seu spontaneo, illud autem spontaneo duntaxat. 5.

Quibus adeò suppositis, quatuor hic examinandæ supersunt controversiæ. 1. *An fieri possit, quòd Deus alicui rei creatæ inferat violentiam?* 2. *An voluntas cogi seu violentari possit quoad actus elicitos?* 3. *An pati possit violentiam quoad Cessationem ab actu?* 4. *Utrùm voluntas cogi possit quoad actus imperatos?* Quibus per modum Corollarij annectemus, qualis *necessaria sit resistentia ad hoc, ne vis illata circa actum morali honestati v. g. pudicitiæ oppositum censeatur interpretativè voluntaria?* 6.

***



CONTROVERSIA I.

An fieri possit, quòd Deus alicui rei creatæ inferat violentiam?

7. Divus Bonaventura *in 2. dist. 25. p. 2. a. 1. q. 5. & a. 2. q. 1.* docet, Deum, quamvis non inferat violentiam creaturæ, quantum ad potentiam obedientiæ, inferre tamen quantum ad inclinationem naturæ. Favet Vasquez *disp. 25. cap. 4. n. 25.* Fundamentum ab isto authore deductum est. Nihil enim obstat, quò minùs homo contra Deum trahentem reniti possit, sicut Loth Angelo extrahenti ipsum de Sodomis resistebat. At tunc esset motus impressus ab extrinseco contra internum impetum. Ergo esset violentus homini taliter moto.

8. Confirmatur. Ascensus aquæ ad supplendum vacuum, licèt sit propter Bonum universi, esse tamen *simpliciter* violentum, ex eo evincitur, quòd aqua per fistulam, attractâ respiratione, ascendens tantò plus gravet manum, quantò plus aquæ ascendit. Hoc autem signum est, aquam reniti & conari deorsum. Sicut ergo ascensus ejusmodi, licèt sit propter Bonum universi, est tamen naturali & particulari aquæ inclinationi violentus: sic motus, quo Deus creaturam movet contra peculiarem suam inclinationem, est hoc ipso violentus.

9. Ferrariensis *3. contra gentes. cap. 100.* Ildephonsus Baptista *hic disp. 85. n. 254.* negant; Deum posse *simpliciter loquendo* violentiam inferre creaturæ.

Fundamentum est. Cuilibet rei creatæ est innatus appetitus ad Bonum. Hic verò appetitus, cùm sit à Deo, est maximè ordinatus. Unde magis inclinat ad Bonum universale, quam ad particulare. Bonum verò universalissimum est Deus. Ergo ad hunc tanta cujusque rei creatæ est inclinatio, ut appetitus ejus naturalis magis propendeat ad obediendum Deo in quâlibet actione, & mutatione, quàm ad proprias & particulares perfectiones. Ex hoc autem sequitur, quòd nulli actioni respectu suæ licèt particularis inclinationis contrariæ resistat creatura. Ergo nulla actio à Deo procedens potest creaturæ esse violenta. Divo Thomâ *q. 1. de potent. a. 3. ad 1. & q. 6. a. 1. ad 17.* attestante, quòd, cùm in quâlibet re naturali sit naturalis ordo, & habitudo ad Causas omnes superiores, sit consequens; nihil esse violentum, quod fit à Deo in his inferioribus; imò illa etiam, quæ fiunt in corporibus inferioribus ex Corporum Cælestium impressione, non esse violenta, licèt videantur esse contraria naturalibus motibus inferiorum corporum; veluti pateat in fluxu & refluxu maris, qui sequitur motum lunæ. Unde Sanctus Augustinus *26. contra Faustum cap. 3.* ait; id esse unicuique rei naturale, quod ille fecerit, à quo est omnis modus, numerus, & ordo naturæ.

10. Ioannes à Sancto Thomâ *q. 9. phys. a. 3.* distinguit, asserendo, Deum, *in quantum est motor universalis*, à quo omnis creatura movetur, non posse quidem inferre violentiam, attamen si operetur *ut motor particularis*, non repugnare, quòd inferat violentiam, maximè cùm in aliquibus actionibus intendat illam inferre. Fundamentum prioris est. Quia inter causam superiorem & inferiorem coordinatio ipsa est naturalis, & multò magis inclinatur natura subjecta in motum provenientem à superiori agente, quàm in proprium motum, eò quòd magis inclinetur ad Totius quàm ad sui conservationem, utpote à quâ pendeat sui conservatio. At conservatio Totius pendet à connexione partium inter se. Hæc autem coordinatio dissolvitur, si exeatur ab illo ordine, secundum quem inferiora sunt subjecta, debentque adeo obedire superiori. At eo ipso, quòd Deus ut motor universalis totum comprehendat, sequitur, motum, qui est à Deo ut ab agente universali, respici a creaturâ secundùm habitudinem partis ad totum. Ergo repugnat, quòd talis motus in creaturâ sit violentus, sed maximè naturalis est, cum fundetur in illâ naturali coordinatione & subordinatione partis ad totum.

Posterioris partis, cui Ildephonsus *citatus n. 244.* adstipulatur, fundamentum est. Quia nulla est repugnantia, quòd, sicut homo projicit lapidem sursum, non sublatâ ejus gravitate, neque gravitatione; sic Deus similem faciat motum in lapide ipso actu gravitante. Tunc autem talis motus erit violentus. Imo eo ipso, quòd cruciatus Dæmonum mediante instrumento ignis à Deo inflictus pariat in ipsis tristitiam & pœnam, supponit aliquam ex parte naturæ repugnantiam. Ergo est ut sic violentus. 11.

Conclusio.

Deus ne quidem ut Causa particularis formas, seu principia alicui naturæ, vel subjecto contraria imprimendo, sive conservando, facit violentiam *simpliciter loquendo*, sed *secundum Quid duntaxat.*

Probatur. In omni re creatâ est intelligibilis tum Gradus specificus Essentiæ, tum gradus Essendi Transcendentalis. Ex ratione autem Transcendentalis Essendi gradûs quælibet res creata secundum Esse *in Quarto perseitatis modo est per se* terminativa Divinæ ad extra actionis quà Formaliter Divinæ. Unde proprius cujuslibet creati effectûs, quà ex Divinâ ratione procedentis, Essendi modus est ipsum Esse, ut sic ex Dei Causalitate participatum. At modo Essendi in creatis commensuratur modus tum recipiendi, tum operandi. Unde quia cuilibet creaturæ, quatenus refertur in Deum tanquàm universale principium, proprius Essendi modus dicit *Esse, ut sic* ex Divinâ Causalitate participatum, consequens est, omnem creaturam respectu Dei habere ex intrinseco suo Essendi modo potentiam obedientialem, tum receptivam, tum activam cujuslibet actionis ac effectûs taliter participantis de Esse, ut respectu tamen creaturæ ejusmodi non implicet, non esse. At stante istâ obedientiali ad quemlibet Dei ad extra effectum tum receptivâ, tum activâ potentiâ, nequit ulli creaturæ respectu cujuscunque in ipsâ producibilis actionis esse quædam contra Deum ceu actionis ejusmodi principium resistentia & repugnantia. Ergo nec violentia. 12.

Dices,

13. Dices. Hoc argumento evinci, quòd Deus neque respectu creaturæ secundùm gradum specificum spectatæ possit facere aliquam violentiam. Probatur istud assumptum. Nam cujuslibet rei creatæ specificus gradus nullatenus est intelligibilis, absque universali Essendi gradu; Ut sic autem res creata fundat in se potentiam obedientialem, ratione cujus repugnat, habere respectu actionis ex Deo emanantis aliquam resistentiam.

14. Contra. Nam hinc solùm evincitur, quòd nulla actio, vel passio ex Deo emanans, factâ creaturæ ad ipsum Deum, ceu Essendi principium comparatione, possit esse violenta, licet actio ejusmodi seu passio secundùm se spectatâ possit esse Formalis violentia. Hoc autem dicere est, quòd nulla actio Dei, vel passio ex ejus causalitate emanans *Formaliter in sensu reduplicativo*, quatenus est à Deo, sit violenta, licèt *materialiter in sensu specificativo*, quatenus in se ipsâ contrariatur specificæ alicujus naturæ inclinationi, possit esse violenta. Etsi ergo ob Transcendentalem Essendi gradûs in specifico naturæ creatæ gradu inclusionem inferatur, non posse ulli creaturæ *simpliciter loquendo* à Deo inferri violentiam, quatenus tamen actio à Deo creaturæ impressa, secundùm se specificè spectata, potest esse contraria, consequenter potest ut sic *secundùm Quid* esse violenta.

Responsio ad opposita Fundamenta.

15. AD fundamentum Vasquezij *n. 7.* oppositum Respondetur. In tali casu fore violentiam *secundùm Quid*, non verò *simpliciter*. Etenim illa contra Deum trahentem resistentia se habere posset, tum ex parte voluntatis, tum ex parte potentiæ progressivæ. At ex parte hujus potentia obedientialis per rationem Essendi *Essentialiter* subjecta Deo, ad motionem Divinitus sibi impressam eatenus se inclinaret, ac submitteret, ut illa motio respectu DEI nihil omninò haberet violentiæ.

16. Nihilominùs illa ipsa motio per modum passivæ impressionis comparata tum ad progressivæ potentiæ renitentis inclinationem, tum ad elicitam voluntatis, illam motionem aversantis, dispositionem se haberet tanquàm Formalis quædam violentia. Quare Deus ita potest causare Formalem respectu naturalis seu particularis cujusdam inclinationis violentiam, ut tamen in comparatione ad Deum, ejusque Causalitatem, cui obedientialiter subjecta est omnis creatura, non debeat dici illam Formam subjecto recipienti esse violentam.

17. Ad confirmationem *n. 8.* oppositam Respondetur. Si aqua ob metum Vacui per fistulam ascendens gravitet, atque adeò in contrarium inclinet, dici debere, quòd ille ascensus secundùm se spectatus eatenus sit violentus; ut tamen in comparatione ad Causam talis ascensûs effectricem non debeat dici, esse aquæ violentum. Etenim aquæ, sicut cuivis alteri naturæ creatæ ceu Totius Universi comparti *naturaliter* est indita connaturalis ad motum pro Vacuo impediendo, necessarium exigentia. Quare in metu Vacui Causa prima huic connaturali exigentiæ se accomodando, imprimit motionem specificæ aquæ inclinationi per se quidem contrariam, licèt consentaneam ejusdem quà Universi compartis exigentiæ connaturali. Unde nulla tunc fit (idem est de maris fluxu & refluxu qua comparato ad Causam superiorem) ex parte Causæ motum illum efficientis violentia, licèt ipse motus de se sit contrarius, atque adeò violentus specificæ inclinationi aquæ. Unde emanare etiam potest gravitatio, quatenus illa connaturalis pro vacuo impediendo ad motum contrarium exigentia illam specificam inclinationem ad gravitationis effectum relinquit expeditam. Ille igitur aquæ ascensus *ex se*, non verò in comparatione ad Causam superiorem est violentus; nec adeò Causa superior *simpliciter*, quantùm est ex parte suæ Causalitatis, inferre potest violentiam, licèt causare possit effectum, qui respectu specificæ alicujus subjecti inclinationis *de se* sit violentus. Et hinc facilè patet, qualiter accipienda sint, quæ *n. 3. 4. & 5.* superiùs deducta sunt.

✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻)(✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻

CONTROVERSIA II.

An Voluntas cogi, aut violentari, sive necessitari possit quoad actus elicitos?

CUm solus Deus per se Directè agere possit in voluntatem, nequeat autem creatura *simpliciter loquendo* pati à Deo violentiam, manifestè evincitur; voluntatem quoad actus saltem elicitos non posse *simpliciter loquendo* violentari. Verùm difficultas superest 1. *An stante Iudicij indifferentiâ objectivâ, possit voluntas à Deo necessitari?* 2. *An per Deum possit voluntas in actu aliquo elicito secundùm Quid saltem esse violentata?*

Referuntur Sententiæ.

CIrca primam difficultatem Ioannes à Sancto Thomâ *q. 12. de an. a. 2. concl. 3.* allegans Didacum Alvarez *in lib. de auxil. disp. 126. concl. 4.* (in quo tamen libro non nisi 122. habet disputationes) docet, repugnare, quòd voluntas necessitetur, stante judicio indifferenti, quo dirigitur voluntas in illâ operatione.

Fundamentum est. Quia ad hoc, ut necessitetur voluntas, stante judicio indifferenti, requiritur, in voluntate poni tale impedimentum, quod non solùm de facto efficiat unum, & non aliud, sed impediat voluntatem, ne facere possit oppositum, etiamsi ab indifferenti judicio moveatur. At implicat, quòd, non destructâ voluntate, tollatur ab eâ potentia, ne possit facere oppositum ejus, quod proponitur sibi cum indifferentiâ: siquidem hoc Essentialiter postulet potentia voluntatis, ut respectu objecti *determinatè* & sine indifferentiâ propositi moveatur *determinatè*; respectu autem objecti indifferentis habeat potestatem ad utrumlibet. Si ergò tollatur per impedimentum non solùm, quòd de facto non faciat hanc partem, vel omittat; sed quòd nō possit facere oppositum respectu objecti indifferentis, hoc ipso tollitur per tale impedimētum potentia voluntatis, & ejus ratio essentialis. Adstipulatur huic sententiæ Hicquæus *in 4. dist.*

in 4. dist. 49. q. 6. in commen. n. 65. cum Doctoribus *supra n. 61.* relatis asserens, quòd procedendo ex ijs, quæ de facto cognoscimus sive per rationem, sive per revelationem, probabilius sit, voluntatem non posse necessitari *Effectivè*, suppositâ deliberatione. Fundamentum ab Hicquæo *n. 26.* deductum est. Nam si voluntas ex aliquo per modum principij necessitari posset, tunc tale principium, eatenus deberet in se determinatum esse ad actionem, ut ejusdem determinatio inferret determinationem necessariam voluntatis, eam applicando ad effectum. Hinc autem sequeretur, tale principium in Causando fore *Essentialiter* superius, & prius voluntate. At nulla vis creata voluntati à Deo impressa est excogitabilis, quæ possit voluntate *Essentialiter* esse superior, ac prior in Causando. Minor ista probatur *ex n. 78.* Nam illa vis à Deo impressa voluntati, se haberet ut accidens voluntati intrinsecum. Unde penderet à voluntate in Esse. At quidquid dependet *in Esse* à voluntate, dependet etiam in *Operari*, quia operari sequitur ad Esse. Id vero, quod dependet à voluntate tam in *Esse*, quàm *Operari*, non potest in causando esse prius ac superius. Ergo non potest voluntati inferre necessitatem.

4. Aureolus *in 2. dist. 23. a. 4.* Curiel *præs. q. 6. a. 3. dub. 2. §. 1.* Suarez *tract. 2. de actib. human. disp. 2. sect. 4. n. 12.* Amicus *hic disp. 3. sect. 4. n. 80.* affirmant; stante Iudicij indifferentiâ, posse voluntatem *effectivè* à Deo necessitari. Citantur etiam pro hâc sententiâ Sotus *de nat. & grat. cap. 16.* Cabrera *3. p. q. 18. a. 4. disp. 1.* & Medina *1. 2. q. 6. a. 4. ad. 1.* sed ut verum fatear, Medina *ibidem concl. 1.* ait quidem, voluntatem posse à Deo necessitari in operationibus suis elicitis, in probatione tamen conclusionis loquitur de necessitate voluntatis non supponente objectivam judicij indifferentiam. Quidquid tamen de hoc sentiant recentiores aliqui Thomistæ; in eam sententiam apertè loquitur Sanctus Thomas *de Verit. q. 22. a. 9.* ubi hæc habentur. *Dicendum, quòd voluntas potest intelligi immutari ab aliquo dupliciter. Uno modo sicut ab objecto suo; sicut voluntas immutatur ab appetibili, & sic non quærimus hic de immutante voluntatem, hoc enim supra ostensum est, quòd aliquod Bonum de necessitate movet voluntatem per modum objecti, quamvis voluntas non cogatur. Alio verò modo potest intelligi voluntas immutari ab aliquo per modum Causæ efficientis. Et sic dicimus, quòd non solùm nulla creatura potest cogere voluntatem, agendo in ipsam, quia hoc nec Deus poterat, sed nec etiam potest directè agere in voluntatem, ut eam immutet necessariò, vel qualitercumque inclinet, quod Deus potest.*

5.

6. Circa secundâ difficultatem 1. quoad actus, qui sunt eliciti simul & imperati, voluntatem posse pati violentiam, affirmat Corneio *hic disp. 2. dub. 5. in princ.* Fundamentum est. Si enim voluntas determinet se, nolle diligere Paulum, Deus verò illam efficaciter moveat ad ejusmodi dilectionis actum, tunc in isto casu voluntas violentatur in actu imperato à se elicito, non minùs, quàm si imperaret non videre, & tamen cogeretur ad videndum. Econtrario negat Ildephonsus *disp. 84. dist. 1. n. 119.*

7. 2. Conformiter ad doctrinam Scotistarum, nominatim Hicquæi *ubi supra n. 62.* docentium, actum vitalem produci posse à solo Deo, posseque adeò voluntatē necessitari *Formaliter* à Deo producente, aut conservante in eâ actum, affirmat Gabriel *in 2. dist. 25. q. un. a. 3. dub. 1. propos. 5.* quòd, si voluntas interno aliquo impetu elicito nollet actum, v. g. contritionem, & Deus illam infunderet, eo casu voluntatem cogi, atque vim pati. Econtra ex mente Sancti Thomæ *hic. q. 6. a. 4.* videtur dicendum, actui voluntatis ita convenire Essentialem à voluntate tanquam principio vitali dependentiam, ut consequenter implicet, illum infundi voluntate renitente, & non potiùs influente.

8. 3. Ex sententiâ quorundam, nominatim Oviedo *de an. contr. 6. punc. 3. §. 3. n. 21.* existimantium, de potentiâ Dei absolutâ in eodem subjecto componi posse amorem & odium ejusdem objecti, videtur; quòd voluntas esset violentanda, si stante odio Dei in voluntate hominis, huic Deus infunderet sui amorem. Econtrario Ioannes à Sancto Thoma, *hic disp. 4. a. 1. n. 27.* negat possibilitatem illius hypothesis. Imò Vasquez *1. 2. disp. 26. cap. 2. n. 15. & 16.* dato etiam illo casu licèt impossibili, probat; neutrum actum tunc fore violentum voluntati, sed unum respectu alterius duntaxat fore violentum, quatenus esset contra naturalem inclinationem, quam forma habet ad expellendam oppositam ab eodem subjecto.

CONCLUSIO I.

NOn repugnat, voluntatem stante licèt objectivâ Iudicij indifferentiâ, necessitari à Deo ad aliquem actum.

Probatur. Si enim aliqua hujus esset implicantia, hæc in eo se teneret, quòd ipsa voluntatis entitas respectu objecti indifferenter propositi *Essentialiter* importet Virtutem Dominativam & indifferentiam, Electivam. At ista ratio non tenet. Minor probatur. Nam etiam Calor per suam Entitatem *Formaliter* ac *Essentialiter* dicit vim calefactivam. Hæc tamen vis calefactiva est ut sic finita. Eo ipso verò, quòd finita sit, habet quandam coarctationem intrinsecam, ratione cujus per formam contrariam possit adeò debilitari, ut contra suam intrinsecam inclinationem ac determinationem activam reddatur impedita, nec adeò si proxima, sed remota vis calefaciendi. At verò voluntatis ad operandum & non operandum vis Dominativa ut sic sub Formali indifferentiæ Electivæ ratione, est finita. Eo ipso verò, quia finita est, non repugnat, illam mediante formâ Divinitus impressâ in tantum coarctari, ut voluntatis Entitas sub remotæ Dominativæ Virtutis ratione licet *Essentialiter* immutata, sit tamen ipsa virtus *intrinsecè* impedita, ne habeat facultatem proximam exeundi in actum oppositum, seu abstinendi ab actu, in quem illa Divinitùs impressa Forma determinatè inclinat. Patet igitur ex eo, quòd voluntas ex suâ Entitate habeat respectu objecti indifferenter propositi vim Dominativam, non concludi, quòd ista vis, utpote de se duntaxat remota, non possit *intrinsecè* necessitari per vim ex se ipsâ determinativam & sic necessitativam ad unum actum.

9.

10.

Dices ex Hicquæo *ubi supra n. 68.* Cuicumque per se competit extremum contradictionis, neque *per se*, neque *per accidens* posse ejus oppositum ipsi convenire. Unde implicare, quòd 11.

voluntas

voluntas possit agere modo opposito suæ naturæ. Atqui agere liberè & indifferenter, & agere necessariò, quatenus sub determinatâ ratione dividunt causas, opponi contradictoriè. Naturam verò voluntatis esse, ut agat liberè suppositâ deliberatione, esseque voluntatem ex natura suâ determinatam ad talem agendi modum, ut non possit ex se necessariò & non liberè agere. Cùm igitur hic liberè agendi modus suppositâ deliberatione, sit voluntati Essentialis, repugnat, illum immutari à Deo.

12. Contra. Nam aliud est, actionem *intrinsecè* liberam non ex ratione suâ specificâ, sed differentiâ duntaxat individuali talem respectu actionis *Formaliter* necessariæ habere repugnantiam, ut implicet, actum *de se* liberum esse *Formaliter* necessarium: aliud verò est, potentiam voluntatis eatenus respectu objecti indifferenter propositi esse Electivam, ut hæc tamen vis Dominativa & Electiva in suâ commensuratione adæquatâ tum connaturali, tum obedientiali respectu ejusdem sub indifferentiâ repræsentati objecti habeat capacitatem ad plures individualiter differentes actus, quorum unus ex voluntatis Electivâ vi pendens sit liber, alter verò ex ejusdem voluntatis virtute ac simul ex Divinitùs impressâ Electivam voluntatis facultatem superante, & ut sic ad agendum in actu primo prædeterminante vi dependens, sit *Formaliter* necessarius. At quando dicitur, quòd vis *liberè* ac *Necessariò* activa per modum duplicis specificæ differentiæ dividat Causas, hoc intelligendum est, de vi talem agendi necessitatem habente, ut actio ex ipsâ emanans ne *Radicalem* quidem, vel *Eminentem*, sive *Virtualem* libertatem habeat. Eo ipso autem, quòd actio ex voluntate per vim Divinitùs impressam necessitata emanans habeat principium de se, nisi superiori quâdam impressione determinetur, Electivum, consequens est; talem actionem esse quodammodò liberam, non quidem *Formaliter*, sed *Radicaliter*, seu *Virtualiter*. Unde modus agendi *liberè Formaliter*, & modus agendi *Formaliter necessariò*, sed *liberè Radicaliter* non sunt differentiæ Divisivæ Causarum, sed important unam simplicem vim Causatricem tum connaturaliter, tum obedientialiter respectu unius indifferenter propositi objecti se habentem tum ad oppositos amoris & aversionis actus, tum ad individualiter differentes alterius *Formaliter* liberi & alterius *Formaliter* necessarij, sed *virtualiter* liberi amoris operationes. Constat igitur, modum liberè agendi respectu objecti indifferenter propositi taliter convenire naturæ voluntatis, ut hæc ipsa obedientialiter admittat modum agendi *Formaliter* necessarium, sed *Radicaliter* liberum.

13.

14. Instabis ex eodem Hicquæo *à n. 63*. Si voluntatis Electiva indifferentia ex vi Divinæ cujusdam impressionis, stante objectivâ judicij indifferentiâ, posset necessitari ad agendum; à fortiori Divina præfinitio voluntatis ad operandum prædeterminativa imponeret aliquam agendi necessitatem; Siquidem huic, utpote increatæ major sit efficacitas, quàm illi, utpote formæ duntaxat creatæ. At sequela majoris est falsa. Ergo & id, ex quo sequitur.

15. Contra. Nam Divina voluntatis creatæ ad operandum prædeterminativa præfinitio alia connaturali voluntatis proportioni respondens ita se habet, ut Deus Electivam voluntatis indifferentiam respectu objecti indifferenter propositi *intrinsecè* immutatam relinquens, sit prædeterminans actum non nisi ex tali vi quà *Formaliter* Electivâ eliciendum, qui eo ipso ex differentiâ suâ individuali sit *Formaliter* liber. Alia verò Divina non tam Connaturali, quàm obedientiali voluntatis capacitati respondens præfinitio dari posset, quæ haberet secum identificatum Decretum Formæ alicujus, vim voluntatis Electivam superantis, & ut sic in actu primo *intrinsecè* determinantis causativam, vi cujus adeò præfinitionis Deus vellet actum ex voluntate non nisi *Radicaliter* liberâ, sed *Formaliter* in ratione virtutis causativæ determinatâ & *intrinsecè* necessitatâ eliciendum; qui proinde actus ex differentiâ suâ individuali esset *Formaliter* necessarius, nec nisi *Radicaliter* ac *Virtualiter* esset liber. Constat proinde, ex hoc ipso, quòd voluntas creata ita subjiciatur Efficacitati Divinæ voluntatis, ut hæc ipsum etiam agendi modum habeat in suâ potestate, sequi, posse Deum præfinire actum tum quà *Formaliter* liberum, ex connaturali circa objectum indifferenter propositum Electivâ vi emanantem, tum quà *Formaliter* necessarium, sed *Radicaliter* ac *Virtualiter* liberum, ex voluntatis vi per impressionem actûs primi *intrinsecè* determinativam obedientialiter necessitatâ procedentem.

Conclusio II.

Ex intrinsecâ voluntatis naturâ Essentialiter repugnat, voluntatem in actibus à se elicitis pati violentiam, seu Coactionem.

Probatur argumento Divi Thomæ *pres. q. 6. a. 4.* Nam actus voluntatis nihil aliud est, quàm inclinatio quædam procedens ab interiori principio cognoscente. At quod est coactum, vel violentum, est ab Exteriori principio. Ergo contra rationem ipsius actûs voluntatis est, esse coactum, vel violentum. 16.

Responsio ad opposita fundamenta.

Ad Ioannis à Sancto Thomâ ex parte primæ difficultatis *n. 2.* oppositum Respondetur. 17. Quòd potentia faciendi oppositum alia sit remota, alia proxima. Etsi verò illa sit ipsa entitas voluntatis, nec adeò, hâc non destructâ, possit tolli potentia faciendi oppositum ejus, quod proponitur cum indifferentiâ. Nihilominùs, ut remota ejusmodi potentia in voluntate sortiatur rationem potentiæ proximæ, debere esse non impeditam, impedimento non tantùm impediente, ne faciat, sed ne facere possit oppositum. Ejusmodi verò impedimento eo ipso possibile esse, quòd voluntatis vis Electiva sit *Formaliter* finita, sitque adeò sub Formali vis Electivæ ratione coarctabilis, ac impedibilis per formam Divinitùs producibilem in voluntate; vi cujus adeò Formæ voluntati impressæ eatenus manere *Essentialiter* immutatam voluntatis naturam, ut tamen non sortiatur proximam, sub ratione vis Electivæ, potentiam faciendi oppositum.

18. Ad Hicquæi ex parte primæ difficultatis *n.* 3. oppositum Respondetur. Eo ipso, quòd voluntas sub Formali etiam vis Electivæ ratione sit *Essentialiter* subjecta Divinæ omnipotentiæ, sequi, quòd sicut ratione talis in Essendo subjectionis Essentialis, est *obedientialiter* elevabilis per Formam *intrinsecè* ejusdem determinativam, in ratione virtutis secundùm specificationem necessitatæ ad actum supernaturalem, omnimodâ ejus proportione intrinsecâ superiorem; sic non videri, posse negari, quòd in infinito Divinæ sapientiæ thesauro, ac inexhausto potentiæ pelago contineatur vis quædam ad extra participabilis, quæ voluntatis creatæ vim Electivam *Quoad Exercitium* eatenus sit in actu primo *intrinsecè* determinativa, ut in causando sit prior, ac superior voluntate. Probatur istud assumptum ac enervatur Minor objectionis *n.*
19. 4. oppositæ. Nam licèt vis ejusmodi Divinitùs impressa in Esse penderet à voluntate, tanquam accidens in ipsius potentiâ passivâ, non quidem connaturali, sed obedientiali receptum, eo ipso tamen, quòd voluntas in ratione subjecti non nisi *obedientialiter* se haberet ad tale accidens, posset istud in ratione vis activæ superius esse voluntate, hujusque adeò secundùm obedientialem potentiam esse determinativum ad actûs exercitium. At sicuti voluntati ex impressione virtutis supernaturalis ad certam actûs speciem determinatæ ut sic eatenus imponitur vis quoad specificationem, ut voluntati non sit facultas illâ virtute utendi, ac eam determinandi ad aliam actûs speciem, sic vis Divinitùs impressa, & ad exercitium actûs *in actu primo* determinativa eatenus importaret necessitatem Exercitij, ut voluntatis Electiva vis *Formaliter* ad unum actum quoad Exercitium determinata, non nisi *remotè* ac *radicaliter* haberet potentiam faciendi oppositum, essetque in ratione potentiæ proximæ *intrinsecè* necessitata ad unum actum.

20. Ad Primum ex parte secundæ difficultatis *n.* 6. oppositum fundamentum Respondetur. In tali casu fore quidem aliquam contrarietatem respectu inclinationis per voluntatem diligere nolentem elicitæ, hanc tamen contrarietatem non sortituram rationem violentiæ, tum quod æquè foret elicita voluntatis inclinatio, tum quòd esset a principio intrinseco. Ad summum igitur dici posse quandã violentiam *secundùm Quid*, non in comparatione ad voluntatem *secundum se* spectatã, sed in comparatione ad actum contrariũ, vel ad voluntatem quà tali actu informatam.

21. Ad secundum *n.* 7. oppositum Respondetur. Datâ per impossibile hypothesi, quòd Deus voluntati renitenti infunderet contritioné, tunc istum actum eo ipso non fore voluntati *simpliciter* violentum, quòd esset à Deo habente voluntatem sibi *Essentialiter* subjectam, & ratione hujus subjectionis *obedientialiter* inclinatam erga Deum, nec non ad effectus ex Divinæ voluntatis causalitate derivabiles.

22. Ad tertium *n.* 8. oppositum Respondetur. Illâ licèt impossibili suppositione datâ, non fore violentiam respectu voluntatis, tum quòd per modum principij *intrinsecè* influeret in amorem, tum quòd hic à Deo infusus amor esset secundùm obedientialem voluntatis inclinationem, tum quod esset actualis voluntatis inclinatio. Ergo totam, si violentia *secundùm Quid* appellanda sit, se tenere, tum respectu actûs contrarij, tum respectu voluntatis non *secundum se* spectatæ, sed quà actu contrario informatæ. Quomodo etiam peccatum dicitur voluntati quodammodò repugnans, non *simpliciter*; siquidem actus peccandi procedat ex voluntate, ut a principio intrinseco, malitia verò peccaminosa radicetur in ipsius voluntatis inclinatione omnino liberâ, malitiæ ejusmodi sub specie boni saltem *indirectè* prosecutivâ. Quare eâ duntaxat ratione, prout voluntas in se fundatam habet Honestatê, ejusque radicalem inclinationem; potest malitia peccaminosa respectu voluntatis sub illâ radicali ad Honestatem peccato oppositam inclinatione consideratæ *secundum Quid* dici violenta, vel potiùs opposita.

CONTROVERSIA III.

An Voluntas pati possit violentiam quoad cessationem ab actu?

Affirmant Medina *præs. q. 6. a. 4. concl. 2.* Vasquez *hîc disp. 27. cap. 6.* & alij. Fundamentum est. Tum quia voluntas ex natu à suâ petit aliquem actum, sicut materia habere aliquam formam. Si proinde Deus voluntatem redderet suspensum ab omni actu, sive id fieret per subtractionem objecti, sive omnimodi concursûs Divini, inferretur ipsi aliqua violentia. Tum specialiter, si Deus Beato videnti Deum denegaret concursum ad amorem Beatificum, vel voluntati congruâ gratiâ præventæ negaret concursum ad actum liberum, fieret aliqua coactio & violentia. 1.

Econtra Ioannes à Sancto Thomâ *præs. disp. 4. a. 1. n. 35.* Serra *præs. q. 6. a. 4. circa finem* & ex parte Amicus *hîc disp. 3. n. 109. a. 3.* negant, posse voluntati per subtractionem concursus Divini inferri violentiam quoad cessationem actûs. 2.

Fundamentum ex eodem Ioanne à Sancto Thomâ *n. 36.* deductum est. Quia Causæ inferiores non petunt ex naturâ suâ operari, nisi stante motu, & influxu Causæ superioris, cui per se subordinantur in causando. Unde sicut naturaliter inclinantur ad agendum, supposito influxu, & motu talis Causæ superioris: ita naturaliter, & sine ullâ violentiâ, aut resistentiâ cessant ab operando; si Causa superior non influat, nec moveat. Ex hoc autem sequitur, quòd cessante influentiâ Causæ superioris, cessatio ab actu non sit contra ejus naturam: sicuti creaturam desinere esse, cessante Divino concursu, non est contra ipsius naturalem inclinationem. Quamvis proinde voluntas in actu primo sit expedita ad operandum, hic tamen actus primus, seu potestas operativa non inclinat ad operationem *absolutè*, sed cum suis dependentijs, & requisitis, tanquàm inclinatio dependens à superiori. Unde cessante requisito concursu Divino, cessat inclinatio ad operandum, imò petit ex naturâ suâ cessare. Ergo cessatio tunc non est violenta.

3. Ioannes à Sancto Thomâ *citatus* docet, neque quoad subtractionem objecti posse voluntati in-

tati inferri violentiam, nisi *indirectè* ac *secundùm Quid* ab agente particulari, non verò ab agente universali, seu Deo.

4. Fundamentum ab eodem authore *n. 37.* deductum est. Quia objectum est proprium movens voluntatis, ita ut in incognitum nullo modo ferri possit. Ergo subtracto objecto movente, non est contra naturam voluntatis cessare ab actu, sed potiùs est connaturale. Ergo cessatio ab actu tunc non est violenta.

Ildephonsus Baptista *disp. 83. n. 90.* probat, quòd voluntas ne quidem *indirectè* possit voluntatem violentare in cessatione, vel carentiâ actûs. Fundamentum est. Nam creatura, uno è duobus modis potest agere *indirectè* in nostram voluntatem, ut cesset ab actu. *Primò* suadendo, & sic non movet *necessariò*, sed *liberè*. Unde est impossibile, quòd sic cogat, & violentet voluntatem. *Secundò* ita, ut omninò impediat ejus actum, impediendo actum Intellectûs, causando somnum, impediendo memoriam, vel hominem omninò dementando. At in quolibet ex illis casibus impossibilitatur voluntas ad operandum, non autem violentatur: siquidem ex ipsâ naturâ voluntatis proveniat, quod non proposito objecto ex quocumque principio, non operetur.

CONCLUSIO I.

Simpliciter repugnat, voluntati à Deo inferri violentiam quoad cessationem ab actu.

5. Probatur. Nam licèt voluntati, sicut cuilibet agenti creato insit innata inclinatio ad operationem aliquam: sicut enim Essentia creata sita in Essendi potentialitate, est intrinsecè determinata ad actum existendi, sic potentia operativa creata habet intrinsecam exigentiam ad aliquem actum, ne sit otiosa. At hæc ipsa exigentia & inclinatio Naturalis est *Essentialiter* subordinata Efficacitati voluntatis Divinæ. Ex vi autem hujus subjectionis fit, quod ista exigentia non sit ad actum *ex se absolutè* habendum, sed *Dependenter* à Causalitate Voluntatis Divinæ. Ex hâc verò dependentiâ fit, quòd non petat operari, nisi præsupposito concursu Divino. Constat proinde, neque hujus Divini concursûs utpote omninò indebiti & gratuiti subtractionem, neque consequenter operationis, non nisi ex talis concursûs præviâ suppositione, debitæ negationem posse respectu Dei importare aliquam creatæ voluntatis violentiam.

6. Dices. Sicuti actus secundus Essendi, seu Essentia actualis, se habet respectu Essentiæ creatæ causalitatem sui effectricem actu terminantis: sic actus secundus operandi, sive operatio se habet ad potentiam operativam. At Essentia causalitatem sui effectricem actu terminans ita est *intrinsecè* determinata ad actualem existentiam, ut si hâc denudaretur, aliquam pateretur violentiam. Idem proinde videtur dicendum in casu, quo potentia operativa per subtractionem Divini concursûs esset otiosa absque omni operatione.

7. Contra. Quia existentiæ actus est ultima intra lineam substantiæ actualitas, cum quâ proinde Essentia habet connexionem Essentialē Divinitùs insuperabilem. Econtra potentia operativa & consequenter operatio in creatis est in lineâ accidentali. Sicut ergo cōnexio substantiæ ad potentiâ operandi non est Essentialis; sic operatio est Divinitùs separabilis a substantiâ tanquàm radicali operandi principio. Eo ipso autem, quòd substantia cum actu secundo operandi habeat connexionem divinitus superabilem, sequitur, ipsam etiam potentiam operandi, utpote cujus *Esse* est secundùm commensurationem substantiæ, posse divinitùs subsistere sine actuali operatione, utpote ad quam non nisi *dependenter* a Divino non in ipsâ substantiæ Essentiâ (uti fit respectu actualis Existentiæ) *intrinsecè* radicato, sed accidentario extra Deum Transeunte concursu habet connexionem seu inclinationem naturalem. Unde fit etiam consequens, quòd, si datâ impossibili hypothesi, Essentia creata physicam sui effectionem terminans denudaretur omni existentiâ; intelligeretur pati violentiam, siquidem tunc fieret contra ipsius intrinsecam ad existendum determinationem habentem ut sic Divinum existentiæ communicativum Transeuntem influxum in se radicatum: cum ècontra potentia operativa non ita sit *intrinsecè* determinata ad operationem, ut Divinum ad hanc concursum in se habeat radicatum, sed pendeat ab accidentali à se distincto Divino Transeunte influxu.

CONCLUSIO II.

Voluntati creatæ potest creatura indirectè inferre vim & violentiam.

Probatur. Nam sicuti Intellectui inest naturalis ad perfectum ratiocinationis actum inclinatio; sic voluntas *Connaturaliter* petit aliquam in se operationem perfecto ratiocinationis, seu deliberationis judicio proportionatam, nec nisi ex Causæ primæ concursu dependentem. 8.
At istâ voluntatis inclinatio naturalis *indirectè* potest violari per Causam secundam, dum ista faceret hominem dementari. Unde sicut in tali casu homini quoad privationem usûs tam rationis, quàm voluntatis quà deliberatæ operativæ in genere moris fieret injuria, sic in genere etiam physico voluntati fieret simpliciter violentia.

Dices ex Ioanne à Sancto Thomâ *ubi supra n. 41.* Dormiente homine etiam continuo ac perpetuò, nullam fieri violentiam voluntati, licèt pro tunc cesset ab omni operatione. Hujus verò non aliam esse rationem, nisi quòd *naturaliter* cesset operatio voluntatis, quando cessat propositio objecti, quod est proprium & connaturale movens voluntatis. At istam rationem militare etiam in casu superiùs posito, quo aliquis à creaturâ dementaretur. 9.

Contra. Nam somnus induci potest vel ex naturali dispositione ad nutum ipsius etiam voluntatis, vel ab agente Extrinseco, voluntate renitente. At in priori casu, comparatione ad naturalem dispositionem, imò & ad voluntatis elicitam inclinationem factâ, somnus est quidem naturalis, est tamen violentus respectu innatæ voluntati ad operandum inclinationis. Probatur istud assumptum. Nam licèt voluntas nul- 10.

11. tas nullo ipsi objecto, in quod feratur, proposito, dici possit *naturaliter* cessare ab operatione: hoc tamen eatenus duntaxat est verum *Negativè*, quatenus non habet naturale operandi principium proximum & completum. At cum ista principij *proxime* operativi negatione stat principium radicale cum connaturali ad operationem exigentiâ. Hæc autem connaturalis ad operandum exigentia eo ipso, quòd nequeat in actum exire, nisi præsuppositâ objecti alicujus cognitione, semper petit notitiam ejusmodi. At verò contra illam voluntatis innatam inclinationem somno impeditur tum perfecta ratiocinationis cognitio, tum eidem proportionata volitio.

12. Nec obest, quòd voluntas & intellectus animæ corpori unitæ eatenus in operando pendeant à dispositione corporali, quòd hâc per defatigationem debilitatâ, exigat quietem ab operatione mediante somno procurandam. Sicut enim defatigatio ejusmodi non *immediatè* afficit Intellectum ac voluntatem, sed vim imaginativam, ejusque organizationem contrarijs qualitatibus debilitatam, sic hæc ipsa debilitatio per contrarias qualitates causata, quatenus est voluntatis & Intellectûs impeditiva ab operationibus, inferat quandam violentiam naturali illarum potentiarum inclinationi oppositam. Hæc verò violentia tollitur per somnum non nisi *per accidens*, quatenus ipsa natura vires reparando removet impedimentum voluntatis ab operando impeditivum. Unde ipse etiam somnus quatenus voluntatis innatæ inclinationi opponitur, est ut sic violentus. Quare si inducatur à principio merè extrinseco, voluntate non consentiente, sed secundum naturalem saltem inclinationem renitente, tunc sicut & dementatio quà ab operando *indirectè* impeditiva, dici debet *simpliciter* violenta voluntati.

13.

Responsio ad opposita fundamenta.

14. AD Primum *n. 1.* oppositum Respondetur. In nullo istorum casuum fore violentiam, eò quòd connaturalis cujuscunque Causæ secundæ ad actum aliquem exigentia non sit nisi secundùm dependentiam, ac subjectionem Essentialem respectu Divinæ Causalitatis. Unde in omni Causâ secundâ præponderare inclinationem, vi cujus sequi debeat Causæ primæ nutum & voluntatem, ceu vim omnis ad extra causatricem, atque adeò non fieri contra Causæ secundæ inclinationem; si ex subtractione Divinæ Causalitatis impediatur ab actu, ad quem vel est determinata, vel connaturalem habet exigentiam. *Veluti efficaciter demonstrat fundamentum* Ioannis à Sancto Thomâ *n. 2. deductum.*

15. Ad ejusdem Ioan. à Sancto Thomâ *n. 3.* oppositum fundamentum Respondetur. In eo duntaxat sensu esse verum, quatenus subtractâ notitiâ objecti, non est in voluntate proximum operandi principium. Nihilominus in ipsâ voluntatis naturâ radicari inclinationem & exigentiam naturalem, quâ petit sibi prælucere notitiam perfectam objecti alicujus, in quod ferri possit voluntas per actum deliberatum, ne appetitus quà rationalis sit otiosus. Quamvis proinde objecti cujuscunque notitiâ subtractâ per Deum, ex altiori superius deducto principio nulla fiat violentia; attamen somnus & dementatio quatenus per Causam secundam inducitur ad voluntatis quà rationalis appetitûs otiositatem, seu ab actu perfecto cessationem exinde *indirectè Negativè* causandam; est hoc ipso voluntati violentus. *Et hinc patet responsio ad* Ildephonsi *n. 4.* oppositum argumentum.

CONTROVERSIA II.

An voluntas cogi, & violentari possit quoad actus imperatos?

NEgativa pars videtur evinci 1. Quia si voluntas quoad actus imperatos pati posset violentiam, deberet potentia voluntati subordinata impediri ab actu Efficaciter imperato: siquidem imperium inefficax sumendæ v. g. medicinæ non contrarietur cum istius sumptionis omissione, sed connaturaliter possent simul stare. At eo ipso, quòd imperium sit efficax, est influens in positionem actus à se imperati, nec adeò videtur posse stare cum hujus actionis negatione seu privatione. 2. Si Intellectus v.g. ad assensum aliquem ex voluntatis efficaci imperio motus ex motivis intrinsecis determinetur ad dissensum contrarium, tunc ista Intellectûs determinatio est naturalis. Ergo non est violenta, etiamsi repugnans sit voluntatis imperio de se efficaci. 1.

Ex opposito Theologi communiter cum Sancto Thomâ *cit. q. 6. a. 4.* docent; quoad actus à voluntate imperatos posse voluntatem pati violentiam, quatenus exteriora membra possunt per violentiam impediri, ne imperium voluntatis exequantur. 2. 3.

Conclusio.

VOluntas quoad actus imperatos etiam Formaliter quà imperatos potest negativè pati violentiam: at positivè nequit violentari quoad actus imperatos nisi materaliter spectatos.

Probatur. Nam voluntas dicitur *negativè* cogi quoad actus imperatos, quatenus imperium ejus de se efficax per resistentiam ab agente creato facultati inferiori illatâ impeditur, ne fiat actus tali inferiori potentiæ imperatus. At verò ut *positivè* violentaretur voluntas quoad actus imperatos *Formaliter* spectatos, deberet actus imperatus fieri contra voluntatis inclinatione. Etsi verò non repugnet, actum *Formaliter* imperatum non fieri, repugnat tamen ipsum fieri contra voluntatis inclinationem, siquidem ipsum voluntatis imperium sit hujus inclinatio elicita. Constat proinde, voluntatem quoad actus imperatos *Formaliter* spectatos non nisi *Negativè* posse violentari, tametsi dum actus *Positivè* contrarius imperio voluntatis, fit à potentiâ ipsi subordinatâ, violentiam positivam patiatur per actum ejusmodi, qui tamen pro tunc non *Formaliter actu*, sed *aptitudinaliter* ac *Materialiter* dici potest imperatus, quatenus scilicet fieri posset secundùm voluntatis imperium. 4.

Respon-

Responsio ad opposita Fundamenta.

5. AD Primum *n. 1.* oppositum Respondetur. Verum quidem esse, quòd voluntas secundùm actum imperatum non violentetur, si imperium sit tantùm inefficax, sed oportere istud esse efficax, ut contra ipsum fieri possit violentia. Nihilominùs imperium de se efficax non importare actualem imperij influxum, sed efficaciam de se excitativam & solùm *inchoativè*, necdum *consummate* causativam actûs imperati, nisi ab alio agente impediatur. Quare posse omninò fieri, ut voluntas quoad actum efficaciter imperatum per hujus omissionem ab Extrinseco causatam *Negativè* violentetur.

6. Ad secundum *n. 2.* oppositum Respondetur. In illo casu non fieri quidem violentiam respectu Intellectûs, siquidem hic actus sit naturalis, imò implicet, violentum esse, eo ipso, quòd sit actus elicitus ab intrinsecâ intellectûs virtute: Attamen respectu voluntatis, quæ sit Totius hominis inclinatio, fore actum illum *simpliciter* violentum respectu etiam Totius hominis.

7. Cujus ratio ab Ildephonso *præs. disp. 85. n. 174.* deducta est. In quâlibet enim re principalior est inclinatio in Bonum Totius, quam in Bonum particulare. At quando duæ rationes concurrunt ad denominationes contrarias, illa prævalet ac simpliciter denominat, quæ est prædominans, seu principalior in subjecto. Quamvis ergo actus Intellectûs ex applicatione motivi ad ejusmodi actum determinativi elicitus contra voluntatis imperium, respectu Intellectûs sit naturalis, atq; adeò *secundùm Quid* sub hoc respectu dici possit non violentus: quia tamen voluntas est Totius hominis universalis inclinatio, oportet, actum illum repugnantem imperio voluntatis, esse respectu hujus eatenus violentum, ut *simpliciter* respectu Totius hominis dici debeat violentus.

COROLLARIUM I.

Qualis sit necessaria resistentia ad hoc, ne vis illata ad faciendum actum, morali honestati v.g. pudicitiæ contrarium, censeatur facere involuntarium, ita ut actus ejusmodi ne quidem indirectè Negativè, seu interpretativè sit voluntarius?

8. INfertur 1. Certum esse, quòd violentia causet involuntarium, atq; adeò, si fuerit violentia *simpliciter* respectu voluntatis, excusare à peccato. ex S. Thomâ *cit. q. 6. a. 5.* Unde Sanctus Augustinus *in cap. de pudicitiâ 32. q. 5.* relatus ait: *Corpus mulieris non vis maculat, sed voluntas.* Et *in cap. ad Deum. ibidem.* Tantùm enim in mente valet integritas castitatis, ut illâ inviolatâ, neque in corpore possit pudicitia violari, cujus membra potuerunt superari.

9. Infertur 2. Vim illatam non fore Moraliter violentam, sed interpretativè Voluntariam, nec adeò à peccato liberã, si non repellatur illis viribus ac modis, quibus hîc & nunc quis tenetur impedire actum intentatum. ex Ildephonso *disp. 88. n. 29.* Ratio est. Quia Effectus subsecutus ex omissione aliqua Moraliter loquendo in tantum censetur interpretativè voluntarius, in quantum potest ac tenetur impedire, nec tamen impedit. Unde author citatus *n. 36.* ex Curiele *hic §. sed quæres.* Martinez *dub. un. in sol. ad 1.* & Corneio *hic disp. 2. dub. ult. §. Dico secundò.* concludit. Si ad impediendum actum violenter intentatum quis teneatur præcepto duntaxat affirmativo, non statim imputari, si non adhibeat omnem resistentiam possibilem: sed sufficere, quòd adhibeat convenientem, habitâ ratione damni & materiæ. v. g. Si Virginis pudicitiæ vis intentetur, quæ tamen non timet se consensum præbituram, ait author *citatus* præcepto duntaxat affirmativo teneri ad se, suamque integritatem custodiendam. Quare sufficere, ut defendat se manibus, & viribus corporis; neque teneri ad hoc, ut aggressorem, si prævaleat, & aliàs se tueri non possit, occidere, vel etiam cum dispendio utriusque famæ clamare debeat.

Econtra si actus, quem tenetur quis impedire, sit contra præceptum Negativum, idem Ildephonsus *n. 34.* cum Curiele & Martinez *supra* 10.
citatis existimat, debere omni moraliter possibili modo pugnare ad impediendum actum ejusmodi, adeò, ut si aliquid sibi licitum & possibile omittat, actus inde secutus aliàs non secuturus censeatur voluntarius, imputeturque proinde ad peccatum v. g. in casu pudicitiæ per vim violandæ, si mulier probabiliter timeat, se ubi ad actum deventum fuerit, consensuram, teneri ad talem præcepto non fornicandi prohibitum actum impediendum non viribus duntaxat possibilibus resistere, sed cum suæ etiam famæ, imò & vitæ periculo clamare, ac ipsummet, si prævalere speret, aggressorem defendendo occidere. Pari ratione, si quis compellatur adorare idolum, vel thus illi offerre, debere omni modo, ne id faciat, cum Bonorum famæ & vitæ detrimento pugnare, dum alioquin actus, quem talibus medijs impedire potuisset, voluntarius censeatur. Verùm de his alibi specialiùs disseremus.

ARTICULUS II.

Qualiter metus causet Involuntarium?

SUpponendum 1. Metum differre à violentiâ, tum quòd ista *Effectivè*, adeòque *Physicè* impellat ad actum voluntatis inclinationi contrarium; ille verò *Motivè*, adeòque *Moraliter*, ingerendo Motivum voluntatis, non quidem *necessariò*, sed *liberè* impulsivum, inclinet voluntatem ad faciendum actum, quem ex vi alterius Motivi extra casum intentati mali non fecisset. Unde Metum ab Ul- 1.
piano *l. 1. ff. de eo, Quod metûs causâ* definiri, quòd 2.
sit instantis periculi, vel futuri causâ mentis trepidatio. Ubi nomine futuri periculi non venit remotum, sed proximè futurum; utpote instans malum; non enim apprehendimus efficaciter eventum remotum, seu nondum instantem. ex Glossâ *in Cap. Ad audientiam v. Causa. De his, quæ vi, metûsve causâ fiunt.* Hoc tamen ita accipe, ut malum non tã in re

3. in re instans esse debeat, quàm secundùm apprehensionem, vi cujus malum prævisum, licèt non nisi post longum tempus sit eventurum, medijs ad id impediendum deficientibus, graviter movere potest animum. *uti ex leg. Novissime. ff. de falso tutore* advertit Castropalaus *oper. moral. p. 1. tract. 2. disp. 1. punc. 6. n. 1.*

4. Supponendum 2. Metum dividi in Gravem & Levem. Hic de parvo ac levi, ille de magno & gravi malo concipitur. Hinc metus gravis dicitur cadens in constantem virum, quia cum timore majoris mali subiens minus malum, non contrahit labem inconstantiæ; sicut econtra ex levi malo cedens, dum eo non obstante perseverare deberet, Fortitudinis laudem amittit. Quare metus gravis dicitur etiam justus, & probabilis; quia leges sic operantem justè & probabiliter excusant. ex Castropalao *cit. punc. 6. n. 2.*

5. Supponendum 3. Metum cadentem in constantem virum aliter considerari posse in foro conscientiæ, aliter pro foro externo. In illo enim nequit dici metus in constantem virum cadens, ex quo ad evitandum malum de se licèt gravissimum quis movetur ad peccatum mortale: agit enim talis contra virtutem constantiæ, jacturam Bonorum Temporalium præferendo spirituali animæ jacturæ, ac Honori Divino. ex Valentiâ *2. par. disp. 10. q. 3. punc. 2.* At

6. secus est de foro externo, in quo non tam attenditur, an ex metu operans *Moraliter* agat contra virtutem constantiæ, quàm utrùm voluntas ipsius graviter lædatur in libertate; cujusmodi læsio gravis stare potest ex gravitate mali intentati, licèt cedens tali metui peccet lethaliter. Ad cujusmodi proinde libertatis læsionem spectant leges Civiles & Ecclesiasticæ, dum rescindunt contractus ex metu initos. ex Thomâ Sanchez *lib. 4. de Matrim disp. 2. n. 3.* Castropalao *ubi supra n. 3.*

7. Quibus adeò suppositis, unica hìc venit discutienda controversia. *Qualiter metus causet mixtionem involuntarij cum voluntario, & an ex metu factum sit simpliciter voluntarium?* Cui controversiæ duo postmodùm corollaria subnectemus in 1. visuri, *Qualiter Metus excuset à Transgressione mandatorum?* In 2. *Qualiter de jure sive naturali Divino, sive positivo Humano contractus ex metu facti sint irriti, vel irritabiles?*

CONTROVERSIA Unica.

Qualiter metus causet quandam voluntarij cùm involuntario mixtionem, & an ex metu facta sint simpliciter voluntaria?

8. Doctor Angelicus *præs. q. 6. a. 6.* docet 1. ex Aristotele *in 3. Eth. cap. 1. non longè à princ.* ea, quæ per metum aguntur, mixta esse ex voluntario & involuntario. Cujus rationem adducit, quòd id, quod per metum agitur, in se consideratum, non sit voluntarium, sed fiat voluntarium in casu, scilicet

9. ad vitandum malum, quod timetur. 2. Docet tamen ex Gregorio Nisseno *lib. 5. cap. 1. ante medium.* Ejusmodi ex metu facta magis voluntaria esse, quàm involuntaria: esse enim voluntaria *simpliciter*, involuntaria autem *secundùm quid*. Cujus ratio est. Unumquodque enim simpliciter esse dicitur, secundùm quod est in actu: secundùm quod autem est in apprehensione, non est simpliciter, sed secundùm quid. At quod per metum agitur, secundùm hoc est in actu, secundùm quòd fit. Probatur istud assumptum. Cùm enim actus in singularibus sint, singulare autem in quantum hujusmodi sit hic & nunc, consequens est, id, quod fit, secundùm hoc esse in actu, secundum quod hic & nunc est sub illis conditionibus individualibus. At id, quòd fit per metum, est voluntarium, in quantum est hic & nunc; prout scilicet in hoc casu est impedimentum majoris mali, quod timebatur: Sicut projectio mercium in mare fit voluntaria tempore tempestatis propter timorem periculi. Quare ejusmodi ex metu facta mercium in mare projectio non est involuntaria, nisi prout extra hunc casum existens repugnat voluntati. Hoc autem est secundùm rationem duntaxat. Ergo est voluntaria tantùm *secundùm quid, simpliciter* autem est involuntaria.

Ex quâ Divi Thomæ doctrinâ resultat difficultas, quæ sit illa ratio, per quam fiat voluntarij & involuntarij mixtio aliqua.

Referuntur Sententiæ.

Ioannes à S. Thomâ *cit. disp. 4. a. 2. n. 4. ac seq.* docet 1. Operationem mixtâ ex voluntario & involuntario intelligi, quatenus est ibi concurrentia plurium motivorũ, quorum alterum sit retardans, & repugnans, inducensque ad id, quod displicet, malum scilicet imminens: alterum verò, evasio nempe periculi, & mali imminentis, sit inclinans & attrahens, faciensq; voluntarium. Ex quibus proinde duobus motivis vincere motivum inclinans ad operandum de facto rem aliàs displicentem, motivo tamen repugnante seu retardante, manente respectu velleitatis, seu voluntatis conditionatæ, secundùm quam displicet, & rejiceretur, si non adesset Causa metûs. 2. Illam ex voluntario & involuntario mixtionem in mercium v. g. tempore tempestatis projectione includere utrumque illud motivum, nec non utrumque huic respondentem actum, scilicet absolutum projiciendi, & Conditionatum, seu inefficacem non projiciendi merces, ita tamen ut iste solùm *connotativè* & *præsuppositivè*, ille verò *Formaliter* importetur in actu quà per metum facto. 10. 11.

Ildephonsus *hic disp. 89. n. 24.* supponit 1. tanquàm certum, quòd dum aliquis agit ex metu, in ipso supponatur duplex interior amoris actus tum erga illam rem, quæ per metum relinquitur, tum erga majus Bonum, quod timetur amitti, utpote cujus intuitu relinquitur minus Bonum. 2. Ex duplici hoc amore oriri duos alios actus, quorum alter ex amore per metum excitato ac prædominante actualiter impellat ad Electionem, ac detentionem majoris, & projectionem minoris Boni: alter verò vi timoris incussi superatus non causet efficacem Boni à se amati retentionem, sed inefficacem duntaxat, & conditionatã de mercibus v.g. non projiciendis volitionem, casu, quo periculum majoris Boni perdendi, & gravioris mali incurrendi adesset. Hinc 3. author citatus *n. 43 & 45.* existimat, 12. 13.

existimat, quòd iste conditionatus, & inefficax actus *regulariter loquendo* reperiatur *Formaliter*, quando ex metu operamur: licet *absolute loquendo* non sit necessum, quòd ejusmodi inefficax actus semper & ubique reperiatur *Formaliter*, & *actu*, quando quis ex metu facit opus mixtum ex voluntario & involuntario.

Conclusio I.

VT actio ex, vel cum metu facta habeat voluntarij & involuntarij admixtionem, requiritur, Metum non merè *Concomitanter*, sed *Antecedenter* & *Causaliter* se habere ad actum, debetque ex parte voluntatis esse quædam saltem virtualis in contrarium repugnantia.

14. Probatur. Nam metus Concomitans, cùm nihil causet, neque est causa voluntarij, neq; involuntarij. Atqui ut actio ex metu facta habeat cum voluntario admixtionē involuntarij, oportet, voluntarium eatenus esse causatū ex motivo per metum incusso, ut tamen motivum alteri vi metûs incusso motivo oppositum excitet in voluntate rationem involuntarij. Quod tamen
15. involuntarium non est tale *Formaliter* ac *Effectivè*, sed *Objectivè* duntaxat. Probatur istud assumtum. Nullus enim actus à Voluntate elicitus potest *Formaliter* ac *Effectivè* involuntarius esse. Atqui actus per motivum alteri ex vi metûs incusso motivo oppositū excitatus est à voluntate *physicè* elicitus. Ergo nequit *Formaliter* ac *Effectivè* esse involuntarius, sed *Objectivè* duntaxat per modum objecti, quod scilicet voluntas ex tali opposito motivo aversetur. Unde ratio involuntarij in actibus ex metu factis nihil aliud est, quàm quædam non quidem Efficax, sed inefficax aversio actûs ex metu facti. Quæ nihilominùs aversio non debet semper esse *Formalis*, sed sufficit *Virtualis*. Probatur istud assumptum. Nam amor, quem projiciens merces in mare habet erga istas, est ex se ipso excitativus tum aversionis erga projectionem hîc & nunc ex metu submersionis faciendam, tum tristitiæ erga eandem jam factam. Ergo amor est quædam virtualis erga mercium projectionem aversio. Hæc igitur ita quidem est pro tunc *Absolutè* & *Efficaciter* volita, ut vi illius amoris voluntas sit eandem *Virtualiter* aversans. Ex vi autem hujus virtualis aversionis fit, quòd illa projectio sit quodammodo involuntaria, non quidem *Effectivè*, sed *Objectivè* per modum objecti *virtualiter* odio habiti. Illa proinde virtualis aversio, seu in ipso amoris actu consistens voluntatis in contrarium repugnantia sufficit *absolutè loquendo*, ut facta ex metu habeant quandam involuntarij objectivi admixtionem.

16. Dices. Attritionem ex metu gehennæ de peccatis habitam, si voluntatem peccandi excludat, cum spe veniæ, esse Donum Dei, & Spiritûs Sancti impulsum. *ex Concil. Tridem. sess. 14. de pœnitentiâ cap. 4.* At eo ipso, quòd talis attritio voluntatem peccandi excludat, non compatitur secum amorem quantumvis inefficacem, vel etiam conditionatum erga objectum peccaminosum. Unde ita est voluntaria ex metu excitata peccati aversio, ut hæc ne quidem *Virtualiter* ratione amoris tali peccatorum aversioni quodammodò repugnantis possit etiam *secundùm quid* esse involuntaria: Quomodo ergo indefinitè & absolutè verum est: quod ea, quæ fiunt ex metu, sint mixta ex voluntario & involuntario?

Contra. Nam verum est, quòd attritio illa eatenus sit efficaciter aversativa peccatorum, ut amor erga peccaminosa objecta debeat *omnimode* esse exclusus, nec adeò illam aversionē peccatorum admittere involuntarij admixtionem. 17.
At hujus ratio est, quòd talis erga peccaminosum objectum amor quantumvis inefficax & conditionatus esset, eo ipso impediret, ne Finis ex illâ attritione intentus, fuga scilicet Gehennæ posset haberi, stante illo voluntatis affectu. Unde verum est, quod aliquis actus ex metu factus non admittat quandam involuntarij admixtionem. Hoc tamen eatenus verificatur respectu illius attritionis, ut tamen respectu aliorum ex metu factorum actuum non teneat. Unde communis ex Aristotele & S. Thomâ petita doctrina, quòd actus ex metu facti habeant quandam involuntarij admixtionem, in eo sensu accipienda est, ut semper verum teneat, nisi Bonum oppositum, quod ex metu relinquitur, sit ipsum fundamentum, & ratio intrinseca, ex quâ imminet malum, cujus metu impellitur quis ad Boni priùs amati derelictionem Efficacem. Est autem ex fide notum, quod peccatum mortale unica sit ratio inducens pœnam gehennæ. Ut ergo hujus mali efficax habeatur fuga, eatenus oportet excludi voluntatem peccandi, ut ista nec in aliquo inefficacis amoris actu, utpote gehennæ pœnam fundante, remaneat. Quare illa communis de involuntarij in actibus ex metu factis admixtione doctrina nequit habere locum in attritione ex metu gehennæ peccatorum *Efficaciter* & *Absolute* detestativâ, sed in alijs ex metu per principium præsertim intrinsecum incusso factis actibus.

Conclusio II.

Illa in actibus ex metu factis voluntarij admixtio non impedit, quò minùs actus ejusmodi sit simpliciter voluntarius.

Probatur. Nam ratio involuntarij est per hoc, quòd minoris boni ad retinendum majus Bonum derelictio, seu minoris mali ad fugiendum majus electio sit voluntaria, prout extra hunc casum existens repugnat voluntati. ex S. Thomâ *supra n. 2. citato.* Hoc verò non ita intelligendum est, ac si voluntas *Formaliter* & *Explicitè* decernere debeat, quòd nollet illam minoris mali electionem seu Boni minoris, pro conservando majori Bono, derelictionem, si extra hunc metûs, seu mali imminentis casum esset constituta. Quare illa repugnantia voluntatis debet esse duntaxat *Virtualis*, sita in amore Boni ex metu deserendi. At sive hoc virtuali, sive illo Formali modo erga objectum hic & nunc volitum quis involuntarius sit, verificatur, hanc involuntarij rationem esse duntaxat secundùm apprehensionem, non verò secundùm actum hic & nunc realiter elicitum. ex S. Thomâ *ubi supra*. At 18.
illud

istud non ita accipiendum est, quasi ista ratio involuntarij sit *Formaliter*, vel *Objectivè* in solâ apprehensione, sed quòd actus voluntatis, per quem res ex metu facta est, *virtualiter objectivè* involuntaria, tendat in objectum non *Concretè*, prout hic & nunc in singulari se habet, sed *Abstractè* spectatum, secundùm præcisionem à singularibus actûs hic & nunc eliciendi circumstantijs. At id est voluntarium *simpliciter*, quod secundùm circumstantias hic & nunc existentes *actu* impulsivas voluntatis, ex hujus imperio, seu efficaci decreto ponitur in Esse. Eo ipso autem, quòd alterum ex metu derelictum Bonum stare non possit simul cum Bono, cujus ceu majoris intuitu actus ex metu factus ponitur in *Esse*, sequitur, illud ex metu derelictum Bonum non esse Bonum secundùm præsentes circumstantias, sed secundùm apprehensionē duntaxat à circumstantijs hic & nunc occurrentibus præcisivam. Unde etiam fit, quòd impossibile foret, tale Bonum *absolutè* ac *efficaciter* amari, sed *conditionatè* duntaxat, vel *inefficaciter*. Hoc ipsū verò, quod est volitum non ut à parte rei existens, sed ut præcisum à circumstantijs hic & nunc occurrentibus, non *simpliciter*, sed *secundum quid* duntaxat est volitum. Hinc autem fit, quod etiam Boni *secundum quid* duntaxat voliti derelictio sit involuntaria non *simpliciter*, sed *secundum quid*. Constat igitur, ea, quæ ex metu fiunt, esse *objectivè* involuntaria, non *simpliciter*, sed *secundùm quid* duntaxat.

COROLLARIUM I.

Qualiter metus excuset à Transgressione mandatorum.

19. INfertur 1. Nullum metum quantumvis gravem per se excusare à peccato. ex Amico *præs. disp. 3. n. 137.* Ratio est. Quia, cùm non tollat voluntarium *simpliciter*, nec aufert rationem liberi, quare licèt diminuat culpam. *ex Can. Sacris. De his, quæ vi, metûve Causâ fiunt,* non tamen excusat, quin contrahatur peccatum mortale, nisi aliquando *per accidens*, casu, quo metus turbando rationem, non relinquit locum perfectæ deliberationi, vel casu, quo ob gravitatem mali imminentis hic & nunc cessat obligatio præcepti alicujus, *veluti in sequentibus dicetur.*

20. Infertur 2. Præcepta naturalia negativa, cujusmodi sunt de non adorandis falsis Dijs, de non occidendo innocente, de non fornicando, de non invalidè faciendo Sacramento &c. nullo quantumvis gravis mali, mortis etiam metu excusari, ita ut eorū transgressiones non sint peccata mortalia. ex communi sententiâ, nominatim Ioannis à Sancto Thomâ *cit. disp. 3. a. 2. n. 39.* Castropalai *cit. disp. 1. punc. 13. n. 3.* Ildephonsi *disp. 92. n. 174.* Ratio est. Quia peccata ejusmodi sunt intrinsecè mala. Sicut ergo Essentiæ rerum sunt immutabiles, sic peccata naturali Negativo Juri adversantia sunt *Essentialiter* inexcusabilia per metum. *ex Can. Sacris. De his, quæ vi, metusve causâ fiunt.*

21. Infertur 3. Quamvis ex Cornelio *hic disp. 3. dub. ult. conc. 2.* non improbabiliter dici queat, præcepta naturalia etiam positiva non esse per metum mortis excusabil a: oppositum tamen probabiliter defendi posse ex Soto *in 4. dist. 22. q. 1. n. 4.* Navarro *in manuali prælud. 7. n. 12.* Ioanne à Sancto Thomâ *citato* & Ildephonso *ubi supra n. 176.* Ratio est. Quia præceptum affirmativum Naturale non est prohibitivum actionis *intrinsecè* malæ, sed est præceptivum actionis *intrinsecè* bonæ, ac secundùm moralem honestatem necessariæ. Hæc autem necessitas, licèt ab intrinseco sit semper obligans, non tamen pro semper, ut adeò in aliquâ circumstantiâ v. g. mortis imminentis, excusari possit, eo ferè modo, quo *in seq. quintâ illatione* dicetur de præceptis Divinis positivis. Hinc Ildephonsus citatus *n. 180.* existimat, si alicui puellæ sub metu mortis intentetur defloratio, duo circa istam posse considerari, quorum alterum sit lex de non fornicando, quam, cùm sit Negativa, non posse excusari metu mortis, quò minùs consensus in deflorationem sit mortaliter peccaminosus, ut adeò puella cum vitæ etiam periculo resistere debeat defloratori, si periculum talis consensûs sit subitura. Alterum verò Authorem *præallegatus* ait, esse præceptum puellæ obligatorium de sui ipsius contra Defloratorem defensione. Quod equidem præceptum naturale affirmativum non obligare cum vitæ periculo, ut adeò, si absit consensûs periculum, posse absque sui defensione, quam non nisi cum vitæ discrimine factura esset, posse *negativè* se habendo permittere sui deflorationem. 22.

23. Infertur 4. Præcepta Divina positiva sive Affirmativa, sive Negativa aliquando excusari posse ex metu gravi in virum constantem cadente, adeò ut eorum Transgressio tunc non fiat *Formaliter*, sed *Materialiter* tantum, ex Ildephonso *ubi supra n. 183.* Vasque *1. 2. disp. 162. cap. 2.* Sanche *lib. 1. sum cap. 18. num. 4.* Castropalao *cit. punc. 13. n. 7.*

Probatur. Nam quoad præcepta affirmativa id evincitur ex eo, quòd præceptum veteris legis de pueris octavo die circumcidendis, dum Judæi erant in itinere terræ promissionis, non obligarit, ne scilicet ex labore itineris periclitaretur vita circumcisi. Unde *Josue 5.* habetur, filios Israel per quadraginta itineris annos usque ad finem ejus non fuisse circumcisos. Deinde præceptum de observatione Sabbathi absque omni culpâ fuit non servatum à Judæis *1. Machab. 2.* bellantibus die Sabbathi contra hostes, ut salvarent vitam suam. ex S. Tho. *1. 2. q. 100. a. 8. ad 4.* Porro quoad præcepta negativa evincitur ex eo, quòd, licet juxta præceptum Divinū *Levit. 24.* solis Filijs Aaronis liceret comedere panes propositionis, David tamen legatur *1. Reg. 21.* cum suis comedisse, urgente necessitate famis. At Christus Dominus *Matth. 12.* ut contra Judæos defenderet discipulos suos spicas die Sabbathi propter famem vellentes adducebat illud Davidis factum, *Non legistis*, inquiens, *quæ fecerit David, quando esurijt, & qui cum eo erant, quomodò intravit in Domum Dei, & panes propositionis comedit, quos non licebat ei comedere, neque his qui cum eo erant, nisi solis sacerdotibus.* 24. 25.

Infertur 5. Ad dijudicandum, quibus in casibus particularibus liceat ex gravi in constantem virum cadente metu non observare præceptum aliquod Divinum, attendi præcipuè debere, an respiciat propriam & specialem operantis utilitatem, an verò Bonum commune, ex Sala *1. 2. tract. 3. disp. 3. sect. 1. n. 35. & 36.* & Castropal. *cit.* 26.

pal. *cit. punc. 13. n. 7.* Cujus ratio insinuatur illis Christi Domini verbis Marci *cap. 2.* dicentis: *Sabbathum propter hominem esse factum, & non hominem propter Sabbathum.* Ex hoc enim arguere licet, rationem, propter quam Christus excusabat discipulos graviter esurientes à transgressione Sabbathi, fuisse ex hoc petitam, quòd, cùm Sabbathi præceptum respiciat hominis propriâ spiritualem utilitatem, solvi possit ex metu gravis mali. Unde duplex pro re natâ statui

27. potest regula 1. est. Quòd præcepta Divina, quæ propriam operantis utilitatem respiciunt, veluti de materiali Confessionis integritate, de confessione comunioni præmittendâ, &c. non obligent cum vitæ, vel alterius gravis mali periculo, maxime urgente etiam præcepto naturali de vitæ corporalis custodiâ. Etsi verò Ca-

28. stropalaus *citatus* idem sentiat de Baptismo, ita ut, si non nisi cum vitæ discrimine hoc Sacramentum suscipi possit, quis deobligetur, & ad solam contritionem ceu Baptismi votum teneatur: hoc tamen ratione obligationis certam faciendi salutem nostram, admitti non posse, probat Azor *to. 1. lib. 1. instit. moral. cap. 11. q. 2.* de

29. quo nos alibi. 2. Regula est, quòd ab observantiâ præceptorum Divinorum, quæ commune Religionis Bonum respiciunt, cujusmodi sunt Sigillum confessionis, consecratio sub utrâque specie, ac ejusdem in Sacrificio consumptio, confectio Eucharistiæ in pane triticeo, & similia, non excuset discrimen gravis mali, ipsius etiam mortis. ex Castropalao *citato*, & Doctoribus allegatis. Cujus ratio est. Quia Bonum Religionis in his præceptis intentum præponderat cuivis particulari damno.

30. Infertur 6. Præcepta humana tam Ecclesiastica, quàm Civilia non adeò strictè obligare, quin ob metum probabilem gravis damni, præcipuè mortis, cessat obligatio, eorumque adeo violatio tunc non *formaliter*, sed *materialiter* duntaxat sit contra legem. ex Ildephonso *cit. disp. 92. n. 189.* Ioanne à S. Thomâ *cit. n. 19.* &

31. alijs. Cæterum pro hoc in praxin reducendo Castropalaus *ubi supra n. 9.* rectè advertit, verum tenere in casu, quo lex prohibeat, vel præcipiat actum, qui non respiciat Bonum commune, veluti sunt leges de auditione sacri, de solutione Decimarum, de observantiâ jejunij, tunc enim excusari discrimen salutis corporalis subeundæ, habetur *in Cap. Concilium. de observ. jejunij.* Unde è contrario præcepta Ecclesiastica

32. ritum aliquem communem in Sacramentorum administratione præcipientia obligare etiam cum periculo vitæ, & hinc nō licere sine vestibus Sacris, vel sine admixtione aquæ cum vino conficere Eucharistiam ob cujuslibet etiam necessitatem, author *citatus* contra alios à se adductos probat ex eo, quòd Bonum commune præferri

33. debeat cuilibet utilitati particulari. Hinc Ioannes à S. Thomâ *cit. n. 39. & 43.* quoque observat, metum mortis non excusare ab observantiâ præcepti, si hoc ponatur determinatè cum periculo vitæ, vel si metus inferatur, ut fiat aliquid in contemptum præcepti, tunc enim Boni communis rationem exigere legis observantiam cum cujuslibet privati Boni jacturâ.

COROLLARIUM II.

Qualiter de Jure sive Naturali Divino, sive positivo Humano actus ex metu facti sint irriti, vel irritabiles.

Infertur 1. Contractus quoscumque, promissiones, vota, Matrimonia ex metu etiam gravi 34.
in virum constantem cadente, stando in jure naturali, esse valida, ex Richardo *in 4. dist. 29. q. 1. a. 1.* Soto *ead. quæst. a. 3. §. Qui ergo hanc opinionem.* Lessio *lib. 2. de iust. cap. 17. dub. 6. n. 42.* Navarro *in Manuali prælud. 6. n. 6.* Curiel *hic dub. 2. §. 2.* Ioanne à Sancto Thomâ *ubi supra n. 35.* Castropalao *cit. disp. 1. punc. 8. n. 4.* Ildephonso *cit. disp. 92. n. 205.* Ratio est. Quia cum metu quantumvis gravi stat *simpliciter* voluntarium, potestque intervenire legitimus ad contractûs substantiam requisitus titulus. His autem positis stare potest tota contractûs substantia. Neque dicere licet cum Molinâ *to. 2. de iust. disp. 267.* 35.
& disp. 326. in sol. ad 2. & alijs Doctoribus, contractum ex metu gravi celebratum de jure naturæ invalidum asserentibus, quòd extorquens consensum ab alio per metum, faciat illi injuriam: nec adeò justum sit, ut commodum ex tali injustitiâ reportet, hinc enim solùm evincitur, secundùm æquitatem debere vim, vel metū passo concedi beneficium rescissionis, adeò ut ipso nolente, irritari possit contractus, ipso au- 36.
tem volente stare contractui, nequeat resilire is, qui metu extorsit contractum. *ex Cap. De eo, qui duxit in Matrimonium. Cap. Cùm contingat. De jurejurando. & Cap. 2. De pactis in 6. circa finem. ex leg. 13. De act. Empt in princip. ex leg. si dolo. De inutili stipulat. & leg. Dolo. Cod. eod. tit. ubi* habetur, *quòd dolo vel metu adhibito, actio quidem nascatur* (utique non nisi ex valido contractu) *per doli mali tamen, vel metus exceptionem submoveri petitio debeat.*

Infertur 2. Ex ipsâ juris naturalis æquitate per jura positiva humana statutum esse, ut 37.
ipso facto essent nulli ex gravi, non autem levi ad extorquendum consensum incusso metu celebrati actus sequentes 1. Matrimonium *ex Cap. Veniens. De Sponsalibus.* Ratio est. Cùm enim iste contractus de naturâ suâ indissolubilis sit, illi, qui ex metu gravi consensit in Matrimonium, non superfuisset remedium aliquod, nisi Ecclesia lege irritante ejus valorem impediret. 2. Ob paritatem rationis votum solenne in professione Re- 38.
ligiosâ metu gravi in hunc finem illato extortum. *ex Canone 1. De his, quæ vi, metúsve causâ fiunt.* Etsi verò aliqui præsertim Summalistæ adstipulante Ildephonso *n. 216.* hoc extendant ad quodvis etiam simplex votum: advertit tamen Sylvester *in sum. verbo metus. n. 8.* & Ioannes à Sancto Thomâ *n. 37.* id non esse fundatum in Jure. Unde Castropalaus *cit. punc. 8. n. 5. ad 5.* tenet, vota simplicia per metum extorta esse irrita non jure positivo, sed traditione & consuetudine Ecclesiæ vim legis obtinente: Verùm de hoc alibi. 3. Promissio, vel solutio Dotis. *ex lege. Si mulier. 21. §. Si Dos. De eo, quòd metûs causâ.* 4. Jurisdictio data vel prorogata ex metu. *leg. 2. ff. de iudicijs.* Unde cùm per Electionem 39.
detur Prælato jus ad jurisdictionem, consequens est, nullam esse electionem ex metu factam. *Can.*

ubi periculum. §. *Cæterùm. De Elect. in 6.* 5. Datio Tutoris ex *leg. 1.* §. *ult. De authoritate Tutorum.* 6. Absolutio ab excommunicatione metu extorta. *ex cap. un. De his, quæ vi, metusvè causâ fiunt. in 6.* 7. Testimonium à testibus in Testamento extortum metu gravi. *leg. Qui testamento. De Testamento.* 8. Etsi reliqui contractus, quibus alter contrahentium metu gravi causam dedit, de jure etiam positivo non sint ipso facto nulli, posse tamen pro libitu illius, qui metum passus est, irritari, probant leges & Canones *supra illatione* 1. allegati, quibus superaddi potest, quod habetur *instit. De except. in princ.* ubi de contractibus stricti juris, ex metu celebratis definitur; eatenus esse validos, ut pariant actionem, quæ tamen exceptione metûs elidi possit.



ARTICULUS III.

An, & quando Concupiscentia tollat rationem voluntarij saltem perfecti seu liberi?

1. NOmine Concupiscentiæ hîc venit quælibet appetitûs sensitivi, tam Irascibilis quàm Concupiscibilis passio, excep à unicâ Timoris, seu metûs passione, de cujus ad minuendum voluntarium efficaciâ disseruimus *præced. art.* De quâ proinde Concupiscentiæ passione D. Tho. *præs. q. 6. a. 7.* docet, non causare involuntarium, sed magis voluntarium facere. E contra idem Sanctus Doctor infra *q. 77. a. 6.* affirmat, passionem minuere peccatum, quatenus minuit voluntarium.

2. Pro quâ contradictionis apparentiâ tollendâ Ildephonsus Baptista *præs. disp. 94. n. 70* congruè distinguit tres voluntarij gradus, quorum primus consistit in hoc præcisè, quòd procedat à principio intrinseco operante cum cognitione. Secundus includit cognitionem Finis quà finis, ejusque cum medijs proportionis. Tertius importat Electivam voluntatis indifferentiam.

3. Quare Doctor Angelicus in priori illo textu de primo, in posteriori autem de secundo, ac tertio voluntarij gradu eatenus accipiendus est, ut tamen de passione duntaxat *Antecedente*, quæ voluntatis actum præcedit, ejusque quodammodò causa est, non verò de *Consequente*, quæ actum voluntatis tanquàm sui causam moralem subsequitur, id intelligi velit in *cit. a. 6. q. 77.*

4. Quibus adeò positis, duæ hîc veniunt discutiendæ controversiæ. 1. *Qualiter verum sit, quòd passio, seu concupiscentia antecedens augeat primum gradum voluntarij? 2. Qualiter verificetur, quòd passio antecedens, non autem consequens minuere possit secundum ac tertium voluntarij gradum?*

* * *

(MARIA)

CONTROVERSIA I.

Qualiter passio, seu concupiscentia antecedens augeat primum gradum voluntarij?

ANgestus *in moralib. cap. 3. in adnotationibus circa textum 5.* arbitratur; Concupiscentiam non tam augere voluntarium, quam causare involuntarium, non quidem *simpliciter*, sed *secundùm Quid*, ita ut ad instar illius, quod fit ex metu, habeat rationem mixti ex voluntario & involuntario. Fundamentum est. Ex eo enim metus causat involuntarium *secundum quid*, quòd ille, qui operatur ex metu, agat contra id, quod vult *absolute* ac *secundum se*, nec adeò agat nisi cum repugnantia alterius volitionis. Veluti patet in eo, qui projicit merces in mare, hic enim licèt ad evadendam mortem *simpliciter* velit projicere, tamen in hoc agit contra amorem mercium, atque adeo *secundum Quid* involuntarie. Atqui avarus valde diligens pecunias, cupiensque illas conservare, Concupiscentiâ tamen venereâ victus, quando, ut fruatur fœminâ, eas expendit, agit contra amorem pecuniarum, vi cujus, si posset mulierem aliàs consequi, vellet eas conservare. Imo illectus à concupiscentia ad peccandum, concipit plerumque inter peccandum Conscientiæ remorsum, atque adeo dolorem, vel etiam tristitiam de incurrendâ famæ, aliusve temporalis boni amissione. Ejusmodi vero tristitia arguit aliquam inefficacem de objecto volito nolleitatem. Ergo in ijs, quæ fiunt ex concupiscentiâ, fit quædam mixtio involuntarij. 5.

Econtra Theologi communiter cum Sancto Damasceno *lib. 2. orth. fidei cap. 24.* Divo Thomâ *præs. q. 6. a. 7.* Aristotele *3. Eth. cap. 1.* docent; concupiscentiam augere voluntarium, quatenus ex concupiscentiâ inclinatur voluntas ad concupitum. 6. 7.

CONCLUSIO.

COncupiscentia *per se loquendo* auget voluntarium, & non nisi *per accidens* fit, quòd objecti concupiti volitio efficax habeat quandam involuntarij admixtionem.

8. Probatur argumento Ildephonsi *disp. 34. n. 67.* Sicut enim calor de se, & ex naturâ suâ est calefactivus, omnisque adeò frigiditatis expulsivus, *per accidens* tamen contingit quandoque, ut calor vel ratione suæ debilitatis, vel ratione formæ contrariæ resistentis non possit illum calefactionis ex naturâ suâ intentum effectum sortiri. Sic concupiscentia ob suavitatem objecti de se, & ex naturâ suâ tendit ad omnem objecti concupiti nolleitatem excludendam, nisi *per accidens* impediatur tum ob sui debilitatem, tum ex nimio in objectum contrarium affectu, quem concupiscentia vincere non valet. Unde discrimen est inter ea, quæ fiunt ex metu, & illa, quæ ex concupiscentiâ aguntur; nam metus ex sui naturâ est inductivus ad volitionem objecti, quod *per se* displicet, atque adeo *per se* supponit aliquam

aliquam de objecto nolleitatem, seu involuntarij admixtionem.

9. Econtra verò concupiscentia ex naturâ suâ ob suavitatem objecti est allectiva ad amorem, nec ex Formali Boni quà Concupiscibilis, ipsiusque adeo Concupiscentiæ ratione fundat objecti nolleitatem, seu tristitiam, sed ista oritur ex malo quodam *Concomitanter* duntaxat & *per accidens* connexo cum Concupiscentiâ. Verum igitur est, quòd Concupiscentia *per se* & ex naturâ suâ potius augeat, quam minuat voluntarium sub ratione voluntarij *præcise*, a libero abstrahendo, spectati, licet *per accidens* & *Concomitanter* possit habere quandam involuntarij admixtionem. Et hinc patet responsio ad fundamentum *n. 1.* oppositum.

CONTROVERSIA II.

Qualiter passio antecedens, non autem consequens minuere possit rationem voluntarij perfecti quà liberi?

CONCLUSIO I.

PAssio consequens non minuit, sed *extensivè*, vel etiam *intensivè* auget liberum. ex S. Thomâ *1. 2. q. 77. a. 6.*

1. Probatur. Nam passio consequens causatur vel per imperium actûs liberi, vel per connaturalem potentiarum cum voluntate sympathiam. Unde passio consequens actum liberum participat hujus libertatem; ut adeò per ejusmodi passionem fiat quædam actûs liberi ex-
2. tensio. Imò dum ex quâdam in appetitum sensitivum voluntatis redundantiâ per actum liberum excitatur passio quædam, fit, quòd ista instar cotis magis exacuat, & fortius inardescere faciat voluntatem erga objectum concupitum. Hinc autem eatenus augetur intensiva
3. voluntatis in objectum præamatum inclinatio, ut nihil minuatur de libertate, siquidem ex hujus imperio, seu motione ac redundantiâ exorta sit passio vehementiori flammâ jam succendens voluntatem. Quæ proinde (intellectûs licèt acie vi talis passionis non nihil jam obtusâ & obscuratâ) cum novo intensivo augmento reiterata voluntatis affectio cum primâ liberâ reiteratæ hujusmodi affectionis causativâ determinatione participat eandem libertatem; cui supercrescit Extensivum etiam novi liberi augmentum. Constat proinde, vi passionis consequentis, non tam minui, quàm *Extensivè*, imò etiam *Intensivè* augeri voluntarium, non sub præcisa voluntarij, sed liberi etiam Formali ratione spectatum.

CONCLUSIO II.

PAssio antecedens minuit voluntarium sub Formali liberi ratione consideratum. ex Divo Thomâ *cit. q. 77. a. 6.* Sancto Antonino *1. p. tit. 4. cap. 3. §. 4.* & Theologorum communi sententiâ.

Probatur. Nam concupiscentia aliquando in tantum crescit, ut rationem omninodè absorbeat, quandoque verò, licèt non omninò tollat rationem, perturbat tamen, ita ut non relinquat locum attendendi ad Finis, & medij proportionem, ac pleraque objecti circumstantias. Hinc autem fit, quod vel tollatur, vel minuatur Iudicij indifferentia objectiva, & consequenter voluntatis Electiva. Nisi ergo passio ejusmodi ex causalitate liberæ voluntatis determinationis sit *Participative* ac *Effectivè* libera, atque adeò in omnem ex se *moraliter* resultantem effectum, in ipsamque adeò rationis perturbationem, ac hinc secutam voluntatis affectionem derivet libertatem, sibi *participativè* inexistentem, sequitur, ipsam quidem augere voluntarium secundùm intentionem, & conatum, seu elicitam in objectum inclinationem, in ipso actu libero *eminative* inclusam, attamen sub Formali libertatis ratione tolli, vel minui voluntarium. Cùm igitur consequenti duntaxat, non verò antecedenti passioni conveniat, esse causatam ex liberâ voluntatis determinatione, atque adeò ex hujus participatione liberam esse, sequitur; passionem antecedentem semper minuere aliquo modo rationem voluntarij *quà Formaliter* liberi. 4. 5.

COROLLARIUM I.

An, & qualiter inclinatio ex blanditijs, vel habitu voluntatis inexistente resultans minuat liberum.

INfertur 1. Non posse præsumi, quòd inclinatio ex alterius blanditijs voluntati ad aliquid faciendum ingesta libertatem adeo imminuat, rationemque perturbet, ut ea, quæ blanditijs seu verbis amatorijs extorta sunt; restitutioni obnoxia sint. ex Soto *lib. 4. de iust. q. 7. a. 1. in solut. ad 2.* Molinâ *to. 1. de Iustit. tract. 2. disp. 94. §. si formaliter*, & Castropalao *cit. tract. 2. disp. 1. punc. 5. n. 4.* Ratio est. Quia sufficiens adhuc stare præsumitur libertas & deliberatio ad peccandum, & consequenter ad donandum, aliumvè contractum faciendum. Unde nisi fraus & dolus intervenerit, nulla potest contrahi obligatio restituendi. 6.

Infertur 2. Ab Ildephonio *præs. disp. 94. n. 111. & 112.* meritò improbari sententiam Salæ *tract. 3. disp. 3. sect. 3. §. Ex his resolvitur.* docentis; Habitum voluntati inexistentem suâ ad actum inclinatione quodammodò diminuere libertatem. Ratio est. Si enim ista libertatis ex habitu per actus frequentatos contracta imminutio subsisteret, id verificaretur, quatenus habitus voluntati inexistens determinaret illam ad unam partem, traheretque intellectum ad benè judicandum de proprio objecto. At sicuti habitus ex actibus liberis fuit generatus, sic illa qualiscumque voluntatis determinatio, intellectûsque ad bene de objecto judicandum inclinatio resultavit ex ipsâmet voluntatis libertate. Unde hæc etiam in parte actus ex habitu promanans est *participativè* liber in suâ causâ. At effectui nihil decedit de libertate ex hoc, quòd profluat ex qualicumque Causæ liberè tamen 7.

positæ determinatione, seu inclinatione, nisi Causa ejusmodi, quam tollere jam non est in potestate libertatis, eatenus retractata fuerit, ut secundùm moralem saltem imputabilitatè nullus ipsi ampliùs in effectum ejusmodi competere possit influxus. Consequens proinde est, habitum liberè partum in voluntate non minuere libertatem actuum, quamdiu non retractatur, nec ad ejusdem è voluntate extirpationem studiosè laboratur; quâ tamen retractatione etiam positâ, cùm habitûs ad actum determinatio sit quoad exercitium subordinata voluntati, nequit *per se loquendo*, hujus libertatem adeò imminuere, ut excuset à peccato mortali.

COROLLARIUM II.

Qualiter passio voluntatem consequens possit augere Meritum, vel Demeritum.

8. INfertur 1. Passiones rationis judicium, voluntatisque actum consequentes non dedecere viros etiam Sapientes, imò & Sanctos, ex communi contra Stoicos tum Peripateticorum Philosophorum, tum Theologorum, speciatim S. Thomæ *1. 2. q. 24. a. 2.* sententiâ. Ratio est. Nam passiones amoris ac iræ sunt instar Cotis exacuentis animum, mentisque aciem, ut se, viresq; sibi subjectas promptiùs & validiùs applicet ad opus virtutis. Unde Apostolus *2. ad Timoth. 3.* arguebat homines, qui sui ipsorum eatenus essent amantes, ut essent scelesti sine affectione, sine pace. At nomine affectionis intelligitur passio per rationem excitata, adjuvans voluntatem ad ferventiùs operandum bonum. In quem proinde sensum Sanctus Augustinus *lib. 14. de Civit. cap. 9.* ait. *Sed dum vita hujus infirmitatem gerimus, si passiones, vel animi affectiones omninò nullas habemus, tunc potiùs non rectè vivimus.*

9. Infertur 2. Passionem consequentem, quam alij postpassionem dicunt, quatenus tum *Extensivè*, tum *Intensivè* auget liberum, consequenter augere etiam meritum, si ex intentione voluntatis ordinetur in Bonum Finem nullâ circumstantiâ vitiatum, ex S. Thomâ *cit. q. 24. a. 3.* Ratio desumitur ex eodem Doctore Angelico. Cùm enim Bonum hominis consistat in ratione, sicut in radice: tantò istud Bonum erit perfectius, quantò ad plura, quæ homini conveniunt, derivari potest. Unde nullus dubitat, quin ad perfectionem moralis boni pertineat, quòd actus exteriorum membrorum per rationis regulam dirigantur.

10. Hinc autem sequitur, quòd, cùm appetitus sensitivus possit etiam obedire rationi, ad perfectionem Moralis Boni spectet, ut passiones animæ sint regulatæ per rationem. Sicut igitur melius est, quòd homo velit Bonum, & faciat exteriori actu; sic ad perfectionem Boni moralis pertinet, ut homo non solùm secundùm voluntatem, sed etiam secundùm appetitum sensitivum moveatur ad Bonum, juxta illud *psal. 83. Cor meum, & caro mea exultaverunt in Deum vivum.*

11. Confirmatur *ex cit. a. 3. ad 1.* Nam passiones ad judicium rationis & actum voluntatis dupliciter se habere possunt *Consequenter*. Uno modo per modum redundantiæ, quatenus superiore animæ parte *intensiùs* se movente, ejus motum sequitur etiam pars inferior. Ut sic autem passio Consequens in appetitu sensitivo existens est signum intensionis voluntatis, indicatque bonitatem moralem majorem. Alio proinde modo se habet *Consequenter* ad voluntatem per modum Electionis, quatenus homo ex judicio rationis eligit affici aliquâ passione, ut promptius operetur, cooperante appetitu sensitivo. Ut sic autem passio animæ addit ad Bonitatem actionis tum *Extensivè*, per moralis Bonitatis ex actu voluntatis quandam extensionem; tum *Intensivè*, excitando voluntatem ad ferventiorem Boni, seu virtutis prosecutionem. Ergo ut sic passio regulam rationis consequens auget (idem a contrario est proportionaliter de Demerito) meritum tum *Extensivè*, tum quandoque *Intensivè*.

COROLLARIUM III.

Qualiter passio antecedens diminuat, vel tollat rationem demeriti, vel etiam meriti.

INfertur. Passionem antecedentem, aliàs præpassionem dictam, quæ non procedit ex libero voluntatis imperio, de se quidem esse motum naturalem, nullius libertatis, nec adeò Meriti, vel Demeriti capacem, attamen ex eo, quòd voluntas vel consentiendo, vel eam non eradicando, saltem *Negativè indirectè*, vel *Interpretativè* faciat eam voluntariam, posse participare libertatem, & sic induere rationem culpæ, ac Demeriti. 12.

Explicatur & Probatur. Nam 1. præpassio potest considerari, prout se tenet præcisè in appetitu sensitivo, orta ex solâ imaginatione, sive perturbatione corporis. Ut sic autem secundùm Gersonem *alphab. 29. lit. A. & seq.* vocatur motus primò primus. At hunc, cùm ne *participativè* quidem liber, ac voluntarius sit, indubitatum est, vacare omni culpâ & peccato. 13.

2. Passio naturaliter consurgens per appetitûs & phantasiæ cum ratione sympathiam mox excitatâ intellectûs apprehensione, attingere solet voluntatem eâ celeritate, ac vehementiâ, ut deliberatum rationis judicium antevertat. Tunc autem in voluntate stat affectio quædam elicita erga objectum passionis ejusmodi, quæ affectio *secundùm* Gersonem *citatum* dicitur motus secundò primus. Cujusmodi motus, veluti in furioso, fieri potest, rationis usu penitus sublato, ex S. Thomâ *q. 10. a. 3.* nec adeò tunc contrahit aliquam peccati labem. 14.

Si tamen 3. inter medias ex passione ortas tenebras in intellectu incipiat affulgere aliquid rationis, potest hæc tam tenuis esse, quàm est in semidormiente, vel semiebrio, atque tunc sufficit ad peccatum veniale, non autem ad mortale, ex Vasque *1. 2. disp. 107. cap. 4. n. 11.* siquidem ad culpam lethalem requiratur plena deliberatio, quæ est judicium, quo intellectus definitè judicat, quid ex honestatis regulâ eliciendum, vel fugiendum sit, uti ex S. Thomâ tradit Martin. Perez *de Matrim. disp. 1. sect. 3. n. 1.* Unde Vasquez *citatus* rectè etiam advertit, si Intellectus aliquid judicet malum cum formidine, vel ex levi conjecturâ; posse hoc judicium adeò leve esse cum 15.

se, cum impotentiâ ob passionis prædominantis vehementiam habendi aliud plenum judicium, ut cum illo non nisi Veniale peccatum committatur.

16. Etsi proinde 4. cuivis obligatio sit, per rationem invigilandi, ne pravæ concupiscentiæ passio rationem obruat, ut adeò passiones non reprimendo, harum contra se dominatum voluntas censeatur velle *interpretativè*. Hoc tamen eo duntaxat casu tenet, si ratio advertat passionis prædominantis deordinationem: aliquando enim ratio non totaliter absorbetur à passione, sed remanet, quantum ad aliquid, rationis judicium liberum. ex S. Thomâ *cit. q. 10. a. 3.* Quo adeò casu erit peccatum vel mortale, si plena sit advertentia: vel veniale, si Intellectu non perfectè attendente, sit malitiæ semiplena duntaxat consideratio.

17. 5. Dum in ratione stat sufficiens advertentia, & judicium, potest istud esse minùs efficax, quàm ut impediat apprehensionem Intellectûs, ex connaturalis cum appetitu sensitivo Sympathiæ efficaciâ ortam, ac Boni sensibilis repræsentativam. Ex quâ proinde apprehensione sub passionis præfervidæ motibus taliter excitari potest voluntas, ut passio non tantùm ex parte appetitûs sensitivi vires suas exerat, sed impetu suo voluntatem alioquin resistentem, ad aliqualem illius Boni sensibilis apprehensioni respondentem, nec adeò liberam complacentiam pertrahat. ex Vasquezio *disp. 37. n. 6.* In quo proinde casu fieri potest, ut nulla contrahatur culpa, sed is, qui talibus motibus lacessitur, dicere possit cum Apostolo ad Rom. 7. *Non quod volo malum, hoc facio, sed quod nolo malum, hoc ago.*

18. 6. Denique accidere potest, ut motus concupiscentiæ, vel iræ ex parte appetitûs sensitivi subitò excitentur, dum liberum rationis judicium non est undequaque oppressum, & tamen objecti actualis inadvertentia stet ex ea parte, quâ rectæ rationi disconveniens judicari posset. Quod etiam evenire potest in vehementi passione diu perseverante: potest enim advertente Vasquezio *in annot. ad cit. q. 10. a. 3.* voluntas subito illius affectu tangi, dum ratio priùs invigilans & voluntas resistens non valuit passionis vim ex corporis dispositione nimis adauctam penitus sopire, quin denuo exurgens rationem eatenus distrahat, ne in tali subito motu plenè saltem advertat ad ejus malitiam. In quo adeò casu non contrahere culpam saltem lethalem; patet ex supradictis.



ARTICULUS IV.

DE *Involuntario per Ignorantiam.*

1. IGnorantia, quæ est carentia debitæ notitiæ; ex comparatione ad actum voluntatis, dividi solet in *Antecedentem*, *Consequentem* & *Concomitantem*. Etenim actus voluntatis se habere potest ad ignorantiam vel ut Causa, diciturq; ignorantia *Antecedens*, vel ut effectus, vocaturq; ignorantia *Consequens*, vel mere *per accidens*, ita ut neque sit effectus, neque Causa actûs voluntatis, diciturque Ignorantia *Concomitans*.

2. Hinc *antecedens* ignorantia, quæ aliàs Invincibilis, justa & probabilis dicitur, definiri solet, quod sit illa, *quam tollere non est in voluntatis potestate, est tamen Causa actûs a voluntate procedentis, quatenus si ipsa non adesset, actus non fieret.* *Consequens* verò ignorantia alias vincibilis dicta est, quæ saltem *Indirectè* ac *Interpretativè* est voluntaria, quatenus debita ad eam superandam diligentia liberè omittitur, estque adeò effectus voluntatis. Ignorantia denique *Concomitans* dicitur, quæ ne quidem *Indirectè* ac *interpretativè* est voluntaria, nec adeò pendet à voluntate tanquàm effectus, est tamen conjuncta cùm tali saltem habituali subjecti dispositione, ut etiamsi sciret actioni subesse malitiam, hanc tamen perpetraret. Unde fit, quòd ignorantia ejusmodi non se habeat per modum Causæ *Negativè* influentis in actionem ejusmodi. V. g. aliquis fatale adversùs suum inimicum habens odium, est *habitualiter* saltem paratus ad ipsum occidendum, qui tamen sufficienti ad discernendum, an homo, vel fera sit, diligentiâ adhibitâ, dum habet sibi obvium inimicum, putat, hunc esse feram, atque cum istâ ignorantia transfodit inimicum, tunc in isto casu ignorantia ejusmodi neque voluntaria est per modum effectûs à voluntate pendentis, neque se habet ut Causa *Negativè* influens in actum, siquidem ipsâ etiam absente, actus ille fieret. Quare se habet ad actum merè *Concomitanter*, seu *per accidens*.

4. Quibus adeò positis, juxta corollaria in fine apponenda duæ restant discutiendæ controversiæ. *1. Qualiter, & quando Ignorantia antecedens excuset à culpâ & pœnâ? 2. An Ignorantia tum consequens, tum Concomitans aliqualiter faciat involuntarium, ac excuset a culpâ.*

CONTROVERSIA I.

Qualiter, & quando Ignorantia antecedens excuset à culpâ?

5. CUm ignorantia *antecedens*, utpote invincibilis, quam tollere non est in voluntaris potestate, ne quidem *Interpretativè* seu *indirectè Negativè* sit voluntaria, consequens est, actum ex tali circa malitiam actuî annexam ignorantiâ perpetratum, non posse quoad Formalitatem malitiæ utpote incognitæ voluntarium esse, nec adeò malitiam ejusmodi Moralem, non nisi ex libertate voluntatis in actus exteriores derivabilem, inficere posse actum invincibili malitiæ ignorantiâ factum.

Quare præsentis controversiæ difficultas de hoc potiùs procedit, ut videamus, in quibus tam Facti, quàm Iuris Casibus dari possit ignorantia invincibilis.

Referuntur Sententiæ.

6. VAlentia *1. 2. disp. 2. quæst. 1. punc. 6. col. 4. §. Tertium quod.* Azor *to. 1. instit. moral. lib. 1. cap. 16. quæst. 5.* & alij relati à S. Thomâ, Sanchez *lib. 1. in Decal. cap. 16. n. 20.* existimant: ignorantiam juris eo ipso non esse invincibilem; nec adeò excusare à culpâ, quando ignorantur leges & præcepta ad statum, vel officium ignorantis pertinentia: siquidem ignorantia ejusmodi sit hoc ipso *indirectè* voluntaria, quòd ille poterat, ac tenebatur talia præcepta scire. Fundamentum desumitur ex *Can. Si culpa. de injurijs.* ubi dicitur; ignorantiam non excusare: quando quis debuit scire. Cui conformiter habetur *instit. de leg. Aquilia. §. Præterea.* quod imperitia in re ad proprium officium pertinente non excuset. Unde jura clamant, paria esse scire, & debere scire. *leg. Quod te mihi. ff. De reb. creditis.* Ex quibus adeo commune fluxit axioma, quòd ignorantia facti excuset, non autem ignorantia juris.

7. Vasquez *disp. 107. cap. 3. n. 6. & disp. 123. cap. 2. n. 6.* Item *disp. 124. cap. 2. n. 5.* cum plurimis à se relatis Doctoribus: item Castropalau *tract. 2. de actib. humanis. disp. 1. punc. 1. n. 5.* & Thomas Sanchez *citatus n. 21.* negant: ad hoc, ut ignorantia sit vincibilis & culpabilis, sufficere, ex statu, vel officio obligatum esse, nisi aliqua cogitatio, dubitatio, vel scrupulus sit de tali obligatione, seu morali actionis malitiâ, vel hujus periculo. Fundamentum a Sanchez deductum est. Quia juxta Sanctum Thomam *1. 2. q. 14. a. 6.* consultatio Intellectûs in mediorum inquisitione non procedit in infinitum tam versus finem, quam versus principium: alioquin enim nunquàm inciperemus consultare, aut operari. Quare necessum est, ad unam primam cogitationem naturalem pervenire, quæ non ex consultatione procedat, sed illius initium sit. Unde Aristoteles *7. Eth.* illam fortunæ tribuat, quasi absque industriâ & hominis solicitudine
8. naturaliter occurrat. Hinc autem evincitur, quòd quamdiu non occurrit intellectui cogitatio aliqua circa objecti malitiam, vel circa hujus periculum, aut dubitatio aliqua, vel scrupulus, quantumvis de illius commoditate consuleret intellectus, non sit principium sufficiens deliberandi de ipsâ morali malitiâ. Nequit ergo pro tunc aliqua culpa incurri, siquidem impossibile sit, haberi deliberationem, quæ est radix libertatis requisitæ ad moralem malitiam.

9. Cæterùm qualis diligentia adhibenda sit ab eo, qui sufficiens scientiæ ad moraliter pro suo statu operandum requisitæ principium habet, dum nimirum aut dubitando, aut scrupulum concipiendo saltem *confusè* advertet aliquam posse obligationem sub esse; Sanchez præcitatus *n. 3.* censet, non posse certâ regulâ præscribi, sed prudentis arbitrio id remittendum esse, qui eam sufficientem judicabit, quam communiter prudentes adhibent proportionatam juxta præcepti, officij & personæ qualitatem. Unde si vir indoctus sit, debere viros doctos & carentes morali suspicione malè consulendi, consulere; si verò sit vir doctus, debere studium sufficiens adhibere, ut ignorantiam culpabilem evadat.

Existimat porro Castropalaus *cit. punc. 15. n. 6.* in omni genere jurium posse dari ignorantiam invincibilem. Etenim circa jus Ecclesiasticum posse invincibiliter ignorari percussionem clerici esse specialiter prohibitam, effusionem seminis, vel sanguinis violare Ecclesiam, habere 10.
copulam cum affine esse incestum. Deinde circa jus Divinum positivum ignorari posse plurima mysteria fidei, materialem confessionis integritatem, seu receptionem Eucharistiæ esse præceptas. Denique circa jus naturale plurima 11.
posse invincibiliter ignorari etiam toto vitæ tempore, eo quod eorum malitia non ita clara sit & manifesta: hac enim ratione ignorari posse, usuras esse illicitas, perjurium honestari non posse ad defendendam propriam, vel alterius vitam; pollutionem esse intrinsecè malam, & alia hujusmodi. 12.

Verùm Sanchez *n. 33.* taliter distinguit, ut 13.
asserat 1. non posse dari ignorantiam invincibilem circa prima juris naturæ principia per se nota, qualia sunt, Bonum esse faciendum, malum vitandum: item; Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Quò spectant illa quoque præcepta Decalogi, quæ ex principijs hujusmodi nullo negotio à quovis homine deduci possunt: uti Deum esse colendum, honorandos paren-
tes. 2. Quoad reliqua Decalogi præcepta, simul- 14.
là circumstantiâ vestiantur, quæ à culpa excusare videatur, posse diu ignorari, non tamen toto vitæ curriculo: siquidem sint ita naturæ consentanea, ut non possit non semel, vel iterum animum pulsare peccati turpitudo. Si verò aliquâ circumstantiâ apparenter excusante vestiri possunt toto vitæ curriculo, posse invincibiliter ignorari: veluti furtum licere ad erogandam eleemosynam, licere mentiri propter maximum bonum. Hinc 3. reperiri multos in-
vincibiliter ignorantes, peccatum esse perjurium 15.
ob vitam propriam, vel alienam tuendam, & similiter pollutionem esse peccatum; quod maximè contingere in pueris. Quare ut confessor judicet, an ignorantia ejusmodi invincibilis sit, & à culpâ excusans, debere discutere, utrùm in illorum mentem venerit dubium aliquod, vel saltem scrupulus de malitiâ: si enim nihil horum obvenerit, reputari ignorantiam invincibilem.

Conclusio I.

JUs naturale ex nullius hominis ratione utentis mente potest tolli, vel invincibiliter ignorari quoad prima principia moralia: bene tamen quoad secundaria, seu particularia moralia principia virtutum ac vitiorum ipsis oppositorum in specie. Directiva. ex S. Thomâ *1. 2. q. 94. a. 6.*

Prior pars *quoad generalia & prima principia* 16.
probatur. Nulli enim rationi utenti non potest esse notum: *quòd bonum sit amplectendum, malum verò fugiendum.* At Bonum respectu naturæ quà rationalis per se appetibile non est nisi honestum. Probatur istud assumptum. Bonum enim honestum ut sic importat aliquam mentis puritatem, vi cujus secundum elevatiorem

à ma-

à materialibus abstractionem mens se ipsam elevet ad contemplandum seu prosequendum objectum sui satiativum. Ad quam proinde mentis Depurationem, seu vitam honestam prosequendam, Naturæ Intellectuali est *Connaturaliter* insitum morale principium, quod oporteat *Honestè vivere*, ut vitæ scilicet honestate mediante possit mentis acies esse intenta ad prosequendum objectum sui satiativum, seu Finem ultimum. At mentis ex immaterialitatis suæ elevatione capacitatem infinitam habentis satiatio stare non potest, nisi circa objectum infinitum, ipsumque adeo Deum. Unde Deus ipse mentis creatæ in puræ etiam naturæ statu consideratæ est Finis ultimus: in quem *Connaturaliter* dirigitur tota vitæ honestas. At eo ipso, quòd ex innato naturæ lumine sit homini inditum principium morale Honestatis vitæ Directivum in ordine ad Deum, seu ultimum Finem; sequitur: in omni actione quà morali relucere quandam in Deum Ordinabilitatem. Hæc vero in DEUM ordinabilitas in mente creata facit relucere aliud principium morale, *quòd nimirum supremo Numini ex jure Finis ultimi debeantur morales actiones per se, & ab intrinseco habentes connexionem necessariam cum Ho-*
17. *nestate vitæ qua Dispositivâ ad Finis ultimi assecutionem.* Unde tandem fit, quod ex lumine connaturaliter ingenito cuique menti ratione utenti in actionibus moralibus inseparabiliter ac indelebiliter præstò sint principia moralia Generalia de se sufficientia, tum ad Directionem Virtutis, seu Honestatis generatim sumptæ, tum ad supremi Numinis qua Finis Ultimi prosecutionem, & consequenter ad peccati mortalis in puræ naturæ statu incursionem.

18. Posterior etiam pars *quoad secundaria seu particularia moralia principia* probatur. Nam ista principia sunt, quæ per ratiocinationem evidenter deducuntur ex primis moralibus principijs. Ejusmodi vero sunt præcepta Decalogi. At licèt primæ Decalogi tabulæ præcepta quoad substantiam cum primo supremi Numinis seu ultimi Finis expressivo principio taliter sint connexa, ut ipsorum Honestas, imò necessitas moralis cuique rationem habenti affulgeat; attamen aliquibus subinde circumstantijs, v. g. perjurium ex causâ vitandi mortis discriminis, vestiri possunt, ut non de facili appareat eorum pro tali casu cum primis moralibus principijs
19. connexio necessaria. Hoc autem à fortiori procedit de secundæ Decalogi tabulæ præceptis ex illo morali principio, *Ne, quod sibi quis non vult fieri, alteri faciat*, deducta: Hinc enim de nō adulterando, de nō occidendo, non furando, nō detrahendo præcepta deducta, quoad substantiam eatenus præstò sunt cuique ratione utenti, ut tamen occurrentibus specialibus circumstantijs non de facili appareat eorum pro tunc connexio cum illo primo morali principio. Quod æquè procedit de præceptis propriam subjecti Honestatem respicientibus, cujusmodi est lex ob speciei Bonum in nullo casu se *Directè* polluendi. Hæc enim ob varietatem circumstantiarum in sui ad prima moralia principia reductione non modicam subinde pariunt difficultatem. Quare indubitatum debet esse, quin secundaria principia moralia, dum saltem aliquibus circumstantijs honestatem quandam contrariam suadentibus apparenter vestiuntur, possint ignorantiæ etiam invincibilis tenebris involvi, falsis præsertim persuasionibus authoritatis, seu apparentis rationis pondere intervenientibus.

Conclusio II.

In duplici casu intervenire potest Juris alicujus ignorantia invincibilis. 1. Dum nulla animum pulsat cogitatio, vel suspicio de præcepto. 2. Dum post talem de præcepto cogitationem moralis habita est diligentia, ipsum investigandi, nec tamen investigari potuit.

Prior pars probatur & explicatur. Nam 20.
leges in duplici sunt differentiâ: aliæ enim specialem alicujus officij statum concernunt: aliæ verò universalem hominis quà ratione utentis, seu quà Christiani statum spectant. Etsi verò vix fieri possit, quin officio alicui addictus advertat aliquibus obligationibus teneri se ratione officij; unde sufficiens aperitur cognitio ad investigandas obligationes ejusmodi. Quâ proinde investigatione omissâ, omnes legum officio illi annexarum transgressiones imputantur tanquàm *indirectè* voluntariæ. *velut infra probabitur.* Nihilominùs accidere potest, ut aliqua- 21.
rum legum in particulari tam ante, quàm post investigationem cognitio eatenus lateat, ut ne in confuso quidem pulset animum. Quarū proinde legum ignorantia post habitā obligationum officio annexarum in communi investigationem, fit ex tunc invincibilis. *velut inferius ostendetur.* Deinde legum universalem hominis quà ratio- 22.
ne utentis, vel quà Christiani statum respicientium Ignorantia Habitualis rariùs quidem est invincibilis, cum mentem disciplinæ capacem facilè pulset cogitatio, quod teneatur ad Honestatis, ac Decentiæ Regulas, seu leges inquirendas. Unde excusari non possunt, qui non curant discere ea, quæ scire communi Christianorum lege tenentur. In quo adeò casu culpabilis circa obligationes hujusmodi investigandas negligentia ita est Causa singularum, quæ deinceps fiunt, transgressionum, ut istæ tamen non aliam habeant moralem malitiam, nisi ipsius Causæ. Cujusmodi porro malitia tantò est gravior, quantò plurium peccatorum periculum in tali culpabili negligentiâ confusè saltem prævidetur. Veluti ex Doctoribus à se relatis fusiùs tradit Sanchez *cit. cap. 16. n. 45. & 46.*

Quare illa Regula, quâ dicitur, invincibilem 23.
de lege aliquâ, dum nulla ejus cogitatio, vel dubitatio, seu scrupulus animum pulsat, præsumi ignorantiam; non favet nisi illis, qui circa ea, quæ hominem vel qua Christianum, vel qua ratione prædītum decent, se curant instrui, vel saltem instructioni ejusmodi obviæ non se subtrahunt voluntariè. Hoc autem posito, fieri potest, ut multæ sint præsertim Ecclesiasticæ, immò & Divinæ, tum positivæ, tum etiam naturales, remotiùs tamen ex primis moralibus principijs deductæ leges, quarum nulla unquam cognitio *ne confusè* quidem afficiat mentem, ut adeò pro tunc justa fit per ignorantiam invincibilem excusatio. Quod faciliùs procedit de 24.
actuali legis hic & nunc obligantis inadvertentiâ, quam ex quâdam distractione seu subreptione fa-

ne facile est, rationem quandoque praeoccupare, ne consequenter imputari possit illius transgressio.

25. Posterior conclusionis pars, quam cum Doctoribus à se adductis tradit Castropalaus *cit. punc. 15. n. 6. circa finem*, explicatur & probatur. Nam ubi in Juris, seu legis alicujus inquisitione facta est moralis diligentia, quanta nimirum pro statu personae, & negotij gravitate homini non segniter ac perfunctoriè, sed industriè, studiosè ac prudenter operanti necessaria videtur. Tunc satisfactum est legi virtutis prudentiae obligantis ad moralia principia addiscenda. Aliunde
26. verò tunc stat possessio pro libertate, ut adeò post illam inquisitionem talis homo prudenter se habere possit, ac si nullâ lege pro casu occurrente obligaretur. Ergo tunc neque peccat contra obligationem ex virtute prudentiae natam de inquirendis moralibus principijs, neque contra virtutem moralem, in cujus materiâ versatur lex hic & nunc obligans.

Hinc infertur 1. Excusari ignorantem jejunia, & festa, quae in hebdomadâ incurrunt, si die Dominicâ Missae solenni, in quâ Parochus ea indicere consuevit, nec tamen indixit, interfuerit, vel, dum non interfuit, alios negantes aliqua fuisse à Parocho indicta, rogârit. Secus verò esse, si neutrum istorum fecerit, dum tamen cogitatio aliqua, quòd jejunia, vel festa quaedam per hebdomadam occurrere possint, nimum pulsavit. ex Sanchez *n. 37. &* Doctoribus *ibi* relatis. 2. Ut ignorantia in supernaturalibus prae-
27. sertim Mysterijs sit invincibilis, non sufficere quandòque humanum studium, sed opus esse oratione, jejunio, poenitentiâ, alijsque operibus bonis, quibus obex supernam Dei illustrationem impediens removeatur, vel aliquo modo flectatur ad vocationis gratiam homini ejusmodi concedendam. ex Sanche citato *n. 39.*

28. Ad Fundamentum *n. 3.* oppositum Respondetur. Illos textus Juris procedere tum secundùm praesumptionem Fori externi, quae praesumptio, nisi contrariâ probatione elidatur, facit, ne censeatur excusari, qui ex juris ignorantiâ diliquit; tum secundum ipsammet Fori interni veritatem habere locum, quatenus, si nulla homini sit cura in addiscendis praeceptis, quae suo, tum sive officij peculiaris, sive Christianismi statui sunt annexa, censeatur in Causâ *indirectè* velle praeceptorum ejusmodi transgressionem. Extra hunc verò casum, dum proportionatam pro suo ingenio diligentiam in disquirendis suis obligationibus, ad quas ex confusâ quâdam animi pulsatione instigatur, quis adhibuit, vel ex rationis suae hebetudine, aut sylvestri educatione, atque remotâ ab hominum consuetudinibus habitatione, adhibere nō scivit, nec adeò Veritatem investigare *Moraliter* potuit, dari potest casus, in quo circa legem particularem nulla occurrit dubitatio, vel cogitatio etiam confusa. In quo proinde casu non habent locum allegati textus, sed isti procedunt, quando aliqua saltem confusa cogitatio, seu dubitatio de lege pulsat animum.

CONTROVERSIA II.

An ignorantia tum Consequens, tum Concomitans aliqualiter faciat involuntarium, ac excuset à culpâ?

NON est difficultas circa ignorantiam Concomitantem: haec enim neque *Directè*, neque *Indirectè* influit in effectum; veluti fit, dum v. g. occisio inimici est 1.
quidem de se volita, sed eatenus incognitum habet hominem, quem jaculo suo ferit, ut ejaculans globum, diligenti etiam inquisitione praehabitâ, putet se petere feram. Tunc enim effectus ejusmodi utpote non voluntarius non imputatur. Etsi vero illam ipsam ignorantiam comitetur affectio interior sive expressa, sive Virtualis seu Habitualis, vi cujus effectus ignorantiam concomitans, sit volitus: ejusmodi tamen affectio ex ignorantiâ impeditur, ne influat in talem effectum. Quare licet ille sit volitus, non tamen est voluntarius, nec adeo ex vi talis affectionis contrahit moralitatem, seu malitiam moralem. Ex quo proinde fit, quod affectus occisionis non meretur poenam vi legis Ecclesiasticae, vel Civi- 2.
lis homicidio annexam, siquidem affectionis illius ignorantiam, ipsumque occisionis effectum concomitantis malitia non derivetur in actum externum, sed ad hunc merè *per accidens* & *Concomitanter* se habens, contineatur intra limites interioris culpae. Unde tandem concluditur, 3.
ignorantiam Concomitantem neque accusare, neque excusare à culpâ, quòd, licèt nec in se culpabilis sit, nec ex se possit derivare moralem malitiam, non possit tamen abstergere culpam vi affectionis concomitantis voluntariam. ex Castropalao *cit. punc. 15. n. 2. & Doctoribus ibi relatis.*

Sola igitur superest hic difficultas de Consequente, seu Vincibili ignorantiâ, quarum al- 4.
tera *Directè* Voluntaria est, diciturque *affectata*, dum quis *studiosè* ac *Directè* intendit ignorare, seu non inquirere Veritatem, vel ex taedio discendi, vel ut, legis obligatione ignoratâ, liberiùs, aut saltem cum excusatione peccare possit. Altera est voluntaria *indirectè*, dividitur- 5.
que in *Crassam* & *non Crassam*. De quâ proinde triplici ignorantiâ procedit controversia 1. An *peccata ex ignorantiâ culpabili praesertim affectatâ commissa sint ejusdem speciei cum peccatis scienter admissis? 2. Qualiter ignorantia crassa & non crassa differant praesertim quoad effectum tollendi culpam lethalem?*

Referuntur Sententiae.

Circa primam difficultatem Vasquez *1.2. disp.* 6.
101. cap. 5. & 6. & Azor *lib. 1. instit. moral. cap. 14. q. 5.* duplicem ponit Regulam, quarum prior est, quòd in ijs peccatis, quorum malitia in opere externo, vel alterius potentiae, quam Voluntatis actu consummatur, eadem omninò species peccati contra eandem sit Virtutem, sive opus sit expressè voluntarium, ut cùm fit ex certâ scientiâ, sive implicitè, ut cùm fit ex ignorantiâ.

Fundamentum à Vasquezio *cit. n. 18.* deductum est. Quia malitia ex objecto & circumstantijs *primariè* est in actu exteriori, & inde *secundariè*

darie derivatur in voluntatem ratione voluntarij, quæ *primariè* est in voluntate, & *secundariè* in actu exteriori. At cum eadem sit operatio exterior facta ex ignorantiâ, vel ex scientiâ, consequenter eadem est etiam malitia. Cùm igitur ad hoc, ut malitia ex objecto transfundatur in actum moralem, sufficiat consensus interpretativus, seu indirectus *secundariè* ex voluntate in actum derivatus, nec ignorantia in operationibus mutet naturam & substantiam actûs, quam malitia *primariè* consequitur; rectè infertur, quod eadem secundùm speciem sit malitia moralis in actu peccaminoso, sive ignoranter, sive scienter fiat.

7. Altera Regula est, quòd peccata, quorum malitia in voluntate consummatur, veluti sunt peccata odij, scandali specialis, inobedientiæ Formalis &c. si fiant ex ignorantiâ, non pertineant ad eandem speciem moralem, cujus sunt, quando scienter perpetrantur. Fundamentum à præallegato Azorio insinuatum est. Quia in peccatis hujusmodi ex suæ naturæ conditione speciale voluntatis propositum exigentibus, non sufficit voluntarium qualecunque, sed requiritur voluntarium *directè* & *per se*. Hoc autem non habet locum in peccatis ex ignorantiâ non affectatâ perpetratis. Econtrario

8. Suarez *in 3. par. to. 4. disp. 22. sect. 4. n. 14.* Navarrus *in sum. cap. 6. n. 2.* Sanchez *in Decal. lib. 1. cap. 17. n. 15.* docent; quæcunque peccata sive externa, sive interna cum ignorantiâ culpabili commissa ejusdem esse speciei cum peccatis scienter commissis.

Fundamentum est, Quia specialia peccata odij, inobedientiæ Formalis, & similia non pendent ex scientiâ, sed ex intentione. At culpabiliter ignorans, speciem odij pendere ex intentione; quâ v. g. quis velit alteri malum ex intentione directâ, eò quòd ejus persona displiceat, nocendi; potest habere illam intentionem. Ergo non obstante illâ culpabili ignorantiâ, contrahit malitiam specificam odij.

9. Castropalaus *cit. disp. 1. punc. 16. in fine* eatenus accedit huic opinioni, ut ipsam tamen limitet circa ignorantiam affectatam, asserendo, peccatum ex ignorantiâ affectatâ liberiùs, & sine remorsu peccandi procedens contrahere specialem malitiam; eò quòd specialiter adversetur Voluntati serviendi Deo. Cujusmodi tamen limitationem *implicitè* reijcit Sanchez citatus *in fine cap. 17.*

10. Circa secundam difficultatem Suarez *in 3. par. to. 5. disp. 4. sect. 10. n. 10.* arbitratur, nullam dari ignorantiam mortaliter culpabilem, nisi vel affectatam, vel crassam, seu supinam. Fundamentum est. Omnis ignorantia, quæ non est affectata, seu *directè* volita, quæque in jure potiùs censetur apertus dolus, & malitia, nascitur ex duplici capite, scilicet vel ex purâ negligentiâ & desidiâ, vel ex nimiâ solicitudine, & affectione ad res alias, sive ad alia negotia impedientia debitam curam addiscendi, & sciendi ea, quæ quis scire tenetur. At quando oritur ex priori capite, vocatur Crassa; quando autem ex posteriori, dicitur supina.

11. Vasquez *to. 2. in 1. 2. disp. 158. n. 61.* videtur præallegatam Suarezij sententiam respectu juris humani ratam habere. ex Cajetano *in sum. verb. Præcepti transgressio* asserens; facilè excusari à mortali legis humanæ transgressores, quando absque contemptu ex ignorantiâ purâ (subintellige non crassam, nec supinam) aut ex apparente aliquâ ratione & excusatione legem non observant, qui aliàs parati erant, illam ex animo observare, si scirent eam tunc obligare.

Cui sententiæ multis allegatis Doctoribus favet Sanchez *cit. cap. 17. n. 20.* affirmando, id peculiare esse in jure humano, ut ignorantia, quæ esset vincibilis, ac mortaliter culpabilis respectu juris Divini & naturalis, ac proinde non excusaret à mortali ejus transgressionem, non censeatur talis respectu juris humani, ac proinde excuset à mortali ejus violationem, duplici conditione interveniente, dum nimirum ignorantia non est crassa, aut supina, qualis esset, quando adeò modica in eâ causâ excusante examinandâ esset adhibita diligentia, ut ferè nulla reputaretur, ac dolo æquipararetur: ac violans jus humanum in eâ est animi præparatione, ut si nosset, eam causam non esse justam, minimè id jus violaret. Fundamentum ab hoc authore deductum est. Suavitas enim obligationis juris humani non nimio rigore obligat, nèc tantam diligentiam in causis excusantibus exposcit, quantam jus naturale exigit; sed benigniorem in animæ favorem admittit interpretationem, deficiente transgressorum fraude, utpote qui aliquali bonâ fide se excusatos existiment. 12.

Castropalaus *cit. punc. 15. n. 4.* censet, ignorantiam, in quâ aliqua diligentia, etsi modica ad illam vincendam est adhibita, nullo modo crassam & supinam esse appellandam: cum is, qui facit aliquam diligentiam, jam non videatur procedere ex latâ culpâ, neque videatur integrè habere animum omittendi. Atque hâc ratione optimè intelligi, quomodò possit esse ignorantia mortaliter culpabilis, quin fuerit crassa & supina. 13.

Idem author *punc. 16. n. 3.* ait, se non posse capere Doctrinam Thomæ Sanchezij *ubi supra à n. 19.* docentis, violationem legis humanæ ex ignorantiâ non affectatâ, crassâ, aut supinâ non esse mortalem, etiamsi ignorantia fuerit mortaliter culpabilis. Fundamentum est. Nam tota materia transgressionis consistit in negligentiâ culpabili sciendi præceptum, imò potiùs non est alia malitia omissionis v. g. Jejunij, vel missæ præceptæ, quàm est in illâ culpabili negligentiâ. Si ergo illa negligentia est culpabilis mortaliter, omissio etiam erit mortaliter culpabilis. Nequit ergo negligentia mortaliter culpabilis reddere violationē venialiter culpabilem. 14.

Suarez *3. p. to. 3. disp. 82. sect. 3. dub. 2.* censet: quoad præsens punctum nullam esse *Formaliter* differentiam inter jura positiva Humana, & Divina, seu Naturalia, sed *Materialiter* duntaxat, quatenus in materiâ Juris humani faciliùs contingit naturalis inadvertentia, vel negligentia minùs culpabilis. Unde sicut in naturali, sic etiam in humano jure erit pro ratione inadvertentiæ vel negligentiæ major, aut minor excusatio; vel enim illud non venit in mentem, sive bonâ fide existimatum est, non oportuisse majorem diligentiam adhibere, & tunc excusabit ab omni culpâ: vel negligentia fuit culpabilis leviter tamen & absque advertentiâ & voluntate, atque tunc excusabit à culpâ mortali, non 15.

autem veniali: vel denique negligentia fuit craſſa & ſupina, atque tunc non excuſabit à mortali.

Concluſio I.

EA eſt differentia inter ignorantiam affectatam & non affectatam, ut hæc minuat, illa verò augeat culpam, non tamen per ſe loquendo tribuat novam ſpeciem: ut adeò peccata ex ignorantiâ culpabili etiam affectatâ procedentia ſint ejuſdem *per ſe loquendo* ſpeciei cum peccatis ſcienter admiſſis.

16. Probatur. Nam quò minùs eſt voluntarium peccatum, eò minor eſt culpa. At peccatum ex ſcientiâ eſt *directè* voluntarium, cùm econtra peccatum ex ignorantiâ *ſolum indirectè* ſit voluntarium in cauſâ. Niſi ergo aliunde, velut in ignorantiâ affectatâ, augeatur malitia, conſequens eſt; minui rationem culpæ. Ex eo autem fit, quod ignorantia, ut liberius ac ſine remorſu pecces, ſtudiosè affectata novum ſuperinduat malitiæ augmentum, quatenus ſcilicet talis affectus majorem præcepti contemptum continet, conaturque removere impedimentum à Deo poſitum, ne violentur ſua præcepta; ſiquidem medio Conſcientiæ remorſu detineat Deus peccatores, ne labantur in peccata, *uti advertit* Caſtropalaus *cit. punc. 16. n. 2.* Conſequens proinde eſt, ex illo affectu augeri malitiam peccati ex ignorantiâ affectatâ commiſſi, ut adeo illud peccatum ſit gravius peccato ſcienter admiſſo, uti tradit Sanctus Thomas *1. 2. q. 76. a. 4.* illud malitiæ augmentum reducens in intentionem voluntatis, ignorantiam ex intentione liberius peccandi affectantis.

17. Dices ex Thomâ Sanche *cit. cap. 17. n. 5.* & Azore *cit. cap. 14. q. 1.* Eâ quoque ratione peccatum v. g. adulterij ex ignorantiâ affectatâ commiſſum fieri gravius, quòd, ſi factum eſt ſcienter, ſolum adulterium ſit: at cum ignorantia affectatâ factum ſit temerarium, & periculoſum, alijs nimirum gravioribus peccatis inceſtûs, & ſacrilegij expoſitum.

18. Contra. Nam vel aliqua hujus periculi, ex ſpeciali quâdam circumſtantiâ cogitatio pulſat animum, vel non; ſi prius, tunc eadem eſt ratio in ignorantiâ affectatâ & craſsâ non affectatâ, cum, ſi rationabiliter timetur illud periculum, utrinque contrahatur peccati ejuſmodi malitia. Si vero nulla ſubſit circumſtantia, ex quâ poſſit periculum ejuſmodi timeri, tunc in caſu, quo quis per ignorantiam affectatam ſtudiosè non inquirit de ſtatu fæminæ, an fortè ſit conjugata, exponit quidem ſe periculo morali adulterij, atque adeò hujus contrahit malitiam, non tamen inceſtûs, vel ſacrilegij, cum ſupponam, non ſubeſſe aliquam circumſtantiam, ex quâ cogitatio aliqua oriri poſſit, nec adeò morale ſit periculum talis malitiæ.

19. Inſtabis. Ipſam ignorantiam in Sacrâ Scriptura ex reatu pœnæ ipſi annexæ argui de culpâ, juxta illud 1. *ad Corinth. 14. Si quis ignorat, ignorabitur. Et Pſalm. 24. Ignorantias meas ne memineris.* Ergo peccata ex ignorantia ſpecialem habere malitiam, quæ non inſit peccatis ſcienter factis.

Contra. Nam inter ignorata ſunt aliqua, quorum cognitio ratione ſui præcipitur, veluti ſunt myſteria fidei, quorum ignorantia eſt ſpeciale peccatum oppoſitum virtuti fidei, tametſi non deſtruat fidei habitum. Etſi proinde omiſſio debiti erga Chriſtum vincibiliter ignorati cultûs adverſetur non tantùm legi Latriæ, ſed ipſa etiam ignorantia habeat de ſe
ſpecialem fidei oppoſitam malitiam. Alia ta- 20.
men ſunt ignorata, quorum cognitio non præcipitur niſi in ordine ad opus præceptum, cujuſmodi ſunt præcepta Decalogi, & an ſit dies jejunij, vel feſti. Ejuſmodi verò ignorantia nullam contrahit malitiam, niſi prout ſaltem *indirectè*, vel *interpretativè* eſt Cauſa omiſſionis, ſeu Transgreſſionis præcepti, nec adeò continet aliam ſpeciem, niſi ipſiusmet omiſſionis, vel Transgreſſionis illius præcepti.

Urgebis ex Caſtropalao *cit. punc. 16. in fine.*
In ignorantiâ affectatâ includi voluntatem non 21.
ſerviendi Deo. Ergo ut ſic habere malitiam ſpecialem, quæ non inſit peccatis *ſcienter* admiſſis.

Contra. Nam Circumſtantia ſerviendi 22.
Deo eſt Tranſcendens, imbibita in omni opere præcepto. At in operibus moralibus ea eſt natura circumſtantiarum Transcendentalium, ut nullam ſpecificam malitiam derivent in voluntatem, niſi *directè* ac *per ſe Formaliter* intendantur. *Velut infra probabitur.* Neque vero ex eo, quòd quis ex intentione liberiùs ſine remorſu conſcientiæ peccandi affectet ignorantiam, arguitur expreſſa voluntas non ſerviendi Deo. Ergo illa circumſtantia tunc non niſi *indirectè* volita ſuam ſpecificam malitiam non transfundit in affectum, quo ignorantia eſt affectata. Et hinc patet etiam Reſponſio ad id, quod Caſtropalaus in præſenti controverſiâ *n. 9.* à nobis citatus objiciebat. Similiter patet, quòd fundamentum *n. 7.* oppoſitum efficaciter ſit refutatum à Suarezio *n. 8.* per nos allegato.

Concluſio II.

EO ipſo, quòd ignorantia mortaliter culpabilis involvat culpam Theologicè gravem, ſequitur; nullam dari ignorantiam ejuſmodi, quin ſit craſſa, vel ſupina, nec poſſe circa jus etiam poſitivum humanum dari ignorantiam lethaliter culpabilem, quin transgreſſio præcepti ex tali ignorantiâ procedens ſit lethifera.

Probatur. Nam ignorantia cenſetur craſ- 23.
ſa, & ſupina, quando in veritate ſcitu neceſſariâ inquirendâ intervenit culpa lata. Hæc autem aliter conſideratur pro foro externo, ubi locus eſt præſumptionibus. Juxta cujuſmodi adeò præſumptiones culpa *juridicè* lata æſtimatur, dum non intervenit diligentia, quam viri prudentes pro qualitate negotij paſſim adhibere ſolent. In foro autem interno cujuſque conſcientia interiùs conſulitur. At conſcientia attenditur ex eo, quod cujuſque Intellectus dictet hîc & nunc faciendum. Unde ad ignorantiæ culpam *Theologicè* gravem hic & nunc contrahendam pro foro interno penſari debet, an nulla circa Veritatem inquirendam in materiâ ponde-

ponderosâ obligationis cogitatio pulset animum: quamdiu enim cogitatio ejusmodi urget, subest veritatis indagandæ obligatio gravis. *velut praecedenti cont. con. 2. pluribus expositum ac probatum est.* At illa animi pulsatio ponderosa exigit, ut potest conscientiam, dum aliqua,
24. sed modica est jam adhibita diligentia. Unde falsò supponit Castropalaus supra *n. 13.* citatus, non incurri latam ignorantiæ culpam, quando fuit præhibita modica circa veritatem inquirendam diligentia. Oportet igitur, ejusmodi culpam latam *Theologicè* considerando, non in indivisibili ponere, sed pro perspicacitate, seu hebetudine ingenij unus ad majorem, alter ad minorem diligentiam urgetur, quousque Intellectus ipsius possit satiari, prudenter æstimando, se obligationi suæ satisfecisse. Sic enim rusticus Parochi sui alioquin simplicis consilio rationabiliter acquiescit, cum econtra homo urbanus majorem habens dubitandi rationem, hujus solutionem a viro doctiore efflagitare teneatur; imò vir doctus in casu sibi obvio pro Causæ arduitate urgeatur ex conscientiâ consulere libros solidè discutientes materiam occurrentem. Et quia Jus naturale altius inhæret animo, ejus cogitatio instabit, quamdiu ipsius veritas non est solide disquisita. Imò Juris etiam Divini positivi, tum non tam faciles sint excusationes, ac exceptiones, menti Christianæ inserta veritas non sinit quiescere, dum ejus solida notitia, ac resolutio pro quovis
25. particulari casu non est in promptu. Econtrà verò Jus positivum humanum cum multas admittat exceptiones non cuique obvias, potest quandoque excusari in aliquo habente promptam de ipso servando voluntatem, dum ex aliquali, licet respectu Juris Divini, haud sufficienter excusante ratione, creditur posse legitimam pro tunc præsumi exceptionem. In quo adeò sensu probari possunt regulæ per Vasquezium *n. 11.* & Sanchezium *n. 12.* citatos traditæ.
26. Etsi proinde verum sit, tum quod ignorantia sit eo ipso crassa, vel supina, dum intervenit culpa *Theologicè* gravis seu mortalis: tum quòd consequenter nulla in foro conscientiæ sit ignorantia mortaliter culpabilis, quin eo ipso sit crassa, vel supina: tum quòd datâ mortaliter culpabili ignorantiâ, præcepti transgressio sit eo ipso lethalis, utpote in quam ex ignorantiâ seu Causâ derivetur culpæ gravitas: tum denique quod nulla circa Jus Divinum & humanum pro præsenti materiâ *Formaliter* loquendo
27. interveniat differentia. Nihilominus Suarez *n. 11.* allegatus monet, subesse diversitatem materialem, quatenus ex jure positivo humano, partim ob frequentiam exceptionum, partim ob rationabilé præsumptionem voluntatis legislatoris non adeò strictè obligare volentis, partim ob abstrusiorem legum particularium notitiam non tam graviter animum pulsat instans de exactiori circa veritatem & obligationem indagandam cogitatio, sicut in Jure Divino præsertim naturali. Unde etiam constat, qualiter
28. Sanchezius, quem Castropalaus *n. 13.* allegatus capere non potest, intelligendus sit, dum asserit, violationem legis humanæ non esse lethiferam, si procedat ex ignorantiâ nec affectatâ, nec supinâ vel crassâ: hoc enim non *absolutè*, sed *comparatè* accipi debet, ita ut talis ignorantia, quæ respectu Juris Divini esset lethifera, respectu juris humani possit esse duntaxat venialis, possitque adeò præcepti transgressionem ex ipsâ procedentem à culpâ mortali excusare. Et hinc patet, quid responderi possit ad Doctorum sententias & fundamenta à *n. 10.* exposita.

COROLLARIUM I.

Qualiter invincibilis ignorantia tum juris, tum facti excuset à pœnâ.

Infertur 1. Qualiter ignorantia legis seu pœnæ per hanc impositæ excuset ab incursione pœnæ. Nam *primò* quisquis invincibiliter ignorat legem Ecclesiasticam, cujus transgressio censuram habet annexam, licet pugnet etiam cum jure naturali, vel Divino, non incurrit censuram, ex Azore *lib. 1. instit. moral. cap. 15. q. 3. §. ad ea.* Castropalao *cit. disp. 1. punc. 17. n. 1. & 2.* Ratio est. Quia censura non incurritur, nisi interveniente contra Ecclesiam contumaciâ seu inobedientiâ, quæ locum habere nequit in eo, qui legem ab Ecclesiâ latam invincibiliter ig- 29.
norat. 2. Idem censeri debet de eo, qui sciens 30.
Jus Canonicum invincibiliter ignorat censuram v. g. Excommunicationem percussioni Clerici annexam. ex Castropalao *cit. punc. 17. n. 5.* Ratio est. Quia ad incursionem Censuræ requiritur prævia monitio, *ex Can. Sacro. De sent. Excommunic.* Hæc autem monitio non videtur fuisse sufficiens, nisi quis monitus sit sub Censuræ Comminatione. 3. Etsi Castropalaus citatus 31.
n. 6. & 8. cum Doctoribus a se relatis illam doctrinam extendat etiam ad irregularitatem pœnalem, eò quod ista ferè æquiparetur censuris; Nihilominùs id universaliter probari non posse, non in ijs duntaxat irregularitatibus, quæ ex defectu sive lenitatis, sive significationis, sive ex infamiâ nascuntur, sed etiam in illis, quæ ex delicto contrahuntur, veluti Azor *cit. cap. 15. q. 7.* probat ex *Can. Cum illorum. De sent. Excommun.*
4. Minùs videtur probanda doctrina ejusdem 32.
Castropalai *n. 2. 5. & 8.* illam à pœnâ exceptionem seu Excusationem extendentis illimitatè ad omnem omninò casum, in quo legis Civilis, vel Ecclesiasticæ pœnam jure ipso imponentis habetur invincibilis ignorantia, adeò ut annullatio contractûs lucrosi delicto alicui impositi non afficiat legis invincibiliter ignaros. Hanc enim sententiam Azor *citatus q. 2. & 7.* efficaciter reijcit tum authoritate Doctorum; tum sequenti potissimùm ratione, quod pœnæ jure Civili, & Canonico irrogatæ non ex consensu peccantium pendeant, sed authoritate principis imponantur, ne delicta Juri etiam Naturali ac Divino adversantia maneant impunita, neve boni ac insontes vexentur à sontibus, ac ut improbi deterreantur a vitijs, omnesque in officio contineantur. Unde pœnæ gladij, Deporta- 33.
tionis, ac Confiscationis, seu publicationis Bonorum meritò infliguntur ex eo duntaxat capite, quòd actum fuerit adversùs Jus Divinum naturale: meritòque contra eos, qui peccatre actum scientes, pœnæ tantùm impositionem ignorantes sunt, effectum sortiri debent leges tum illæ, quæ in delicto pœnam rescindunt aliquem

quem contractum, tum etiam illæ, quæ prohibent, ne quis faciat fructus suos, neve beneficium, officium, vel administrationem aliquam facultate Juris possit acquirere.

34. 5. Denique. Tametsi *speculativè loquendo* probari possit illatio Castropalai *cit. n. 8.* inferentis: Conjugem habentem rem cum Consanguineis alterius conjugis in secundo gradu, ignorando hunc accessum esse specialiter ab Ecclesiâ prohibitum, non impediri à debiti petitione, eò quòd non committeret incestum. Nihilominus quia omnes sciunt, accessum ejusmodi esse incestuosum, ignorando licèt, an species incestûs ex jure Divino, vel Ecclesiastico sit proveniens; idcirco in praxi vix unquam poterit quis excusari ab illâ pænâ privationis debiti, siquidem ista censeri debeat incursa eo ipso; quòd malitia incestûs sit *commissa, ignoratâ licèt lege pænam* ejusmodi imponente.

35. Infertur 2. *Qualiter invincibilis ignorantia facti excuset à pænâ.* Nam 1. Si per hanc ignorantiam quis excusetur à specificâ peccati malitiâ, cui ut sic pæna est annexa, veluti fit in eo, qui occidit Clericum, non tamen cogitans esse clericum, immunis est ab Excommunicationis pænâ specificæ sacrilegij malitiæ annexâ, quamvis subeat reatum pænæ homicidij. *ex Canone. Si verò 2. De sent. Excom.* ubi excusatur ab Excommunicatione occidens Clericum, eò quòd ignorabat, clericum esse, utpote qui gestâsset comam.

36. 2. Istud verum tenet eo etiam casu, quo quis habebat intentionem occidendi Clericum, si occurreret. ex Castropalao *cit. punc 17. n. 3. circa medium* & Doctoribus ibi relatis. Ratio est. Quia talis intentio propter invincibilem de illa Clerici qualitate ignorantiam impeditur, ne possit influere in actualem occisionem. Ergo ista non contrahit reatum Sacrilegij, sed hujus malitia continetur intra limites mentis, nec adeò punitur ab Ecclesiâ.

37. 3. Hæc ipsâ ratio probat, non incurri Excommunicationem, aut irregularitatem, si quis globum eiaculans ex intentione occidendi Petrum Clericum, interficiat Franciscum etiam Clericum. Tunc enim, nisi hujus quoad Clericatûs qualitatem præcogniti occisio possit imputari ex voluntario indirecto, illa occidendi Petrum intentio est sine effectu; nec adeò meretur pænam Excommunicationis, vel Irregularitatis, non nisi secuto effectu, contrahendam.

COROLLARIUM II.

Qualiter ignorantia Vincibilis excuset à pœnâ.

38. Infertur 1. Si lex sui scientiam, vel temeritatem expostulet in Transgressore, dicendo v.g. *Si quis scienter actum fecerit, vel si quis temerè & consultò legem violaverit, vel præsumpserit violare, vel audens violaverit*; tunc reatus culpæ mortalis ex ignorantiâ crassâ, vel supinâ, reatus autem pænæ ex solâ affectatâ ignorantiâ contrahitur. ex Suarezio *3. p. to. 5. disp. 4. sect 10. n. 3.* & pluribus Doctoribus, quos refert, ac sequitur Castropalao *punc. 18. n. 1.* Ratio est. Quia ignorantia affectata æquiparatur scientiæ, continetque dolum apertum, cum quo manifesta temeritas, præsumptio & audacia est conjuncta. Secus verò est de ignorantiâ crassâ, de quâ accipi potest illud *leg. 1. ff. De dolo.* quòd scilicet ignorans non versetur in dolo. Hinc à pænâ privationis 39. Debiti conjugalis eximitur, qui cum ignorantiâ crassâ, non tamen affectatâ cognovit Consanguineam suæ uxoris, eò quòd Jus illam pænam imponens expressè exigat scientiam: sic enim habetur *Can. 1. De eo, qui cognovit Consanguineam.* Si quis cum filiastrâ suâ scienter fornicatus fuerit, non potest à matre debitum petere.

Infertur 2. Nobis minimè probari sententiam Castropalai *cit. punc 18. n. 2.* arbitrantis, dari 40. posse ignorantiam mortaliter culpabilem, non crassam, vel supinam, quâ stante non incurri censuram; vel irregularitatem legis ejusmodi transgressioni annexam, eò quòd pænæ ejusmodi quendam legis contemptum requirant. Ratio nostræ illationis est. Non enim ignorantia, seu inconsideratio legis censetur mortaliter culpabilis, nisi fundamenti alicujus non levis, sed rationabilis cogitatio, aut dubitatio urgeat conscientiâ ad illius investigationem. At dum ita urgetur conscientia, omittens legis investigationẽ admittit quendam legis contemptum, non quidem Formalem ac specificum, sed Generalem, seu Transcendentalem, ac Virtualem. Unde ignorantia incipit fieri crassa, aut supina, atque adeò contrahitur censuræ, aut irregularitatis reatus, veluti probat Suarezius *cit. cap. 10. n. 10.*

COROLLARIUM III.

Qualiter ignorantia in foro externo allegata possit relevare, seu excusare à reatu pœnæ.

Infertur 1. Qualiter intelligenda sit illa vulgata juris regula *in 6.* quòd *ignorantia Facti, non autem Juris excuset.* Hoc enim post legitimam legis promulgationem tenet ex præsumptione Juris habente locum in foro Judiciali, non autem in foro Conscientiæ, in hoc enim statur assertioni pœnitentis. ex Azore *cit. lib. 1. cap. 16. q. 1.* 41.

Infertur 2. Istam Juris præsumptionem contrariâ probatione elidi posse 1. Si dubia sit legis scientia, ac reus (dum contrariæ conjecturæ probabiles non apparent) juret, se justè & probabiliter ignorâsse. 2. Si legitimè probet absentiam è provinciâ, sive impedimentum scientiæ, v.g. infirmitatem, vel amentiam tempore promulgationis. 3. Si probet, id se fecisse authoritate alicujus magni Doctoris. 4. In certo hominum genere, militibus scilicet, rusticis, mulieribus, ac minoribus admittitur juris ignorantia, si aliquid sibi debitum non petierint, non acquisierint, vel sumpserint. ex Azore *cit. cap. 16. q. 2.* allegante juris textus, & Castropalao *punc. 1. 9.* pluribus ista exponente & *n. 8.* tandem concludente, illum, qui non solvens vectigal mercibus impositum, vel hæredem, qui in Bono aliquo Emphytevtico succedens *canone non solut.* incidit in commissum, purgari sufficienter, si juret, se ignorâsse vectigal impositum, vel rem illam Emphytevticam fuisse. 42. 43. 44.

***

QUÆ-

QUÆSTIO QUINTA DE MOTIVO VOLUNTATIS.

1. Voluntas duplici modo movetur, scilicet *Effectivè quoad exercitium*, & *Objectivè quoad specificationem*. Et quia objectum actuum voluntatis specificativum supponit præviam sui notitiam; Idcirco istud *Quoad specificationem* Motivum aliud movet *ut Quo*, estque ipsa objecti voluntatem allicientis repræsentatio; aliud autem movet *ut Quod*, estque ipsum objectum voluntatis attractivum, seu allectivum.

2. Juxta quas proinde distinctiones præsentem quæstionem tribus articulis expediemus. In 1. acturi *De voluntatis motivo quoad Exercitium seu efficientiam physicam*. In 2. *De objecto quoad specificationem voluntatis motivo*. In 3. *De notitiâ objecti prærequisitâ ad actus voluntatis, atque istius ut Quo Motiva*.

ARTICULUS I.

DE

Motivo voluntatis quoad exercitium, sive efficientiam Physicam.

3. Quinque controversijs constabit præsens articulus. 1. disquiret, *An, & qualiter Appetitus sensitivus possit quoad exercitium movere voluntatem?* 2. *An Intellectus, vel ejus objecto conveniat esse voluntatis physicè motivum?* 3. *Qualiter voluntas possit se ipsam movere?* 4. *An Intelligentia etiam creata possit immediatè ac Efficienter esse Motrix voluntatis?* 5. Denique *Qualiter conveniat Deo physicè movere voluntatem?*

CONTROVERSIA I.

An, & qualiter Appetitus sensitivus possit quoad exercitium movere voluntatem?

4. Gotfredus relatus à Scoto *in 2. dist. 25. q. 1. n. 3.* existimavit; principium volitionis Effectivum esse phantasma irradiatum ab intellectu agente, passivè tantùm se habente voluntate. Fundamentum est. Implicat enim, idem subjecto esse movens ac motum: cùm alioquin idem respectu ejusdem esset in actu & potentiâ. At in parte intellectivâ nihil præter phantasma potest subjecto distinctum esse à voluntate.

5. Medina *præs. quæst. 9. artic. 2. dub. 2.* putat, voluntatem non tantùm *indirectè* ac *mediatè* posse moveri ab appetitu sensitivo immutante, vi passionis, judicium rationis: sed etiam *immediatè* ac *directè* quoad exercitium, ex quâdam colligatione, & redundantiâ. Fundamentum est. Nam homines, postquàm rectificaverint judicium Intellectûs, sine quocumque errore, si patiuntur vehementes passiones, sentiunt difficultatem in voluntate: Et dato, quòd operentur contra passiones, tamen non operantur promptè & delectabiliter. Hoc autem non fit, nisi quatenus voluntas trahitur ab appetitu sensitivo ex quâdam colligatione ac redundantiâ.

6. Econtrario Ildephonsus Baptista *1. 2. disp. 115. n. 22.* negat, appetitum sensitivum, sive ejus passionem posse *immediatè*, & *per se* movere voluntatem quantum ad exercitium, sive per modum redundantiæ.

CONCLUSIO I.

Indubitatum est, quòd phantasma quantumvis ab Intellectu agente irradiatum nequeat in genere principij Efficientis præsertim Totalis movere voluntatem.

7. Probatur. Tum quia phantasmatis utpote actûs materialis nulla est proportio ad immanentem voluntatis actum, nec hic adeò contineri potest in illius virtute physicè effectrice. Tum quia voluntatis passivè se habentis ex phantasmate motio pugnat cum ipsius libertate, in cujus exercitio voluntatem non se habere merè passivè, definit Concilium Tridentinum *sess. 6. de Iustific. Can. 4.* Confirmatur argumentis Scoti *cit. q. 1. n. 9.* arguentis 1. Quòd Agens æquivocum totale sit nobilius effectu. Atqui phantasma secundùm Gotfredum foret agens æquivocum Totale Intellectionis ac volitionis. Unde phantasiatio esset nobilior felicitate Philosophorum, utpote sitâ in Intellectione & volitione. 2. Cùm in animâ separatâ vel Angelo 9. non sit

non sit phantasma, sequeretur, non posse ipsos velle. Oportet igitur, quòd vel Deus causet malum velle in Angelo, vel aliud objectum extrinsecum: nec adeò deberet Angelo imputari ad culpam, siquidem non haberet illud velle in suâ potestate, nec esset causa activa ipsius. Deinde anima separata carens phantasmate nullo modo posset se movere, sed staret immobiliter, ubicunque poneretur, quasi in carcere constituta. Hoc autem dicere absurdum est. Ergo & id, ex quo sequitur.

Conclusio II.

Appetitus sensitivus, sive ejus passio *indirectè* tantùm ex parte objecti; non autem *Directè* ac *Immediatè* potest voluntatem *Quoad exercitium* movere per modum redundantiæ.

10. Probatur. Cùm enim omne agens agat propter finem, sequitur, principium omnis motionis sumendum esse ex fine. ex Divo Thomâ *præs. q. 9. a. 1.* Unde illa duntaxat potentia est alterius à se distinctæ potentiæ motiva, quæ sub suo utpote universaliori Fine comprehendit finem potentiæ à se motæ. ex Sancto Doctore *citato.* At Bonum, quod est objectum voluntatis, habet rationem Finis universalis, sub quo fines & perfectiones omnium aliarum potentiarum, sicut quædam particularia bona comprehenduntur. *ibidem.* Consequens proinde est, voluntatis esse, movere alias potentias, non autem *quoad Exercitium* moveri ab appetitu sensitivo, utpote potentiâ voluntati subordinatâ, & subjectâ.

11. Dices. Vim appetitûs sensitivi respectu voluntatis exponi hisce sacræ Scripturæ verbis. *Sentio aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati. ad Rom. 7.* At ista captivatio est quædam colligatio voluntatis redundans ex passione concupiscentiæ. Unde *Iacobi 1.* dicitur: *Unusquisque tentatur à concupiscentiâ suâ abstractus & illectus.* Ergo ex vi concupiscentiæ imprimitur voluntati motio quædam, vi cujus subvertitur voluntas; juxta illud *Danielis 13. Concupiscentia subvertit cor tuum.*

12. Contra. Nam in illis Apostoli verbis apprimè notandum est, quòd tentatio concupiscentiæ sit secundùm quandam illicientiam objecti nimirum, ab appetitu sensitivo concupiti. At motio illectiva seu allectiva non est effectiva *quoad exercitium*, sed objectiva *quoad specificationem*, nec ullam habere potest vim respectu voluntatis, nisi mediante sui repræsentatione Intellectuali. Unde tentandi vis concupiscentiæ conveniens, à Divo Paulo vocatur lex peccatorum, seu membrorum. Nequit autem esse lex, nisi per modum Dictaminis. Hoc autem habet rationem repræsentationis ex concupiscentiâ excitatæ in intellectu ad exprimendam objecti ab appetitu sensitivo concupiti delectabilitatem, quæ taliter expressa subvertit cor *allectivè*, cum subordinatione tamen ad liberam voluntatem, non autem *Effectivè* secundum quandam redundantiam *physicè* impressam voluntati.

13. Instabis. Ex prætactis Sancti Jacobi verbis patere, quòd concupiscentia tentet etiam abstrahendo. Hæc autem abstractio intelligi potest, quatenus voluntas ex intentione concupiscentiæ impeditur ab actu bono. ex Divo Thomâ *1. 2. q. 77. a. 1.* At nisi passio Concupiscentiæ haberet vim quandam voluntatis motivam, non posset intelligi efficax ad voluntatem ab actu bono impediendam.

Contra. Nam duobus modis intelligi potest, quòd actûs boni in voluntate impeditio fiat per concupiscentiam. 1. *Per se* ac *Directè* ex intrinsecâ vi passionis appetitui sensitivo inexistentis. Ut sic autem supponeret vim quandam voluntatis motricem. 2. *Per accidens* ac *indirectè.* Hoc autem exinde provenit, quòd, cum omnes potentiæ animæ radicentur in unâ animæ essentiâ, necessum sit, dum una potentia intenditur in suo actu, alteram remitti in actu suo, vel etiam totaliter impediri. Cujus rationem Sanctus Doctor *cit. a. 1.* ex eo desumit: quòd in animæ operibus requiratur quædam intentio, quæ utpote finita, dum vehementer applicatur ad unum, nequeat alteri vehementer attendere. Cùm proinde appetitus sensitivus per abstractionem possit voluntatis à Bono actu, vel ejus intensione esse impeditiva non *Directè* ac *per se*, sed *indirectè tantùm*, ac *per accidens*, non oportet in ipso, seu passione ipsius adstrui vim quandam voluntatis *immediatè* motricem. 14.

Urgebis. Sanctum Thomam *q. 26. de Verit. a. 6.* aperte dicere. *Quod passio excitet voluntatem ad id, quod est sibi consimile, quatenus ex concupiscentiâ voluntas inclinatur ad consentiendum concupiscibili, vel ex irâ ad volendum vindictam.* Ex hoc autem indicari quandam voluntatis ex passione motionem *Quoad exercitium*, velut *artic. 7.* idem Sanctus Doctor insinuat dicendo, quòd *passiones impellant voluntatem.* 15.

Contra. Nam qualis sit voluntatis ex passione impulsus & inclinatio, idem Angelicus Doctor *1. 2. q. 77. a. 1.* apertè tradit, affirmando; quòd passio appetitûs sensitivi non possit *directè* trahere, aut movere voluntatem, sed *indirectè*, tum secundùm quandam abstractionem, de quâ supra; tum ex parte objecti. At ista, passione impellente, ex parte objecti, motio voluntatis eatenus se habet, quatenus passionē appetitûs sensitivi sequitur imaginationis apprehensio, & judiciū vis æstimativæ. Unde experientia docet, quòd homines in aliqua passione existentes, non facilè avertant imaginationem ab his, circa quæ afficiuntur. Hinc autem fit, quod judicium rationis, & per consequens motus voluntatis nati sequi judicium, rationis plerumq; sequantur passionem appetitûs sensitivi. Constat proinde, passionem appetitûs sensitivi non habere vim *physicè* seu *immediatè*, ac *Directè quoad exercitium* movendi voluntatem, sed *indirectè* duntaxat, eò vel maxime, quòd superius non moveatur *directè* ab inferiori, sed quodammodò *indirectè*, uti Sanctus Doctor *cit. a. 1. ad 2.* docet. 16.

Responsio ad opposita fundamenta.

AD *n. 4.* oppositum Respondetur. Illam majorem respectu Entium saltem spiritualium esse *simpliciter* falsam; imo nec in substantijs materialibus tenere quoad actiones immanentes, sed Transeuntes duntaxat. Nec in se tamen sequi, quod idem respectu ejusdem sit in actu & potentiâ. Nam voluntas est *Late loquendo* 17.

quando ſui ipſius *phyſicè* motrix, quatenus habet vim actionis ſibi inexiſtentis elicitricem. Ut ſic autem non debet ſupponi in actu, per quandam Divinitus impreſſam prædeterminativam qualitatem, ſed in virtute Dominativa & actuum oppoſitorum *phyſicè* Effectivâ. Strictè verò loquendo eſt ſui motrix, quatenus ex intentione Finis à ſe *Efficienter* elicitâ tranſit ad actum electionis. Ut ſic autem eſt ad actum Electionis in potentiâ, dum eſt in actu intentionis: nec adeo reſpectu ejuſdem eſt in actu & potentiâ.

18. Ad *n. 5.* oppoſitum Reſpondetur. Hominem poſſe quidem pijs meditationibus & ſalutaribus doctrinis eatenus rectificare rationis judicium, ut objecti ab appetitu ſenſitivo concupiti delectabilitatem ab intellectu mox expreſſam, & ut ſic voluntatis *objectivè* inclinativam, verarum virtutum Motivis enervet ac debilitet; non poſſe tamen in hâc vitâ ad eam Judicij rationis rectitudinem aſcendere, ne paſſiones in Intellectu poſſint excitare ſenſibilis delectationis repræſentationem, voluntatis quodammodo *objectivè* inclinativam. Et hinc quâlibet ex virtutum motivis ſtante judicij rectitudine, ſubſiſtere poſſe voluntatis ex paſſione motionem, ſeu inclinationem non phyſicam *quoad exercitium*, ſed objectivam *quoad repræſentationem* objecti *Finaliter* & *Moraliter* attractivi, ſeu allectivi voluntatis. Ex qua tractione & allicientiâ ſentiri etiam ex parte voluntatis difficultatem in reſiſtendo paſſionibus præſertim vehementioribus.

CONTROVERSIA II.

An Intellectui, vel eius obiecto ſit vis phyſicè motiva voluntatis?

1. HEinricus à Scoto *cit. q. 1. n. 5.* relatus exiſtimabat, actum voluntatis produci ab objecto quà cognito per Intellectum. Huic ſententiæ ex parte adſtipulatur Marſilius *in 2. q. 16. a. 8. concl. 2.* aſſerens: actus indeliberatos, & motus primos *Totaliter* cauſari à notitiâ objecti, deliberatos verò à ſolâ voluntate. Fundamentum eſt. Experientiâ enim conſtat, quòd etiam nolentibus nobis, a malis futuris apprehenſis incutiatur timor, & pavor; ſicut à præſentibus triſtitia & dolor. At eo ipſo, quòd iſti actus fiant Voluntate repugnante, non videtur voluntas in ipſos influere, ſed *efficienter* produci ab objecto malo per Intellectum apprehenſo.

2. Medina *ad præs. q. 9. a. 2. q. 2. concl. 2.* cenſet probabile; quod Intellectus, ſeu objectum ab Intellectu cognitum *efficienter* moveat voluntatem, ita ut ex hâc & illo integretur unum *Totale* Effectivum principium volitionis. Fundamentum eſt. Nam ſtante imperio efficaci ex parte Intellectûs, nulla reſtat libertas in voluntate ad contradicendum. Ergo ſignum eſt evidentiſſimum, quòd imperium Intellectûs rapiat efficaciter voluntatem. At, ne fiat proceſſus in infinitum, oportet devenire ad aliquod imperium, quod antevertat omnem volitionem. Ejuſmodi proinde imperium non ex vi volitionis id excitantis, ſed ex ſuâ, quam habet ut actus Intellectûs, efficaciâ, eſt *efficienter* movens voluntatem.

3. Cajetanus *1. p. q. 8. a. 2. §. Quoad ſecundum.* docet, quòd objectum ſit principium Effectivum volitionis non quidem *quoad Exercitium*, ſed *quoad ſpecificationem.* Fundamentum eſt. Nam actui voluntatis debet aſſignari Cauſa effectiva, non tantum *quoad Exercitium*, ſed etiam *quoad ſpecificationem Formaliter* quà talem. Atqui voluntas non eſt cauſa per ſe ſufficienter Effectiva ſui actûs *quoad ſpecificationem*: cùm alioquin omnes eſſent unius ſpeciei, ſicut ipſa eſt unius naturæ.

Scotus *cit. q. 1. n. 27.* Ferrarienſis *1. contra Gent. Cap. 44. §. circa iſtam propoſitionem.* Suarez 4.
Metaphyſ. diſp. 18. 23. ſect. 7. n. 49. Vaſquez *1. 2. diſp. 36. cap. 3.* Amicus *præs. diſp. 5. n. 92.* Ildephonſus Baptiſta *hîc diſp. 113. a n. 10.* Andreas Lao *ibi. diſp. 55.* negant, objectum ab intellectu repræſentatum movere *Efficienter* voluntatem, ſeu *Finaliter* duntaxat in genere principij Formalis Extrinſeci. Cui ſententiæ favet Divus Thomas *1.* 5.
p. q. 82. a. 2. docens: quod Intellectus moveat voluntatem per modum Finis: voluntas verò è contra moveat Intellectum per modum agentis. Et *q. 22. de verit. a. 12.* ait: movere per modum Cauſæ agentis eſſe voluntatis, & non Intellectûs. Item *1. 2. q. 9. a. 1.* aſſerit; objectum movere determinando actum ad modum principij Formalis, à quo in rebus naturalibus actio ſpecificatur, ſicut calefactio à calore. Et infra *q. 18. a. 2. ad 2.* dicit, quod objectum non eſt materia ex quâ, ſed materia circa quam, & habet quodammodo rationem formæ, in quantum ad ſpeciem.

CONCLUSIO.

INtellectus, ſive objectum ab Intellectu repræſentatum non in genere Cauſæ Efficientis, ſed Finalis, ac Formalis ut ſic extrinſecè ſpecificativæ, influit in voluntatem, ejuſque actus.

Probatur ex differentiâ Voluntatis ac Intellectûs. Nam iſte reducit ſe in actum Vitaliter, intuſſuſcipiendo Eſſe objecti repræſentativum, ad quam vitalem intuſſuſceptionem prærequiritur virtualis continentia hujus Eſſe repræſentativi. Ejuſmodi verò virtualis continentia nequit convenire Intellectui, ſecundùm ſe præcisè ſpectato. Hic ergo indiget aliquo comprincipio, ut poſſit ſe reducere in actum. Econtra voluntas movetur in objectum per modum impulsûs. Ejuſmodi verò impulſus non prærequirit objectum ſub eſſe etiam intentionali virtualiter contentum in voluntate, ſed repræſentatum ab Intellectu. Hâc autem repræſentationem poſitâ, voluntati de ſe ineſt ſufficiens vis ad ſe ipſam movendam erga objectum ſibi proportionatum. Probatur iſtud aſſumptum. Nam appetitus Naturalis ut potens ſe *Efficienter* movere ad Bonum Naturæ ſuæ proportionatum, non indiget alio comprincipio, ſed eo ipſo, quòd ab intrinſeco habeat inclinationem in actu primo reſpectu Finis ſibi connaturalis, habet ex ſe ipſo vim completam ſe movendi ad talem

talem Finem. At voluntas est ab intrinseco proportionata ad prosecutionem Boni. Hujus verò applicatio sufficienter fit per præviam cognitionem Boni ejusmodi repræsentativam. Unde tali repræsentatione præsuppositâ, voluntati ex se ipsâ inest vis ad se movendam erga Bonum, seu Finem sibi proportionatum. Ergo non indiget comprincipio.

9. Dices. Eo ipso, quòd objectum ab Intellectu repræsentatum voluntati, sit actûs ab istâ eliciti specificativum, oportere, esse ejusdem actionis principium effectivum. Probatur hæc sequela. Nam specificatio fit per formam determinativam ad certam actionis speciem. At Forma ejusmodi determinativa se habet ut principium *Quo* effectivum actionis. Sicut ergo calor specificativus calefactionis ad istam se habet ut principium *Quo* effectivum; sic dicendum est, objectum volitionis specificativum se habere instar principij *Quo* Effectivi.

10. Contra. Nam ex eo, quòd voluntas respiciat Bonum sub Transcendentali Boni ratione, habet vim quandam Dominativam super omne specificum Bonum, quod illimitatam voluntatis capacitatem non quidem adæquat, sed tamen rationem Boni Transcendentaliter imbibitam habet. Illa autem vis Dominativa importat libertatem specificationis in ordine ad actus specificè, imò etiam contrariè diversos. Nequit verò hæc vis super actus quà *specificè* diversos Dominativa intelligi, nisi ex se habeat virtutem Totalis, & adæquati principij Effectivi. Quamvis ergo objectum sub specificâ Boni ratione sit specificativum, non tamen exercet istam specificationem in genere Causæ Efficientis, sed in genere principij Formalis Extrinseci.
11. Confirmatur. Nam formæ proprium est, dare speciem actui. Hæc autem specificatio alia est *in primo perseitatis modo* per formam intrinsecam: cujusmodi specificationem nequit objectum exercere in actum voluntatis. Alia proinde specificatio est *in Quarto perseitatis modo* ex Termino *Essentialem* actûs specificati habitudinem terminante. Ut sic autem Terminus se habet tanquàm Forma objectiva, diciturque objectum formale. Sub hâc igitur ratione principij Formalis Extrinseci seu *per se* Terminativi objectum *Finaliter* motivum voluntatis est actus ab hâc Efficienter eliciti *in Quarto perseitatis modo* specificativum.

Responsio ad opposita Fundamenta.

12. AD *n. 1.* oppositum Respondetur. Objectum malum apprehensum quà Causam *Finaliter* motivam excitare voluntatem, ut eliciat actus Timoris, vel Tristitiæ *in Quarto perseitatis modo* specificatos à specificâ mali ratione objectivâ, tanquàm principio formali Extrinseco, non autem effectivo.

13. Ad *n. 2.* oppositum Respondetur. Imperium *Efficienter* movere voluntatem, vi efficaciæ ex prævio voluntatis actu sibi impressæ, neque rationis Iudicium voluntatis motum antecedens habere vim voluntatem excitandi, nisi in vi objecti *Finaliter* motivi.

14. Ad *n. 3.* oppositum Respondetur. Eo ipso, quòd voluntas, suppositâ objectiva indifferentiâ, habeat vim super actus *specificè*, imo *contrariè* diversos Dominativam, sequi; ipsam esse principium Effectivum suorum actuum, non tantùm *Quoad Exercitium*, sed etiam *quoad Specificationem*, quos tamen actus eo ipso non esse unius speciei, quòd voluntas, ipsos eliciendo, respiciat ad Motiva *specificè* diversa, & ut sic *in Quarto perseitatis modo* specificativa.

CONTROVERSIA III.

Qualiter voluntas possit se ipsam movere?

LAtè loquendo dicitur potentia sui ipsius motrix, quatenus ex actu primo, seu potentiâ suâ intrinsecâ, *efficienter* est sui reducens ad actum secundum; quo modo voluntas indubitanter est se ipsam movens in quâlibet circa finem etiam versante operatione; eo ipso, quòd talis operatio *Vitaliter*, atque adeò *Effectivè* procedat à voluntate. 1

Verùm strictè loquendo, dicitur potentia se ipsam movens, quatenus ex uno quodam priori actu se reducit ad alium. Quod respectu volitionis fieri potest, tum quatenus ex actu præviæ cognitionis voluntas se reducit ad actualem volitionis operationem; tum quatenus ex uno circa Finem versante actu voluntas reducit se ad alium circa media versantem actum. Priori proinde modo voluntas movet se ipsam in omni actu, utpote *Essentialiter* voluntario, atque adeò per intrinsecam suam quidditatem pendente a principio secundùm cognitionem operante. Posteriori autem modo voluntas non est se ipsam movens respectu primi circa Finem versantis actûs. Unde Aristoteles *7. Eth. ad Eudemum. cap. 18.* dixit, quòd prima bona voluntas sit à bonâ fortunâ, hæc verò sit à Deo. Cujus ratio ex eo desumi potest, quòd movere se *Formaliter* & *Essentialiter* idem sit, ac determinare, & applicare se ad operandum per præcedentem actum, tanquàm per motionem & impulsum. Unde D. Thomas *præs. q. 9. a. 4.* ait, *voluntatem movere se ipsam, in quantum per hoc, quòd vult finem, reducit se ipsam ad volendum ea, quæ sunt ad finem.* De hâc igitur voluntatis ex finis intentione ad mediorum Electionem se reducentis motione hîc occurrit difficultas, *an consistat in formâ aliquâ mediâ inter actum primum & secundum?* 2 3 4

Referuntur Sententiæ.

AFfirmare videtur Ioannes à Sancto Thomâ *præs. disp. 5. a. 6. n. 11.* Fundamentum est. Cùm enim voluntas *effectivè* movet se ipsam de uno actu ad alium, tunc motio ejusmodi est applicatio, quâ voluntas utitur se ipsâ, & applicat se ipsam ex priori actu ad posteriorem. At sicut is, qui applicat ignem ad calefaciendum, non applicat illum per calefactionem, sed applicatio fit per motum localem, qui antecedit ipsam calefactionem, ita voluntas se movet de uno actu ad alium per applicationem, quâ voluntas se agit, & impellit, ut operetur & eliciat alium actum. 5

Econ-

6. Econtrario negare videtur Cajetanus *praes. q. 9. a. 4. §. ad evidentiam. post. med.* taliter differens. *Sexto tertiò, quòd aliud est loqui de voluntate, & aliud de volitione, ut est à voluntate applicante se ipsam ad volendum. Volitio enim nihil aliud dicit, nisi operationem voluntatis, quâ vult, & certum est, quòd ad volendum sufficit voluntas cum objecto, sed ad volendum à se, ita quòd ly a se dicat causalitatem applicantem se ipsam ad volendum, non sufficit voluntas cum objecto, sed exigitur voluntas praecedens finem.* Ex quo ita licet argumentari. Applicatio activa voluntatis ad volendum à se, est in voluntate Causalitas applicans se ipsam ad volendum. Hæc autem causalitas applicans importat voluntatem prævolentem, seu intentionem præviam Finis. Nulla igitur est ratio, cur illa applicatio ponatur in motione mediâ inter intentionem ac Electionem.

CONCLUSIO.

7. Applicatio, quâ voluntas se agit, & impellit ad alium actum ex priori actione eliciendum, si spectetur activè, est ipsa Prima actio, si verò spectetur passivè, est actus ex vi prioris actionis elicitus à voluntate.

Probatur. Si enim inter Finis intentionem ac mediorum Electionem, sive inter actum imperantem ac imperatum interveniret motio quædam ab utroque actu distincta, hujus non alia foret ratio, nisi quòd se haberet per modum præviæ determinationis, per cujus efficaciam in virtute prioris actionis voluntas determinaretur ad secundam actionem. At ista ratio nihil evincit. Probatur illud assumptum. Nam E-
8. lectio respectu intentionis, & actus imperatus respectu imperantis proportionaliter se habet, sicuti in intellectu se habet conclusio ad assensum præmissarum. Atqui assensus præmissarum vel *Effectivè*, vel *Formaliter* eatenus est intellectus determinativus, & applicativus ad assensum conclusionis, ut talis determinatio & applicatio non sit motio quædam inter actus ejusmodi medians, sed *active* spectata sit ipsemet præmissarum assensus; *passive* verò sit conclusionis assensus, qui respectu præmissarum se habet, ut motio quædam passiva. Pari ergo ratione differendum est de Electione mediorum respectu intentionis Finis, hæc enim taliter est applicativa intellectûs ad actum consilij & imperij mediorum deliberativi, ac ordinativi, ut tota hujus efficacia sit ex impressione intentionis: Hæc verò impressio ab actu imperij indistincta supponit in actu intentionis efficaciam ex se determinativam ad electionem mediorum. *velut infra seq. quæst. elucidabitur.* Cum igitur intentio Finis non minus ex se ipsa, quam si aliquam motionem præviam intellectui imprimeret, sit determinativa ad mediorum Electionem, imò ista determinatio non possit ex intentione derivari in illam motionem, nisi *virtualiter* in ipsâ contineretur, quæ virtualis continentia, eo ipso in intentione importaret efficaciam respectu Electionis mediorum intellectûs determinativam. Consequens est, illam præviam motionem eatenus esse superfluam, ut ipsa finis intentio efficax habeat rationem applicationis seu determinationis activæ, ex quâ *immediate* fluat Electio mediorum, ceu motio quædam passiva respectu intentionis.

Responsio ad opposita Argumenta. 9.

Ad Ioannis à Sancto Thomâ *n. 1.* oppositum Respondetur. Disparem esse rationem inter applicationem ignis ad calefaciendum, & Intellectûs ad se ipsum movendum. Illa enim applicatio ignis spectat ad requisita se tenentia ex parte actûs primi, utpote ipsam virtutem ignis complens in actu primo proximo calefaciendi. Econtra supposita objecti repræsentatione, intellectus est hoc ipso *intrinsece* potens ad volendum, nec si ex priori suo actu se applicet, seu impellat ad efficiendum actum posteriorem, ista applicatio se tenet ex parte potentiæ seu actûs primi; sed est causalitas posterioris ex se manantis actionis effectrix. At verò sicuti calefactio ignis activæ virtuti *Formaliter* inexistens, & *virtualiter* ad extra transiens cum calefactione passivâ Mobili inexistente habet connexionem immediatam, nec opus est, ex illâ activâ calefactione emanare motionem quandam intermediam, sic differendum est de actu impellente ac movente voluntatem ad alium actum in se eliciendum; ut adeò ad talis actûs elicientiam nullâ opus sit motione intermediâ, & distinctâ à priori actu voluntatis applicatorio, & impulsivo ad actum posteriorem. 10.

Quod videtur clarè insinuare Ioannes a Sancto Thomâ *cit. a. 6. n. 19. circa finem* docens: quòd applicatio, quâ voluntas se impellit & agit, ut operetur & eliciat alium actum, sit actus ipse prior voluntatis, quatenus dicit ordinem ac respectum ad alium, voluntatemque quasi actuatam & ponderosam reddit ad illum actum, quem *Virtualiter* continet: sicut & assensus præmissarum, quia virtute continet conclusionem, intellectum deducit, & quasi impellit, & applicat ad ipsam inferendam & cognoscendam. Ex- 11.
quibus prætacti Authoris verbis sanè ambigui reddimur, quid de ipsius mente judicemus, cum illam voluntatis ad secundum actum eliciendum applicationem *loco citato* æquiparet voluntatis applicationi, quâ potentias inferiores movet seu impellit ad agendum, cujusmodi applicationem apertè ponit in motione quâdam mediâ inter voluntatis actum imperantem, & imperatum in potentiâ inferiori receptum. Qui ipse tamen Author in præallegatis verbis applicationem voluntatis impulsivam collocat in actu priori voluntatis impellente ad actum posteriorem.

✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠):(✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠

CONTROVERSIA IV.

An Intelligentiæ non Increatæ duntaxat, sed etiam creatæ conveniat vis immediatè movendi alienam voluntatem, seu intellectum?

Doctor Angelicus *praes. q. 9. a. 6.* ex eo, quòd voluntas Humana sit potentia animæ rationalis ad Universale bonum ordinem habens, concludit; non posse nisi à solo Deo

lo Deo ut ab exteriore principio moveri. Fundamentum est. Nihil enim potest esse causa motûs naturalis à mobili tanquàm principio intrinseco provenientis, nisi fuerit causa naturæ mobilis propriæ; hinc enim motus lapidis naturalis esse non potest nisi ab hujus naturâ, vel causâ ipsius. Atqui omnis motus voluntatis (idem est de intellectu) utpote vitalis, non minùs quàm naturalis debet esse ab intrinseco. Neque verò voluntatis habentis intrinsecum ordinem ad bonum universale potest esse alia causa, nisi Deus: siquidem huic soli conveniat, esse Bonum universale, creaturis autem secundùm participationem: nequeat autẽ bonum particulare, sed universale duntaxat dare inclinationem universalem. Sicut ergo soli Deo proprium est, esse causam voluntatis, sic ipsi soli convenit habere virtutem voluntatis, *quoad Exercitium physicè* motricem.

2. Author mallei maleficarum ab Ildephonso *pras. disp. 119. n. 11.* relatus tenet, intellectum (& consequenter voluntatem) non tantùm à Deo, sed ab Angelis posse *Directè* & *immediatè* in genere causæ efficientis moveri. Fundamentum desumitur ex refutatione rationis per Sanctum Thomam deductæ, quòd nimirum falsum sit, non posse aliquid ad motum naturalem *Efficienter* moveri ab aliquo extrinseco, nisi quòd sit causa naturæ ipsius. Hujus enim falsitatem author citatus ait, argui ex eo, tum quòd Angelus tanquàm principium extrinsecum moveat cælum motu naturali, cùm tamen Angelus non sit causa cæli, tum quòd ignis, quando ex ligno generat ignem, moveat lignum motu naturali, cujus tamen naturæ non sit effectrix causa.

Conclusio.

Eo ipso, quòd Mobilis cujuscunque motus naturalis sit abintrinseco, implicat, Intellectûs & Voluntatis Motum Efficienter procedere à principio extrinseco, nisi hoc virtualiter contineat naturam, in quâ illæ potentiæ sunt radicatæ.

3. Probatur. Implicat, actionem aliquam naturaliter procedere à principio non habente virtutem in ipsiusmet naturâ radicatam. Ateo ipso, quòd actio intellectûs & voluntatis sit vitalis, oportet, actionem ejusmodi æquiparari motui naturali, quatenus uterque est à principio intrinseco. Unde ut motus voluntatis possit naturaliter procedere à principio extrinseco, oportet, istud habere in se virtutem effectivam talis motûs quà *physicè efficienter* procedentis ab ipsâmet voluntate. Eo ipso autem, quòd talis virtus principio illi intrinseco naturalis debeat radicari in ejus naturâ, debet in hujus principij naturâ substantiali esse virtualis continentia tum virtutis voluntatẽ moventis, tum ipsius motûs quà eliciti à voluntate. At ista virtualis continentia est quædam eminentia Entitatis in ipsâmet substantiâ & Entitate suâ habens substantialem radicalem voluntatis virtutem motricem. Hæc autem substantialis virtus, vel *Formaliter* est ipsamet natura, in quâ voluntas per illam substantialem virtutem mobilis radicatur; vel est eminentior quædam substantia *Virtualiter* continens naturam, in quâ voluntas taliter mobilis sit radicata. Atqui substantia *Virtualiter* continens talem naturam, eo ipso haberet virtutem ejusdem effectricem. Patet igitur, non posse intelligi, quòd voluntas sit à principio Extrinseco mobilis, nisi istud principium habeat virtutem effectricem, non voluntatis duntaxat, sed ipsius etiam naturæ, in quâ voluntas est radicata. 4.

At eo ipso, quòd inclinatio voluntatis sit ad bonum universale, nequit *Efficienter* procedere nisi à principio universi Boni rationem Eminenter in se continente: nequit enim principium aliquod *principaliter* esse productivum effectûs alicujus, nisi hujus finem suæ virtutis eminentiâ adæquet: ut adeò voluntatis universum Bonum, tanquàm finem inclinationis suæ ambitu continentis causa effectrix nequeat esse alia, nisi virtutis suæ eminentiâ adæquet Bonum universum. Ejusmodi verò effectrix virtus est soli Deo propria. Patet proinde, nullam intelligentiam creatam, sed Deum sicut naturæ voluntatem in se fundantis unicè est effectivus, sic unicè habere vim voluntatis alienæ creatæ *efficienter* motivam. 5.

Responsio ad opposita fundamenta.

Ad *n. 2.* oppositum Respondetur. Motum dupliciter intelligi naturalem; *primò* ex comparatione ad potentiam duntaxat passivam *connaturaliter* receptivam, vel exigitivam motûs ejusmodi: respectu cujus non requiri, quòd principium ejus effectivum habeat vim substantiæ taliter mobilis causatricem. *Secundo* ex comparatione ad potentiam *Connaturaliter* effectivam, atque respectu talis motûs naturalis ab intrinseco principio *effectivè* procedentis. De quo adeò naturali motu accipi debere rationem Sancti Thomæ *n. 1.* expositam. 6.

❈❈❈❈❈❈❈❈❈❈)(❈❈❈❈❈❈❈❈❈❈

CONTROVERSIA V.

Qualiter conveniat Deo Efficienter movere voluntatem?

Duæ hic venire possent discutiendæ difficultates, prima: *Utrùm detur physicus in voluntatis nostræ operationes Dei influxus non merè concomitans, sed ex parte actûs etiam secundi antecedens.* 1.

Secunda. *Utrùm hic antecedens Dei influxus inter actionem Deo immanentem operationis nostræ liberæ præfinitivam, & ipsummet voluntatis nostræ actum liberum sit media quadam motio voluntati nostræ impressa, ad eam pro actuali operatione prædeterminativa?* 2.

Circa primam difficultatem Scientiæ mediæ pugnatores, prout videre est apud Lessium *to. 1. q. 6. a. 6. à n. 3.* à nobis fusè relatum, antecedenter ad nostrum consensum ponunt duplex auxilium Dei ex parte actûs primi se tenens; alterum, quod in ordine ad actus supernaturales tribuat virtutem, compleatq; potentiam supernaturaliter operandi. Alterum, quod situm sit in illuminationibus intellectûs & affectionibus divinitùs immissis, voluntatis *Moraliter* allectivum. In ipso autem consensu, sive ex parte actûs secundi non admittunt Dei concursum, nisi

nisi concomitantem, seu subsequentem voluntatis nostræ compertam saltem *Conditionatè*
3. prævisam. Verùm quia adversùs istum merè concomitantem Dei concursum fusè egimus *in citato a. 6. per totum.* Idcirco nihil duximus hic movendum, nisi quod advertente Ioanne à Sancto Thoma, *res. disp. 5. a. 4. n. 30.* Deus in sacris literis specialiter dicatur facere in nobis, ut faciamus, inclinare corda nostra, operari in nobis velle. Hæc autem in ipso operari, & velle nostro insinuant quendam Dei influxum antecedentem, prævenientemque. At verò, si hic influxus procederet non de reali physicâ efficientiâ, sed morali duntaxat motione, tunc influxus ejusmodi esset merè objectivus, secundum quandam objecti ab intellectu repræsentati allicientiam, cujusmodi ipsimet etiam Pelagiani admittebant. Et, quia omni creaturæ
4. commune est, posse *objectivè* repræsentari, & voluntatem movere, mediante sui repræsentatione; Deus non haberet specialem modum immutandi voluntatem. Consequens proinde est, debere in ipso velle nostro, ex parte adeò actûs secundi admitti influxum Dei *physicè* effectivum, non merè concomitantem, sed prævenientem: Divo Augustino *lib. de grat. & libero arb. cap. 2.* asserente. *Quòd agat omnipotens Deus in cordibus hominum etiam motum voluntatis eorum, ut per eos agat, quod per eos agere ipse voluerit.* Etsi verò se-
5. cundam difficultatem discusserimus *cit. a. 6. cont. 2. & in præs. to. 2. q. 3. a. 2. cont. 4.* operæ tamen pretium duximus, hic pro mediâ inter voluntatis Divinæ immanentem causalitatem & *Divinitus* donatum velle, seu operari nostrum, motione prædeterminativâ eliminandâ, unum vel alterum argumentum hic deducere.

Referuntur Sententiæ & Argumenta opposita.

6. IOannes à Sancto Thomâ *cit. a. 4. n. 37. ac seq.* argumentatur *Primò.* Nequit determinatus actus exire à potentiâ indeterminatâ & suspensâ. Voluntas autem à nullo objecto citra Deum clarè visum quantumcunque cognito, determinari potest perfectè ac simpliciter. Neque verò voluntas ex se indifferens ad operandum potest determinari à se ipsâ. Probatur istud assump-
7. tum. Nam ista determinatio à se fieri deberet mediante aliquo actu, quo voluntas movet ac determinat se ipsam. At de isto actu rursus inquiri posset, à quo principio determinetur? Quòd si denuò dicatur illa determinatio fieri mediante alio actu, redibit eadem quæstio, & sic procedetur in infinitum: vel deveniendum erit ad principium voluntati extrinsecum, à quo voluntas determinetur. Oportet igitur adstruere actualitate aliquam voluntati à Deo impressam antecedenter ad actum eliciendum determinativam.
8. *Secundò.* Etsi daretur, quòd voluntas determinaretur ex se ad aliquod objectum, & ad aliquam speciem actûs; v. g. ad amorem potius, quam ad odium, tamen cum possit plures actus in individuo elicere, & ad alios sit indifferens, ac in potentiâ; oportet, quod ab aliquo principio determinetur hic & nunc. Hoc autem principium non est aliud, quàm Deus: licet enim actus, ut determinetur in individuo dependeat à circumstantijs, tamen quia istæ circumstantiæ etiam determinatione indigent, ideò necesse est, sistere in Deo, in cujus virtute causæ secundæ determinant.

Conclusio.

CAusalitas voluntati divinæ immanens, actûs nostri liberi prædeterminativa *Causaliter* movet voluntatem nostram, ex illâ verò causalitate *immediatè* absque mediâ aliquâ qualitate fluit actus volitus à voluntate nostrâ & prædictâ causalitate Divinâ eliciendus: qui proinde actus respectu voluntatis nostræ rationem activæ motionis, respectu autem voluntatis Dei, seu Decreti Divini rationem motionis passivæ habens, *intrinsecè formaliter* est movens nostram voluntatem.

Probatur. Nam uti Ioannes à Sancto Thomâ *in physi. q. 14. a. 4.* probat, duplex est forma- 9.
litas actionis transeuntis; altera se habens per modum actualitatis ipsammet Causam effectivam actuantis, *subjectivè* inexistit agenti: altera verò recipitur in effectu, & consequenter in passo. Est autem ea inter has duas formalitates connexio, ut posterior *virtualiter* contineatur in priori, tanquam actuali sui causatione, atque adeò actuali in genere causæ Efficientis determinatione. Ejusmodi verò actualis determinationis ratio *Essentialiter* dicit inevitabilem illius posterioris formalitatis ex se consecutionem. Unde vi talis causalitatis effectus priùs naturâ dicitur factus, seu existens in duratione, id est causalitate Causæ, quàm intelligatur existens in se ipso, seu propriæ durationis suæ mensurâ. At eo ipso, quòd actualitas inexistens Causæ essentialem cum actione extra se transeunte, nec non cum effectu per modum physicæ effectricis causalitatis connexionem habeat; sequitur, ex vi talis actualitatis dici posse, quòd passum sit *Causaliter* prædeterminatum ad effectûs ex ipsâ inevitabiliter emanantis in se receptionem. Unde talis Causæ inexistens causalitas potest passum denominare motum, non quidem *Formaliter*, sed *Causaliter*; tametsi actio vi illius causalitatis effecta ac recepta in passo, illud denominet *intrinsecè* ac *formaliter* motum. At verò Decreta Divina ha- 10.
bere rationem causalitatis, seu actionis omnem à Deo *absolutè* volitam realitatem efficientis, constat ex dictis *to. 1. q. 6. a. 6. & con. 7.* Unde Decreti Divini ea est efficacia, ut realitas per ipsam volita ex vi talis Decreti, abstrahendo ab omni intermediâ passi prædeterminativâ qualitate, intelligatur habere infallibilem ac inevitabilem eo modo, quo Deus voluit, consecutionem. Hinc autem fit, quòd Decretum Divinum actionem ex nostra voluntatis indifferentiâ Dominativâ liberè eliciendam decernens, vi suæ efficaciæ hoc ipso intelligatur *causaliter* esse movens voluntatem. Exinde verò sequitur, quòd voluntatis quà Mobilis à Deo sit immediata cum illâ Divinâ causalitate conjunctio, non quidem *formaliter intrinsecè*, sed *Causaliter Extrinsecè* uniens. At eo ipso, quòd volun- 11.
tas quà Vitaliter mobilis importet mobilitatem

non tantùm passivam respectu agentis extrinseci, sed etiam activam ab intrinseco sui motivam, oportet, illam voluntatis quà mobilis à Deo cum Divinâ causalitate conjunctionem esse voluntatis quà principij etiam activi cum Causâ primâ conjunctivam, & applicativam. Hæc verò voluntatis creatæ ad Causam primam applicatio unica est Thomistis ratio ponendi mediam prædeterminativam qualitatem. Consequens igitur est; hanc esse superfluam, debereque adeò dici, quòd actûs nostri liberi prædeterminatio Divina non importet aliam Formalitem, nisi causalitatem Divinæ voluntati *Formaliter* immanentem, ac *Virtualiter* transeuntem, tanquàm voluntatis nostræ activam motionem, ex cujus vi consequitur in voluntate actus liberè elicitus, habens respectu Dei rationem motionis passivæ voluntatem creatam *formaliter* ac *intrinsecè* motam eatenus constituentis, ut respectu ejusdem voluntatis, quà principij activi habeat quoque rationem motionis activæ.

Responsio ad opposita Fundamenta.

12. AD *n. 6.* oppositum Respondetur. Indifferentiam activam voluntatis priùs naturâ, quam ex se ipsâ sit actûs liberi elicitiva, dupliciter intelligi posse determinatam, seu actuatam, *Intrinsecè* scilicet sive *Formaliter*, ac *Extrinsecè* sive *Causaliter*. Ex vi autem prioris determinationis infigi voluntati pondus quoddam physicè alterativum voluntatis ad actum prædeterminatum. At istud pondus *intrinsecè* prædeterminativum, formalem respectu actûs oppositi resistentiam inferre voluntati, atque adeò hujus activitatis in ordine ad talem actum esse *intrinsecè* impeditivam, *velut praes. 10. q. 3. a. 2 cont. 3.* ostendimus, ubi hâc de causâ qualitatem voluntatis *intrinsecè* prædeterminativam rejecimus. Quare non nisi extrinsecam & causalem voluntatis creatæ prædeterminationem *Formaliter* sitam in voluntatis Divinæ efficaciâ, oportere adstruere, vi cujus voluntas creata Divinæ causalitati *Essentialiter* subordinata, non in genere causæ formalis, sed in genere causæ efficientis sit hoc ipso eatenus actuata, ut consequenter ex inditâ virtute possit esse sui ipsius *Efficienter* determinativa. Manifestum proinde esse, quòd ad actûs ex voluntate efficientiam Physicam non prærequiratur intrinseca voluntatis prædeterminativa actualitas, sed talis duntaxat, quæ licèt extrinseca, habeat voluntatem in ratione causæ efficientis *Essentialiter* sibi subjectam, ut adeò vi talis actualitatis quamvis extrinsecæ actus sub modo libertatis prædeterminatus in Deo, sit infallibiliter, sed liberè eliciendus à voluntate.

13. Ad *n. 8.* oppositum Respondetur. Eo ipso, quod omnis differentia, ac modus Entis fluat ex universali principio Essendi, oportere, actionem voluntati Divinæ immanentem ex ipso *Esse subsistente*, atque adeò universali *Essendi* principio *Formaliter Identice* specificatam esse voluntatis creatæ determinativam ad individuam actionem. Sicuti ergo calefactio igni inexistens eatenus est actualitas ab intrinseco determinativa ad speciem calefactionis transeuntis in passo recipiendæ, quin ad illam debeat in passo præcedere qualitas, seu motio prædeterminativa, sic causalitatem Divinæ Voluntatis, cùm ex se ipsâ sit *Causaliter* determinativa individuæ à voluntate creatâ eliciendæ actionis; non indigere aliquâ intermediâ in passo receptâ prædeterminativâ qualitate, sed ex vi illius causalitatis *immediatè* fluere actionem sub ultimâ etiam individuali differentiâ spectatam.



ARTICULUS II.

DE

Objecto Motivo Voluntatis.

PRæcipua hic discutienda difficultas moveri posset: *An, & qualiter non Finis duntaxat, sed medijs conveniat, esse objectum Voluntatis non Materiale, seu purè terminativum, sed formale ac Motivum saltem secundarium.* Verùm quia difficultatem istam fusè disputavimus *praes. 10. q. 2. a. 1. cont. 5.* eò remittimus lectorem, quatuor hic controversias moturi. 1. *An malum sub ratione mali possit voluntati esse objectum prosecutionis?* 2. *An Actus fugæ possit tendere in malum, tanquàm objectum suum motivum, quin feratur in Bonum?* 3. *An possit dari actus neuter, qui neque versetur circa finem, neque circa media?* 4. denique. *Utrùm voluntas eodem actu possit ferri in finem, & in mediâ?*

CONTROVERSIA I.

An malum sub ratione mali possit voluntati esse objectum prosecutionis?

AFfirmant Nominales, speciatim Ocham *in 3. q. 13. dub. 3.* Probatur 1. ex naturâ odij inimicitiæ. Hoc enim distinguitur ab odio abominationis, quòd istud sit Fuga mali mihi displicentis, sitque adeò oppositum Amori concupiscentiæ, illud verò velit alteri malum, quia malum illi est, sitque proinde oppositum amori amicitiæ, cujus est amico velle bonum, quia bonum illi est; cùm econtra amoris concupiscentiæ sit velle alteri bonum, quia mihi bonum est. Patet proinde, quòd odium inimicitiæ velit alteri malum, sub ratione mali: in quo differt etiam ab irâ, cujus est, alteri appetere malum, sub ratione vindictæ & satisfactionis. 2. Ex eo, quòd occidens se ipsum non possit intendere aliquam rationem boni, siquidem mors nihil in se boni habeat, sicut econtra odiens Deum, in quo nulla potest esse ratio mali, debet eo ipso aversari bonum, sub ratione boni. 1. 2.

Econtrario negant Theologi, ac Philosophi cum Divo Thomâ *praes. q. 8. a. 1.* Fundamentum ex Sancto Doctore citato sic deduci potest. Voluntas est appetitus rationalis: omnis autem appetitus est inclinatio appetentis in aliquid. Nihil autem inclinatur, nisi in aliquid sibi conveniens. Eo ipso autem, quòd aliquid sit conveniens, est Bonum. Ergo appetitus voluntatis nequit ferri nisi in Bonum, sed eo ipso, quòd 3.

so, quòd malum ut sic debeat esse dissonans, seu disconveniens appetitui, oportet, malum sub ratione mali non esse objectum, nisi Fugæ & aversionis.

CONCLUSIO.

Sicut Bonum sub ratione Boni nequit esse objectum aversionis, sic repugnat malum sub ratione mali esse voluntati objectum prosecutionis.

4. Probatur. Implicat enim, voluntatem ferri ultra objectum, excedendo limites essentialis cum objecto sui specificativo commensurationis. At ratio hujus commensurationis est secundùm proportionem naturæ rationalis, ex quâ voluntas emanat, ceu passio connaturalis. Est autem per se notum, quòd repugnet, aliquam dari proportionem respectu termini, nisi quà convenientis. Eo ipso autem, quòd aliquid intelligatur quà conveniens, oportet, esse repræsentatum sub ratione Boni. Ergo ex intrinsecâ voluntatis ad naturam, ex quâ emanat commensuratione, infertur, quòd implicet, voluntatem actu prosecutionis ferri in objectum, nisi sub aliquâ boni ratione sit repræsentatum. Hinc autem evincitur, quod neque voluntas possit actu Fugæ seu aversionis ferri in Bonum quà tale.

5. Probatur istud assumptum. Nam eo ipso, quòd naturæ, & consequenter appetitûs ex ipsâ emanantis commensuratio sit determinata ad objectum quà sibi conveniens; oportet, eidem voluntati respectu objecti quà sibi disconvenientis non inesse vim prosecutivam, sed aversativam. Si ergo Voluntas nequeat ferri ultra essentialem sui cum objecto commensurationem, sequitur: voluntatem non posse in malum quà tale ferri nisi per actum Fugæ, seu aversionis.

6. Dices. Voluntatis creatæ libertatem ex intrinsecâ sibi essentiali defectibilitate habere, quòd sub statu Viatoris absque peculiari privilegio possit a quâlibet ratione Boni deficere, ac extendere manum ad quodvis, quantumvis sub ratione mali propositum objectum. Ponamus ergo, quod, ubi Angelo proposita fuit Beatitudo supernaturalis, quà obtinenda per vires gratiæ, Intellectus Angelicus fuerit suam naturalem respectu Beatitudinis supernaturalis defectibilitatem tanquàm negationem, atque adeò physicum aliquod malum contemplatus; tunc eatenus potuisse Angelum velle illam suam defectibilitatem, quatenus ut sic habet rationem mali: sicut econtra considerando suam ad supernaturalis Beatitudinis Finem per vires gratiæ ordinabilitatem, potuisse hanc ut sic bonam per superbiam respuere & aversari. Consequens proinde esse, quòd voluntas actu fugæ in Bonum quà tale, & actu prosecutionis in malum quà malum, ferri possit.

7. Contra. Nam illa Angeli respectu Beatitudinis supernaturalis defectibilitas naturalis eatenus est malum physicum, ut fundet tamen moralem Bonitatem humiliationis, & subjectionis ad Deum, tanquàm supernaturalis Beatitudinis Authorem. Sub hac igitur boni ratione illa defectibilitas erat appetibilis per modum objecti materialis, ac terminativi duntaxat, prætactâ Bonitate Morali habente rationem Motivi formalis. Quare voluntatis creatæ libertas eatenus in statu viæ ob sui defectibilitatem potest peccare, aversando Bonum, & amando malum, ut tamen hoc respectu aversationis habeat rationem objecti duntaxat materialis, malitiâ saltem physicâ, quodvis in hac vitâ Bonum *saltem secundùm apprehensionem intellectûs* vestiente, & ut sic ad actum aversionis terminandam habilitante; sicut econtra malum Boni ratione vestitum habilitatur ad terminandum actum prosecutionis.

Instabis ex Scoto *in 2. dist. 43. q. 2. n. 2.* Peccatum ex oppositione ad appropriationes Divinarum personarum trifariam distingui. 1. In peccatum ex infirmitate per vehementiam passionis, quæ infirmitas cùm importet aliquam impotentiam, specialiter opponitur Patri cui solet appropriari potentia. 2. In peccatum ex ignorantiâ per rationem errantem, quod peculiariter est contra Filium, cui attribuitur Sapientia. 3. ex Malitiâ, non ex allicientiâ passionis, neque ex errore rationis, sed ex merâ libertate eligentis malum peccati, quod appropriatè est contra Spiritum Sanctum; cui appropriatur Bonitas. At cùm in tali peccato nec sit delectatio erga Bonum sensibile, nec Intellectus affingat objecto aliquam Bonitatem, oportet; puram peccati malitiam repræsentari, quam ut sic voluntas peccando ex libertate suâ eligat. Ergo voluntas tunc actu prosecutionis tendit in malum sub ratione mali spectatum. 8.

Contra. Nam omne Bonum creatum eo ipso, quòd sit limitatum, in se fundat alicujus perfectionis negationem: Sicut econtra nulla est malitia sive physica, sive moralis, quin concomitantem habeat aliquam Bonitatem Formalem ejusdem convenientiæ. Unde nullo etiam interveniente rationis errore, vel passionis vehementiâ, potest Intellectus ex objecto licèt de se malo eruere aliquam Bonitatem, non quidem moralem, sed physicam: velut in eo, quòd Angelus in ordine ad finem gloriæ nollet esse subjectus gratiæ, eatenus reperiebatur superbiæ malitia moralis, ut in hâc tamen intelligeret excellentiam Divinitatis, quam, *negative* nolendo se gratiæ subjicere, ambiebat. Consequens proinde est; posse dari peccatum ex malitiâ, quin voluntas actu prosecutionis tendat in malum quà formale motivum, sed objectum duntaxat terminativum, Bonitate aliquâ per rationem expressâ, se habente tunc per modum formalis motivi. 9.

Responsio ad opposita Fundamenta.

AD *n. 1.* oppositum Respondetur. Amorem amicitiæ differre ab amore concupiscentiæ, quòd hæc eatenus sistat in volendo bonum amanti, ut non reflectatur in amatum quà motivum: cùm econtra Amor amicitiæ velit amico Bonum, quod reverâ ipsi etiam amanti conveniens apprehenditur, ut tamen non sistat in amante tanquam Motivo, sed in ipso amato respiciat quandam excellentiam, cujus intuitu velit ipsi Bonum. A contrario igitur odium inimicitiæ vult inimico malum, quà ipsi malum est, ut eo ipso tamen, quòd inimicus sit disconveniens cum subjecto inimicitiam erga ipsum spi- 10.

rante malum ipsius in aliquo sive intrinseco, sive extrinseco Bono destructivum apprehendatur ut conveniens, atque adeò ut Bonum subjecto ejusmodi. Hæ, igitur respectiva Bonitas in odio inimicitiæ est formale motivum actûs prosecutionis, quo aliquis inimico suo malum intendit.

II. Ad *n.* 2. oppositum Respondetur. Mortem, licèt non in se ipsâ, ex circumstantiâ tamen alicujus accidentis vestiri quadam Bonitate, seu præsentis alicujus nimiùm affligentis miseriæ carentiâ, quæ ut sic per modum respectivæ Bonitatis possit esse motiva voluntatis ad mortis efficacem intentionem. Sicuti Deus, licet in se summè Bonus, ab Intellectu non nisi abstractivam ipsius cognitionem habente, apprehendi potest malus, quoad effectus alicui naturæ particulari repugnantes; ex quorum adeò Motivo potest eatenus odio haberi, ut ipsius tamen Bonitas ut sic habeat rationem objecti duntaxat Terminativi, non autem Motivi.



CONTROVERSIA II.

An Actus Fugæ possit tendere in malum tanquam objectum suum motivum, quin feratur in Bonum?

COincidit hæc quæstio cum illâ. *An detur actus meræ fugæ; vel econtra oporteat omnem actum detestationis, seu odij includere amorem?*

Referuntur Sententiæ.

1. NOnnulli, quibus assentiri videtur Suarez *1. 2. tract. 4. disp. 1. sect. 7. n. 2.* sentiunt: nullum esse actum voluntatis, qui sit mera fuga.

Fundamentum est. Nam sicut omnis actus potentiæ cognoscitivæ est cognitio, ita omnis actus potentiæ appetentis est appetitio: Odio enim habere, est appetitum disjungi ab aliquâ re, hoc ipsum verò est appetere disjunctionem talis rei: sicut in intellectu dissentire non est aliquis recessus, vel negatio, sed est judicare *positivè*, propositionem esse falsam.

2. Cardinalis de Lugo *de pœnit. disp. 1. sect. 2. n. 10.* verius existimat, posse dari in voluntate actus meræ fugæ, per quos nihil *Formaliter* ametur, licèt fortè *Virtualiter* & *æquivalenter* contineant amorem. Probatio desumitur ab experientiâ, quâ experimur, diverso modo se habere voluntatem nostram, quando habemus odio, ac quando amamus: amor enim suavis est, & dulcis: odium verò asperum & rigidum. Non ergo amamus, quando odio habemus.

3. Concordat Amicus de *pœnit. disp. 4. sect. 2. n. 25.* ubi tamen docet: Virtualem Dei amorem in contritione inveniri, quatenus Deus est Finis *Cui*, propter quem contritio detestatur peccata.

4. Econtra Cardinalis de Lugo *cit. sect. 2. n. 16.* approbat, quod possit in voluntate dari fuga mali, cujus ultimum & adæquatum Motivum sit ipsum malum, nec oportere, quòd resolvatur ulterius in aliquod bonum. Unde *n. 27.* putat, odium v. g. tenebrarum eo duntaxat sensu dicendum esse virtualem lucis amorem, quatenus inter extrema contradictoriè opposita accessus ad unum est recessus ad alterum; & econtra recessus ab uno est accessus ad alterum.

Conclusio I.

DAri potest in voluntate merus actus fugæ, cujus tamen motivum non potest esse *præcisè* malum, sed hoc reduci debet in bonum oppositum tanquàm motivum *Quo* illius actûs.

Probatur. Nam malum movet voluntatem, non nisi agendo in virtute Boni. 5. Veluti ex Divino Dionysio probat S. Thomas *1. 2. q. 60. a. 5. ad 4.* At id, quod movet in virtute alterius, habet vim motivam hujus motioni subordinatam. Unde malum, etsi ex se habeat vim voluntatis motivam imperfectam, hæc tamen nequit excitare voluntatis actum, nisi concurrente Bono, in cujus virtute malum movet voluntatem. At ista virtus Boni in ordine ad movendam voluntatem quasi imprimitur malo, quatenus Intellectus malum sub oppositione ad Bonum repræsentando, habilitat malum, ut possit voluntatis ad sui fugam esse excitativum. Hæc autem excitatio fit, tum vi amoris præsuppositi ad fugam mali Bono oppositi; tum ex eo, quòd repræsentatâ mali ad Bonum oppositione, moveatur voluntas ad actum, qui *Formaliter* sit simul Amor Boni, & fuga mali; tum denique ex eo, quòd ex simili repræsentatione voluntas eliciat Fugam mali, quin iste actus terminetur ad Bonum, sed hoc se habeat ut motivum *Quo*. Ea verò inter Motivum *Quo* & *Quod* est differentia, quòd istud *Objectivè* excitando ad actum voluntatis sit ejusdem quoque Terminativum: illud verò sit *pure* motivum, habens 6. vim voluntatis actum excitandi, quin iste actus suo quasi sinu complectatur tale motivum, nec adeò istud sit actûs ejusmodi Terminativum. Unde in ordine ad talem actum convenit quidem malo esse motivum *Quod* Terminativum, quin tamen ex se habeat sufficientem vim motivam, sed indiget Boni oppositi virtute Finalizativâ, taliter habilitante malum respectu actûs fugæ, ut ne malum quidem sic habilitatum ex se solo possit esse voluntatis excitativum, sed indigeat insuper actuali Finalizativâ Boni per mali fugam consequendi motione: vi cujus adeò Finalis motionis malum eatenus dicitur agere in virtute Boni, ut consequenter Fuga mali dicatur *Virtualiter*, non autem *Formaliter* habere rationem amoris, seu prosecutionis. Cujus ratio à priori sic deduci potest. 7. Nullus enim actus elici potest a potentiâ, quin specificetur ex hujus objecto Formali. At voluntatis objectum Formale specificativum est Bonum ut sic. Ad hoc verò, ut actus specificetur ab objecto, sufficit, hoc se habere ad illam, ut motivum *Quo* actûs *Finalizativè* excitativum, non verò opus est, se habere ut motivum *Quod* actûs ejusmodi Terminativum. Quamvis proinde nullus sit possibilis actus fugæ, quin specificetur ex Bono saltem ut motivo *Quo* sui *Finalizativè* excitativo, non tamen oportet, talem actum fugæ esse *Formaliter* amorem Boni, sed *Virtualiter* duntaxat, prout per suam intrinsecam Entitatem est Causalitas

falitas Finalizata ex Bono tanquàm Motivo ut *Quo* excitativo.

Responsio ad opposita Fundamenta.

8. AD *n. 1.* oppositum Respondetur. Verum quidem esse, quòd judicium intellectûs negativum *Esse predicati* removendo à subjecto, habeat rationem cognitionis repræsentantis negationem identitatis subjecti cum prædicato. Quam nihilominùs negationem non tam *Formaliter* habere in se Veritatem Transcendentalem cognitionis illius specificativam, quàm *Fundamentaliter*, prout nimirum in ipsâ subjecti ex suâ quidditate prædicatum excludentis Entitate radicatur illa negatio: ut hæc adeò non *precisè secundùm se*, sed *ratione sui fundamenti realis* ceu *Transcendentalis Veritatis* tanquàm *Motivi Quo* sit specificativa illius negativi judicij, negationem illam repræsentantis. Pari ergo ratione differendum esse de fugâ mali. Quam proinde sortiri
9. rationem appetitionis non ex eo, quòd debeat Bonum sui specificativum suo quasi complexu attingere, tanquàm objectum *Quod* Terminativum, sed quòd sit quidam impulsus voluntatis eatenus excitatus ex Bono, ut hujus non sit prosecutivus, sed purè aversativus mali Bono ut Motivo *Quo* oppositi.

10. Ad *n. 2.* propositam probationem ℞. Eo ipso, quòd amor respiciat Bonum, tanquàm motivum *Quod*; aversio autem seu odium tanquàm Motivum *Quo* duntaxat; in voluntate excitari diversos illos effectus. Et hinc non subsistere doctrinam Card. de Lugo *n. 4.* expositam, sed dici potiùs debere, malum nunquàm posse respectu actûs fugæ esse motivum adæquatum, sed esse objectum quidem *Formale* secundarium, Bono tamen opposito se habente ut motivo *Quo* primariò.

CONTROVERSIA III.

An detur actus Neuter, qui neq; versetur circa finem, neque circa media?

1. HAnc difficultatem movet doctrina Scoti *in 1. dist. 1. q. 3. n. 2.* docentis: posse voluntati ostendi aliquod objectum Bonum *absolutè* apprehensum non sub ratione propter se boni, nec propter aliud bonum: atque circa tale sic ostensum bonum posse voluntatem habere actum aliquem, & non necessariò inordinatum. Quem actum vocari Neutrum.

Verùm istum actum Neutrum impossibilem esse, cum Cajetano *1. 2. q. 8. in proœmio* censent Thomistæ, alijque Theologi communiter.

CONCLUSIO.

ILle actus Neuter est chimæricus.

2. Probatur. Quidquid enim apprehenditur sub ratione Boni, cognosci debet quà conveniens appetenti. At nihil est intelligibile conveniens appetenti, nisi vel *secundùm se* & *ratione sui*, vel *relatè propter aliud*. Sub priori autem ratione Bonum se habet ut Finis, sub ratione autem posteriore ut medium. Impossibile igitur est, voluntatem ferri in objectum aliquod apprehensum neque sub ratione *Finis*, seu Boni *propter se* appetibilis, neque sub ratione *Medij*, seu Boni *propter aliud* expetibilis.

3. Dices. Posse intelligi rationem Boni, prout abstrahit à Bono *absolutè* ac *relatè* spectato. At istam abstractam Boni rationem, sicuti potest esse objectum Intellectûs, sic sufficienter terminare posse aliquem actum voluntatis.

4. Contra. Nam *bonum absolutè* seu *secundùm se præcisè* expetibile, & Bonum *relatè* non nisi *respectu alterius* appetibile conveniunt solùm *Analogicè*. Ea vero est Natura analogorum, ut eo ipso, quòd analogati minus principalis imperfectio per abstractionem sit *Intentionaliter* remota, Formalitas per Intellectum expressa sit ipsa ratio Quidditativa principalis analogati. Nequit ergo voluntati repræsentari ratio boni *absolutè* considerati, cum præcisione in perfectioni convenientis Bono *respectivo*, ut sic rationem medij habenti, quin ratio Finis sit expressa. Cujus ratio à priori est. Nam bonum quà appetibile *Formaliter* dicit rationem convenientiæ respectu appetitûs. Hæc autem convenientiæ ratio importat quandam respectu appetitûs proportionem ejusdem motivam, & specificativam. At ista proportio appetitûs specificativa, & motiva, si consideretur *absolutè*, se habet ut ratio *per se* motiva. Eo ipso autem, quòd intelligatur ratio appetibilitatis seu convenientiæ appetibilis sine ordine ad aliud tanquàm motivum primarium, sequitur, talem convenientiæ rationem, seu proportionem appetitûs per se motivam habere rationem Finis. Nequit ergo fieri abstractio Boni, ita ut ratio ejusmodi Bonitatis nec ut Finis, nec ut medium intelligatur, sed eo ipso, quòd Bonum apprehendatur sub abstractione medij, repræsentatur sub ratione convenientiæ *per se* proportionatæ appetitui; atque adeò sub ratione Finis.

CONTROVERSIA IV.

Utrùm voluntas eodem actu possit ferri in Finem & in Media?

VAsquez *præs. disp. 33. cap. 2. n. 15.* ubi notasset; Finem, sicut & media posse duobus modis *directè*, scilicet, vel in *recto*, ac *indirectè* seu *in obliquo* appeti, subsequenter concludit, si Finis & medium *directè* appetantur, & voluntas in utrumque *directè* feratur, necessarios esse duos actus. 1.

Concordare videtur Joannes à Sancto Thomâ *hic disp. 5. a. 3. n. 3.* asserens; si tam Finis, quàm media se habeant ut objectum *Quod* per modum rei volitæ *terminativè*; diversis actibus attingi debere, etiamsi in tali objecto attacto aliquis ordo ad Finem, vel ad media saltem de connotato & in obliquo reluceat. 2.

Fundamentum est. Nam licèt conclusiones cum principijs connectantur, & coordinentur, & per consequentiam ex eis deducantur: nihilominùs quando principia attinguntur ut objectum *Quod* & ut veritates cognitæ, & ex eis de- 3.

eis sic cognitis deducantur conclusiones; tunc diversis actibus attinguntur, siquidē ex actu & assensu principiorū inferatur actus assentiens conclusionibus. Pari ergo ratione voluntas, quæ omnino correspondet, & conformatur in modo procedendi Intellectui, à quo dirigitur; diversis actibus fertur in finem & in media.

4. Econtrario Franciscus Amicus *præs. disp. 4. n. 43.* cum Doctoribus *n. 41.* relatis, & Ildephonsus Baptista *disp. 109. n. 8.* affirmant: quando voluntas vult finem ut rationem attingendi media, eodem actu velle utrumque, scilicet Finem & media: sicut & quando voluntas tendit in media, ut media sunt; eodem actu tendere in Finem: ut in rationem volendi media. Fundamentum petitur ab authoritate Divi Thomæ *præs. q. 8. a. 3.* asserentis: quòd unus & idem motus voluntatis sit, quo fertur in Finem secundùm quod est ratio volendi ea, quæ sunt ad Finem, & in ea ipsa, quæ sunt ad Finem. Similia habet Sanctus Doctor infra. *q. 12. a. 4. in corp. & ad 2.*

CONCLUSIO.

NON repugnat, voluntatem eodem actu ferri simul in media & Finem, tum Virtualiter, tum Formaliter, non tantùm ut in motivum *Quo*, sed ut in objectum Formale *Quod.*

5. Probatur. Nam 1. Finis appeti potest à voluntate *secundum se præcise*, prout habet vim potentiæ appetitivæ ai ectivam, & motivam. Ut sic autem Finis volitio simplex ac inefficax omninò est diversus actus à volitione mediorum. 2. Voluntas potest ferri Efficaciter in Finem aliquem, qui ad sui consecutionem nullum exposcit medium, sed solum actum, seu operationem consecutivam; veluti contemplatio Veritatis fide Divinâ creditæ eatenus potest animæ ad sublimiorem gratiæ statum elevatæ à voluntate imperari, ut nullum exigat ab ipsomet Contemplante apponendum, sed actualis Gratiæ nobis, sine nobis liberè operantibus, immissum auxilium, nec non & hujus usum tanquàm Formalem Finis illius consecutionem. In quo proinde casu intentio Efficax Finis ne quidem *Virtualiter* importat Electionem mediorum. 3. Po-
6. test voluntas *Efficaciter* intendere Finem, non *Immediatè* pendentem ex ipsius imperio; sed per media aliqua extrinseca assequibilem. Quomodo Finis intentio *saltem virtualiter* est Electio mediorum: imò si unicum sit medium unà cum Fine voluntati repræsentatum, potest voluntas eodem actu tunc ferri in medium ac Finem. Hic proinde actus efficaciter tendens in Finem simul ac medium debet taliter considerari, quòd medium respectu ipsius habeat rationem objecti Terminativi, non autem *Motivi* primarij, sed secundarij duntaxat, cum econtra Finis sit ejusdem Motivum Formale primarium. 4. In hoc ipso tamen actu fieri
7. potest, ut Finis se habeat per modum Motivi *Quo* duntaxat, ita ut non sit ejus objectum Terminativum, seu Motivum *Quod*, dum nimirum Finis Bonitas est quidem voluntatis allectiva ad actum medij prosecutivum, nec tamen actus iste suo quasi complexu ambit ejusmodi Motivum.
5. Finis Bonitatem se habere ad voluntatem duntaxat ut Motivum *Quo*, non autem *Quod*, 8.
vel maximè evenire potest etiam in actu mediorum Electivo supponente efficacem Finis intentionem, siquidem talis Electio eatenus emanet ex virtute intentionis præviæ, ut ipsius tamen Motivum Formale primarium sit ipsa Finis præintenti Bonitas non semper *Formaliter* amata per talem medij Electionem, sed hujus sit duntaxat excitativa & Finalizativa, seu *Finaliter* motiva. Nihilominùs 6. Electio mediorum, vel 9.
intentio Finis *Formaliter* tendens in medium, potest ferri in utrumque tanquàm objectum Terminativum, ita ut Finis habeat rationem motivi primarij non *Quo* duntaxat, sed *Quod*; Medij verò Bonitas sit Motivum *Quod* secundarium.

Cujus ratio contra Joannem a Sancto Thomâ deduci potest ex ipsiusmet *art. cit. n. 3. & 5.* 10.
insinuato argumento. Etenim voluntas conformatur Intellectui. Hic autem potest simul tendere in plura, etiam ut objecta *Quod* Terminativa, si sub unâ Formali ratione coadunentur. At media talem habent connexionem cum Fine, ut hujus appetibilitatis rationem Formalem induant. Neque verò ista Finis appetibilitas 11.
taliter est habilitans media ad actum eorundem prosecutivum, quin respectu hujus actûs habeat in se ipsâ vim non duntaxat excitativam, sed etiam Terminativam, atque adeò possit actus ille esse Motivum non *Quo* tantum, sed *Quod*. Et quia specificatio actuum non ex objecto quà Terminativo, sed quà motivo desumitur, oportet, Electionem mediorum, sive Finem ut Motivum *Quo*, sive ut Motivum *Quod* respiciat, ejusdem esse speciei, ita ut non nisi Numerica & individualis differentia interveniat inter actus electionis, quorum unus Finem quà Motivum *Quo*, alter verò ut motivum *Quod* respicit; siquidem actus Electionis respiciens Finem ut Motivum *Quod* in hunc tendat, quà objectum non præcise Formale *Finaliter* Motivum, sed etiam Materiale Terminativum: Objecti autem Formalis sit, *in Quarto perseitatis modo* esse specificativum, objecti autem materialis sit, esse Terminum differentiæ individualis, seu multiplicationis individualis demonstrativum. Unde cum primæ Causæ sit, determinare ad actionem in individuo, non tam ex voluntatis creatæ, quàm Divinæ voluntatis causalitate ratio desumenda est, quòd Electio mediorum hic & nunc elicita respiciat Finem, vel ut Motivum *Quod*, vel ut Motivum *Quo* duntaxat.

Responsio ad opposita Fundamenta.

AD Joannis à S. Thoma *n. 2.* oppositum Fundamentum Respondetur. Tametsi assensus principiorum sit quodamodò causativus 12.
assensûs conclusionum: hinc tamen minimè inferri, quòd assensus conclusionis non possit ferri in ipsorum etiam principiorum Veritatem, ut motivum Formale non *Quo* duntaxat, sed quandoque ut in Motivum *Quod.* Hoc enim stante, adhuc stare differentiam tum specificam, tum numericam assensuum principijs & conclusionibus

tibus præstitutorum, partim quòd assensûs conclusionis motivum Formale primarium sit quidem veritas principiorum, secundarium tamen sit etiam veritas conclusionis ex principijs deductæ, assensus verò habens pro specificativo veritatem non principiorum duntaxat, sed etiam conclusionis; sit specie distinctus ab assensu procedente ex solius principiorum Veritatis motivo: partim quòd ex differentiâ objectorum materialium, seu Terminativorum desumatur individualis actuum distinctio; actûs
13. verò purè terminati ad veritatem principiorum, & actûs terminati ad istorum simul & conclusionis veritatem sint diversa objecta Terminativa. Si proinde secundùm Joannem à Sancto Thomâ actus voluntatis tendentes in Finem ac media, pari passu procedant cum actibus Intellectûs in principia & conclusiones tendentibus, consequens esse, quòd nulla sit repugnantia, quin voluntas uno & eodem actu ferri possit simul in media & Finem, non ut motivum *Quo* duntaxat, sed etiam ut Motivum *Quod*.

ARTICULUS III.

De

Notitiâ objecti prærequisitâ ad actum voluntatis?

1. Quinque hic moveri possunt controversiæ. 1. *An secundum potentiam Dei absolutam voluntas operari possit absque præviâ objecti notitiâ?* 2. *Qualis debeat esse notitia prærequisita ad voluntatis operationem?* 3. *Utrùm judicium voluntati prælucens debeat esse practicum?* 4. *Qualiter consilium & deliberatio debeat præcedere actus voluntatis?* 5. *In ordine ad quos voluntatis actus, & qualiter prærequiratur ex parte intellectûs actus imperij?*

CONTROVERSIA I.

An secundùm potentiam Dei saltem absolutam voluntas operari possit absque præviâ objecti notitiâ?

2. PRima sententia Gregorij *in 2. dist. 25. concl. 2. ad 3. rat.* Martinez *præf. q. 9. a. 1. dub. 6. concl. 2.* tenet, posse naturaliter dari actum voluntatis absque formali; seu actuali saltem Intellectione, dummodo adsit Virtualis objecti intellectio, remanens in virtute relictâ ex præteritâ actuali intellectione. Huc reduci potest sententia Divi Bonaventuræ *in opusc. de Mysticâ Theologiâ q. uni.* docentis; quòd voluntas per Charitatem elevata possit elicere actum sine prælucente Intellectu, atque sic evenire in raptu, seu extasi. Fundamentum est ex illo *Psal. 33. Gustate & videte, quoniam suavis est Dominus.* Etenim Gustare est voluntatis, videre autem Intellectûs. At Scriptura Sacra hortatur; Deum prius esse gustandum, quàm videndum. Consequens proinde est; in Mysticâ Theologiâ priùs consurgere nos ad Deum per amorem, quàm per cognitionem. Divino Dionysio de *Mysticâ Theologiâ cap. 1. post init.* sic adhortante. *Tu autem Timothee charissime, pro maximâ Mysticorum spectaculorum exercitatione, quâ vales, prætermitte & sensus, & mentis actiones, eaque omnia, quæ sub sensum cadunt, & animo cernuntur, & quæ non sunt, omnia, teque ad ejus, qui omnem essentiam, omnemque scientiam superat, conjunctionem & unitatem pro virili parte clam excita.*

Quibus conformiter Divus Bonaventura, duplicem Dei amorem distinguit, alterum *Scholasticum*, qui habet principium in meditatione, & cognitione, alterum *Mysticum* seu *secretum*, qui consistit in amoris desiderio per affectiones flammigeras superiùs aspirante, sapientia unitiva dictus, & absque omni præviâ cognitione in nobis elicitus.

Secunda sententia Paludani *in 4. dist. 49. q. 1. a. 2. Ad. 1.* docet, de absolutâ Dei potentiâ fieri posse, ut voluntas sine prævio Intellectûs actu operetur. 3.

Fundamentum est. Cognitio enim respectu tam objecti, quàm actûs voluntatis se habet solum ut conditio, non ut ratio Formalis. At non implicat, Deum supplere conditionem sine quâ non, faciendo; ut absque illâ causa creata operetur.

Tertia sententia Vasquezij *hic disp. 35. n. 13.* Ildephonsi Baptistæ *præf. disp. 111. n. 144.* Amici *disp. 5. sect. 1. n. 9.* Andreæ Lao *disp. 55. dub. 3.* asserit, ne quidem de absolutâ Dei potentiâ posse voluntatem ferri in objectum, absque præviâ cognitione. Favet Sanctus Thomas *1. 2. q. 3. a. 4. ad 3.* Et clariùs *1. p. q. 82. a. 4. ad 3.* ubi ait, necesse esse, quòd omnem voluntatis motum præcedat apprehensio. Fundamentum est 1. Implicat enim dari appetitum naturalem, sine formâ naturali. Ergo implicat, etiam dari appetitum sensitivum sine Formâ sensu apprehensâ, & appetitum rationalem sine Formâ per rationem, seu Intellectum apprehensâ. 2. Implicat. Quòd potentia aliqua operetur sine objecto circa *Quod*: siquidem actus Essentialiter constituatur per ordinem Transcendentalem ad Objectum. At si intellectus non proponat objectum voluntati, tunc ista non habet objectum, circa quod operetur. 4.
5.

Conclusio.

EX ratione formali specificationis actuum voluntatis repugnat, voluntatem operari absque præviâ objecti notitiâ.

Probatur. Nam de essentiâ omnis actûs voluntatis est, ab hac *immanenter* ac *Vitaliter* procedere per modum inclinationis tendentis in objectum, tanquàm sui in *Quarto perseitatis genere* specificativum. Unde cujuslibet actûs voluntatis specificatio intrinseca importat Formalem cum objecto, tanquàm sui motivo commensurationem. Hæc autem actûs voluntatis ex objecto sui specificativo motio non est physica, sed intentionalis. Est autem de essentiâ cujuslibet motionis, ut principium Motivum vel supponat, vel eo ipso constituat præsens mobili. Unde cùm voluntatis actus per rationem suam Essentia- 6.

sentialem sit quædam motio intentionalis fluens ex objecto sui specificativo, consequens est; objectum ejusmodi pro instanti actûs à voluntate eliciti debere *Intentionaliter* præsens esse voluntati. At ista intentionalis præsentia est *Formaliter* actus intellectûs. Ex ipsâ igitur naturâ specificationis actuum voluntatis, implicat, voluntate operari absque præviâ objecti notitiâ.

7. Dices. Non repugnare, quòd Deus per efficaciam suæ voluntatis imprimat creatæ voluntati impulsum, vi cujus rapiatur ad se ipsam, mediante actu à se elicito constituendam præsentem objecto amato. Imò sic evenire in raptu seu Extasi, ut voluntas virtute quâdam supernaturali rapiatur ad sui cum objecto amorosam conjunctionem, quin taliter raptus sentiat aliquam objecti amati notitiam. Quare ex eo, quòd actus voluntatis exigat objecti sui Motivi præsentiam intentionalem, non evinci necessitatem præviæ objecti notitiæ, sed istam præsentiam haberi per ipsummet actum voluntatis *Intentionaliter* cum objecto unitivum: sicuti Angelus ex voluntatis suæ efficaciâ Primo mobili imprimendo motum, vi talis motûs eo ipso constituitur præsens illi Mobili.

8. Contra. Nam eo ipso, quòd actus voluntatis per suam Essentialem specificationem sit motio quædam Intentionalis ex objecto sui specificativo Finalizata, seu *Finaliter* excitata, sequitur: objectum ejusmodi pro instanti actûs à voluntate eliciti debere secundùm aliquam naturæ prioritatem habere *Esse intentionale*, ut sic proportionatum voluntati, ad hanc *Finaliter* movendam, & alliciendam. At istud objecti *Esse intentionale* secundùm naturæ prioritatem voluntatis motionem antecedens non stat, nisi per Formalem objecti notitiam. Unde ne in raptu quidem, seu extasi contingere potest, vi alicujus Divini impulsûs voluntatem rapi ad amorosam sui cum objecto amato unionem, nisi hujus objecti aliqua notitia præluceat, cujus, uti ipsius etiam amoris pro tunc intensio tanta est, ut animæ vires omninò exhaustæ non possint *reflexè* attendere tum ad lucem ex parte Intellectûs objecti manifestativam, tum ad flammam voluntatis succensivam considerandam. Consequens igitur est; ne in raptu quidem Divinâ etiam virtute fieri posse, ut voluntas operetur sine face cognitionis objectum voluntatis Motivum proportionantis.

9. Confirmatur inductione. Nam 1. Paulus *lib. 9. actuum. cap. 3.* describitur raptus, dum Damascum iter faciens prostratus in terram, audivit vocem Christi sibi dicentis, *Saule Saule, quid me persequeris?* Etenim cùm raptus, teste Divo Thomâ *2. 2. q. 195. a. 1.* consistat in abstractione à sensibus factâ per Divinam Virtutem: Paulus autem in illo casu Divino jam amore supra se elevatus sensuum usum perdiderit, juxta illud. *Apertisque oculis nihil videbat. ex cit. cap. 3.* taliter oportet, Paulum tunc raptum fuisse, ut tamen haberet usum Intellectûs. Uti Sanctus Augustinus super illud *Psalm. 67. Ibi Benjamin adolescentulus in mentis excessu* docet.

10. 2. Idem Apostolus præcellentem habuit raptum, *Dum raptus in Paradisum, audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui.* At licèt Paulus ita fuerit extra se, ut ignoraret, an esset in corpore, sive extra corpus, eo ipso tamen, quòd arcana verba audierit auditu interiori, habere debuit usum Intellectûs. Unde Divus Thomas *supra citatus* ait: raptum eatenus consistere in abstractione à sensibus, per Divinam Veritate m factâ; ut homo tamen elevetur tunc ad supernaturalium cognitionem. Et *art. 3. ad 1.* cùm enumerâsset tres modos raptûs, in omnibus illis asserit inveniri contemplationem. Quod insinuavit Spiritûs Sancti sponsa *Cant. 5. Ego, inquiens, dormio, & cor meum vigilat:* dormit enim per sensuum interiorum ac exteriorum soporem seu raptum, vigilante tamen corde, id est intimâ mentis parte per cognitionem. Unde Divus Anselmus, Beda, & Thomas *super illud 2. ad Corinth. 5. Sive mente excedimus, Deo, sive sobrij sumus, vobis.* dicunt; in excessu, & cælestium rerum amore fieri abstractionem à sensibus, non à mente.

Responsio ad opposita Fundamenta.

AD primæ sententiæ *n. 2.* oppositum Respondetur. 11. Ex eo, quòd Divinæ Bonitatis suavitas amoroso voluntatis attactu sit prægustata, novam ex hâc Divini amoris flammâ erumpere lucem Intellectûs majori circa Dei Excellentiam claritate illustrativam. Hinc autem evinci quidem, quòd contemplationis Divinæ actus ex amoris igne excitatus sit posterior actu voluntatis, non tamen exinde argui, quòd primus Divinam Bonitatem prægustans amor sit absque præviâ fidei notitiâ. Quare amorem ita præcedit obscura fidei lux Divinitatis in loco quasi caliginoso repræsentans, ut quædam quasi visio non quidem intuitiva, sed contemplativa Divinitatis Excellentiam sub ipsâmet Divini amoris dulcedine quasi præsentem, seu unitam animæ demonstrans tandem resultet ex Divino amore. Vi cujus adeò contemplationis ita mens absorbetur in Divinitatis Intelligibili luce, ut corporalium rerum umbras non trahat secum, sed Divinæ Claritatis virtute restituatur in simplum Veritatis Intelligibilis radium. *uti* ex SS. Dionysio ac Gregorio advertit Divus Thomas *2. 2. q. 180. a. 5. ad 2.* 12. Atque hoc est, quod faciendum monet Divinus Dionysius *in argumento opposito* allegatus, ut scilicet prætermisso modo Deum ex umbris Formarum Corporalium investigandi, ex Divinitatis per fidem supernaturalem ostensæ amore formetur Intelligibilis expressio Deitatis per amorosam conjunctionem cum animâ jam unitæ, ex quâ proinde luce flammigerâ intensior ac sublimior amor cum Deo unitivus, clam, id est, sub silentio interiori animæ à sensibilibus abstractæ, viribus exinde ad unam Intelligibilis Divinæ Veritatis lucem collectis, excitetur.

13. Ad 2. sententiæ *n. 3.* oppositum fundamentum Respondetur. Deum non posse supplere conditionem objecti taliter applicativam ad actum, ut iste sit quædam motio *Finalizativè* causata, & ut sic specificata ex objecto, tanquàm sui Motivo *Intentionaliter* Causativo: tunc enim côditio ejusmodi dat *Esse intentionale* objecto, *Essentialiter* prærequisitum ad motionem illam intentionalem excitandam, & ut sic specificandam; ut adeò actus ex objecto taliter specificatus Essentialem dicat à cognitione objecti *Intentionaliter* repræsentativâ dependentiam. At ejusmodi conditionem, à quâ dependeat actûs à voluntate eliciti

ficati specificatio; esse cognitionem objecti, utpote actum ejusmodi in genere Causæ Formalis secundùm Quartum perseitatis modum *per se* terminativæ, ac *Finaliter* motivæ specificantis, *veluti superiùs ostensum est*. Consequens proinde est, Deum Essentias rerum mutare non potentem, non posse supplere talem conditionem, utpote *Essentialiter* necessariam; adeò ut ne Spiritus quidem Sanctus procedens ut Amor posset à Patre & Filio produci, nisi ex notitiâ sui, velut arguit Sanctus Anselmus in *Monol. cap. 48.* ex hoc evincens; intellectionis ad amorem prærequisitæ Essentialem, in ipsâ etiam Spiritûs Sancti processione æternâ fundatam necessitatem. Unde commune, necessitatis insuperabilis, ac veritatis invariabilis axioma emanavit, quòd nihil sit volitum, quin fuerit præcognitum (etiam formaliter) veluti etiam probant fundamenta *n. 3.* & *4.* proposita; si præsertim reducantur ad rationem ex actuum voluntatis specificatione desumptam, & per nos *n. 5.* deductam.

❊❊❊❊❊❊❊❊❊)(❊❊❊❊❊❊❊❊

CONTROVERSIA II.

Qualis debeat esse objecti notitia, prærequisita ad voluntatis operationem?

1\. PRima sententia Francisci Amici *cit. disp. 5. sect. 2. n. 34.* tenet; non repugnare, quòd voluntas *immediatè* moveatur ab objecto apprehenso solâ cognitione sensitivâ æstimativæ facultatis. Fundamentum est. Quotiescunque enim objectum fit intra sphæram potentiæ, potest potentia circa illud operari. At cùm voluntas sit appetitus universalis, sequitur, ipsam respicere omne bonum, cujus suppositum est capax. Unde cùm voluntas humana sit suppositi appetentis sensibilem delectationem, erit consequens, quòd objectum delectabile sensu apprehensum sit intra sphæram potentiæ volitivæ. Ergo circa illud ut sic poterit voluntas operari. Divo Thomâ *1. 2. q. 10. a. 3. ad 3.* attestante: quòd *voluntas non solùm moveatur à bono universali apprehenso per rationem, sed etiam à bono apprehenso per sensum.*

2\. Secunda sententia Scoti *in 2. dist. 3. q. 1. n. 4.* & *6.* Lycheti *ibidem comment. n. 7. & 9.* & aliorum asserit: solam de convenientiâ, aut disconvenientiâ apprehensionem non quidem sensitivâ, sed Intellectualem objecti sufficere ad movendam voluntatem. Huic tanquàm probabili accedit Ildephonsus Baptista *hic disp. 112. n. 199. & 205.* docens: ad illas quidem voluntatis operationes, quæ respiciunt aliquo modo efficacem Finis consecutionem, uti sunt intentio, electio, & usus, semper de necessitate supponi perfectum judicium consistens in secundâ intellectûs operatione, attamen ad voluntatis operationes, quæ non respiciunt objecti consecutionem, veluti ad simplicem volitionem, & ad motus subitos, sive sint omninò necessarij, sive imperfectè liberi, nec non quando voluntas fertur in impossibile; probabiliter sustineri posse, quòd sufficiat judicium imperfectum primæ operationis Intellectûs. Fundamentum est, Bonum intelligibile simplici intellectûs apprehensione cognitum non minùs potens est ad excitandam voluntatem, quàm Bonum sensibile simplici notitiâ sensûs apprehensum sit potens excitare appetitum sensitivum ad prosecutionem, vel fugam objecti apprehensi simplici apprehensione tanquàm convenientis, vel disconvenientis. Ergo etiam simplex apprehensio Intellectiva rei ut convenientis, vel disconvenientis, poterit movere appetitum rationalem ad prosecutionem, vel fugam.

Tertia sententia Cajetani *1. p. q. 63. a. 3. §. Ad Evidentiam.* Suarezij *Metaph. disp. 23. sect. 7. n. 9.* Bellarmini *lib. 3. de grat. & lib. arb.* Joannis à Sancto Thomâ *1. 2. in annotat ad quæ. 14. n. 8.* Ildephonsi Baptistæ *cit. disp. 112. n. 211.* docet; ad omnem voluntatis actionem de necessitate prærequiri Judicium Intellectûs perfectum, consistens in secundâ mentis operatione, neque sufficere primam Intellectûs operationem. 3.

Fundamentum ex Joanne à Sancto Thomâ *n. 9.* desumptum est. Quia voluntas & appetitus non solùm habent actum prosequendi & tendendi in objectum, sed etiam fugiendi. Unde debent discernere inter conveniens & nocivum, ne alias inter hæc non discernendo, ipsi appetenti nocerent. Hinc autem evincitur, oportere, quòd objectum ipsis debeat esse propositum, non per simplicem apprehensionem, sed cum discretione convenientis, aut nocivi. At ista discretio in brutis est ex instinctu naturæ, vi cujus ovis fugit lupum ex quodam judicio, quo existimat, sibi esse nocivum, ex S. Thomâ *1. p. q. 5. 9. a. 3.* In homine autem disconvenientis à convenienti discretio fieri debet per judicium unius ab altero discretivum.

CONCLUSIO.

NOn datur simplex apprehensio Boni quà convenientis sub Formali ratione appetibilitatis repræsentativa: atque adeò ad voluntatis actum de necessitate prærequiritur Judicium Intellectûs perfectum consistens in secundâ mentis operatione.

Probatur authoritate Aristotelis *3. de animâ. cap. 3.* taliter differentis. *Præterea cùm opinamur aliquid malum esse, atque terribile, continuò perturbamur: Similiter & cùm opinamur quidpiam esse tale, ut in illo sit confidendum: at cùm imaginamur talia, perinde afficimur, atque si in picturâ eadem spectaremus.* 4.

Cujus ratio à priori est. Nihil enim est appetibile nisi cum ordine ad Esse, vel inesse, veluti innuit Aristoteles *citatus* asserens; mala solùm imaginata, id est sine ordine ad *Esse*, vel *inesse* cognita, non movere appetitum. Unde Divus Thomas *1. p. q. 6. a. 3. ad 2.* ait: *Unumquodque esse Bonum, in quantum habet Esse.* Atqui cognitio Boni cum ordine ad *Esse*, vel *inesse* repræsentativa non est simplex apprehensio, sed judicium Compositionis. Nequit ergo simplex Boni, seu mali apprehensio movere appetitum, seu voluntatem; sed requiritur judicium spectans ad secundam mentis operationem. Veluti Sanctus Thomas super citatum Aristotelis textum *litterâ K.* concludit. *Hujus* autem, inquiens, *differentiæ ratio* 5.

est, quia appetitus non patitur, neque movetur ad simplicem apprehensionem rei, qualem proponit Phantasia, sed oportet, quòd apprehendatur sub ratione Boni, & mali, convenientis, vel nocivi. Et hoc facit opinio in hominibus componendo, vel dividendo: dum opinatur, hoc esse terribile, & malum, illud autem esse sperabile, vel bonum: phantasia autem non componit, neque dividit; patitur autem appetitus animalium ab æstimatione naturali, quæ hoc operatur in eis, quod opinio in hominibus.

6. Dices. Bruta non æstimare Bona cum ordine ad *esse*, vel *inesse*; cùm istud judicium sit proprium Intellectûs. Falsum proinde esse, quòd appetibile ut sic dicat Ordinem ad *Esse* vel *inesse*.

7. Contra. Nam cognitio Boni sub Ordine Essendi vel inessendi alia attingit Essendi vel inessendi rationem, non tanquàm rationem Formalem, sed *Materialiter* quà concretam cum ratione Formali cognitionis ejusmodi specificativâ. Ut sic autem Bruta ex instinctu naturæ, vel ex intrinsecâ naturæ suæ determinatione, vel ex speciebus à Causâ primâ inditis æstimant Bona & Nociva cum ordine ad *Esse* vel *inesse*, non eâ quidem ratione, quòd ista Essendi ratio sit de formali judicij æstimativi objectivâ ratione, sed quòd *Materialiter* se habeat ad rationem sensibilis habentis vim appetitûs sensitivi motivam, prout rationem Essendi vel inessendi in concreto *quasi Materialiter* includit. Alia proinde cog-
8. nitio Boni sub ordine ad *esse* vel *inesse* repræsentativa attingit Essendi rationem, quà Formalem suam objectivam rationem. Ejusmodi verò cognitio est ut sic intellectiva, tendens in Verum, quatenus Essendi rationem *Formaliter* habet imbibitam. At ista Intellectiva cognitio alia per modum simplicis intuitûs sine compositione fertur in res, uti sunt in se, secundùm Formalem Essendi rationem spectatas; cujusmodi cognoscendi modus est proprius Intelligentijs angelicis: alia verò fertur in objectum per modum Compositionis. Hic autem modus ita se habet, ut præsuppositâ objecti apprehensione primum Intellectûs humani Directivum, & cujuslibet rei sub ratione Essendi, vel non Essendi in abstracto repræsentativum principium moveat Intellectum ad objectum apprehensum, vel sub ratione *Essendi* per compositionem, vel sub ratione *non Essendi* per divisionem judicandum. Constat proinde, quòd in Intellectu humano cognoscente rem sub ratione Essendi, fiat Compositio Primi principij ad Intelligibile particulare. Ejusmodi verò compositio eo ipso arguit judicium spectans ad secundam mentis operationem. Cùm igitur Bonum quà appetibile importet ordinem ad *Esse* vel *inesse*; hic autem ordo nequeat esse intelligibilis nisi per judicium compositionis, consequens est, simplicem objecti apprehensionem non sufficere ad objecti quà appetibilis repræsentationem, sed requiri judicium spectans ad secundam mentis operationem.

Responsio ad opposita Fundamenta.

9. AD primæ sententiæ *n. 1.* oppositum Respondetur. Voluntatem habere commensurationem cum omni Bono, quatenus istud sub *Esse intentionali* vel est ipsius motivum; vel sub motivo proportionato ad finalizativam motionem est voluntati debitè applicatum, & proportionatum. At istud Esse intentionale voluntati quà potentiæ a materialitate depuratæ proportionatum non stare sub repræsentatione sensitivâ, sed intellectivâ duntaxat; Bonum sensibile elevante ad statum voluntatis depurato à materialitate Essendi modo proportionatum. Consequens proinde esse, quòd Bonum sensibile, quamdiu stat sub cognitione sensitivâ, nondum sit sub sphærâ potentiæ volitivæ, sed opus esse cognitione Intellectuali depurante, & ut sic elevante Bonum sensibile ad rationem Motivi voluntatis Finalizativi, & ut sic specificativi. In quo adeò sensu accipiendum esse Sanctum Thomam *in argumento opposito* adductum; Siquidem ibi solùm intendat, posse Bonum non Universale tantùm, sed etiam particulare sensu apprehensum, nullâ passione movente, Intellectûs tamen judicio Boni ejusmodi repræsentativo mediante, movere voluntatem, veluti consideranti contextum patebit.

Ad secundæ sententiæ *n. 2.* oppositum Fundamentum Respondetur. Nihil esse appetibile, nisi cum ordine ad *Esse* vel *inesse*. At licèt sensus sub quâdam sensibilis Boni concretione possit Bonum ejusmodi cum ordine ad existendum, vel inexistendum *quasi Materialiter* repræsentare; attamen Intellectum humanum non nisi ex principio Essendi rationis, tanquàm primi sui specificativi, ac Motivi Intelligibilis repræsentativo mobilem, non absque compositione, nec adeò sine judicio intelligere posse Bonum sub ordine *Essendi* vel *inessendi*: *veluti supra n. 5. ostensum est*. Consequens proinde esse, non posse Bonum quà appetibile repræsentari & proportionari appetitui voluntatis, nisi mediante judicio Intellectûs, cùm econtra appetitus sensitivus objecto sibi proportionato Bonum *sub Essendi ratione* non *Formaliter* quà motivâ, sed *quasi Materialiter* sub Boni sensibilis concretione respiciens, ex solâ imaginativæ virtutis apprehensione Boni ejusmodi taliter repræsentativâ moveri possit. Unde propositionem illam, quâ dicitur, *Bonum Intellectu apprehensum respectu voluntatis æquè, ac Bonum sensu apprehensum respectu appetitûs sensitivi esse potens movere*: intelligi debere non *secundùm absolutam*, sed *proportionalitatis æquiparantiam*, si nimirum ex parte Intellectûs Bonum voluntatis *Finalizativè* Motivum æquè ac ex parte sensûs imaginativi Bonum appetitûs sensitivi Movens sub Formalitate tum Voluntatis, tum appetitûs sensitivi specificativâ sit repræsentatum. Unde cùm ista voluntatis specificativa, & ut sic Motiva Formalitas non nisi per rationis judicium repræsentari possit, omninò dici debere, voluntatem non posse moveri à Bono per solam Intellectûs apprehensionem proposito. 10.

✽✽✽✽✽✽✽✽✽✽):(✽✽✽✽✽✽✽✽✽✽

CONTROVERSIA III.

Utrùm judicium voluntati prælucens debeat esse Practicum, vel sufficiat Speculativum?

1. SUarez *tract. 2. de actibus humanis disp. 6. sect. 5.* existimat; judicium sufficiens ad movendum voluntatem, respectu primi actûs perfecti, & absoluti eatenus debere practicum esse, ut non solùm judicetur, hanc rem esse in se bonam,

nam, & speculetur ejus perfectionem, sed etiam quasi applicet rem cognitam voluntati. Hoc autem fieri, cùm vel *Formaliter*, vel *Virtualiter* judicat, hoc objectum esse sibi & conveniens, &
2. possibile, & expedire illud amare. Extendit hanc doctrinam Ildephonsus Baptista *cit. disp. 112. n. 261.* affirmans: ad omnem in universum operationem voluntatis de necessitate requiri & praesupponi ex parte Intellectûs judicium practicum sive objecti, sive operationis.

3. Fundamentum est. Nam ille actus requiritur ad movendam voluntatem, qui applicat illi suum objectum. Atqui actus ille, quo aliquis *Speculativè* judicat, aliquid esse conveniens, vel bonum in se, non applicat illud voluntati, sed actus, quo judicat. hic & nunc esse conveniens illi. Hic verò actus est practicus. Ergo ad operationem voluntatis requiritur ex parte Intellectus Judicium practicum: Divo Thoma *in 1. 2. q 1. ad 2.* attestante, *quod Intellectus Speculativus non moveat, sed practicus.*

4. Ferrariensis *1. contra gentes. cap. 102. & ult. circa finem* distinguit, ita ut pro actibus voluntatis ad objecti consecutionem ordinatis requiratur Judicium practicum: pro actibus autem ad quietem in objecto jam consecuto ordinatis sufficiat judicium speculativum. Fundamentum est. Quia Beatitudo sive viae, sive Patriae est speculativa. At de ratione beatitudinis est, quòd moveat appetitum ad quietem in illâ, sive ad frutionem, & delectationem. Unde hic author Sanctum Thomam *supra* citatum exponit, quòd loquatur de actibus prosecutionis objecti adeptionem antecedentibus, non de actibus consequentibus objecti consecutionem.

Conclusio.

Ad actus voluntatis non semper requiritur practicum de objecto judicium; sed sufficit quandoque judicium speculativum.

5. Probatur. Ad hoc, ut Charitas Theologica *Appretiativè* super omnia diligat Deum, sufficit Divinae Majestatis appretiabilitatem infinitam, mediante actu fidei, esse voluntati repraesentatam. Haec autem appretiabilitas Dei per modum objectivae Bonitatis infinitae potest esse proposita, quin Intellectus *reflexè & signatè* judicet, actum charitatis hic & nunc eliciendum esse.

6. Imò ista appretiabilitas tanquàm Bonitas in se infinitè subsistens non debet sub expressâ & signatâ appretibilitatis ratione fuisse repraesentata voluntati; ut hujus sit *Finaliter* motiva & excitativa, sed ex se ipsâ sine ullo ad actum voluntatis ordine per Intellectum *signatè* expresso habet vim voluntatis Excitativam ad sui appretiationem & amorem. At talis Bonitatis Divinae repraesentatio est speculativa, non autem practica: siquidem ad judicium practicum non sufficiat, esse objecti vim *Finaliter* Voluntatis Motivam habentis expressivum, & manifestativum, atque ut sic voluntatis Excitativum, sed oporteat, esse actûs Directivum, ac modi, quo fieri debeat, repraesentativum. *uti 10. 1. q. 1. a. 2. cont. 5. ostendimus.* Consequens proinde est, voluntatem charitate Theologicâ instructam posse ex Bonitate Dei infinitâ per fidem expressâ *Finaliter* moveri ac excitari, nullo interveniente judicio practico, sed speculativo duntaxat: veluti Sanctus Thomas *in 3. dist. 23. q. 2. a. 2. ad 3.* clarè asseruit. *Quòd conjunctio intellectûs ad voluntatem non facit intellectum practicum, sed ordinatio ejus ad opus: quia voluntas communis est speculativo & practico. Voluntas enim est Finis: sed finis invenitur in speculativo & practico Intellectu.* 7

Dices. Intellectum practicum, non autem speculativum de mente Divi Thomae *1. 2. cit. a. 1 ad 2.* ideò non movere voluntatem, quòd sicut imaginatio formae sine aestimatione convenientis, vel nocivi non movet appetitum sensitivum, sic nec apprehensio Veri sine ratione Boni, & appetibilis possit movere. Ex quo proinde evincitur quòd Bonum sub ratione convenientis & appetibilis non repraesentetur per Intellectum quà speculativum, sed quà practicum. Atqui objectum non posse voluntatis esse *Finaliter* motivum, nisi sub ratione appetibilis. Ergo non ex speculativo, sed practico duntaxat Intellectu posse moveri voluntatem. 8

Contra. Nam uti vidère est apud S. Thomam *in corpore citati a. 2. dist. 23.* aliqua sunt objecta, quae ex se non habent dignitatem, vel utilitatem, nisi in ordine ad opus. Ejusmodi verò sunt virtutum moralium objecta, quae non ex se ipsis *praecisè & absolutè* spectatis, sed quatenus honestatis Formalis actui libero inexistentis sunt termini specificativi, habent appretiabilitatem, & appetibilitatem. Unde sub Formali ejusmodi appetibilitatis ratione non possunt ab Intellectu repraesentari voluntati, nisi cum ostensione modi, quo voluntas circa objecta ejusmodi secundùm rectae rationis honestatem versari debeat. At per se notum est, talem appetibilitatis rationem non ab Intellectu purè speculativo, sed practico esse ut sic repraesentabilem. De his ergo objectis procedit discursus Sancti Thomae *in 1. 2. supra* deductus. 9 10
Alia proinde sunt objecta ex se ipsis aestimabilia, ita ut ipsorum appetibilitas non sit ex respectu ad actum voluntatis, sed ista ex se ipsâ habeat respectu talis objecti *in se quoad intrinsecam suam dignitatem* spectati, commensurationem intrinsecam. Ejusmodi verò est Dei increata Bonitas, quae in se ipsâ habet appretiabilitatem, respectu cujus voluntas Charitate supernaturali instructa habet intrinsecam *in actu primo* inclinativam commensurationem. Consequens proinde est, respectu talis objecti non exigi, quòd sit ab Intellectu repraesentatum cum modo, quo voluntas circa ipsum agere debeat, sed voluntas vi charitatis Theologicae *in actu primo* intrinsecam cum ipso commensurationem habens, ex absolutae objecti ejusmodi appretiabilitatis fide supernaturali expressae ratione Motivâ habet vim in actu primo completam ad amorem Divinae Bonitatis fidei actu speculativo repraesentatae summè appretiativum eliciendum. Et hinc facilè patet responsio ad Ildephonsi Baptistae *n. 3.* oppositum argumentum: siquidem Divus Thomas *cit. a. 3. dist. 23. ad 3.* apertè arguat falsitatis, quòd Intellectûs, sive objecti per Intellectum expressi conjunctio, seu applicatio ad voluntatem, faciat intellectum practicum. Quare ejusmodi ad voluntatem applicatio Intellectualis tunc solùm est practica, si objecti non nisi in ordine 11

ordine ad moralem actum expetibilis fiat repræsentatio cum modo, quo circa tale objectum juxta moralis honestatis regulam sit eliciendus: cujusmodi equidem repræsentatio modi circa objectum operabilis expressiva fieri debet in objectis virtutum moralium, non autem Theologicarum. Consequens igitur est, ad virtutum Moralium, non autem Theologicarum exercitium de necessitate requiri judicium practicum. Verùm hujus aliqualem explicationem intelliges *ex cont. seq.*

CONTROVERSIA IV.

Qualiter consilium, & deliberatio præcedere debeat actus voluntatis?

1. Consilium secundùm Divum Thomam *hic q. 14. a. 1.* est quædam inquisitio de rebus agendis, seu eligendis. Cùm enim actiones sint circa singularia contingentia, quæ propter sui variabilitatem Intellectui humano sunt incerta; neque verò ratio in rebus incertis & dubijs proferat judicium absque inquisitione præcedente; idcirco ratio humana indiget inquisitione, quæ juncta judicio resolutorio ex tali inquisitione illato, sortitur nomen consilij ac deliberationis. Et hinc est, quòd Electio humanorum agendorum à Philosopho *3. Eth. cap. 3.* dicatur esse appetitus præconsiliati. De quâ proinde consultivâ inquisitione, ac deliberatione procedit hîc difficultas: *An præcedere debeat voluntatem, non mediorum duntaxat Electivam, sed finis quoque determinativam?*

2. Difficultatem enim movent diversi in speciem repugnantes Divi Thomæ textus. Hic enim Sanctus Doctor *1. 2. q. 6. a. 2.* concludit in hæc verba: *Perfectam igitur cognitionem finis sequitur voluntarium secundum rationem perfectam, prout scilicet apprehenso fine, aliquis potest deliberans de fine & de his, quæ sunt ad finem, moveri in finem, vel non moveri.* Quibus adversari videtur ejusdem Angelici Doctoris *præs. q. 14. a. 2.* doctrina hisce verbis deducta. *Finis in operabilibus habet rationem principij, eò quòd rationes eorum, quæ sunt ad Finem, ex Fine sumantur: Principium autem non cadit sub quæstione, sed principia oportet supponere in omni inquisitione, Unde cùm consilium sit quæstio, de fine non est consilium, sed solùm de his, quæ sunt ad Finem.* In hâc igitur apparente verborum Divi Thomæ contradictione conciliandâ variæ extant opiniones, prout mox patebit.

Referuntur Doctorum Sententiæ.

3. Medina *in cit. q. 6. a. 2. §. prima quæstio.* tenet, de Fine ultimo non posse quidem dari deliberationem, & consultationem, sed de finibus intermedijs, utpote respectu Finis Ultimi habentibus rationem mediorum.

4. Aliqui apud Ildephonsum Baptistam *præs. disp. 152. n. 3.* docent, non posse quidem dari consilium circa Finem quoad specificationem, sed quoad exercitium, *debeatne homo nunc exerceri circa finem, nec ne?*

Vasquez *hic disp. 45. n. 1.* nomen deliberationis sub aliquâ æquivocatione accipit, ita ut quandoque supponat pro consultatione, quæ est cum inquisitione, quandoque verò pro liberâ voluntatis ad unam partem determinatione. 5. Juxta quam adeò æquivocationem, ait author *citatus*, verificari, quòd deliberatio non in sensu priori, sed posteriori duntaxat sit circa Finem.

Martinez *dictâ q. 6. a. 2. dub. 1. in 3. exposit.* arbitratur, quòd deliberatio, licèt non possit esse de fine in se considerato, bene tamen de fine secundùm quod reperitur in medijs, ita ut consultatio non sit de convenientiâ Finis, sed de acquisitione ejus idoneâ, & accommodatâ, utrùm expediat illum assequi hoc vel illo medio. 6.

Ioannes à Sancto Thomâ *in 1. 2. disp. 3. a. 2. n. 29.* ait, dupliciter intelligi posse, quòd deliberatio sit de fine; 1. Quatenus deliberans de fine deliberatione quasi initiativâ, de medijs autẽ deliberatione consumatâ & perfectâ, possit moveri vel non moveri in finem, libertate contradictionis & exercitij. 2. Quatenus possit aliquis deliberare de fine, non quantum ad ipsam rationem formalem Finis in communi, & *Formaliter* sumpti, prout est Bonum conveniens; siquidem Bonum ut sic cùm sit Formalis ratio appetendi, omnes appetant sine deliberatione: sed quantum ad finem *Materialiter* spectatum: cùm non simus semper certi, sed possimus dubitare, & consequenter inquirere ac deliberare, in quâ re inveniatur talis Finis. 7.

Ildephonsus Baptista *cit. disp. 152. n. 16. & 27.* eatenus negat, dari consilium circa finem quà finem in particulari etiam materiâ spectatum, ut asserat; dum quis in ordine ad honestatem temperantiæ consiliatur de tempore, quantitate, ac qualitate comestionis; tales circumstantias se habere tanquàm media ad honestatem Temperantiæ consequendam. 8.

Concluiso I.

Secundùm quid *cum addito Initiativè & Originativè* dici potest Deliberatio esse de fine.

Probatur. Nam eo ipso, quòd finis in operabilibus habeat rationem principij, oportet, deliberationis de mediorum ad finem utilitate ac eligibilitate inquirentis originem eatenus trahi ex Fine, ut ex hujus naturâ regulari debeat mediorum consultatio. Consequens proinde est, dici posse, quòd consultatio *Originativè* seu *Initiativè* sit de , vel potiùs ex Fine præintento. 9.

Dices. Hinc videri sequi, quòd ratio mediorum consiliativa non tam *ordine Resolutorio*, quàm *Compositivo* procedat. At consequens apertè pugnare cum Divo Thomâ *præs. q. 14. a. 5.* Probatur sequela Majoris. Nam procedere à Causis in effectus, est processus Compositivus, eò quòd Causæ sint simpliciores effectibus. Cùm igitur ratio consultativa originetur ex Fine tanquàm causâ, & hinc progrediatur ad eligenda media tanquàm effectus ex Finalizativâ motione procedentes, consequens est; rationem consiliativam procedere *modo Compositivo*, non autem *Resolutorio*, siquidem hujus sit, effectus resolvere in suas simplices Causas. 10. 11.

Contra-

12. Contra. Nam rationis ordo tam Compositivus, quàm Resolutorius respiciunt viam Physicæ Executionis ponentis effectus in esse rei, non autem viam intentionis moventis secundùm allicientiæ causalitatē duntaxat moralem, uti innuit S. Doctor art. 4. & 5. Atqui secundùm executionis seu physicæ causalitatis efficientiam Finis semper se habet ad media tanquam effectus.
13. Neque verò consultatio respicit Finem pro viâ intentionis, sed quà realiter efficiendum, seu actu consequendum viâ executionis, importante physicam Efficientiæ causalitatem. Etsi proinde consultatio in viâ intentionis originetur ex Fine, cùm tamen ille *in viâ Executionis* ad media se habeat tanquam effectus, nec consultatio respiciat Finem *pro viâ intentionis*, sed quà *Executivè* adipiscendum, consequens est; ordinem Consultationis procedere de medijs tanquàm Causis ad finem ceu effectum, atque adeò tenere processum *Resolutorium*, non autem *Compositivum*. ex Divo Thomâ *citato*.

Conclusio II.

Simpliciter & absolutè loquendo negari debet. de fine quà tali *reduplicativè* spectato dari consultationem, sed prout *specificativè* sumptus induit rationem medij.

14. Probatur. Nam Finis comparatur ad voluntatem prout *Formaliter* importat rationem Bonitatis, & convenientiæ. Ateo ipso, quod ratio Bonitatis, & convenientiæ ut sic *Formaliter* appetibilis *in Quarto perseitatis modo* sit voluntatis specificativa, oportet; voluntatem habere intrinsecam & Essentialem commensurationem cum Bono quà tali, atque adeò cum Fine *Formaliter* spectato; utpote ut sic convertibili cum Bono *simpliciter* spectato. Est autem per se notum, non dari consultationem seu inquisitionem consiliativam de objecto, respectu cujus ut sic habet voluntas intrinsecam commensurationis Essentialis determinationem. Consequens proinde est, de Fine *Formaliter* quà Fine non dari consultationem.
15. Dices. Hoc argumentum non tam procedere de Finibus intermedijs, quàm de Fine ultimo *Formaliter* considerato, siquidem ad hunc *præcise* sit intrinseca voluntatis determinatio.
16. Contra. Nam Finis intermedius *Formaliter* spectatus importat Bonitatem ex se appetibilem, non *plenè* tamen satiativam Voluntatis. Etsi verò Bonitas *propter se* expetibilis, nec tamen *plenè* satiativa voluntatis, nequeat hanc determinare *Quoad exercitium*, voluntas tamen est ad illam *intrinsecè* determinata *quoad specificationem*. At vero in actu per allicientiam Finis excitato *quoad illam exercitij* ac *specificationis determinationem* ea est differentia; ut actus ejusmodi *quoad specificationem* procedat ex Fine quà tali; *Quoad exercitium* verò ex Efficientiâ voluntatis. Etsi proinde voluntas respectu Finis intermedij non sit determinata in ratione Causæ Efficientis *quoad exercitium*, quia tamen determinatio specificationis in voluntate est ex Fine etiam intermedio, tanquàm Formali specificativo, consequens est; voluntatem respectu talis Finis *Formaliter* spectati nullam habere indifferentiam, nisi *quoad exercitium Materialiter se habens* ad rationem Finis. Atqui objectum consultationis debet esse indifferens, & contingens, non verò ex natura sua determinatum. Cùm igitur Finis etiam intermedius *Formaliter* spectatus in ratione Motivi *secundùm Quartum perseitatis modum* voluntatis *Formaliter* specificativi sit determinatus, nequit de tali Fine *quà Formaliter* Fine haberi deliberatio, seu consultatio.

17. Instabis. Ipsum etiam ultimum Finem *Formaliter* consideratum ab intellectu repræsentari voluntati per modum Numinis superioris plenè satiativi mentis creatæ. Hoc autem Numen superius vi luminis naturalis repræsentari in omni actione morali. At non obstante ista repræsentatione, posse voluntatem deficere ab isto Numine, se convertendo ad Bonum commutabile, ac sensibile. Ergo voluntati respectu Finis etiam ultimi *Formaliter* spectati quà comparati ad sensibile Bonum, subesse quandam indifferentiam deliberationi obnoxiam. Ergo posse dari consultationem de Fine ultimo etiam *Formaliter* spectato.
18. Contra. Nam voluntatis creatæ in appetitûs sensitivi & naturæ defectibilitatem connaturalis immersio facit, ut Numen mentis creatæ satiativum nunquam repræsentetur, nisi cum aliquâ Boni sensibilis, seu commodi naturalis defectibilitate. At ejusmodi defectibilitas est minus est retrahens voluntatem a Numinis illius prosecutione, ut illud ipsum Numen de se *plenè* satiativum, respectu prosecutionis in *actu exercito* faciendæ induat aliquam rationem mali naturæ quà Defectibili, seu sensualitati oppositi. Ex hâc autem conspersione fit, quod Numen illud de se *plenè* satiativum non jam *Formaliter præcisè in se ipso* spectetur, sed *Materialiter* secundum aliquam sui cum Naturæ Defectibilitate concretionem. At verò ejusmodi conspersio, seu concretio coincidit in omni hujus vitæ moralis actionis exercitio: ut adeo nullus etiam ultimus Finis sub præcisâ suâ Formali ratione sit considerabilis respectu moralis in individuo spectatæ actionis, quin ex materiali quâdam concretione induat quandam non *Exercitij duntaxat*, sed etiam *specificationis* indifferentiam, ut sic deliberationi & consultationi obnoxiam. Quamvis ergo verum sit, Finem præsertim ultimum *Formaliter* spectatum non subesse consultationi, *practicè* tamen & in concreto respectu actionis quà individuæ contingit, quemlibet Finem in hâc vita, ubi corruptibilitas est animam seu mentem aggravans, subesse alicui concretioni materiali, atque adeò Finem ejusmodi, & à fortiori Fines Intermedios *Materialiter* spectatos subdi deliberationi. Atque hinc facile patet, quid ad singulas *à n.* 3. expositas sententias respondeti possit.

CON-

CONTROVERSIA V.

In ordine ad quos actus voluntatis, & qualiter ex parte Intellectûs prærequiratur actus imperij?

1. TRiplex hîc latet difficultas, prima. *An Imperium sit actus Intellectûs, vel Voluntatis?* Nam Heinricus *quodlib. 9. q. 6.* Ocham *in 3. q. 12. a. 4. concl. 3.* & alij existimabant, esse actum voluntatis. Fundamentum est. Nam imperium est actus Dominij: imperando enim, Dominium exercetur. Atqui Intellectus practicus secundùm Aristotelem *3. de anima. tex. 46.* non est Dominus motûs, sed solus appetitus rationalis, sive voluntas. Ergo imperium est actus voluntatis, attestante Divo Augustino *lib. 8. confess. cap. 9. quòd voluntas sit, quæ imperat.*

2. Econtra Divus Thomas *præs. q. 17. a. 1.* Cajetanus *ibi.* Vasquez *disp. 49. cap. 2.* Amicus *disp. 11. n. 9.* Ildephonsus Baptista *disp. 146. à n. 19.* Ioannes a Sancto Thomâ *disp. 17. n. 2.* sentiunt, Imperium *Formaliter* esse actum Intellectûs, *Præsuppositivè* autem importare actum voluntatis. Fundamentum per Ioannem à S. Thomâ *cit. a. 2. n. 8.* deductum est. Quia voluntas quantumcunque efficaciter aliquid velit, non potest exercere imperium, nisi dirigendo ad alterum, & manifestando, quid ipsa velit, ita quòd res imperata primò quidem debeat esse volita per electionem, & sic volita, ut ipsa voluntas impetum faciat ad actionem seu executionem; Sed tamen ut iste impetus & volitio efficax deferatur ad alias personas, vel ad alias potentias in eâdem personâ, indiget manifestatione, ac denunciatione dicente; *Fac hoc.* Sic enim appetitus sensitivus moveri non potest, nisi Imaginativa ei proponat, eumque dirigat, atque adeò debet manifestari imaginationi, ut moveatur appetitus, & consequenter potentiæ v. g. locomotiva, ab appetitu dependentes. At verò imperium est medium, seu instrumentum, quo voluntas facit impetum ad executionem, quæ per alias potentias, vel personas facienda est. Ergo tale imperium *substantialiter* & *Entitativè* exercetur mediâ manifestatione, & dictamine de eo, quòd voluntas vult fieri: Manifestatio autem & dictamen est actus rationis. Ergo id, quod materiale & substantiale est in imperio, pertinet ad Intellectum, licèt *Motivè* & *Originaliter* à voluntate incipiat.

3. Secunda difficultas est. *An detur imperium sui ad se ipsum, vel ad extraneum duntaxat suppositum?* Etenim Vasquez *cit. disp. 49. cap. 4.* & Amicus *cit. disp. 11. n. 24.* tenent: imperium in eodem homine respectu sui ipsius, nullius esse utilitatis & efficaciæ. Fundamentum est. Nam si quæ imperij ad inferiores ejusdem suppositi potentias movendas esset efficacia, hæc motio esset *quoad Exercitium*, vel *quoad specificationem*. At primum movens *quoad exercitium*, teste Divo Tho. *1. 2. q. 9. a. 1.* est voluntas: Intellectus autem est solùm primum movens *Quoad specificationem*, hoc est, quoad propositionem objecti, & directionem. Ejusmodi verò directio sufficienter fit per judicium consultationis Electionem antecedens: ut sic enim sufficienter diriguntur operationes *quoad specificationem*. Quare imperium respectu inferiorum ejusdem suppositi potentiarum videtur superfluum.

Econtrario stant plerique Theologi, Thomistæ præsertim, cum suo Angelico Doctore *præs. q. 17. a. 3. & 3. ad 2. & 2. 2. q. 83. a. 1.* ubi ait: *Ad rationem pertinet imperare non solùm potentijs inferioribus, atque membris corporis, sed etiam alijs hominibus subjectis.* Fundamentum ab Ildephonso Baptistâ *disp. 166. n. 97.* deductum est. Contingit enim aliquando, quòd benè consiliantes & judicantes, ac insuper eligentes non exequantur opus: difficultate, vel passione impediente. At si illa principia, quæ concurrunt ad rectè consiliandum, rectè judicandum, & rectè eligendum, non sufficiunt ad hoc, quòd cum effectu voluntas exequatur medium per usum, oportet aliud adhuc principium adstruere scilicèt imperium. Hinc enim Aristoteles & cum ipso Sanctus Thomas *2. 2. q. 51. per totam*, præter Eubuliam, quæ est rectè consiliativa, & Synesim ac Gnomim, quæ sunt rectè judicativæ, ac singulas virtutes, quæ in propriâ materiâ sunt rectè electivæ, superaddunt prudentiam ad rectè imperandum: cùm aliàs homo non haberet omnia principia necessaria, ut rectè operaretur. 4.

Tertia difficultas. *Quis actus rationis sit imperium, & ad quem voluntatis actum prærequiratur?* Nam Heinricus *quodl. 4. q. 1.* & Major *in 3. dist. 33. q. 7.* existimantes, imperium consistere in judicio Intellectûs, consequenter ad omnem voluntatis actum, ad Finis etiam intentionem, ac Mediorum Electionem prærequirunt imperium. Fundamentum est. Imperium in Deo non est distinctum à Iudicio practico: Deus enim causat res creatas per imperium: est enim causa rerum per scientiam practicam, quæ consistit in judicio practico, adjunctâ voluntate. At verò ratio imperij ejusdem *saltem Analogicè* rationis Essentialis est in Deo, ac homine. Ergo etiam in homine imperium *Realiter* & *Formaliter* est judicium practicum. 5.

Ex opposito Ildephonsus Baptista *disp. 165. n. 62.* ex communi Doctorum sententiâ negat, imperium esse eidem, quod judicium practicum, sed consistere in hoc dictamine, seu locutione mentali. *Fac hoc.* Fundamentum est. Nam habitus specificantur, & distinguuntur per actus, quos producunt. At licèt ad prudentiam, prout integram rationem, virtutes annexas, ceu partes sui integrales, sive potentiales includentem dicit, pertineat consiliari, judicare, & præcipere, attamen loquendo *de prudentiâ* secundùm quod est habitus virtutis ab annexis suis partibus potentialibus distinctus, ut sic ad ipsam pertinet dùntaxat præcipere, ad *Eubuliam* verò rectè consiliari, ad *Synesim* rectè judicare secundùm principa ordinaria, & ad *Gnomim* secundùm principia extraordinaria. Cùm igitur imperium sit actus prudentiæ *specificè* sumptæ, judicium verò practicum spectet, tum ad *Synesim*, tum ad *Gnomim*, consequens est, Imperium non consistere in judicio practico. 6.

Conclusio I.

IMperium *Formaliter* ac *ſubſtantialiter* eſt actus Intellectûs, *Originativè* verò & *Motivè* & *quoad Efficaciam Completivè* dicit actum voluntatis.

7. Probatur. Ea enim eſt ſubordinatio inferiorum animæ potentiarum ad voluntatem, ut hæc tamen non agat in ſenſus exteriores, ac membra corporis, niſi mediante appetitu ſenſitivo. At quemadmodùm appetitus ſenſitivus nequit agere in voluntatem, niſi mediante objecti per Intellectum propoſiti repræſentatione, ſic voluntas non eſt Motiva appetitûs ſenſitivi, niſi mediante imaginatione, vi cujus ad appetitum ſenſitivum fiat objecti proportionata applicatio. Ea verò ſuperioris animæ portionis ad inferiorem ſenſitivam partem eſt coordinatio, ut voluntatis placita non deferantur ad ſenſum imaginativum, niſi prius ſint Intelligibiliter expreſſa in intellectu, atque ex hac poſtea expreſſione Intelligibili excitentur in ſenſu interiori ſpecies conceptuum in Intellectu formatorum ſub ſignis aliquibus repræſentativæ: ſic enim quos Intellectus in ſe Intelligibiliter format conceptus, ſub certi alicujus ſenſibilis idiomatis vocalibus figuris ſtatim efformantur in vi imaginativâ. Conſtat proinde, ad hoc, ut voluntatis placita mediante ſenſûs imaginativi intimatione applicentur appetitui ſenſitivo, opus eſſe eorundem intelligibili expreſſione, ſine quâ proinde intimatione, ſeu expreſſione intelligibili nequit ſubſiſtere eſſentia imperij, utpote cujus formalis ratio ſit voluntatis ſuper omnes animæ potentias Dominatum tenentis placita intimare. Et hinc Divus Thomas *2. 2. q. 47. a. 8.* *prudentiæ* dixit *eſſe actum præcipiendi.* Nihilominus illa Intelligibilis placitorum voluntatis expreſſio eatenus in ſenſu interiori eſt excitativa ſpecierum talis intelligibilis conceptionis, ſub idiomatis alicujus ſenſibilibus ſignis repræſentantium, & ut ſic placitorum voluntatis ad appetitum ſenſitivum applicativa, ut illa ipſa tamen Intelligibilis expreſſio ex Intellectu non habeat vim ac efficaciam appetitûs ſenſitivi *quoad exercitium* motivam, ſed iſtam emendicare debet ex impreſſione voluntatis; *uti ſeq. quæſt. a. 2. conc. 2.* dicetur. At verò de ratione imperij eſt eatenus eſſe intimationem placiti ex ſuperiore in inferiores Dominatum poteſtate emanantis, ut ſimul habeat efficaciam *Phyſicè*, vel *Moraliter* determinativam ad actûs imperati exercitium.

8. Conſequens proinde eſt, illam Intelligibilem expreſſionem non niſi ſub aliquâ per voluntatis motionem ſibi impreſsâ efficaciâ ſortiri rationem imperij. Cum igitur potentiæ noſtræ exteriores non ſint à voluntate mobiles, niſi mediante appetitu ſenſitivo, hic verò ad ſui actûs exercitium exigat objecti repræſentationem in Imaginativâ vi efformatam: hæc autem per Imaginativum ſenſum efformata placitorum voluntatis ſub ſignis ſenſibilibus repræſentatio non fiat niſi mediante Intelligibili eorundem placitorum expreſſione, iſta verò vim ac efficaciam appetitûs ſenſitivi *quoad exercitium* motivam accipiat ex impreſſione voluntatis, conſequens eſt; imperium, prout habet efficaciam inferiorum potentiarum *quoad exercitium* motivam *Originativè* ac *Motivè* & *quoad Efficaciam Completivè* eſſe ex voluntate, licèt *Formaliter* & *ſubſtantialiter* conſiſtat in actu Intellectûs. Et hinc facilè patet reſponſio ad fundamenta ex parte primæ difficultatis *n. 1. ac 2.* deducta.

Conclusio II.

IMperium non ad Extrinſeca duntaxat ſuppoſita, ſed ad proprij ſuppoſiti potentias movendas habet vim & efficaciam.

Probatur. Nam ſuppoſitâ perfectâ medio- 9.
rum, quoad omnes ex parte Intellectûs conſiderabiles convenientiæ, ac diſconvenientiæ in ipſo etiam exercitio actûs occurrentes rationes, factâ conſultatione omninò reſolutoriâ, ac inde ſecutâ Electione, poteſt adhuc ſtare vehemens paſſio ex parte appetitûs ſenſitivi, aut ex parte potentiæ executricis difficultas, ac infirmitas ipſum etiam appetitum ſenſitivum ab executione retrahens. Vi autem hujus difficultatis, ſeu paſſionis circa executionem in appetitu ſenſitivo, & conſequenter in potentiâ Executrice viget reſiſtentia quædam haud ſuperabilis per conſultationem. Quare nulla pro tali reſiſtentiâ vincendâ tunc valere poteſt vis, niſi ex voluntatis ſuper inferiores potentias Dominatum habentis efficaciâ. Hæc autem non poteſt deferri ad appetitum ſenſitivum, & conſequenter ad potentias exteriores, niſi mediante intimatione placiti ex voluntate emanati intelligibili expreſſione, delatâ ad ſenſum imaginativum, & in hoc ſub ſenſibilibus ſignis repræſentatâ, atque ut ſic ad appetitum ſenſitivum applicatâ, cum quâdam per voluntatis impetum impreſsâ efficaciâ, appetitûs & potentiæ executricis *quoad exercitium* motrice. At verò illa placiti voluntatis expreſſio intelligibilis ex voluntatis impreſſione efficaciam ſortita habet rationem imperij; *uti patet ex præced. concl.* Patet igitur, dari imperium non tantùm reſpectu Extraneorum, ſed reſpectu potentiarum proprij etiam ſuppoſiti. Et hinc facilè patet reſponſio ad fundamenta circa ſecundam difficultatem *n. 3. & 4.* deducta: etſi enim ſola voluntas ſit inferiorum ejuſdem ſuppoſiti potentiarum *quoad Exercitium* motiva; hæc tamen motio ad appetitum ſenſitivum, & conſequenter ad potentias executrices non defertur niſi mediante Imperio, rationes tum conſiliativam, tum judicativam Eubuliæ ac Syneſis proprias ſubſequente, ac *Formaliter* ſpectante ad prudentiam.

Conclusio III.

IMperium realiter Formaliter eſt diſtinctum à judicio practico intentionem Finis, vel etiam Electionem mediorum antecedente, nec ad iſtos voluntatis actus, ſed ad uſum prærequiritur.

Probatur. Sicut enim in Intellectu Divino 10.
alia *Virtualiter* eſt ratio effectuum qua Factibilium, ſub præciſo adeò poſſibilitatis ſtatu repræſentativa: alia verò ratio eſt eorundem effectuum ſub actuali per Divinam voluntatem præfinito *Eſſe*, ſub ſtatu adeò Exercitæ Exiſten-

tiæ expressiva: sic in humano Intellectu alia ratio practica est mediorum Fini præintento congruorum sub præciso utilitatis, ac eligibilitatis statu repræsentativa, alia verò mediorum liberâ Electione determinatorum est expressiva sub actuali executionis faciendæ exercitio. At verò hujus duplicis practicæ rationis differentia est, quòd prior habens formalitatem Iudicij practici sit motiva voluntatis *quoad specificationem duntaxat*, ut sic spectans ad virtutem rectè Consiliativam & judicativam, cujusmodi sunt Eubulia, Synesis, ac Gnome: posterior autem ex voluntatis à se ipsâ determinatæ *quoad Exercitium* motrice virtute dimanans, ac vim appetitûs sensitivi Motivam habens sortiatur Formalitatem Imperij, pertineatque adeò ad virtutem præceptivam, cujusmodi est prudentia *specificè* sumpta. Constat igitur, actum Imperij realiter Formaliter distingui à Iudicio practico, mediorum Consultativo ac Iudicativo. Unde etiam facilè patet responsio ad fundamenta *n. 5.* & *6.* deducta.

QUÆSTIO SEXTA
D E
ACTIBUS VOLUNTATIS.

1. CTUS voluntatis distingui solent in Elicitos, qui *Vitaliter Efficienter* ex voluntate emanant *immediatè*: ac Imperatos, qui mediante imperio voluntatis ab hâc dimanant *mediatè*. Quod proinde duplex actuum genus duobus articulis expediemus.



ARTICULUS I.
D E
Voluntatis actibus Elicitis.

2. VOluntatis actus eliciti alij versantur circa Finem, nempe Volitio simplex Finis, Intentio efficax, & Fruitio, seu Delectatio: alij verò versantur circa media, Consensus nimirum, & Electio, quam ex parte Intellectûs præcedit Consultatio, ac U-
3. sus, cui præit Imperium. Nam 1. potest voluntas ferri in Bonum sine respectu ad assecutionem, quo modo se habet inefficax Boni pro-
4. secutio, seu simplex Finis volitio. 2. Finis quà assequibilis potest intendi, quin priùs ex parte Intellectûs media tali assecutioni necessaria sint determinata: cujusmodi intentio eatenus efficax est, ut sit etiam excitativa Intellectûs ad mediorum consultationem, *Inchoativè* sitam in mediorum inquisitione, *Consummativè* verò ac *Terminativè* in judicio resolutoriè enuntiativo
5. mediorum Utilitatis. 3. Huic Consultationis Iudicio succedit in Voluntate consensus, tanquàm Complacentia mediorum ad Finem con-
6. ducibilitatis approbativa. Hinc 4. Iudicio utilitatis mediorum voluntati per consensum jam aliqualiter inclinatæ prælucente, fit me-
7. diorum Electio. 5. Isti succedit Imperium *Motive* ac *Originativè* procedens ex voluntate, sed
8. *Formaliter* residens in Intellectu. Exinde 6. subsequitur Usus, *active* applicans alias potentias ad operandum. 7. Denique ex Finis per mediorum 9.
executionem actuali consecutione resultat Fruitio, seu voluntatis quietatio in Fine adepto.

De hisce proinde actibus moveri hîc pos- 10.
sunt controversiæ. 1. *Quomodo se ad invicem habeant Intentio, Consensus, ac Electio?* 2. *Utrùm ex duobus bonis possit voluntas eligere minus bonum, vel æquale?* 3. *Utrùm dari possit Electio circa impossibilia?* 4. *Qualiter usus se habeat ad Electionem & imperium?* 5. *Qualis actus sit fruitio?* 6. denique, *Utrùm actus versantes circa eundem finem sint ejusdem speciei?*



CONTROVERSIA I.
Quomodo se ad invicem habeant Intentio, Consensus, ac Electio?

DIffert intentio à voluntate simplici Fi- 11.
nis, quod hæc sit de fine absolutè spectato, sine ordine ad assecutionem: cum econtra intentio nunquam efficax voluntas sit de fine, ut assequibili, atque adeò versetur circa Finem *Comparativè* ad media. De quâ proinde intentione Divus Thomas *præs. q. 12. a. 2. 3. & 4.* docet, tum quòd sit de fine non tantum Ultimo, sed etiam intermedio, siquidem non sit circa Finem per modum quietis, sed per modum motûs & assecutionis, in motu autem non solùm tendatur ad Ultimum, sed etiam ad intermedium terminum: tum quòd voluntatis intentio possit simul ferri in multa sive subordinata Finem scilicet Ultimum ac intermedium, sive non subordinata unum alteri præeligendo, quatenus ad plura valet, tum quòd intentio Finis possit esse idem actus cum voluntate ejus, quod est ad Finem.

Ex quo adeò postremo effato hîc oritur difficultas, *Qualiter intentio distinguatur ab Electione mediorum, & consequenter à consensu?*

Conclusio.

INtentio, Electio, & Consensus inter se realiter inadæquatè distinguuntur, seque adeo habent ad invicem ut termini Excedentes ac Excessi.

12. Probatur. Nam prælucente cognitione Finis quà assequibilis per media distinctè cognita, potest voluntas eodem actu simul moveri in Finem & media. Tunc autem idem actus habet rationem intentionis prout Efficaciter fertur in finem, habetque rationem consensûs ac Electionis, prout determinatè fertur in media.

13. Alius proinde casus evenire potest, ut honestate Finis quà assequibilis repræsentatâ, nullum mediorum Finis assecutioni efficaci conducibilium *distinctè*, sed *confusè* tantum sit voluntati propositum, vel hoc varijs affectum difficultatibus deliberatione discuti debeat. Tunc igitur subsistere potest efficax intentio Finis antecedenter ad medij alicujus electionem, debetque adeo intentio secundùm Divum Thomam *cit. a. 4.* realiter distingui ab Electione, siquidem ista sit Formalis motio in media, ille verò actus intentionis sit motio tantùm virtualis

14. erga media. In tali porro casu contingere potest, ut præsuppositâ intentione, ratio consiliativa unicum pro fine consequendo medium proponat, atque tunc voluntas ex efficaciâ & impetu intentionis procedit ad Electionem absque prævio consensu medij approbativo, sed iste coincidit cum Electione. ex Divo Thomâ *q. 15. a. 3. ad 3.* Quòd si verò ratio consiliativa plura Finis assecutioni conducibilia media proponat, tunc voluntas antecedenter ad ad Electionem potest de horum utilitate habere complacentiam, quam eo ipso realiter oportet distingui ab Electione, quòd ista unius ex pluribus medijs sit determinativa: Consensus verò sit Complacentia plurium approbativa, antecedenter ad unius præ alijs electionem, ex Sancto Doctore *citato.* Constat igitur, aliquam intentionem realiter indistinctam esse à medij consensu ac Electione, aliam verò ab hac distingui realiter: insuper Electionem aliquam ab intentione distinctam realiter non distingui à consensu, aliam verò ab isto esse à parte rei distinctam.

CONTROVERSIA II.

Utrùm ex duobus bonis eligere possit voluntas minus bonum, vel æquale?

1. NOn procedit difficultas 1. de Bono *Materialiter*, sed *Formaliter* spectato, prout vestitum est objectivâ convenientiæ ratione, ut sic motivâ voluntatis. Neque 2. difficultas est de hoc, quod voluntas relicto meliori, possit eligere minus saltem *mediatè*, movendo scilicet Intellectum, ut novo modo consideret ac inquirat convenientiora motiva, sub quibus id, quod prius erat minus Bonum, repræsentetur *formaliter* majus Bonum,

Difficultas igitur per Joannem à Sancto Thomâ *præs. disp. 6. a. 2. n. 5.* exposita in eo se tenet. *An scilicet propositis duobus Bonis, non solum secundùm se, sed ex parte Iudicij ac dictaminis æqualibus, aut altero minore; possit voluntas non mutato Iudicio, nec novo motivo proposito, neque novâ initâ consultatione, solum ex se, ac ex suæ libertatis exercitio eligere tum æquale, tum minus bonum Formaliter etiam sub minori motivo spectatum.* 2.

Referuntur Sententiæ.

AFfirmant Richardus *in 2. dist. 38. a. 2. q. 4. ad 3.* Major *q. 1. §. ad primum istorum.* Suarez *in Metaph. disp. 19. sect. 6. n. 13.* Amicus *præs. disp. 9. n. 11.* Salas *hic tract. 6. disp. 1. sect. 5. q. 9.* 3.

Fundamentum est 1. Quia Deus non necessariò eligit id, quod melius est, sed relicto Incarnationis Divinæ ad redimendum genus humanum remedio, potuisset medium minùs conveniens eligere sub æquali perfectionis quà Independentis motivo. 2. Eo ipso, quòd voluntati proponatur aliquod Bonum, quà limitatum, habet voluntas circa illud libertatem non tantùm exercitij, sed etiam specificationis. Atqui licèt Bonum particulare sit propositum quà melius altero, potest adhuc repræsentari quà limitatum. Ergo voluntas circa illud retinebit libertatem tam Exercitij, quàm specificationis; poteritque adeò tale objectum respuere etiam positivo nolitionis actu. At repudiato tali objecto, poterit hoc ipso voluntas se convertere ad alterum minus bonum. Ergo voluntas potest eligere minus Bonum, repudiato majori Bono.

Econtrario negant Capreolus *in 1. dist. 25. a. 3. ad 2. concl. 1.* Caietanus *q. 13. a. 6.* Vasquez *disp. 43. cap. 2.* Ioannes à Sancto Thomâ *cit. a. 2.* Ildephonsus Baptista *disp. 198. n. 160.* asserens, loquendo de judicio Bonitatis medij *Absolutè*, id est, non solùm secundùm quod desumitur ex ipsâ utilitate medij ad Finem, sed ex quâcunque circumstantiâ, vel ratione extrinsecâ; sic omninò tenendum esse, quòd voluntas eligat id, quod omnibus pensatis judicatur melius, neque possit eligere, quod omnibus pensatis, manet æquale, vel minus Bonum. 4.

Fundamentum est. Quia voluntas non potest ferri in Bonum, nisi mediante hujus tractione & allicientiâ objectivâ. At stante judicio æqualis, vel etiam minoris boni repræsentativo in aliquo medio, nequit hoc esse repræsentatum sub vi *objectivæ* attractivâ: siquidem ista per majorem, aut æqualem ex opposito bonitatem tunc obfuscata sit.

Conclusio.

NOn potest voluntas inter duo Bona eligere, quod Exercitè saltem sit minus, vel æquale Bonum, quamvis boni prælecti præponderatio plerumque sit potiùs ex appretiatione Dominij voluntatis proprij, quàm ex objecti Bonitate intrinsecâ.

Probatur. Eo ipso enim, quòd solus Deus clarè visus, vel Bonum ut sic exhaurire possit universalem voluntatis commensurationem, sequitur, 5.

quitur, quodvis Bonum ſub aliquâ concretione materiali ab Intellectu propoſitum voluntati, non poſſe iſtam ſuâ vi allectivâ & attractivâ eatenus aggravare, quin præponderet ejus vis ſuper objectum hujuſmodi Dominativa *Exercitè ſaltem* repræſentata in omni Bono *limitatè ſolùm* repræſentato voluntati. At ratione hujus præponderantis voluntati intrinſeci in quovis Bono limitato *Exercitè ſaltem* repræſentati Dominij fit, quòd minus Bonum quà veſtitum iſtâ voluntatis Dominij circumſtantiâ, reſpectu voluntatis ſit *appretiativè* majus Bonum. Cùm proinde factâ duorum ſive æqualium, ſive de ſe inæqualium Bonorum repræſentatione, quodlibet iſtorum reſpectu voluntatis Dominij ſui appretiabilitatem *Exercitè* ſaltem intendentis ſit alteri *de ſe quidem* majori Bono præponderans; voluntas autem iſtam Dominij ſui appretiabilitatem in omni Commenſurationem ejus univerſalem non coæquante Bono, iſtud præeligendo, *Exercitè ſaltem* intendat; conſequens eſt, voluntatem ita habere libertatem ex duobus *de ſe* ſive æqualibus, ſive inæqualibus Bonis quodlibet eligendi, ut in hujus tamen libertatis Exercitio ſemper eligat Bonum, quod *reſpectivè in ordine ad ſe* ſit majus, ac melius.

Reſponſio ad oppoſita Fundamenta.

6. AD Primum *n. 3.* oppoſitum Reſpondetur. Tametſi omnia objecta creabilia non niſi ſub uno in Dei perfectionibus relucentis Gloriæ motivo ſint per Divinam voluntatem expetibilia, atque adeò in Decretis Divinis nulla ſit ex parte motivi inæqualitas, in ejuſmodi tamen objectis quà Divinæ voluntatis Motivo ſubjectis reſplendere Dei quoque abſolutum Dominium, quod eatenus in omni ſive electione, ſive reprobatione ſit in voluntate Divinâ præponderans, ut conſequenter Deus in ipſo Decreti ſui Exercitio non niſi id, quod melius eſt, eligat.

7. Ad ſecundum *cit. n. 3.* oppoſitum Reſpondetur. Eo ipſo, quod voluntati reſpectu cujuſvis Boni limitati ſit libertas Exercitij, imò & ſpecificationis, oportere, talem vim Dominativam, in prævià ejuſmodi objecti repræſentatione *Exercitè ſaltem* eſſe ipſi repræſentatam. Ex quo proinde voluntatis Dominio objectum præ altero electum ita veſtiri, ut eo ipſo fiat appretiative ponderoſius, altero de ſe quidem meliori Bono. Unde omninò verum eſſe, quòd Voluntas inter plura Bona ſemper eligat id, quod reſpectu ſui *appretiativè* majus, ſeu melius eſt.

CONTROVERSIA II.

Utrùm dari poſſit Electio circa impoſſibilia?

1. SCotus *in 2. diſt. 6. q. 1. n. 34. ac ſeq.* diſtinguit aſſerendo; ſi electio accipiatur pro actu voluntatis conſequente plenam apprehenſionem Intellectûs, omninò dari poſſe circa impoſſibile per modum ſimplicis Complacentiæ, ſufficientis tamen ad meritum & demeritum, Philoſopho *3. Eth.* aſſerente: *Voluntatem eſſe impoſſibilium.* Quo proinde modo Angelum Apoſtatam affectâſſe æqualitatem Divinam. Si verò Electio dicat volitionem efficacem ſequentem Syllogiſmum practicum, non poſſe verſari circa impoſſibilia; eò quòd nullus conſilietur de impoſſibili, neque præcipiat Intellectui practico ad inquirendum media ad illud. In quo ſenſu procedere dictum Philoſophi *3. Eth.* aſſerentis: *Electionem non eſſe impoſſibilium.* 2.

Huic Scoti ſententiæ partim adſtipulatur, partim refragatur Amicus *præſ. diſp. 9. n. 28.* docens: voluntatem poſſe quidem inefficaci ac ſimplicis complacentiæ actu appetere impoſſibile, apprehenſum ſub ſtatu & hypotheſi poſſibili, non tamen poſſe ullum proſecutionis actum verſari circa impoſſibile, conſideratum ſecundùm rationem Formalem impoſſibilis. Fundamentum eſt. Quia impoſſibile conſideratum *Formaliter* ut impoſſibile, nullam dicit rationem boni convenientis appetenti. At nihil poteſt voluntas appetere, niſi ſub ratione boni convenientis appetenti.

Adverſatur ex parte Vaſquez *hic diſp. 42. cap. 3.* negando, ullum actum voluntatis elicitum poſſe eſſe ſub conditione, aut conditionatum, qui poſſit explicari per verbum *vellem*, ſed omnem voluntatis actum præſentem eſſe abſolutum. Fundamentum eſt. Quemadmodùm enim objectum Viſûs eſt color, aut lumen, & objectum Intellectûs in aſſenſu eſt verum, & in diſſenſu falſum, ita etiam voluntatis in proſequendo eſt bonum, & in fugiendo malum. Ergo quemadmodum actus videndi, quem quis quovis tempore reipsâ elicit, non fertur in colorem, qui eſſet ſub aliquâ conditione, nec intellectus aſſentitur vero, quod eſſet verum ſub conditione, actu autem non eſt verum: Ita eodem modo voluntas appetere, aut proſequi nequit, quod actu non eſt bonum, neque apprehenditur ut actu bonum, ſed bonum eſſet, ſi aliqua ſubſiſteret conditio: quod enim eſſet bonum ſub conditione tantùm, non poteſt tale apprehendi, quale requiritur, ut moveat affectum. 3.

Adverſùs iſtam Vaſquezij doctrinam movet Joannes à Sancto Thomâ *cit. diſp. 6. a. 3. n. 7. & 14.* aſſerendo, impoſſibile carere quidem entitate, & bonitate *ſecundùm ſe* & *quaſi ſubjectivè*, non tamen ſemper *apprehenſivè* & *objectivè*; poſſeque adeò prout ab intellectu ad inſtar alicujus boni apprehenditur, vel quatenus id, quod bonitatis eſt, præſeſendiur; appeti tum actu abſoluto inefficaci, quantum ad bonitatem apparentem, & fictam; tum conditionato, quoad aſſecutionem. Fundamentum eſt. Quia licèt voluntas feratur in Bonitatem objecti in ſe, regulatur tamen per apprehenſionem, tanquàm per conditionem requiſitam, quâ veſtitur objectum, ut appetatur. Unde non eſt extra ſphæram objecti voluntatis; ſiquidem hujus objectum ſit non ſolùm bonum verum, ſed etiam apparens, aut fictum, & quidquid apprehenſum, poteſt eam movere, poſſit & actum ejus terminare: impoſſibile autem non quidem ex meritis ſuis, benè tamen beneficio Intellectûs illud apprehendentis ad inſtar boni & fictà extrinſecâ bonitate id veſtientis, movere poſſe, voluntatem. 4.

CONCLUSIO.

Dari potest objectum voluntatis eatenus Terminativum, ut secundùm omnium suarum formalitatum, sub quibus substat voluntatis intentioni, vel Electioni, concretionem spectatum sit impossibile: attamen quoad unam Formalitatem de se bonam & possibilem possit esse Motivum prosecutionis *Appretiativè efficacis*: quoad aliam verò Formalitatem sit objectum Fugæ & aversionis ut sic efficacis: ut adeò impossibile possit terminare actum voluntatis, in suâ realiter indivisibili Entitate habentem rationem tam prosecutionis *Efficaciter* appretiativæ, quàm Fugæ *Efficaciter* aversativæ.

5\. Explicatur & probatur. Si enim ponatur peccatum Angelicæ superbiæ in hoc stetisse, quod similitudinem cum Deo non quidem consubstantialem, sed participatam in lumine Gloriæ ac visione Beatificâ sitam voluntati suæ repræsentatam habens, simul viderit naturæ suæ defectibilitatem, ratione cujus Beatitudinis supernaturalis, atque adeò consummatæ, licet participatæ cum Divinitate similitudinis adeptio non nisi viribus Gratiæ esset possibilis. Tunc Angelus potuit talem Dei similitudinem efficaci appretiatione eatenus appetere, ut eodem tamen voluntatis actu illam naturæ Defectibilitatem, tanquam malum Naturæ aversans, sui à viribus Gratiæ dependentiam & subjectionem actu Fugæ in ratione aversionis efficaci repudiaret. Quo proinde superbiæ Angelicæ actu posito, elucet conclusionis nostræ veritas.

6\. Probatur istud assumptum. Nam in illo objecto tum Beatitudinis supernaturalis maximâ appretiatione expetibilis, tum Naturæ defectibilitatis seu mali per naturæ limitationem insiti, & in hoc radicatæ à gratiæ viribus dependentiæ, atque adeò debitæ erga Deum subjectionis repræsentativo, plures continentur Formalitates, quæ simul possint unum simplicem voluntatis actum eatenus terminare, ut cuique tamen per rationem repræsentatæ maneat sua vel appretiationis, vel aversionis dignitas. Quare voluntas Angeli potuit actu prosecutionis secundum appretiationem supernaturalis Beatitudinis bonitate condignam ferri in hanc bonitatem.

7\. At verò sicuti cuilibet virtuoso actui inest constantia quædam & perpetuitas, seu firmitas taliter immobilis, ut per appretiationis objecti virtuosi efficaciam pro instanti sui in creaturâ rationali inexistentiæ sit à voluntate Formaliter exclusiva omnis oppositæ turpitudinis, ac malitiæ: sic tali s potuit illi prosecutionis in Beatitudinem supernaturalem latæ actui inesse appretiationis efficacia, vi cujus angelica voluntas haberet immobilem quandam pro instanti ejusmodi Firmitatem, & constantiæ seu perpetuitatis efficaciam. Eo ipso autem, quòd Beatitudinis in lumine Gloriæ ac Divinæ Essentiæ visione sitæ possibilitas in creaturâ rationali importet intrinsecam & Essentialem à viribus Gratiæ dependentiam, atque adeò subjectionem Misericordiæ Divinæ indigam, sequitur; sub luce illius Beatitudinis quâ Boni summè appetibilis repræsentativâ re ulgere defectibili ter cm creatæ etiam Angelicæ naturæ, ut sic de Jure exigentem humiliationis erga Deum subjectionem. At verò licet ista subjectio fundet maximam Humilitatis ac Religionis honestatem moralem, annexum tamen habet aliquod naturæ malum, seu intrinsecam indigentiam, ratione cujus adeò in natura etiam Angelicâ radicati mali physici potest voluntas per libertatem suam defectibilem aversari illam erga Deum subjectionem, & à gratiæ viribus dependentiam. Sicuti autem illa Beatitudinis supernaturalis Bonitas digna est efficaci quadam appretiationis firmitate ac immobilitate: sic illud indigentiæ seu Defectibilitatis in Angelica naturâ radicatæ malum intrinsecum terminare potest actum fugæ, habentem aversionis efficaciam cum firmitate quâdam immobili figentem voluntatis in objecto ejusmodi. Constat proinde, quòd, licet impossibile non possit terminare voluntatis actum merè prosecutivum, possit tamen sub diversis Formalitatibus repræsentatum esse terminativum actûs voluntatis, qui sub unâ indivisibili suâ Entitate habeat rationem tum prosecutionis *quoad appretiationis* firmitatem *Efficaciter* latæ in Bonitatem ex se expetibilem, ac de se possibilem: tum Fugæ *quoad aversionis immobilitatem efficaciter* latæ in malum seu Defectibilitatem aliquam Bonitati illi annexam.

Responsio ad opposita Fundamenta.

Ad Scoti *n. 1.* oppositam doctrinam Respondetur. Simpliciter negandum esse, quod de 8.
impossibili quâ impossibili detur Electio, sive actus persecutionis: siquidem appetibile *Formaliter* ut sic importet quendam ordinem ad *Esse* vel *inesse*; cujusmodi ordo *Formaliter* pugnat cum ratione impossibilitatis. Quare de hoc non nisi *Materialiter* sumpto, prout in uno objecto plurium Formalitatum combinativo est quædam Bonitas de se possibilis, & appretiabilis; dari potest Electio non quidem *Effectivè*, sed *Appretiativè* efficax, cujusmodi efficacia non in mediorum consiliatione sit radicata, sed importet quandam voluntatis immobilitatem oppositi objecti pro suæ inexistentiæ instanti à voluntate exclusivam, *veluti in conclus. probatione supius deductum est*.

Ad Amici *n. 2.* propositam doctrinam Respondetur. Eam posse illo duntaxat sensu probari, quòd, licèt impossibile sub illa Formalitate, sub quâ involvit impossibilitatem, non admittat talem statum possibilitatis, seu hypothesin potius, sub quâ induere possit rationem appetibilitatis; attamen illa impossibilitatem fundans Formalitas annexam habere possit aliam diversi generis Formalitatem, ut sic possibilem ac expetibilem. Sicut peccatum carnis eatenus in genere moris est *intrinsecè* malum, ut in isto genere non admittat hypothesin, sub quâ sit expetibile: attamen in genere naturæ seu Delectabilitatis sensualis eatenus participat Bonitatem aliquam, quæ de se possit voluntatem malitiæ illius moralis aversativam eatenus movere, ut sub hypothesi, si malitia ejusmodi moralis esset separabilis, vellet illam carnis Delectabilitatem.

10. Ad Vasquezij *n.3.* oppositum Respondetur. Verum quidem esse, quòd sicut actus videndi ac intelligendi nequit terminari ad objectum, quod non actu habeat rationem coloris, seu luminis, aut Veri, sic nequeat voluntatis esse Terminativum objectum; nisi *actu* & *absolutè* sit participans rationem Bonitatis, vel saltem ut tale sit voluntati propositum. Nihilominùs fieri posse, quòd in uno objecto possit repræsentari tum malitiæ voluntatem retrahentis, tum Bonitatis voluntatem allicientis Formalitas, possitque adeò voluntas objectum ejusmodi ratione suæ Bonitatis velle actu *de se* quidem absoluto, sed conditionato ex parte objecti; dicendo v. g. vellem inire statum Matrimonij, si non essem subiectus tot oneribus.

11. Ad Joannis à Sancto Thomâ *n. 4.* propositam Doctrinam Respondetur. Eam indigere aliquâ distinctione. Nam licèt objectum secundùm se impossibile possit *apprehensivè* fieri possibile, & ut sic expetibile: ex hoc tamen plus non evincitur, nisi quòd impossibile *Materialiter* spectatum, non autem *Formaliter* sub illâ Formalitate, sub quâ impossibile repræsentatur, vestiri possit Formalitate Bonitatis, & appetibilitatis radicatæ in ordinabilitate ad *Esse* vel *inesse*. Unde fieri etiam consequens, quòd Formalitas sub possibilitatis ratione per Intellectûs sive præcisivam, sive fictitiam apprehensionem efformata, & repræsentata possit expeti tum simplicis complacentiæ affectu, tum voluntatis actu *subjectivè* & *in se* absoluto, licèt conditionato *ex parte objecti. uti superius insinuatum est.*

✿✿✿✿✿✿✿✿✿✿✿✿)(✿✿✿✿✿✿✿✿✿✿

CONTROVERSIA IV.

Qualiter usus se habeat ad Electionem & Imperium?

1. VAsquez *præs. disp. 47. cap. 2. n. 3.* Salas *tract. 9. de actib. human. disp. 1. sect. 7. n. 75.* docent: Usum esse ipsam operationem exterioris potentiæ motæ per electionem à voluntate, ita ut nihil aliud sit, quàm opere exequi id, quod judicatum & electum est. Fundamentum à Vasque *n. 6.* deductum est. Quia, ut potentia exequens & motrix in brutis operetur, non indiget novo actu appetitûs præter affectum, quo statim fertur in objectum propositum. Ergo in nobis præter electionem, quâ voluntas fertur in medium propositum, non erit necessarius alius actus elicitus à voluntate, per quem voluntas applicet potentias exequentes ad opus. Quòd si disparitatem assignes, eò quòd homo, non autem brutum ad opus etiam post electionem maneat indifferens, atque adeò indigeat aliquo actu sui determinativo, in contrarium affertur, hominem quoque vi electionis eatenus determinari, ut Electione permanente, non possit non operari, quamvis ab Electione & amore cæpto cessare possit, in quo unicè differt à bruto.

2. Serra *præs. disp 16. a. 41.* Joannes à Sancto Thomâ *lib. d. sp. 17. a. 1. n. 6.* Joannes Baptista Gonet *to. 7. disp. 11. a. 1.* tenent, quod usus sit actus elicitus à voluntate distinctus ab electione, *activè* applicans alias potentias ad operandum. Fundamentum per Joannem à Sancto Thomâ *n. 7.* deductum est. Quia in executione nova & major se offert difficultas, quàm in solâ Electione interiori: Eligere enim est actus merè internus, in quo voluntas solùm certat secum, nec habet aliud impedimentum, quàm velle, si objectum sit cognitum, & ita solùm mutando ipsum velle, potest eligere & elicere oppositum actum. In exequendo autem non solùm certat secum, sed cum alijs potentijs subjectis, in quo mille difficultates se offerunt, tum in labore potentiarum & facultatum, aut resistentiâ, tum in impedimentis externis. Unde ad hoc ponitur specialis virtus constantiæ, & perseverantiæ ad superandas difficultates, & frangentia extrinseca. uti docet D. Thomas *2. 2. q. 137. a. 3. & 4.* eò quòd *plerumque cadat in nostrâ potestate electio, sed non executio.* Ergo præter actum electionis indiget voluntas novâ efficaciâ & conatu pro executione, novâque constantiâ & applicatione activâ, quæ dicitur *Usus.*

3. Franciscus Amicus *disp. 10. n. 13.* censet, Electionem plerùmque, non tamen semper distingui ab usu. Cui consonant, quos refert, & partim sequitur Salas *cit sect. 7. n. 79. & 80.* asserentes: omnem usum esse electionem, non econtra. Fundamentum à Salâ *citato* deductum est; Quia usus est actus, quo potentia executiva sufficienter applicatur ad opus. At si electio determinet quidem medium, sed non omnes ejus circumstantias hic & nunc occurientes, potentia non sufficienter applicatur ad opus. Ergo Electio tunc non est Usus. Quòd si verò Electio determinet medium cum omnibus circumstantijs, tunc per eam sufficienter applicatur potentia ad opus. Ergo Electio tunc est usus.

CONCLUSIO,

VSus est actus immanens voluntatis, *ordinariè* distinctus *realiter* ab Electione.

4. Probatur authoritate Sancti Thomæ *præs. q. 16. a. 4.* taliter differentis: *Voluntas duplicem habitudinem habet ad volitum, unam quidem, secundùm quod est quodammodò in volente per quandam proportionem, vel ordinem ad volitum. Unde & res, quæ naturaliter sunt proportionatæ ad aliquem Finem, dicuntur appetere illum naturaliter Sed sic (secundùm proportionem scilicet) habere finem, est imperfectè habere: Omne autem imperfectum tendit ad perfectionem: & ideò tam appetitus naturalis, quàm voluntarius tendit, ut habeat ipsum Finem realiter, quod est perfectè habere ipsum. Hæc verò est secunda habitudo voluntatis ad volitum. Volitum autem non solum est Finis, sed id, quod est ad Finem. Ultimum autem, quod pertinet ad primam habitudinem voluntatis respectu ejus, quod est ad Finem, est electio, ibi enim completur proportio voluntatis, ut completè velit id, quod est ad Finem. Sed usus jam pertinet ad secundam habitudinem voluntatis, quâ tendit ad consequendam rem volitam. Unde manifestum est, quòd usus sequitur Electionem.*

5. Ex hoc sic argumentari licet. In voluntate circa Finem ac media duplex est distinguendus ordo: alter *secundùm proportionem*, consistens nimirum in allicientiâ Finalizativâ per Finis cum voluntate, & mediorum cum Fine proportionem ex-

tionem excitata. Alter *secundùm realem Finis consecutionem*, consistens in Causalitate Mediorum Executrice, seu Effectrice. At isti duo ordines ita se habent ad invicem, ut prior compleatur in Electione mediorum, vi allicientiæ Finalizativæ determinatorum. Hoc autem Finalizativæ determinationis ordine completo, excitatur voluntas ad exequendum, per viam Causalitatis Efficientis. At ista Executionis motio *primariò* est voluntatis,* tanquàm instrumentorum, ex Divo Thomâ *cit. q. 16. a. 1.* Unde consequens est, Executionis primam motionem, quæ dicitur usus, esse propriè actum voluntatis, ex Sancto Doctore *citato*. At eo ipso, quòd iste usus sequatur Electionem, sed antecedat Executionem inferiorum potentiarum, oportet, esse mediam; atque adeò ab utraque distinctam. *ex cit. q. 16. a. 4. ad 1.* Manifestum igitur est, quod usus non sit actus extra voluntatem Transiens, sed immanens; *realiter* distinctus ab Electione.

* tanquàm Primi moventis: aliorũ verò potentiarũ exequentiũ est.

6. Dices. Sanctum Thomam *cit. a. 4.* sic habere: *Sed quia voluntas etiam quodammodo rationem movet, & utitur ea, potest intelligi usus ejus, quod est ad Finem, secundum quod est in consideratione rationis referentis ipsum in Finem. Et hoc modo usus præcedit Electionem.* Ex quo sic argui potest; Motio voluntatis excitantis rationem ad mediorum consultationem est usus. Hæc autem voluntatis motio præcedens Electionem non distinguitur ab intentione Finis, habente efficaciam excitativam rationis ad mediorum inquisitionem & consiliationem. At non major est Electioni vis potentias inferiores mediante Imperio, excitandi ad exequendum, quam intentioni sit Efficacia excitandi rationem ad consultandum. Consequens proinde est, quòd sicut usus rationis ad consultandum movens est indistinctus ab intentione, sic usus ad mediorum Executionem impellens non debeat dici *realiter* distinctus ab Electione.

7. Contra. Nam alia est vis actûs alicujus excitativa secundùm Sympathiam, seu proportionem connaturalem: cujusmodi efficacia inest tum appetitui sensitivo erga voluntatem mediâ ratione *objectivè* movendam, tum voluntati erga rationem pro medijs Fini præintento congruis disquirendis & consultandis, tum rationi erga vim imaginativam pro excitando phantasmate objecti per rationem repræsentati sub Figuris sensibilibus expressivo. At ejusmodi excitativa vis non *strictè*, sed *latè* duntaxat habet rationem Usûs. Alia proinde efficacia est alterius actûs exercitativa secundùm motionem Causalitatis Efficientis. Ejusmodi autem efficacia *Originaliter, primariò* & *simpliciter* est in voluntate Divinâ, habente vim omnis objecti à se *positivè* voliti effectricem: *participativè* autem ac *secundum Quid* convenit voluntati creatæ, Angelicæ quidem non tantùm respectu operationum Intellectûs, sed etiam respectu localis corporum motûs; humanæ verò respectu inferiorum proprij duntaxat suppositi potentiarum. Unde voluntas potest quidem *strictè loquendo* in se habere usum rationis *Efficienter* motivum: hæc tamen effectiva voluntatis efficacia non se extendit ad actus rationis, vel potentiæ sensitivæ, aut motivæ, nisi eorum executio sit *expressè* & *signatè* volita, sicuti Originativa quoque voluntatis Divinæ Efficacia non est nisi in ordine ad objecta *signatè* secundùm actualis existentiæ realitatem volita. Etsi proinde usus etiam *strictè loquendo* possit identificari cum intentione actûs alicujus secundùm executionem realem præfinitivâ: sicuti etiam Electio mediorum non tantum in se ipsis, secundùm Finalizativæ motionis ipsam etiam remotem Executionem subinferendæ vim habentis efficaciam *signatè* prosecutiva, sed ipsius etiam Executionis qua ab inferiori proprij suppositi potentiâ *Exercitè* faciendæ determinativa non distinguitur realiter ab usu; Hinc tamen evincitur duntaxat, quòd usus aliquando, non autem ordinariè coincidat cum Electione.

8. Probatur istud assumptum. Nam ex vi Efficacis intentionis *ordinariè* non excitatur ratio ad media consideranda, nisi quoad sui cum Finè proportionem, & conducibilitatem. Ex istâ verò consideratione vi præcedentis intentionis voluntas eatenus movetur ad Electionem, ut ista in viâ Causalitatis Finalis sit ultimum complementum. At verò ex ista jam consummatæ Finalizativæ motionis efficaciâ excitatur ratio quà ordinativa mediorum; non attendendo jam ad eorum præcisè utilitatem, sed ad eorum executionem, maturâ omnium, quæ occurrere possunt, difficultatum quoad singulas, tum impedimentorum, tum remediorum impedimentis ejusmodi removendis congruorum circumstantias consideratione habitâ. Ejusmodi proinde Executionis Ordinativa ratio est actus prudentiæ quà præceptivæ, participatque nomen Imperij, cui respondet etiam Virtus Constantiæ ac perseverantiæ difficultatibus obortis haud cedentis, ubi ratio Mediorum jam priùs Electorum executionem ordinat. Hoc autem imperium licet jam habeat Efficaciam ex Finalizativa Electioni ac intentioni præsuppositæ inexistente Causalitate, needum tamen habet vim Causalitatis Efficienter motricis ad executionem. Unde talem efficientis Causalitatis ac Physicæ Executionis motionem ordiri debere ex Voluntate executionis quà Exercitè faciendæ determinativâ, uti patebit ex *dicendis seq. a. conl. 2.* At hæc ipsa Executionis determinatio per voluntatem (si in executionis viâ subsint difficultates priùs non definitæ in viâ Consultationis, ac Executionis) liberè facienda habens ut sic Efficaciam Causalitatis efficientis, dicitur Usus. Constat igitur, Usum *ordinariè* distinctum esse ab Electione, supponereque Imperium Electionem subsequens, ex electionis vi, in ratione ordinativæ dispositionis, nec non Finalizativæ Causalitatis eatenus habens efficaciam, ut hæc tamen in ratione Causalitatis Efficientis compleatur per Usum: ut adeò *præced. q. a. 3. concl. 5.* consultò diximus. Imperium, quod *Formaliter* est actus Intellectûs, non *Originativè* duntaxat (quoad specificationis seu finalizativæ Causalitatis efficaciam ex vi Electionis sibi connexam) sed etiam *Completivè* (quoad Efficaciam Exercitij seu Efficientis Causalitatis ex vi usûs sibi conjunctam) dicere actum voluntatis.

Responsio ad opposita fundamenta.

AD Vasquis *n. 1.* oppositum Respondetur. Disparem esse rationem voluntatis, & appetitûs bruti; tum quòd iste non habeat vim 9.
Efficienter motivam potentiarum sui suppositi: sicut econtra talis vis inest voluntati, cui adeò

respon-

respondere debet specialis actus realiter distinctus ab Electione, *ordinariè* non nisi Finalizativam, & quandam in connaturalj ejusdem suppositi potentiarum sympathiâ fundatam vim motricem habente: cujusmodi adeò sympatheticæ proportionis motio in brutali appetitu respectu potentiæ motivæ locum solummodò habet, tum quòd ratio, non autem vis imaginativa post objecti convenientiam repræsentatam, & efficaciter expetitam, specialium in executione difficultatum inventrix esse soleat, quibus proinde respondere debeat in voluntate actus ab Electione distinctus, & ex perseverantiæ, seu constantiæ virtuoso Motivo quandoque excitatus, cui in vi Effectivæ causalitatis conveniat esse superiorem illis ex parte potentiarum executricum occurrentibus difficultatibus, uti eleganter probat fundamentum Joannis à Sancto Thomâ *n.2.* deductum.

❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀)(❀❀❀❀❀❀❀❀❀

CONTROVERSIA V.

Qualis actus sit fruitio.

1. Difficultas quidem moveri posset ex Oviedo *hic tract.2.cont. 4. punc.5. n. 96.* cum Societatis Jesu Theologis à se relatis existimante; Deo non tantùm frui, sed etiam uti licere, illum quà cognitum, per contemplationem v.g. assumendo, tanquàm medium in ordine ad se ipsum quà possidendum in visione, vel quà complacentem in actu virtutis, respectu cujusmodi actûs considerari potest Deus ut Mediū *ad finē, ad quem tanquam mediū desumitur.* Verùm
2. circa hoc brevis est expeditio, asserendo: Deum causalitatis suæ effectricis vi&efficaciâ promovere quidem nos in se ipsum, tanquàm Finem Ultimum, nec non ad actus virtutum. Quam proinde Causalitatem ex Deo transeuntem, & in nobis receptam habere rationem medij, quo utamur ad Finis nostri adeptionem. Si tamen Causalitatem ejusmodi in suo Fonte appretiemur, ipsumque adeò Deum in se ipso non in suis tantùm Donis voluntate nostrâ prosequamur, non posse voluntatem nostram ordinatè se habere ad Deum, nisi pro dignitate suæ Bonitatis, ceu ultimi voluntatem nostram ex se ipso satiantis Finis *Finaliter* & *ultimatè* ipsam appretiando: nec adeò videri, quomodò voluntas volens Deo non tantum frui, sed etiam uti, non subeat censuram Divi Augustini redarguentis illos, qui utuntur fruendis, & fruuntur utendis. Quare his missis, superest decidenda controversia: *An fruitio sit actus voluntatis, possitque versari circa Finem non tantum ultimum, sed etiam intermedium.*

Referuntur Sententiæ.

3. Scotus *in 3. dist. 15. q. un. n. 9. & in 4. dist. 49. q. 7. n. 2.* Hicquæus *ibi in comment. à n. 104.* & alij negant; Fruitionem esse operationem à voluntate elicitam, sed formam quandam ab objecto possesso impressam. Fundamentum est. Nam eadem est ratio tristitiæ ac delectationis. Atqui tristitiam esse passo violentam, docet Aristoteles *1. Rhetor.* Violentum autem est ab Extrinseco, passo nullam conferente vim. Pari ergo ratione Delectatio, seu fruitio cum istâ coincidens est ab extrinseco, scilicet objecto, nec adeò est actus elicitus à voluntate, sed ad istius operationem se habet, ut pullulans quidam finis, perinde atque pulchritudo in his, qui vigent ætate, ex Philoso. *10. Eth. cap. 4.*

Sotus *in 4. dist. 49. q. 2. a. 4.* Fruitionem ait, saltem inadæquate esse actum Intellectûs. Fundamentum est. Nam fruitio est possessio Beatifica objecti voluntatis satiativa. Divo Thomâ *præf. q. 11. a. 1. ad 3.* attestante. *Quòd Deus sit ultimus Finis, sicut res, quæ ultimo quæritur: fruitio autem sicut adeptio hujus ultimi Finis.* Atqui possessio ultimi Finis est ipsa visio Beatifica; eodem Sancto Doctore *1. p. q. 26. a. 2. in arg. sed contra.* taliter differente. *Cùm igitur Deo fruamur secundùm Intellectum, quia visio est tota merces secundùm Augustinum, videtur, quod Beatitudo dicatur in Deo secundùm Intellectum.* 4.

Aureolus *in 4. dist. 1. in 2. par. dist. a. 1.* Cajetanus *1. 2. q. 31. a. 4.* Ferrariensis *1. contra Gentes. cap. 9. §. circa probationem.* Vasquez *1. 2. q. disp. 14. cap. 2.* Amicus *præs. disp. 8. n. 8.* Joannes à Sancto Thomâ *hic in annot. ad q. 11. & 21. n. 4.* Ildephonsus Baptista *disp. 128. n. 29* Gonet *cit. to. 7. disp. 7. art. un*: cum Divo Thomâ *præf. q. 12. a. 1. & 2. & alibi* tenent, fruitionem esse actum à voluntate elicitum, qui si in ratione Fruitionis sit perfectus, non versetur nisi circa Finem vel *Simpliciter*, vel saltem *Respectivè* pro aliquâ serie actionis Ultimum, habeatque pro objecto *Quod* ipsam rem, quæ est Finis, pro objecto autem *Quo* ipsam adeptionem & Fruitionem. 5.

Conclusio.

Fruitio est actus à voluntate elicitus *Formaliter* consistens in Delectatione: *præsuppositivè* & *Causaliter* exigens amorem, *Radicaliter* verò importans possessionem.

Explicatur & probatur. Nam teste Divo Augustino *lib. 10. de Trinit. cap. 10. Fruimur cognitis, in quibus voluntas propter se ipsam delectata conquiescit.* Est igitur Fruitio actus voluntatis se habens per modum quietis. ex Divo Thomâ *1. 2. q. 12. a. 1. ad 4.* At ista quies est per modum Delectationis ex plenitudine voluntatis satiativâ resultans. ex eodem S. Doctore *q. 4. a. 1. ad 1.* Ejusmodi verò delectatio plenam voluntatis satietatem supponens, exigit objecti plenè satiativi cum voluntate unionem, sitam *Formaliter* in amore. Hic ipse verò amor, ut habeat vim excitandi delectationem, ex quâ voluntas plenè conquiescat, præsupponit objecti plenè satiativi præsentiam. Etsi enim amor sit quædam affectiva cum objecto unio, hæc tamen se habet per modum impulsûs, non autem per modum attractûs intussusceptivi: cujusmodi intussusceptio objecti delectabilis tanquàm ejus possessio Intentionalis exigitur, ut amor objecti satiativi possit in voluntate excitare delectationem. Consequens igitur est; Fruitionem eatenus esse actum voluntatis *Formaliter* in Delectatione se tenentem, ut sui tamen Causam excitativam supponat objecti plenè 6.

7. plenè satiativi quà possessi amorem. At verò Finis duntaxat ultimus, non in spe, sed in re possessus est voluntatis simpliciter satiativus. Unde respectu Finis non Ultimi, vel etiam Ultimi qua in spe, sive secundùm imperfectæ duntaxat contemplationis parem possessionem possessi, non datur Fruitio nisi *secundum Quid*, & imperfecta, importans quietem, cum aliquâ adhuc inquietudinis tendentia permixtam. Qui proinde Finis ultimus non nisi quà Intentionaliter possessus valens excitare plenè satiativam sui delectationem, se taliter habet ad eam ut intrinseca quidem illius, tanquàm Finis *Qui* sit objectum *Quod*, ejus tamen possessio seu Finis *Quo* sit objectum saltem *Quo* Fruitionis.

Responsio ad opposita Fundamenta.

8. AD *n. 3.* oppositum Respondetur. Tristitiam non *Formaliter*, utpote ut sic voluntatis actum elicitum, sed *Objective* esse violentam, quatenus scilicet ejus objectum habet difformitatem ac repugnantiam cum inclinatione tum naturali, tum elicita suppositi, & voluntatis erga ipsam contristatæ. Econtrario igitur Delectationem non tantum *Formaliter*, sed *Objective*
9. consonare cum supposito, seu voluntatis de objecto delectantis inclinatione, esseque ad instar Finis *Quo* secundarij, ex voluntatis operatione scilicet amore eatenus resultantis, ut tamen per modum quietis sit quædam voluntatis in objectum sui satiativum tendentia elicita.

10. Ad *n. 4.* oppositum Respondetur. Fruitionem esse objecti Beatifici possessionem, tum *radicaliter* ratione visionis objectum Beatificum inter Intellectum *repræsentativè* ac *Intentionaliter* suscipientis; tum *Formaliter* esse secundariam objecti jam *Intentionaliter* possessi adeptionem non intussusceptivam, sed voluntatis per amorem in objectum raptæ *Affectivè* unitivam.

❊❊❊❊❊❊❊❊❊❊(❊)❊❊❊❊❊❊❊❊❊❊

CONTROVERSIA VI.

Utrùm omnes actus versantes circa eandem finem ac media sint unius, vel potius diversæ speciei?

1. STatus quæstionis formari potest de specie tum physicâ, tum morali. Et quidem si sermo sit de specie physicâ, indubitatum nobis est, quin actus præcisè circa Finem versantes specie distinguantur ab actibus versantibus circa media, siquidem ista etiam quà media ex se ipsis habeant aliquid Bonitatis, non quidem *Primariò*, sed *Secundariò* motivæ, atque adeò specificativæ actuum erga se tendentium. Quare de specie duntaxat morali difficultas superest, sicuti etiam, si fiat inter ipsas circa eundem Finem versantes actus, scilicet intentionem, voluntatem Finis simplicem, ac Fruitionem fiat comparatio, quæri potest: *An specie physicâ, vel etiam morali inter se differant?*

Referuntur Sententiæ.

ILdephonsus Baptista *præs. disp. 163. n. 29.* tenet, quòd Electio & usus sint actus *specificè* diversi per diversos conceptus, seu rationes Formales. Fundamentum est Quia actus specificantur ab objectis. Unde stante specificâ objecti distinctione, necessarium est, actus *specificè* distingui. Atqui objectum Electionis est medium, ut alijs prælatum ratione utilitatis ad Finem *præcise*: objectum verò usûs est medium ut Executum & in re positum. Hæ autem rationes sunt diversæ, ita ut una possit esse sine aliâ. Ergo necessarium est, Electionem ac Usum ad minus distingui *Formaliter* per diversas Essentias, diffinitiones, & conceptus. 2.

Ioannes à Sancto Thomâ *in annot. ad præs. q. 12. n. 13.* asserit, actus intentionis, Fruitionis, ac simplicis volitionis (idem proportionaliter est de Electione comparatâ ad usum & consensum) quando versantur circa eundem finem, convenire in eâdem specie morali, quatenus spectent ad eandem virtutem, aut vitium, habere tamen diversam speciem physicam in ratione voluntarij, quæ sit species quasi incompleta, aut materialis intra eandem speciem virtutis: Sicuti eadem Religionis virtus habeat diversos specie actus, orationem scilicet, devotionem, votum, juramentum; ac in eodem homine sint plures potentiæ ac partes heterogeneæ in ratione potentiæ, & partis differentes specie incompletâ. 3.

Fundamentum primi est. Quia eâdem virtute inclinatur aliquis in omnes illos actus: velut ab eâdem charitate elicitur amor circa Deum, & gaudium de Deo, ac desiderium de illo: sunt enim isti effectus charitatis, qui non exigunt diversam virtutem, sed eandem, ex S. Thomâ 2. 2. q. 28. Pari ratione virtus Temperantiæ taliter inclinat ad volendum *Temperate* vivere, tanquàm ad Finem proximum, ut inclinet etiã ad eligendum hic & nunc medium temperantiæ, & materiam debitè temperatam: siquidem totum hoc eisdem regulis rationis, & eâdem moralitate reguletur; scilicet modo *temperate* se habendi, prout distinguitur à Fortitudine & Iustitiâ. Insuper eadem virtus scilicet fortitudo eâdem moralitate moderatur timorem & audaciam, quæ tamen sunt diversæ passiones: sicut eadem quoque virtus religionis diversos elicit actus. Ergo ad eandem virtutem pertinebit frui, & intendere Finem, v. g. Temperantiæ, aut Iustitiæ: nec ex diversitate istorum actuum necesse est virtutes diversas constituere. 4.

Fundamentum secundi est. Quia in genere physico diversus voluntatis actus est amor, & gaudium, aut desiderium: siquidem unus sit de re absenti, alter de præsenti, alius verò secundùm se sit abstrahens à temporis objectum afficientis circumstantiâ. At fruitio est gaudium, causaturque ab amore, intentio verò se habet sicut desiderium quoddam efficax. Ergo sicut in appetitu naturali lapidis v. g. distinguitur motus descensûs ad centrum, & quies in centro, licèt uterque versetur circa centrum: sic actus amoris intentionis ac fruitionis distinguuntur ex parte Finis, seu objecti *Formaliter* sumpti, quà motivi sub diversâ ratione, siqui- 5.

 dem in

dem in ratione physicâ voluntarij aliter moveat res ut præsens, aliter ut absens.

CONCLUSIO.

INtentio, simplex volitio, ac Fruitio versantes circa eundem Finem, ita differunt specie physicâ, ut quandoque, non tamen semper conveniant in specie morali.

6. Probatur. Nam illi actus ideò differunt specie physicâ, quòd habeant objecta *Formaliter* in ratione Motivi diversa. Hæc autem motivorum diversitas est ex Finalizativâ allicientiâ actuum à voluntate elicitorum secundùm rationem voluntariæ in objecta ejusmodi tendentiæ spectatorum diversimodè attractivam: siquidem aliter in ratione voluntarij moveat Bonum quà præsens, & aliter quà absens, aliter verò secundùm se *præcisè* spectatum ut abstrahens à præsentiâ, & absentiâ. At verò moralis species desumitur ex ordine ad objectum, quà actuum non præcisè in ratione physicæ à voluntate elicientiæ, sed cum rectâ ratione conformabilitatis spectatorum *Formaliter* motivum. Si ergo in motivo quà præsente, & absente, vel abstrahente sit quædam diversitas secundùm conformitatẽ cum rectâ ratione, sequitur, actus motivum sub tali præsentiæ, & absentiæ differentiâ respicientes esse diversos, non tantùm *physicâ specie*, secundum physicam voluntarij tendentiam, sed *specie* quoque *morali*, secundùm sui cum rectæ rationis regulâ conformabilitatem.

7. Atqui per fidem eatenus repræsentatur Increata Dei Bonitas quà secundùm intentionalem sui possessionem absens, vel quà abstrahens à sui præsentiâ & absentiâ, ut per actum tamen Doni Sapientiæ ex amoroso Divinæ Charitatis unitivo affectu exercitatum jam prægustata, per visionem non quidem intuitivam, sed contemplativam constituatur præsens. Unde ex vi prioris per fidem repræsentationis eatenus voluntas allicitur ad Dei amorem & desiderium, ut ex vi posterioris per Sapientiæ Donum expressionis excitetur ad Gaudium, ceu Fructum Spiritûs Sancti, & sanctam in id ipsum Deitatis consopitam pacem.

8. At verò sub istâ duplici Divinæ Bonitatis quà per fidem, & quà per sapientiæ Donum expressæ repræsentatione subest diversa ratio Motiva, quæ non tantum respectu voluntariæ ex Motivi ejusmodi Finalizativâ vi excitatæ elicientiæ fundet diversitatem specificam, sed quoad Formalem cum Divinâ supernaturali, in Deo quidem superunitâ, in Intelligentijs autem creatis divisâ ratione conformabilitatem, ut sic Moralis Honestatis specificativam, subest differentia: siquidem prior Divinæ increatæ Bonitatis repræsentativa, per fidem expressa ratio in ipsâ lineâ moralitatis sit regula diversa ab alterâ posteriore, quæ per Donum Sapientiæ exprimitur. Consequens proinde est, non semper verum esse, quòd actus voluntatis circa eundem Finem, sub distinctâ tamen per diversas rationis quandoque supernaturalis regulas repræsentatâ Formalitate versantes sint ejusdem moralis speciei.

Responsio ad Fundamenta *n. 2. &* *seq.* deducta.

9. AD Ildephonsi *n. 2.* & secundum Ioannis à Sancto Thomâ *n. 3.* propositum fundamentum Respondetur. Ex toto id approbando ac insuper per quandam extensionem à fortiori asserendo, quòd Electio debeat *specificè* distingui ab intentione, siquidem ista ex solo Fine; illa verò ab isto tanquam primario, à mediorum verò utilitate tanquàm secundario motivo specificetur.

10. Ad primum Ioannis à Sancto Thomâ *n. 4.* deductum fundamentum Respondetur. Nobis improbari, quatenus *absolutè* asserit, quòd actus ab unâ virtute eliciti specie tantùm physicâ, non autem morali differre possint. Etenim motivum virtutis quà habitûs specificativum aliquas respectu singulorũ actuum admittere potest concretiones, per quas etiam in *Esse moris* secundùm sui cum rectâ ratione conformabilitatem resultant diversæ rationes objectivæ; veluti patet in Charitate taliter specificatâ ex Divinæ Bonitatis super omnia appretiabilitate, ut tamen alius ab istâ virtute elicitus *specie etiam morali* distinctus actus sit Dei amor ex Fide procedens, alius verò sit Gaudium de eâdem Bonitate Divinâ, qua per contemplativam sapientiam possessâ: sicuti virtus quoq; religionis in se secundũ speciẽ eadem diversas respicit moralitates objectivas in Voto, Oratione, & Iuramento; diversitate istâ resultante ex quâdam Cultûs Divinæ Excellentiæ sub diversis Formalitatibus protestativi ad actiones speciales concretione, ut sic conformabili rectæ rationis ac legis Divinæ regulis.

11. Etsi proinde fieri quandoque possit, quòd actus ab unâ virtute eliciti differant *specie physicâ*, quin *in genere moris specificè* sint diversi, hoc tamen eo duntaxat casu tenet, quo in motivo actûs allectivo & Finalizativo non repræsentatur specialis *in genere moralis* cum rectâ ratione *conformabilitatis* ratio motiva: veluti considerare licet circa Temperantiam, in quâ actus Temperatè vivendi se habens per modum Efficacis intentionis, plerumque non differt specie morali, sed physicâ duntaxat ab Electione mediorum, siquidem in his nulla quoad moralitatem, seu cum rectâ ratione conformabilitatem sit specialis ratio motiva, & ut sic Electionis ejusmodi *in genere moris* specificativa.



ARTICULUS II.

DE

Voluntatis actibus Imperatis.

1. ACtus imperati dicuntur, qui procedunt ex imperio voluntatis. Unde tale imperium se habet ad illos, non quà Causalitas duntaxat effectrix, sed quà Forma ipsorum *in Esse morali* constitutiva, adeò ut imperium & actus imperatus sint unus actus humanus per modum alicujus *Totius moralis*, licèt *physicè* sint actus *realiter* distincti. Hinc pro instituto præsenti duæ occurrunt controversiæ his

hic exagitandæ. 1. *Quinam actus sint à voluntate imperabiles?* 2. *Quanam Causalitatem exerceat Imperium in actus imperatos?*

CONTROVERSIA I.

Quinam actus sint à voluntate imperabiles?

2. Divus Thomas *1. 2. q. 17. a. 5. usque ad a. 9.* ad præsens institutum insinuat sequens fundamentum, quòd scilicet illi actus possint à voluntate imperari, qui sunt in nostrâ potestate, & arbitrio, ac subdi nturrationis nostræ persuasioni seu directioni, cùm è contra actus, qui sunt extra talem persuasionem ac regimen, non sint à voluntate imperabiles. Ex quo principio consequenter infert 1. actus voluntatis posse, mediante alio scilicet reflexo actu, imperari, eò quòd ratio de illis
3. possit ordinare: *ex cit. a. 5.* 2. Actus rationis *Quoad Exercitium* semper posse imperari: at *Quoad Specificationem* non subdi voluntatis imperio simplicem apprehensionem, sed hanc determinari ex lumine aliquo naturali, vel supernaturali. Nihilominus si objectum apprehensum non habeat evidentiam ex se determinativam ad assensum, velut evenit ex principijs lumine naturæ notis; sed vel contingentiam & probabilitatem duntaxat, vel obscuritatem, vi cujus adeo Intellectus non convincatur, posse voluntatem vi sui imperij assensum vel dissensum suspendere, vel rationem ad eum determinare; veluti evenit in assensu Fidei per voluntatis, Intellectum in primæ veritatis obsequium captivantis, imperium excitato. *ex præs. a. 6.*
4. 3. Cùm appetitus sensitivus sit potentia organica, cujus adeo actus non tantùm ex virtute talis potentiæ, sed ex corporalis organi dispositione dependeant, ideircò tales actus subdi voluntatis imperio, prout sequuntur imaginationis apprehensionem, utpote quæ cùm sit particularis, reguletur ab apprehensione rationis. In quo adeo sensu locum habere illud *Genes. cap. 4. Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius.* Eo ipso autem, quòd dispositio &
5. qualitas corporis non subjaceat rationis imperio, ideo ex hac parte motus appetitûs sensitivi non subdi regimini voluntatis, sed hac etiam nolente ac displicente, concitari, vel etiam voluntatis imperium prævenire posse. Hinc esse, quod teste Philosopho *1. Polit. cap. 2. in med. Ratio præsit irascibili, & Concupiscibili, non principatu Despotico, qui est domini ad servum; sed principatu politico, aut regali, qui est ad liberos, non totaliter subditos imperio.* Unde emanasse etiam illud Apostoli ad *Roman. 7. Non quod volo Bonum, hoc ago.* Et: *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ.*
6. 4. Actus animæ vegetativæ cùm sequantur appetitum naturalem, in Exercitio independentem ab apprehensione tum rationis, tum imaginationis; nullo modo subdi rationis imperio, nisi *indirectè*, ac *per accidens* quoad applicationem v. g. materiæ, circa quam versari debent actus ejusmodi, veluti commestio applicans nutrimentum, eatenus est in potestate nostrâ, ut per nutrimenti liberam subtractionem *Consequenter* ac *indirectè* impediri possit nutritionis seu vegetationis actus, licèt hic in se *Formaliter* ac *Directè* non sit in nostrâ potestate. *ex præs. a. 8.*

5. Cùm vires sensitivæ subdantur imperio rationis, non autem vires naturales, ideò motus membrorum, quæ moventur à potentijs sensitivis, subdi rationis imperio etiam Despotico, juxta Augustini *lib. 8. confess. cap. 9. Imperat animus, ut moveatur manus, & tanta est facilitas, ut vix à servitio discernatur imperium.* Secus vero esse de membris, quorum motus consequuntur vires naturales. Hæc enim, veluti Cor ceu vitæ tum sensitivæ, tum vegetativæ principium, nec non membrum generationi deserviens, ne quidem quoad localem sibi connaturalem motum subdi rationis imperio. *ex art. 9.* Cujus unam rationem expressit Sanctus Augustinus *lib. 14. de Civit. cap. 16. Ut anima scilicet suæ inobedientiæ ad Deum in illo præcipue membro pœnam pateretur, per quod peccatum Originale ad posteros traducitur.* Alteram vero rationem Divus Thomas *cit. a. 9. ad 3.* insinuat, quòd nimirum utrumque illorum sit quasi quoddam animal separatum, in quantum est principium vitæ. Cor enim est principium sensuum; & ex membro genitali virtus exit seminalis. At principium est virtute totum. Ergo illa membra habent proprios motus naturaliter, siquidem principia oporteat esse naturalia. Cùm igitur motus, qui ex appetitu Naturali procedunt, non subdantur rationis imperio, consequenter illorum membrorum motus non subjacent voluntatis regimini ac libertati. 7.

8.

CONCLUSIO.

Ex prætactâ Doctoris Angelici Doctrinâ inter se collatâ inferre licet, quòd omnes motus in quantum participant de ratione, subjaceant voluntatis imperio, quantum verò participant de naturâ, voluntas nihil habeat potestatis circa illos.

Explicatur & Probatur. Etenim homo ita se habet, ut quoad portionem rationis & voluntatis, sit supra ordinem Universi situm in Causarum secundarum quoad influxuum suorum communicationem mutuâ coordinatione; quoad portionem autem partis Vegetativæ ac sensitivæ taliter sit intra Universi ordinem, ut pars tamen sensitiva recipiat influxus tum à corporibus Extraneis, tum à suppositi sui propriâ ratione ac Voluntate. Eo ipso autem, quod voluntas humana tam *activè*, quàm *passivè* sit extra Directum ordinem Universi situm in immediatâ cum extraneis corporibus communicatione, oportet, voluntatem humanam nullas habere vires contra influxus Causarum naturalium. Unde cùm sensus vi specierum ab objectis Extrinsecis impressarum determinentur ad actualem sensationem, nequit hæc impediri per Imperium voluntatis nisi *indirectè*, removendo objectum, vel avertendo sensum, ne speciei fiat ab objecto impressio aliqua. Similiter pars vegetativa partim per modum naturæ, ex se ipsâ quoad motum etiam localem Vis attractivæ 9. 10.

tiæ expressiva: sic in humano Intellectu alia ratio practica est mediorum Fini præintento congruorum sub præciso utilitatis, ac eligibilitatis statu repræsentativa, alia verò mediorum liberâ Electione determinatorum est expressiva sub actuali executionis faciendæ exercitio. At verò hujus duplicis practicæ rationis differentia est, quòd prior habens formalitatem Iudicij practici sit motiva voluntatis *quoad specificationem duntaxat*, ut sic spectans ad virtutem rectè Consiliativam & judicativam, cujusmodi sunt Eubulia, Synesis, ac Gnome: posterior autem ex voluntatis à se ipsâ determinatæ *quoad Exercitium* motrice virtute dimanans, ac vim appetitûs sensitivi Motivam habens sortiatur Formalitatem Imperij, pertineatque adeò ad virtutem præceptivam, cujusmodi est prudentia *specificè* sumpta. Constat igitur, actum Imperij realiter Formaliter distingui à Iudicio practico, mediorum Consultativo ac Iudicativo. Unde etiam facilè patet responsio ad fundamenta *n.* 5. & 6. deducta.

QUÆSTIO SEXTA
DE
ACTIBUS VOLUNTATIS.

1. ACTUS voluntatis distingui solent in Elicitos, qui *Vitaliter Efficienter* ex voluntate emanant *immediatè*: ac Imperatos, qui mediante imperio voluntatis ab hâc dimanant *mediatè*. Quod proinde duplex actuum genus duobus articulis expediemus.

ARTICULUS I.
DE
Voluntatis actibus Elicitis.

2. VOluntatis actus eliciti alij versantur circa Finem, nempe Volitio simplex Finis, Intentio efficax, & Fruitio, seu Delectatio: alij verò versantur circa media, Consensus nimirum, & Electio, quam ex parte Intellectûs præcedit Consultatio, ac U-
3. sus, cui præit Imperium. Nam 1. potest voluntas ferri in Bonum sine respectu ad assecutionem, quo modo se habet inefficax Boni pro-
4. secutio, seu simplex Finis volitio. 2. Finis quà assequibilis potest intendi, quin priùs ex parte Intellectûs media tali assecutioni necessaria sint determinata: cujusmodi intentio eatenus efficax est, ut sit etiam excitativa Intellectûs ad mediorum consultationem, *Inchoativè* sitam in mediorum inquisitione, *Consummativè* verò ac *Terminativè* in judicio resolutoriè enuntiativo
5. mediorum Utilitatis. 3. Huic Consultationis Iudicio succedit in Voluntate consensus, tanquàm Complacentia mediorum ad Finem con-
6. ducibilitatis approbativa. Hinc 4. Iudicio utilitatis mediorum voluntati per consensum jam aliqualiter inclinatæ prælucente, fit me-
7. diorum Electio. 5. Isti succedit Imperium *Motivè* ac *Originativè* procedens ex voluntate, sed *Formaliter* residens in Intellectu. Exinde 6. sub-
8. sequitur Usus, *activè* applicans alias potentias ad operandum. 7. Denique ex Finis per mediorum 9.
executionem actuali consecutione resultat Fruitio, seu voluntatis quietatio in Fine adepto.

De hisce proinde actibus moveri hic pos- 10.
sunt controversiæ. 1. *Quomodo se ad invicem habeant Intentio, Consensus, ac Electio?* 2. *Utrum ex duobus bonis possit voluntas eligere minus bonum, vel æquale?* 3. *Utrùm dari possit Electio circa impossibilia?* 4. *Qualiter usus se habeat ad Electionem & imperium?* 5. *Qualis actus sit fruitio?* 6. denique, *Utrum actus versantes circa eundem finem sint ejusdem speciei?*

CONTROVERSIA I.
Quomodo se ad invicem habeant Intentio, Consensus, ac Electio?

DIffert intentio à voluntate simplici Fi- 11.
nis, quòd hæc sit de fine absolutè spectato, sine ordine ad assecutionem: cum econtra intentio nunquàm efficax voluntas sit de fine, ut assequibili, atque adeo versetur circa Finem *Comparativè* ad media. De quâ proinde intentione Divus Thomas *præs. q. 12. a. 2. 3. & 4.* docet, tum quòd sit de fine non tantum Ultimo, sed etiam intermedio, siquidem non sit circa Finem per modum quietis, sed per modum motûs & assecutionis, in motu autem non solùm tendatur ad Ultimum, sed etiam ad intermedium terminum: tum quòd voluntatis intentio possit simul ferri in multa sive subordinata Finem scilicet Ultimum ac intermedium, sive non subordinata unum alteri præeligendo, quatenus ad plura valet, tum quòd intentio Finis possit esse idem actus cum voluntate ejus, quod est ad Finem.

Ex quo adeò postremo effato hîc oritur difficultas, *Qualiter intentio distinguatur ab Electione mediorum, & consequenter à consensu?*

Con-

Conclusio.

INtentio, Electio, & Consensus inter se realiter inadæquatè distinguuntur, seque adeo habent ad invicem ut termini Excedentes ac Excessi.

12. Probatur. Nam prælucente cognitione Finis quà assequibilis per media distinctè cognita, potest voluntas eodem actu simul moveri in Finem & media. Tunc autem idem actus habet rationem intentionis prout Efficaciter fertur in finem, habetque rationem consensûs ac Electionis, prout determinatè fertur in media.
13. Alius proinde casus evenire potest, ut honestate Finis quà assequibilis repræsentatâ, nullum mediorum Finis assecutioni efficaci conducibilium *distinctè*, sed *confusè* tantùm sit voluntati propositum, vel hoc varijs affectum difficultatibus deliberatione discuti debeat. Tunc igitur subsistere potest efficax intentio Finis antecedenter ad medij alicujus electionem, debetque adeo intentio secundùm Divum Thomam *cit. a. 4.* realiter distingui ab Electione, siquidem ista sit Formalis motio in media, ille verò actus intentionis sit motio tantùm virtualis
14. erga media. In tali porro casu contingere potest, ut præsuppositâ intentione, ratio consiliativa unicum pro fine consequendo medium proponat, atque tunc voluntas ex efficaciâ & impetu intentionis procedit ad Electionem absque prævio consensu medij approbativo, sed iste coincidit cum Electione. ex Divo Thomâ *q. 15. a. 3. ad 3.* Quòd si verò ratio consiliativa plura Finis assecutioni conducibilia media proponat, tunc voluntas antecedenter ad Electionem potest de horum utilitate habere complacentiam, quam eo ipso realiter oportet distingui ab Electione, quòd ista unius ex pluribus medijs sit determinativa: Consensus vero sit Complacentia plurium approbativa, antecedenter ad unius præ alijs electionem, ex Sancto Doctore *citato.* Constat igitur, aliquam intentionem realiter indistinctam esse à medij consensu ac Electione, aliam verò ab hac distingui realiter: insuper Electionem aliquam ab intentione distinctam realiter non distingui à consensu, aliam verò ab illo esse à parte rei distinctam.

CONTROVERSIA II.

Utrùm ex duobus bonis eligere possit voluntas minus bonum, vel æquale?

1. NOn procedit difficultas 1. de Bono *Materialiter*, sed *Formaliter* spectato, prout vestitum est objectivâ convenientiæ ratione, ut sic motivâ voluntatis. Neque 2. difficultas est de hoc, quod voluntas relicto meliori, possit eligere minus saltem *mediatè*, movendo scilicet Intellectum, ut novo modo consideret ac inquirat convenientiora motiva, sub quibus id, quod prius erat minus Bonum, repræsentetur *formaliter* majus Bonum.

Difficultas igitur per Joannem à Sancto Thomâ *præs. disp. 6. a. 2. n. 5.* exposita in eo se tenet. *An scilicet propositis duobus Bonis, non solùm secundùm se, sed ex parte Iudicij ac dictaminis æqualibus, aut altero minore; possit voluntas non mutato Iudicio, nec novo motivo proposito, neque novâ initâ consultatione, solùm ex se, ac ex sua libertatis exercitio eligere tum æquale, tum minus bonum Formaliter etiam sub minori motivo spectatum.* 2.

Referuntur Sententiæ.

AFfirmant Richardus *in 2. dist. 38. a. 2. q. 4. ad 3.* Major *q. 1. §. ad primum istorum.* Suarez *in Metaph. disp. 19. sect. 6. n. 13.* Amicus *præs. disp. 9. n. 11.* Salas *hic tract. 6. disp. 1. sect. 5. q. 9.* 3.

Fundamentum est 1. Quia Deus non necessariò eligit id, quod melius est, sed relicto Incarnationis Divinæ ad redimendum genus humanum remedio, potuisset medium minùs conveniens eligere sub æquali perfectionis quà Independentis motivo. 2. Eo ipso, quòd voluntati proponatur aliquod Bonum, quà limitatum, habet voluntas circa illud libertatem non tantùm exercitij, sed etiam specificationis. Atqui licèt Bonum particulare sit propositum quà melius altero, potest adhuc repræsentari quà limitatum. Ergo voluntas circa illud retinebit libertatem tam Exercitij, quàm specificationis; poteritque adeo tale objectum respuere etiam positivo nolitionis actu. At repudiato tali objecto, poterit hoc ipso voluntas se convertere ad alterum minus bonum. Ergo voluntas potest eligere minus Bonum, repudiato majori Bono.

Econtrario negant Capreolus *in 1. dist. 25. a. 3. ad 2. concl. 1.* Caietanus *q. 13. a. 6.* Vasquez *disp. 43. cap. 2.* Ioannes à Sancto Thomâ *cit. a. 2.* Ildephonsus Baptista *disp. 198. n. 160.* asserens, loquendo de judicio Bonitatis medij *Absolutè*, id est, non solùm secundùm quod desumitur ex ipsâ utilitate medij ad Finem, sed ex quâcunque circumstantiâ, vel ratione extrinsecâ; sic omninò tenendum esse, quòd voluntas eligat id, quod omnibus pensatis judicatur melius, neque possit eligere, quod omnibus pensatis, manet æquale, vel minus Bonum. 4.

Fundamentum est. Quia voluntas non potest ferri in Bonum, nisi mediante hujus tractione & allicientiâ objectivâ. At stante judicio æqualis, vel etiam minoris boni repræsentativo in aliquo medio, nequit hoc esse repræsentatum sub vi *objectivè* attractivâ: siquidem ista per majorem, aut æqualem ex opposito bonitatem tunc obfuscata sit.

Conclusio.

NOn potest voluntas inter duo Bona eligere, quod Exercitè saltem sit minus, vel æquale Bonum; quamvis boni prælecti præponderatio plerumque sit potiùs ex appretiatione Dominij voluntatis proprij, quàm ex objecti Bonitate intrinsecâ.

Probatur. Eo ipso enim, quòd solus Deus clarè visus, vel Bonum ut sic exhaurire possit universalem voluntatis commensurationem, sequitur, 5.

quitur, quodvis Bonum sub aliquâ concretione materiali ab Intellectu propositum voluntati, non posse istam suâ vi allectivâ & attractivâ eatenus aggravare, quin præponderet ejus vis super objectum hujusmodi Dominativa *Exercitiò saltem* repræsentata in omni Bono *limitatè solùm* repræsentato voluntati. At ratione hujus præponderantis voluntati intrinseci in quovis Bono limitato *Exercitiè saltem* repræsentati Dominij fit, quòd minus Bonum quà vestitum istâ voluntatis Dominij circumstantiâ, respectu voluntatis fit *appretiativè* majus Bonum. Cùm proinde factâ duorum sive æqualium, sive de se inæqualium Bonorum repræsentatione, quodlibet istorum respectu voluntatis Dominij sui appretiabilitatem *Exercitiè* saltem intendentis sit alteri *de se quidem* majori Bono præponderans; voluntas autem istam Dominij sui appretiabilitatem in omni Commensurationem ejus universalem non coæquante Bono, istud præeligendo, *Exercitiè saltem* intendat; consequens est, voluntatem ita habere libertatem ex duobus *de se* sive æqualibus, sive inæqualibus Bonis quodlibet eligendi, ut in hujus tamen libertatis Exercitio semper eligat Bonum, quod *respectivè in ordine ad se* sit majus, ac melius.

Responsio ad opposita Fundamenta.

6. AD Primum *n. 3.* oppositum Respondetur. Tametsi omnia objecta creabilia non nisi sub uno in Dei perfectionibus relucentis Gloriæ motivo sint per Divinam voluntatem expetibilia, atque adeò in Decretis Divinis nulla sit ex parte motivi inæqualitas, in ejusmodi tamen objectis quà Divinæ voluntatis Motivo subjectis resplendere Dei quoque absolutum Dominium, quod eatenus in omni sive electione, sive reprobatione sit in voluntate Divinâ præponderans, ut consequenter Deus in ipso Decreti sui Exercitio non nisi id, quod melius est, eligat.

7. Ad secundum *cit. n. 3.* oppositum Respondetur. Eo ipso, quod voluntati respectu cujusvis Boni limitati sit libertas Exercitij, imo & specificationis; oportere, talem vim Dominativam, in prævia ejusmodi objecti repræsentatione *Exercitiè saltem* esse ipsi repræsentatam. Ex quo proinde voluntatis Dominio objectum præ altero electum ita vestiri, ut eo ipso fiat appretiativè ponderosius, altero de se quidem meliori Bono. Unde omninò verum esse, quod Voluntas inter plura Bona semper eligat id, quod respectu sui *appretiativè* majus, seu melius est.

CONTROVERSIA II.

Utrùm dari possit Electio circa impossibilia?

1. SCotus *in 2. dist. 6. q. 1. n. 34. ac seq.* distinguit asserendo; si electio accipiatur pro actu voluntatis consequente plenam apprehensionem Intellectûs, omninò dari posse circa impossibile per modum simplicis Complacentiæ, sufficientis tamen ad meritum & demeritum, Philosopho *3. Eth.* asserente: *Voluntatem esse impossibilium.* Quo proinde modo Angelum Apostatam affectâsse æqualitatem Divinam. Si verò Electio dicat volitionem efficacem sequentem Syllogismum practicum, non posse versari circa impossibilia; eò quòd nullus consilietur de impossibili, neque præcipiat Intellectui practico ad inquirendum media ad illud. In quo sensu procedere dictum Philosophi *3. Eth.* asserentis: *Electionem non esse impossibilium.* 2.

Huic Scoti sententiæ partim adstipulatur, partim refragatur Amicus *præs. disp. 9. n. 28.* docens: voluntatem posse quidem inefficaci ac simplicis complacentiæ actu appetere impossibile, apprehensum sub statu & hypothesi possibili, non tamen posse ullum prosecutionis actum versari circa impossibile, consideratum secundùm rationem Formalem impossibilis. Fundamentum est. Quia impossibile consideratum *Formaliter* ut impossibile, nullam dicit rationem boni convenientis appetenti. At nihil potest voluntas appetere, nisi sub ratione boni convenientis appetenti.

Adversatur ex parte Vasquez *hic disp. 42. cap. 3.* negando, ullum actum voluntatis elicitum posse esse sub conditione, aut conditionatum, qui possit explicari per verbum *vellem*, sed omnem voluntatis actum præsentem esse absolutum. Fundamentum est. Quemadmodùm enim objectum Visûs est color, aut lumen, & objectum Intellectûs in assensu est verum, & in dissensu falsum, ita etiam voluntatis in prosequendo est bonum, & in fugiendo malum. Ergo quemadmodum actus videndi, quem quis quovis tempore reipsâ elicit, non fertur in colorem, qui esset sub aliquâ conditione, nec intellectus assentitur vero, quod esset verum sub conditione, actu autem non est verum: Ita eodem modo voluntas appetere, aut prosequi nequit, quod actu non est bonum, neque apprehenditur ut actu bonum, sed bonum esset, si aliqua subsisteret conditio: quod enim esset bonum sub conditione tantum, non potest tale apprehendi, quale requiritur, ut moveat affectum. 3.

4. Adversus istam Vasquezij doctrinam movet Joannes a Sancto Thoma *cit. disp. 6. a. 3. n. 7. & 14.* asserendo, impossibile carere quidem entitate, & bonitate *secundùm se* & *quasi subjectivè*, non tamen semper *apprehensivè* & *objectivè*; posseque adeò prout ab intellectu ad instar alicujus boni apprehenditur, vel quatenus id, quod bonitatis est, præsumitur; appeti tum actu absoluto inefficaci, quantum ad bonitatem apparentem, & fictam; tum conditionato, quoad assecutionem. Fundamentum est. Quia licèt voluntas feratur in Bonitatem objecti in se, regulatur tamen per apprehensionem, tanquàm per conditionem requisitam, quâ vestitur objectum, ut appetatur. Unde non est extra sphæram objecti voluntatis; siquidem hujus objectum sit non solùm bonum verum, sed etiam apparens, aut fictum, & quidquid apprehensum, potest eam movere, possit & actum ejus terminare: impossibile autem non quidem ex meritis suis, benè tamen beneficio Intellectûs illud apprehendentis ad instar boni & fictâ extrinsecâ bonitate id vestientis, movere possit, voluntatem.

CONCLUSIO.

Dari potest objectum voluntatis eatenus Terminativum, ut secundùm omnium suarum formalitatum, sub quibus substat voluntatis intentioni, vel Electioni, concretionem spectatum sit impossibile: attamen quoad unam Formalitatem de se bonam & possibilem possit esse Motivum prosecutionis *Appretiativè efficacis*: quoad aliam verò Formalitatem sit objectum Fugæ & aversionis ut sic efficacis: ut adeò impossibile possit terminare actum voluntatis, in suâ realiter indivisibili Entitate habentem rationem tam prosecutionis *Efficaciter* appretiativæ, quàm Fugæ *Efficaciter* aversativa.

5. Explicatur & probatur. Si enim ponatur peccatum Angelicæ superbiæ in hoc se tenuisse, quod similitudinem cum Deo non quidem consubstantialem, sed participatam in lumine Gloriæ ac visione Beatificâ sitam voluntati suæ repræsentatam habens, simul viderit naturæ suæ defectibilitatem, ratione cujus Beatitudinis supernaturalis, atque adeò consummatæ, licet participatæ cum Divinitate similitudinis adeptio non nisi viribus Gratiæ esset possibilis. Tunc Angelus potuit talem Dei similitudinem efficaci appretiatione eatenus appetere, ut eodem tamen voluntatis actu illam naturæ Defectibilitatem, tanquam malum Naturæ aversans, sui à viribus Gratiæ dependentiam & subjectionem actu Fugæ in ratione aversionis efficaci repudiaret. Quo proinde superbiæ Angelicæ actu posito, elucet conclusionis nostræ veritas.

6. Probatur istud assumptum. Nam in illo objecto cum Beatitudinis supernaturalis maximâ appretiatione expetibilis, tum Naturæ defectibilitatis seu mali per naturæ limitationem insiti, & in hoc radicatæ a gratiæ viribus dependentiæ, atque adeò debitæ erga Deum subjectionis repræsentativo, plures continentur Formalitates, quæ simul possint unum simplicem voluntatis actum eatenus terminare, ut cuique tamen per rationem repræsentatæ maneat sua vel appretiationis, vel aversionis dignitas. Quare voluntas Angel. potuit actu prosecutionis secundum appretiationem supernaturalis Beatitudinis bonitate condignam ferri in hanc bonitatem.

7. At verò sicuti cuilibet virtuoso actui inest constantia quædam & perpetuitas, seu firmitas taliter immobilis, ut per appretiationis objecti virtuosi efficaciam pro instanti sui in creatura rationali inexistentiæ sit a voluntate Formaliter exclusiva omnis oppositæ turpitudinis, ac malitiæ: sic talis potuit illi prosecutionis in Beatitudinem supernaturalem latæ actui inesse appretiationis efficacia, vi cujus angelica voluntas haberet immobilem quandam pro instanti ejusmodi Firmitatem, & constantiæ seu perpetuitatis efficaciam. Eo ipso autem, quòd Beatitudinis in lumine Gloriæ ac Divinæ Essentiæ visione sitæ possibilitas in creaturâ rationali importet intrinsecam & Essentialem à viribus Gratia dependentiam, atque adeò subjectionem Misericordiæ Divinæ indigam, sequitur; sub luce illius Beatitudinis quâ Boni summè appretiabilis repræsentativâ re urgere defectibilitatem etiam Angelicæ naturæ, ut sic de Jure exigentem humiliationis erga Deum subjectionem. At verò licet ista subjectio fundet maximam Humilitatis ac Religionis honestatem moralem, annexum tamen habet aliquod naturæ malum, seu intrinsecam indigentiam, ratione cujus adeò in natura etiam Angelicâ radicati mali physici potest voluntas per libertatem suam defectibilem aversari illam erga Deum subjectionem, & à gratiæ viribus dependentiam. Sicuti autem illa Beatitudinis supernaturalis Bonitas digna est efficaci quadam appretiationis firmitate ac immobilitate: sic illiud indigentiæ seu Defectibilitatis in Angelica naturâ radicatæ malum intrinsecum terminare potest actum fugæ, habentem aversionis efficaciam cum firmitate quâdam immobili figentem voluntatis in objecto ejusmodi. Constat proinde, quòd, licèt impossibile non possit terminare voluntatis actum merè prosecutivum, possit tamen sub diversis Formalitatibus repræsentatum esse terminativum actûs voluntatis, qui sub unâ indivisibili suâ Entitate habeat rationem tum prosecutionis *quoad appretiationis* firmitatem *Efficaciter* latæ in Bonitatem ex se expetibilem, ac de se possibilem: tum Fugæ *quoad aversionis immobilitatem efficaciter* latæ in malum seu Defectibilitatem aliquam Bonitati illi annexam.

Responsio ad opposita Fundamenta.

8. Ad Scoti *n. 1.* oppositam doctrinam Respondetur. Simpliciter negandum esse, quod de impossibili quà impossibili detur Electio, sive actus persecutionis: siquidem appetibile *Formaliter* ut sic importat quendam ordinem ad *Esse* vel *inesse*; cujusmodi ordo *Formaliter* pugnat cum ratione impossibilitatis. Quare de hoc non nisi *Materialiter* sumpto, prout in uno objecto plurium Formalitatum combinativo est quædam Bonitas de se possibilis, & appretiabilis; dari potest Electio non quidem *Effectivè*, sed *Appretiativè* efficax, cujusmodi efficacia non in mediorum consiliatione sit radicata, sed importet quandam voluntatis immobilitatem oppositi objecti pro suæ inexistentiæ instanti à voluntate exclusivam, *veluti in conclus. probatione fusius deductum est.*

9. Ad Amici *n. 2.* propositam doctrinam Respondetur. Eam posse illo duntaxat sensu probari, quod, licèt impossibile sub illa Formalitate, sub quâ involvit impossibilitatem, non admittat talem statum possibilitatis, seu hypothesin potius, sub quâ induere possit rationem appetibilitatis; attamen illa impossibilitatem fundans Formalitas annexam habere possit aliam diversi generis Formalitatem, ut sic possibilem ac expetibilem. Sicut peccatum carnis eatenus in genere moris est *intrinsecè* malum, ut in isto genere non admittat hypothesin, sub quâ sit expetibile: attamen in genere naturæ seu Delectabilitatis sensualis eatenus participat Bonitatem aliquam, quæ de se possit voluntatem malitiæ illius moralis aversativam eatenus movere, ut sub hypothesi, si malitia ejusmodi moralis esset separabilis, vellet illam carnis Delectabilitatem.

10. Ad Vasquezij *n.3.* oppositum Respondetur. Verum quidem esse, quòd sicut actus videndi ac intelligendi nequit terminari ad objectum, quod non actu habeat rationem coloris, seu luminis, aut Veri, sic nequeat voluntatis esse Terminativum objectum, nisi *actu* & *absolutè* sit participans rationem Bonitatis, vel saltem ut tale sit voluntati propositum. Nihilominùs fieri posse, quòd in uno objecto possit repræsentari tum malitiæ voluntatem retrahentis, tum Bonitatis voluntatem allicientis Formalitas, possitque adeò voluntas objectum ejusmodi ratione suæ Bonitatis velle actu *de se* quidem absoluto, sed conditionato ex parte objecti; dicendo v. g. vellem inire statum Matrimonij, si non essem subiectus tot oneribus.

11. Ad Joannis à Sancto Thomâ *n. 4.* propositam Doctrinam Respondetur. Eam indigere aliquâ distinctione. Nam licèt objectum secundùm se impossibile possit *apprehensivè* fieri possibile, & ut sic expetibile: ex hoc tamen plus non evincitur, nisi quòd impossibile *Materialiter* spectatum, non autem *Formaliter* sub illâ Formalitate, sub quâ impossibile repræsentatur, vestiri possit Formalitate Bonitatis, & appetibilitatis radicatæ in ordinabilitate ad *Esse* vel *inesse*. Unde fieri etiam consequens, quòd Formalitas sub possibilitatis ratione per Intellectûs sive præcisivam, sive fictitiam apprehensionem efformata, & repræsentata possit expeti tum simplicis complacentiæ affectu, tum voluntatis actu *subjectivè* & *in se* absoluto, licèt conditionato *ex parte objecti. uti superiùs insinuatum est.*

❋❋❋❋❋❋❋❋❋)(❋❋❋❋❋❋❋❋

CONTROVERSIA IV.

Qualiter usus se habeat ad Electionem & Impertum?

1. VAsquez *præs. disp. 47. cap. 2. n. 3.* Salas *tract. 9. de actib. human. disp. 1. sect. 7. n. 75.* docent: Usum esse ipsam operationem exterioris potentiæ motæ per electionem à voluntate, ita ut nihil aliud sit, quàm opere exequi id, quod judicatum & electum est. Fundamentum à Vasque *n. 6.* deductum est. Quia, ut potentia exequens & motrix in brutis operetur, non indiget novo actu appetitûs præter affectum, quo statim fertur in objectum propositum. Ergo in nobis præter electionem, quâ voluntas fertur in medium propositum, non erit necessarius alius actus elicitus à voluntate, per quem voluntas applicet potentias exequentes ad opus. Quòd si disparitatem assignes, eò quòd homo, non autem brutum ad opus etiam post electionem maneat indifferens, atque adeò indigeat aliquo actu sui determinativo, in contrarium affertur, hominem quoque vi electionis eatenus determinari, ut Electione permanente, non possit non operari, quamvis ab Electione & amore cæpto cessare possit, in quo unicè differt à bruto.

2. Serra *præs. disp. 16. a. 41.* Joannes à Sancto Thomâ *l. d. sp. 17. a. 1. n. 6.* Joannes Baptista Gonet *to. 7. disp. 11. a. 1.* tenent, quòd usus sit actus elicitus à voluntate distinctus ab electione, *activè* applicans alias potentias ad operandum. Fundamentum per Joannem à Sancto Thomâ *n. 7.* deductum est. Quia in executione nova & major se offert difficultas, quàm in solâ Electione interiori: Eligere enim est actus merè internus, in quo voluntas solùm certat secum, nec habet aliud impedimentum, quàm velle, si objectum sit cognitum, & ita solùm mutando ipsum velle, potest eligere & elicere oppositum actum. In exequendo autem non solùm certat secum, sed cum alijs potentijs subjectis, in quo mille difficultates se offerunt, tum in labore potentiarum & facultatum, aut resistentiâ, tum in impedimentis externis. Unde ad hoc ponitur specialis virtus constantiæ, & perseverantiæ ad superandas difficultates, & frangentia extrinseca. uti docet D. Thomas *2. 2. q. 137. a. 3. & 4.* eò quòd *plerumque cadat in nostrâ potestate electio, sed non executio.* Ergo præter actum electionis indiget voluntas novâ efficaciâ & conatu pro executione, novâque constantiâ & applicatione activâ, quæ dicitur *Usus.*

3. Franciscus Amicus *disp. 10. n. 13.* censet, Electionem plerùmque, non tamen semper distingui ab usu. Cui consonant, quos refert, & partim sequitur Salas *cit. sect. 7. n. 79. & 80.* asserentes: omnem usum esse electionem, non econtra. Fundamentum à Salâ *citato* deductum est; Quia usus est actus, quo potentia executiva sufficienter applicatur ad opus. At si electio determinet quidem medium, sed non omnes ejus circumstantias hic & nunc occurrentes, potentia non sufficienter applicatur ad opus. Ergo Electio tunc non est Usus. Quòd si verò Electio determinet medium cum omnibus circumstantijs, tunc per eam sufficienter applicatur potentia ad opus. Ergo Electio tunc est usus.

CONCLUSIO,

VSus est actus immanens voluntatis, *ordinariè* distinctus *realiter* ab Electione.

4. Probatur authoritate Sancti Thomæ *præs. q. 16. a. 4.* taliter differentis: *Voluntas duplicem habitudinem habet ad volitum, unam quidem, secundùm quod est quodammodò in volente per quandam proportionem, vel ordinem ad volitum. Unde & res, quæ naturaliter sunt proportionatæ ad aliquem Finem, dicuntur appetere illum naturaliter. Sed sic (secundùm proportionem scilicet) habere finem, est imperfectè habere: Omne autem imperfectum tendit ad perfectionem: & ideò tam appetitus naturalis, quàm voluntarius tendit, ut habeat ipsum Finem realiter, quod est perfectè habere ipsum. Hæc verò est secunda habitudo voluntatis ad volitum. Volitum autem non solùm est Finis, sed id, quod est ad Finem. Ultimum autem, quod pertinet ad primam habitudinem voluntatis respectu ejus, quod est ad Finem, est electio, ibi enim completur proportio voluntatis, ut completè velit id, quod est ad Finem. Sed usus jam pertinet ad secundam habitudinem voluntatis, quâ tendit ad consequendam rem volitam. Unde manifestum est, quòd usus sequitur Electionem.*

5. Ex hoc sic argumentari licet. In voluntate circa Finem ac media duplex est distinguendus ordo: alter *secundùm proportionem*, consistens nimirum in allicient à Finalizativâ per Finis cum voluntate, & mediorum cum Fine proportionem ex-

nem excitata. Alter *secundùm realem Finis consecutionem*, consistens in Causalitate Mediorum Executrice, seu Effectrice. At isti duo ordines ita se habent ad invicem, ut prior compleatur in Electione mediorum, vi allicientiæ Finalizativæ determinatorum. Hoc autem Finalizativæ determinationis ordine completo, excitatur voluntas ad exequendum, per viam Causalitatis Efficientis. At ista Executionis motio *primariò* est voluntatis,* tanquam instrumentorum, ex Divo Thomâ *cit. q. 16. a. 1.* Unde consequens est, Executionis primam motionem, quæ dicitur usus, esse propriè actum voluntatis, ex Sancto Doctore *citato*. At eo ipso, quòd iste usus sequatur Electionem, sed antecedat Executionem inferiorum potentiarum, convincitur, esse mediam; atque adeò ab utraque distinctam. *ex cit. q. 16. a. 4. ad 1.* Manifestum igitur est, quod usus non sit actus extra voluntatem Transiens, sed immanens; *realiter* distinctus ab Electione.

*tanquam Primi moventis: aliarū verò potentiarū exequendū est.

6. Dices. Sanctum Thomam *cit. a. 4.* sic habere: *Sed quia voluntas etiam quodammodò rationem movet, & utitur ea, potest intelligi usus ejus, quod est ad Finem, secundum quod est in consideratione rationis referentis ipsum in Finem. Et hoc modo usus præcedit Electionem.* Ex quo sic argui potest; Motio voluntatis excitantis rationem ad mediorum consultationem est usus. Hæc autem voluntatis motio præcedens Electionem non distinguitur ab intentione Finis, habente efficaciam excitativam rationis ad mediorum inquisitionem & consiliationem. At non major est Electioni vis potentias inferiores mediante Imperio, excitandi ad exequendum, quàm intentioni sit Efficacia excitandi rationem ad consultandum. Consequens proinde est, quòd sicut usus rationis ad consultandum movens est indistinctus ab intentione, sic usus ad mediorum Executionem impellens non debeat dici *realiter* distinctus ab Electione.

7. Contra. Nam alia est vis actû alicujus excitativa secundùm Sympathiam, seu proportionem connaturalem: cujusmodi efficacia inest tum appetitui sensitivo erga voluntatem mediâ ratione *objectivè* movendam, tum voluntati erga rationem pro medijs Fini præintento congruis disquirendis & consultandis, tum rationi erga vim imaginativam pro excitando phantasmate objecti per rationem repræsentati sub Figuris sensibilibus expressivo. At ejusmodi excitativa vis non *strictè*, sed *latè* duntaxat habet rationem Usûs. Alia proinde efficacia est alterius actûs excitativa secundùm motionem Causalitatis Efficientis. Ejusmodi autem efficacia *Originaliter*, *primariò* & *simpliciter* est in voluntate Divinâ, habente vim omnis objecti à se *positivè* voliti effectricem: *participativè* autem ac *secundùm Quid* convenit voluntati creatæ, Angelicæ quidem non tantùm respectu operationum Intellectûs, sed etiam respectu localis corporum motûs; humanæ verò respectu inferiorum proprij duntaxat suppositi potentiarum. Unde voluntas potest quidem *strictè loquendo* in se habere usum rationis *Efficienter* motivum: hæc tamen effectiva voluntatis efficacia non se extendit ad actus rationis, vel potentiæ sensitivæ, aut motivæ, nisi eorum executio sit *expressè* & *signatè* volita, sicuti Originativa quoque voluntatis Divinæ Efficacia non est nisi in ordine ad objecta *signatè* secundùm actualis existentiæ realitatem volita. Etsi proinde usus etiam *strictè loquendo* possit identificari cum intentione actûs alicujus secundùm executionem realem præfinitivâ: sicuti etiam Electio mediorum non tantum in se ipsis, secundùm Finalizativæ motionis ipsam etiam realem Executionem subinferendæ vim habentis efficaciam *signatè* prosecutivâ, sed ipsius etiam Executionis quà ab inferiori proprij suppositi potentiâ *Exercitè* faciendæ determinativa non distinguitur realiter ab usu; Hinc tamen evincitur duntaxat, quod usus aliquando, non autem ordinariè coincidat cum Electione.

Probatur istud assumptum. Nam ex vi Efficacis intentionis *ordinariè* non excitatur ratio ad media consideranda, nisi quoad sui cum Finè proportionem, & conducibilitatem. Ex istâ verò consideratione vi præcedentis intentionis voluntas eatenus movetur ad Electionem, ut ista in viâ Causalitatis Finalis sit ultimum complementum. At verò ex ista jam consummatæ Finalizativæ motionis efficaciâ excitatur ratio qua ordinativa mediorum; non attendendo jam ad eorum præcisè utilitatem, sed ad eorum executionem, maturâ omnium, quæ occurrere possunt, difficultatum quoad singulas, tum impedimentorum, tum remediorum impedimentis ejusmodi removendis congruorum circumstantias consideratione habitâ. Ejusmodi proinde Executionis Ordinativa ratio est actus prudentiæ qua præceptivæ, participatque nomen Imperij, cui respondet etiam Virtus Constantiæ ac perseverantiæ difficultatibus obortis haud cedentis, ubi ratio Mediorum jam priùs Electorum executionem ordinat. Hoc autem imperium licet jam habeat Efficaciam ex Finalizativa Electioni ac intentioni præsuppositæ inexistente Causalitate, necdum tamen habet vim Causalitatis Efficienter motricis ad executionem. Unde talem efficientis Causalitatis ac Physicæ Executionis motionem ordiri debere ex Voluntate executionis quà Exercitè faciendæ determinativâ, uti patebit ex *dicendis seq. a. conl. 2.* At hæc ipsa Executionis determinatio per voluntatem (si in executionis viâ subsint difficultates priùs non definitæ in viâ Consultationis, ac Executionis) liberè facienda habens ut sic Efficaciam Causalitatis efficientis, dicitur Usus. Constat igitur, Usum *ordinariè* distinctum esse ab Electione, supponereque Imperium Electionem subsequens, ex electionis vi, in ratione ordinativæ dispositionis, nec non Finalizativæ Causalitatis eatenus habens efficaciam, ut hæc tamen in ratione Causalitatis Efficientis compleatur per Usum: ut adeò *præced. q. a. 3. conl. 5.* consultò diximus. Imperium, quod *Formaliter* est actus Intellectûs, non *Originativè* duntaxat (quoad specificationis seu finalizativæ Causalitatis efficaciam ex vi Electionis sibi connexam) sed etiam *Completivè* (quoad Efficaciam Exercitij seu Efficientis Causalitatis ex vi usûs sibi conjunctam) dicere actum voluntatis. 8.

Responsio ad opposita fundamenta.

AD Vasquis *n. 1.* oppositum Respondetur. Disparem esse rationem voluntatis, & appetitûs brutalis; tum quòd iste non habeat vim *Efficienter* motivam potentiarum sui suppositi: sicut econtra talis vis inest voluntati, cui adeò 9.

respon-

respondere debet specialis actus realiter distinctus ab Electione, *ordinariè* non nisi Finalizativam, & quandam in connaturali ejusdem suppositi potentiarum sympathiâ fundatam vim motricem habente: cujusmodi adeò sympatheticæ proportionis motio in brutali appetitu respectu potentiæ motivæ locum solummodò habet, tum quòd ratio, non autem vis imaginativa post objecti convenientiam repræsentatam, & efficaciter expetitam, specialium in executione difficultatum inventrix esse soleat, quibus proinde respondere debeat in voluntate actus ab Electione distinctus, & ex perseverantiæ, seu constantiæ virtuoso Motivo quandoque excitatus, cui in vi Effectivæ causalitatis conveniat esse superiorem illis ex parte potentiarum executricum occurrentibus difficultatibus, uti eleganter probat fundamentum Joannis à Sancto Thomâ *n.2.* deductum.

❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀)(❀❀❀❀❀❀❀❀❀

CONTROVERSIA V.

Qualis actus sit fruitio.

1. DIfficultas quidem moveri posset ex Oviedo *hîc tract.2.cont. 4. punc.5. n. 96.* cum Societatis Jesu Theologis à se relatis existimante; Deo non tantùm frui, sed etiam uti licere, illum quà cognitum, per contemplationem v.g. assumendo, tanquàm medium in ordine ad se ipsum quà possidendum in visione, vel quà complacentem in actu virtutis, respectu cujusmodi actûs considerari potest Deus ut Mediū *ad Finē, ad quem tanquam mediū desumitur.* Verùm
2. circa hoc brevis est expeditio, asserendo: Deum causalitatis suæ effectricis vi & efficaciâ promovere quidem nos in se ipsum, tanquàm Finem Ultimum, nec non ad actus virtutum. Quam proinde Causalitatem ex Deo transeuntem, & in nobis receptam habere rationem medij, quo utamur ad Finis nostri adeptionem. Si tamen Causalitatem ejusmodi in suo Fonte appretiemur, ipsumque adeò Deum in se ipso non in suis tantùm Donis voluntate nostrâ prosequamur, non posse voluntatem nostram ordinatè se habere ad Deum, nisi pro dignitate suæ Bonitatis, ceu ultimi voluntatem nostram ex se ipso satiantis Finis *Finaliter* & *ultimatè* ipsam appretiando: nec adeò videri, quomodò voluntas volens Deo non tantum frui, sed etiam uti, non subeat censuram Divi Augustini redarguentis illos, qui utuntur fruendis, & fruuntur utendis. Quare his missis, superest decidenda controversia: *An fruitio sit actus voluntatis, possitque versari circa Finem non tantum ultimum, sed etiam intermedium.*

Referuntur Sententiæ.

3. SCotus *in 3. dist. 15. q. un. n. 9. & in 4. dist. 49. q. 7. n. 2.* Hicquæus *ibi in comment. à n. 104.* & alij negant; Fruitionem esse operationem à voluntate elicitam, sed formam quandam ab objecto possesso impressam. Fundamentum est. Nam eadem est ratio tristitiæ ac delectationis. Atqui tristitiam esse passo violentam, docet Aristoteles *1. Rhetor.* Violentum autem est ab Extrinseco, passo nullam conferente vim. Pari ergo ratione Delectatio, seu fruitio cum istâ coincidens est ab extrinseco, scilicet objecto, nec adeò est actus elicitus à voluntate, sed ad istius operationem se habet, ut pullulans quidam finis, perinde atque pulchritudo in his, qui vigent ætate, ex Philoso. *10. Eth. cap. 4.*

Sotus *in 4. dist. 49. q. 2. a. 4.* Fruitionem ait, saltem inadæquate esse actum Intellectûs. Fundamentum est. Nam fruitio est possessio Beatifica obiecti voluntatis satiativa. Divo Thomâ *præs. q. 11. a. 1. ad 3.* attestante. *Quòd Deus sit ultimus Finis, ficut res, quæ ultimo quæritur: fruitio autem sicut adeptio hujus ultimi Finis.* Atqui possessio ultimi Finis est ipsa visio Beatifica; eodem Sancto Doctore *1. p. q. 26. a. 2. in arg. sed contra.* taliter disserente. *Cum igitur Deo fruamur secundùm Intellectum, quia visio est tota merces secundùm Augustinum, videtur, quòd Beatitudo dicatur in Deo secundùm Intellectum.* 4.

Aureolus *in 4. dist. 1. in 2. par. dist. a. 1.* Cajetanus *1.2.q. 31. a. 4.* Ferrariensis *1. contra Gentes. cap. 9. §. circa probationem.* Vasquez *1.2.q. disp. 14. cap. 2.* Amicus *præs. disp. 8. n. 8.* Joannes à Sancto Thomâ *hîc in annot. ad q. 11. & 21. n. 4.* Ildephonsus Baptista *disp. 128. n. 29* Gonet *cit. to. 7. disp. 7. art. un:* cum Divo Thomâ *præs. q. 12. a. 1. & 2. & alibi* tenent, fruitionem esse actum à voluntate elicitum, qui si in ratione Fruitionis sit perfectus, non versetur nisi circa Finem vel *Simpliciter*, vel saltem *Respectivè* pro aliquâ serie actionis Ultimum, habeatque pro objecto *Quod* ipsam rem, quæ est Finis, pro objecto autem *Quo* ipsam adeptionem & Fruitionem. 5.

CONCLUSIO.

FRuitio est actus à voluntate elicitus *Formaliter* consistens in Delectatione: *præsuppositivè* & *Causaliter* exigens amorem, *Radicaliter* verò importans possessionem.

Explicatur & probatur. Nam teste Divo Augustino *lib. 10. de Trinit. cap. 10. Fruimur cognitis, in quibus voluntas propter se ipsam delectata conquiescit.* Est igitur Fruitio actus voluntatis se habens per modum quietis. ex Divo Thomâ *1. 2. q. 12. a. 1. ad 4.* At ista quies est per modum Delectationis ex plenitudine voluntatis satiativâ resultans. ex eodem S. Doctore *q. 4. a. 1. ad 1.* Ejusmodi verò delectatio plenam voluntatis satietatem supponens, exigit objecti plenè satiativi cum voluntate unionem, sitam *Formaliter* in amore. Hic ipse verò amor, ut habeat vim excitandi delectationem, ex quâ voluntas plenè conquiescat, præsupponit objecti plenè satiativi præsentiam. Etsi enim amor sit quædam affectiva cum objecto unio, hæc tamen se habet per modum impulsûs, non autem per modum attractûs intussusceptivi: cujusmodi intussusceptio objecti delectabilis tanquàm ejus possessio Intentionalis exigitur, ut amor objecti satiativi possit in voluntate excitare delectationem. Consequens igitur est; Fruitionem eatenus esse actum voluntatis *Formaliter* in Delectatione se tenentem, ut sui tamen Causam excitativam supponat objecti 6.

plenè

7. plenè satiativi quà possessi amorem. At verò Finis duntaxat ultimus, non in spe, sed in re possessus est voluntatis simpliciter satiativus. Unde respectu Finis non Ultimi, vel etiam Ultimi quà in spe, sive secundùm imperfectæ duntaxat contemplationis pariter possessionem possessi, non datur Fruitio nisi *secundum Quid*, & imperfecta, importans quietem, cum aliquâ adhuc inquietudinis tendentia permixtam. Qui proinde Finis ultimus non nisi qua Intentionaliter possessus valeat excitare plenè satiativam sui delectationem, se taliter habet ad Fruitionem, ut intrinseca quidem illius apprehensibilitas tanquàm Finis *Qui* sit objectum *Quod*, ejus tamen possessio seu Finis *Quo* sit objectum saltem *Quo* Fruitionis.

Responsio ad opposita Fundamenta.

8. AD *n. 3.* oppositum Respondetur. Tristitiam non *Formaliter*, utpote ut sic voluntatis actum elicitum; sed *Objective* esse violentam, quatenus scilicet ejus objectum habet difformitatem ac repugnantiam cum inclinatione tum naturali, tum elicita suppositi, & voluntatis erga ipsam contristatæ. E contrario igitur Delectationem non tantum *Formaliter*, sed *Objective*

9. consonare cum suppositi, seu voluntatis de objecto delectantis inclinatione, esseque ad instar Finis *Quo* secundarij, ex voluntatis operatione scilicet amore eatenus resultantis, ut tamen per modum quietis sit quædam voluntatis in objectum sui satiativum tendentia elicita.

10. Ad *n. 4.* oppositum Respondetur. Fruitionem esse objecti Beatifici possessionem, tum *radicaliter* ratione visionis objectum Beatificum inter Intellectum *repræsentative* ac *Intentionaliter* suscipientis; tum *Formaliter* esse secundariam objecti jam *Intentionaliter* possessi adeptionem non intussusceptivam, sed voluntatis per amorem in objectum raptæ *Affective* unitivam.

❊❊❊❊❊❊❊❊❊(❊)❊❊❊❊❊❊❊❊❊

CONTROVERSIA VI.

Utrùm omnes actus versantes circa eundem finem ac media sint unius, vel potius diversæ speciei?

1. STatus quæstionis formari potest de specie tum physicâ, tum morali. Et quidem si sermo sit de specie physicâ, indubitatum nobis est, quin actus præcise circa Finem versantes specie distinguantur ab actibus versantibus circa media, siquidem ista etiam qua media ex se ipsis habeant aliquid Bonitatis, non quidem *Primario*, sed *Secundario* motivæ, atque adeo specificativæ actuum erga se tendentium. Quare de specie duntaxat morali difficultas supe est, sicuti etiam, si fiat inter ipsas circa eundem Finem versantes actus, scilicet intentionem, voluntatem Finis simplicem, ac Fruitionem fiat comparatio, quæri potest; *An specie physicâ, vel etiam morali inter se differant?*

Referuntur Sententiæ.

2. ILdephonsus Baptista *præs. disp. 163. n. 29.* tenet, quòd Electio & usus sint actus *specificè* diversi per diversos conceptus, seu rationes Formales. Fundamentum est Quia actus specificantur ab objectis. Unde stante specificâ objecti distinctione, necessarium est, actus *specificè* distingui. Atqui objectum Electionis est medium, ut alijs prælatum ratione utilitatis ad Finem *præcise*: objectum verò usûs est medium ut Executum & in re positum. Hæ autem rationes sunt diversæ, ita ut una possit esse sine aliâ. Ergo necessarium est, Electionem ac Usum ad minus distingui *Formaliter* per diversas Essentias, diffinitiones, & conceptus.

3. Ioannes à Sancto Thomâ *in annot. ad præs. q. 12. n. 13.* asserit, actus intentionis, Fruitionis, ac simplicis volitionis (idem proportionaliter est de Electione comparatâ ad usum & consensum) quando versantur circa eundem finem, convenire in eâdem specie morali, quatenus spectent ad eandem virtutem, aut vitium, habere tamen diversam speciem physicam in ratione voluntarij, quæ sit species quasi incompleta, aut materialis intra eandem speciem virtutis: Sicuti eadem Religionis virtus habeat diversos specie actus, orationem scilicet, devotionem, votum, juramentum; ac in eodem homine sint plures potentiæ ac partes heterogeneæ in ratione potentiæ, & partis differentes specie incompletâ.

4. Fundamentum primi est. Quia eâdem virtute inclinatur aliquis in omnes illos actus: velut ab eâdem charitate elicitur amor circa Deum, & gaudium de Deo, ac desiderium de illo: sunt enim isti effectus charitatis, qui non exigunt diversam virtutem, sed eandem. ex S. Thomâ 2. 2. q. 28. Pari ratione virtus Temperantiæ taliter inclinat ad volendum *Temperate* vivere, tanquàm ad Finem proximum, ut inclinet etiá ad eligendum hic & nunc medium temperantiæ, & materiam debitè temperatam: siquidem totum hoc eisdem regulis rationis, & eâdem moralitate reguletur; scilicet modo *temperate* se habendi, prout distinguitur à Fortitudine & Iustitiâ. Insuper eadem virtus scilicet fortitudo eâdem moralitate moderatur timorem & audaciam, quæ tamen sunt diversæ passiones: sicut eadem quoque virtus religionis diversos elicit actus. Ergo ad eandem virtutem pertinebit frui, & intendere Finem, v. g. Temperantiæ, aut Iustitiæ: nec ex diversitate istorum actuum necesse est virtutes diversas constituere.

5. Fundamentum secundi est. Quia in genere physico diversus voluntatis actus est amor, & gaudium, aut desiderium: siquidem unus sit de re absenti, alter de præsenti, alius verò secundùm se sit abstrahens à temporis objectum afficientis circumstantiâ. At fruitio est gaudium, causaturque ab amore, intentio verò se habet sicut desiderium quoddam efficax. Ergo sicut in appetitu naturali lapidis v. g. distinguitur motus descensûs ad centrum, & quies in centro, licèt uterque versetur circa centrum: sic actus amoris intentionis ac fruitionis distinguuntur ex parte Finis, seu objecti *Formaliter* sumpti, quà motivi sub diversâ ratione, siquidem in

dem in ratione physicâ voluntarij aliter moveat res ut præsens, aliter ut absens.

Conclusio.

Intentio, simplex volitio, ac Fruitio versantes circa eundem Finem, ita differunt specie physicâ, ut quandoque, non tamen semper conveniant in specie morali.

6. Probatur. Nam illi actus ideò differunt specie physicâ, quòd habeant objecta *Formaliter* in ratione Motivi diversa. Hæc autem motivorum diversitas est ex Finalizativâ allicientiâ actuum à voluntate elicitorum secundùm rationem voluntariæ in objecta ejusmodi tendentiæ spectatorum diversimodè attractivam: siquidem aliter in ratione voluntarij moveat Bonum quà præsens, & aliter quà absens, aliter verò secundùm se *præcisè* spectatum ut abstrahens à præsentiâ, & absentiâ. At verò moralis species desumitur ex ordine ad objectum, quà actuum non præcisè in ratione physicæ à voluntate elicientiæ, sed cum rectâ ratione conformabilitatis spectatorum *Formaliter* motivum. Si ergo in motivo quà præsente, & absente, vel abstrahente sit quædam diversitas secundum conformitatẽ cum rectâ ratione, sequitur, actus motivum sub tali præsentiæ, & absentiæ differentiâ respicientes esse diversos, non tantùm *physicâ specie*, secundum physicam voluntarij tendentiam, sed *specie* quoque *morali*, secundùm sui cum rectæ rationis regulâ conformabilitatem.

7. Atqui per fidem eatenus repræsentatur Increata Dei Bonitas quà secundum intentionalem sui possessionem absens, vel quà abstrahens à sui præsentiâ & absentiâ, ut per actum tamen Doni Sapientiæ ex amoroso Divinæ Charitatis unitivo affectu exercitatum jam prægustata, per visionem non quidem intuitivam, sed contemplativam constituatur præsens. Unde ex vi prioris per fidem repræsentationis eatenus voluntas allicitur ad Dei amorem & desiderium, ut ex vi posterioris per Sapientiæ Donum expressionis excitetur ad Gaudium, ceu Fructum Spiritûs Sancti, & sanctam in id ipsum Deitatis consopitam pacem.

8. At verò sub istâ duplici Divinæ Bonitatis quà per fidem, & quà per sapientiæ Donum expressæ repræsentatione subest diversa ratio Motiva, quæ non tantùm respectu voluntariæ ex Motivi ejusmodi Finalizativâ vi excitatæ elicientiæ fundet diversitatem specificam, sed quoad Formalem cum Divinâ supernaturali, in Deo quidem superunitâ, in Intelligentijs autem creatis divisâ ratione conformabilitatem, ut sic Moralis Honestatis specificativam, subest differentia: siquidem prior Divinæ increatæ Bonitatis repræsentativa, per fidem expressa ratio in ipsâ lineâ moralitatis sit regula diversa ab alterâ posteriore, quæ per Donum Sapientiæ exprimitur. Consequens proinde est, non semper verum esse, quòd actus voluntatis circa eundem Finem, sub distinctâ tamen per diversas rationis quandoque supernaturalis regulas repræsentatâ Formalitate versantes sint ejusdem moralis speciei.

Responsio ad Fundamenta *n. 2. & seq.* deducta.

9. Ad Ildephonsi *n. 2.* & secundum Ioannis à Sancto Thomâ *n. 3.* propositum fundamentum Respondetur. Ex toto id approbando ac insuper per quandam extensionem à fortiori asserendo, quòd Electio debeat *specificè* distingui ab intentione, siquidem ista ex solo Fine; illa verò ab isto tanquam primario, à mediorum verò utilitate tanquàm secundario motivo specificetur.

10. Ad primum Ioannis à Sancto Thomâ *n. 4.* deductum fundamentum Respondetur. Nobis improbari, quatenus *absolute* asserit, quòd actus ab unâ virtute eliciti specie tantùm physicâ, non autem morali differre possint. Etenim motivum virtutis quà habitûs specificativum aliquas respectu singulorũ actuum admittere potest concretiones, per quas etiam in *Esse moris* secundùm sui cum rectâ ratione conformabilitatem resultant diversæ rationes objectivæ; veluti patet in Charitate taliter specificatâ ex Divinæ Bonitatis super omnia appretiabilitate, ut tamen alius ab istâ virtute elicitus *specie etiam morali* distinctus actus sit Dei amor ex Fide procedens, alius verò sit Gaudium de eâdem Bonitate Divinâ, qua per contemplativam sapientiam possessâ: sicuti virtus quoq; religionis in se secundũ speciẽ eadem diversas respicit moralitates objectivas in Voto, Oratione, & Iuramento; diversitate istâ resultante ex quâdam Cultûs Divinæ Excellentiæ sub diversis Formalitatibus protestativi ad actiones speciales concretione, ut sic conformabili rectæ rationis ac legis Divinæ regulis.

11. Etsi proinde fieri quandoque possit, quòd actus ab unâ virtute elicit i differant *specie physicâ*, quin *in genere moris specificè* sint diversi, hoc tamen eo duntaxat casu tenet, quo in motivo actûs allectivo & Finalizativo non repræsentatur specialis *in genere moralis* cum rectâ ratione *conformabilitatis* ratio motiva: veluti considerare licet circa Temperantiam, in quâ actus Temperatè vivendi se habens per modum Efficacis intentionis, plerumque non differt specie morali, sed physicâ duntaxat ab Electione mediorum, siquidem in his nulla quoad moralitatem, seu cum rectâ ratione conformabilitatem sit specialis ratio motiva, & ut sic Electionis ejusmodi *in genere moris* specificativa.

ARTICULUS II.

DE *Voluntatis actibus Imperatis.*

1. Actus Imperati dicuntur, qui procedunt ex imperio voluntatis. Unde tale imperium se habet ad illos, non quà Causalitas duntaxat effectrix, sed quà Forma ipsorum *in Esse morali* constitutiva, adeò ut imperium & actus imperatus sint unus actus humanus per modum alicujus *Totius moralis*, licèt *physicè* sint actus *realiter* distincti. Hinc pro instituto præsenti duæ occurrunt controversiæ his

hic exagitandæ. 1. *Quinam actus sint à voluntate imperabiles?* 2. *Quam Causalitatem exerceat Imperium in actus imperatos?*

❊❊❊❊❊❊❊❊❊❊❊ ❊❊❊ ❊❊❊❊❊❊

CONTROVERSIA I.

Quinam actus sint à voluntate imperabiles?

2. Divus Thomas 1. 2. q. 17. a. 5. usque ad .9. ad præsens institutum insinuat sequens fundamentum, quòd scilicet illi actus possint à voluntate imperari, qui sunt in nostrâ potestate, & arbitrio, ac subduntur rationis nostræ persuasioni seu directioni, cùm è contra actus, qui sunt extra talem persuasionem ac regimen, non sint à voluntate imperabiles. Ex quo principio consequenter infert 1. actus voluntatis posse, mediante alio scilicet reflexo actu, imperari, eò quòd ratio de illis
3. possit ordinare: *ex cit. a. 5.* 2. Actus rationis *Quoad Exercitium* semper posse imperari: at *Quoad Specificationem* non subdi voluntatis imperio simplicem apprehensionem, sed hanc determinari ex lumine à quo naturali, vel supernaturali. Nihilominus si objectum apprehensum non habeat evidentiam ex se determinativam ad assensum, velut evenit ex principijs lumine naturæ notis; sed vel contingentiam & probabilitatem duntaxat, vel obscuritatem, vi cujus adeo Intellectus non convincatur, posse voluntatem vi sui imperij assensum vel dissensum suspendere, vel rationem ad eum determinare; veluti evenit in assensu Fidei per voluntatem, Intellectum in primæ veritatis obsequium captivantis, imperium excitato. *ex præs. a. 6.*
4. 3. Cùm appetitus sensitivus sit potentia organica, cujus adeo actus non tantum ex virtute talis potentiæ, sed ex corporalis organi dispositione dependeant, idcircò tales actus subdi voluntatis imperio, prout sequuntur imaginationis apprehensionem, utpote quæ cùm sit particularis, reguletur ab apprehensione rationis. In quo adeo sensu locum habere illud *Genes. cap. 4. Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius.* Eo ipso autem, quòd dispositio &
5. qualitas corporis non subjaceat rationis imperio, ideò ex hac parte motus appetitûs sensitivi non subdi regimini voluntatis, sed hac etiam nolente ac displicente, concitari, vel etiam voluntatis imperium prævenire posse. Hinc esse, quod rectè Philosopho 1. *Polit. cap. 2. in med. Ratio præsit irascibili, & Concupiscibili, non principatu Despotico, qui est domini ad servum; sed principatu politico, aut regali, qui est ad liberos, non totaliter subditos imperio.* Unde emanâsse etiam illud Apostoli ad *Roman. 7. Non quod volo Bonum, hoc ago.* Et: *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ.*
6. 4. Actus animæ vegetativæ cùm sequantur appetitum naturalem, in Exercitio independentem ab apprehensione tum rationis, tum Imaginationis; nullo modo subdi rationis Imperio, nisi *indirectè*, ac *per accidens* quoad applicationem v. g. materiæ, circa quam versari debent actus ejusmodi, veluti commestio applicans nutrimentum, eatenus est in potestate nostrâ, ut per nutrimenti liberam subtractionem *Consequenter* ac *indirectè* impediri possit nutritionis seu vegetationis actus, licèt hic in se *Formaliter* ac *Directè* non sit in nostrâ potestate. *ex præs. a. 8.*

5. Cum vires sensitivæ subdantur imperio rationis, non autem vires naturales, adeò motus membrorum, quæ moventur à potentijs sensitivis, subdi rationis imperio etiam Despotico, juxta Augustini *lib. 8. confess. cap. 9. Imperat animus, ut moveatur manus, & tanta est facilitas, ut vix à servitio discernatur imperium.* Secus verò esse de membris, quorum motus consequuntur vires naturales. Hæc enim, veluti Cor ceu vitæ tum sensitivæ, tum vegetativæ principium, nec non membrum generationi deserviens, nequidem quoad localem sibi connaturalem motum subdi rationis imperio. *ex art. 9.* Cujus unam rationem expressit Sanctus Augstinus *lib. 14. de Civit. cap. 16. Ut anima scilicet suæ inobedientiæ ad Deum in illo præcipue membro pœnam pateretur, per quod peccatum Originale ad posteros traducitur.* Alteram vero rationem Divus Thomas *cit. a. 9. ad 3.* insinuat; quòd nimirum utrumque illorum sit quasi quoddam animal separatum, in quantum est principium vitæ. Cor enim est principium sensuum; & ex membro genitali virtus exit seminalis. At principium est virtute totum. Ergo illa membra habent proprios motus naturaliter, siquidem principia oporteat esse naturalia. Cùm igitur motus, qui ex appetitu Naturali procedunt, non subdantur rationis imperio, consequenter illorum membrorum motus non subjacent voluntatis regimini ac libertati. 7.

8.

CONCLUSIO.

EX prætactâ Doctoris Angelici Doctrinâ inter se collatâ inferre licet; quod omnes motus in quantum participant de ratione, subjaceant voluntatis imperio, quantum verò participant de naturâ, voluntas nihil habeat potestatis circa illos.

Explicatur & Probatur. Etenim homo ita se habet, ut quoad portionem rationis & voluntatis, sit supra ordinem Universi situm in Causarum secundarum quoad influxuum suorum communicationem mutuâ coordinatione; quoad portionem autem partis Vegetativæ ac sensitivæ taliter sit intra Universi ordinem, ut pars tamen sensitiva recipiat influxus tum à corporibus Extraneis, tum à suppositi sui propriâ ratione ac Voluntate. Eo ipso autem, quod voluntas humana tam *activè*, quàm *passivè* sit extra Directum ordinem Universi situm in immediatâ cum extraneis corporibus communicatione, oportet, voluntatem humanam nullas habere vires contra influxus Causarum naturalium. Unde cùm sensus vi specierum ab objectis Extrinsecis impressarum determinentur ad actualem sensationem, nequit hæc impediri per Imperium voluntatis nisi *indirectè*, removendo objectum, vel avertendo sensum, ne species fiat ab objecto impressio aliqua. Similiter pars vegetativa partim per modum naturæ, ex se ipsâ quoad motum etiam localem Vis attractivæ 9. 10.

tractivæ, vel generativæ partim ex influxibus Causarum Extranearum, Corporum etiam Cælestium, sive Elementorum eatenus determinatur ad suos effectus, ut nullam habeat subordinationem ad rationis imperium, nisi *Indirectè* quoad materiæ, vel Causarum quandoque subtractionem, seu remotionem, ut sic duntaxat
11. voluntatis arbitrio subjectam. Pari ratione Intellectus per species Intelligibiles, vel evidentiam objecti fœcunda us per modum naturæ ab intrinseco determinatur ad cognitionem tum simplicis apprehensioni, tum Iudicij. Quare motus intra hominem eliciti vel ex intrinsecâ potentiæ alicujus determinatione, vel ex Causarum Extrinsecarum tum physicâ, tum intentionali impressione reducendi sunt ad ordinem naturæ, contra quem voluntatis humanæ vires nequeunt prævalere. Alium proinde in
12. moribus hominis, imò in rebus Universi adstruere licet ordinem rationis. Et quidem respectu Dei omnia *Dicendo* ac *mandando* facientis, res universæ tum quoad substantiam, tum quoad motus suos *Effectivè* participant de hoc ordine, adeò, ut quæ nobis insensibilia sunt, Deo sint sensibilia, sive quodammodò *participativè* rationalia, *veluti ait* S. Hieronymus *lib. 1. comment. in Evang. Matth. 8. cap.*

13. Deinde respectu Intelligentiarum seu Angelorum Corpora universa tam Cælestia, quam sublunaria quoad motum localem participant de ratione, siquidem voluntatis ipsorum imperium habeat efficaciam imprimendi quibus-
14. vis corporibus motum aliquem. At verò voluntatis humanæ efficacia ita est coarctata, ut neque extendat se ultra proprium suppositum, neque in hoc habeat nisi limitatas vires respectu potentiarum, quatenus vel ab intrinseco, vel à Causarum Extranearum influxibus non sunt determinatæ. Ejusmodi verò potentia voluntati subjecta inprimis est vis imaginativa, in eo discrepans à sensibus Exterioribus, quòd illa, non verò isti in se habeant reconditas species sensibiles, quæ ex ratione valeant excitari, & sic ad sensationem eliciendam applicari: dein appetitus sensitivus, nec non facultas locomotiva, prout supra ex Divo Thomâ expositum est. Patet proinde, qualiter in homine divisus sit ordo Naturæ & rationis, ita ut juxta hanc divisionem sit quoque divisum in homine Naturæ ac voluntatis imperium.

CONTROVERSIA II.

Qualem Causalitatem exerceat voluntas in actus Imperatos?

1. VAsquez *disp. 34. cap. 3.* Conimbricenses *7. Phys. cap. 2. q. 1. a. 7.* Torres *to. 1. de Relig. q. 8. a. 7. disp. 3.* Oviedo *tract. 2. de actib. hum. cont. 5. punc. 2. n. 26.* & alij docent: Determinationem motûs v. g. localis ex vi actûs voluntatis illum imperantis fundari in sympathiâ potentiarum, quam habent ex eo, quòd radicentur in eâdem animâ: ex quâ radicatione & sympathiâ nasci, ut ad nutum actûs voluntatis prodeat actus aliûs potentiæ, in ordine ad quem talis potentia subditur voluntati, seu in ordine ad quem potentia ex alijs principijs ab actu voluntatis distinctis determinata non est. Fundamentum ab Oviedo *citato* deductum est. Quia quicumque alius influxus superfluus est, & absque fundamento ponitur. Asserere enim actus voluntatis *physicè* influere in actus aliarum potentiarum absque fundamento erit, & in omissionibus actuum potentiarum voluntati subditarum imperatis medio actu positivo voluntatis, de quibus eadem est difficultas ac de positivis actibus, est manifestè falsum, quia nullus physicus influxus dari potest in omissionem. Dicendum ergo est, influxum actûs voluntatis imperantis in imperatos aliarum potentiarum consistere in coexistentiâ actûs imperantis & imperati.

Econtrario Caietanus *2. 2, q. 23. a. 8.* Ioannes à Sancto Thomâ *in philos. q. 12. de an. a. 6. concl. 1.* ex sententiâ plurium Thomistarum docet 1. Quando potentia inferior, vel virtus operatur aliquid ultra modum suum, non *quasi habitualiter* & *permanenter*; sed in aliquo actu, ex actuali participatione superioris potentiæ, non posse hoc fieri per solam Sympathiam, & radicationem in eâdem animâ, sed per impressionem realem & physicam à voluntate, vel virtute superiori derivatam ad inferiorem. Fundamentum est. Quia illa Sympathia & colligatio potentiarum neque immutat potentiam inferiorem *in se*, aliquid de novo ei addendo, & confortando ipsam, neque *in suâ radice*, hoc est in ipsâ naturâ. Atqui potentia, quæ nec *in se*, nec *in suâ radice* immutatur, non potest perfectiorem & excellentiorem effectum elicere, quam ante; siquidem causâ creata eodem modo se habente, sequatur idem effectus. Ergo si *realiter* & *physicè* major & excellentior effectus progrediatur ab inferiori, quam ejus connaturalis virtus possit *ex se*, necessariò a superiori debet perfici. 2.

Idem Ioannes à Sancto Thomâ *cit. a. 6. concl. 2.* affirmat, etiam motionem superioris potentiæ, quæ tantum applicat inferiorem ad agendum secundum ejus virtutem propriam, nec aliam majorem superaddit, non fieri per solam Sympathiam & colligationem potentiarum in unâ naturâ, sed per realem impressionem, & mutationem in ipsam. Fundamentum est. Nam diverso modo exeunt actiones ab inferiori potentiâ, quando subordinatur in suâ applicatione & exercitio voluntati, quàm si non subordinaretur: siquidem, cum illæ potentiæ exercent suos actus ut imperatæ & applicatæ à potentiâ superiori, exeant cum aliquâ novâ habitudine, tum ad finem potentiæ imperantis, tum ad ipsam efficientiam potentiæ imperantis. Atqui talis modus non affigitur actui producto ab extrinseco, sed cum illo nascitur ex suâ potentiâ, & ita præsupponit in potentiâ principium sufficiens ad producendum illum. Hoc autem non habet, nisi ex superioris potentiæ applicatione. Ergo non solùm quando confertur nova virtus, sed quando virtus propria exercetur, & applicatur ad actum, oportet, intrinsecè & realiter perfici potentiam, ut tali modo exeat actus. 3.

Con-

Conclusio.

Non improbabiliter dici potest, quòd actus voluntatis imperans habeat efficaciam *physicè* effectricis Causalitatis erga actum imperatum.

4. Probatur. Voluntas enim creata est *Idealiter* exemplata ex ratione voluntatis Divinæ. Huic verò est vis *physice* effectiva omnis objecti à se *positive* voliti. At hæc ipsa vis *physice* effectrix limitatè quidem participatur à voluntate Angelicâ, ita ut istius actus respectu motûs localis quorumcumq; corporum, imo & lucis habeat vim physicæ causalitatis, *veluti in 1. p. q. 17. a. 2. cont. 3. ostensum est.* Consequenter ergo videtur dicendum, quod voluntati etiam humanæ cum majori licèt restrictione, conveniat ejusmodi vis *physicè* effectrix Motuum aliquorum, non quidem extra proprium suppositum, sed in proprijs suppositi potentijs quà per naturam, sive intrinsecam, sive Extrinsecam *quoad Exercitium* non determinatis, *prout prac. cont. expositum est.*

Confirmatur. Sicut enim Intellectui creato
5. convenit ex Divini Intellectûs Ideali Exemplatione quædam participata similitudo, vi cujus habet vim determinandi voluntatem *Quoad specificationem*. Sic voluntati creatæ debet convenire quædam Divinæ voluntatis participata similitudo, quoad vim virtutum sibi subordinatarum, earumque actuum determinativam. Atqui alia voluntatis quà Imperantis vis est determinandi potentiæ sibi subordinatæ actionem non *quoad Exercitium*, sed *quoad Obligationem mo-*
6. *ralem* in aliquâ determinata virtutis specie. Ejusmodi autem actionis *quoad moralis* in creatâ virtute *Debiti specificationem* determinativa vis non convenit voluntati creatæ in se præcisè spectatæ, sed prout inest supposito habenti jurisdictionem seu authoritatem legislativam. Oportet igitur, voluntati secundùm suam præcisè naturam quà ex Divinæ voluntatis idealis Exemplatione ideatam, convenire vim actiones potentiarum sibi subjectarum determinandi *Quoad Exercitium*. At verò sicuti vis Intellectui inexistens ad voluntatis actus determinandos *Quoad specificationem* in voluntate taliter motâ infert Causalitatem Finalem, sic voluntatis vis ad inferiorum potentiarum actus determinando *quoad Exercitium* infert in voluntatis actu imperante Causalitatem talium actuum effectricem. Ergo ista physica effectrix causalitas respectu actûs imperati non improbabiliter videtur concedenda voluntatis actui imperanti.

7. Dices ex Ioanne a Sancto Thomâ *cit. a. 6. §. Quod vero dicunt aliqui circa medium.* Ex prætacto nostro discursu inferri, quòd voluntatis actus imperans habeat quendam partialem influxum in actum imperatum Intellectûs, vel appetitûs sensitivi. At nihil intellectionis etiam partialiter esse à voluntate, sed totum ab Intellectu. Et hinc esse, quòd actûs imperantis in potentias inferiores influxus non consistat in concursu simultaneo: sed prout idem author *in solut. ad 5.* ait, sit quædam motio inferiori potentiæ impressa per modum qualitatis transeuntis: sicuti causa prima imprimit in Causas secundas, & principalis in instrumentale. Quam proinde à Divo Thomâ *1. 2. q. 16. a. 2.* dici, se habere per modum diffusionis, seu dispositionis, quam una potentia accipit ab aliâ. Hanc ipsam verò dispositionem seu diffusionem respicere peculiarem aliquam rationem, in actu potentiæ inferioris ac motæ relucentem. Ex vi cujus adeò rationis peculiaris esse, quòd in potentiâ inferiori supponi debeat sufficiens principium præbendi talis specialis rationis habitudinem, cujusmodi debeat principium accipere à superioris potentiæ motione.

Contra. Nam motio inferiorum potentiarum 8.
ita proportionaliter se habet ad voluntatis actum imperantem: sicuti se habet motio voluntatis ad Intellectum. Hæc enim utraque fit per quandam realem unius in alterâ potentiâ impressionem, neque differunt, nisi quòd Intellectûs ex voluntate motio sit *quoad Exercitium*, motio autem voluntatis ex Intellectu sit *quoad specificationem, veluti patet ex* Divo Thomâ *q. 21. de Verit. art. 13. & 1. 2. q. 9. a. 1. & q. 17. a. 1.* At motio voluntatis per Intellectum importat motionem Finalizativam, Motio autem Intellectûs, aliûsve inferioris potentiæ per voluntatem dicit motionem Effectivam. Motio autem Finalizativa passivè sumpta non distinguitur ab ipso actu voluntatis quà excitato per objectivam Finis allicientiam, ut sic *Formaliter* terminativam specificæ ac Essentialis actûs ex se Finalizati habitudinis. Pari ergo ratione illa inferioris potentiæ per voluntatem motio *activè* spectata eatenus importat actûs imperantis efficaciam per modum Causalitatis *physicè* effectricis, ut motio ejusmodi *passivè* sumpta dicat ipsummet actum ab inferiori per voluntatem motâ potentiâ elicitum. In quo adeò sensu accipiendus est D. Thomas *q. 14. de Verit. a. 5. ad 4.* asserens: *quòd id, quod ex Charitate* (per hujus scilicet actum imperantem) *relinquitur in fide* (id est fidei actu) *sit fidei intrinsecum*, id est realiter identificatum cum fidei actu. Patet proinde, quòd ipsa etiam Intellectio emanare possit ex Causalitate voluntatis *Formaliter* quidem immanente, sed *Virtualiter* Transeunte in talem intellectionem: sicut volitio quoque Divina est omnis extra Deum actionis eatenus effectrix causalitas, ut ex hac *Immediatè* fluat actio per ipsam volita, vi talis volitionis
effecta. At verò ista volitionis Divinæ effecta 9.
actio licèt *per se immediatè* fluat ex Causâ secundâ, cujus est actualis operatio, per prius tamen refertur ad Deum. Unde Dei cum Causâ secundâ concursus non est merè simultaneus, seu Concomitans, sed prævius & antecedens non tantùm ex parte Causalitatis effectricis Divinæ voluntati *Formaliter* immanentis, ac *Virtualiter* Transeuntis; sed etiam ex parte actionis per istam Dei volitionem effectæ, ut sic per prius respicientis Divinam immanentem Causalitatem, quàm Causam secundam. Ejusmodi autem prioritas radicatur in Essentiali Causæ secundæ à Causæ primæ influxu, non *Quoad Esse* duntaxat, sed etiam *Quoad operari* dependentiâ. At eo ipso, quod voluntas ac Intellectus, cæteræque inferiores potentiæ eatenus radicentur in unâ animæ Essentiâ, ut harum inferiorum potentiarum sit intrinseca quædam ad voluntatem *Quoad Exercitium* subordinatio, fit consequens, in inferioribus potentijs dari posse motionem eatenus pendentem ab istarum influxu, ut tamen pendeat etiam à Causalitate voluntatis, seu ab hujus actu imperante, habente ut sic efficaciam actûs ab inferiori potentiâ eliciendi causativam,

ſativam. Conſequens proinde eſt, quòd ſpecialis in actibus imperatis ad actum imperantem habitudo non diſtinguatur ab illorum entitate, nec ſupponat aliquam potentiæ inferiori impreſſam qualitatem ſe tenentem ex parte principij actuum ejuſmodi effectivi, ſed ſit ipſa actio potentiæ inferioris ab hujus influxu, nec non antecedente actûs imperantis cauſalitate, & efficaciâ dependens.

10. Inſtabis. Si actus imperatus ſe habeat ad actum imperantem, tanquàm Cauſalitatem ſui effectricem, non poſſe actum imperantem ſubſiſtere, quin ex ipſo actualiter ſequatur actus imperatus. At conſequens eſſe falſum: ſiquidem voluntate per actum imperantem etiam *poſitivè* invitâ, poſſit potentia inferior impediri ab actûs imperati efficientiâ.

11. Contra. Nam actio effectrix *adæquatè* ſpectata importat duplicem formalitatem, alteram per modum actualitatis cauſam *intrinſecè* actuantis, cum Eſſentiali ad effectum habitudine, alteram per modum actualitatis in effectu, ſive hujus ſubjecto receptæ. Hæ autem duæ formalitates ita ad invicem comparantur, ut prior quantum eſt ex ſe, ſit neceſſariò inferens poſteriorem. Unde niſi ex parte ſubjecti actualitatis ejuſmodi receptivi ponatur impedimentum, non poteſt ex illâ non ſequi effectus. At licèt Divinæ voluntatis intrinſecæ cauſalitati non poſſit ullum ſubeſſe impedimentum, quò minùs effectus, prout Deus voluit, inevitabiliter ex illâ conſequatur: eo ipſo enim, quòd ſuper omnem realitatem creatam Voluntas Divina abſolutum ac infinitè efficax habeat Dominium, nihil poteſt re-
12. ſiſtere Divinæ Voluntatis abſoluto Decreto. Nihilominùs quia Dominium voluntatis creatæ eſt limitatum, nec ad omnes etiam proprij ſuppoſiti actiones, vel impreſſiones ſe extendit, idcirco prævalere quandòque poteſt aliqua in appetitu v. g. ſenſitivo ex organicis diſpoſitionibus dependens impreſſio, ita ut actus voluntatis imperans per formalem impedimenti ſubjecto actûs imperati ſuſceptivo, imò & Effectivo impreſſi reſiſtentiam impediatur ab Effectûs ſui conſecutione, ſeu paſſivâ actûs imperati ex ſe emanatione: tametſi reſpectu hujus de ſe habeat efficaciam *intrinſecè* determinatam. Conſequens proinde eſt, quòd ratio Cauſalitatis effectricis *inadæquatè* ſubſiſtere poſſit in actu imperante, quin ob Formalem alicujus contrariæ in potentiâ inferiore receptæ impreſſionis reſiſtentiam ſequatur effectus, ut adeò de ratione Eſſentiali illius inadæquatæ cauſalitatis ſolummodò ſit, dicere Eſſentialem reſpectu effectûs habitudinem, quantum eſt de ſe *determinatè* illativam paſſivæ effectûs ex ſe emanationis.

Reſponſio ad oppoſita fundamenta.

13. AD Oviedo *n. 1.* oppoſitum ℞. Actus imperantis in imperatos influxum non poſſe conſiſtere præcisè in horum actuum coexiſtentiâ, niſi aliqua inter ipſos ſit connexio & ſubordinatio. At licèt iſta ſubordinatio *Radicaliter* importet potentiarum in unâ animâ radicationem, ſeu Sympathiam Naturalem: *Formaliter* tamen dicere actualem actionis imperatæ ab actu imperante dependentiam, ſeu Eſſentialem alicujus Cauſalitatis habitudinem. Sicuti ergo omnis extra Deum procedentis actionis eſt Eſſentialis habitudo ad Divinæ voluntatis actum imperativum, tanquàm ſui Cauſalitatem Effectricem, ſic talis Cauſalitatis Efficientis ratio eſt *Idealiter* exemplata in voluntatis creatæ actu imperante, ut adeò ex hoc *phyſicè* fluant inferiorum potentiarum actus imperati. Unde quemadmodùm Decretum Divinum, vi cujus Deus non vult aliquem ad extra effectum, non eſt quidem per modum Cauſalitatis poſitivæ, ſed in vi efficaciæ cujuſdam Dominativæ eſt inferens talis effectûs negationem, ſic proportionaliter diſſerendum eſt de voluntatis creatæ actu omiſſionem aliquam inferiori potentiæ imperante.

Ad Joannis à Sancto Thomâ *n. 2. & 3.* propoſita fundamenta Reſpondetur. In ijs vel maximè probari, quòd in actu imperato ponat ſpe- 14.
cialem habitudinem tum ad Finem, tum ad ipſam Efficientiam potentiæ imperantis. Verùm diſplicere, quòd ratione hujus ſpecialis habitudinis antecedenter ad actum imperatum in potentiâ inferiori ponat qualitatem aliquam ſuperadditam ſe ſenentem ex parte principij. Nam v. g. appetitus ſenſitivus, prout eſt in homine, ſpecificam habet differentiam à Bruti appetitu ſenſitivo. Hæc autem differentia ſpecifica in eo ſe tenet, quòd appetitus ſenſitivus quatenus radicatur in animâ rationali, habeat intrinſecam in ratione potentiæ reſpectu voluntatis ſubordinationem: Sicuti etiam voluntas humana differt ſecundùm ſpeciem à voluntate Angelicâ, quòd per ſui in animâ qua rationali radicationem eatenus *Quoad ſpecificationem* habeat intrinſecam reſpectu Intellectus modo collativo operantis ſubordinationem, ut ipſius etiam voluntatis actus ab Intellectu taliter operante *Quoad ſpecificationem* moti ac directi participent de illo modo collativo, *veluti obſervat* Divus
Thomas *q. 22. de Verit. a. 13.* At verò ſicut Cauſa 15.
ſecunda ex eo, quòd *Eſſentialiter* ſit ſubordinata Cauſæ primæ, nequit habere alicujus actionis Exercitium, quin ipſa *immediatè* pendeat ex Divinæ voluntatis immanente Cauſalitate. Neque verò ad iſtam ſubordinationem requiritur prævia qualitas antecedenter ad actionem Cauſæ ſecundæ impreſſa ſe tenens ex parte principij, ſed Cauſæ ejuſmodi in actu primo ſubordinatio ipſammet intrinſecam ejus Entitatem, ejuſdem verò Cauſæ in actu ſecundo ſubordinatio ipſammet ex ipsâ fluentem actionem importat. Sic proinde dicendum eſt, appetitûs ſenſitivi reſpectu voluntatis ſubordinationem in actu primo ex parte principij eatenus importare ipſam appetitûs ſenſitivi Entitatem, ut ejuſdem in actu ſecundo ſubordinatio ſit ipſa actionis ab appetitu ſenſitivo, & ſimul à voluntatis imperante actu elicitæ Entitas: nec opus eſſe qualitate aliquâ mediâ, per modum applicationis actionem antecedentis impreſsâ appetitui: ſiquidem iſte per ſuam intrinſecam in ratione principij reſpectu voluntatis ſubordinationem ſit in ratione Cauſæ ſufficienter applicatus ad voluntatis actum imperantem, vi cujus adeò applicationis intrinſecæ ſit etiam ex ſe ipſo determinatus ad actionis ex ſuâ virtute intrinſecâ, & voluntatis imperantis actûs Cauſalitate pendentis efficientiam.

QUÆ-

QVÆSTIO SEPTIMA
DE
MORALITATE ACTUUM HUMANORUM.

1. Oinciduut actus humanus & moralis. Etenim actionum, quæ ab homine aguntur, illæ solæ propriè dicuntur humanæ, quæ sunt propriæ hominis, in quantum homo est. At homo differt ab irrationalibus creaturis, quòd suorum actuum sit Dominus. Est autem homo actuum suorum Dominus per rationem & voluntatem, unde & liberum arbitrium dicitur esse facultas voluntatis & rationis. Illæ ergo duntaxat actiones *propriè* humanæ dicuntur, quæ ex voluntate deliberatâ procedunt, *uti discurrit* Sanctus Thomas *1. 2. q. 1. a. 1.* At ejusmodi deliberatæ actiones ut sic important quandã cum ratione mensurabilitatem. Ex hâc autẽ contrahunt imputabilitatem moralem, laude vel vituperio dignam: unde sortiuntur nomen actûs moralis. Consequens proinde est, re ipsâ non distingui actum moralem, liberum, & humanum.

2. De cujusmodi adeò actuum humanorum moralitate duos in præsenti discutiemus articulos, alterum *de Naturâ moralitatis, ejusque specificis differentiis.* Alterum, *de actu morali indifferente.*

ARTICULUS I.
DE
Naturâ Moralitatis, ejusque specificis differentiis.

3. DUplici constabit præsens articulus controversiâ, quarum prior indagabit. *In quo Formaliter ac Essentialiter consistat actûs humani moralitas.* Posterior autem examinabit, *Utrum Bonitas & Malitia moralis se habeant ad actum moralem tanquàm differentiæ specificæ, vel ut accidentia duntaxat?*



CONTROVERSIA I.
In quo Formaliter ac Essentialiter consistat actûs humani moralitas?

PRima sententia Durandi in *2. dist. 35. q. 1.* Scoti *in 2. dist. 40. q. un. n. 3.* Suarezij *tract. 3. de actibus humanis disp. 1. sect. 2. n. 15.* Tanneri *præs. disp. 2. q. 1. dub. 2. n. 14.* Ferrariensis *3. contra Gent. cap. 10.* Salæ *præs. tract. 7. disp. 1. sect. 2. n. 10.* & aliorùm tenet; Moralitatem actuum humanorum consistere *Formaliter* in libertate. Fundamentum est. Illæ enim res *Formaliter* ac *Essentialiter* sunt idem, quarum proprietates Quarto modo, seu Passiones propriæ sunt eædem. Atqui actûs tam moralis, quàm liberi passiones Quarto modo propriæ sunt, *esse dignum laude, vel vituperatione, præmio* vel *supplicio.* Istæ verò proprietates sub eâdem ratione formali & adæquatâ æquè consequuntur libertatem, ac moralitatem actuum humanorum: Divo Thomâ *1. 2. q. 21. a. 2.* attestante: *Nihil aliud esse laudari, vel vituperari, quàm imputari alicui malitiam, vel Bonitatem sui actûs. Tunc verò actum imputari agenti, quando est in potestate ipsius, ita quòd habeat dominium sui actûs.* 4

Hujus tamen sententiæ Doctores divisi sunt. Etenim Ferrariensis *citatus* docens, libertatem esse modum vitalitatis actui intrinsecum, consequenter asserit, Moralitatem *Formaliter* spectatam non importare denominationem duntaxat extrinsecam, desumptam ex principio cum indifferentiâ operativo. Fundamentum est. Nam licèt actus liber ac necessarius possit habere eandem honestatem ex parte operis: veluti patet in amore Dei quà libero in viâ, & quà necessario in patriâ. Nihilominùs honestas ejusmodi se tenens ex parte operantis, quatenus importat modum procedendi ab operante, *liberè* vel *necessariò* se determinante ad objectum à ratione regulatum, refunditur in Essentiam actûs, eumque adeò diversificat. Unde licèt amor etiam patriæ sit moralis, quatenus includit Eminentialem libertatem, distinguitur tamen ab amore viæ *Formaliter* libero. Consequens proinde est, in hoc utroque amore Dei utpote animam Moraliter bonam & sanctam faciente, esse moralitatem intrinsecam; ex modo tamen libertatis tum Formalis, tum Eminentialis utrique huic actui identificato *Realiter*, & ex parte operantis etiam *Formaliter* diversam.

Contra-

6. Econtrario Suarez *ubi supra n. 16.* actûs libertatem statuens in denominatione solum extrinsecâ, consequenter negat, moralitatem esse actui intrinsecam. Fundamentum est. Quia actus eo ipso est liber, quòd emanet à potentiâ taliter effectrice, ut potens sit etiam non influere. At eo ipso, quòd voluntas quà potens non influere, non possit intelligi influens in actum, nequit sub istâ Formalitate actui voluntatis convenire aliquid intrinsecum. Ergo libertas actûs non est quid intrinsecum, sed denominatio Extrinseca desumpta à potentiâ operante ex plenâ potestate, ita ut possit non operari. At eo ipso, quod actus sit liber, est moralis. *uti supra n. 1. ostensum est.* Ergo moralitas consistit in denominatione duntaxat extrinsecâ libertatis.

7. Secunda sententia Curielis *præf. q. 18. a. 1. dub. 1. §. 9.* Ildephonsi Baptistæ *disp. 175. n. 168.* Vasquezij *disp. 73. n. 43.* Serræ *cit. a. 1. dub. un. conc. 3.* Francisci de Oviedo *in 1. 2. tract. 4. cont. 1. punc. 1. n. 10. & 11.* Joannis à Sancto Thomâ *disp. 8. a. 1. n. 10. & 18.* Andreæ Lao *disp. 101. n. 1434. 3441. & 3450.* Joannis Baptistæ Gonet *to. 8. disp. 1. a. 1. concl. 3.* Amici *disp. 12. sect. 1. concl. 3.* Puteani *præf. disp. dub. 1. concl. ult.* tenet, Moralitatem *præsuppositive* seu *Fundamentaliter*, sive *Materialiter* importare libertatem: at *Formaliter* consistere in regulabilitate per rationem, sive in Commensuratione actûs ad Regulam rationis, seu objectum ratione regulatum.

Fundamentum ex Joanne à Sancto Thomâ *cit. n. 18.* deductum est. Quia ratio moralitatis in actibus pertinet ad hoc, quod est esse mensurabile, & ordinabile per legem, & prudentiam, sicut in artefactis *Esse artificiale* pertinet ad rationem mensurabilis per artem. Unde ars versatur circa factibilia ordinando, & mensurando, sicut prudentia circa agibilia. At mensura in his, quæ more humano aguntur, non est libertas, sed ratio & lex præsertim Divina: siquidem agere pro libitu, seu pro libertate sit potiùs agere sine mensurâ & ordine. Sicut ergo in artificialibus tota Formalis ratio artefacti sumitur penes ordinem ad regulas artis, quæ sunt in mente artificis & in ordine ad ideam; sic in moralibus seu agibilibus ratio Formalis debet sumi per ordinem ad regulam rationis, quæ per ipsam prudentiam operantis menti inexistentem applicatur. Ergo libertas non potest se habere ut Formalis ratio hujus mensurationis, sed actus liber se habet ut materia regulabilis per rationem, sicut res externæ; scilicet lapides & ligna, sunt regulabilia per artem; & ita libertas est conditio se tenens ex parte materiæ moralis, ipsâmet actûs ad regulam rationis Mensurabilitate se habente ut formale Moralitatis.

8. Verùm hujus quoque sententiæ authores sunt divisi, Vasque & Amico *citatis* existimantibus: illam actûs moralis regulabilitatem esse extrinsecam denominationem. Fundamentum ab Amico deductum est. Sicut enim Esse artificiatum in opere artificioso est denominatio extrinseca ab arte regulante, quam connotat opus artificiosum ut sic: ita Esse morale in actu humano connotat practicum dictamen rationis, quæ connotatio est denominatio extrinseca.

9. Econtra reliqui *n. 4.* relati Doctores censent, illam cum ratione commensurationem, ac regulabilitatem, atque adeò moralitatem *Formaliter* spectatam esse *realiter* indistinctam ab actûs moralis Entitate: licet aliqui illorum (quibus ego in meis Controv. Scholast. *cont. 22. n. 1.* & Compendij Theolog. *tract. 4. disp. 4. Thesi 1.* olim subscribebam, sed postea oppositum probavi *præf. to. 2. q. 3. a. 1. cont. 4.*) putent; libertatem esse denominationem duntaxat extrinsecam.

Fundamentum per Joannem à Sancto Thomâ *cit. a. 1. n. 25. & 26.* deductum est. Nam actus constituitur in Esse morali per ordinem ad objectum regulatum regulis rationis, seu prout cadit sub ordine rationis. ex S. Thomâ *q. 19. a. 1. ad 3.* Atqui actus non ex aliquo extrinseco, sed ex ipsis visceribus, & ipsâ naturâ suâ inclinatur in objectum, utpote in sui specificativum, tanquàm ratio specificabilis. Nequit autem ratio aliqua intelligi quà specificabilis, sive quà accipiens speciem, nisi per ipsam intrinsecam naturam, & entitatem suam. Etsi proinde verum sit, quòd moralitas sit species accidentalis actui considerato in Esse naturæ; quia tamen hæc accidentalis species sumitur ex ordine ad objectum, prout subordinatum regulis moris: idcirco nequit moralitas esse superaddita actui, sed ab intrinseco est innata, & cum ipso actu identificata.

Conclusio.

Moralitas est *adæquatè* intrinseca actui humano, cujus quasi materiale est libertas, Formale verò in Esse morali constitutivum est ordo Transcendentalis actûs ad suum objectum, ut regulatum regulis rationis.

Probatur. Nam illud se habet ut materiale, quod se habet ut contrahibile ac determinabile; Formale verò se habet ut actualitas determinatæ speciei constitutiva, atque adeò determinativa. At verò licet Entitas actûs humani sit *realiter* indistincta tum à libertate actuali, utpote ad ipsius differentiam individualem (*veluti supra cit. q. 3. a. 1. cont. 4. ostendimus* spectante; tum ab ejusdem actûs ab objectum ratione regulatum commensuratione, utpote ad illius intrinsecam specificationem (uti rectè probat Joannis à Thomâ *n. 9.* deductum fundamentum) pertinente. Nihilominùs secundùm nostræ rationis ratiocinatæ præcisionem libertas actûs humani ad illam cum ratione commensurationem se habet per modum contrahibilis ac determinabilis. 16.

Probatur istud assumptum. Nam libertas actûs consistit *Formaliter* in ordine ad principium cum indifferentiâ Electivâ, seu Dominativâ operativum. Hic vero ordo radicatur in indifferentiâ objecti sub Boni & mali ratione repræsentati. At ista indifferentia est intelligibilis secundùm præcisam cum naturâ quà sensitivâ, seu vegetativâ convenientiæ, ac disconvenientiæ rationem. Ut sic autem Boni & mali non quà moralis, seu quà præcisè naturalis ratio intelligitur eatenus posse fundare actûs humani libertatem, quin actus cognoscatur secundùm illam Formalitatem, in quâ radicatur imputabilitas ad laudem, vel vituperium; sed ista imputabilitas per modum proprietatis emanat ex actûs cum objecto, quà per rationem regulato commensuratione. At verò Formalis ratio morali- 11.

Moralitatis se habet ut radix ex se *Formaliter* determinata ad istam moralis imputabilitatis proprietatem. Quocirca ut illa Boni & mali naturalis ut sic libertatem fundantis ratio elevetur ad *Esse Formale* moralitatis, oportet, ipsam per practicum cuique ratione utenti *naturaliter* insitum morale principium elevari ad objectivam cum rationis puritate seu honestate regulabilitatem.
12. Hæc ipsa verò regulabilitas considerari potest in ordine ad honestatem, seu puritatem rationis quà in mentis creatæ suppositum reflexæ absque Formali, seu Virtuali in Divinum Numen referibilitate. Ut sic autem intelligitur fundari moralitas quædam imperfecta & incompleta, siquidem nulla rationis regula *adæquatè* spectata esse possit, quin ex parte sui objecti *Transcendentaliter* importet honestatis menti creatæ convenientis virtualem saltem in Divinum Numen, seu Ultimum Finem referibilitatem.
13. Quare completa moralitas objectiva importat objectivam cum mentis creatæ puritate, ac honestate *quà Virtualiter saltem* in Divinum Numen referibili regulabilitatem. Consequens proinde est, quòd intrinsecus & Transcendentalis ad illam objectivam rationis regulabilitatem ordo sit Formalis ratio moralitatis, libertate actûs se habente ad illam per modum contrahibilis, seu determinabilis, atque adeò per modum materialis.

Responsio ad opposita Fundamenta.

14. AD *n. 1.* oppositum Respondetur. Eo ipso, quòd actus sit in potestate ac Dominio agentis, in objecto per Intellectum repræsentato relucere quandam cum ratione, qua in Divinum Numen ceu Ultimum Finem *saltem Virtualiter* referibili regulabilitatem. Ex hac verò *Formaliter* consequi laudis vel vituperij imputabilitatem. Quare istam imputabilitatem consequi quidem actum liberum, attamen libertatem actûs Transcendentali ad rationis regulabilitatem commensurationi *Entitative* ac *Realiter* identificatam solum *Materialiter* ac *Identicè*, non autem *ratione ratiocinatâ Formaliter* esse radicem illius moralis Imputabilitatis. Consequens proinde esse, quòd moralitas *solùm materialiter* ac *Identicè*, non autem *Formaliter* consistat in libertate.

15. Ad *n. 2.* propositum fundamentum Respondetur. Non absolutè nobis probari; quòd libertas Eminentialis, cujusmodi est in Beatifico ac necessario Dei amore, ibi dicatur, fundare moralitatem; nisi *latè loquendo*, prout moralitas importat quandam Dignitatem pretio, seu valore aliquo æstimabilem: eo ipso enim, quòd amor Beatificus animam informando, istam in ipso etiam Deitatis conspectu constituat appretiabilem, consequens est; talem amorem posse sub istâ latâ Entis moralis acceptione denominari Moralem. Verùm quia ex communi Philosophorum ac Theologorum impositione actus moralis dicitur, qui subest Dominio voluntatis & rationis, consequenter amorem Dei in patriâ non posse *strictè loquendo* dici actum moralem.

16. Ad *n. 3.* oppositum fundamentum Respondetur. Falsum esse quòd libertas sit extrinseca actui humano. Eo ipso enim, quòd actus liber supponat principium Directivum mobile, sequitur, talem actum *Connaturaliter* exigere durationem temporalem, cùm econtra actus supponens principium tam Effectivum, quàm Directivum Immobile non tantùm ab Extrinseco, sed ab Intrinseco exigat Duratione æviternam, vel etiã æternam. At ista connaturalis exigentia supponit realitatem actui intrinsecam. In quâ proinde realitate sita est actûs libertas, pertinens ad hujus differentiã individualem, *veluti loco superius citato probavimus.* Consequens igitur est, quòd; cùm libertas ad moralitatem se habens ut materiale, sit *realiter* identificata actui humano, moralitas sit concretum non quidem *physicum*, sed *logicum* per rationis ratiocinatæ compositionem; *adæquatè* tamen intrinsecum actui humano.

Ad *n. 4.* propositum fundamentum Respondetur. Moralitatis aliam esse mensurabilitatem cum Regulâ formali rationis, quæ est ipsum prudentiæ dictamen: aliam verò esse ejusdem mensurabilitatem cum objecto per rationis Dictamen repræsentato ceu regulâ objectivâ. 17. At priorem mensurabilitatem esse effectûs ad Causam, posteriorem autem Ordinis Transcendentalis ad objectum *in Quarto perseitatis modo formaliter* specificativum. In hâc igitur potius, quàm priori mensurabilitate *ut sic Formaliter* spectatâ consistere rationem Formalem moralitatis.

Ad *n. 5.* oppositum Fundamentum Respondetur. Denominationem Artefacti esse duplicem: alteram Causalem, alteram verò Formalem. 18. Et quidem priorem desumi ex Idea artificiali, quà Causâ artefacti, posteriorem autem importare intrinsecum effectûs saltem in fieri, quoad actionẽ sui effectricem spectat respectum ad Causam Exemplarem; mediante quâdam physicâ per voluntatis efficaciam exercitâ impressione productivam Formæ artefactæ. Cui proinde Formæ artefactæ catenus æquiparari actum moralem, ut hic ex dictamine rationis, ceu sui non quidem *Quoad Exercitium*, sed *Quoad Specificationem* motione pendeat; quæ tamen actûs moralis specificatio respiciat Dictamen rationis tanquam motivum *Quo* applicativum, seu repræsentativum duntaxat, objecto per tale Dictamen repræsentato se habente ut motivo *Quod per se Formaliter* Terminativo habitudinis actui humano *Essentialiter* inexistentis, & ut sic *Formaliter* constituentis actum in *Esse morali, uti rectè probat fundamentum n. 6. propositum.*

❀❀❀❀❀❀❀❀❀)(❀❀❀❀❀❀❀❀❀

CONTROVERSIA II.

Utrùm actus moralis in actum moraliter Bonum & Malum divisio sit Generis in species, vel subjecti in accidentia?

1. NOnnulli ab Amico *cit. disp. 12. n. 28.* relati, ex ijs præcipuè Doctoribus, qui Formalem moralitatis rationem constituunt in libertate, consequenter affirmant; *Esse morale* contrahi à Bonitate, & Malitiâ, tanquàm subjectum ab accidentibus.

Fundamentum ab Amico *citato* deductum est. Impossibile enim est, idem genus contrahi à pluribus differentijs ultimis, non dividentibus

tibus idem genus in plures species atomas. At *Esse morale* contrahitur à pluribus differentijs ultimis, non dividentibus idem genus in plures species atomas: ut cùm idem numero actus contrahitur ad duas honestates, vel malitias specificas, dum aliquis nimirum jejunat propter pœnitentiam, vel furatur propter fornicationem. Oportet igitur, actum moralem ad istas specie diversas vel Bonitates, vel malitias non se habere ut Genus, sed ut subjectum.

2. Econtra divisionem actûs moralis in Bonum & malum esse Generis in species, evincitur ex S. Thomâ *1. 2. q. 19. a. 1.* ubi ait: *Quòd voluntas bona & mala sint differentes secundùm speciem.* At differentia est secundùm objecta, prout cadunt sub ordine rationis. *ex cit. a. 1. ad 3.* Consequens proinde est, quòd Bonitas & malitia moralis sint differentiæ *per se*, atque adeò specificæ actûs voluntatis quà tendentis in objectum quà à ratione regulatum. Ex istâ verò in objectum quà à ratione regulatum tendentiâ constituitur actus in *Esse morali. ex cit. a. 1. ad 3.* Cùm igitur Bonitas & malitia moralis sint *per se* differentiæ actûs voluntatis, non præcisè quà secundùm vim Electivam, & Dominativam operantis, sed quà tendentis in objectum à ratione regulatum. Ejusmodi verò actûs in objectum tendentia sit ratio moralitatis *Formaliter* constitutiva, consequens est; quòd actus moralis in actum *Moraliter* bonum & malum divisio sit Essentialis, seu Generis in species, non verò accidentalis, seu subjecti in accidentia.

CONCLUSIO.

Bonitas & Malitia Moralis se habent ad actum moralem, tanquam differentiæ specificæ.

3. Probatur. Nam moralitas est secundùm intrinsecam actûs cum ratione commensurationem. Ejusmodi verò ratio *objectivè* fundans moralitatem, est principium ex parte Intellectûs repræsentativum objecti à voluntate quà rationali per se expetibilis. Etsi verò Bonum etiam quà sensibile sub abstractione quâdam intelligibili proportionetur voluntati, ut ab istâ possit *per se*, seu *propter se* expeti, hoc tamen est per voluntatis in unâ animæ Essentiâ cum potentijs sensitivis radicationem & connaturalem cum sensibus sympathiam, non verò ex propriâ voluntatis quà rationalis specificâ ratione. Unde Bonum sensibile, mediante abstractione intellectuali proportionatum voluntati, intelligitur sub istâ præcisâ formalitate fundare libertatem, non autem Moralitatem actûs à voluntate eliciti. Quare moralitas fundatur in objecti per rationem repræsentati Formalitate, proportionatâ ad voluntatem *quà Formaliter* rationalem *Fi-*

4. *naliter* movendam. Hæc autem voluntatis per se motiva Formalitas est Honestas, seu Honestatis & puritatis immaterialis delectabilitas. At verò licèt aliqua detur honestas creata voluntati quà rationali per se appetibilis. Hæc tamen re ipsâ & actualiter nunquàm potest esse motiva voluntatis, nisi in virtute primæ Increatæ Bonitatis, tanquàm ultimi Finis. *veluti supra q. 1. a. 2. cont. 3. ostensum est.* Sicuti ergo ratio objectiva voluntatis quà rationalis *actualiter* motiva nequit subsistere absque aliquâ Bonitatis Ultimo Fini propriæ concretione, sic actuum voluntatis moralitas *Completè*, prout re ipsâ est existens, spectata importat commensurationem cum ratione quà repræsentativâ Honestatis vel *Formaliter*, vel *saltem Virtualiter* relatæ in Ultimum 5.
Finem. At per se manifestum est, quòd talis cum objecto quà *Virtualiter* in Ultimum Finem relato commensurationis differentiæ per se dividentes sint Conformitas, ac Difformitas cum objecto sub tali in Ultimum Finem relationis ratione repræsentato. Est autem conformitas ejusmodi Bonitas, Difformitas autem malitia moralis. Consequens igitur est; Bonitatem & malitiam moralem esse differentias *per se*, atque adeò specificas moralitatis.

Dices. Bonitatem & malitiam moralem 6.
quandòque desumi ex circumstantijs accidentarijs. Ergo non posse ad actum moralem se habere per modum differentiæ Essentialis, sed per modum accidentis duntaxat.

Contra. Nam inprimis Bonitas moralis 7.
nequit desumi ex circumstantijs, nisi honestas in ipsis relucens sit *per se Directè* intenta. Ejusmodi autem Directa honestatis intentio importat intrinsecam sui habitudinem ad Formalitatem Honestatis in talibus circumstantijs relucentis. At eo ipso, quòd visio in suo objecto respiciat non solùm colorem & lucem, sed etiam Figuram & motum, *accidentariè* licèt se habentes ad objectũ visibile, oportet tamẽ talem visionis tendentiam ex ejusmodi accidentibus specificatam esse Essentialem visioni, *uti argumentatur* Ioannes à Sancto Thomâ *cit. a. 1. n. 26.* Cùm proinde actus *Moraliter* bonus Bonitatem suam specificam trahat ex objecto, non præcisè secundùm se spectato; sed quà vestito circumstantijs quoad honestatem in ipsis repræsentatam *per se Directè* intentis, consequenter Bonitas per tales circumstantias specificata est actui morali intrinseca & Essentialis. Deinde licet ma- 8.
litia moralis ex circumstantijs non *per se Directè*, sed *Indirectè* duntaxat intentis derivetur in actum moralem, eo ipso tamen, quòd objectum à ratione repræsentetur quà vestitum talibus circumstantijs, applicatur voluntati sub quâdam objectivâ malitiâ ex omnibus illarum circumstantiarum, nec non objecti malitijs coadunatâ. Hinc autem fit, quòd actus objectum sub aliquâ Boni ratione intendens ex suâ in tale objectum tendentiâ habeat intrinsecam, sibique *realiter* identificatam Difformitatem radicalem cum ratione objecti sub talibus circumstantijs quoad omnimodam ex his relucentem malitiam objectivam prohibente. At ista difformitas *radicalis* fundat malitiam moralem *Formaliter* sitam in rectitudinis debitæ privatione ut sic pullulante ex illâ positivâ actûs in objectum specificativum tendentiâ, ejusque radicali difformitate. Quamvis proinde malitia Formalis in debitæ rectitudinis privatione consistens ad actum moralem se habeat, ut proprietas ex ipsius intrinsecâ radicali difformitate emanans: hæc ipsa tamen radicalis difformitas per modum differentiæ specificæ ac Essentialis est divisiva actûs moralis. Et si denique actus reli- 9.
gionis ex imperio charitatis exercitatus, hujus Bonitatem non nisi *Accidentaliter* ac *Extrinsecè* participet, ex hoc tamen evincitur duntaxat, quòd

Bonitas

Bonitas *participativè*, non autem *Formaliter* ex vi propriæ suæ in objectum tendentiæ conveniens sit accidentaria actui morali. Dicendum proinde, tum quòd Bonitas Formalis, & malitia radicalis ex vi propriæ in objectum ratione regulatum tendentiæ *Formaliter* convenientes actibus moralibus, se habeant tanquàm differentiæ *specificè* dividentes Genus moralitatis; tum quod Bonitas & malitia *solùm participativè* ex vi alterius actûs convenientes, ad actum moralem tanquàm subjectum se habeant ut accidentia extrinseca; tum denique quòd malitia Formalis ex propriâ actûs moralis in objectum habitudine resultans se habeat ut accidens proprium.

Ad *n. 1.* oppositum fundamentum

10. RE spondetur per distinctionem. Nam impossibile quidem est, idem Genus dividi per plures differentias specificas *Completè* & *adæquatè* spectatas, quin fiat divisio in plures species atomas. Nihilominùs non repugnat, in uno actu secundùm rationis præcisionem distingui plures inadæquatas differentias in alijs actibus *specificè* diversas, sub unâ tamen elevatiore actualitate in unam Essentiam, atque adeò speciem completam coadunatas. At verò in uno actu morali non licèt distinguere plures Bonitates morales, vel etiam malitias radicales, nisi secundùm rationem præcisivam *inadæquatè* spectatas, quæ tamen per sui in uno actu identitatem realem constituant unam completam actûs *Moraliter* Boni, vel mali speciem. Unde etiam Concilium Tridentinum *sess. 14. cap. 5. & Can. 7.* circumstantias, quæ intra eandem speciem non sunt purè aggravantes, dicit mutare speciem, eo ipso insinuando, malitiam ex ipsis derivatam non afficere actum per modum accidentis duntaxat, sed redundare in ipsam actûs Essentiam specificam, utpote *in genere morali Essentialiter* petitam ex habitudine ad objectum regulatum ratione quæ omniũ objecti circumstantiarum moralium *Indivisibiliter* repræsentativâ. Constat proinde, Bonitatem Formalem, & Malitiam Radicalem tanquàm intrinsecas actûs moralis ad objectum ratione regulatum habitudines esse moralitatis differentias specificas.

ARTICULUS II.

DE

Actu morali Indifferente.

CONTROVERSIA I.

Utrùm detur actus moralis in individuo indifferens?

1. A ffirmant Alensis *3. p. q. 35. memb. 3.* Divus Bonaventura *in 2. dist. 41. a. 1. q. 3.* Scotus *eadem dist. q. un. n. 4.* Lychetus *ibidem.* Gabriel *cit. dist. 41. q. un. a. 2. concl. 1.* Almainus *tract. 1. moralium cap. 14. §. Quantum ad.* Vasquez *disp. 2. a cap. 2.* Gammachæus Sorbonicus *in comment. ad præs. q. 18. cap. 4. concl. 2.* Arriaga *tract. de actib. humanis disp. 21. sect. 4. subsect. 2.* & Oviedo *præs. tract. 4. cont. 5. punc. 1. n. 13. & 15.* Fundamentum primum ex parte Almaini *citati* ab Ildephonso Baptistâ *disp. 192. n. 20.* deductum est. Ut enim actus sit moraliter bonus, non requiritur duntaxat, ipsum habere objectum bonum, & nullam circumstantiam malam, sed insuper referri in Deum vel intentione expressâ & formali, vel virtuali ex vi præcedentis actûs omnia in Deum *confusè* *saltem* referentis, sive ex vi habitus ex actibus se suaque omnia in Deum ordinantibus generati perseverante. Atqui dari potest actus, cujus objectum sit bonum nullâ malâ circumstantiâ vitiatum, neque tamen actu, vel virtute, seu habitu referatur in Deum: veluti si detur Eleemosyna ex motivo *præcisè* misericordiæ absque aliquâ in Deum ceu Ultimum Finem ordinatione. Ejusmodi verò actus nequit *Moraliter* esse malus, siquidem habeat objectum ex se Bonum nullâ vitiatum circumstantiâ, neque potest *Moraliter* bonus esse, defectu scilicet relationis in Deum. At hic ipse actus cùm sit moralis, poni debet sub aliquâ specie moralitatis. Dari ergo potest actus in individuo sub moralitatis specie indifferens.

2. Secundum fundamentum ex Scoto *in 2. dist. 7. q. 1. n. 12. circa finem* petitum est. Nam actus dupliciter dici potest malus, *Privativè* scilicet & *Contrariè.* At malitia *privativè* accipitur, quatenus solùm privat Bonitate: *Contrariè* autem sumitur, quatenus ponit aliquid ultra carentiam illam, repugnans tali Bonitati. Unde actus *Privativè* malus eatenus est privatus Bono rationis, quo potuit exornari, ut nihil tamen habeat contra rationem, dum scilicet illa boni ratio, quâ privatur actus ejusmodi, non est debitus aliquâ lege, ut, cum quis Eleemosynam hic & nunc indebitam det non propter honestatem Eleemosynæ, sed ex liberalitatis suæ innatâ facilitate. Ejusmodi proinde actus caret quidem circumstantiâ ad perfectionem actûs Virtuosi requisitâ, non tamen elicitur cum circumstantiâ rationi repugnante, quæ actum reddat vitiosum. Oportet igitur, talem actum *Moraliter* neque virtuosũ, neque vitiosum esse, sed indifferentem.

3. Tertium Fundamentum ex Arriagâ *cit. subsect. 2. n. 50.* desumptum est. Nam deambulare ad pellendum frigus, fricare barbam, similesve actiones ex deliberatione exercere, non ex Fine alicujus honestatis, sed ob commodum corporis præcisè, non importat aliquam actionem *Moraliter* bonam; siquidem ipsi desit radix bonitatis moralis. Atqui ut actio ejusmodi esset *Moraliter* mala, hujus malitiæ radix reduceretur ad hoc, quod homini inexisteret obligatio semper operandi propter honestatem. Hæc autem obligatio adstruitur absque sufficienti fundamento.

4. Probatur istud assumptum. Nam licèt homo teneatur operari ut homo, non tenetur tamen operari secundum omnia prædicata hominis: alioquin quia homo tam Essentialiter dicit Corpus, quàm animam; si homo appeteret operationem purè spiritualem, peccaret, quia non operaretur adæquatè ut homo. Cùm ergo pellendo frigus, homo operetur quà homo *inadæquatè* attendendo ad Bonũ corporis, & aliunde non apponat malũ finem; nullo modo peccat. At neq; *bene Moraliter* operatus, *uti supra dictum est.* Ergo

datur actus

daturactus moralis in individuo indifferens, Gregorio Nazianzeno *orat 3. adversus Iulianum* attestante, *Non ideò hominem esse dignum pœnâ, quia laudem non meretur, nec ideò laudem promereri, quia pœnâ dignus non est.*

5. Quartum fundamentum ex eodem Arriagâ *subsect. 3. n. 56.* petitum est. Nam ipsimet etiam Thomistæ fateri tenentur, ex accidenti posse dari actus indifferentes casu, quo aliquis se conformans opinioni huic affirmativæ probabili, non apponat ullum honestum finem illis objectis, quæ sunt ex se indifferentia, tunc enim neque peccabit, quia se accommodat opinioni probabili, nec bene operabitur, quia nullam honestatem in objecto amat, imò neque agnoscit.

6. Econtra dari posse actum moralem in individuo indifferentem negant Divus Thomas *1. 2. q. 18. a. 9.* Cajetanus *ibidem.* Medina *in explic. cit. art.* Curiel *ibi. §. 2.* Albertus Magnus *in 2. dist. 40. a. 45.* Serra *cit. q. 18. a. 9. dub. un.* Sua ez *tract. de actib. hum. 3. disp. 9. sect. 3.* Bellarminus *lib. 4. de Gratiâ & lib. arbit. cap. 1.* Ysambertus Sorbonicus *pras. disp. 10. a. 1. ac seq.* Ildephonsus Baptista *cit. disp. 192. n. 34.* Joannes Baptista Gonet *cit. to. 8. disp. 5. a. un. §. 3.* & alij plures tam antiquiores, quàm recentiores Theologi. Fundamentum ex Divo Thomâ *cit. a. 9.* desumptum est. Cùm enim rationis sit ordinare, sequitur, actum à ratione deliberatâ procedentem, si non sit ordinatus ad debitum Finem, eo ipso repugnare rationi, esseque adeò *Moraliter* malum. Econtra verò convenire cum ordine rationis, esseque proinde bonum, si ordinetur ad debitum Finem. At inter ordinare & non ordinare ad Finem debitum, non datur medium. Necessum igitur est, omnem actum hominis à deliberativâ ratione procedentem in individuo consideratum esse *Moraliter* bonum, vel malum. Quòd si verò non procedat à ratione deliberativâ, sed ex quâdam imaginatione (sicut cùm aliquis frica barbam, vel movet manum, aut pedem) talis actus non est propriè loquendo moralis, vel humanus, cùm hoc habeat actus à ratione: & sic non in genere moris erit indifferens, sed quasi extra genus moralium existens.

7. Confirmatur 1. authoritate Sancti Doctoris *cit. art. 9. arg. sed contra.* Omne enim verbum otiosum est *Moraliter* malum, quia de eo reddent rationem in die judicij. *Matth. 12.* Atqui verbum otiosum, teste Divo Gregorio *lib. 7. Moral. cap. 25. ante med. Et hom. 16. in Evang. in fine.* est illud, quod utilitate rectitudinis, aut ratione justæ necessitatis, aut piæ utilitatis caret. Ergo eo ipso, quòd verbum aliquod careat utilitate rectitudinis, aut ratione justæ necessitatis, sive utilitatis, est *Moraliter* malum. At eo ipso, quòd verbum non careat ratione justæ necessitatis, aut piæ utilitatis est *Moraliter* bonum. Neque inter *carere & non carere ratione justa necessitatis, aut pia utilitatis*, datur medium. Consequens igitur est, omne verbum aut esse *Moraliter* bonum, aut malum. At eadem est ratio de actibus quibuscunque ex deliberatâ hominis ratione procedentibus; siquidem de omnibus, quæ homo deliberate & humano modo operatur, teneatur reddere rationem in judicio Dei, juxta illud *Ecclesiastis ult.. Cuncta, quæ fiunt, adducet Deus in judicium pro omni errato, sive bonum, sive malum illud sit.* Et *Isaia ult.. Ego autem opera eorum, & cogitationes eorum venio, ut congregem cum omnibus gentibus & linguis.* Est autem ea ratio Divini Iudicij, ut discernat opera digna præmio, vel supplicio, nec adeò in Iudicium Dei adducatur opus, nisi vel dignum præmio, adeòque *Moraliter* bonum, vel dignum supplicio, adeòque *Moraliter* malum. Ex eo igitur, quod omne opus morale sit adducendum in Dei judicium, evincitur, esse hoc ipso *Moraliter* malum, si non sit dignum præmio, nec adeò dari actum moralem indifferentem.

Confirmatur 2. authoritate Sancti Augustini *2. lib. de peccat. meritis & remiss.* differentis in hæc verba: *Quamquam voluntas, mirum, si potest in medio quodam ita consistere, ut nec bona, nec mala sit. Aut enim Iustitiam diligimus & bona est, & si magis diligimus, magis bona, si minus, minus bona est, aut si omninò non diligimus, non bona est. Quis verò dubitat dicere voluntatem nullo modo justitiam diligentem, non modò esse malam, sed etiam pessimam voluntatem? Si ergo voluntas aut bona est, aut mala, & utique malam non habemus ex Deo, restat, ut bonam voluntatem habeamus ex Deo.* 8.

CONCLUSIO.

EO ipso, quòd detur in homine præceptum naturale, ne fiat actus moralis sine appositione boni finis, repugnat, dari in individuo seu Exercitio actum moralem indifferentem, qui nec Bonus sit, nec Malus.

Probatur. Quamvis enim pars hominis inferior & sensitiva, mediante rationis judicio, possit voluntatem *Quoad specificationem* movere ad ea, quæ naturæ, seu parti illi inferiori commoda, & consentanea sunt, super ista tamen motiva voluntati non tantum *Quoad Exercitium*, sed etiam *quoad specificationem* inexistit Dominium. At vi hujus Dominij voluntati ex intrinsecâ suâ naturâ, atque adeò in vi legis naturalis congruit, ne motivis ex parte inferioris portionis per rationis judicium ad se delatis eatenus se subjaciat, quin ad altius quoddam Motivum respiciat. Probatur istud assumptum. Nam motivum est actûs specificativum, & Finalizativum, & consequenter voluntas *quoad specificationem actûs* est dependens, atque adeò *Moraliter* subjectus, seu subordinatus Motivo, utpote moralem Finalizationis motionem erga se exercenti, suique adeò ad certam actûs speciem determinanti. At potentiæ ab intrinseco habenti imperium portionis sensitivæ, atque adeò super motivis ex parte istius propositis, tam *secundum Exercitium*, quàm *secundum specificationem*, tenenti Dominium turpe & ab intrinseco dissentaneum est, se subjicere ejusmodi sibi subjectæ portioni, atque adeò hujus motivis, quà talibus, rationis altiori Motivo non sublimatis attrahi, seu *Finaliter* moveri, & consequenter *Quoad specificationem* determinari, & ut sic *quoad speciem actus* fieri portioni inferiori subjectâ, & captivam. Oportet igitur, ex ipsâ voluntatis, ceu portionis superioris super vires sensitivas Dominium tenentis intrinsecâ ratione & naturâ esse ipsi constitutam legem, ne feratur in Motiva

Motiva parti inferiori, seu naturæ Vegetativæ ac sensitivæ consentanea, nisi sub altiori rationis motivo. At per se manifestum est, ejusmodi motivum habere rationem Finis naturæ quà rationali consentanei, seque adeo habere per modum objectivæ honestatis. Unde eo ipso, quòd voluntas tale rationis sublimius motivum actu suo respiciat, sequitur, hunc esse *Moraliter* bonum. Cùm igitur voluntas ab intrinseco per ipsam naturam suam teneatur in omni actu suo tendere ad rationis motivum, seu Honestatem objectivam; consequens est, actum fore hoc ipso *Moraliter* malum, si non sit *Moraliter* bonus, nec adeò posse dari actum moralem indifferentem.

11. Dices. Omnem moralem cujusque legis obligationem versari circa actum determinatæ alicujus virtutis. At illam voluntatis obligationem in omni suo actu deliberato tendendi in honestatem objectivam, non posse reduci ad determinatam virtutum speciem. Minor probatur inductione.

12. Nam 1. Curiel *præs. dub. 1. §. 3. ad 2.* & alij illam obligationem reducunt ad præceptum dilectionis Dei, ratione cujus tenemur diligere Deum super omnia, eumque habere pro Ultimo Fine, & consequenter referre in illum omnes nostras actiones saltem *mediatè*, quod fit ordinando illas ad aliquem finem honestum. At vero in contrarium est, quod præceptum amoris Dei neque obliget ad hos actus referendos in finem amoris Divini *determinatè*, neque possit obligare ad hoc, ut ordinemus tales actus in alium Finem honestum: Siquidem amor Dei, ejusque præceptum non egrediatur Finem ac Motivum sui specificativum

13. 2. Martinez *præs. q. 18. a. 9. dub. un. §. Ad secundum.* reducit illam obligationem ad virtutem studiositatis, cujus est adhibere diligentiam ad ea, quæ cujusque status congruunt, addiscenda & facienda. At in contrarium est, quòd ratio formalis peccati objectum indifferens non referentis in finem rectum, non opponatur virtuti studiositatis, vel ejus actui.

14. 3. Montesinos *disp. 25. q. 2. §. 5. in fine.* reducit illam obligationem ad Virtutem Temperantiæ, utpote cujus sit moderari mediocritatem non cibi duntaxat & potûs, sed jocorum ac ludorum, atque adeò verborum, & operum quorumcunque, ut proinde verbum, vel opus otiosum adversetur virtuti temperantiæ. At in contrarium est, quod deordinatio ab honestate objectivâ ut sic, in actu indifferente non adversetur Formali Temperantiæ virtutis motivo.

15. 4. Denique Ioannes a Sancto Thomâ *præs. art. 7.* videtur illam obligationem reducere ad moderationem spiritualis cujusdam liberalitatis, sic enim ait ille author. Si is, qui superfluè erogat bona sua, seu divitias, peccat peccato prodigalitatis, à fortiori erit peccatum, superfluè erogare actus liberos, siquidem possint bene fieri, & per illos lucrari multum præmium vel Essentiale, vel accidentale in cælo, quod totum prodigitur faciendo actus indifferentes. At in contrarium est, tum quòd ista ratio obligationis videatur nos obstringere, ut in omni actu deliberato operaremur *Meritoriè*; atque adeo *supernaturaliter*: tum quòd illa actuum moralium profusio *propriè ac specificè*, non sit pertinens ad vitium prodigalitatis à Divo Thomâ *in 2. 2. q. 119.* descriptæ.

5. Denique Ildephonsus Baptista *cit. disp. 92. n. 120.* arbitratur; obligationem non operandi, vel loquendi otiosè, hoc est absq; fine rationi consono, seu operandi consonè ad rationem, reduci ad præceptum amoris proprij, in quantum pertinet ad amorem gradûs seu dignitatis rationis, nec adeò actum indifferentem, prout dicit operationem absque fine rationi consono elicitam, ut sic opponi alicui virtuti, sed naturali inclinationi operandi cõformiter propriæ naturæ quà rationalis. Patet igitur ab inductione, quòd obligatio in omni actu morali tendendi in Finem objectivæ Honestatis, non possit ad ullam determinatæ virtutis speciem reduci, nec adeò videatur subsistere talis moralis obligatio. 16.

Contra. Nam in humano intellectu per modum primi principij moralis in omni deliberatione affulget innatum voluntatis pondus, quod ex suâ intrinsecâ specificatione habet ad Bonum sub Formali Essendi ratione repræsentatum. Hinc autem fit, quòd voluntas in omni actione deliberatâ saltem *Virtualiter* feratur in illud purum sub Formali Essendi actualitate repræsentatum Bonum. Ista verò virtualis in hoc Formale Bonum tendentia in eo se tenet, quòd voluntas Bonum limitatum non appretiet, nisi sub aliquâ habitudine ad illud purum Voluntatis unicè satiativum Bonum. Unde istud purum infinitam voluntatis capacitatem in *Quarto perseitatis modo* specificans, & unicè satians per modum primi moralis principij in intellectu repræsentatum, & ut sic voluntati applicatum Bonum, non tantùm *Formaliter* in se ipso, sed in omni Bono participato (utpote non nisi sub quâdam sui ad illud purum seu Formale Bonum habitudine Finalizativo) *Virtualiter* appretiatur. Ejusmodi verò tum Formalis, tum virtualis appretiatio duobus modis evenire potest. 17.

Probatur & Explicatur hoc assumptum. Sicut enim Bonum in purâ Essendi actualitate radicatum, prout in se ipso subsistens *secundum veritatem* infinitè appretiatur per actum amoris Dei, sic primi Boni seu Ultimi Finis ratio per affectum *Mortaliter* peccaminosum *affectuosè & Moraliter* transfertur in Bonum creatum. In quo proinde illa puri ac primi Boni secundùm quandam mendacem cum Bono creato concretionem appretiatur. Pari adeò ratione illa Boni puri appretiatio virtualis habetur, tum per amorem Boni creati, non *in genere physico duntaxat*, sed etiam *morali* ab intrinseco ordinati ad illud purum ac primum Bonum, seu Ultimum creaturæ quà rationalis Finem: tum per amorem Boni creati, quod in genere naturæ eatenus importat intrinsecam habitudinem ad illud Primum omnis extra se Boni Finalizativum Bonum, ut tamen *in genere moris* in se fundet negationem ordinabilitatis ad illud purum creaturæ quà rationalis ultimè Finalizativum Bonum referibilis. At verò inter has duas virtuales in ultimum Finem habitudines ea est differentia, quòd prior importet objectivam virtutis cujusdam honestatem; posterior autem in suâ physicâ Bonitate fundet rectitudinis moralis negationem seu privationem. Constat proinde; eo ipso, dum sit prosecutio Boni natu- 18.

ralis, quod sub Formalitate per voluntatem appretiatâ in se fundat negationem rectitudinis moralis, tunc ex parte voluntatis esse quandam deficientiam suæ in purum Bonum ordinationis. Hæc autem deficientia importat peccatum saltem veniale virtuti Religionis oppositum.

19. Probatur istud assumptum. Illa enim deficientia in eo se tenet, quòd, cum voluntas vi suæ ad Bonum Universale commensurationis infinitæ omne Bonum creatum excedat, ad Naturæ Delectabilitatem, seu commoditatem in suâ sensualis, sive Naturalis Boni depressione relictam, non verò altiori rationis motivo sublimatam deflectendo, inferiori sensualitatis portioni, seu Boni Naturalis Finalizationi *quoad specificationem* se constituat subjectam & servam. Ejusmodi verò servitus ita coarctat voluntatem intra lineam Boni sensibilis, seu naturalis commoditatis, ut *quoad lineam moralitatis*, seu *rationalitatis*, atque adeo *portionis superioris* actio illa habeat in se fundatam negationem rectitudinis, sive in primum *Ultimè* Finalizativum & *Unicè* satiativum, seu Beatificativum Bonũ ordinationis. At eo ipso, quod infinitæ ad universale Bonũ comẽsurationis proportio conveniat voluntati quà *Formaliter* rationali, sequitur, illâ voluntatis ex naturali Bono per altioris rationis motivũ non prius sublimato specificationẽ & ut sic subjectionem pugnare cum naturâ quà *Formaliter* rationali. Hæc ipsa verò ad naturam rationalem disconvenientia ut sic peccati saltem venialis rationem *Formaliter* importans in eo se tenet, quod intra lineam gradûs rationalis, atque adeò moralitatis non fiat actionis deliberatæ in primum Bonum ceu ultimum Finem ordinatio. At talis creaturæ quà rationali ab intrinseco convenientis, atque adeò debitæ in Deum ceu Ultimum Finem ordinationis negatio adversatur religioni; si non *quoad specificam sui differentiam*, saltem *quoad sui in omni virtute Transcendentiam* spectatæ. Consequens proinde est, Omnem actionem, quæ in lineâ moralitatis non habet Virtualem in Deum, ceu ultimum Finem ordinationem, adversari religioni, ex innatâ voluntatis conditione, & rationalis gradûs specificâ naturâ obligantis nos, ut omnes actiones nostræ deliberatæ in linea non tantùm naturæ, sed etiam moralitatis saltem *virtualiter* referantur in Deum, ceu ultimum Finem: Apostolo Paulo *1. ad Corinth. 10.* istud naturale religionis præceptum hisce verbis insinuante: *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliquid quidquam facitis, omnia in gloriam Dei facite.*

20. Confirmatur. Nam idem Apostolus *ad Colos. 4.* ita disserit. *Omne quodcumque facitis in verbo, aut opere, omnia in nomine Domini IESU, gratias agentes Deo & Patri.* Nam hisce verbis Paulus ita instruit nos, ad omnia ex Fide in Christum & Sanctissimam Trinitatem, atque adeò ex motivo supernaturali facienda, ut tamen non apposuerit verbũ imperativum, seu Præceptivũ *Facite*, sicuti faciebat in priùs allegato textu. Signũ proinde est, quòd Apostolus ad omnia ob Gloriam Dei, ceu Motivum naturale, non verò propter Christi & Sanctissimæ Trinitatis ut sic Gloriam, ceu motivum supernaturale facienda agnoverit, ac intimare voluerit præceptum religionis.

21. Replicabis. Ex prætacto discursu constare, quòd commoditas Naturæ non nisi sub altiori rationis motivo possit fundare actum virtuosum. At non apparere, quòd istud Motivum sit actûs moralis quà talis sub certâ specie determinativum. Minor probatur. Etenim Religionis ac Gloriæ Dei motivum est transcendens per omnes virtutes, nec in lineâ specificâ Religionis est hujus virtutis specificum, nisi *Expressè* ac *Formaliter* sit intentum. Si ergo actus aliquis moralis tendendo in commoditatem naturæ non *Expressè* intendat illud Gloriæ Dei motivum, vel hoc ipso erit vitiosus, vel certè ostendi debebit aliud motivum peculiare actûs ejusmodi specificativum.

Contra. Nam ex eo, quòd Intellectus appetitûs concupiscibilis passiones, & affectiones, earumque objecta trahat ad suum judicium, medium rationis in eis constituendo, ut sic pars rationalis *Exercitè* se exhibet superiorem parte sensitivâ, & vegetativâ. Hinc verò resultat honestas objectiva temperantiæ virtutis specificativa. Pari proinde ratione sequitur, rationem dum discernit commoditatem Naturæ quà supposito in hisce circumstantiis convenientem, vel disconvenientem, in quælibet Naturæ bona *quoad voluntatis specificationem* exercere suam superioritatem. Hinc autem resultat quædam altioris in rationalitatis super omnia creata bona superioritate morali fundati motivi repræsentatio. Istud verò motivum ut sic habens rationem Honestatis objectivæ eatenus est Transcendens per omnes virtutes, ut tamen in se ipso præcisè spectato possit etiam fundare specificum virtutis actum, sicut etiam ratio Entis licèt *Transcendentaliter* intelligatur inesse omni scibili, potest secundùm præcisam sui rationem, specificæ alicujus scientiæ scilicet Metaphysicæ esse objectum specificativum. Atqui virtus illam præcisam Honestatis objectivæ, ut sic in ratione Motivi voluntatem allicientis, & quandã à corporalibus depurationem involventis rationem intendens non incongruè venit nomine Honestatis. Hæc igitur specifica Honestatis virtus ex naturâ voluntatis, secundùm suam infinitam Universalis ad Bonum commensurationis capacitatem, omni Bono creato superioris est obligans; ne circa Bona seu commoditates naturæ in his tanquam motivis sistendo, eliciamus actum moralem, sed Motivum ex rationis judicio depuratius & sublimius intendamus. Huic verò obligationi satisfit, istam depurationem, tum sub specialis alterius virtutis motivi Honestatem objectivam ut sic *Transcendentaliter* includentis concretione, tum sub prætactæ honestatis objectivæ quà specificum voluntatis actum *Formaliter* ac *specificè* Terminantis abstractione intendendo. Atqui ad istam sive *Transcendentaliter* sive *specificè* spectatam 23.
Honestatem objectivam eatenus se habere potest voluntas, ut in ipsâ vel *Formaliter*, vel *Virtualiter* duntaxat, ac *implicitè*, seu *Indirectè* intendat actionis moralis in Deum ceu Ultimum in lineâ moralitatis Finem ordinationem. Hæc verò duplex intentio ita se habet, ut prior importet specificum Religionis virtutis actum, posterior autem sub ratione duntaxat Transcendentali reducatur ad Religionem. Quamvis ergo præceptum omnia in Dei Gloriam referendi, ut sic præcisè non obliget ad specificum Religionis

ligionis actum, sed sufficiat virtualis ad Deum ceu ultimum Finem relatio, ut sic *Transcendentaliter*, non autem *specificè* participans de honestate religionis; ejusmodi tamen obligatio universalis in voluntatis super omnia Bona creata non tantùm *quoad Exercitium*, sed etiam *quoad specificationem* superioritate radicem habens, semper impletur per actum virtutis specificum, cui nimirum conveniat ratio Honestatis, vel *specificè* secundùm objectivæ Honestatis ut sic præcisè spectatæ intentionem, vel *Transcendentaliter*, secundum Honestatis objectivæ cum aliarum virtutum motivis concretæ prosecutionem, habentem ut sic habitudinem ad Deum, ceu Finem in lineâ moralitatis Ultimum.

24. Instabis ex Gammachæo *citato*. Multa intelligi naturæ quà rationali consentanea, quæ tamen nulli subsint præcepto, sed sint de consilio tantùm. Ex eo igitur, quod naturæ quà rationali sit consentaneum, ut actiones nostras morales referamus in Finem rationi consonum, non inferri, quod istud sit de præcepto, sed de consilio duntaxat. Quis enim dixerit, hominem, quando movet pallium, aut galerum, quando exit in agrum, transfert scamnum, candelam, seu librum de loco ad locum, debere ex aliquâ lege actiones istas referre in Finem moralem, & meritorium; nec satis esse, si referantur ad decentiam aliquam, vel solam naturæ commoditatem, aut sublevationem? Certè si staret ista legis obligatio, nimis fore angendas conscientias, innumeros orituros scrupulos, & peccata venialia supra modum augenda, atque hinc Christi jugum, quod suave tamen effatus est, grave futurum, & confessionem fore odiosam. Quis enim non indignè ferat, vel non rideat, si aliquis confiteatur, se confricuisse manus urgente frigore, se candelam in hoc potiùs, quàm in illo loco posuisse. Potiùs ergo videri insistendum apertæ Doctrinæ Divi Hieronymi *Epist. 89. ad August.* taliter differentis. *Bonum est continentia, malum est luxuria, inter utrumque indifferens ambulare, digerere alvi stercora, capitis naribus purgamenta projicere, sputis rheumata jacere, hoc nec bonum est nec malum, sive enim feceris, sive non feceris, nec justitiam habebis, nec injustitiam.*

25. Contra. Nam verum quidem est, non omnia, quæ naturæ quà rationali sunt consentanea, esse præcepti, sed quandoque consilij duntaxat. Nihilominùs est etiam verum, quòd homini quà rationali insit connaturalis ad universale sub Formali Essendi ratione spectatū Bonum inclinatio *realiter Formaliter* identificata voluntati; Hoc autem in Formali Essendi ratione radicatum Bonum eatenus est Finis ultimus voluntatis, ut consequenter sub ratione Numinis voluntatis capacitatem infinitam Unicè coæquantis & satiantis semper affulgeat, dum voluntas agit ex ratione deliberatâ. At verò ad istud Divinum voluntatis unicè satiativum Numen ita se habet voluntas, ut nihil præter ipsum Boni appetere possit nisi sub aliqualis ex ipso Finalizatæ participationis habitudine. Ista verò habitudo spectari potest in objectis creatis, vel quatenus *præcisè* stat intra genus naturæ, vel quatenus secundum Regulas prudentiæ est reducta ad genus moralitatis. Hæc autem Boni alioquin naturalis ad Genus morale reductio fit, quatenus per rationem judicatur objectum voluntati rationali hic & nunc conveniens vel disconveniens. In isto autem rationis judicio semper resplendet lumen aliquod, vi cujus naturaliter notum est, dedecere voluntatem trahi ex Bono sensibili, nisi hoc intendat quà elevatum, sub altiori sui in portionem sensitivam, nec non huic proportionata motiva Dominij ratione. Unde licèt actio quælibet voluntatis ex puro sensibilis delectabilitatis, aut commoditatis naturalis motivo, per sui cum appetitu sensitivo Sympathiam naturalem elicita, intra Genus naturæ *Virtualiter* reducatur in illud Divinum in quâlibet actione deliberatâ ab intellectu repræsentatum Numen; attamen intra Genus moralitatis eo ipso est deficiens ab istâ ad Divinum Numen ordinatione, nisi Naturæ commoditas voluntatis allectiva intendatur sub aliquo Honestatis objectivæ altiori motivo. Etsi proinde verum sit, aliquos actus ex specie suâ bonos, seu naturæ quà rationali consentaneos esse duntaxat consilij, adeò ut actus oppositus ex genere suo nullam involvat moralem malitiam: in individuo tamen nulla actio moralis subsistere potest, quin subsit illi legi obligationem imponenti de omni liberâ voluntatis actione elevandâ ad objectivæ Honestatis naturæ quà rationali proportionatum motivum; ut sic non in *genere* duntaxat *Naturæ*, sed *in genere moralitatis* fiat voluntatis in ultimum Finem reductio virtualis.

In quo adeò sensu accipiendus est etiam Sanctus Hieronymus *supra* allegatus; siquidem ex 26. contextu per Joannem à Sancto Thomâ *præf. n. 65.* ponderato facilè eruatur, hunc Sanctum Ecclesiæ Doctorem ibi loqui de actionibus illis ex objecto, ac specie suâ spectatis, non verò prout considerantur ad illam respectu omnis actionis moralis in individuo spectatæ Transcendentalem Regulam, ratione cujus fit, quòd omnis actio moralis individua cum naturâ qua rationali, id est, quà secundùm rationem Boni naturalis ad sublimius Honestatis objectivæ motivum sublimanti, vel habeat conformitatem atque adeò Bonitatem, vel difformitatem, ac proinde malitiam moralem.

Neque verò hoc vel anxietatem, vel scrupulositatem, vel molestiam suavi Christi jugo contrariam cuique movere debet, nisi quis non ut 27. homo sub altiore rationi ut sic proportionato motivo, sed instar jumenti ex solius naturalis boni allicientiâ assuetus sit operari, in quo nemo dubitat multiplicari supra modum peccata saltem venialia, cùm econtra Honestati assuetus, motivis rationi consentaneis jugiter intentus, actiones à Gamachæo recensitas non ex rationis utpote sublimioribus intentæ, & ut sic præoccupatæ deliberatione operando, in ijs non peccet, quin potiùs, si per alias sublimiores rationis occupationes vacet, motiva honestatis *studiosè* in illis intendendo intra Honestatis saltem naturalis lineam, faciat opus moraliter bonum. Quòd si verò in his, dum Theologis in confesso est, non 28. posse omnia venialia Collectivè ab homine quantumvis Justo & Sancto absque speciali privilegio in hâc mortali vitâ evitari, quandòque deficiat, neque molestum, neque grave erit sub universali actûs otiosi confessione illa subijcere Sacramentali confessioni. Neque denique hoc magis risu seu indignatione dignum videri debet;

bet, quàm si verba otiosa quis confiteatur, ipsomet Divo Hieronymo in *Psal. 16.* ita differente: *Si de verbis otiosis redditur ratio, quantò magis de operibus.*

29. Confirmatur. Etenim verbum otiosum secundùm Divum Bernardum *serm. de trip. cust.* est, quod nullam habet rationabilem causam, sive ut Divus Gregorius supra citatus ait, quod caret utilitate rectitudinis, seu ratione justâ necessitatis. Hujus verò otiositatis malitia reducitur ad hoc, quòd, cùm Verbum sit quædam ad extra participatio, sive Expressio conceptûs in Intellectu formati, dedeceat ejus prolatio, nisi fiat ex ratione seu causâ rationabili. Atqui actus voluntatis sunt intra ipsum sinum intimum portionis rationalis. A fortiori ergo actus ejusmodi, & consequenter actus exteriores ex hoc moralitatem suam participantes redargui debent de malitiâ otiositatis, si sola naturæ Delectabilitas, seu commoditas absque altiori rationis motivo intendatur, uti videtur concludi ex illâ Christi Domini parabolâ, ubi homines, licèt subintelligi possint in foro mutuo inter se colloquio commoditatem naturæ intendisse, arguuntur otiositatis, dum non laborabant, faciendo scilicet labores rationi saltem naturali, si non supernaturali consentaneos.

30. Vrgebis ex *præcitato* Gammachæo: Illud de omnibus actionibus moralibus in debitum Finem referendis præceptum esse affirmativum: siquidem pro objecto suo Formali vel respiciat objectivam Honestatem ut sic, vel operis moralis in Deum ceu ultimum Finem ordinabilitatem. Atqui de ratione præcepti affirmativi quantumvis Naturalis esse, ut semper quidem, non tamen pro semper obliget. Ergo vi illius præcepti non subsistere, quòd omnis actus moralis in Honestatis objectivæ Finem non relatus sit eo ipso *Moraliter* malus.

31. Contra. Nam quòd præceptum affirmativum non pro semper obliget, verum est de lege versante circa determinatam Moralitatis speciem, non verò de lege versante circa Generalem omni morali rectitudini *Transcendentaliter* inexistentem Formalitatem: ejusmodi enim lex est de Formalitate, cujus obligatio per modum proprietatis connaturaliter & convertibiliter convenit creaturæ, quà rationali. Probatur istud subsumptum. Sicut enim Intellectus per intelligentiam suam innatam ab intrinseco eatenus determinatur ad prima per se nota principia, ut alia tamen sint determinato duntaxat in genere scibilium; alia econtra sint Transcendentia respectu omnis scibilis. Sic habitus Synthereseos alia habet Intellectui connaturaliter perspicua principia circa materiam determinatam, veluti sunt præcepta affirmativa versantia circa objectum determinatæ speciei virtutis: alia verò principia Synthereseos Transcendentia respiciunt totum moralitatis genus. At verò primorum speculabilium principiorum *Transcendentaliter* universalium ea vis est, ut Intellectui imponant necessitatem respectu omnis veritatis *Naturaliter* noscibilis, adeò ut Intellectus non possit ullum formare discursum, quin ejusmodi principia *Exercitè* saltem sub aliquâ ad determinati scibilis principia concretione determinent Intellectum. Pari proinde ratione principia moralia, seu practica *Transcendentaliter* universalia omni actui morali imponunt legis necessitatem, seu moralem determinationem. At ejusmodi morale *Transcendentaliter* universale principium est de omnibus actionibus moralibus in finem naturæ quà rationali debitum dirigendis. Probatur istud assumptum. Etenim ex eo, quòd homo sit rationalis, habet quandam infinitæ ad universum Bonum Commensurationis Capacitatem. Ex hâc autem infinitâ commensuratione fit, quòd nullum Bonum limitatum sit à voluntate appetibile, nisi sub habitudine ad purum voluntatis unicè satiativum Bonum. Habet igitur voluntas quandam ab intrinseco determinationem saltem ex parte operis, seu rei qua volitæ, *Virtualiter* referendi omnes suas actiones in Deum.

At ista virtualis relatio in objecto volito *Exercitè saltem* intenta reducitur ad genus moris, quà regulata per rationem. Est autem naturæ quà rationali per modum proprietatis *Connaturaliter* debitum, ut voluntas in specifico rationalitatis gradu radicata non intendat in Bonum, nisi quà regulatum ratione. At ista rationis regulabilitas per modum primi Synthereseos principij ex intrinsecâ naturæ quà rationalis super portionem sensitivam & Vegetativam eminentiâ exigit, ne voluntas operetur ex motivo, inferiori duntaxat sensibilitatis portioni proportionato, sed ex motivo huic inferiori portioni prædominante. Cùm igitur voluntati ex intrinsecâ naturæ quà rationalis exigentiâ per modum proprietatis conveniat, omnium suarum actionum virtualis ex parte operis, seu rei volitæ intra genus moris in Deum reductio: hæc autem in Deum reductio *in Esse moris* constituatur per regulabilitatem rationis, ut sic repræsentantis intrinsecam naturæ rationalis exigentiam ad omne volitum, sub altiore portioni sensitivæ prædominante motivo appetendum, consequens est; Naturæ quà rationali per modum proprietatis *Convertibiliter* esse debitum, ut omnis actus moralis sub altiore portioni sensibilitatis prædominante Motivo *Virtualiter* reducatur in Deum. Constat proinde, illam de omni actu morali in Finem naturæ quà rationali debitum *Exercitè saltem* referendâ obligationem seu determinationem moralem se habere quidem per modum legis affirmativæ, attamen *Transcendentaliter* se habentis ad omnem actum moralem, atque adeò obligare semper, & pro semper. 32.

Responsio ad opposita Fundamenta.

AD 1. *n. 1.* oppositum fundamentum Respondetur. Ad actum moraliter bonum requiri quidem, ut ex parte rei volitæ, sive motivi sui Formalis intra genus moris habeat quandam virtualem ad Deum relationem, hanc tamen ex eo duntaxat subsistere, quòd motivum ejusmodi quatenus à ratione regulatum, intendatur sub aliquâ participationis ex Deo ceu ultimo Fine derivatæ ac Finalizatæ habitudine. Ejusmodi verò esse honestatem Eleemosynæ quà intentæ sub præciso etiam Misericordiæ motivo. Consequens proinde esse, quòd actus Eleemosynæ taliter factus non sit indifferens, sed *Moraliter* bonus. 33.

Ad *n. 2.*

34. Ad 2. *n. 2.* oppositum Respondetur. Posse quidem actum moralem *privativè* duntaxat carere circumstantia, seu Fine specifico alicujus virtutis, non autem Fine *Transcendentaliter*, secundùm intrinsecam naturæ quà rationalis exigentiam, omni actui morali conveniente ac debito. Ejusmodi verò Finem esse motivum sublimius, sensibilis delectabilitatis, seu puræ naturalis commoditatis, portioni hominis inferiori proportionato motivo, nec nisi per modum secundarij incitamenti adjecto honestati, ut sic *Transcendentaliter* debitæ omni morali actui. Erit proinde elargitio Eleemosynæ intra determinatum virtutis misericordiæ genus intelligi posit indifferens; utpote *Privativè* duntaxat, non autem *Contrariè* carens *Virtutis* Eleemosynæ morali rectitudine: attamen sub ratione Transcendentali moralitatis non posse intelligi absque Bonitate morali, quin illi Transcendentali de omnibus moralibus actionibus, sub altiori Honestatis motivo faciendis, legi adversetur, atque adeo non *privativè* duntaxat, sed *contrariè* mala sit.

35. Ad 3. *n. 3.* oppositum Respondetur. Eo ipso, quod homo teneatur operari ut homo, debere operari secundùm gradum naturæ quà rationalis proprium. At huic specifico rationalitatis gradui per modum proprietatis *Convertibiliter* convenire lumen, repræsentans Debitum operandi ex sublimiore super inferiorem sensibilitatis portionem prædominante motivo.

Illius autem motivi rationem formalem esse ipsammet Honestatem objectivam sitam in quâdam super sensibilem Delectabilitatem elevatione ac depuratione. Quare si commodum corporis ex præciso commoditatis naturalis, seu sensibilis Delectabilitatis motivo intendatur, eo ipso voluntatem coinquinari, quatenus actûs sui specificationem exinde trahendo se ipsam deprimit ad aliqualem portionis se inferioris subjectionem voluntariam, *uti superiùs est ostensum.* Nisi ergo voluntas feratur in motivum elevatori Honestatis objectivæ puritate ornatum, fore ipsius actum liberum eo ipso *Moraliter* malum, nec adeò dari posse in individuo actum *Moraliter* indifferentem.

36. Ad 4. *n. 5.* oppositum Respondetur. Quantumvis aliquis conetur, in praxi se conformare probabili de actûs moralis indifferentiâ opinioni, non posse tamen non relucere connaturale de omni actione morali sub Motivo naturæ quà rationali commensurato, atque adeò portionis sensitivæ motivis prædominante Motivo, faciendâ, Synthereseos principium. At stante isto principio, invalidum fore practicum de actûs moralis indifferentiâ judicium, sed prævaliturum naturale Synthereseos dictamen, ut adeò illo circa indifferentiam judicio practico non obstante, actus absque Honestatis objectivæ ceu Motivi portioni rationali commensurati intentione elicitus sit hoc ipso malus futurus.

***

(MARIA)

CONTROVERSIA II.

Utrùm detur actus moralis secundùm speciem indifferens?

Affirmativâ opinio videtur esse Scoti *in 2. dist. 1. q. 1. n. 12.* 1.

Fundamentum est. Quia Bonum & malum ex genere suo sunt contraria immediata. Ergo inter ipsa æquè non datur medium, ac inter habitum & privationem.

Negativa sententia est S. Thomæ *cit. q. 18. a. 9* & infra *q. 92. a. 2.*

Fundamentum per Joannem à Sancto Thomâ *cit. disp. 9. a. 5. n. 10.* deductum est. Quia objectum indifferens v. g. *ire in campum, levare festucam*: potest esse volitum & prosecutum a voluntate cum plenâ advertentiâ & judicio. Ergo cum deliberatione. Atqui omnis actus liber & à ratione procedens debet pertinere ad Genus morale: siquidem hoc ipso, quòd deliberatus sit, procedat à ratione deliberante, atque adeò vi talis per rationem regulabilitatis constituatur in *Esse morali.* Ejusmodi proinde actus versans circa objectum à ratione regulatum ac repræsentatum quà indifferens, ab hoc trahit speciem moralem, cui nec bonitas, nec malitia moralis ut sic conveniat. 2.

Huic sententiæ adhærent cum distinctione, ac limitatione Lorca *hic disp. 29. dub. ult.* & Curiel *præs. q. 18. a. 8. dub. un.* asserentes; indifferentiam ad bonum & malum *Morale* ex parte objecti non esse rationem aliquam objectivam, quæ pertineat ad Genus moris, atque adeò actui morali secundùm Genus naturæ duntaxat convenire indifferentiam, quatenus secundùm Entitatem suam capax est recipere moralitatem, sive in Bonum, sive in malum: nec adeò indifferentiam statui posse tanquàm speciem moralem particularem. 3.

Fundamentum à Curiele *ubi suprà concl. ult.* deductum est. Quia species positiva actus in *genere Moris* sumitur ex objecto, quatenus habet *Esse* morale. At objectum non est morale, nisi quatenus importat relationem ad rationem. Hæc autem relatio non potest non esse vel Conformitatis, vel difformitatis; atque adeò continens Bonitatem, vel malitiam moralem. Sicut ergo in objecto nullum *Esse* morale reperiri potest, quod non sit Bonum, aut malum, sic consequenter nequit in actu morali esse species aliqua pertinens ad Genus moris, quæ non sit Bonitas, aut malitia.

Conclusio.

In sensu duntaxat Materiali, non autem Formali verificatur, posse dari actum ex specie suâ indifferentem.

Explicatur & probatur. Nam in moralitate tria considerari possunt: primum est libertas, secundum potest esse actûs liberi tendentia in objectum à ratione repræsentatum tanquàm Bonum, & conveniens voluntati, secundùm quod eandem cum potentijs sensitivis in- 4.

unâ animæ Eſſentiâ habet radicationem: vi cujus adeò radicationis fit, quòd Delectabilitates ſenſualitatis, nec non commoditates naturæ ſint per ſe appetibiles à voluntate humanâ. Tertium denique eſt actûs moralis tendentia in objectum regulatum à ratione repræſentativâ Formalitatis voluntati *quà Formaliter* rationali proportionatæ ad eam *Finaliter* movendam. At prima, ſcilicet libertatis ratio, licèt realiter ſit indiſtincta à moralitate, ad iſtam tamen ſe habet ſolùm *Materialiter*, quemadmodum illa etiam in objectum voluntati quà cum potentijs ſenſitivis in unâ animæ Eſſentiâ radicatæ proportionatum tendentia ſolùm *Identicè* ac *Entitativè*, adeòque *Materialiter* ſe habet ad Moralitatem. Unde nec iſta voluntatis in objectum tendentia libera, nec libertas ipſa intelliguntur ſub Formali moralitatis ratione, niſi per ſui cum naturâ quà rationali commenſurationem. Hæc autem importat regulabilitatem rationis repræſentantis objectum ſub motivo altiori, voluntati non quà præcisè in unâ animæ Eſſentiâ cum potentijs ſenſitivis radicatæ, ſed *quà Formaliter* rationali conveniente, ſeu per modum Finis proportionato. At ejuſmodi ad rationem ſub tali motivo regulantem commenſuratio nequit ſtare niſi vel per modum conformitatis, vel difformitatis. Sub ratione autem conformitatis importat Bonitatem, ſub ratione autem difformitatis malitiam moralem. Cùm igitur nulla ſpecies moralis ſub ratione moralitatis *Formaliter* conſiderari queat in ordine ad objectum, niſi quà ſub altiore rationalitatis ſpecifico gradui conveniente motivo regulatum; ſpecificatio autem actuum ſit ex objecto Formali, ſeu motivo: conſequens eſt, nullam ſpeciem actûs moralis ſub Formali moralitatis ratione eſſe intelligibilem, cum indifferentiâ ad Bonitatem & malitiam moralem. Quare actui morali ſecundùm liberam ſui in objectum voluntati quà in unâ animæ Eſſentiâ cum potentijs ſenſitivis radicatæ conveniens tendentiam, duntaxat convenit eſſe *in genere moris* indifferentem ſecundùm ſpeciem. Atqui tendentia ejuſmodi ac libertas ſe habent ad moralitatem ſolùm *Identicè* ac *Materialiter*, non *Formaliter*. Ergo in ſenſu duntaxat *Materiali*, non autem *Formali* verificatur, poſſe dari actum moralem ex ſpecie ſuâ indifferentem.

5. Dices. Eo ipſo, quòd nulla ſit poſſibilis ſpecies, quin ſubſiſtere poſſit in aliquo individuo, oportere, illam actûs moralis licèt *Materialiter* duntaxat, quà liberi, ſpectati indifferentiam ſpecificam reperiri in aliquo individuo. Atqui actum moralem fore hoc ipſo in individuo indifferentem, ſi detur actus liber individuus cum ſpecificâ indifferentiâ ad Bonitatem & malitiam moralem.

6. Contra. Nam aliud eſt, ſpeciem aliquam ſub completâ & adæquatâ ratione prout realiter eſt exiſtens in individuo, conſiderare cum ſolâ differentiæ individualis præciſione. Aliud verò eſt, in unâ ſpecie actûs ſecundùm præciſionem rationis conſiderare plures inadæquatas ipſius habitudines ad diverſas objecti Formalitates de ſe motivas, adeòque ſpecificativas objecti ejuſmodi. At licèt actum liberum præcise conſiderando ſub habitudine ad objectum voluntati quà in unâ animæ Eſſentiâ cum potentiis vegetativis ac ſenſitivis radicatæ proportionatum; poſſit ſub iſtâ præciſione deſignari ſpecifica quædam, inadæquata tamen actûs liberi ratio de ſe indifferens ad Bonitatem & malitiam moralem. Nihilominùs illa habitudo *Adæquatè* & *Completè*, prout à parte rei eſt poſſibilis exiſtere, ſpectata ſemper reſpicit objectum ſub altiore Naturæ *quà Formaliter* rationali conveniente motivo.

Probatur iſtud aſſumptum. Eo ipſo enim, quòd ratio de objecto aliquo ob naturæ commoditatem ſeu delectabilitatem amplectendo, formet judicium deliberatum, ſtatim Intellectui illucet illud primum Synthereſeos principium, de omni voluntatis actu in altius ſpecifico rationalitatis gradui proportionatum Honeſtatis motivum, ceu Finem naturæ quà rationali debitum referendo. Ex hujus autem Moralis principij luce objectum ſub quâcunque per rationem repræſentatâ Formalitate ſtatim elucet vel quà conveniens, vel qua diſconveniens rationi. Conſequens proinde eſt; nullum eſſe voluntati per rationem deliberatam applicabile objectum, niſi repræſentetur, vel quà conveniens, adeòque moraliter bonum, vel qua diſconveniens rationi, adeòquè Moraliter malum. Atqui actus moralis ſecundùm ſpeciem ſuam completam, quam re ipsâ habere poteſt, conſideratus ſpecificatur ex objecto non ſecundùm inadæquatam duntaxat ſui Formalitatem ſpectato, ſed ſecùndùm Formalitatem actûs ejuſmodi realiter terminativam. Cum igitur ex illo Transcendentali ad voluntatis actiones in altius naturæ *quà Formaliter* rationali conveniens motivum referendas *Moraliter* obligante principio, reſpectu actûs quà realiter exiſtentis, non ſit intelligibile ullum objectum Formale, niſi ſub determinatâ ad naturam rationalem vel convenientiæ, vel diſconvenientiæ ratione, conſequens eſt, nullam liberi ſeu moralis, quantumvis *Materialiter* ſpectari actûs ſpeciem completam eſſe poſſibilem, quæ importet moralem ex objecto ſuo indifferentiam. Unde quòd actus moralis poſſit ex ſpecie ſuâ indifferens eſſe, verificatur de incompletâ duntaxat, ſecundùm præciſionem rationis *Inadæquatè* ſpectatâ ſpecie moralitatis, in *ſenſu* tantùm *Materiali* & *identico*, non autem *Formali* acceptæ. 7.

Et hinc facilè patet reſponſio ad argumenta *n. 1.* propoſita, tum quòd Scoti fundamentum procedat de moralitatis ſpecie duntaxat completâ: tum quòd ratio Joannis à Sancto Thomâ locum habeat de moralitate non tam *Formaliter*, quàm *Materialiter* conſideratâ; tum denique quòd Curielis fundamentum non probet contra incompletam moralitatis *Materialiter* & *Identicè* acceptæ ſpeciem. 8.

QUÆ-

QUÆSTIO OCTAVA DE BONITATE ET MALITIA MORALI ACTUUM HUMANORUM.

1. Um homo nequeat *Moraliter* agere cum perfectâ deliberatione, quin morale de omni actu, si non *Signatè*, saltem *Exercitè* in Numen mentis rationalis satiativum, seu Ultimum Finem referendo, principium rationi illuceat. Cui proinde principio morali necessum est ex naturâ contradictoriorum omnem actum humanum, vel conformem, adeòque *Moraliter* bonum, vel difformem, adeòque *Moraliter* malum esse. Idcirco actûs Humani *Completè*, prout *Exercitè* ac *Individualiter* est à parte rei, spectati adæquata est divisio in moraliter Bonum & malum, tametsi secundum præcisionem objectivam, vi cujus actus humanus ab illâ in ultimum Finem ordinabilitate præcisus cognoscitur, sit intelligibilis species actûs etiam quà moralis ex se indifferens ad Bonitatem, & malitiam moralem, *prout ex antecedentibus constat*.

De quâ proinde duplici Moralitatis specie deinceps agemus per Quatuor articulos; in 1. investigaturi *Bonitatis & Malitiæ Formalis naturam & quidditatem*. In 2. *Ejusdem ex Objecto, Fine, ac Circumstantiis specificationem*. In 3. *Ejus proprietates*. In 4. denique *Bonitatis & Malitiæ moralis ex actu voluntatis ad actus imperatos exteriores redundantiam*.



ARTICULUS I. DE *Bonitatis & Malitiæ Formalis Quidditate*.

CONTROVERSIA I.

In quo consistat Formalis ratio Bonitatis & malitiæ moralis.

2. VAsquez *præs. disp. 55. cap. 2. & 3.* insinuat Bonitatem moralem non esse intrinsecam actui humano, sed huic accidentario convenire per modum extrinsecæ denominationis, desumptæ tùm à libertate ac deliberatione rationis, tum ab objecto naturæ quà rationali consentaneo. Fundamentum est. Eadem actio *intrinsecè* invariata potest transire de bonâ in malam, & econtra: vel saltem potest de non bonâ fieri bona, accedente solâ rationis advertentiâ, vel novâ circumstantiâ in objecto. At implicat, variari effectum Formalem, non variatâ formâ. Oportet igitur, formam in ratione Bonitatis moralis constitutivam non esse intrinsecam actui, cum alioquin impossibile foret, actum transire de non bono in bonum, nisi fieret actûs intrinseca variatio: nec adeò staret idem numero actus, sed oporteret succedere alium distinctum.

3. Coincidit ex parte sententia Amici *præs. disp. 14. sect. 3. n. 56. & 58.* docentis, Honestatem, seu Bonitatem aptitudinalem ex objecto desumptam esse quidem intrinsecam, & inseparabilem ab entitate actûs interioris virtutis: attamen Bonitatem seu honestatem formalem & Completam esse extrinsecam. Fundamentum est. Ut enim actus sit honestus & studiosus, non sufficit, ipsum tendere in objectum honestum quomodocunque, sed tendere in illud propter ipsius honestatem expressè volitam, tanquam propter motivum Formale. At motivum Formale confert specificationem actui. Ejusmodi verò specificatio est Transcendentalis ordo actûs in objectum, estque adeò intrinseca actui. Econtra verò Bonitas seu honestas Formalis & completa includit rationem liberi, ut Fundamentum moralitatis. At hæc est extrinseca, & separabilis à physicâ entitate interioris virtutis: potest enim idem actus à principio liberè fieri propter Honestatem objecti, immediatè vero post conservari necessariò propter eandem objecti honestatem. Consequens proinde est; Honestatem Formalem & completam esse extrinsecam & separabilem ab Entitate actûs virtutis.

4. Ysambertus Sorbonicus *ad præs. q. 18. disp. 3. a. 2. prop. 2. & a. 3.* existimat; rationem formalem bonitatis moralis esse aliquem modum realem inhærentem actui à voluntate elicito, & ab istius entitate distinctum, qui vocari possit actualis perfectio, & complementum ipsius actûs humani *in Esse moris*. Fundamentum est. Nam actus moraliter bonus ut sic necessariò dicit depen-

dependentiam à voluntate liberâ, ut habente subordinationem ad rectam rationem. Ergo Formalis Bonitas actûs humani est aliquis modus vitalitatis. At vitalitas supra entitatem actûs addit modum aliquem. Ergo & Bonitas moralis: Cujusmodi modus Bonitatis moralis constitutivus nihil est aliud, quàm ipsamet constitutio actûs liberi, ut est volitus secundùm dictamen rectæ rationis.

5. Joannes à Sancto Thomâ *præs. disp. 9. a. 1. n. 6. ac seq.* tenet, Bonitatem Formalem, quatenus se tenet ex parte actûs eliciti *Formaliter* esse habitudinem, seu ordinem intrinsecum ad objectum ut conforme & mensuratum regulis rationis: ad quam conformitatem requiri ex parte objecti collectionem, seu aggregationem omnium eorum, scilicet objecti, Finis, Circumstantiarum, quæ ad perfectionem actûs in lineâ morali requiruntur. Fundamentum est. Quia moralitas in actibus liberis non est aliud, quam eorum commensuratio & ordinatio secundum regulas rationis, & prudentiæ, quæ disponit de actibus secundum habitudinem ad Finem, & secundùm determinationem, & mensurationem legis. At neque ratio, neque prudentia, neque lex aliquid dictant, aut determinant, vel mensurant in actibus, considerando eorum physicam qualitatem, v. g. prout sunt qualitates vitales à suo vitali principio emanantes, sed prout attingunt objectum: determinat enim ratio, quid sit faciendum, & circa quid, maximè enim propter materiam & objectum attingendum actus elicitur. Unde actus non regulatur, nec respicitur à ratione nisi propter rem, quam attingit, adeò ut remoto objecto, non curet ratio, neque voluntas de elicientiâ actûs. Cùm igitur tota mensuratio & regulatio actûs cadat supra actum, ut attingit objectum, consequens est, bonitatis hujus regulationem in actu importare ordinem ipsius ad objectum sic regulatum & mensuratum. At ordo actûs ad objectum pertinet ad ipsam naturam intrinsecam actûs, imò est ipsa species & natura actûs. Ergo Bonitas moralis est intrinseca actui per modum relationis non prædicamentalis, sed Transcendentalis, respicientis objectum qua tum secundum se, tum secundum circumstantias suas regulatum ratione prudentiali.

Conclusio.

Bonitas moralis *Formaliter* spectata est de Essentiali, & intrinsecâ Entitate actûs humani quà commensurati cum objecto rectæ rationi consentaneo.

6. Probatur. Nulla enim Bonitas moralis actûs humani est intelligibilis, quæ non reduci possit ac debeat ad aliquam virtutem tanquàm sui principium. Sicut autem virtus per suam essentiam importat intrinsecam sub ratione principij inclinationem & habitudinem ad objectum, quà regulis prudentiæ, seu rectæ rationis consentaneum, sic actus virtutis ex Essentiâ suâ per modum actualis tendentiæ respicit objectum quà conforme rectæ rationi. Hæc ipsa verò objecti cum rectâ ratione conformabilitas est ratio *Finaliter* motiva actûs à virtute eliciti. Unde ad istum se habet tanquàm Formalitas in *Quarto perseitatis modo* specificativa. At licèt motivum in *Quarto perseitatis modo* specificativum sit actui specificato extrinsecum, ipsa tamen habitudo commensurationis ad ejusmodi specificativum est intrinseca actui Finalizato, ac specificato ex tali motivo. Unde commensuratio ejusmodi est ipsa Essentia actûs ex talis conformabilitatis Finalizatione eliciti *in primo perseitatis modo intrinsecè* ac *Essentialiter* specificativa. At eo ipso, quod Bonitas moralis in actu Humano sit illa formalitas, quæ virtutem tanquàm sui principium Effectivum, Virtutis autem obiectum Formale tanquàm sui motivum Finalizativum in *Quarto perseitatis modo per se* respicit, sequitur; actûs humani cum Formalitate objecti quà rectæ rationi consentaneâ commensurationem intrinsecam ac Essentialem esse ipsammet actûs virtuosi, seu *Moraliter* Boni Bonitatem, seu Honestatem Formalem. Consequens igitur est, Bonitatem moralem esse de intrinsecâ Entitate, & quidditate actûs moralis, quà commensurati cum objecto rectæ rationi consentaneo.

Dices. Bonitatis moralis rectitudinem Formalem non pendere duntaxat ex objecto, sed ex hujus quoque circumstantijs quà regulatis per rectam rationem; Divo Thomâ *1. 2. q. 18. a. 4.* attestante, *Plures Bonitates concurrere ad actum, scilicet bonitatem objecti, circumstantiarum, & Finis.* Unde videri dicendum cum Scoto *in 2. dist. 4. q. un. n. 4. in fine*, quòd, sicut pulchritudo in corpore, sic Bonitas moralis in actu non sit una sola, sed integret in se perfectiones omnes convenientes actui. At verò Essentias & naturas rerum consistere in indivisibili. Consequens proinde esse, quòd Bonitas actûs moralis non sit *absolutè* ex naturâ actûs, sed ex aggregatione omnium actui convenientium, objecti nimirum, modi, aliarumq; circumstantiarum, nec non principij Effectivi ac Finis. uti arguit Scotus *citatus n. 3.* 7.

8. Contra. Nam eo ipso, quòd ratio objecti Finalizativa, seu *Finaliter* motiva, non autem objectum materiale sit actûs moralis specificativum, sequitur, indivisibilitatem seu unitatem Essentiæ & naturæ actûs moralis attendi debere ex habitudine ad unam Formalem objecti Finalizativi rationem motivam, non verò ad unum indivisibile objectum materiale. At licèt objecti cū rectâ ratione conformabilitas per regulas prudentiales pensetur nō præcisè ex objecto, sed ex Fine, nec non circumstantijs objecti, in his tamen inter se collatis objectis materialibus ratio prudentialis determinat unam indivisibilem Formalitatem, ut sic *Finaliter* motivam, & *in Quarto perseitatis modo* specificativam actûs moralis ex ejus Finalizatione excitati. Minor ista 9.
probatur. Etenim ratio prudentialis ad medium virtuti temperantiæ conveniens constituendum eatenus ponderat tum cibi ac potûs, tum suppositi sui, ejusdemque functionum, ac virium qualitates, & circumstantias, ut determinando congruam victûs portionem, in hâc designet Honestatem Temperantiæ propriam. Hæc autem sita est in quâdam ministeriali animæ quà rationalis puritate, se tenente in medio rationis, per quod animæ ex corpore pendentis functiones rationales nec nimietate obruantur, nec defectibilitate impediantur. Hæc igitur ad fun-

ctionis

ctiones rationales Ministerialis & quasi instrumentaria animæ puritas est una indivisibilis per rationem prudentialem determinata Formalitas actûs Temperantiæ *Finaliter* motiva, & *in Quarto perseitatis modo* specificativa. Ex hujus igitur tanquàm Termini Formalis unitate specificâ determinatur una secundùm speciem indivisibilis Bonitas moralis, sita in intrinsecâ actûs ad illam ex regulâ prudentiali determinatam Honestatem commensuratione, seu proportione. Doctore Angelico *citatâ q. 18. a. 2. ad 3.* expressis verbis attestante, *quòd ipsa proportio actionis ad effectum* (prout est objectum activæ potentiæ) *sit ratio bonitatis ipsius.*

10. Instabis. Ex hoc discursu evinci, quòd ratio objectiva actûs moralis *per se Formaliter* Terminativa & specificativa constituatur per rationem, sitque adeò Ens rationis.

11. Contra. Nam rationis prudentialis est, consiliando inquirere Formalitatem objecti specificativam actûs virtuosi, & inquisitam repræsentare voluntati. Sic enim prudentia, quatenus prælucet imperio Intellectûs in Fidei obsequium captivanti, per argumenta & signa credibilitatis determinat, cui materiæ tanquàm Divinitùs revelatæ ex Primæ Veritatis ratione sit assentiendum. Sic quatenus præfulget Virtuti Religionis, determinat, seu designat actionem, cui inexistat ratio Maiestatis Divinæ protestativa. Sic Iustitiæ ostendit, qualiter actioni alicui seu materiæ insit Iuris alieni debitum. Sic Temperantiæ repræsentat congruam victûs attemperationem. Hæc ipsa verò attemperatio actûs quà virtuosi specificativa importat quandam ministerialem superiùs expositam mentis à delectationis functionum rationalium impeditivæ coinquinatione depurationem. At ista depuratio eatenus reperitur in materiali cibi & potûs temperatâ sumptione, ut, quia ista materialis actio quà virtuosa ex imperio rationis *physicè* influente profluit, ex istâ physicâ causalitate actioni ejusmodi insit specialis quædam formalitas Depurationis illius expressiva, sub quâ adeò Formalitate illa temperata cibi sumptio fit specificativa volitionis à Temperantiæ Virtute elicitæ, eatenus *Finaliter* motæ ex illâ actionis materialis Honestate ac depuratione, ut hæc tamen *Efficienter* fluat ex eâdem *per se* in genere Causæ Finalis specificatâ volitione. At eo ipso, quòd Depurationis honestas ex physicâ imperij rationis causalitate sit *realiter* inexistens reali cibi sumptionis actioni, sequitur; ipsam non esse Ens rationis, sed Ens reale. Quæ proinde per rationem prudentialem constituta depuratio ex eo solum capite denominatur medium rationis, quod per prudentialem rationem designari, imò mediante efficacis ex prudentiæ dictamine excitatæ volitionis, ac inde consequentis imperij causalitate *physicè efficienter* causari debeat.

Responsio ad opposita Fundamenta.

12. AD *n. 2.* oppositum Respondetur negando majorem. Nequit enim actio esse *moraliter* bona, nisi volitio *signate & Formaliter* sit prosecutiva Honestatis. At impossibile est, hanc prosequi, nisi præeunte notitiâ ejusdem expressivâ. Neque verò possibile est, eandem numero actionem pro diversis etiam instantibus esse *Formaliter* prosecutivam, & non prosecutivam honestatis alicujus. Implicat igitur, actionem numero eandem transire de non bonâ in Bonam.

Ad *n. 3.* oppositum Respondetur. Ipsam etiam libertatem esse intrinsecam actui, ita quidem ut libertas ad Bonitatem moralem se habens tanquam materiale, sit specialis quædam ad individuationem actionis pertinens realitas intrinseca: Formalis verò ad honestatem objectivâ tanquàm Formale motivum actûs liberi commensuratio sit Forma *intrinsecè* specificativa moralis Bonitatis, ab actu Honestatis illius objectivæ prosecutivo *realiter* indistincta.

Ad *n. 4.* oppositum Respondetur. Illum modum superadditum omninò superfluum esse, siquidem in ipsâ Essentiâ actûs liberi Honestatem objectivam tanquàm motivum Formale *propter se* attingentis, intelligatur Quidditativa ratio Bonitatis moralis, uti rectè probat fundamentum *n. 5.* productum. 13.



CONTROVERSIA II.

Utrùm in actu intrinsecè malo Formalis malitia sit Formalitas positiva inclusa in ipsâ entitate & quidditate?

EX instituto discutiemus istam controversiam, ubi occurret difficultas, *An peccatum commissionis consistat Formaliter in aliquo positivo?* Quare in præsenti paucis aperiemus mentem nostram, ponderaturi utrinque unum duntaxat fundamentum. 1.

Referuntur Sententiæ.

AFfirmat Ioannes à Sancto Thomâ *præs. disp. 9. a. 2. n. 30.* Fundamentum ibi deductum est. Quia in lineâ & ordine morali invenitur vera, propria, & rigorosa contrarietas inter virtutem & vitium, actum bonum & malum, & non solùm privativa oppositio, quæ est oppositio non realis, sed rationis. At oppositio contraria est inter extrema positiva. Ergo tam Bonum, quàm malum debet consistere intra lineam & genus morale in aliquo positivo. 2.

Conclusio.

MAlitia moralis non *Formaliter*, sed *Fundamentaliter* duntaxat importat Formalitatem positivam ab actûs *moraliter* mali entiate *realiter* indistinctam.

Probatur. Quia nihil Formalitatis positivæ reperiri potest in quocumque actu reali, quin Dei Intellectus intuendo Essentiam suam *Idealiter* illam formârit. At Divinæ puritati & Sanctitati repugnat, quòd Deus Formalem peccati malitiam in, & ex suâ Essentiâ *Idealiter* formârit. Minor tametsi ex se ipsâ videatur probata, sic ostenditur. Divinus Intellectus, non nisi per Formam suæ Divinæ Essentiæ *Idealiter* format 3. 4.

mat quidditates ac realitates ad extra producibiles. At Forma Essentiæ Divinæ est purissimum *Esse* subsistens. Unde, quia agens format Effectum secundùm Formam suæ naturæ seu Essentiæ, proprius Dei effectus in rebus creatis est ipsum *Esse*. Quare Deus in actu peccaminoso nihil format Formalitatis, nisi sub ratione *Essendi*. Ut sic autem actus peccaminosus non tantùm non dicit Formalem peccati malitiam, sed ne quidem ut sic quà fluens ex Divinâ Ideatione *Formaliter* est fundamentum malitiæ.

5. Probatur istud assumptum. Actus moralis ne quidem *Fundamentaliter* dici potest malus, nisi sub illâ Formalitate, sub quâ habet in se radicatam seu fundatam privationem debitæ rectitudinis, seu commensurationis cum naturâ quà rationali. At ista privatio non consequitur actum quà sub ratione *Esse* fluentem ex Divinæ
6. Ideationis quasi causalitate. Minor hæc probatur. Formalitas, sub quâ actus *intrinsecè* malus habet in se *Essentialiter* fundatam debitæ cum naturâ quà rationali commensurationis privationem, est specificæ tali actui Quidditativè inexistentis limitationis ratio. Hæc autem limitatio taliter formatur, quod Deus in actu, ejusque objecto specificativo per sui purissimi *Esse* Ideationem exprimendo Formalitatem Essendi sub ordine referibilitatis ad naturam hominis quà sensitivam, seu vegetativam; ex ejusdem *sui Esse* sanctitate & puritate non exprimat in tali actu rationem debitæ cum naturâ quà rationali convenientiæ, sed istam potiùs *Intelligibiliter* removeat ab actu ejusmodi.

7. At ex hoc fit manifestum, quòd Divinæ Ideationis quasi Causalitas positiva ex se non sit profundens Formalitatem actûs, nisi sub ratione Essendi: illa verò limitatio quà fundans privationem debitæ cum naturâ qua rationali commensurationis solum *Negativè* per remotionem, seu Dissensum negativum, non verò *positivè* per assensum affirmativum sit ex Divinæ Essentiæ, ejusque Sanctitatis Ideatione. Ex hoc autem manifestè evincitur, malitiam moralem ne quidem Fundamentalem ut sic, minus Formalem esse ex Divinæ Ideationis quasi Causalitate. Cùm igitur omnis Formalitas positiva *Formaliter* qua positiva sit ex Divinæ Ideationis causalitate, negari debet malitiam Formalem actûs peccaminosi consistere in positivo, imò ne de Fundamentali quidem malitiâ debemus absolutè dicere, quod consistat in positivo ut sic, quà importante *Esse*, sed cum addito qua importante limitationem, *Negativè* duntaxat, per remotionem seu dissensum causatam ex Divinæ puritatis Ideatione.

Ad fundamentum *n.* 2. oppositum

8. RЕspondetur. Actûs moralis divisionem esse in actum *Formaliter* Bonum, & *Fundamentaliter* malum tanquam membra in lineâ morali *Essentialiter* ac *specificè* diversa. Quare omninò subsistere rigorosam in genere & lineâ morali actuum contrarietatem, malitiâ Formali, non nisi *Consecutivè* ac *secundariò* ad eam se habente.

ARTICULUS II.

DE

Specificatione actûs moralis ex Objecto, Fine, ac Circumstantiis.

CUm Bonitas & malitia importet actûs humani cum rectâ ratione conformitatem, vel difformitatem. Prima hîc emergit difficultas. *An Bonitas & malitia moralis specificetur ex ratione, vel ex object. per rationem regulato?* Et quia Bonitas & malitia ex objecto desumpta videtur contrahibilis per circumstantias. 2. Oritur controversia. *An sit species atoma, vel potius subalterna?* Quia verò objecti ad rectam rationem commensurabilitas est per ordinem ad Finem naturæ qua rationali consentaneum. 3. Resultat difficultas. *Qualiter actus humani Bonitas & malitia moralis specificetur ex Fine?* Hinc verò, quia variæ actum humanum ambiunt circumstantiæ speciali secundum genus moris consideratione dignæ, de his movetur Controversia 4. *Qualem circumstantiæ Transcendentales actui morali tribuant Bonitatem & malitiam.* 5. *Quænam in ordine ad Bonitatem & Malitiam moralem sit differentia inter circumstantias purè aggravantes,* & *speciem dantes?* 6. *An & quomodo Bonitas & malitia desumpta ex circumstantiis sit actui morali Essentialis, vel accidentalis duntaxat?* 7. *Quale requiratur voluntarium, ut ex circumstantiis aliqua in actum moralem transfundatur Bonitas?* 8. *Quale exigatur Voluntarium ad malitiam ex circumstantiis transfundendam in actum moralem?* 9. denique *Qualiter actus moraliter Bonus in objecto volito exigat conformitatem cum voluntate Divinâ ac lege æterna?* 1.

CONTROVERSIA I.

An Bonitas & Malitia moralis specificetur ex ratione, vel objecto per rationem regulato?

AB Amico *præs. disp.* 14. *sect.* 1. *n.* 5. refertur sententia docens: specificam Bonitatem moralem non desumi ex objecto, sed ex recto dictamine rationis. Fundamentum est. Quia actus conformis Conscientiæ erroneæ est *moraliter* bonus, etiamsi sit de objecto malo. At si actus humanus desumeret suam Bonitatem, vel malitiam ab objecto, consequenter actus moralis de objecto malo esset *moraliter* malus. Non igitur ab objecto, sed à dictamine rationis actus humani desumunt suam Bonitatem, vel malitiam moralem. 2.

Huic opinioni adversatur sententia relata ab Ildephonso Baptistâ *1. 2. disp.* 202. *n.* 29. asserens; eo ipso, quòd judicium rationis sit falsum, opus ad illud secutum esse malum, nec adeò posse Bonitatem moralem desumi à judicio rationis saltem erroneo. Hinc quando Jacob dormivit cum Liâ, existimans esse suam uxorem, fuisse operatum opus de se malum, etsi non sit imputatum, excusante ignorantiâ, 3.

Verùm

4\. Verùm communis Theologorum, nominatim Amici *cit. sect. 1. n. 11.* Joannis à Sancto Thomâ *disp. 11. a. 2. n. 25.* Ysamberti Sorbonici *præs. disp. 5. a. 2. propos. 2.* sententia tenet 1. cum Sancto Thomâ *hic q. 18. a. 2. & q. 19. a. 1. & 2.* primâ & specificam Bonitatem & malitiam moralem actûs humani desumi ab objecto naturæ quà rationali consentaneo, vel dissentaneo. 2. Ad hanc tamen moralem actûs humani Bonitatem prærequiri rationem objecti eam specificantis repræsentativam. Quam porro Iudicij rationem debere veram esse non *speculativè*, sed *practice*: neque hanc veritatem practicam desumi per conformitatem ad res, sed ad appetitum rectum Finis. Juxta quam adeò conformitatem fuisse opus moraliter Bonum, quando Jacob existimans se esse cum uxore suâ, Liam cognovit, ex D. Thomâ *cit. q. 19. a. 3. in corp. & ad 2.* Ildephonso Baptistâ *disp. 205. per totam.*

CONCLUSIO I.

Bonitas moralis *Formaliter* ac *Essentialiter* specificatur ex objecto quà per rationem practicè veram regulato, ut sic naturæ quà rationali consentaneo.

5\. Probatur. Non enim actus humanus est *Formaliter* virtuosus, seu *Moraliter* Bonus, nisi voluntas *Explicitè* ac *Formaliter* intendat in objecto Honestatem objectivam tanquam motivum per se ac propter se volitum, ut sic actûs moraliter Boni Finalizativum. Unde Bonitas & honestas formalis in actu virtuoso est intrinseca ejus entitati realiter identificata commensuratio & habitudo ad talem per se volitam objectivam Honestatem tanquàm principium Finalizativum, & in genere Causæ Finalis motivum. At ejusmodi ad objectum motivum commensuratio eatenus est quidditas actûs moralis *in primo perseitatis modo Formaliter* specificativa, ut consequenter ipsum objectum motivum sit ejusdem *in Quarto perseitatis modo* specificativum. Consequens igitur est, Honestatem objectivam *per se* ac *directe* volitam esse specificativam moralis Bonitatis, seu Honestatis Formalis *realiter Essentialiter* inexistentis actui virtutis; Doctore Angelico *cit. q. 18. a. 2.* ita disserente. *Bonum actionis scilicet moralis attenditur ex plenitudine Essendi; Primum autem, quod ad plenitudinem Essendi pertinere videtur, est id, quod dat speciem rei. Sicut autem res naturalis habet speciem ex suâ Formâ, quæ dat speciem rei: ita & prima Bonitas actus moralis attenditur ex objecto convenienti.*

6\. Dices. Si quis hostiam non consecratam existimans esse consecratam adoret, facere actum *moraliter* honestum. At hujus actûs objectum secundùm rei veritatem, prout dicit cultum latriæ factum Hostiæ non consecratæ, nullam continere honestatem objectivam, sed hanc ex rationis duntaxat judicio illi affingi. Non igitur dici posse, quòd tam ex reali objecti Bonitate seu honestate objectivâ, quàm per commensurationem cum ratione alicujus in objecto Honestatis etiamfictitiè repræsentativâ, actus moralis constituatur *Formaliter* bonus.

Contra. Nam ratio, per quam hostia *solùm putatitie* consecrata judicatur adoranda, eatenus ad voluntatem applicat Christi Domini in Eucharistiæ Sacramento adorabilitatem, ut hujus objectiva Honestas se habeat per modum objecti Formalis, Hostia verò putatitiè duntaxat consecrata se habeat per modum objecti duntaxat materialis. Unde licèt totum ex isto duplici tum materiali, tum Formali objecto resultans concretum sit *speculativè* falsum: attamen *realiter* subsistit Christi Domini quà in Eucharistiâ contenti adorabilitas. At ista, non verò illud Totum concretum *practicè* applicatur ad voluntatem, utpote cujus formalitas adorabilitatis sit *Formaliter* motiva, & ut sic specificativa, illâ ad Hostiam non consecratam ex errore invincibili resultante adorabilitatis concretione *solum materialiter*, & ratione ignorantiæ invincibilis *merè per accidens* se habente ad voluntatem. Est autem actionis specificatio ex Finali objecti Formalis motione. Unde si actûs ejusmodi motivum Formale nullam ex sui ad objectum materiale concretione recipiat impuritatem & malitiæ coinquinationem, sequitur, actum ejusmodi, utpote ex motivo de se honesto & ab omni malitiæ impuritate depurato specificatum esse *moraliter* Bonum ac Virtuosum. At eo ipso, quòd ratio illa Hostiæ *solùm putatitiè* consecratæ adorabilitatem ex invincibili errore repræsentans sublimetur ad fidei Divinæ supernaturale judicium, tunc Divinæ lucis radius purum ab impuro, & verum à falso separans, purè in abstracto repræsentat Christi Domini in Eucharistia adorabilitatem, illo invincibili circa hostiam *putatitie duntaxat* consecratam errore se habente *solum Concomitanter*. Unde voluntatis supernaturaliter motæ Intentio tunc non fertur in adorationem illius Hostiæ non consecratæ, sed in Christi Domini quà in Eucharistiâ contenti adorationem, abstrahendo ab illâ ad Hostiam non consecratam concretione.

8\. Quòd si verò judicij ex ejusmodi invincibili errore procedentis ratio sistat intra limites purorum naturalium, velut in Jacob ad Liam tanquàm putatam uxorem accedente, tunc licèt tale Iudicium ex parte objecti materialis, nec non quoad hujus cum honestate Matrimonij, seu objecto motivo concretionem fuerit *speculativè* falsum, attamen Honestatis Matrimonij Formalitas ut sic voluntatis *Finaliter* motiva de se secundùm rei veritatem subsistebat. Unde cùm judicij practici veritas, teste Divo Thomâ *cit. q. 19. a. 3. ad 2.* desumatur ex ordine ad intentionem Finis, sequitur, objectum eatenus contineri intra lineam practicæ veritatis, quatenus reducitur ad rationem Voluntatis *Finaliter* motivam. Hinc autem fit consequens, quòd objectum judicio per Jacob formato respondens, intra lineam practicæ veritatis fuerit omninò verum, utpote habens veram realiter subsistentem Honestatem objectivâ, licèt hujus ad objectũ materiale concretio non *practicè* seu *motivè*, sed *purè terminativè* & ratione invincibilis erroris *solùm per accidens* se habens ad voluntatem, fuerit falsa. At eo ipso, quòd ista falsitas utpote invincibilis nullatenus afficeret voluntatem, non potuit vel secundùm se, vel secundùm suum objectum aliquâ malitiæ impuritate inficere tum illam objectivam Matrimonij putati Honestatem, tum voluntatis in istam honestatem latæ intentionem, ut adeò falsitas ejusmodi sisteret intra

intra limites puræ speculationis, nec attingeret practicæ in voluntatem aliqualiter *saltem indirectè* influentis rationis lineam. Patet proinde; qualiter Honestas objectiva tum adorabilitatis ergaHostiam *solùm putativè* consecratam, tum accessûs ad uxorem duntaxat putatitiam, secundùm se, & quatenus applicatur ad voluntatem, *practice* subsistat, licèt falsa sit intra lineam speculationis, utpote attingentis subjectum secundùm concretionem non subsistentem in rei veritate, cujusmodi tamen concretio *mere per accidens* se habet ad voluntatis intentionem.

CONCLUSIO II.

MAlitia moralis in actu humano non *immediatè*, & *in Quarto perseitatis modo Formaliter*, sed *Consecutive* ac *Indirectè* specificatur ex objecto sui motivo.

9. Probatur. Nam objectum voluntatis motivum importat aliquam Bonitatis rationem. Hæc autem Bonitas ut sic sui appetibilitatem importans est Formalitas aliqua positiva objecti. At ista nequit *Formaliter* esse malitia objectiva, utpote consistens in privatione rectitudinis debitæ. Hæc autem privatio radicatur in naturæ rationalis quà Deo, tum quoad Effectivam, tum quoad Exemplativam, tum quoad Finalizativam causalitate subjectæ obligatione. At verò malitia quà rectitudinis debitæ privationem importans nequit esse objectum voluntatis motivum, ac per se appetibile, sed ratione sui duntaxat fundamenti habentis ut sic rationem Boni vel Sensitivi, vel Vegetativi, vel Entitativi cum naturâ secundùm gradum vegetativum, vel sensitivum, vel *absolute* Entitativum spectatâ, non quà rationali, ac Deo secundùm gradum rationalitatis subjectâ proportionati. Hoc igitur malitiæ moralis objectivæ fundamentum in aliquo Entitativæ saltem Bonitatis gradu situm, ut sic rectitudinis gradui quà rationali ac Divinæ legi subjecto debitæ privationem fundans, eatenus potest esse motivum actûs moralis, ut hujus *in Quarto perseitatis modo* sit *Formaliter* specificativum. Ex hâc verò specificatione ab intrinseco resultat rectitudinis actui quà morali debitæ privatio, ut sic habens Formalem moralis Malitiæ rationem. Constat proinde, malitiam moralem non *immediate*, & *in Quarto perseitatis modo Formaliter*, sed *Consecutive*, ac *indirectè* specificari ex objecto actûs *moraliter* mali motivo ac specificativo.

10. Confirmatur & explicatur ab exemplis. Tum quia voluntas humana per Sympathiam sensualitati immersa solet honestatem moralem respuere, vel Bonum oppositum prosequi, non *directè* illam aversando, vel *directè* prosequendo Honestatis illius privationem, sed *indirectè* tantùm ac *Interpretative*; quatenus Bonum sive secundùm gradum sensualitatis, sive secundùm Naturæ Gradum Vegetativum, seu Entitativum sibi conveniens prosequendo, in isto Bono tanquàm Causâ seu medio aliquo vult malitiam moralem, quin hanc per modum objecti etiam materialis *Directè* intendat. Unde fit, quòd talis moralis actûs objectum motivum ac specificativum non sit objectiva *in genere moris* malitia, sed Bonitas saltem Entitativa objecti, per suæ intrinsecæ in Essendi gradu naturæ rationali proportionato limitationis rationem, in se fundans moralem objectivam malitiam. Tum quia Intellectus Angelicus v. g. considerando suam intrinsecam in ratione Ultimi se Beatificantis Finis a Deo dependentiam, vidit in hac radicatam defectibilitatem naturæ, ceu malum aliquod in suâ ipsâmet substantiâ, quà Bono creato & limitato fundatum. At in hoc ipso ad suam voluntatem referibili Naturæ secundum absolutum & illimitatum ordinis Entitativi gradum spectatæ malo perspiciebat rationem Boni moralis consistentis in debitâ sui ad Deum, quà Primum in Efficiendo & Finalizando principium subjectionis recognitione. In hâc proinde boni & mali circa idem objectum repræsentatione non potuisset voluntas Angelica suam Naturæ in intrinsecâ limitatione radicatam defectibilitatem velle, nisi propter annexam Bonitatem, tum Naturalem cum illâ defectibilitate in substantiâ Angelicâ *Essentialiter* connexam, tum moralem objectivam in debitâ erga Primum Efficiens ac Finale principium subjectione sitam: sicuti econtra tam physicam Naturæ, quam moralem honestatem non potuit aversari, nisi propter annexam in naturæ limitatione radicatam defectibilitatem, seu summæ & consummatæ in se perfectionis negationem. Quare Dæmon superbiendo, sui a Dei Gratiâ in Beatitudinis & ultimatæ seu consummatæ perfectionis participatione dependentiam respuens, suique adeò cum Altissimo, non quidem Consubstantialem, sed accidentalem & participatam in visione & Fruitione Beatificâ sitam similitudinem, quà sibi connaturalem appetens, neque potuit malitiam moralem in istius similitudinis objecto radicatam *Directè* prosequi, neque moralem in sui quoad Beatitudinis participationem à Deo dependentiâ & subjectione relucentem honestatem aversari, nisi per modum objecti duntaxat materialis, illâ ipsâ naturæ, moralem hanc honestatem fundante defectibilitate, ceu naturæ secundùm illimitatum ordinis Entitativi gradum spectatæ malo, se habente per modum objecti Formalis ac motivi. Patet igitur, neque moralem honestatem respectu actûs Fugæ seu aversionis *Moraliter* pravæ, neque objectivam *in genere moris* malitiam esse objectum *per se primò* & *in Quarto perseitatis modo Formaliter* Terminativum seu motivum objectum, sed istam *indirectè* duntaxat in aliquo medio, illam verò per modum objecti tantùm materialis attingi ab actu voluntatis. Consequens proinde est, objectivam *in genere moris* malitiam *solùm indirectè* posse actûs Moralis, nec non Formalis in hoc radicatæ malitiæ esse specificativam. 11.

Responsio ad opposita Fundamenta.

AD *n. 1.* oppositum Respondetur distinguendo majorem. Nam verum est, quod actus conscientiæ erroneæ consentaneus versans circa objectum *materialiter* malum sit *moraliter* bonus, si tamen huic objecto *materialiter* malo per rationem imprimatur Honestatis objectivæ ratio aliqua, actûs moralis ut sic motiva, & specificativa. Quod si proinde nulla ex parte objecti voliti per Divini Intellectûs Ideationem, ceu le- 12.

ceu legem æternam formata, à ratione nostrâ repræsentetur, & huic conformiter a voluntate *Directè* ac *studiose* appetatur Honestas objectiva, negandum erit de actu ejusmodi, esse *moraliter*
13. Bonum. Ratio hujus responsionis est; Quia nulla est excogitabilis Formalitas actûs virtuosi, seu *moraliter* Boni specificativa, quin ab Intellectu Dei naturam creatam Intellectualem in suâ Divinâ Essentiâ *Comprehensive* intelligente sit *Idealiter* formata. Etsi proinde voluntas se conformans Conscientiæ erroneæ ex parte objecti materialis attingat quandam cum Honestate objectivâ ceu Formalitate actûs virtuosi specificativâ concretionem de se falsam, hæc ipsa tamen objectivæ Honestatis *Finaliter* influentis Formalitas, non obstante illâ materiali concretione, utpote cujus falsitas & malitia sit invincibiliter ignorata, potest in voluntatis actum ex se Finalizatum refundere Honestatis Formalis sibi commensuratæ speciem. Patet igitur, honestatis Formalis specificationem in actu morali semper desumi ex objecto Formali, ac pendere ex ratione solum ut proponente & applicante Formalitatem, sub ratione objecti motivi specificativam.

14. Ad *n. 2.* oppositum Respondetur. Non ex eo præcisè, quòd Judicium voluntati prælucens sit *speculativè* falsum, sequi, actum voluntatis tali judicio conformem esse *moraliter* malum, sed oportere, quòd tale judicium habeat falsitatem quoque practicam. Ratio responsionis est. Nam practica veritas in ordine ad voluntatem desumitur ex eo, quòd Formalitas per rationem repræsentata habeat quandam vim voluntatis *Finaliter* motivam, & ut sic moralitatis influxivam in voluntatem. At eo ipso, quòd omnis formalitas intra lineam moralitatis respectu voluntatis ex ratione deliberatâ agentis nullam ex naturæ qua rationalis intrinsecâ exigentiâ habere possit ac debeat vim Finalizativam, nisi sub talis Finalizativæ appetibilitatis ratione sit per Divinum Intellectum *Idealiter* expressa, per modum puritatis seu Honestatis naturæ quà rationali convenientis, sequitur, judicium voluntati ex deliberatione agenti prælucens non intelligi *practice* falsum, nisi voluntati malum morale sub specie Boni eatenus repræsentet, ut istius malitia possit in voluntatis actum influere, seque in illum refundere. Ad hunc verò influxum requiritur, ut malum morale sub specie Boni motivum voluntatis, quoad suam moralem malitiam sit volitum. Nequit autem objecti ulla Formalitas etiam *Indirectè* ac *Interpretativè* esse volita, nisi vel sit *Virtualiter* saltem præcognita, vel *Vincibiliter* ignorata. Quare Jacob Liam uxorem suam putatam accedens, cùm malitiæ huic materiali objecto convenientis haberet invincibilem ignorantiam, & alias ex parte objecti motivi non haberet volitam nisi Honestatis Matrimonio propriæ Formalitatem, consequenter, dum judicavit, se cognoscendo Liam, agere honeste, eatenus committebat falsitatem pure speculativam, ut, in quantum haberet de ratione practicæ *Finaliter* ac *Moraliter* in voluntatem influentis veritatis, in tantum judicium illud esset *simpliciter* verum, & consentaneum Divino objectivæ actuum virtuosorum specificativæ honestatis *Idealiter* Formativo & Exemplativo Iudicio; falsitate illâ non nisi ex parte materialis ad voluntatem *solùm per accidens* ac merè *speculativè* se habentis concretionis se tenente. *veluti superius expositum est.*

❊❊❊❊❊❊❊❊❊❊)(❊❊❊❊❊❊❊❊❊

CONTROVERSIA II.

An Malitia & Bonitas desumpta ex objecto sit species atoma, vel potius subalternata, contrahibilis per specificas Circumstantiarum differentias?

Scotus *in 2. dist. 2. q. un. n. 11.* triplicem distinguens Bonitatem moralem, asserit; primam competere volitioni ex hoc, quòd transeat per objectum conveniens Dictamini rectæ rationis. Quam dici posse Bonitatem moralem *ex genere*, cùm sit quasi materialis respectu omnis boni ulterioris *in genere moris*. Secundam *ait* convenire volitioni ex hoc, quòd eliciatur à voluntate cum omnibus circumstantijs à recta ratione dictatis. Cujusmodi Bonum ex integrâ omnium specificarum circumstantiarum causa petitum esse quasi Bonum *in specie moris*. Tertiam *inquit* convenire actui ex hoc, quòd præsupposita illa duplici bonitate, ipse eliciatur secundùm inclinationem Charitatis & Gratiæ tanquàm principij merendi. Ex quibus proinde videtur evinci, quòd subtilis Doctor Bonitatem moralem ex objecto desumptam constituat genericam, Bonitatem verò moralem ex circumstantijs petitam asserat specificam. Fundamentum à Doctore *citato* insinuatum est. Nam actus transiens super objectum est quasi Formabilis per quamcumque circumstantiam moralem. Unde non tantùm *in genere naturæ*, sed *in genere moris* est aliquid quasi potentiale, respectu cujus Bonitates ex circumstantijs per rectam rationem regulatis petitæ sint quasi differentiæ morales contrahentes bonum ex genere. 1.

Videtur ista sententia posse confirmari per authoritatem Doctoris Angelici *q. 2. de malo. a. 6. ad 2.* docentis; Furtum in loco sacro commissum, quatenus ex circumstantiâ loci trahit Sacrilegium, contineri sub furto; & adulterium, quatenus addit circumstantiam injustitiæ, contineri sub luxuriâ, ut speciem sub genere. Hinc stuprum, adulterium, & incestus sub uno genere luxuriæ sunt species *Essentialiter* diversæ, uti fusè probat Divus Thomas *2. 2. q. 154.* cùm tamen hujusmodi specificæ differentiæ non nisi ex diversitate circumstantiarum desumantur, objecto luxuriæ specificativo se ad illas *in genere moris* habente *quasi genericè*. 2.

Verùm Franciscus Herrera *in 2. ad dist. 18. disp. 28. q. 5.* affirmat, Scotum in puncto præsenti eatenus concordare cum Divo Thomâ, ut Doctor subtilis *supra citatus* intelligendus sit, loqui de Fine & Circumstantijs, quæ ingrediantur ipsam rationem objecti, sintque de hujus intrinsecâ ratione, siquidem actus sub præcisâ ad objectum relatione spectatus sit in potentiâ ad ulteriorem moralitatis speciem ex objecto qua circumstantijs *in Esse moris* considerabilibus vestito desumptam. 3.

Unde Ysambertus Sorbonicus *ad præs. q. 18. disp. 5.* 4.

disp. 5. a. 3. simpliciter negat, actûs moralis bonitatem ex habitudine ad objectum desumptam esse tantùm genericam, sed esse specificam.

5. Verùm Ildephonsus Baptista *hic disp. 177. n. 115.* distinguit asserendo, Bonitatem specificam actuum moralium esse aliquem modum rationis genericæ, in quantum est contrahibilis per varias Bonitates ex circumstantijs sumptas: has tamen non tribuere speciem Essentialem, sed accidentalem, atque adeò bonitatē specificam ex objecto desumptam respectu Bonitatum ex circumstantijs provenientium *solum abusive* per similitudinem appellari genericam. Fundamentum ab authore *citato n. 17.* deductum est. Nam sicut genus habet quandam communitatem respectu specierum, estque determinabile ad illas, ita bonitas & malitia ex objecto desumpta habet quandam communitatem ad varias species à circumstantijs causatas, veluti patet in Eleemosynâ per hoc contrahibilis, quòd v. g. fiat vel propter amorem Dei, vel propter pœnitentiam. Ergo Bonitas ex objecto desumpta respectu Bonitatum ex circumstantijs causatarum se habet quodammodò ut genus, quamvis non sit verè genus, eò quòd tales differentiæ sint accidentales.

Concluiso I.

Metaphysicè loquendo rectè dici potest; quòd Bonitas & Malitia desumpta ex objecto sit generica, contrahibilis per specificas circumstantiarum differentias.

6. Explicatur & probatur. Nam objecta actuum moralium dupliciter spectari possunt. *Primò* quatenus *Exercitè*, prout sunt à parte rei, se habent ad actus voluntatis. *Secundò* quatenus sub quâdam per Intellectualem morali philosophiæ inservientem abstractionem signatâ formalitate intelliguntur esse specificativa determinatæ cujusdam moralium actuum ad objectum, ejusque circumstantias per rationem regulatas habitudinis. Sub hac proinde posteriori consideratione actuum moralium ad determinatæ Virtutis habitum spectantium gradus Metaphysici eatenus distinguuntur, ut gradus genericus ex præcisâ objecti *secundùm se* à circumstantijs, speciem licèt moralem fundantibus *abstractè* considerati specificatione, gradus verò specifici ex determinatis ad objectum qua circumstantijs ejusmodi

7. vestitum habitudinibus spectentur. Probatur istud assumptum inductione. Nam ex unicâ Castitatis virtute prodeunt actus secundùm speciem *in genere* etiam *morali* diversi, *Formaliter* contrariantes specificis stupri, incestûs, adulterij, simplicis Fornicationis, Sodomiæ, pollutionis malitijs. Similiter justitiæ virtus quatenus circa Bona fortunæ versatur intra lineam suam continet diversos specie actus morales *Formaliter* contrariantes malitiæ Furti simplicis, rapinæ, Sacrilegij. At istæ specificæ differentiæ desumuntur ex objecto, quâ per specificas Circumstantiarum differentias contracto. Ex his ipsis verò specificis differentijs abstrahibilis est ratio generica peccati tum justitiæ, tum Castitati ut sic adversantis, ita ut sub istâ potentiali ad diversas species contrahibili, adeòque genericâ formalitate intelligantur actus Castitati contrarij specificari ex objecto Castitatis virtuti dissentaneo quà præcisò ab illis specificis circumstantijs. Constat proinde, in ordine ad Metaphysicos Bonitatis & malitiæ moralis intra ejusdem virtutis lineam contentæ gradus distinguendos dici posse ac debere, quòd objectum qua a circumstantijs speciem dantibus præcisum fundet gradum genericum, circumstantiarum verò rationes speciales fundent differentias specificas.

Dices. Objectum v. g. Fornicationis Sacrilegæ, abstrahendo a circumstantiâ personæ sacræ, continere per se moralitatem objectivam actûs moralis, qua rectæ per Castitatis Virtutem regulatæ rationi dissentanei specificativam. Econtra vero circumstantiam personæ sacræ respectu illius actûs esse per se specificativam malitiæ pugnantis cum virtute religionis. Unde illam duplicem actûs moralis habitudinem esse in duplici disparata specie morali, quarum altera sit ex ordine ad objectum, altera verò ex ordine ad illam specificam circumstantiam. At implicare, differentiam aliquam specificam esse contractivam speciei *disparatæ* repugnantis. Non igitur subsistere, quod Bonitas, seu malitia moralis ex objecto desumpta sit generica, contrahibilis per specificas ex circumstantijs speciem dantibus petitas differentias. 8.

Contra. Nam circumstantia dans speciem actui, dupliciter comparari potest ad malitiam objecti. 1. Per se, dum scilicet circumstantiæ ejusmodi transeunt in intrinsecam objecti conditionem. 2. Per accidens, ex voluntariâ operantis ab hoc *moraliter* procedentis coordinatione. Primo igitur modo se habent ad invicem objectum & Circumstantia, quatenus objecti Delectabilitas Castitati v. g. opposita ex se ipsâ vim habet voluntatem aliter alliciendi, ut sit voluntatis *Finaliter* motiva ad sui appretiationem, cum quodam Honestatis ex religione *v. g.* debitæ virtuali contemptu, seu malitiæ huic virtuti adversantis prosecutione indirectâ & interpretativâ. At tunc malitia virtuti religionis opposita eatenus transit in conditionem objecti, ut istius quoad aliquem *in Esse morali* Formalitatem sit *intrinsecè* determinativa. 9.

Probatur istud assumptum. Nam illa Castitati opposita, Delectabilitas juxta malitiam virtuti religionis adversantem repræsentata Intellectui, eatenus est allectiva voluntatis, ut tamen ratione annexæ malitiæ tum Castitati, tum religioni adversantis, sit nata excitare voluntatis a se aversionem & abominationem. Unde quando voluntas permittens in se dominari libidinem, Delectabilitatis illius venereæ prosecutivam, *Virtualiter* contemnit Honestatem virtutum tum Castitatis, tum Religionis, ac *Indirectè* prosequitur malitiam hisce virtutibus oppositam. Ex hac autem indirectâ malitiei virtutibus illis oppositæ prosecutione fit, quòd utraque illa malitia transeat in conditionem objecti. At hæ ipsæ in objecti conditionem transeuntes malitiæ possunt diversimode esse terminativæ voluntatis, ita ut alius actus moralis feratur in veneream cum indecenti objecti Delectabilitate connexam malitiam præcisè spectatam, non qua stipatam malitiâ alteri virtuti oppositâ, 10.

positâ, alius verò actus moralis feratur in eandem cum indirectâ malitiei sive *Religioni in copulâ Sacrilegâ*, sive *pietati in copulâ incestuosâ*, sive *Justitiæ in copulâ adulterinâ* adversantis prosecutione, atque adeò honestatis virtutibus ejusmodi propriæ Virtuali contemptu. Hinc autem patet, quòd ex illâ objecti venereâ Delectabilitate tali et possit in actum moralem transfundi malitia aliqua, ut illa vel subsistat intra lineam malitiei Castitati duntaxat adversantis, vel contrahatur ad speciem malitiæ alijs, *Religionis scilicet, Pietatis*, & *Justitiæ* virtutibus oppositæ. At ex hoc manifestè evincitur, actum moralem Delectabilitatis qua ad virtualem illarum Virtutum contemptum, & indirectam malitiarum illis oppositarum prosecutionem *Finaliter* allectivæ prosecutivum, ex intrinseco, & Essentiali suo ac Transcendentali ordine eatenus specificari ex objecto, quà illis malitiebus infecto, ut tamen secundum objectivam graduum Metaphysicorum in actu ejusmodi distinctivam præcisionem moralis ad objectum Castitati oppositum habitudo intelligatur taliter determinabilis, quòd in suo, quem a parte rei habet contractionis statu, subsistere possit vel sub ratione ordinis ad objectum quà non stipatum aliquâ sive incestûs, sive adulterij, sive Sacrilegij circumstantiâ, vel sub ratione ordinis ad objectum qua vestitum circumstantiâ, tum incestuosæ, tum Sacrilegæ, tum adulterinæ copulæ. Constat igitur, quando objectum Castitati oppositum suæ Delectabilitatis allectivâ vi est in sui quasi conditionem recipiens circumstantias alijs virtutibus oppositas, ad harum virtualem contemptum inflectendo voluntatem, tunc ejusmodi circumstantias esse objecti secundum se præcisè spectati *specificè* determinativas, quin dici debeat, quod differentiâ aliqua specifica sit contractiva speciei *Disparatè* secum repugnantis.

11\. Probatur istud assumptum. Nam eo ipso, quòd delectabilitas objecti in suam intrinsecam conditionem trahat malitiam alijs Virtutibus oppositam, oportet, omnes malitias quantumvis specie differentes in illâ objecti Delectabilitate *Indivisibiliter* volitas coire in unum indivisibile specificativum objectum. Ex hoc autem fit, quòd actus moralis ex Venerei varias sive adulterij, sive sacrilegij, sive incestûs circumstantias secum annexas habentis objecti Delectabilitate specificatus sit una species, cujus ratio Formalis non sit per quandam specificarum *disparatè* repugnantium differentiarum aggregationem, sed per indivisibilem sui ad objectum qua circumstantiarum malitijs vestitum Terminationem Essentialem. Tunc igitur solùm illæ virtutibus Religionis, Pietatis, Justitiæ & Castitatis adversantes malitiæ continent differentias specificas *Disparatè* repugnantes, quando vel singulæ seorsim concurrunt ad actûs moralis specificationem, vel in hunc influunt absque aliquâ subordinatione, sed quasi *per accidens* conveniunt ex voluntariâ operantis seu actûs ab hoc Moraliter procedentis coordinatione.

12\. Probatur istud assumptum. Hoc enim accidit, quando ad actum aliquem moralem concurrunt duo Motiva nullam respectu talis actûs inter se subordinationem habentia, dum v. g. per Intellectum repræsentatur Delectabilitas alicujus cibi venerem excitantis; potest voluntas ex motivo utriusque hujus delectabilitatis allici ad cibi hujus prosecutionem, quin unum motivum subordinet alteri, sed ex utroque quasi per se stante alliciatur. Tunc igitur ista in unico morali actu consistens prosecutio duplicem in *Esse moris* specificam *Disparatè* repugnantem differentiam contrahit, quin coëat in unam *Metaphysicè* simplicem speciem

Probatur istud assumptum. Nam licèt actûs moralis habitudo ad illam duplicem Delectabilitatem terminata *physicè* ac *realiter* sit simplex Essentia seu species: attamen, si secundùm præcisionem intellectûs à se invicem *Intentionaliter* præscindantur, tunc neutra intelligitur determinabilis per alteram, sed ambæ intelliguntur tanquàm species in suâ lineâ *ultimatè* completæ, omnino *Disparatè* se habentes ad invicem. Unde nequit intelligi, quòd ex ipsis resultet una species Metaphysica, siquidem impossibile sit, differentiam aliquam specificam esse contractivam speciei *Disparatè* secum repugnantis. Quamvis igitur voluntatis actus moralis tendens in objectum pluribus specie distinctis malitijs vestitum, has sine aliquâ inter se subordinatione *Indirectè* prosequendo, intra lineam moralitatis reduci debeat ad species *Metaphysicè* diversas, quarum una nō per modum specificæ differentiæ, sed per modum accidentis duntaxat prædicabilis possit alterius esse determinativa: attamen si voluntatis actus Delectabilitatem v. g. veneream circumstantijs tum Religioni, tum Pietati, tum Justitiæ repugnantibus stipatam sit prosequens cum subordinatione superius expositâ, tunc objecti malitia propria se habet instar potentialitatis per circumstantiarum malitias, tanquàm differentias specificas determinabilis, ut adeò verum sit, malitiam ex objecto desumptam esse genericam, malitiam verò ex circumstantijs petitam esse specificam. 13.

CONCLUSIO II.

Physicè & moraliter loquendo dici debet, quòd in quovis actu morali in objectum malitijs ad diversas licèt species spectantibus vestitum tendente non sit nisi unica species moralis.

Probatur. Nam actus morales *Physicè* ac *Moraliter* spectantur, non secundùm signatas per præcisionem intentionalem distinctas in objectum varijs specificis circumstantijs vestitū habitudines; sed prout à parte rei se habent *in actu Exercito*. At quemadmodùm in ordine ad scientias *Methodicè* tradendas, oportet in homine v. g. distinguere gradus Metaphysicos Vegetativi, Sensitivi, & Rationalis, tanquàm genericos ac specificos, cùm tamen à parte rei ratio vegetativi & sensitivi per unitatem ex naturâ rei Formalem *intrinsecè* ac *Essentialiter* participantes de Formalitate rationalitatis sint una simplex realis ac physica species: Sic licèt in uno actu venereæ Delectabilitatis specificis Sacrilegij, seu Incestûs circumstantijs vestitæ prosecutivo debeant *Metaphysicè loquendo*, in ordine ad scientiam moralem *Methodicè* tradendam, distingui gradus tum generis, tum specificarum differentiarum: attamen considerando actum ejusmodi *physicè*, prout *Exercitè* procedit à voluntate, nec non *Mo-* 14.

 raliter

valiter secundùm morale Confessionalis judicium, dicere oportet, in ipso esse unicam speciem moralem *realiter* subsistentem in unâ simplici intentionali ad objectum Venereum illius circumstantijs vestitum habitudine, seu potiùs in unâ *realiter* indistinctâ omnium in objecto ejusmodi repræsentatarum malitiarum prosecutione indirectâ, seu virtuali Honestatis virtutibus specie distinctis oppositæ contemptu. Quare in confessionalis morali judicio non est opus, illas malitias *signatè* secundùm gradus metaphysicos distinguere, sed Confessario de speciebus peccatorum instructo, objectum circumstantijs diversas specie malitias fundantibus vestitum cognoscenti, statim est obvium judicium malitiæ, actui illi *quà Exercitè* elicito intrinsecæ repræsentativum, sicuti Philosopho statim, ac apprehendit hominem, illucet hujus quà animalis rationalis repræsentatio, non quidem distincta *in actu signato*, sed confusa *in actu quasi Exercito*.

Responsio ad opposita fundamenta.

15. AD Scoti *n. 1.* propositum fundamentum Respondetur. Non displicere, si sermo sit tum de actu morali secundùm gradus metaphysicos, in ordine ad scientiam moralem *Metaphysicè* tradendam *signatè* considerabiles, spectato, tum de circumstantijs objecti Finalizativæ, seu *Finaliter* motivæ vi subordinatis, non autem de circumstantijs sub ratione vis *Finaliter* motivæ *Disparatè* se habentibus ad objectum.

16. Ad Authoritates ex S. Thomâ *n. 2.* expositas; Respondetur. Illis vel maximè probari nostrum in actibus moralibus quoad gradus Metaphysicos *signatè* considerandos intentum. Quod insuper confirmatur ex eodem Sancto Doctore *præs. q. 18. a. 5. ad 4.* docente, circumstantiam dare speciem actui morali, quando sumitur ut differentia Essentialis objecti. Hoc enim perinde est, ac si diceretur, circumstantiam ejusmodi transire in conditionem objecti, tanquàm differentiam hujus *in Esse morali* determinativam, & ex consequenti actûs moralis respectu objecti tali circumstan[tiâ] vestiti habitudinem intelligi sub ratione specificâ in ordine ad circumstantiam ejusmodi, sub ratione verò genericâ cognosci in ordine ad objectum *secundùm se præcisè*

17. spectatum. Quòd si verò actûs moralis ex objecto varijs circumstantijs, diversas *in genere moris* species fundantibus stipato specificatio consideretur *physicè* ac *Moraliter*, rectè dicitur, in tali actu esse unam simplicem moralem speciem, tum ex objecto, tum ex circumstantijs sub unâ indivisibilis tendentiæ moralis habitudine petitam: Divo Thomâ *cit. q. 18. a. 10. ad 3.* attestante: *Licèt sint plures circumstantiæ unius actûs, non tamen oportere, quòd unus actus* (physicè nimirū ac moraliter loquendo) *sit in pluribus speciebus, licèt etiam non sit inconveniens, quòd unus actus moralis* (Metaphysicè nimirum, secundùm præcisiones objectivas) *sit in pluribus speciebus moris etiam disparatis.* Et hinc juxta datam distinctionem Herrera *n. 3.* allegatus rectè asserit, Doctorem subtilem quoad præsens punctum concordare cum Angelico Doctore.

18. Ad Ildephonsi Baptistæ *n. 4.* propositum fundamentum Respondetur. Displicere, quòd hic author malitiam ex circumstantijs objecti conditionem *Essentialiter* ac *Intrinsecè* ingredientibus specificatam dicat, se habere ad malitiam ex objecto desumptam, per modum accidentis, seu differentiæ duntaxat accidentariæ. Nam *supra* probavimus, illam ex circumstantijs petitam malitiam per modum differentiæ Essentialis ac specificæ esse determinativam malitiei ex objecto specificatæ. Quare illa Ildephonsi doctrina locum duntaxat habet in circumstantijs, quæ tum ad se invicem, tum ad objecti Finalizationem se habent solùm *Disparatè*, non verò secundùm aliquam in ratione vis *Finaliter* motivæ subordinationem, sic enim verum est, quòd copula cum personâ sacrâ simul & consanguineâ, habens malitiam & pietati, & Religioni oppositam, eatenus contineat *Metaphysicè loquendo* plures ex circumstantijs petitas species morales, ut quælibet istarum in ordine ad malitiam ex objecto petitam se habeat instar differentiæ specificæ: in ordine verò ad se, illarum quælibet sit respectu alterius accidens prædicabile non *physicè*, sed *Metaphysicè* ab illâ distinctum.

CONTROVERSIA III.

Qualiter actûs humani Bonitas & Malitia moralis specificetur ex Fine?

PRæter ea, quæ de hoc *supra q. 1. a. 2. cont. 7.* differuimus, hic aliqua veniunt discutienda, ad quorum clariorem intelligentiam notare expedit, actum moralem dupliciter posse referri in Finem objecto [illegible] Extrinsecum, hunc nimirum actui p[illegible] *mediatè, per se*, vel *mediatè* ex vi actus al[illegible] imperantis: sic enim fieri potest, ut actus furandi, ad Mœchiā tanquàm finem ordinetur vel ex se ipso, vel in vi actûs supra se reflexi, actum furandi ex Mœchiæ fine imperantis. Quo proinde supposito, restat hîc decidenda duplex difficultas; altera: *An bonitas & malitia ex fine desumpta sit actui Essentialis, vel accidentalis?* Altera: *An sit generica, vel specifica?* 1

Referuntur Sententiæ.

CIrca primā difficultatem Cajetanus *præs. q. 18. a. 4. §. Ad hoc dicitur* asserit. Finem adjunctū posse referri vel ad actū interiorem, vel ad actū exteriorē. Si prius, non esse circumstantiam, sed ad substantiam actûs *specificativè* concurrere. Si posterius; habere rationem Circumstantiæ. Et sic, cùm aliquis mœchatur, ut furetur, esse circumstantiam Fornicationis exterioris, & specificationem interioris velle, propter quod in *prælegata 18. quæstionis artic. 6.* dici, quòd hujusmodi Finis scilicet furtum, specificet etiam fornicationem exteriorem *Formaliter*, & non *Materialiter*, id est, ut stat sub illo interiori velle, & non *secundùm se*. Quare eundem Finem esse respectu actûs exterioris humani *Materialiter* spectati Circumstantiam, respectu verò ejusdem *Formaliter* sumpti esse specificationem. 2

Ioannes à Sancto Thomâ *præs. disp. 8. a. 3. n. 12.* docet, 3

ta docet, sive ultimum, sive intermedium, si sit Finis operantis, & non solius operis, seu potiùs sit Finis actûs imperantis seu dirigentis actum imperatum ex aliquâ intentione, se habere ut Finem circumstantem, & dantem bonitatem, vel malitiam accidentalem & extrinsecam ipsi actui.

Fundamentum est. Quilibet enim Finis operantis, seu imperantis tenet se ex parte intentionis, nec concurrit *Elicitivè* ad actum electionis, seu ad actum exteriorem, sed *Imperativè*. At eo ipso, quòd intentio sit actus ab Electione, seu ab exteriori actu distinctus, oportet, habere objectum distinctum. Hoc verò dat specificationem. Quando igitur Finis supponit objectum in aliquo actu, supponit etiam specificationem, seu speciem actûs. Consequens proinde est, Finem operantis non esse immediatum specificativum actûs imperati, nec adeò Essentialem, sed accidentalem duntaxat præbere moralitatem Electioni, seu actioni exteriori.

4 Secunda difficultas oritur ex diversis Angelici Doctoris textibus. Nam *præs. q. 18. a. 7.* dicit: *Cum quis furatur, ut mœchetur, contineri actum sub duplici specie disparatâ, non unam sub aliâ, tanquam speciem sub genere.* Econtra *in 2. dist. 36. q. u. a. 1. ad 2.* ait; *quòd vitia ex fine proximo habent speciem, sed ex fine remoto habent genus & causam, sicut cùm aliquis mœchatur, ut furetur, est ibi quadam species mœchiæ ex proprio fine & objecto, sed ex fine ultimo ostenditur, quòd mœchia ex furto oritur, & sub eo continetur tanquàm effectus sub causâ, vel sicut species sub genere.*

Conclusio I.

SI Finis operantis *Imperativè*, mediante actu imperante se habeat ad actum, dat huic Bonitatem, seu malitiam duntaxat accidentalem; si verò ad illum se habeat *Elicitivè*, per se *Finaliter* movendo ac excitando talis actûs elicientiam, præbet ipsi malitiam seu Bonitatem Essentialem.

5 Explicatur & probatur. Nam Eleemosyna taliter fieri potest ex Fine seu motivo Religionis, imò & Theologicæ Charitatis, ut quis præhabitâ intentione Virtutis Religionis, & Charitatis in actu exteriori exhibendæ, eligat Eleemosynam tanquam medium harum virtutum Fini ac motivo proportionatum. Hac verò Eleemosynæ Electione suppositâ, succedit imperium ejusdem ordinativum in Finem illarum virtutum, indeque procedit usus potentiæ executricis ad actualem medij executionem applicativus. In quo proinde casu intentio respicit Religionis & Charitatis proprium Finem, tanquàm motivum Formale *Quod*, sicut & Electio & usus activus voluntatis immanens fertur in Finem non *Virtualiter* duntaxat, quà participatum in medijs, sed excitatur ex Fine, tanquàm motivo, suique adeò specificativo. Unde Finis operantis ad illos actus se habet *Elicitivè*, quatenus ipsius talium actuum elicientiæ *Finaliter* est motivus ac Excitativus. Ex cujus proinde Finalizativâ motione eatenus pendet specificatio illorum actuum, ut consequenter ipsis communicet malitiam, seu Bonitatem moralem intrinsecam & essentialem, non verò accidentalem duntaxat. At verò illos ipsos actus consequitur Executio passiva actualis scilicet Eleemosynæ datio. Hæc autem ad Finem Charitatis ac Religionis se habet *solùm imperativè*, siquidem non ex naturâ suâ, sed ex actûs imperantis extrinsecâ ordinatione refertur in talem Finem. Quare Bonitas seu malitia ex illâ actûs imperantis extrinsecâ ordinatione competens actui imperato, est duntaxat accidentalis. Constat proinde, Bonitatem & malitiam ex Fine operantis derivatam esse Essentialem in illis actibus, ad quos Finis ejusmodi se habet *Elicitivè*, respectu verò actûs imperati, in quem ille Finis sub ratione *Causalitatis* Finalis non *immediatè* influit, esse accidentalem. Verùm de hoc infra *cont. 6.* ex instituto agemus.

Conclusio II.

BOnitas & Malitia ex Fine desumpta in actu interiori voluntatis ad Bonitatem & malitiam ex objecto specificatam se habet ut Bonitas specifica.

Probatur. Nam ratio generis radicatur in potentialitate: ratio autem speciei in Formæ alicujus actualitate. At quælibet objectiva Bonitas eatenus in suâ lineâ est actualitas quædam Formalis, *in Quarto perseitatis modo* determinatæ virtutis Formaliter specificativa, ut tamen ex se ipsa intrinsecam habeat proportionabilitatem, vi cujus ordinari possit ad alterius præsertim virtutis Motivum, seu Finem. Etsi proinde ejusmodi bonitas objectiva intra propriam virtutis sibi correspondentis lineam fundet differentiam aliquam specificam, attamen sub intrinsecæ ad aliarum virtutum Fines, seu motiva ordinabilitatis respectu fundare potest differentiam genericam, utpote contrahibilem ac determinabilem ex alterius virtutis motivo, ac inde *Finaliter* causatâ specificatione. 6.

Dices. D. Thomam *cit. q. 18. a. 7.* argumentando affirmare, differentiam tantò magis esse specificam, quantò magis desumitur à formâ magis particulari. Quantò verò agens est magis universale, tantò ex eo formam esse magis universalem. At quantò Finis aliquis est posterior, tantò ex eo formam esse magis universalem: veluti pateat ex eo, quòd victoria, quæ est ultimus Finis exercitûs, sit finis intentus à summo Duce, cùm econtra ordinatio hujus aciei, vel illius finis sit intentus ab aliquo inferiorum ducum. Ex quibus proinde sequi, quòd differentia, quæ est ex objecto per se ad talem finem ordinato, sit specifica respectu ejus. 7.

Contra. Nam ex hisce verbis clarè constat, Divum Thomam loqui de actu, *prout Exercitè* procedit ex agente Universaliore, Finem magis ultimum, atque adeò Generaliorem respicientе. At implicat, actum, *prout Exercitè* procedit ab agente, esse universalem in Essendo. Nequit ergo illa Divi Thomæ argumentatio procedere de universalitate in Essendo ac prædicando: sed in causando ac movendo. Probatur illud assumptum. Nam Sanctus Doctor i *citatus* dis- 8.

differentiam verò, quæ est ex objecto per se ad talem Finem ordinato, respectu ejus specificam asserit ex isto fundamento, quòd nimirum voluntas, cujus proprium objectum est Finis, sit universale motivum respectu omnium potentiarum animæ, quarum propria objecta sint objecta particularium actuum. At ista ratio dicit, quòd Finis quà voluntatis objectum sit objectum universalius in movendo, seu *Finaliter* causando, quàm objecta particularium actuum: siquidem voluntas mediantibus actibus à se elicitis nequeat respectu omnium animæ potentiarum esse universalius in genere Causæ Efficientis Motivum, nisi quatenus ipsius objectum Formale in *Causando* est universalius objectis proprijs potentiarum. Unde Doctor *citatus* ait, objecta reliquarum animæ potentiarum esse objecta particularium voluntatis actuum. At verò objectum Formale & motivum voluntatis est Finis, quà talis. Consequens proinde est, quòd Finis, atque adeò Formalitas hujus specificationi in voluntatis actu respondens dicat respectu objectorum particularium quandam universalitatem in movendo, seu *Finaliter* Causando. At hæc ipsa Finalizativa seu *Finaliter* motiva major universalitas probat, quòd Formalitas in actu voluntatis respondens specificationi Finis, sit in *Essendo* specifica; Formalitas autem respondens objecto in talem Finem ordinato sit ut sic in *Essendo* Generica.

10. Probatur istud assumptum. Ratio enim Generis desumitur ex potentialitate seu materialitate, ratio autem specifica ex actualitate Formæ. At quando objectum v. g. Castitatis refertur in Motivum, seu Finem Religionis & Charitatis, tunc istarum virtutum motiva eatenus habent majorem in *Causando* universalitatem, ut hæc ipsa universalitas tam in Fine, quàm in actûs ex hoc Fine eliciti formalitate puriorem arguat actualitatem, siquidem objectum Castitatis, licèt propriam contineat Honestatem de se voluntatis motivam, & ut sic Finalizativam, quatenus tamen refertur in Finem Religionis & Charitatis, ut sic habeat quandam ordinabilitatis in hos Fines potentialitatem ex istorum Finium causalitate determinabilem. Unde etiam Formalitas objecti, Castitatis quà in ejusmodi Fines ordinabilis specificationi respondens importat quandam potentialitatem *Metaphysicè* actuabilem, & determinabilem ex Formalitate per Finis, ad quem refertur, causalitatem *Formaliter* specificatâ. Cùm igitur ratio Generica desumatur ex potentialitate, ratio autem specifica ex Formæ actualitate, consequens est; differentiam quà ex voluntatis Fine specificatam eatenus esse in movendo universaliorem, ut tamen *in Essendo* sit magis specifica, econtra verò differentiam quà ex objecto in Finem aliquem *per se* relato specificatam, esse minùs quidem universalem in *Movendo*, esse tamen magis generalem, atque adeò Genericam in *Essendo* & *prædicando*.

11. Instabis. Doctorem Angelicum *loco præcitato* rursus argumentando asserere; objectum exterioris actûs dupliciter posse se habere ad Finem voluntatis. Uno modo sicut *per se* ordinatum ad ipsum: sicut benè pugnare *per se* ordinatur ad victoriam. Alio modo *per accidens*, sicut accipere rem alienam, *per accidens* ordinatur ad dandam eleemosynam. Oportere autem teste Philosopho 7. *Metha. tex.* 43. differentias dividentes aliquod genus, & constituentes speciem illius generis, *per se* dividere illud, si autem per *accidens* dividant, non bene procedere divisionem. Sic igitur, quando objectum non est *per se* ordinatum ad finem, differentiam specificam, quæ est ex objecto, non esse *per se* determinativam ejus, quæ est ex fine; necè converso. Unde unam istarum specierum non esse sub aliâ, sed tunc actum moralem esse sub duabus speciebus quasi disparatis. Et hinc illum, qui furatur, ut mœchetur, comittere duas malitias in uno actu. Quòd si verò objectum *per se* ordinetur ad Finem, unam dictarum differentiarum esse determinativam alterius, atque adeò unam istarum specierum contineri sub alterâ. Ex quo proinde manifestè evinci, nostram superiùs positam conclusionem non esse universaliter veram, siquidem in casu, quo objectum non *per se* ordinatur in Finem, malitia ex objecto desumpta non sit generica respectu malitiei ex Fine specificatæ, sed ambæ se habeant ad invicem *Disparatè*.

Contra. Nam absolutè vera est illa duplex Divi Thomæ propositio; tum quòd malitiæ ex Fine & objecto *per se* subordinatis petitæ in lineâ moralitatis se habeant ad invicem, tanquam genus & speciem: tum quòd malitiæ ex objecto ac Fine *per accidens* tantum subordinatis desumptæ se habeant ut duæ species Disparatæ. At illa *per se* subordinatio aliter se habet *Metaphysicè loquendo*, aliter autem se habet rem considerando *physicè* ac *Moraliter*. Minor ista probatur & explicatur. 12.

Etenim Finis se habet *per se* ad objectum, quoties actus specificatus per Finem, hujus appretiabilitati subjicit ac subordinat objecti sive Bonitatem, sive malitiam. Unde eo etiam casu, quo unus, idemque actus Finem mœchandi eatenus appretiatur, ut propter ipsum eligat furtum, cum malitia Furti Justitiæ opposita ex appretiatione illius Finis sit Virtualis quidam Justitiæ contemptus, ac indirecta malitiæ huic advertantis prosecutio, dici debet in tali actu *Physicè* ac *Moraliter* spectato objectum Furti *per se* subordinari Fini Mœchandi; Siquidem natura talis actûs quà in Finem illum tanquam motivum Formale, & in objectum Furti tanquam medium *Exercitè* tendentis, *Physicè* ac *Moraliter* considerata, suâ Essentiâ *indivisibiliter* complectatur tam mœchiam, quàm Furtum, qua in ratione Finis ac medij inter se subordinata. Nihilominùs in hoc unico actu malitiam mœchiæ ac Furti *Metaphysicè* considerando in ordine ad scientiam moralem *Methodicè* tradendam per præcisiones objectivas; oportet, taliter dividere moralitates, ut cuiq; objecto sive per modum Finis, sive per modũ medij appetatur, sit sua determinata linea, intra quã *Signatè* considderetur actûs in illud tendentis in *genere Morali* specificatio. Unde Mœchia & Furtum, si ab uno eodemque actu tum per modum finis, tum per modum medij appetantur, in ipso quidem actu sunt *per se* subordinata secundùm intentionalem actui ejusmodi intrinsecam subordinationem, quia tamen non nisi *accidentario* ex voluntariâ scilicet operantis intentione substant uni actui, atque adeò secundùm se, sive sui naturam spectata *per accidens tantùm* sunt unius actûs terminativa, idcircò quatenus *Metaphysicè loquendo* cuique tum objecto

jecto, tum actûs Formalitati ex ipso specificatæ sua specifica linea designatur, dici debet, malitias Furti & mœchiæ in illo actu per præcisionem objectivam distinctas se habere ad invicem, tanquam duas species *Disparatè* repugnantes. Constat proinde, quòd mœchia & Furtum ex ultimatâ operantis intentione ad se invicem comparata qua Finem & medium, in actu morali fundare *in genere moris* duas species Disparatas, etsi *physicè* & *Moraliter* loquendo, constituant unam speciem, in qua malities ex mœchiâ quà fine specificata se habeat ut differentia specifica, malities autem ex Furto quà medio desumpta se habeat ut differentia Generica.

14. Urgebis. Nos in præcedenti controversiâ dixisse, quòd *Metaphysicè loquendo* malitia ex objecto specifica se habeat in moralibus ut genus, malitiæ verò ex circumstantijs contractæ ut differentiæ specificæ: *Moraliter autem loquendo ac physicè* sit una quædam simplex species Moralis malitiæ ex objecto simul ac circumstantijs indivisibiliter specificatæ. At verò in præsenti controversia doceri, quòd malitia ex Fine operantis desumpta *loquendo Moraliter* ac *physicè* se habeat ut Differentia specifica respectu malitiei ex objecto specificatæ, *Metaphysicè* autem *loquendo* sint duæ Disparatæ species malitiei ex objecto ac Fine specificatæ. Difficultatem proinde oriri, qualiter illa inter se cohæreant?

15. Contra. Nam per illam duplicem, alteram Quasi Metaphysicam in actu signato; alteram Quasi Moralem in actu Exercito specificæ tum ex objecto, tum ex Fine, tum ex Circumstantijs specificatæ peccatorum differentiæ considerationem duo intendebamus. Inprimis enim declarare cogitabamus, qualiter pro scientiâ Morali Methodice tradendâ cuiq; speciei & Gradui Metaphysico sua designaretur sedes prædicamentalis. Quâ ratione *in præcedenti controversiâ* dicebamus, in actu peccaminoso partim per objectum specificam Moralem ex se ipso malitiam fundans, partim per Circumstantias specialem in lineâ Morali Malitiam ex se profundentes specificato, oportere talem facere objectivam Graduum Metaphysicorum præcisionem, ut Malitia ex objecto haberet rationem Generis, singulæ verò ex Circumstantijs singulis objecto per se subordinatis specificatæ Malitiæ ad illam comparatæ, subirent rationem differentiæ specificæ. Quòd si verò tales ex circumstantijs desumptæ Malitiæ inter se comparentur, se habeant ad invicem solùm Disparatè.

Econtra verò insinuabamus in præsenti controversiâ, in ordine ad Quasi Metaphysicam Disciplinæ Moralis Methodicè tradendæ intervenientem, ex Fine operantis & ex objecto desumptarum Malitiarum considerationem, non posse Malitiam ex objecto per modum Generis, malitiam verò ex Fine operantis specificatam per
16. modum Differentiæ specificæ considerari. Cujus equidem discriminis ratio est, quòd, cum Fines operantis sint in infinitum multiplicabiles, nequeant ex ipsis definitæ specificæ differentiæ determinari, in certis scientiæ Moralis Methodicè tradendæ intervenientibus prædicamentalibus sedibus locandæ; ut proinde malitias ex objecto & Fine operantis specificatas sine aliquâ Generis ac differentiæ inter se subordinatione solùm ut Disparatas sub illâ Methodicâ consideratione diximus considerandas. Econtra verò Circumstantiæ per se subordinatæ v. g. incestus, sacrilegij, injustitiæ ad objectum Castitati contrarium coordinatæ sunt definitæ, suisque adeo sedibus Methodice locandæ, uti patet ex Divo Thomâ, Malitias ex prætactis circumstantijs specificatas inter species Luxuriæ in *2. 2. q. 154. a. 8. ac seq.* numerante.

Deinde cum talis Quasi Metaphysica Malitierum in actu signato consideratio non nisi à Doctoribus teneatur, intendebamus etiam declarare, 17.
qualiter pro Iudicio Confessionalis in actu Quasi Exercito dijudicandæ forent malitiæ tum ex objecto, tum ex Fine operantis, tum ex circumstantijs specificatæ. Atque tunc insinuabamus, nullam necessariò fieri debere Graduum Metaphysicorum objectivam præcisionem, nec opus esse singularum specierum in actu signato expressâ & distinctâ cognitione, sed quod attendendo ad malitiam ex objecto, vel Fine operantis, vel circumstantijs de se Moralitatem aliquam fundantibus stipato Exercitè specificatam, eo ipso tam Generis, quam Differentiæ specificæ consideratio non quidem signatè ac Expressè, sed in actu Exercito confuse teneatur. Quo modo diximus, Malitiam ex Fine operantis, vel ex circumstantijs de se moralitatem fundantibus resultantem eatenus respectu malitiei ex objecto specificatæ se habere per modum Differentiæ specificæ, ut tamen isti Gradus Generis ac Differentiæ Exercitè duntaxat cognitæ eatenus accipiantur, ut ex omnibus tum ex objecto, tum ex Fine operantis, tum ex alia Circumstantiâ in actum moralem derivatis malitijs non resultet *Physicè* ac *Realiter* nisi una simplex species, atque adeò Confessarius circumstantiarum specialem Moralitatem fundantiū peritus, attendendo ad peccatum, prout Exercitè est factum, circa objectum quasi sexcentis speciem mutantibus circumstantijs stipatum non opus habeat singulas specificas malitias enumerare, sed uno simplici judicio complecti possit omnes malitias ejusmodi in unum actum individuum, & consequenter in speciem realiter unam Indivisibiliter coeuntes.

Responsio ad opposita Fundamenta.

AD Cajetani ex parte primæ difficultatis *n. 2.* propositam doctrinam Respondetur. Eam 18.
nobis non improbari: siquidem ille author in sequenti *6. articulo* se explicans asserat, nomine exterioris actûs intelligi quemlibet etiam voluntatis actum imperatum ex alterius supra se reflexi imperantis actûs influxu procedentem. Ut sic autem verum est, quòd Finis ab actu imperante præintentus, & ut sic motivus ad actum imperatum se habeat ut Circumstantia, siquidem actus imperatus non suâ intrinsecâ entitate attingat talem Finem, sed ex denominatione duntaxat extrinsecâ per moralitatis ex actu imperante participationem sibi communicatâ referatur in Finem ejusmodi, nec adeo malitia seu Bonitas ex hoc specificata ad actum imperatum se habeat, nisi per modum accidentis *Extrinsecè* denominantis.

Ad Joannis à Sancto Thomâ ex parte ejusdem primæ difficultatis *n. 3.* propositam do- 19.
ctrinam Respondetur. Eam partim probari nobis, partim verò improbari. Nam licèt verum sit, quòd exterior sive quicumque imperatus actus

tus actus *solùm Imperativè*, non autem *Elicitivè* procedat ex Fine actûs imperantis, attamen falsum est, quòd Electio non sit *Elicitivè* ex Fine per actum intentionis præintento, siquidem talis Finis, secundum suam non in medijs duntaxat participatam, sed propriam Bonitatem sit Formale Electionis motivum, saltem *ut Quo*. Quare Finem operantis respectu Electionis, non autem respectu imperati seu Exterioris actûs est immediatum specificativum, atque adeo Essentialem Electioni, accidentalem verò Imperato seu exteriori actui præbet Bonitatem, seu malitiam moralem.

20. Ad secundam ex Doctore Angelico *n. 3.* propositam difficultatem Respondetur. Illos Divi Thomæ repugnantes textus facilè conciliari, si Furtum ex Fine mœchandi perpetratum *Metaphysicè* consideretur, tunc enim verum est, tum quòd in tali actu sit duplex malitia *Disparatè* repugnans, veluti superiùs expositum est; tum quod secundùm metaphysicam præcisionem taliter consideretur Furti malitia, ut tamen mœchia se habeat ad illam ut Causa *Finaliter* motiva, atque adeò ut Genus in *Causando* seu *Finaliter movendo*, cum econtra malitia ex objecto Furti desumpta ut differentia *in Essendo* generica, malitia verò ex Fine mœchandi ut differentia *in prædicando* specifica se habeat in illo actu.

CONTROVERSIA IV.

Qualem Circumstantiæ Transcendentales actui morali tribuere possint Bonitatem, vel Malitiam?

1. Circumstantiæ cum actu morali connexæ sunt triplicis generis, scilicet *Transcendentales*, *Aggravantes*, & *speciem dantes*. Primi generis sunt ratio inobedientiæ, irreverentiæ, ingratitudinis, seu injustitiæ erga Deum repugnantis virtuti Religionis: hæ enim circumstantiæ omni peccato, præsertim mortali *Transcendentaliter* inexistunt. Par est ratio in circumstantijs Honestatis & studiositatis omni actui virtuoso *Transcendentaliter* inexistentibus. De quibus hîc decidenda venit duplex difficultas. 1. *Qualiter in actum moralem transfundant specificam Bonitatem seu Malitiam?* 2. *Ad quam Virtutem, sive ad quod vitium pertineant illi actus, quo quis dicit:*
2. *volo honestè vivere, vel volo turpiter conversari?* Secundi generis sunt Intentio & Duratio actûs, nec non parvitas, & gravitas materiæ, quæ nullum per se ac seorsim spectatæ dicunt ordinem ad rationem, sed tantùm ut applicantur materiæ & objecto. Tertij demum generis sunt,
3. quæ taliter adhærescunt actûs alicujus moralis objecto, ut per se dicant aliquem cum rectâ ratione conformitatis, vel difformitatis ordinem, velut in materiâ Castitatis circumstantia personæ sacræ, vel consanguineæ, & in furto circumstantia loci sacri, de quo surripitur res aliena. De quibus duobus posterioribus circumstantiarum generibus in sequenti controversiâ disseremus.

Referuntur Sententiæ.

4. Circa primam difficultatem controversia potissimum procedit quoad circumstantias Honestatis & Studiositatis; *An, & cujus determinatæ speciei sit actus, quo aliquis dicit: Volo Honestè vivere, sive volo studiosè vivere, sive volo turpiter conversari.*

Nonnulli, quos sequitur Zumel *1. 2. q. [illegible] 6. [illegible] 4. m 2. solut. ad 6.* relati ab Ildephonso Papull[illegible] *disp. 177. n. 1[illegible].* censent illos actus *in hac* natura esse quidem determinatæ speciei Atomæ, sed *in [illegible] moris* esse *Virtualiter* multos, & quidem tot, quot sunt vel actus virtutis sub studiosæ vel honestæ conversationis latitudine contenti, vel actus vitij sub turpis vitæ amplitudine clausi; possuntque adeo talem actum quodammodò dici unum genere, non quidem universalitate prædicationis, sed virtuali actuum specie diversorum continentiâ.

5. Fundamentum est. Nam quilibet ex illis actibus terminatur ad objectum, quatenus sub se claudit saltem *Virtualiter* objecta omnium virtutum, vel omnium vitiorum. Ergo saltem *Virtualiter* & *æquivalenter* terminatur ad singula objecta. At eo ipso, quòd in illis actibus sit tendentia in omnium virtutum & vitiorum objecta, sequitur, ipsos sumere speciem ab omnibus illis objectis, siquidem species actus consistat in tendentia ad objectũ. Hinc autem rursus est consequens, quod talis actus habeat bonitatem, vel malitiam Primariam & Essentialem specificam omnium virtutum, vel vitiorum.

6. Alij, quibus Martinez *1. 2. q. 1. a. 3. dub. 2 §. Quarta ergo solutio. in fine.* accedit, apud præcitatum Ildephonsum *n. 129.* tenent; prædictos actus sumere rationem specificam ex Motivo, ex quo procedunt. Unde si actus, quo dicit aliquis: *volo in omnibus honestè operari*, procedat ex actu amoris Dei, induere hujus specificam bonitatem. Si verò procedat ex gratitudine, specificari ex hujus motivo. Pari proinde ratione actum, quo dicit aliquis, *volo in omnibus malè operari*, si procedat ex motivo iræ, ad hujus speciem, si verò procedat ex motivo luxuriæ, ad hujus specificam malitiam reduci. Fundamentum est. Nam actus prætacti non habent ex parte objecti, unde sumant rationem specificam. Ergo debent illam desumere ex aliquo, quod proximè est determinativum objecti ejusmodi. Hoc verò est motivum. Ex hoc igitur desumenda est specifica Bonitas, seu malitia illorum actuum.

7. Ildephonsus Baptista *cit. disp. 177. n. 156.* existimat, honestum sub ratione Honesti ut sic esse rationem specificam, ab omnibus alijs virtutum objectis Formalibus distinctam hujus actûs. *Volo in omnibus honestè vivere.* (idem proportionaliter est de isto actu: *Volo in omnibus turpiter vivere*) specificativam. Fundamentum est. Nam illa ratio Honesti in communi potest dupliciter considerari. *Primò* in ratione Totius potentialis, quà contrahibilis per diversas specificas differentias, quas in confuso & in potentiâ dicit. Ut sic autem non terminat actum, de quo in præsenti est sermo, sed est ratio generica ex parte objecti, tribuens actui rationem genericam Boni: siquidem nemo intendat producere rationes genericas abstractas, cum hoc sit prorsus impossibile. *Secundò* igitur ratio honesti ut sic considerati potest

8. vi potest sub ratione Totius actualis determina-
ti ad certam speciem, non quidem quatenus ta-
lis species dicit hanc, vel illam particularem vir-
tutem, neque prout dicit quandam virtutum
aggregationem: sic enim actus: *Volo in omnibus
honeste vivere*; æquivaleret multis actibus, sed
quatenus in communi dicit omnes actus virtu-
tum completos in specie. Ut sic autem ratio
honesti, licet re ipsâ sit genus, in ratione tamen
9. objecti est ratio specifica. Probatur istud as-
sumptum. Nam ut sic rationi honesti ab alia-
rum virtutum specificis differentiis abstracti inest
specialis modus movendi & terminandi poten-
tiam, secundum speciem infimam ab omnibus
aliorum objectorum motivis eatenus distinctus,
ut nullum alium actum, quam istum: *Volo hone-
ste vivere*, specificare possit. Consequens pro-
inde est, talem Honesti rationem in ratione mo-
tivi & objecti Formalis esse specificam.
10. Joannes à Sancto Thomà *præf. disp. 8. a. 3.
n. 38* illum actum: *Volo Studiose vivere*; seu *non am-
plius peccare*; posse accipi vel *in vi Electionis*, vel *in
vi intentionis*. Si sumatur priori modo, non pos-
se esse unum actum, nec in specie, nec in indi-
viduo, qui tangere possit omnes virtutum ma-
terias in communi & in confuso. Si verò po-
steriori modo accipiatur, ut sic versari erga Fi-
nem humanum, qui est vivere secundùm ratio-
nem, atque sic includere omnes virtutum ma-
terias, non quidem *Formaliter*, sed *Virtualiter*, eo
modo, quo media includuntur *Virtualiter* in a-
more intentivo Finis. Quâ proinde ratione a-
ctum illum esse unum in specie, & in individuo.
Fundamentum prioris est. Non enim da-
11. ri potest unus actus, qui per modum scientiæ
tendat in omnes conclusiones omnium scientia-
rum in communi. Sic proinde non potest dari
unus actus per modum Electionis tendens in
omnium virtutum materias in communi. Pro-
batur consequentia. Sicut enim actus scientiæ
est procedens ex determinatis præmissis ad infe-
rendam conclusionem, sic electio est actus certus
& determinatus voluntatis ex determinato Fi-
ne procedens ad accipiendum unum præ alio.
Quemadmodum igitur non est dabilis una sci-
entia, quæ inferat conclusionem circa omnium
scientiarum materias in communi, sic non est da-
bilis Electio circa omnes virtutum materias in
communi, sed quælibet virtus versatur circa di-
versam materiam, & diversam in illâ moralita-
tem respicit.
12. Fundamentum posterioris est. Nam si il-
le actus sumatur per modum intentionis, tunc
specifica ejus ratio in objecto est Finis univer-
salis totius vitæ Humanæ, qui est vivere secun-
dùm rationem. At iste Finis, licèt in *Causando*
& *Finaliζando* sit universalis, atque contineat
Virtualiter omnia media, in quæ influit, tamen
in se *specifice* unus est, habens unam de se sufficien-
tem rationem terminandi unum actum. Sicut
ergo Charitas respiciens Deum sub ratione Ul-
timi Finis, licèt ut sic in *Causando* sit universa-
lis, respicit rationem *specifice* unam: Sic inten-
tio Finis ultimi Humanæ vitæ, prout intendit
vivere secundùm rationem, unus est actus, uni-
cam inveniens specificam rationem in illo uno
Fin... quemadmodùm etiam Metaphysica at-
ting... Ens in communi, est una scientia.
13. Circa secundam difficultatem Medina *præs.*
q. 18. a. 3. propè finem arbitratur; illum actum: *Vo-
lo studiosè vivere*, reduci vel ad Justitiam legalem,
cujus officium est promovere omne opus virtu-
tis, vel ad Synteresin, cuj... ...cium est, *fuge-
re malum*, & *sectari bonum*. Fundamentum est.
Sicut enim in speculationibus est primum prin-
cipium, *Quodlibet est, vel non est*, ita in practicis est
primum principium, *Bonum est sectandum, malum
verò fugiendum*. Atqui habitus primorum prin-
cipiorum in practicis est Synteresis.
Ildephonsus Baptista *cit. disp. 177. n. 185. & 240.* 14.
existimat, Actum: *Volo in omnibus bene operari*, seu
honeste vivere; si extendat se ad Bonum super-
naturale; vel procedat ex motivo supernatu-
li, pertinere ad virtutem Supernaturalem, &
quidem Regulariter ad ipsam Charitatem: si
verò non sit circa objectum supernaturale; à
nullo habitu virtutis, sed à nudâ voluntatis po-
tentiâ elici, & ex ejus repetitione non generari
habitum aliquem. Fundamentum est. Non
enim ponitur habitus, nisi quatenus in potentiâ
est difficultas ad actum. Atqui voluntas non
habet difficultatem, ut velit operari in omni-
bus secundùm rationem. Minor probatur. Si- 15.
cut enim voluntas ad appetendum bonum in
communi, & beatitudinem, nec non ad diligen-
dum Deum authorem suum naturalem, si non
sit aversa per peccatum, est naturaliter inclinata,
quia est bonum suum, & ideo ad hæc non indi-
get habitu, utpote nullam sentiens difficultâ-
tem; sic ad operandum juxta rationem, est
naturaliter inclinata, siquidem hæc sit perfectio
ejus naturalis, neque ad hoc sit aliqua repug-
nantia, vel contradictio ex parte voluntatis.
Quòd si ex parte appetitûs sensitivi sit quæ- 16.
dam repugnantia, sufficienter tollitur per habi-
tus singularum Virtutum in appetitu residen-
tes, nec adeò est opus speciali ad Honestatem
in communi prosequendam habitu.
Hinc præcitatus Ildephonsus *n. 195.* existi- 17.
mat, nec istum actum: *Volo in omnibus turpiter vi-
vere*, procedere ex aliquo habitu vitioso, neque
aliquem habitum generari ex frequentatione
talis actûs. Fundamentum est. Nullus enim
datur habitus vitiosus, cui non opponatur ali-
quis habitus virtuosus. Si ergo ex frequen-
tatione istius actûs: *Volo in omnibus honestè vivere*,
non generatur habitus virtuosus, nec ex repe-
titione istius. *Volo in omnibus turpiter vivere*, gigni
potest habitus vitiosus.
Joannes à Sancto Thomà *cit. a. 3. n. 43.* do- 18.
cet: illum actum: *Volo in omnibus benè operari*, seu
volo in nullo peccare, dupliciter fieri posse. Primo
modo *consequenter* ad dilectionem Dei. Hoc au-
tem accidere, quatenus diligendo Deum super
omnia in *ly super omnia* explicatur affectus non
offendendi ipsum in aliquâ materiâ, & consequenter
Studiosè agendi in omnibus. Tunc igitur actum
ejusmodi non esse distinctum ab actu intentio-
nis, quo Deus super omnia diligitur ut Finis,
sed esse explicationem illius actûs, siqui-
dem *Ly super omnia* significet appretiationem, vi
cujus nihil præponatur Deo. Quare actum
ejusmodi tunc non esse actum electionis, neque
effectum ipsius intentionis ab ipsâ derivatum,
sed esse partem quandam, seu rationem inadæ-
quatam talis intentionis. Secundo modo pos-
se actum: *Volo in omnibus studiose vivere*, seu *In nul-
lo D... ...ffendere*, ad dilectionem Dei se habere

antecedenter. Hoc autem fieri, quatenus procedit ab appetitu naturali voluntatis vivendi secundùm rationem. Hunc verò appetitum non esse virtutem moralem, eò quòd ista sit habitus Electivus versans circa media, sed esse aliquid altius tanquàm principium, & inchoatio quædam, ac seminarium virtutum moralium, existens in voluntate, Finem in vitâ rectæ rationi consentaneâ situm, sub ratione boni Generalissimi per habitum Synthereseos repræsentatum, & naturaliter à voluntate desideratum respiciens.
19. Quòd si actus ille: *Volo studiosè vivere* supernaturalis sit, elici posse tum à charitate, dum nimirum est perfectus & efficax, tum à piâ affectione supernaturali Fidem antecedente, dum nimirum est imperfectus, atque hunc esse actum bona supernaturalia repromissa concupiscentem.

CONCLUSIO I.

Circumstantiæ Transcendentales objectorum & actuum moralium non tribuunt istam specificam Bonitatem & malitiam, nisi *Expressè* ac *Directè* sint intentæ.

20. Explicatur & probatur. Nam omni peccato *Transcendentaliter* convenit ratio injuriæ, irreverentiæ, ingratitudinis, inobedientiæ contra Deum. Istæ verò rationes specificam suam malitiam transfundunt in actum, fiuntque adeò ex Transcendentalibus Circumstantiæ speciem dantes, quando *Directè* ac *Expressè* sunt intentæ: alioquin licèt quis apprimè noverit illas malitiæ Formalitates inexistere Homicidio, non extrahunt istud peccatum à specie injustitiæ ad specificam Religioni, vel Gratitudini, ac obedientiæ Deo debitæ oppositam malitiam.

21. Deinde inter Formalitates omni objecto virtuoso, & actui virtuoso Transcendentaliter inexistentes, est ratio Honestatis seu conformitatis cum rectâ ratione. Hæc autem Honestatis ratio importat quandam mentis super omnia creata bona, utpote infinitæ ipsius commensurationi improportionata elevationem, seu superioritatem. Ista verò mentis ad Bonum creaturis sublimius elevatio *Inchoativè* importat quandam à terrenis affectibus & passionibus depurationem; per modum verò Dispositionis, seu medij Fini propinquioris dicit ex parte objecti quandam ad Numen voluntatis plene satiativum habitudinem: *Consummativè* denique per modum Finis *Quo* importat intentionalem puri voluntatis unicè satiativi Boni ceu Numinis supremi attractum. At hæc postrema Formalitas est generica respectu actuum virtutum Theologalium: secunda vero generica est respectu Gratitudinis, Sacrificij, voti, orationis, aliorumquè Religionis specie distinctorum actuum. Prima autem est generica respectu virtutum moralium animi passiones moderantium. Ex his ipsis verò Genericis & *subalterne* specificis Formalitatibus est adhuc abstrahibilis ratio Honestatis ut sic in puritate mentem super res creatas elevante sitæ. At eo ipso, quòd istis abstractis Formalitatibus ut sic inest proportio ad voluntatem, habent vim hujus *Finaliter* motivam, atque adeò actuum à voluntate circa ipsas elicitorum specificativas. Hinc autem fit, quòd, sicut ratio Entis ut sic, licèt *in Essendo* & *Prædicando* sit generica, in ratione tamen objecti motivi est specifica, utpote Metaphysicæ secundùm infimæ speciei differentiam determinatæ scientiæ specificativa: sic illæ genericæ rationes licèt *in Essendo* & *Prædicando* sint Transcendentales, quatenus tamen per practicũ rationis Judicium applicantur voluntati, sunt *in Movendo* ac *Finaliter Causando* specificæ, atque ut sic actuum moralium *Directè* ac *expressè* in eas tendentium sub specie infimâ *Formaliter* Terminativæ ac specificativæ. Constat proinde, qualiter actuum & objectorum Formalitates Transcendentales *Directè* ac *Expressè* intentæ fiant specificæ, ac specificativæ.

CONCLUSIO II.

Actus Honestatis ut sic prosecutivus, si supernaturalis sit, rectè reducitur in virtutem Theologicam, tanquàm sui principium Effectivum; si verò naturalis sit, *Directivè* reducitur in habitum Synthereseos, *Elicitivè* vero in naturalem voluntatis erga Bonum quà Honestum inclinationem.

Probatur. Nam Honestatis *completè* & *adequatè* spectatæ sunt quasi tres partes, quarum prima se habet per modum termini *à Quo*, consistens in mentis à terrenis & inordinatis naturæ affectibus & passionibus depuratione. Hæc autem per virtutum moraliũ specificas differentias est contrahibilis. At licèt ista per modum termini *A Quo* mentis Depuratio secundùm sui à prætactis specificis differentijs abstractionem spectata, possit in ratione Motivi specificativi fundare actum moralem specificum, specie atomâ distinctum ab actis specificis virtutum moralium, hic ipse tamen actus, si supernaturalis sit, potest à quâlibet Moralium infusarum virtutum *Elicitive* procedere. 22. Probatur istud assumptum. Nam virtutes morales infusæ sunt ad instar potentiarum, accommodanturque naturæ & conditioni voluntatis, cui inexistunt. Ea verò est voluntatis conditio, ut, licet objectum ejus specificativum sit Bonum ut sic, possit tamen moveri ex ratione Boni non *abstractè* duntaxat, sed etiam *Concretè* sumpti, quatenus huic *Transcendentaliter* inexistit ratio Boni. 23. At verò virtutum moralium infusarum specificativum est mentis à terrenis affectionibus & passionibus Depuratio *specifice* sumpta, cui ut sic *Transcendentaliter* inexistit illa generica Honestas, per modum termini *A Quo* mentem depurans. Cùm igitur ista Generica Honestatis Formalitas *Transcendentaliter* involvatur in cujusvis virtutis moralis infusæ objecto specificativo, poterit quælibet istarum virtutum illam prosequi, etiam ut abstractam à specificâ Honestatis sibi propriæ differentiâ.

Deinde Honestatis pars secunda est media inter *Inchoativam* per modum Termini *A Quo*, & *Consummativam* per modum Termini *ad Quem* se habentem Depurationem; & ex parte objecti importat actionum nostrarum cum Numine voluntatis satiativo conformabilitatem, seu habitudinem ad istud supremum Numen. Hæc autem conforma- 24.

formabilitas est objectum specificativum virtutis Religionis, cujus eo ipso est, posse actus *specificè* diversos elicere, quòd illa cum Numine Divino conformabilitas sit *diversimodè* participabilis à medijs talem conformabilitatis Honestatem præseferentibus, ita ut aliter reluceat in materiâ Voti, aliter in Juramento, aliter in Sacrificio, & sic de alijs ad Religionem spectantibus materijs. Tertia denique Honestatis pars
25. se habet per modum Termini *ad Quem* importans ex parte actûs intentionalem Puri voluntatis satiativi Numinis attactum, ex parte autem objecti ipsammet Numinis hujus appretiabilitatem infinitæ voluntatis ad Bonum universale commensurationi coæquatam. At licèt ista appretiabilitas *diversimodè* se habeat ad virtutem Spei & Charitatis, attamen sub Formalitate à differentijs istarum virtutum specificis abstractâ, & ut sic genericâ potest actûs secundùm speciem atomam determinati eatenus esse *Formaliter* terminativa, & ut sic specificativa, ut actus ejusmodi possit ab utrâque illarum Theologalium virtutum procedere, eo ipso, quòd ratio illa sit *Transcendentaliter* imbibita in utriusque illius virtutis specificativo objecto, veluti probat argumentum supra deductum.

26. Et quia ratio Honestatis sub universalissimâ à tribus illis Depurationis partibus abstractione, considerata reincidit in illam tertiam Honestatis partem, consequens est, actum Honestatis ut sic prosecutivum, si naturalis sit, procedere *Directivè* ab Habitu Synthereseos, *Elicitivè* verò ab innatâ voluntatis in Numen sui satiativum inclinatione: si verò supernaturalis sit, procedere à Virtute Theologali vel *Spei* vel *Charitatis*.

27. Probatur istud assumptum. Nam honestas sub universalissimâ Depurationis abstractione spectata, quatenus est *practicè* motiva voluntatis, nequit se habere per modum puræ remotionis, sed induere debet formalitatem Boni, super omnia creata voluntatis commensurationem infinitam non coæquantia Bona elevati. At sub istâ Formalitate eo ipso involvitur & attingitur Numinis Divini appretiabilitas infinita. Unde sicuti per Entis ab omnibus inferioribus differentijs abstractionem eo ipso pervenitur ad Ens Purum, quod est ipse Deus, nec adeò potest Entis fieri abstractio, sub quâ Deus & Ens creatum *Univocè* conveniant, sic nequit ratio Honestatis sub universalissimâ mentis Depuratione considerari, quin reincidat in ipsius Divini, voluntatis satiativi Numinis Formalitatem infinitè appretiabilem. Hæc autem Formalitas in ordine ad omnem moralem actionem, per modum principij in *genere moris* Universalissimi, eatenus repræsentatur per naturale synthereseos lumen, ut huic in voluntate respondeat vis *Connaturaliter* tendendi in tale Numen sive abstractè spectatum, sive sub aliquâ concretione contractum ad aliquod Bonum particulare. Quare ista in tale Numen voluntatis inclinatio, tendendo in Honestatem ut sic, sub universalissimâ Depurationis abstractæ actualitate spectatam, eatenus est elicitiva actûs virtuosi, ut hic ex parte objecti sui specificativi saltem confusè attingat Deum. Quòd si proinde talis actus sit supernaturalis, omnino reduci debet in aliquam virtutem Theologalem, tanquàm principium sui Effectivum, veluti *superiùs expositum est*.

Responsio ad fundamenta ex parte primæ difficultatis opposita.

28. AD *n. 5.* ac *sequentibus* opposita fundamenta Respondetur. Ex dictis patere, qualiter ratio Honestatis ut sic, licèt in *Essendo* & *Prædicando* sit universalis & Generica, seu communis omni morali virtuoso actui & objecto, attamen quà per rationem practicam applicata voluntati sit in *Movendo* & *Finaliter causando* specifica, atque adeò specificativa actûs particularis specie distincti ab actibus aliarum virtutum: nec adeò pro illius actûs specificatione recurrendum esse ad aliud motivum, siquidem ratio Honestatis ut sic habens ex se ipsâ appretiabilitatem intrinsecæ voluntatis inclinationi proportionatam, ex se ipsâ sit sufficienter motiva, atque adeò specificativa alicujus specifici voluntatis actûs. Uti etiam probant fundamenta in subsequentibus deducta.

Responsio ad fundamenta ex parte secundæ difficultatis opposita.

29. AD *n. 13.* oppositum fundamentum Respondetur. Illum actum: *Volo in omnibus Honestè vivere*, reduci in habitum synthereseos tanquàm principium duntaxat Directivum, non verò *Effectivum*, seu *Elicitivum*. Hoc verò non incongruè assignari per Ildephonsum Baptistam & Ioannem à Sancto Thomâ: quamvis in illo displiceat, quòd ex frequentatione illius actûs neget, generari habitum. Cur enim actus ejusmodi minoris esset efficaciæ, quam actus morales circa Honestatem aliquam particularem versantes? Non enim verum tenet, in honestate ut sic amplectendâ voluntati sensualibus immersæ nullam esse difficultatem saltem *quoad Exercitium* se ab hisce terrenis depurandi, & ad præcisum rationis Bonum elevandi. Quam licèt difficultatem in particularibus maximè tollant virtutum moralium habitus, in ipsâ tamen mentis à terrenis affectibus depuratione abstractiore, & universali specialis latet difficultas, animæ naturalis ad Honestatem & omninò depuratam mentis abstractionem inclinationis pondere suo deprimens ac retardans. Quam proinde non incongruè dicimus, speciali per actus circa illam frequentatos comparando habitu, superandam esse.

CONTROVERSIA V.

Quænam in ordine ad Bonitatem, & Malitiam moralem sit differentia inter Circumstantias purè aggravantes, & speciem dantes?

HOc duplex Genus circumstantiarum à Divo Thomâ *1. 2. q. 73. a. 7.* describitur, ubi ait; peccatum tripliciter possè aggravari per circumstantiam. *Primò* quidem, in quantum circumstantia transfert in aliud genus peccati, sicut circumstantia *Conjugata* transfert Fornicationem etiam ad genus injustitiæ, atque adeò adulterij. *Secundò* non transferendo in aliud peccati genus, sed multipli- 1.

cando rationem peccati intra eandem ſpeciem, veluti prodigus dando, cui non debet, & quando debet, multipliciùs peccat, quàm ſi ſolùm det, cui non debet. *Tertiò* augendo deformitatem, ſeu malitiam intra idem peccati genus, ac ſpeciem, veluti major Quantitas materiæ in Furto aliàs mortali, nec non intenſio ac longior duratio actûs auget hujus malitiam non trahendo illam ad aliam ſpeciem, ſed purè aggravando.

Quod proinde Triplex circumſtantiarum actus morales afficientium genus fuſiùs ponderat Ioannes à S. Thomâ *præs. diſp. 10. a. 2.* excitando nonnullas difficultates, mox deducendas.

Referuntur difficultates præſentis controverſiæ.

2. Authorproximè citatus *n. 25.* tenet 1. Circumſtantias per modum multiplicationis aggravantes augere peccatum per accumulationem, ſeu quaſi numerationem, & pluralitatem deformitatum. Nec tamen illas plures Circumſtantias accumulatas eſſe plures malitias ſolo numero differentes, ſed etiam *ſpecificè accidentaliter*; tanquam modos actûs mali, ſeu diverſa accidentia, & quaſi modificationes illius. Quas nihilominùs differre à circumſtantijs ſpeciem dantibus, quòd iſtæ de ſe & ratione ſui poſſint conſtituere ſpeciem Eſſentialem, ſi non inveniant conſtitutam; illæ verò non poſſint per ſe & ex ſe dare ſpeciem principalem ac primam, nec importent ſpecialem ordinem ad rationem, ſed ſolùm aliquâ aliâ ratione præſuppoſitâ, dent malitiam quaſi modificativam prioris. Unde dare malitias ſpecie diſtinctas quaſi modificatas, non principales, & ad aliud genus trahentes.

3. 2. Idem author *n. 28. & 41.* circa circumſtantias per modum augmenti Extenſivi, vel Intenſivi, intra eandem ſpeciem aggravantes, ſpecialem movet difficultatem ratione Durationis, & Intenſionis. Etenim ſi in quolibet inſtanti unius horæ interrumperetur actus, & inciperet nova actio, cuilibet actui & inſtanti correſponderet diſtincta bonitas, vel malitia, atque adeò in fine horæ eſſent infinitæ Bonitates, vel malitiæ. Ergo ſi continuetur actus liberè per totam horam ſine interruptione, non minorem infinitatem bonitatis, aut malitiæ habebit, ſiquidem iſta continuatio omnia illa inſtantia horæ complectatur, nec majus habeat meritum, qui continuat omnia inſtantia horæ, quàm qui omnibus diſcontinuatis & diviſis, in quolibet eliceret

4. actum ejuſdem Bonitatis. Simile argumentum fit de intenſione, ſi enim in quolibet durationis licèt finitæ inſtanti creſcat intenſio actûs, & duratio ejuſmodi habeat infinita inſtantia, ſequitur, illam intenſionem in fine talis durationis fore infinitam.

5. 3. Author præallegatus *n. 9.* multis adductis rationibus & authoritatibus, probans, circumſtantias peccatorum non tantùm ſpecificantes, ſed purè aggravantes confeſſioni eſſe neceſſariò ſubijciendas, poſtea *n. 18.* docet, ejuſmodi circumſtantias eſſe mutantes ſpeciem non quidem moralem, ſed Theologicam. Fundamentum eſt. Quia ſpecies Theologica in peccatis attenditur pænes averſionem & offenſam Dei, ſpeciem autem moralem pænes converſionem ad objectum morale. Si proinde aggravatio Circumſtantiæ præter id, quod habet peccatum ex ſpecie ſuâ, ſufficientem addat offenſæ mortalis rationem, tunc mutat ſpeciem Theologicam, non moralem. Unde cùm Concilium Tridentinum *ſeſſ. 14. cap. 5. & Can. 7.* ex inſtituto agens de Circumſtantijs in confeſſione aperiendis, ſolùm meminerit Circumſtantiarum ſpeciem mutantium, accipi hoc debet de ſpecie Theologicâ, nec adeò à neceſſitate confitendi excipi debent Circumſtantiæ aggravantes.

Conclusio.

Circumſtantiæ purè aggravantes non tam ſuperaddunt novam ſpeciem etiam Theologicam, quàm malitiam individualem, ſi non *Formaliter*, ſaltem *Virtualiter* eam multiplicando.

Probatur. Nam iſtæ circumſtantiæ peccati malitiam intra eandem ſpeciem aggravantes in duplici ſunt differentiâ. Aliæ enim aggravant per quaſi numerationem, uti patet in ſuperiùs adducto exemplo prodigalitatis factæ tum erga eum, cui non debetur, tum tempore, quo vel maximè non eſſent profundendæ pecuniæ. Cujuſmodi circumſtantia per numerationem aggravans eſt in actu, quo plures homines ſimul injuſtè occiduntur. At verò in tali caſu eatenus occurrunt diverſæ circumſtantiæ; quarum ſingulæ intra homicidij ſpeciem ſingulas continent malitias objectivas, ut tamen unus idemque actus in eas tendens unicus ſit, nec adeò niſi unicam *Formaliter* contineat malitiam individualem, tametſi hæc *Virtualiter* quoad numerationem ex objectis ſit multiplex, eo ipſo, quòd actûs illius ordo ad plures illas objectivas malitias terminatus reſpectu ſingularum habeat rationem peccati mortalis, atque adeò in tali peccato ſint *virtualiter* multa peccata mortalia. Deinde aliæ Circumſtantiæ ſunt aggravantes per modum augmenti Intenſivi. Hoc autem accidere poteſt, quatenus per ſpatium temporis diviſibile paulatim creſcit conatus & intenſio actûs peccaminoſi. Tunc autem *ſecundum Patres Societatis Jeſu* fit additio partis ad partem; *ſecundum Thomiſtas* verò major radicatio actûs in objecto. At clarum eſt, in tali caſu vel ex novo conatu, vel ex novâ partis ex libero voluntatis influxu pendentis circa objectum peccaminoſum additione ſupervenire novam individualem malitiam. Denique aliæ circumſtantiæ ſunt aggravantes per modum augmenti Extenſivi tum ſecundùm Durationem, tum ſecundùm quantitatem materiæ. At eo ipſo, quòd continuatio unius actûs per Temporis ſpatium diviſibile pendeat ex libertate voluntatis, utpote potentis ac debentis ab actu ejuſmodi malo ceſſare, nec adeò niſi per culpabilem ſui determinationem in eo perſeverantis; oportet, talem continuationem includere plures individuales malitias pluribus temporis partibus & inſtantibus, in quibus poſſet ac deberet ceſſare, reſpondentes. Similiter ſi materia Furti v. g. tantam contineat Quantitatem, ut plures ejus portiones ſingillatim acceptæ per ſe valerent ad peccatum mortale, tunc licèt actûs, atque adeò offenſæ mortalis malitia ſit *Formaliter* una, eſt tamen *Virtualiter* multiplex, fundatque adeò individuales malitias *æquivalenter* diverſas. Conſtat proinde, qualiter ex omni circumſtantiarum

6.

7.

8.

9.

purè

purè aggravantium genere fiat quædam additio & multiplicatio malitiei non *specie*, sed *numero virtualiter saltem* ac *æquivalenter* diversæ.

10. Dices. Furtum levis materiæ differre à Furto Gravis materiæ secundum speciem Theologicam. At istam differentiam specificam esse per hoc, quòd posterius, non vero prius sit peccatum mortale. Cur ergo non dici debeat, si peccato Furti, constitutâ jam materiâ mortaliter peccaminosâ, intelligatur supervenire materia non levis, sed Gravis de se mortalem malitiam fundans, superaddi novam speciem Theologicam.

11. Contra. Nam ista species Theologica constituitur *Formaliter* per peccati mortalis a Veniali differentiam. Hæc vero importat *Formaliter* offensam, seu læsionem juris Divini. Eo ipso autem, quod Deus juris sui Divini recognitionem à nobis exigat in materiâ gravi duntaxat, oportet habere malitiam mortalem, juris Divini *Moraliter læsivam*, & *Affective* seu *interpretative* destructivam. At licèt ista peccati mortalis Theologica species sit contrahibilis per diversas morales species ex objectis intra mortalitatis lineam *specifice* differentibus specificatas, attamen hac speciei moralis differentia suppositâ, non potest intelligi, qualiter illa Theologica species sit multiplicabilis, nisi *Numericè* & *Individualiter*. Ergo Furto per materiæ gravitatem jam constituto sub ratione peccati mortalis, nequit propter materiæ augmentum respondere multiplex Theologica malitia, nisi secundum virtualem Individualem numerationem.

Responsio ad opposita fundamenta.

12. AD *n. 2.* oppositum Respondetur. Omnino improbari nobis, quod Ioannes a Sancto Thoma *ibi citatus* circumstancias per accumulationem, seu quasi numerationem aggravantes dicat fundare malitias *specificè accidentaliter* differentes, non quidem per modum specierum principalium, sed modificantium. Certè enim nulla apparet in genere moralitatis, istas specificas malitias adstruendi ratio, nisi quam ipsemet Ioannes à Sancto Thomâ asserit, ne scilicet accidentia solo numero diversa dicantur uni ac eidem subjecto inexistere. At hæc ratio nulla est, tum quod in allegato prodigalitatis tempore indebito, ac ei, cui non debetur, factæ exemplo sit una indivisibilis moralis in objectum illâ duplici circumstantiâ vestitum tendentia, eritque adeo unica *Formaliter*, nec nisi *æquivalenter* multiplex individualis Fundamentalis malitia, utpote ab illius actûs moralis Entitate, ejusdemque in objectum tendentiâ nullatenus distincta. Tum quia esto, quod Formalis actûs moralis malitia in debitæ rectitudinis privatione consistens in ordine ad rectitudines, quibus privat, *realiter* distinctas, diceretur *individualiter* multiplicari, non tamen in hoc esset aliqua repugnantia, siquidem idem subjectum eo ipso, quòd pluribus solo numero diversis formis non sit simul informabile, debeat simul habere istarum privationes. Quare videtur potiùs dicendum, tum quòd circumstantiæ per quasi numerationem purè aggravantes non fundent in actu morali malitias *specie modificativâ* diversas, tum quod ista malitiæ *Fundamentaliter* spectatæ, ut sic cum actûs entitate identificatæ, non nisi *virtualiter* ac *æquivalenter*, non autem *Formaliter*, ubi nulla est realis actuū distinctio, multiplicentur; tum denique quòd nulla sit inconvenientia, si dicatur, malitias *Formaliter* pro diversæ individualis rectitudinis privatione sumptas posse in uno eodemque actu *Numericè* multiplicari.

Ad *n. 3. & 4.* oppositum Respondetur ex Ioanne à Sancto Thomâ *ubi supra à n. 37.* Actum moralem v. g. Charitatis, unius horæ spatio libere continuatum *Virtualiter* ac *Eminenter* continere quidem tantam Bonitatem, quanta est in pluribus, illo tempore per plura instantia, seu spatia interruptis actibus. Nihilominùs neque in quibuslibet proportionalibus ut sic potentiâ infinitis, sed in aliquotis duntaxat *actu* Finitis horæ partibus, neque in omnibus *Collective* spectatis, sed in singulis *Divisive* sumptis finitis instantibus posse intelligi liberum voluntatis Exercitium, nec adeò per actûs integro horæ spatio continuationem liberam haberi Bonitatem, nisi finitam, sicut etiam intensionem, ejusque augmentum; cùm non per partes proportionales quâ in potentiâ infinitas, sed per partes aliquotas actu finitas, nec nisi in instantibus determinatis & actu finitis crescere possit, nequit ejus unquam attingere ad infinitum *actu*. 13.

Ad *n. 5.* oppositum Respondetur. Ex ijs, quæ in conclusione deducta sunt, patere; qualiter Circumstantiæ purè aggravantes actui mortaliter peccaminoso, ne quidē Theologicā speciē, sed numericam duntaxat, *Individualiter* diversam malitiā superaddant. An verò istæ circumstantiæ ratione hujus individualis multiplicitatis sint necessariò confitendæ, alibi ex instituto deducetur, eò vel maximè, quòd licèt numerus peccatorum sit distinctè confitendus, hoc tamen videatur accipiendum de distinctione actuum peccaminosorum, non tam physicâ, quam morali, *uti inferius in materiâ de peccatis ponderabimus*. 14.

❀❀❀❀❀❀❀❀❀)(❀❀❀❀❀❀❀❀

CONTROVERSIA VI.

An, & quomodo Bonitas & malitia desumpta ex circumstantiys sit actui morali Essentialis, vel Accidentalis duntaxat?

ALiquæ circumstantiæ sunt objecti *Primò* constitutivæ in *Esse morali*, velut conditio seu circumstantia *alieni*, licet respectu rei *physicè* spectatæ, sit accidens seu circumstantia accidentaria, in ordine tamen morali est prima quidditas objecti, quâ *moraliter* mali, sive injusti, Divo Thomâ *q. 2. de malo. a. 6.* disserente in hæc verba: *Si consideremus hunc actum; qui est accipere pecuniam, non est de ratione ejus, quòd sit aliena, unde alienum se habet ad actum sic consideratum ut circumstantia; sed de ratione furti est, quòd sit aliena. Unde non est circumstantia furti.* 1.

Hisce circumstantijs moralitatem objecti *Primò* fundantibus accensentur etiam illæ, quæ objectum de se Bonum transferunt ad malitiam aliquam moralem, siquidem ex circumstantiæ morali malitiâ eatenus maneat extincta objecti bonitas moralis, ut objectum ejusmodi intra genus moralitatis non subsistat, nisi in lineâ mora- 2.

moralis malitiæ. Unde cùm talis circumſtantia non ſupponat ſubjectum ſub aliquâ malitiæ moralis ſpecie conſtitutum, conſequenter huic tribuit primam & Eſſentialem in genere moralitatis Eſſentiam: Doctore Angelico *1. 2. q. 18. a. 5. ad 4.* ſic atteſtante. *Circumſtantia quandoque ſumitur ut differentia eſſentialis objecti, ſecundùm quod ad rationem comparatur, & tunc poteſt dare ſpeciem actui morali. Et hoc oportet eſſe, quandocumque circumſtantia tranſmutat actum de Bonitate in malitiam, non enim circumſtantia faceret actum malum, niſi per hoc, quod rationi repugnat.*

3. Quare difficultas ſupereſt duntaxat de circumſtantijs ſpeciem mutantibus, quæ in objecto ſupponunt aliquam moralitatis ſpeciem, velut eſt circumſtantia Voti in materiâ Caſtitatis, & circumſtantia Sacrilegij in peccato carnis cum perſonâ ſacrâ. Quas proinde circumſtantias non niſi accidentariam bonitatem, vel malitiam actui morali voluntatis conferre, videtur docere Sanctus Thomas *1. 2. q. 19. a. 2.* concludens: *Quòd bonitas voluntatis ex ſolo illo uno dependeat, quod per ſe facit bonitatem in actu, ſcilicet ex objecto, & non ex circumſtantijs, utpote quæ ſint quædam accidentia actûs.* In quo proinde textu explicando multum laborant Thomiſtæ, uti mox patebit.

Referuntur Doctorum Sententiæ.

4. Medina in *proximè cit. a. 2. expoſit. poſt medium.* ait, juxta ſanam illius textûs expoſitionem dici debere, quòd voluntas bonitatem primariam & invariabilem habeat à ſolo objecto, ſed accidentariam & ſuperadditam à circumſtantijs. Cui ſuffragatur Curiel *præs. q. 18. a. 3. dub. un. §. 3. concl. 2.* docens; Bonitatem & malitiam, quam actus humani habent ex circumſtantijs, non ſolùm eſſe accidentalem eis conſideratis quoad ſuum Eſſe ſpecificum, ſed etiam quoad ſuum Eſſe individuum & ſingulare.

Fundamentum eſt. Quia circumſtantia differt ab objecto, ſicut accidens à ſubſtantiâ. At omne accidens eſt extra ſubſtantialem conſtitutionem ſubjecti. Nequit ergo circumſtantia conferre ſubſtantialem ſpeciem tum objecto, tum conſequenter actui morali.

5. Econtrario ex Caietano *in init. q. 18. a. 10. circa medium.* dici poteſt, eatènus verificari, quòd ex objecto ſolo actus voluntatis habeat ſpeciem bonitatis, vel malitiæ moralis, ut conſequenter oporteat aſſerere, quaslibet ſpeciem mutantes ſeu dantes circumſtantias tranſire in conditiones principales, ſeu differentias objecti.

Fundamentum eſt. Cùm enim objectum ſit actûs ſpecificativum, nequit intelligi, qualiter circumſtantia ſit mutans, ſeu dans ſpeciem, niſi tranſeat in rationem objecti.

6. Joannes à Sancto Thomâ *præs. diſp. 10. a. 3. n. 9. & 11.* exiſtimat; illum Divi Thomæ textum *in ſenſu Formali* accipiendum eſſe, quòd ſcilicet actûs interioris *Formaliter* quà interioris Bonitas ex ſolo objecto dependeat, quamvis cum hoc adhuc ſubſiſtat; poſſe actum interiorem habere aliquam Bonitatem, vel malitiam ex circumſtantijs, ſub quibus exercetur, non ut *Formaliter* eſt actus interior, ſed in quantum eſt actus quidam liberè factus.

Fundamentum eſt. Tum quia actus interior vocatur actus in genere ſuo primus, utpote reliquis imperans, & circa Finem ſe habens. ſicut intentio. Id ergo *per ſe Formaliter* pertinet ad rationem interioris actûs, ut interior eſt, quod facit aliquid eſſe intentum, eſſe aliorum Finem, eſſe imperativum, aut directivum aliorum, eiſque communicabile *participative* ut inferioribus. At nihil tale pertinet ad circumſtantias ut Circumſtantes, ſed ad finem ſeu objectum, quod poteſt eſſe intentum. Cùm igitur Circumſtantiæ ad actum interiorem *quà Formaliter* interiorem non pertineant, niſi quà intentum. Ut ſic autem ſint objectum illius; conſequenter verificatur, actûs interioris Bonitatem pendere ex ſolo objecto. Tum quia exercitium actûs nequit fieri ſine talibus accidentibus, ſeu circumſtantijs 7.
v. g. talis perſonæ, talis intenſionis, & conatûs, talium inſtrumentorum. At licèt ejuſmodi circumſtantiæ concomitentur actûs exercitium, nõ tamen ipſum Finalizantem conſtituunt, neque imperantem alijs, quod eſt eſſe actum interiorem & primum. Ergo ab ejuſmodi circumſtantijs, quæ ſe habent *per accidens*, non pendet bonitas actûs interioris, ut interior eſt, quamvis actui ejuſmodi poſſint tribuere bonitatem aliquam, prout *Materialiter* ſpectatur tanquam actus liber ex ipſo exercitio trahens neceſſariò aliquas circumſtantias quandam Bonitatis rationem continentes.

Vaſquez *1. 2. diſp. 53. cap. 1. & 3.* Amicus *cit.* 8.
diſp. 14. ſect. 10. n. 164. et ſeq. exiſtimant: ſolam circumſtantiam, quæ tribuit primam ſpeciem actui, tranſire in objectum, eique ſpeciem eſſentialem moris tribuere; reliquas verò circumſtantias, quæ non tribuunt primam ſpeciem, tranſire quidem in rationem objecti, & tribuere ſpeciem Eſſentialem actui reſpectu ſpeciei, quam conſtituunt, manere tamen circumſtantias reſpectu alterius ſpeciei, cui adveniunt.

Fundamentum ab Auhoritate S. Thomæ *q. 2. de malo. a. 6.* petitum eſt. Ibi enim ait S. Doctor, Circumſtantiam reſpectu actûs conſideratam ſecundum unam ſpeciem moris eſſe circumſtantiam, reſpectu vero alterius ſpeciei, quam conſtituit, circumſtantiam dici non poſſe, veluti pateat de adulterio & ſacrilegio, quorum illud comparatum cum actu in ſpecie fornicationis conſtituto, ſit circumſtantia; comparatum verò cum eodem actu in ſpecie adulterij conſiderato, ſit objectum, ſicuti etiam rei ſacræ furto ablatæ circumſtantia comparata cum ſpecie Furti dicitur circumſtantia, comparata verò cum ſpecie ſacrilegij, quam conſtituit, eſt objectum.

Conclusio.

Bonitas & malitia ex circumſtantijs ſpeciem dantibus, vel mutantibus petita eſt *Metaphyſicè* accidentalis: at *phyſicè* ac *moraliter* loquendo, ſemper eſt eſſentialis actui morali, niſi ad hunc ſe habeat *merè Imperativè*.

Explicatur & probatur. Nam objectiva circũſtantiæ, objecto alicui ſupervenientis, Bonitas moralis ſe habere poteſt ad voluntatis, & aliarum 9.

tum huic subjectarum potentiarum actus tum *Immediate*, ac *Elicitive*, tum *Mediate*, ac *Imperative*. Primo modo se habet circumstantia ad actum, quando ejus Bonitas est *per se Finaliter* motiva, atque adeò Finalizativa actûs à voluntate eliciti. Secundo modo ad voluntatis & aliarū huic subordinatarum potentiarum actus se habet, quando ejus Bonitas eatenus est motiva actûs imperantis, ut ex hujus causalitate fluat alius actus imperatus, ex ejus participatione communicans in eâdem actûs imperantis Bonitate mo-
10. rali. V. g. aliquis ex motivo Charitatis Dei & proximi intendit efficaciter ac in specie, omnium Religionis votorum actualem emissionem, tunc non Charitatis Theologicæ duntaxat, sed honestas sublevandi ex charitate spirituales proximorum miserias, nec non singularum Castitatis, Paupertatis, & Obedientiæ, imò specialis in illustri personâ humilitatis Motiva Formalia possunt ad talem actum se habere *Elicitive*, actûs ejusmodi Elicientiam *Finalizative* excitando ac movendo. Ex quo proinde actu possunt variarum potentiarum actiones ad Executivā votorum illorū emissionem concurrentes *Imperative* procedere. Hæ proinde actiones imperatæ ex actûs illius imperantis participatione eatenus communicant in ipsius Bonitate morali, ut v.g. actus voluntatis ex illius imperantis actûs efficacia specialiter tendens in Castitatis voti emissionem *intrinsecè* ac *per se* respiciat hujus duntaxat Honestatem, reliquorum vero in actu imperante intentorum motivorum, Charitatis nimirum Dei, ac proximi, nec non obedientiæ, ac paupertatis Evangelicæ Honestatibus ad talem imperatum actum non nisi *participative* ac *Denominative* se habentibus. Patet proinde, qualiter objectiva circumstantiæ alicujus Bonitas moralis ad voluntatis, aliarumque potentiarum actus se habere possit *mere imperative*. Ut sic autem clarum est, Bonitatem ejusmodi circumstantiæ se habere ad actum imperatum *solum accidentaliter*, ex denominatione scilicet actûs imperantis. Unde fit etiam consequens, Circumstantiam seu Finem respectu actûs imperati non transire in conditionem objecti, sed manere in ratione circumstantiæ, seu Finis merè Circumstantis, atque adeò tali actui ex sui alioquin objecti Finalizativâ motione propriam moralem Bonitatem habenti communicari Bonitatem mere accidentalem. Secus verò est de circum-
11. stantijs propriam aliquam specificam Bonitatem habentibus, ac *Elicitive* seu *Motive* per ejusmodi Bonitatis vim Finalizativam in actum influentibus; tunc enim dicendum est; talem Circumstantiæ Honestatem objectivam in actum moralem transfundere Bonitatem, quæ respectu talis actûs *physicè* spectati sit *simpliciter* Essentia-
12. lis. Probatur istud assumptum. Hoc enim inter bonitatem & malitiam moralem discriminis est, quòd, licet ad circumstantiæ alicujus specificam malitiam participandam sufficiat ejus indirecta prosecutio, attamen nequeat ullius circumstantiæ moralis Bonitas *immediate* ac *per se* transfundi in actum, nisi per hunc *formaliter* ac *Directè* sit intenta. At clarum est, Bonitatem ab actu *directè* intentam subire rationem objecti, atque adeò tali actui esse Essentialem respectu ejusmodi per se intenti objecti habitudinem. Hæc ipsa vero per talem objectivam Bonitatem specificata habitudo est Bonitas Formalis. Constat proinde, Formalem *non merè Imperativè*, sed *immediate*, *Motive* ac *Finalizativè* inexistentem actûs moralis Bonitatem, ex objecti circumstantijs specificatam, actui *physicè*, ut est a parte rei, spectato esse Essentialem.

Instabis. Si moralis ex objecti circumstan- 13.
tijs non *mere Imperative*, sed *per se immediate* ad actum moralem concurrentibus petita Bonitas actui *Exercitè*, prout est a parte rei, considerato essentialis sit, non posse intelligi, qualiter respectu ejusdem actûs cum veritate considerari possit, qua *Methaphysicè* accidentalis.

Contra. Nam si actûs superiùs expositi ad 14.
diversas specie differentes objectivas Bonitates morales habitudo ex se, prout est a parte rei, omninò indivisibilis reducatur ad objectivas intellectus nostri præcisiones, tunc eatenus fit distinctio Formalitatum, ut ex ordine ad singulas objectivas Bonitates distinguantur diversæ Formales morales Bonitates. At vero in tali Formalitatum ac Bonitatum moralium distinctione ex parte objecti reperitur Honestas objectiva Virtutis tum Religionis, tum Castitatis, tum Obedientiæ, tum Paupertatis, tum Humilitatis. Unde in ordine ad istas ex parte objecti *Specificè* diversas Virtutum Honestates Intellectus suâ præcisione objectiva *signatè* distinguit in illo à parte rei indivisibili actu Formalitates *Metaphysicæ* differentes. At verò in hac ipsâ *Methaphysicâ* præcisiva Formalitatum distinctione Formalitates Castitatis, Obedientiæ, Paupertatis, ac Religionis sub propriæ etiam Honestatis Formalitate *Signatè* intelligi possunt, ut quid potentiale per Religionis Honestatem, in cujus objectum ceu Finem ordinantur, actuabile. Unde illæ habent respectu hujus rationem quasi genericam. Illæ ipsæ verò prædictarum virtu- 15.
tum in uno actu *realiter* identificatæ, secundùm præcisionem objectivam distinctæ, & per rationem ratiocinatam ad se invicem comparatæ Formalitates se habent *mere accidentaliter*, ita ut Formalitas Castitatis *secundùm Metaphysicam præcisionem* non nisi *accidentaliter* sit prædicabilis de actu, qua habente specificam obedientiæ virtutis Formalitatem. Ut sic autem Honestas objectiva Castitatis respectu actûs, quâ ex motivo obedientiæ specificati habet rationem Circumstantiæ. Constat igitur, quòd Bonitas moralis ex circumstantijs speciem dantibus petita sit *Metaphysicè* accidentalis. Cujus ratio à priori est.
Nam licet ad morale judicium ferendum de a- 16.
ctu morali, hunc considerando, *prout Exercitè* est à parte rei, sufficiat actûs ejusmodi habitudinem considerari in ordine ad objectum qua singulis, sub quibus exercetur, moralem aliquam Bonitatem præseferentibus circumstantijs vestitum, nulla Formalitatum factâ præcisione, sed sub confusâ quadam Formalitatum illarum in uno actu identificatarum cognitione. Nihilominùs in ordine ad Scientiam moralem *Methodicè* tradendā oportuit ex objectivis *specifice* differentibus Honestatibus statui certas & determinatas virtutum specie. Quæ proinde species, licèt ex vi nostri Intellectûs ac voluntatis, unico actûs cujusdam realiter indivisibilis complexu plures virtutum specie differentiū objectivas Honestates amplecti potentis, videantur elevari ad quandam speciem sublimiorem, Eminentiali suâ unitate, ac simpli-

simplicitate complectentem diversas virtutum Formalitates specificas, sub altiori ratione in unam Formalitatem *Identicè* coadunatas: attamen quia ista virtutum specie distinctarum in unius actûs Formalitatem Eminentialis Elevatio & adunatio pro libertate voluntatis potest in infinitum quasi variari. Idcirco ad confusionem in scientiâ morali excitandam, oportet, actum Honestates ejusmodi *specificè* differentes *Eminenter* identificatas habentem mediante objectivâ præcisione eatenus distinguere, ut quælibet Formalitas ex suâ Formali ad determinatam virtutis objectivam Honestatem habitudine reducatur ad specificam virtutis alicujus per sci-
17. entiam moralem definitæ lineam. Ejusmodi verò Formalitatum eidem actui morali inexistentium distinctione, & cujuslibet illarum in suam certam sedem reductione positâ, si Intellectus eas inter se comparet in ordine ad aliquam inter ipsas prædicationem faciendam, inveniet, unam non posse de alterâ *nisi accidentaliter* prædicari, atque adeò una se habebit ad alteram, tanquàm accidens prædicabile. Patet igitur, qualiter Bonitas moralis per Eminentialem in uno actu morali elevationem, plurium virtutum Formalitates in suâ Essentiâ *physicè* indivisibili continens, debeat *Metaphysicè* distingui in plures formalitates, quarum una ad objectum à circumstantijs objecti alioquin conditionem *physicè* ac *Exercitè* subeuntibus præcisum considerata, sit Essentialis, cæteræ verò sint accidentales.

18. Replicabis. Hoc argumentum probare de Bonitate duntaxat, non autem de malitiâ morali; quòd hæc quà desumpta ex circumstantijs respectu actûs *physicè* ac *Exercitè*, prout est à parte rei, spectati, sit Essentialis. Probatur istud as-
19. sumptum. Nam eo ipso, quòd voluntas feratur in objectum malum diversis ad genus moris spectantibus circumstantijs vestitum, trahit ex his omnibus malitiam moralem, licèt objectum duntaxat, non autem circumstantiæ sint *Directè* ac *Formaliter* volitæ; siquidem ad talem malitiam contrahendam sufficiat voluntarium Indirectum. Hinc autem facilè intelligitur, quòd realis & physica actûs moralis Essentia importet habitudinem intrinsecam ad objectum præcisè; Circumstantijs non nisi *accidentariò* se habentibus tum ad illam actûs habitudinem, tum ad objectum istius habitudinis *Formaliter* Terminativum.

20. Contra. Nam illa physica actûs moralis habitudo reducta ad genus moralitatis spectatur in ordine ad objectum quà disconveniens rectæ rationi. Hæc autem recta objecti quà per legem aliquam regulati repræsentativa ratio in objecto quà *Exercitè* seu *practicè* ad voluntatem applicato est expressiva Formalitatis *in genere morali*, non ex objecto *præcisè*, sed ex ejus quoque circumstantijs *indivisibiliter* ad Exercitum voluntatis actum correlatis resultantis. At verò ista objecti rectæ rationi dissentanei Formalitas ut sic importans malitiam, licèt non *per se directè*, sed ex adjunctâ aliqualis duntaxat Delectabilitatis, vel commoditatis ratione sit appetibilis, nec adeò nisi *indirectè* volita se transfundat in actum moralem, attamen in ipso actûs moralis, malitiam ejusmodi moralem *indirectè* prosequentis physicâ, *realiter* indivisibili entitate, per Intellectûs nostri præcisionem distinguendæ sunt Formalitates, quarum una ex sui ad objectum *præcisè* spectatum habitudine fundet malitiam moralem objecto *præcisè* respondentem, cæteræ autem Formalitates ex sui ad circumstantias moralitatem aliquam continentes habitudine fundant malitias ex hisce petitas, ut sic referibiles ad specificas *in genere moris* differentias. Hæ ipsæ verò per Intellectûs nostri præcisionem distinctæ Formalitates sunt una actûs moralis *realiter* indivisibilis Entitas, continentque adeò unam simplicem Essentiam *realiter* sitam in habitudine *realiter Formaliter* unicâ, ut sic *Transcendentaliter* relatâ ad objectum, quatenus omnibus circumstantijs vestitum est fundamentum moralis in actum transfusæ malitiei, quæ licet *Formaliter* consistat in privatione; *Fundamentaliter* tamen sit ipsa actûs moralis Essentia; ut consequenter malitia moralis *Fundamentaliter* spectata etiam quà derivata ex circumstantijs sit actui morali, prout *Exercitè à parte rei* se habet, Essentialis: quamvis hæc ipsa *realiter* indivisibilis Essentia sit *Metaphysicè* divisibilis in plures Formalitates, quarum una in ordine ad objectum secundùm se præcisè spectatum sit Essentialis, cæteræ verò in ordine ad circumstantias consideratæ & inter se comparatæ sint actui etiam quà morali *prædicabiliter* accidentales.

Responsio ad opposita Fundamenta.

AD *n. 4.* oppositum Respondetur. Eo ipso, quòd circumstantiæ intra genus moralitatis specificantes respectu actûs moralis, prout *Exercitè* est à parte rei, considerati, transeant in conditionem objecti, non se habere ut accidentia, sed pertinere ad ipsam actûs substantiam. Et hinc etiam verificari, quod Bonitas voluntatis non pendeat nisi ex objecto. Nihilominùs, quia eadem indivisibilis actûs moralis Bonitas est *Metaphysicè* divisibilis, posse ut sic Bonitatem ex circumstantijs petitam considerari ut accidentariam actui, sub præcisâ ad objectum *secundum se duntaxat* spectatum habitudine, consideratо. 21.

Ad *n. 5.* oppositum Respondetur. Verum quidem esse, quòd circumstantia dans speciem respectu actûs *physicè* ac *Moraliter* spectati, transeat in conditionem Essentialem objecti, secus tamen esse respectu ejusdem actûs quà *Metaphysicè* secundum objectivam Formalitatum præcisionem considerati; Ut sic enim posse circumstantiam & bonitatem ex ipsâ derivatam, tum respectu objecti quà actum secundum substantiam specificantis, tum respectu actûs taliter specificati accidentariam esse. 22.

Ad Joannis à Sancto Thomâ *n. 6.* oppositam doctrinam Respondetur. Eam omnimode probari nobis, eò quòd in actu morali etiam quà Formaliter imperante sint intelligibiles formalitates, quarum una respectu alterius sit *Metaphysicè* accidentaria, nec adeò ut sic transeat in Essentialem objecti conditionem. Quare melius dici, quòd illa Divi Thomæ Bonitatem voluntatis ex sub objecto dependentem asserentis, sententia accipienda de actu morali *Exercitè*, prout fit à parte rei, spectato, ut sic enim circumstantiæ speciem dantes intrant Essentialem objecti conditionem. In quo adeò sensu ca- 23.

ſu eatenus verificari, quòd Bonitas voluntatis ſit ex ſolo objecto dependens, ut actum moralem *Metaphyſicè*, ſecundùm objectivam Formalitatum præciſionem, conſiderando inveniantur in ipſo aliquæ ex circumſtantijs petitæ habitudines, quæ reſpectu actûs moralis in ordine ad objectum ſecundùm ſe à Circumſtantijs præciſum ſpectati ſint *prædicabiliter* accidentariæ. Cujus ratio eſt. Nam circumſtantiæ intra moralitatis lineam ſpecificantes *diverſimodè* poſſunt ſe habere ad objectum *ſecundum ſe præciſe* ſpectatum. 1. Sub aliquâ medij ad Finem *Operantis* ſubordinatione. 2. Sub medij ad Finem *Operis* ſubordinatione. 3. *Mere Diſparate*.

24. Primo autem modo circumſtantiæ comparantur ad objectum, quatenus ex ſe ipſis habent aliquam ad Finem Ordinabilitatem, non ex ſe ipsâ ab intrinſeco determinatam, ſed aptitudinalem duntaxat, ex ordinatione ac intentione operantis determinabilem: quomodò unius virtutis, v.g. Caſtitatis objectum eſt ordinabile ad Finem alterius virtutis, Religionis ſcilicet, vel Charitatis. Hoc autem modo intelligi poteſt, Caſtitatis objecto ex operantis intentione eatenus ſupervenire Finem Religionis, ut talis intentio honeſtatem Caſtitatis in Finem Religionis ordinans ex iſto Fine differentiam ſpecificam, ex illo autem objecto rationem genericam deſumat, *veluti ſuprà deductum eſt*. At eo ipſo, quod differentia ſpecifica comparata cum ratione genericâ *abſtracte* & *phyſice* ſumptâ, ſe habeat ad iſtam per modum cujuſdam prædicabilis accidentis, conſequenter Finis Religionis, reſpectu illius objecti ſecundùm præcise ſpectati, qua ex ſe in determinatâ virtutis ſpecie omninò completi ac perfecti Motivi, ſe habet per modum Circumſtantiæ duntaxat accidentariæ. Patet proinde, qualiter Finis *Operantis* in actu morali *Metaphyſicè* ſecundum Formalitatum præciſionem conſiderato non ſit ſubſtantialis, ſed circumſtans duntaxat, fundetque adeò Bonitatem *Metaphyſicè* accidentalem, licèt *phyſice* ac *Moraliter* actum ejuſmodi conſiderando, non niſi una ſimplex tum ex objecto, tum ex Fine *Operantis* ſpecificata Bonitas, ex Eſſentiâ ſuâ omninò indiviſibilis reperiatur. Secundo modo Finis operis comparatur ad aliquod medium, quatenus iſtud ex intrinſecâ ſuâ natura habet determinatam medij in Finem ordinabilitatem. Hæc autem *in genere moris* quandoque habet præciſam utilitatis, ſeu conducibilitatis Bonitatem. Ut ſic autem medium ſe habet ad actum moralem *merè Terminativè* per modum objecti duntaxat materialis, non autem *ſpecificativè* per modum objecti etiam *ſecundariò* Motivi: veluti Genuflexionis actus qua purè externus, nullave interioris actûs honeſtate informatus, ad Finem ac Motivum Religionis ſe habet *ſolùm Materialiter*.

25. Quandoque vero medij ad Finem virtutis ordinabilitas habet intrinſecam quandam honeſtatis rationem ex ipſo Fine participatam, in movendo tamen ac Finalizando *Eſſentialiter* pendentem ex motione finis, ita ut non niſi *ſecundariò* cum Eſſentiali ad Finis motionem ſubordinatione, ac dependentiâ, poſſit erga actum voluntatis exercere motionem Finalizativam: veluti ſunt Formalitates Orationis, Gratiarum actionis, Voti, Sacrificij, & Iuramenti; ſiquidem iſtis Formalitatibus eatenus conveniat intrinſeca ad Finem Religionis proportio & ordinabilitas, ut tamen ex ſe ipſis etiam habeant aliquam honeſtatem, non quidem *per ſe* ſufficientem ad *Finaliter* movendum, ſed in movendo ac Finalizando *intrinſecè* ac *Eſſentialiter* dependentem à motivo Religionis ſpecificativo. Hæ proinde formalitates ſunt quidem *ſpecificè* diſtinctivæ prædictorum Religionis actuum, ut tamen nequeant, niſi unicam fundare Religionis virtutem; eo ipſo, quòd non habeant rationem *Primarij* motivi, utpote non niſi *dependenter* ab alterius, Religionem quà virtutem ſpecificantis motivi concurſu valentis *Finaliter* movere, ac Finalizare actum ex ſe ſpecificatum.

26. In quo adeò duplicis alterius *ſecundarij* tali medio inexiſtentis, alterius *Primarij* Fini inexiſtentis motivi concurſu ita ſe res habet, ut Religionis intra ejuſdem virtutis ſpeciem atomam *ſpecificè* differentes actus ſuam differentiam ſpecificam ex medij intrinſecâ honeſtate, rationem verò genericam ex Finis objectivâ Bonitate deſumant, nec adeò Finis reſpectu talis actûs poſſit conſiderari ut circumſtans, ſed ut ſubſtantialis: ſiquidem ratio generica ſecundùm nullam præciſionem intelligi poſſit, quà *prædicabiliter* accidentaria ſpeciei.

27. Tertio denique modo Circumſtantiæ *mereDiſparatè* ad invicem ſe habentes fundant in uno *realiter* indiviſibili ac ſimplici actu Formalitates, ſecundùm præciſionem objectivam eatenus ſeparabiles, ut una poſſit ad alteram comparari per modum accidentis prædicabilis, *ut ſuperiùs expoſitum eſt*. Conſtat igitur, qualiter Bonitas ex circumſtantijs petita intelligi poſſit *prædicabiliter* accidentaria, licèt actui prout *Exercitè* ſit à voluntate *phyſicè* ac *moraliter* conſiderato ſit ſubſtantialis, ſeu Eſſentialis.

❋❋❋❋❋❋❋❋❋)(❋❋❋❋❋❋❋❋

CONTROVERSIA VII.

Quale requiratur voluntarium, ut ex circumſtantijs aliqua in actum moralem transfundatur Bonitas?

NOn procedit difficultas de Circumſtantijs tranſcendentalibus: de his enim *ſupra cont. 4.* egimus, ſed de circumſtantijs ſpeciem dantibus: quarum porro aliam eſſe habendam rationem reſpectu Bonitatis, aliam verò reſpectu malitiæ moralis, patebit *ex ſequentibus*. 1.

Referuntur Sententiæ.

MEdina *præs. q. 18. a. 9. concl. 5.* exiſtimat, ut operatio ſit ſtudioſa, ſeu *moraliter* bona, non requiri; quòd referatur *Formaliter* & *diſtinctè* in Bonum honeſtum ac Laudabile, ſiquidem is, qui pietate naturali ductus confert eleemoſynam, licèt boni honeſti non meminerit, bonum opus operetur. Hinc Amicus *cit. diſp. 14. n. 23.* præallegatum Medinam recenſet inter Authores, qui docent, ad actum Moraliter bonum ſufficere voluntarium Virtuale ac interpretativum de honeſtate objecti. Fundamentum eſt. Quia objectum pravum æquè ac Honeſtum 2.

neſtum eſt actûs ſpecificativum. At objectum pravum ſpecificando actum moralem, transfundit in iſtum malitiam moralem alicujus circumſtantiæ, etiamſi hæc non ſit *Directè* volita. Cur ergo non idem proportionaliter eſſet dicendum de objectoHoneſto,maximè cùm pauciſſimi alioquin exercerentur actus *moraliter* boni, præſertim ab Idiotis & rudibus,qui Formalitates Honeſtatis ſpecificas non intendunt *ſignatè*, ſed *exercitè* duntaxat.

3. Vaſquez *præs. diſp. 51. cap. 3.* cum alijs à ſe relatis tenet, ut actus ſit virtuoſus, debere objectum eſſe volitum propter ipſam Honeſtatem Virtutis tanquàm propter Finem operantis, ita ut, ſi quis ex motivo, & intentione, ſeu imperio Finis alterius virtutis faciat opus, talis actus non ſit virtutis imperatæ, ſed imperantis, adeò ut tolerans Martyrium ex motivo & imperio Charitatis, faciat actum, qui *ſolùm materialiter* ſit Fortitudinis, *Formaliter* autem ſit opus Charitatis.

Fundamentum eſt. Nam ut opus aliquod ſit ſtudioſum alicujus virtutis, oportet,ut fiat à ſciente, & propter ipſum, hoc eſt propter Honeſtatem virtutis: alioquin ſi quis operetur opus virtutis unius, v. g. Juſtitiæ, allectus bonitate delectabilis, aut alterius virtutis, facit juſtum, ſed non juſtè.

4. Joannes à Sancto Thomâ *præs. q. 10. a. 1. n. 65.* exiſtimat,ad actum bonum &honueſtm non ſufficere, quòd honeſtas objecti *ſolùm Concomitanter*, aut *Indirectè* ſit attacta, ſed *immediatè* ac *per ſe*: nec tamen requiri, quòd objecti honeſtas ſit motivum, & Finis ex parte etiam operantis, ſed ſatis eſſe, ſi ſit motivum & Finis ipſius operis, etiamſi ex alio motivo priori imperante moveatur ipſe operans ad volendum tale objectum.

Fundamentum eſt. Quia Bonitas &Honeſtas actûs ſpecificatur ex objecto Formali, ceu motivo tanquam ex causâ Formali extrinſecâ. At id, quod habet rationem objecti, non poteſt in alio volitum eſſe, ſed in ſe ipſo. Ergo Honeſtas & Bonitas actûs moralis nequit ſpecificari niſi ex hoc, quod in ſe, atque adeò *Directè*, non verò *Indirectè* duntaxat in alio eſt volitum per modum objecti motivi. Atqui ſpecificatio Honeſtatis Formalis in actu morali eſt *Formaliter* ex honeſtate objectivâ. Ergo niſi iſta objecti Honeſtas ſit in ſe ipsâ *Directè* volita, tanquàm Motivum Formale, nequit ex ipsâ in actum transfundi aliqua Bonitas moralis. At eo ipſo, quòd Bonitatis moralis ſpecificatio ſit ex objecto, ſequitur; id, quod non ſe habet per modum objecti, impertinenter ſe habere, neque conducere ad ſpecificationem. At eſſe Finem operantis, aut imperantis, non eſt ratio objecti, neque ratio Cauſæ Formalis extrinſecæ, ſed Cauſæ Finalis. Ergo hæc non eſt neceſſaria ad ſpecificandum actum bonum in ratione honeſti & boni: dummodò objectum honeſtum ſit.

CONCLUSIO.

SPecifica circumſtantiarum Bonitas non transfunditur in actum moralem, niſi tranſeat in Formalem objecti conditionem, ſitque adeò *per ſe Directè* ac *Formaliter* intenta, non quidem per modum Finis Operantis, ſed Operis.

5. Probatur. In hoc enim Formalis Bonitas ſeu honeſtas actionis humanæ differt à morali malitiâ, quòd iſta importet debitæ rectitudinis privationem reſultantem ex actûs moralis ad objectum rectæ rationi difforme terminati intrinſecâ entitate, ut ſic habente rationem malitiæ fundamentalis, ſeu radicalis: econtra illa ſit ipſa Entitas ac Eſſentia ſpecifica actûs. Atqui actûs voluntatis Eſſentia ſpecifica ſita eſt in intrinſecâ ad objectum ſuum Formale commenſuratione. Quæ proinde commenſuratio actui morali intrinſeca *Formaliter in primo modo Dicendi per ſe*; objectum verò Formale *in Quarto Dicendi modo per ſe* eſt ſpecificativũ actionis moralis à voluntate elicitæ. Atqui per ſe manifeſtum eſt, quod actûs objectum Formale ſit *per ſe Directè* intentum, ſeu volitum. Nequit autem Bonitas Formalis in actu morali intelligi, niſi quà ſpecificata ex Honeſtate objectivâ. Cum igitur iſta ſpecificatio ſit ex Honeſtate objectivâ tanquam objecto Formali actionis *Moraliter* bonæ à voluntate elicitæ: nequeat autem objectum Formale eſſe ſpecificativum, niſi quà *Formaliter* terminativum habitudinis actui ad tale objectum terminato intrinſecæ ac Eſſentialis: ejuſmodi verò habitudo *per ſe primò* ſit attingens objectum ſuum Formale, conſequens eſt, in actu aliquo morali non eſſe intelligibilem Honeſtatem, ſeu Bonitatem Formalem, niſi objecti Honeſtas actionis ejuſmodi ſpecificativa ſit *per ſe Directè* volita, ſeu intenta.

6. Dices. Eo ipſo, quòd objectum aliquod ſit *per ſe* intentum, ſe habere per modum Finis, non autem per modum medij. Unde videri conſequens, ſi quis intendat Martyrium, ut medium Fini Charitatis proportionatum, tunc iſtam intentionem non ſpecificari ex honeſtate propriâ Martyrij, utpote medij rationem tunc ſubeunte, ſed ex Fine Charitatis; atque adeò talem intentionem habere Bonitatem moralem virtutis duntaxat Charitatis, non autem ſpecificam Fortitudinis. Hinc autem fieri conſequens, quòd Honeſtas moralis in actu humano non ſpecificetur ex objecto, niſi quà Fine operantis.

7. Contra. Nam verum quidem eſt, quòd objectum per ſe ac propter ſe intentum habeat rationem Finis. At verò alia ratio eſt Finis ſive *ſimpliciter*, ſive *ſecundum quid* ac *Negativè* ultimi, alia intermedij. Eſt autem Finis in lineâ virtutis *ſecundùm Quid* ac *Negativè* ultimus, qui ex intentione operantis *Formaliter* ac *Explicitè* non refertur ad Finem ulteriorem, ſed *Virtualiter* duntaxat ac *Implicitè*: Finis verò intermedius intra lineam virtutis eſt, qui eatenus habet in ſe *Intrinſecè* participatam Honeſtatem objectivam, per ſe ac propter ſe expetibilem, ut hæc ipſa tamen per ſe appetibilitas habeat *Tranſcendentaliter* imbibitam Formalitatem alicujus ad ulteriorem Finem conducibilitatis, ſeu utilitatis ad elevatioris puritatis Honeſtatem, propter quam ut ſic expetibilis ſit. Unde talis honeſtas reſpectu ejuſdem actûs, *diverſo* tamen *reſpectu*, habet rationem tam Finis, quam medij, rectèque adeò vocatur Finis intermedius.

8. Atqui illa Honeſtati virtuoſæ *Tranſcendentaliter* intrinſeca ad perfectiorem Honeſtatis puritatem ordinabilitas alia eſt quaſi obedien-

obedientialis, ex voluntate primùm determinabilis, veluti omnium virtutum moralium motiva, licèt se solis sufficiant ad virtutis actum *Motive* ac *Finaliter* terminandum, sunt tamen ex determinatione voluntatis ordinabilia ad Finem quoque Charitatis. Alia verò Honestatis ordinabilitas est quasi connaturalis ab intrinseco determinata ad elevatioris Honestatis Finem: cujusmodi sunt specificæ Voti & juramenti Formalitates objectivæ, actuum vovendi, & jurandi eatenus specificativæ, ac distinctivæ, atque ut sic *per se* Terminativæ, ut tamen non se solis, sed sub influxu & concursu altioris ac elevatioris motivi Religionis qua virtutis specificativi, possint *per se Formaliter* terminare ac *Finaliter* movere moralem, seu virtuosum voluntatis actum. Ex quâ proinde duplicis Honestati convenientis in elevatiorem virtutis puritatem ordinabilitatis differentiâ oritur, ut Finis, ex cujus influxu & concursu intrinseca medij Honestas, utpote de se non sufficiens ad *Finaliter* movendum, *per se* dependet, dicatur Finis *Operis*, quem scilicet illud, intermedij quoque Finis rationem habens, medium ex naturâ suâ respiciat; cum econtra Finis, ad quem Finis intermedius non ab intrinseco, sed ex imperio, vel electione voluntatis determinatur, dici soleat Finis *Operantis*, veluti patet in eo, qui Martyrij Honestatem refert in Finem Charitatis, illa enim Honestas *per se* appetibilis eatenus habet rationem Finis intermedij, ut voluntas de Martyrio ob Finem Charitatis subeundo non *præcisè* ex isto Fine moveatur, sed ex ipsa etiam Martyrij honestate.

9. At eo ipso, quòd objectum à voluntate attingatur sub ratione Finis, sequitur, voluntatis actum *per se* ac *Directè* ferri in tale objectum, atque ex hujus objectivâ Honestate *specificative* contrahere moralem Bonitatem. Unde fit etiam consequens, illam martyrij ex Charitatis motivo intentionem *Directè* ac *per se* attingere tam Martyrij Honestatem, ceu Finem *Operis*, quàm Charitatis motivum, ceu Finem *Operantis*: atque adeò contrahere Bonitatem moralem & Fortitudinis, & Charitatis. Patet igitur, Honestatem moralem in actu voluntatis non specificari præcisè ex Fine *Operantis*, sed etiam ex Fine *Operis*, quem eo ipso, quòd habeat rationem Finis saltem intermedij, oportere *per se* ac *propter se* esse a voluntatis actu attactum, tanquam motivum respectu talis actûs saltem inadæquatum & partiale.

Responsio ad opposita Fundamenta.

10. AD *n. 2.* oppositum Respondetur. Sicuti objectum Honestum sub Formali Honestatis ratione est specificativum actûs *Moraliter* boni, sic objectum pravum non sub Formali, sed Fundamentali & radicali malitiei ratione esse specificativum actûs *Moraliter* mali. At istam Fundamentalem & radicalem objecti malitiam in eo se tenere, quòd objectum in hisce circumstantijs sub ratione Delectabilitatis seu commoditatis *Finaliter* attractivæ, voluntati repræsentatum, tum ratione sui, tum ratione alicujus Circumstantiæ præseferat quandam cum rectâ ratione difformitatem, quam oporteat eo ipso derivari in actum, quòd illa objecti Delectabilitas, seu commoditas sub hisce circumstantijs difformitatem ejusmodi in se fundans, sit talis actûs *Finaliter* motiva, atque adeo specificativa.

Quare hoc inter actum *Moraliter* bonum & ma- 11.
lum discrimin esse, quod actus *Moraliter* bonus, tam quoad Entitatis suæ Essentiam, quam quoad Bonitatis moralis Formalitatem, utpote ab illâ indistinctam, specificetur ab objectivâ Honestate, atque adeo illa debeat per ipsammet actûs Essentiam *per se Formaliter* esse attacta, cùm econtra actus *Moraliter* malus quoad Entitatem suam, seu malitiæ moralis radicem specificetur ex præcisâ objecti allectivâ Delectabilitate, seu commoditate, ad quam sicuti in objecto malities objectiva, sic consequenter in actu malitia Formalis sit consequens, per modum proprietatis in lineâ morali hic & nunc saltem inseparabilis.

At eo ipso, quòd malitia moralis tum For- 12.
malis ad actum, tum objectiva ad objectum se habeat *solum consecutivè*, per modum proprietatis, non oportere, ipsam in se ipsâ esse attactam *Formaliter* per ipsammet actûs entitatem, sed sufficere, quòd attingatur objecti Delectabilitas, ex se ipsâ profundens malitiam objectivam, atque ut sic *Consecutivè* transfundens in actum ejusmodi objecti prosecutivum. Econtra verò, quia 13.
moralis Bonitas est ipsa actûs virtuosi Entitas, ut sic ex objectivâ Honestate tanquàm suo Formali ac Finalizativo motivo specificata, oportere, talem objectivam Honestatem *Directè* attingi ab ipsâmet Essentiali actûs *per se* specificati Entitate. Quare non *simpliciter*, sed *pro-*
portionaliter duntaxat ex actûs boni per objectum 14.
specificatione licere argumentari ad actûs *Moraliter* pravi ex suo objecto specificationem, siquidem actûs moralis malitia non ad instar Bonitatis moralis *per se Formaliter* ac *Directè*, sed *Consecutivè* tantùm seu *indirectè* specificetur ex objecto, atque adeò oporteat, Honestatem objecti quà moralis Bonitatis specificativam *per se directè*, malitiam verò objectivam qua actûs moraliter mali specificativam *solum indirectè* esse volitam.

Ad Vasquezij *n.3.* oppositum Respondetur. 15.
Verum quidem esse, quòd nullum sit studiosum virtutis opus, nisi a sciente fiat propter ipsam virtutis honestatem, attamen non oportere, istam honestatem se habere, ut Finem *Operantis*, ac Ultimum, respectu talis operationis, seu intentionis, sed sufficere, quòd habeat se ut Finis *Operis*, ac intermedius, ut adeò Martyrij ob Finem Charitatis intentio participet utramque tam Fortitudinis, quàm Charitatis moralem Bonitatem. Quam porro Charitatis Bonitatem posse dupliciter derivari in Martyrij actum; *Elicitive* scilicet, quatenus una eademque actio fertur simul in Honestatem Fortitudinis, tanquàm Finem intermedium, & Charitatis motivum tanquam Finem respectu talis intentionis ultimum: vel *Imperativè*, quatenus ex imperio actûs Charitatis promanat opus martyrij, seu Fortitudinis.
Unde sub utroque isto Martyrij subeundi mo- 16.
do dici posse, quòd Martyrium habeat specificam non charitatis duntaxat, sed etiam Fortitudinis moralem Bonitatem, cum eo tamen discrimine, ut sub priori modo voluntas Martyrij *intrinsecè* participet Bonitatem Charitatis tanquam differentiam suam specificam, Formalitate

litate Fortitudinis per modum rationis genericæ se habente ad istam *quasi Materialiter*, instar partis potentialis: sub modo autem posteriori
16. voluntas Martyrij subeundi *solùm Extrinsecè* & *accidentaliter* participet Bonitatem moralem Charitatis, Formalitate Fortitudinis se habente ad eam per modum Materialis per ipsam *Extrinsecè* denominabilis.

17. Ad Ioannis à Sancto Thomâ *n. 4.* deductum Fundamentum Respondetur. In eo displicere, quòd indefinitè asserat, Finem *Operantis* se habere impertinenter ad actûs moralis specificationem. Nam Finis non ex naturâ rei, sed ex ultimatâ operantis intentione connexus cum objecto, quandoque appetitur per ipsummet objecti prosecutivum actum, quandoque verò appetitur per actum ab actione objecti prosecutivâ distinctum, seu imperativum. Etsi proinde in isto posteriori casu Finis operantis impertinenter utpote solùm Extrinsecè se habeat ad specificationem actûs moralis secundùm substantiam suam spectati. In casu tamen posteriori Finis etiam operantis est in Quarto perseitatis modo *Formaliter* specificativus actionis moralis.

❊❊❊❊❊❊❊❊❊❊❊❊❊❊❊❊❊❊

CONTROVERSIA VIII.

Quale requiratur voluntarium ad malitiam ex circumstantijs transfundendam in actum moralem?

1. CAjetanus *1. 2. q. 73. a. 9. §. Ad quorum evidentiam.* inter voluntarium *absolutè* sumptum, & voluntarium specificativum eatenus distinguit, ut asserat, objectum, sive circumstantiam non esse actûs moralis etiam mali specificativam, nisi *per se* ac *directè* sit volita; veluti pateat ex peccati a Deo aversione, quæ sit quidem voluntaria, non tamen specificativa actûs moraliter mali.

Fundamentum est. Quod enim est *per accidens*, est extra speciem. Unde non est specificativum actus moralis, nisi quod ad istum in ratione objecti se habet *per se*. At in id, quod est objectum *per se* & *Formaliter*, actus tendit *directè*. Ergo ad hoc, ut objectum specificet actum, oportet, quòd sit *Formaliter per se*, ac *directè* intentum.

2. Vasquez *1. 2. disp. 101. cap. 5. & 6. cit. disp. 14. n. 182.* & alij ad præsens institutum distinguunt duplex peccatorum genus, alterum eorum, quorum malitia *primario* consummatur in actu externo, ex quo *secundariò* derivatur in actum internum, veluti sunt homicidium, furtum, adulterium, blasphemia, ac huiusmodi: alterum eorum, quorum malitia *primariò* consummatur in actu interno, & à quo *secundariò* derivatur in externum, uti sunt odium, invidia, inobedientia, scandalum, ingratitudo. Quâ proinde distinctione suppositâ, asserunt: prioris generis peccata specificam malitiam desumere ex objecto & circumstantijs etiam *Indirectè* & *Interpretativè* volitis; adeò ut sive quis scienter, sive ignoranter, ignorantiâ culpabili tam juris, sive naturalis, sive positivi, quàm facti, aliquid ex his committerit, per se illius malitiam specificam contrahat, eo quod tota eorum malitia consistat in ipso opere externo, quod sive scienter, sive ignoranter culpabiliter terminet actum voluntatis, semper sit terminans illum sub eâdem ratione delectabilitatis, ex quâ consurgat malitia peccati in actu. Econtra posterioris generis peccata specificam malitiam non nisi ex objecto & Circumstantijs expressè volitis desumere, eò quòd malitia eorum consequatur ex interno affectu voluntatis, & per diversum voluntarium indirectum & interpretativum varietur internus affectus voluntatis, ut consequenter ex tali variatione debeat etiam variari specifica peccati malitia, utpote ex tali affectu dependens. 3.

Fundamentum ab Amico citato *n. 184.* deductum est. Ideo peccata, quorum malitia consummatur in affectu interno, non contrahunt malitiam ex circumstantijs, nisi ut expressè intentis, quia malitia talium non desumitur ex solo objecto, sed etiam ex modo tendendi in objectum: veluti constat in peccatis odij, specialis inobedientiæ, ac similium; ejusmodi enim peccatû eodem objecto & circumstantijs remanentibus, ac variato tantùm modo tendendi de indirecto & interpretativo in directum & expressum Essentialiter variatur. At modus tendendi in objectum Essentialiter variatur per voluntarium interpretativum & expressum. Minor probatur. Voluntarium enim expressum & Directum in illis peccatis induit novam deformitatem *Essentialiter* diversam ab eâ, quam induit Voluntarium interpretativum: siquidem inducat vel formalem contemptum præcepti, aut Beneficij, velut in peccato inobedientiæ, & ingratitudinis, vel formalem displicentiam personæ, velut in odio, invidiâ, & scandalo. Ejusmodi verò Formalis contemptus præcepti, vel displicentia Personæ non est in voluntario interpretativo & indirecto, siquidem hic non tendat in contemptum, vel malum personæ, seu in res ipsas prohibitas. Constat proinde, peccata, quæ interiori actu *primariè* consummantur, quæque ex modo tendendi in objectum *Essentialiter* variantur, specie differre ex voluntario Directo, & indirecto. Secùs verò est in reliquis peccatis, quorum malitia in actu externo *primariè* se habens, desumitur ex objecto & circumstantijs, non verò ex modo tendendi in illas: in ejusmodi enim peccatis, etiamsi varietur modus tendendi in objectum ex indirecto & interpretativo in Directum & Expressum; non variatur *Essentialiter* malitia peccati. 4. 5.

Probatur istud assumptum. Si enim quis furetur, eadem stabit malitia injustitiæ, sive *interpretativè* sive *Expressè* intendatur: cùm econtra malitia diversificetur, si fiat ex odio in proximum, tunc enim ex modo tendendi superadditur displicentia personæ. Similiter frangens jejunium committit eandem malitiæ speciem, sive *directè*, sive *indirectè* volita sit violatio jejunij: si verò superaddatur contemptus præcepti, ex voluntario directo contrahitur nova peccati species. Consequens igitur est, peccata posterioris, non autem prioris generis diversificari *Essentialiter* ex voluntario Directo, & Indirecto. 6.

Joannes à Sancto Thomâ *cit. disp. 10. a. 1. n. 88.* suppositâ communi sententiâ Doctorum existimantium, quòd, ut circumstantia mala transeat in conditionem objecti, vel ut objectum communicet actui malitiam, sufficiat *Concomitanter*, 7.

aut

sive *Indirectè* esse volitam malitiam, aut non recusatam. Exinde *n. 16. ac seq.* docet: istam doctrinam etiam in scandalo procedere, non obstante suo Angelico Doctore *2.2. q 43. a.3. præsertim ad 3.* ubi asserit, speciale scandali peccatum non incurri, nisi quando *directè* ac *expressè* intenditur ruina proximi.

Fundamentum ab authore *citato* deductum est. Nam in peccato scandali aliud est, quòd *per se* sit scandalum, seu habeat malitiá scandali: aliud est, quòd scandalú sit speciale peccatum. At prius evenit, quoties peccatum est publicum, tali enim peccato *per se* annexum est scandalum inde consecutum, habetque tale scandalum de se malitiam sufficientem ad dandam speciem. ex Sancto Thomâ *cit. q. 43. a. 1. ad. 4.* Nihilominùs quia talis circumstantia scandali supponit peccatum illud in suâ specie jam constitutum; siquidem peccatum publicum etiam antecedenter ad publicitatem habeat peccati speciem; ideo non dicitur
8. speciale peccatum Scandali. Probatur istud assumptum. Nam ut scandalum sit speciale peccatum, oportet, ut *per se primò* & *Essentialiter* constituatur in specie scandali, sitque adeò ista scandali malitia in actu non supponente in se aliam priorem scandali speciem. Hoc autem solùm potest inveniri in actu interiori, siquidem peccatum exterius non possit esse scandalum, nisi sit publicum, atque adeò supponat peccati adjunctam publicitatem, ex quâ sequatur scandalum. Atqui actus interior non accipit speciem scandali *per se primò* & ante aliam peccati speciem, nisi sit intentum. Nequit autem aliquid, nisi *Directè*, intendi tanquam Finis. Consequens proinde est, scandalum, seu spiritualem proximi ruinam, nisi *Directè* intendatur, non esse speciale peccatum scandali, id est, non habere primam & Essentialem speciem scandali. Quamvis ergo scandalum non possit habere primam & Essentialem malitiam scandali, nisi sit *Directè* intentum, attamen ut peccatum habeat Formalem scandali malitiam ex circumstantiâ publicitatis ortam, non requiritur, esse *per se directè* intentum.

CONCLUSIO.

VOluntarium Indirectum & Interpretativum eatenus sufficit ad malitiam ex circumstantijs derivandam in actum moralem, ut diversus per voluntarium Directum & Indirectum tendendi modus in peccatis interno actu consummatis, non sit *per se* specificativus, sed tantùm *per accidens*, quoad motivi de se specificativi applicationem.

9. Probatur. Nam malitia moralis objecti etiam *Directè* volita non se habet ut motivum Formale, sed ut objectum duntaxat materiale. Atqui objectum materiale non est specificativum, sed hoc munus specificandi convenit dun-
10. taxat Motivo, seu objecto Formali. Major probatur. Nequit enim malum, nisi sub ratione alicujus cum supposito seu subjecto convenientiæ, terminare actum prosecutionis. Unde spiritualis ruina proximi, seu malitia scandali sub Formali malitiæ, seu moralis cum homine quà rationali disconvenientiæ ratione non est terminativa intentionis voluntatis, nisi quandam ex subjecti dispositione rationem Boni superinduat. quæ ut sic sit Formale actûs voluntatis Motivum, malitiâ illâ moraliter se habente solùm *Materialiter*, seu *purè Terminativè*. Unde fit, quòd objectiva moralis malitia extremis duntaxat derivetur in actum, vel quatenus per modum objecti materialis, sub aliquâ Boni ratione specie tanquam motivo Formali, *Directè* intenditur, vel quatenus Bonitas aliqualis Delectabilitatis, seu commoditatis, & convenientiæ naturalis in se, sive ab intrinseco secundum Essentiam propriam, sive ab Extrinseco quoad circumstantias secum connexas aliquam moralem malitiam fundans, per rationem repræsentata, est volita per actum liberum voluntatis. At eo ipso, quòd Motivum Formale duntaxat, non autem objectum materiale sit specificativum, nequit malitia moralis objectiva etiam *Directè* volita specificare actum voluntatis secundum intrinsecam suam Entitatem spectatum, tametsi in hunc *quasi Consecutivè* derivare possit moralem malitiam.
Probatur istud assumptum. Nam malitia moralis objectiva aliquam Boni speciem tanquam Motivum voluntatis Finaliter attractivum superinduendo, habilitatur quidem, ut possit *Directè* volita esse, per modum tamen objecti materialis, Formale actûs *Moraliter* mali Motivum in se quasi recipientis, & ut sic ad voluntatem applicantis. Ex quo etiam fit, quòd tale motivum Formale cum objectivâ malitia, tanquàm objecto materiali connexum specificando actum moralem, in hujus intrinsecâ Entitate *in Quarto perseitatis modo* determinet fundamentalem malitiam moralem, ex quâ per modum proprietatis & passionis *Connaturaliter* consequatur actûs malitia Formalis: sicuti etiam ex eo, quod alicujus moralis actûs Motivum, seu objectum Formale habeat annexam aliquam circumstantiam rectæ rationi hic & nunc dissonam, non nisi *Indirectè* seu *Interpretativè* volitam, transfunditur in talem actum specificatio, in suâ Essentiâ eatenus includens fundamentalem moralem malitiam, ut ex istâ ceu radice per modum proprietatis sit inevitabiliter emanans Formalis in debitæ rectitudinis privatione consistens malitia. 11.

Hinc autem patet, quòd objectiva moralis malitia, sive *Directè* sive *Indirectè* sit volita, in actum moralem non transfundat suam malitiam nisi *Consecutivè*, quatenus talis actûs Motivum Formale ex sui ad objectivam malitiam connexione est in actione ejusmodi specificativum Entitatis, quæ ut sic malitiei moralis ex se, ad instar proprietatis, inevitabiliter pullulantis sit radix & 12.
fundamentum. At ex hoc rursus infertur, quòd diversus per voluntarium Directum & Indirectum tendendi in objectum modus non sit actionis quoad malitiam moralem *per se* specificativus, licèt quandoque per voluntarium Directum applicari possit Motivum aliquod, specialem in se malitiam fundans, cujusmodi motivum non sit applicabile per voluntarium indirectum. Ex hoc autem denuò evincitur, quòd talis per voluntarium Directum tendendi modus non nisi *per accidens*, ratione scilicet motivi per ipsum applicati sit tribuens diversam speciem. Absolutè igitur dicendum est, moralis malitiei specificationem non pendere nisi ex ob- 14.

jecto, ſeu circumſtantijs objecti conditionem intrantibus, neque ex præciſà voluntarij Directi & Indirecti diverſitate *ſpecifice* diverſificari actûs moralis malitiam, niſi *per accidens*, ex ſpecialis quandoque motivi ſeu objecti per voluntarium Directum applicatione.

15. Confirmatur. Nam *primò* ſpeciale peccatum inobedientiæ non incurritur, niſi ex directâ non obediendi voluntate. At iſta ſpecifica inobedientiæ Formalis malitia per hoc diſtinguitur ab inobedientiâ Tranſcendentali, quòd hujus malitia objectiva ſit concreta cum omni objecto quà rectæ per legem aliquam ſaltem æternam regulatæ rationi diſſentaneo. Econtra verò inobedientiæ ſpecialis objectiva malitia ſecundùm ſe ſub propriæ ſuæ Formalitatis ratione, ſit actûs moralis Terminativa, non quidem per modum objecti Formalis, ſed Materialis *Directè* tamen voliti. At verò ſicuti ratio Entis quà cum differentijs ſpecificis Tranſcendentaliter concretâ fundat alium reſpectu actuum Intellectûs objectum ſpecificativum, quàm Formalitas Entis ut ſic præciſè ſpectata: ſic objectiva inobedientiæ in ſe intentæ malitia eſt reſpectu actuum voluntatis diverſa ab inobedientiâ, quà in omni rectæ per legem æternam regulatæ rationi diſſono objecto *Tranſcendentaliter* imbibitâ. 16. Et verò ſicuti, quando intellectus in ſpecificis etiam differentijs *Signatè* tendit ad Entis ut ſic Formalitates & proprietates demonſtrandas, differentiæ ejuſmodi ſpecificæ non niſi *Materialiter* ſe habent ad talem ſpecificam Scibilitatem; ipſa verò Entis ut ſic Formalitas eſt propria Scibilitatis Metaphyſicæ ſpecificativa ratio; ſic ſpecifica inobedientiæ ſpecialis malitia incurritur, quoties in objecto etiam ſpecifico Caſtitati v. g. oppoſito *Signatè* intenditur. Ex quo adeò patet, per hoc, quòd inobedientiæ ſpecialis objectiva malitia ſignatam non obediendi Formalitatem involvens *Directè* intendatur, contrahi quidem malitiam moralem *ſpecificè* diverſam ab inobedientiâ Tranſcendentali, hoc tamen non eſſe *per ſe loquendo* ex diverſo per voluntarium Directum & Indirectum tendendi modo, ſed ex objectorum in genere moris *ſpecificè* differentium Eſſentiali diverſitate, ut adeò voluntarij Directi in objectum tendendi modus non *per ſe*, ſed *quaſi per accidens* inferat ſpecificam in obedientiâ ſpeciali & Tranſcendentali diverſitatem, quòd nimirum per Voluntarium Directum, non autem Indirectum objectiva ſpecialem inobedientiam ſpecificans malitia ſit ad actum moralem taliter ſpecificandum applicabilis.

17. 2. Speciale odium Dei differt ab odio Dei Tranſcendentali in omni mortali culpâ *Tranſcendentaliter* incluſo, quòd in hoc quidem indirecta, in illo verò Directa & expreſſa fiat voluntatis à Deo averſio, imò ſub aliquâ malitiei Formalitate ipſius etiam Dei abominatio, ſeu diſplicentia. At iſta ſpecifica talis à Deo averſionis, & abominationis, ſeu diſplicentiæ malitia ſpecificatur ex ipſo objecto non ſolum *Exercitè* attacto, prout aliquam ad objecta peccaminoſa concretionis relationem habet, ſed prout *Signatè* ſub Formalitatis Deo inexiſtentis ratione, per modum objecti licet materialis duntaxat, in ſe attingitur, cum econtra Tranſcendentalis averſionis, ſeu abominationis, ac diſplicentiæ & odij Dei malitia non *Signatè* tendat in Deum, ſed *Exercitè* duntaxat, ſub aliquâ ad objecti Mortaliter peccaminoſi malitiam concretione. Ejuſmodi verò diverſus attingendi modus arguit variationem non in modis duntaxat tendendi, ſed in ipſis objecti ſub diverſâ Formalitatum abſtractione diverſimodè ſpecificativis. Conſtat igitur, qualiter diverſus per voluntarium Directum & Indirectum tendendi modus ad actuum moralium ſpecificationem non *per ſe primò*, ſed *ſecundariò* ac *per accidens*, ſeu *ſecundario* conducat.

Reſponſio ad oppoſita fundamenta.

AD Cajetani *n. 1.* oppoſitum Reſpondetur. 18.
Verum quidem eſſe, quòd illa duntaxat Formalitas objecti ſit ſpecificativa actûs moralis, quæ ad iſtum ſe habet *per ſe*. At eo ipſo, quòd formalitas aliqua objecti per voluntatem *per ſe* appetibilis & appretiabilis repræſentetur, ſub aliquâ ad moralem, ſive ex propria ſuâ Eſſentiâ, ſive ex Circumſtantijs accidentarijs provenientem malitiam connexione, tunc illam Formalitatem quà à voluntate creatâ *per ſe* appetibilem eſſe ut ſic *in genere moris radicaliter* malam. Unde ex tali Formalitate objecti *per ſe appetibili* eatenus ſpecificari actum moralem, ut in hunc transfundatur fundamentalis & radicalis malitia moralis, ceu intrinſeca actûs ejuſmod Eſſentia, & quidditas. Ex hac vero per modum proprietatis inevitabiliter conſequi Formalem in genere moris malitiam ex circumſtantijs, licet *indirectè* duntaxat volitis, in ipſius tamen objecti conditionem *in genere moris Fundamentaliter ſaltem* 19.
tranſeuntibus ſpecificatam. Quare optimè ſubſiſtere, tum quod Circumſtantiæ actûs moraliter mali ſpecificativæ non debeant eſſe volitæ, niſi *indirectè*, tum quòd actus moraliter mali ſpecificativum eatenus debeat eſſe *Directè* intentum, quatenus ſit fundamentum malitiæ moralis ex Circumſtantijs in objecti conditionem *radicaliter* intrantibus, & in ſe quidem *Indirectè*, *Radicaliter* autem quà in objecti conditione incluſis *Directè* ac *per ſe* volitis derivatæ.

Ad Amici *n. 2. ac ſeq.* oppoſitam doctrinam, 20.
& Fundamentum Reſpondetur. Illo argumento ſolùm probari, quòd diverſus per voluntarium Directum & Indirectum tendendi modus ſolum *per accidens*, applicando diverſimodè Motiva *per ſe* ſpecificativa, poſſit *ſpecificè* diverſificare actus morales.

Ad Joannis à Sancto Thomâ *n. 7.* propoſitam doctrinam & Fundamentum Reſpondetur. 21.
Eo optimè probari, quòd malitia ſcandali ad actum purè interiorem non ſit applicabilis, niſi per voluntarium Directum, cum econtra ad actum publicum applicari poſſit per voluntarium etiam indirectum. Ex hoc autem minimè evinci, quòd diverſus voluntarij Directi & Indirecti in objectum tendendi modus *ſpecificè* diverſificet ſcandali malitiam, nec adeò ſcandalum ex hoc dici ſpeciale, quòd, ſi *Directè* intendatur ruina proximi, iſtius objecti malitia fundet actum ſpecie morali diverſum ab actu, quo *Indirectè* duntaxat intenditur proximi ruina. Quare ſcandalum *Directè* intentum ideo vocari ſpeciale, quòd ejus malitia ſpeciem etiam *Metaphyſicè* primam refundat in actum, cum econtra ſcan-

dalum

dalum *indirectè* intentum supponat aliam specificam in actu malitiam, cui *Metaphysice loquendo*, solùm *per accidens* superveniat scandali malitia Formalis.

CONTROVERSIA IX.

Qualiter actus moraliter bonus exigat conformitatem cum voluntate Divinâ, ac lege aeternâ?

1. Doctor Angelicus *pras. q. 19. a. 10.* insinuat, voluntatem creatam posse conformari cum voluntate Divinâ, tum *Effe-ctivè*, tum *Objectivè* spectatâ. Etsi verò voluntas creata in suis operationibus *quoad Esse Entitatis physicæ*, non autem *quoad morale* operationibus ejusmodi quandoque inexistentis *malitiæ Esse* consideratis, *in actu exercito* semper conformetur Voluntati Divinæ *Effectivè* spectatæ; id est, quà omnis ad extra realitatis effectrici: difficultas tamen est. *Utrùm ex jure ac debito teneatur voluntas creata in actu Signato se conformare voluntati Divinæ quà omnis ad extra realitatis Effectrici, ita ut voluntas debeat id, quod à Deo fit, signatè velle tanquàm effectum ex Deo procedentem?* Quam equidem difficultatē in sequenti corollario dilucidabimus. Quòd si

2. vero voluntas Divina sumatur *objectivè*, pro ipso scilicet objecto per voluntatem Divinam volito, Sanctus Doctor *citatus* distinguit alterum volitum *Materiale*, quod est ipsa res à Deo volita, alterum *Formale*, quod est ratio Boni & motivi, sub quo Deus vult objecta creata. Cùm proinde voluntas Dei *absolutè* sumpta nobis manifestari possit, tum per Dei revelationem, tum per Divinum præceptum, seu prohibitionem, oritur hinc difficultas: *An voluntas etiam extra præceptum teneatur conformari voluntati Divinæ, tum Antecedenti, tum Consequenti in volito non Formali duntaxat, sed etiam Materiali?* De quâ difficultate agemus in præsenti.

Referuntur Sententiæ.

3. Aureolus *in 1. dist. 48. a. 1.* Gregorius *edd. dist. q. 1. concl. 2.* & alij antiquiores tenent; Humanam voluntatem habere obligationem se *positivè* conformandi cum voluntate Divinâ, quoad omnia objecta per ipsam volita. Fundamentum est. Quia lex amicitiæ obligat, ut quidquid unus amicus vult, velit & alter, juxta commune adagium, quo dicitur: *Amicorum esse idem velle & nolle.* Consequens proinde est, quod lex amicitiæ, quæ inter nos & Deum intercedit, nos obliget ad conformandam voluntatem nostram cum Divinâ quoad omnia, quæ ipse vult, voluntate Beneplaciti tam Antecedente, quam Consequente. In quam sententiam Divus Thomas *in 1. dist. 48. q. un. a. 4.* affirmavit; *Quòd, licèt voluntas ut natura & appetitus sensitivus possint refugere id, quod Deus vult, deliberatâ tamen voluntate teneamur conformari Divinæ voluntati in volito.*

4. Divus Bonaventura *in 1. dist. 48. q. ult.* & alij tenent; nos teneri voluntatem nostram cum Divinâ conformare quoad ea, quæ Deus vult voluntate antecedente, sed quoad ea, quæ Deus vult voluntate consequente, scilicet quoad mala pœnæ, debere quidem voluntate rationis ea velle, quatenus scimus Deum ipsa velle, posse tamen voluntate pietatis nolle *Conditionaliter*, si Deo placeret, & quantum est in nobis.

Fundamentum ab illo Sancto Doctore insinuatum est. Nam & ipse Deus, quantum est in se, non vult mala pœnæ. Unde sicut Deus non delectatur in nostris pœnis, sed in agis dicit, *Isaiæ 1. Heu heu consolabor super hostibus meis*; sic & nos dicere possumus. Unde etiam Hugo *in lib. de Voluntatibus Christi* ait de Christo: voluntas Deitatis per justitiam sententiam dictabat: voluntas rationis per obedientiam veritatem approbabat, voluntas pietatis per compassionem in malo suspirabat: voluntas carnis per passionem in malo proprio murmurabat.

5. Divus Thomas *1. 2. q. 19. a. 10.* docet; voluntatem humanam teneri Divinæ conformari voluntati in volito *Formaliter*, non autem *Materialiter*. Fundamentum est. Voluntas enim fertur in objectum quà propositum à ratione. At secundum diversam rationis considerationem aliquid est uno respectu Bonum, quod alio respectu est malum, veluti patet in eo, quòd occisio latronis respectu Judicis Commune Bonum considerantis, sit bona, licèt respectu Uxoris & Filij privatum familiæ Bonum respicientis, sit mala. Est autem voluntas eo ipso *Moraliter* bona, si feratur in objectum, prout secundùm rationem est Bonum, cùm econtra voluntas *Moraliter* sit mala, si feratur in objectum, prout secundùm rationem est malum. At eo ipso, quòd voluntas feratur in Bonum rationis, sequitur, voluntatem rectificari per Bonum tantò magis commune, quantò ratio supposito alicujus conveniens est communior & universalior. Eo ipso autem, quòd Deus sit Universi Factor & Gubernator, sequitur; rationem Divinam eatenus esse Boni Universi sub purissimâ & *Formaliter* abstractissimâ ratione expressivam, ut consequenter DEUS quidquid vult, velit sub ratione Boni communis, suæ scilicet Bonitatis, utpote quæ sit Bonum totius

6. Universi. Econtra verò ratio creaturæ utpote limitata, secundùm naturam suam repræsentat Bonum sub ratione Boni particularis, naturæ ipsius proportionati. At potest aliquid secundùm rationem particularem esse Bonum, quod non sit Bonum secundùm rationem universalem, & èconverso. Hinc autem autem fit, tum quòd voluntas aliqua sit Bona, dum vult aliquid secundùm rationem particularem consideratum, quod tamen Deus secundùm rationem universalem non velit, & èconverso, tum quòd diversæ hominum voluntates circa Bona opposita sub diversis rationibus particularibus versantes possint esse bonæ. At non est recta voluntas hominis bonum aliquod particulare volentis, nisi referat illud in Bonum commune, sicut in Finem: siquidem naturalis appetitus cujuslibet partis ordinetur in Bonum commune Totius. Ex fine autem sumitur quasi Formalis ratio volendi illud, quod ad Finem ordinatur. Unde ut bonum particulare sit rectâ voluntate volitum, oportet, istud esse volitum *Materialiter*, Bonum autem commune Divinum esse volitum *Formaliter*.

Joan-

7. Ioannes à Sancto Thomâ *præs. disp. 11. a. 4. n. 4. & 5.* Ioannes Baptista Gonet *to. 8. disp. 6. a. 2.* ad mentem sui Angelici Doctoris docent *primò*; Conformationem nostræ voluntatis cum Divinâ in Volito Formali esse debitam, cadereque sub obligatione. *Secundò.* Dum voluntas Divina scitur etiam in particulari, vel ex aliquibus effectibus, sive per expressam, aut juxta leges communes, aut in particulari factam revelationem, non teneri nos ei conformare in volito materiali, voluntate etiam deliberativâ, nisi ponatur præceptum de conformando & volendo tale objectum.

8. Fundamentum primi est. Quia in quâcunque re Deus vult id, quod decet suam Bonitatem, quodque ordinatur ad ipsum, ejusque Gloriam tanquàm ad Finem. Ejusmodi verò Bonitatis Divinæ condecentia, & ad Dei Gloriam ordinatio est Voluntatis Divinæ volitum Formale. At quamcunque rem velimus, tenemur eam velle propter Finem honestum, & cum subordinatione ad Deum, juxta illud Apostoli præceptum, *Omnia in gloriam Dei facite.* Consequens igitur est, in omni volito teneri nos conformare Volito Divino Formali, id est Motivo, & rationi Formali, sub quâ Deus vult: quamvis, cùm ista obligatio sit generalissima, scilicet operandi honeste, & virtuosè, & ex Fine honesto, non requiratur, quod expressè sit volita, asse volitam cogitando de Volito formali Dei, ac de ejus Motivo; sed sufficiat *Implicite* volitam esse, prout objecta & Fines honesti virtutum voliti sunt proloco & tempore, quo obligant.

9. Fundamentum secundi est. Non enim tenemur conformari & velle omnem rem, prout factam à Deo, etiamsi sciamus ab ipso factam in particulari, quia scimus à Deo factas omnes res nobis molestas, & nocivas; v. g. Venenum, ægritudinem, combustionem ignis, muscas, pulices: Neque verò tenemur omnia ista velle, eò quòd sint facta à Deo. At res non est facta à Deo nisi per voluntatem Dei, & in quantum est facta, est à Deo volita, ita ut factum esse sit ipsa voluntatis Divinæ executio. Sicut ergo non tenemur rebus quà à Deo factis, sic neque qua volitis conformari, ea volendo; si enim non obstet efficientia Dei, ut teneamur res quà factas velle, neque obstabit volitio, siquidem executio & Efficientia Dei non minùs justa sit, quam volitio.

CONCLUSIO.

EO ipso, quod nunquàm liceat discordare à lege æternâ, sequitur, in omni actione morali teneri nos *virtualiter saltem* conformare Voluntati Divinæ, non quidem in Volito Materiali, sed Formali.

10. Probatur. Sicut enim Essentia Divina per sui intelligibilem expressionem omnes Essentias ad extra creabiles ex se ipsâ Intelligibiliter & Exemplabiliter profundens, habet rationem Ideæ universalis, sic eadem Divina Essentia per suæ Sanctitatis purissimæ expressionem Intelligibilem quà omnis moralis ad extra effectibilis Honestatis Intelligibiliter expressiva & formativa, habet rationem legis æternæ. At verò sicuti Voluntas Divina *in genere physico* effectum aliquem creatum ad extra decernendo, eatenus conformatur suæ Divinæ Ideæ, ut ipsa Essentiæ Divinæ intrinseca imitabilitas, atque adeò Bonitas sit unicè volitum Formale, Voluntatis Divinæ Motivum & Finalizativum, sic eadem Divina voluntas *in genere moris* decernendo honestatem moralem, eatenus conformatur legi æternæ, ut purissimæ Divinæ in se *Intelligibiliter* expressæ Essentiæ sanctitas sit volitum Formale, Divinæ voluntatis *Formaliter* Motivum. Unde sicuti *in genere physico* non est excogitabilis ulla creata Formalitas, quæ non *intrinsecè* sit ordinata ad Divinæ Essentiæ Bonitatem manifestandam tanquam sui Ideam & Finem atque adeò tum Intellectûs, tum voluntatis Divinæ Formale motivum & objectum, sic *in genere morali* non est assignabilis aliqua honestas participata, quin *Essentialiter* reduci debeat in purissimam Dei Sanctitatem, tanquàm primam legis æternæ rationem & Voluntatis Divinæ Volitum Formale. At eo ipso, quod omnis creata ad extra participabilis honestas sit Finalizata ex purissimâ Dei sanctitate tanquam primâ legis æternæ ratione, & voluntatis Divinæ Volito Formali, sequitur; non esse intelligibilem moralem honestatem, nisi cum Essentiali ad Volitum Dei Formale habitudine. In hac ipsa verò habitudine eatenus inest *Virtualiter* Volitum Dei Formale, quatenus est effectus *Finalizativè* & *Exemplativè* causatus ex purissimâ Dei Sanctitate, tanquam volito Dei Formali. Unde non est in illâ morali actione intelligibilis honestas creata, nisi qua conformis Volito Formali Divinæ voluntatis. At in omni actione morali tenemur honeste agere, ut sic concordemus cum lege æternâ, Honestatis moralis perfectionem *intelligibiliter* exprimente per positivum ipsius ex purissimâ Sanctitate Divina Exemplabilitatis assensum, econtra verò moralis imperfectionis Delectabilitatem *intelligibiliter* exprimente per negativum ipsius ex eâdem Dei Sanctitate imitabilitatis dissensum. Constat igitur, ex eo, quòd habeamus obligationem in omni morali actione per honestatis perfectionem concordandi cum lege æternâ, consequenter teneri, in omni actu morali nos Divinæ voluntati conformare in volito Formali, non autem Materiali. 11.

12. Probatur illud assumptum. Nam volitum Dei materiale est perfectionis suæ Divinæ participatio creata, ut sic immersa potentialitati, atque adeo materialitati. Ejusmodi autē potentialitatis immersio eatenus fundat differentias specificas in se ipsis *Essentialiter* limitatas, & ut sic Syncategorematicè in infinitum multiplicabiles, ut in singulis tamē Honestatis moralis creatis participationibus non resplendeat nisi imperfecta & inadæquata, seu analogica Sanctitatis Divinæ Exemplabilitas. Etsi proinde in omni actu moraliter Honesto sit quædam Virtualis cum Formali voluntatis Divinæ Volito conformabilitas, eo ipso tamen, quòd ista conformabilitas sit inadæquata, potest voluntas creata eâ negligendo, se convertere ad aliam *Disparatè* repugnantem honestatem, in quâ etiam reperiatur quædam cum Volito Dei Formali inadæquata conformabilitas. Nisi ergo aliquod Dei Volitum materiale sit præceptum, tunc, licèt voluntas creata discordet à tali volito Dei, necdum discrepat à

13. volito Dei Formali. Probatur istud assumptum. Nam eo ipso, quòd interveniat præceptum, tum vel immediatè ex naturâ rei, velut evenit in lege naturali, vel mediatè ex applicatione præcepti positivi imponitur actionis moralis executio ex Morali nostræ ad Divinam Sanctitatem ordinabilitatis debito. Quâ proinde nostrâ ad Divinam Sanctitatem ordinabilitate deficiente, redundat primò defectus ejusmodi in virtualem quandam à Divinâ Sanctitate defectibilitatem, atque adeò in moralem à Volito Dei Formali difformitatem. At quamdiu non est voluntatis nostræ à Sanctitate Dei defectibilitas saltem virtualis, potest in actione morali adhuc stare honestas, seu virtualis ad Divinam Sanctitatem Ordinabilitas. Cùm igitur illa defectibilitas non interveniat per præcisam voluntatis nostræ cum aliquo Dei Volito materiali discrepantiam, nisi tale Volitum subjaceat alicui præcepto, consequens est; ex vi legis æternæ eatenus esse in nobis obligationem, in nullo actu morali discordandi à volito Dei Formali, ut tamen nullo interveniente præcepto, liceat voluntati nostræ difformare à Volito Dei materiali.

Dices. Nullum Divinæ voluntatis volitum
14. materiale est intelligibile, nisi cum quâdam ad volitum Dei Formale tanquàm motivum Voluntatis Divinæ specificativum concretione. Hinc autem fit, non posse voluntatem nostram discordare à volito Dei materiali, nisi hoc substet Volito Dei Formali. Si ergo nunquàm licet discordare à volito Dei Formali, neque licebit discrepare à volito Dei materali. Unde etiam Dominus Samuelem à suâ VoluntateDivinâ in volito duntaxat materiali discrepantem increpavit *1. Reg. 16.* inquiens, *Usquequò tu luges Saul, cùm projecerim eum, ne regnet super Israel?*

15. Contra. Nam volitum Dei secundùm diversos ordines considerari potest. 1. Sub respectu ad voluntatis Divinæ efficaciam. At sicuti illicitum est *Directè* & *Formaliter* resistere Divinæ voluntati, sic non licet discordare à Divinâ voluntate murmurando contra illam, vel operando in contrarium, animo illi contradicendi, seu impediendi illam *Formaliter*, sive expetendi, ut illam mutet, vel quocumque modo illam impugnando. *Voluntati enim ejus quis resistit*: ad Rom. 9. *Sapiens enim corde est, & fortis robore, quis restitit ei, & pacem habuit?* Etsi proinde nulla sit obligatio *Explicitè* & *Signatè* per actum positivum se conformandi Divinæ voluntati in Voliti sui adimpletione: *Intrinsecè* tamen malum est Divini Dominij reverentiæ repugnans *Positivè* difformare Divinæ voluntati Voliti nostri adimpletionem, uti pluribus probat Amicus *cit. disp. 15. à n. 10.* & Ildephonsus Baptista *disp. 214. à n. 74.* Et hinc Sanctus Augustinus *super illud Psal. 100. Non adhæsit mihi cor pravum.* ait: *Tunc cor non est pravum; quando vult omnia, quæ Deus vult*, saltem
16. negativè per non resistentiam. 2. Volitum Dei considerari potest sub respectu ad Finem à Deo intentum. At Divo Thomâ *prat. q. 19. a. 10. ad 3.* attestante: *Non est quidem repugnantia voluntatum, quando aliqui diversa volunt non secundùm eandem rationem, sed si sic, una ratione esset aliquid ab uno volitum, quod alius nollet, hoc induceret repugnantiam voluntatum.* In hac ipsâ verò voluntatum repugnantia homo *positive* discordando ab ordine, ac Fine Divinæ providentiæ, discrepat à volito Dei Formali, ita ut talis voluntas contra reverentiam Divinæ providentiæ debitam *positivè* excutiens ordinem ac dispositionem illius, nullâ possit morali Bonitate cohonestari. 3. Vo- 17.
litum Dei considerari potest *Materialiter*, sub respectu ad Finem aliquem particularem hominis, ac prout dependet ex Causis secundis. Ut sic autem, quamdiu de voluntate Divinâ in particulari non constat, inprimis indubitatum est, licere quidquid libuerit, velle, posseque procurari licitè ac meritoriè. Sic enim voluntas Davidis contra Dei voluntatem, à se tamen ignoratam, volentis ædificare templum Dei, fuit meritoria. *ex 3. Reg. 5. v. 17.* Sic Paulus cum socijs ignorans Dei voluntatem, tentavit ire Bythiniam, sed non permisit eos Spiritus Jesu. *Actor. 16. v. 7.* Sic Princeps Regni Persarum, Angelus scil. Custos, in hoc particulari casu non edoctus Dei voluntatem, in liberando populo Israelitico ex Fine spiritualis Persarum ex Hebræorum Societate salutis, restitit Angelo Gabrieli viginti & octo diebus, laboranti pro redemptione populi Israelitici. Sic denique Samuel 18.
lugendo Saulem non peccavit; siquidem tunc nesciverit Dei de Saule ultimatam voluntatem. Deinde cognitâ etiam Dei voluntate præceptivâ, potest objectum Divinitùs volitum pugnare cum sensualitate, & appetitu naturali. Ut sic autem potest appetitus sensitivus *Materialiter* discordare à Divinâ voluntate, dum talis tamen repugnantia non est *Intrinsecè* mala. Et hinc voluntas nostra non tenetur affectiones circa objectum ejusmodi ex parte appetitûs sensitivi præcisè se tenentes, cohibere, velut infra dicetur. Sic enim Christus Dominus teste Divo Thomâ *in 1. dist. 48. q. un. art. 4. ad 3.* voluntate deliberatâ volebat quidem passionem, tametsi voluntas naturalis dissentiret. Imò 19.
etiam quoad superiorem voluntatis portionem, licet ex speciali quodam Motivo honesto, non quidem *Absolutè* ac *Efficaciter*, sed *Conditionatè* ac *Inefficaciter* desiderare effectum voluntati Divinæ *Materialiter* contrarium. Sic enim idem Christus Divinam moriendi præcepto intimatam sibi voluntatem cognoscens, oravit ad Patrem Lucæ 22. *Pater si vis, transfer calicem istum à me; verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat.* In quem adeò sensum Sanctus Doctor *q. 23. de verit. a. 8.* ait, *Iustos conformari quidem Divinæ voluntati, quantum ad illa volita, quorum rationem percipiunt, quàmvis in eis sit aliqua affectio ad contrarium, laudabilis tamen propter alium ordinem in eis consideratum. Quam tamen affectionem ipsos non sequi obstinatè, sed Divinæ voluntati supponere; dum eis placet, quòd ordo Divinæ voluntatis in omnibus impleatur: sicuti illum, qui vult Patrem suum vivere propter affectum pietatis, quem Deus vult mori; si justus sit, hanc suam propriam voluntatem supponere Divinæ, ut non impatienter ferat, si Dei voluntas in contrarium propriæ voluntatis impleatur.*

Quòd si 4. de aliquo per voluntatem Dei 20.
futuro eventu fiat expressa quædam revelatio Divina, secundùm formam communem intelligenda est fieri *solùm Comminatoriè*, aut *Conditionatè*. In quo adeò casu licet, imò quandoque debet quis non quidem *Formaliter* repugnando Divinæ voluntati, sed tollendo causam, cujus intuitu fit talis comminatio, vel conditionata

prædictio, conari in contrarium: Sicut quando Christus Dominus *Comminatoriè* revelavit excidium Hierosolymæ: Et Ionas prædicavit subversionem Ninive. Sicut etiam *Actorum* 21. Agabo prophetante, quòd vincula manerent Paulum in Ierusalem, precabantur fideles, ne eò se
21. conferret. Si verò 5. aliquod objectum sive *Permissivè*, sive *Effectivè* substans Divinæ Voluntati, sit *absolutè* ac *simpliciter* revelatum sub infallibili futuritionis certitudine, tunc respectu talis objecti aliquando potest hominis voluntas in contrarium obligari aliquo præcepto, veluti, dum Christus prædixit Petro sui negationem. In quo adeò casu non tantùm licet, sed debet quis conari in contrarium, non resistendo Deo, sed Causis duntaxat secundis. Si enim, advertente Ildephonso *citato n. 109.* crudelis etiam & impius esset Filius, qui sciens Divinum Decretum de morte, vel damnatione patris, non efficaciter doleret, & infirmitati adhiberet medicamenta, & solatia ad salutem convenientia. A fortiori habens absolutam, prout Sanctus Thomas *q. 24. de Verit. a. 8. ad 2.* possibile judicat, de suâ damnatione revelationem, adhuc teneretur actu efficaci velle suam salvationem, eamque medijs congruis procurare. Constat proinde,
22. eatenus licere etiam *positive* discordare voluntati Divinæ in Volito materiali, non quà spectato in ordine ad Divinam providentiam, sed in ordine ad Causas ac Fines particulares, ut quandoque sit etiam obligatio, non concordandi voluntatem suam cum Divinâ quoad volitum materiale. Unde Divus Thomas *q. 23. a. 8.* disserit in hæc verba: *Divinæ voluntati simpliciter in fine conformari tenemur; in volito autem non nisi secundùm quod illud volitum consideratur sub ordine ad Finem: qui quidem ordo semper debet nobis placere, quamvis hoc idem volitum possit meritò displicere secundùm aliquam aliam considerationem, utpote secundùm quod in contrarium finem est ordinabile.*

Responsio ad opposita Fundamenta.

23. AD *n. 3.* ex parte Aureoli oppositum fundamentum ℞. Amicitiam hominis cum Deo in duplici statu spectari posse. 1. in statu imperfecto per Gratiam Sanctificantem viatorum, quorum voluntas eatenus adhæret Divinæ Bonitati, ut ipsi tamen illam non perfectè contemplentur, nec omnem ordinem volendorum ad ipsam manifestè percipiant. ex S. Tho. *cit. q. 23. de Verit. a. 8.* Hinc autem fit, quòd lex amicitiæ Divinæ in tali statu non exigat conformitatem voluntatis nostræ quoad omnes ac singulas Divinæ providentiæ ordinationes, nec voluntatis nostræ volitum etiam Formale oporteat esse Motivum, sub quo res sint à Deo volitæ; sed sufficiat Honestas quædam participata *Virtualiter* reducibilis in Divinæ volunta-
24. tis Motivum seu Volitum Formale. Eo ipso autem, quòd hominis viatoris voluntas & ratio ex varijs tum ad inferiorem animæ portionem, tum ad personas communi quodam convictu *politicè* sibi sociatas respectibus diversimodè distracta, non in unum, sub quo Deus omnia vult, Motivum possit esse intenta, sed ad varias Honestatis particulares rationes in Divinæ voluntatis Formale Volitum *Virtualiter* reducibiles sit arctata, fit consequens, quòd aliquod Dei Volitum materiale, v. g. mors Patris sub ipsâ Formali Divinæ voluntatis Motivo, eatenus sit rectæ rationi conveniens, ut sub particulari tamen Honestatis, in speciali Filij ad Patrem respectu fundatæ ratione discrepet à rectitudine morali, nec adeò in tali volito materiali eatenus possit Filius concordare Divinæ voluntati, ut pietatis officio defuturus, mortem ejusmodi voluntati Divinæ omnimodè committendo, nolit salutis remedia ipsi procurare: quamvis hisce adhibitis, ad altius Divinæ voluntatis motivum respiciendo, Sanctè ac Religiosè quiescat in Dei beneplacito. Constat igitur, legem amicitiæ in statu imperfecto Viatoris suum intuitum in ratione æternâ ac Divinæ voluntatis Motivo defixum non habentis, non exigere in volito materiali omnimodam cum Divinâ voluntate conformitatem, sed in volito duntaxat Formali, quatenus tenetur homo ab isto *positivè* non discordare, imò *Virtualiter* secundùm honestatis saltem participatæ prosecutionem oportet voluntatem ipsius, quoties *Moraliter* operatur, reduci ad Dei volitum Formale. Secundus proinde amicitiæ hominis cum Deo status est perfectus per visionem beatificam, vi cujus mens sibi præsentes habet rationes æternas, & Motivum, sub quo Deus vult suos effectus. In quo adeò statu mens Beatorum ita est convoluta in unum Divinæ voluntatis Formale motivum, ut ipsorum voluntas, advertente Gonet *cit. a. 2. in fine*, hoc unicè volendo, sub unico isto Dei motivo complaceat sibi de omni eventu, ipsâmet etiam morte, & damnatione parentum, totâque reprobationis aliorum sibi revelatâ serie, juxta illud *Psal. 57. Lætabitur Iustus, cùm viderit vindictam, manus suas lavabit in sanguine peccatorum.* Quare amicitiæ lex in statu duntaxat perfecto Visionis Beatificæ exigit omnimodam cum voluntate Divinâ in volito etiam materiali conformitatem. uti habet Sanctus Thomas *cit. q. 19. a. 10. ad 1. in fine.* 25.

Ad Divi Bonaventuræ *n. 4.* oppositum Respondetur. Ne in volito quidem materiali, quod Deus vult voluntate etiam antecedente, oportere nos omnimodè conformari cum Divinâ voluntate, nisi de ipso extet aliquod præceptum. Quis enim neget venena, muscas, & similes molestas res, non voluntate duntaxat consequente, in pœnam hominum, sed voluntate etiam antecedente factas à Deo, non posse displicere ex particulari suâ, quâ homini disconveniunt, ratione, ita ut vi alicujus rationis particularis possit talis displicentia superinducere quandam honestatis Formalitatem? Quare in volito duntaxat Formali oportet, voluntatem nostram non semper *Formaliter*, sed *Virtualiter* conformari Divinæ voluntati, tum ne quidquam quà ex Divinæ voluntatis efficaciâ fluens displiceat, tum ut nihil *Moraliter* agendo, velimus, nisi sub motivo Honestatis *Virtualiter* saltem reducibilis in Formale Divinæ voluntatis motivum. veluti etiam probant fundamenta *à n. 5.* deducta. 26.

COROLLARIUM.

INfertur 1. *An, & qualiter sit laudabilius, quòd voluntas nostra in Volito etiam materiali semper sit concordans Divinæ voluntati?* Nam 1. Vasquez *1. 2. disp. 72. cap.* 27.

72. cap. 5. & Amicus *cit. disp. 15. n. 113.* affirmant; semper laudabilius esse, nos voluntati Divinæ conformari in omni etiam materiali volito. Ratio est, quia bona pars futuræ felicitatis con-
28. sistit in hâc perfectâ conformitate voluntatis nostræ cum Divinâ. Econtra 2. Medina *præf. quæst. 19. in explic. artic. 10. assert. ult.* & Thomistæ negant, quando res volita habet rationem mali, si referatur ad Finem particularem, esse laudabile conformari Divinæ voluntati in volito materiali. Cujus ratio est, quia voluntas Dei est, ut peccator careat gratiâ habituali. At peccaret, quisquis complaceret sibi de
29. privatione gratiæ. Verùm 3. videtur nobis, hac in re distinguendum. Quamvis enim illicitum esset, complacere de privatione gratiæ, quatenus habet rationem maculæ peccati habitualis, vel prout emanat ex nostro peccato actuali: attamen ad altius motivum mentem nostram reducendo, licet complacere in illâ privatione, quatenus ex justissimâ & sanctissimâ DEI voluntate descendit: sicut de peccato Originali, prout ex Dei Decreto habebet ordinem ad Verbi Divini incarnationem, gaudet S. Ecclesia, canendo v.g. *O fœlix culpa, quæ talem ac tantum meruit habere Redemptorem.*

30. Infertur 2. *Qualiter oporteat nostræ voluntatis cum Divinâ quà omnis ad extra effectûs causatrice voluntate conformitatem in nobis esse non Exercitè duntaxat, sed signatè.* Nam 1. quamvis in omni actu nostræ voluntatis sit *Quoad Exercitium* quædam cum Dei voluntate conformitas, hoc ipsum tamen ex nostrâ simul & Dei voluntate fluens exercitium non est in nobis debitum, nisi subsit speciale præceptum. 2. Cùm per Sacrificium fiat quædam Divinæ ad res creatas Causalitatis protestatio, consequens est, vi talis Sacrificij *Signatè* conformari voluntatem sacrificantem cum voluntate Divinâ. Sicut ergo Sacrificium est sub præcepto, sic pro tunc signata voluntatis nostræ quà in voluntatem sacrificantis *Moraliter* transfusæ ad Divinam conformitas etiam positiva & Directa est in obligatione. 3. Tametsi ista positiva signatæ ad Divinam voluntatem conformitatis obligatio non obliget pro semper, attamen pro quovis tempore obligatio est præcepti negativi, ne unquàm voluntas nostra *Signatè* ac *Directè* discordet à voluntatis Divinæ efficaciâ & causalitate, huic scilicet *Formaliter* resistendo, vel oblatrando, & obmurmurando: hoc enim gravem respectu Divinæ voluntatis irreverentiam, nec non debitæ nostræ erga Divinam Causalitatem subjectionis violationem importaret.

Infertur 3. *Qualiter ad moralem actûs bonitatem*
31. *requiratur, quòd Virtualiter, non autem Formaliter referatur in Deum ceu ultimum Finem.* ex Suarezio *1.2. tract. 3. disp. 6. sect. 1. n. 11.* & communi Theologorum sententiâ. Nam istud *Tò Virtualiter* est æquivocum. Primò enim *Tò Virtualiter* actus morales quà in Deum reducibiles afficit, quatenus considerantur intra lineam Causæ Efficientis, dum nimirum actus aliquis procedit ex virtute præcedentis actûs moralis, habentis Formalem ad Deum seu ultimum Finem habitudinem. Secun-
32. dò *Tò Virtualiter* afficit actus morales in Deum reducibiles, quatenus respiciunt lineam Causalitatis Finalis. Ut sic autem quælibet honestas objectiva, seu Virtutis motivum *Virtualiter* reducitur in Deum ceu ultimum Finem, quatenus ex hoc intra Deum est *Finalizativè* causata, atque adeò vi hujus Finalizationis intrinsecum habet ordinem ad Deum ceu ultimum Finem, menti honestatis virtutum studiosæ *Intentionaliter* consequendum. Sic ergo dicimus, ad moralem actûs bonitatem sufficere istam posteriorem virtualem in Deum ceu ultimum Finem relationem, nec opus esse semper Formali, imò nec priori virtuali ad Deum habitudine, veluti partim constat ex dictis *præced. q. 2. a. 2. conc. 3. concl. 2.* partim probatur *in materiâ de Merito.* Cujus 33.
ratio à priori est. Nam quælibet honestas objectiva est Formale actûs moralis specificativum. Ergo quamdiu non inficitur aliquâ circumstantiâ malâ, de se nata est sub ratione Formæ intrinsecè specificantis, nec non in vi Causæ Finalis in actum transfundere Bonitatem & Honestatem moralem. At eo ipso, quòd nullum extet fundamentum alicujus præcepti de omnibus actibus virtuosis *Formaliter* referendis in Finem ultimum, nequit specifica objectivæ virtutum moralium honestatis ratio esse viciata per hoc, quòd non *Formaliter* sit relata in Finem ultimum, sed *Virtualiter* duntaxat, ex vi suæ intrinsecæ ad illum habitudinis. Ergo ex se ipsâ, præscindendo à sui Formali ad Deum relatione, est specificans actum *Moraliter* honestum.



ARTICULUS III.

DE

Actûs moraliter boni & mali proprietatibus.

TRes potissimùm hîc decidendæ veniunt Controversiæ 1. *Utrum in uno actu morali, sive Bono, sive Malo possint esse diversæ species?* 2. *Utrum idem numero actus possit esse bonus ex objecto, & malus ex fine, seu circumstantiis, & e converso?* 3. *An idem numero actus possit de bonô fieri malus, & econtra?*

CONTROVERSIA I.

Utrùm in uno actu morali possint esse diversæ species Bonitatis, vel Malitiæ?

BOnitas moralis alterâ convenit actui voluntatis elicito ex Essentiali ipsius ad objectum quà honestum habitudine; altera 1.
convenit actui imperato ex actûs imperantis denominatione extrinsecâ. De priori adeò morali Bonitate quoad præsentis Controversiæ punctum notari debet, eundem numero actum posse diversimodè tendere in duplex virtutis motivum. *Primò disparatè* absque aliquâ motivorum inter se subordinatione Quo casu *physicè loquendo* esse unicam Bonitatis Moralis speciem; licèt *Metaphysicè* quoad objectivam Formalitatum præcisionem reduci debeat ad virtutes speciè distinctas, *præc. art.* ostendimus. *Secundò.* Sub

2. tali motivorum ad diverſas ſpecie virtutes ſpectantium inter ſe ſubordinatione, ut unum motivum ſe habeat tanquàm Finis operantis, alterum verò motivum ſe habeat ut medium, non ſub ſui ad alterius virtutis Finem conducibilitatis tantùm, ſed ſub propriæ etiam Honeſtatis ratione intentum. In quo adeò caſu ex habitudine ad duplex virtutis motivum reſultare moralis Bonitatis ſpeciem *ex naturâ rei formaliter* indiviſibilem & unicam, in quâ ordo ad Finem operantis ſe habeat per modum differentiæ ſpecificæ, ordo verò ad medium per modum rationis genericæ, patet ex dictis *præc. art.* *Tertiò* De-
3. niq; ſub tali motivorum actus ſpecificè diverſos ſub unius tamen virtutis ſaltem infuſæ ratione Formali ſpecificantiū ſubordinatione fieri poſſe, ut unum tanquàm Finis operis habeat rationē Motivi primarij ac *per ſe* potentis finalizare, alterum verò ſe habens tanquàm medium, ſubeat rationem Motivi tantùm ſecundarij, non niſi *dependenter* à principali Motivo potentis *Finaliter* movere. In quo adeò caſu reſultare unicam actûs moralis ſpeciem, in quâ ordo ad Motivum ſecundarium ceu medium, differentiæ ſpecificæ, ordo verò ad Motivum primarium, ceu Finem Operis, rationem Generis habeat, *ex eodem præc. art.* conſtat.

4. Verùm, ſi ſermo ſit de poſteriori moralis ex actu imperante participatæ Bonitatis ratione, notandum hic venit, quod idem numero actus à voluntate elicitus, & ad unam virtutis v. g. Religionis ſpeciem pertinens, poſſit ex vi prioris ſupra ſe reflexæ actionis ad alteram virtutis v. g. charitatis ſpeciem ſpectantis, ſimul eſſe imperatus. In quo adeò caſu per ſe manifeſtum eſt, eidem morali actui eatenus convenire duplicem Honeſtatis ſeu moralis Bonitatis ſpeciem, ut una ſit Eſſentialis, altera vero per denominationem extrinſecam conveniens Bonitas ſit *realiter* accidentaria.

Quibus adeò ſuppoſitis, hic reſtat diſcutienda difficultas: *An idem numero actus moralis poſſit habere duplicem Bonitatis ſpeciem, tendendo in duo motiva ſpecie diverſa, per ſe æque prima & adæquata*?

Referuntur Sententiæ.

5. Scotiſtæ, quos Joannes à Sancto Thomâ *cit. diſp. 9. a. 5. n. 2.* tacitè allegat, arbitrantur; eundem numero actum moralem reſpicere poſſe duo objecta Formalia *ſpecifice* diverſa, & adæquata; ex quorum adeò ſpecificatione talem actum *immediatè*, & *ex æquo* poſſe habere duas bonitates, vel malitias, etiam per modum plurium. Fundamentum eſt. Quia in eodem objecto poſſunt concurrere plures honeſtates & plura motiva, quorum quodlibet ſit independens ab altero, & ſufficiens, dare moralitatis ſpeciem: veluti patet in actu, quo Chriſtus elegit mortem tam ex motivo religionis, quàm obedientiæ, & ſummæ Charitatis. Ergo non repugnat, eundem actum ferri in objecta formalia adæquata, diverſa in lineâ morali. At ex ejuſmodi diverſis adæquatis motivis in actum moralem transfundi diverſas moralitatis ſpecies, vel ex eo evincitur poſſibile, quòd moralitas *accidentaliter* ſe habeat ad phyſicam entitatem actûs, neque verò repugnet, in aliquo ſubjecto recipi plura accidentia ex æquo & adæquatè diverſa, quorum nullum ſit alteri ſubordinatum.

Econtrario Andreas Möhr Scotiſta *in ſuâ methodo Scholaſticâ de actib. human. diſp. 2.* ex mente 6.
ſui ſubtilis Doctoris negat: poſſe uno, eodemque realiter actu attingi plures Fines adæquatos, imò ne inadæquatos quidem ſpecie diverſos, ab his deſumendo plures ſpecie diſtinctas Bonitates.

Fundamentum eſt. Nam actus, quo quis *Directè* intendit Finem, dependet à Fine ſeu motivo *Eſſentialiter*, ceu effectus à causâ ſuâ, ita ut voluntas eum elicere non poſſit, niſi ob tale motivum. At idem effectus non poteſt ſimul dependere à pluribus Cauſis adæquatis. Minor 7.
probatur. Ideò quidpiam dicitur dependere *adæquatè* ab alio, tanquàm effectus a causâ adæquatâ, quia ipſi ab illo in tali genere ita communicatur *Eſſe*, ut non indigeat illud ab alio (eodem ſpecie influxu) ſive *adæquatè*, ſiv. *inadæquatè* accipere: ſiquidem indigentia alterius ad exiſtendum ſit ratio fundandi dependentiam. Atqui effectus ita accipit *Eſſe* ab unâ causa adæquatâ, ut aliâ in illo genere ad exiſtendum non indigeat. Ergo repugnat, eundem effectum dependere à pluribus cauſis adæquatis. Ergo, cùm Finis & Motivum ſe habeat ad actum moralem ut Cauſa ad effectum, implicat, eodem actu poſſe intendi plures fines adæquatos.

Huic ſententiæ favet Joannes a Sancto Thomâ *citatus n. 13.* ex ſequenti fundamento. Im- 8.
plicat enim, poni cauſam Formalem, & non effectum formalem, ſeu ſpecificativum & non ſpecificatum. Atqui Cauſa Formalis Extrinſeca *in Quarto perſeitatis genere* ſpecificativa diverſitatis Formalis, & ſpecificæ in actibus moralibus eſt diverſum objectum Formale. Minor 9.
probatur. Quia potentiæ, habitus, & actus habent totam ſuam Eſſentiam, & id, quod *ſpecificè* ſunt, Eſſentialiter ordinatum ad objectum, ex quo proinde tanquam ſpecificativo extrinſeco deſumunt ſuam unitatem ac diſtinctionem ſpecificam. Atqui hæc unitas & diſtinctio ſpecifica actuum non eſt ex objecto materiali, ſiquidem circa idem objectum Materiale contingat verſari plures ſpecie diverſos actus, & econverſo plura *Entitative* diverſa objecta materialia eodem actu attingi. Ergo illa diſtinctio & unitas deſumi debet ex objectis *Formaliter* diverſis. At non poteſt intelligi major diverſitas objectorum, quam ſi ſint plura *Formaliter* & *Adæquatè*. Non ergo ſtat, quòd aliqua objecta ſint *Adæquatè Formaliter* diverſa, nec tamen faciant in actu diverſitatem formalem & ſpecificam.

Conclusio.

Eo ipſo, quòd implicet, unum numero actum habere plures eſſentias adæquatas, repugnat conſequenter, in uno actu morali eſſe plures Bonitates morales *phyſicè*, vel etiam ex *naturâ rei Formaliter* ſpecie diverſas; nec adeò poſſibile eſt, eundem actum moralem tendere in plura Motiva, niſi quà coordinata ſub unâ Formali ratione.

Probatur. Sicut enim Formalitates, ſeu dif- 10.
ferentiæ ſpecificæ in Entibus inferioribus diſperſæ, in

ſæ, in Ente purioris ſimplicitatis & immaterialitatis coadunantur in unam ſimplicem, ex naturâ etiam rei indiſtinctam Formalitatem, uti demonſtravimus *to. 1. q. 2. a. 3. cont. 2. & 3.* Sic unus idemque *realiter*, imò ex *naturâ rei Formaliter* quoque indiſtinctus actus in plura diverſarum ſpecie virtutum Motiva tendens, eatenus æquivalet pluribus à parte rei ſpecie diſtinctis actibus virtuoſis, ut tamen habeat unam ſimplicem ex *naturâ rei Formaliter* indiſtinctam entitatem, & Formalitatem. Hæc ipſa verò ſimplex *ex naturâ rei etiam Formaliter* indiſtincta entitas eſt ipſa actûs moralis intrinſeca & eſſentialis in objectum Formale tendentia. At iſta actionis moralis in Virtutis Motivum ſeu objectum Formale tendentia eſt ipſa bonitatis moralis, ſicuti econtra actûs moralis in objectum ratione diſſonum tendentia eſt malitia moralis non quidem Formalis, ſed Fundamentalis.
11. Unde Bonitas moralis etiam *Formaliter* ſpectata, & malitia *Fundamentaliter* conſiderata non ſe habet ad actum per modum accidentis, ſed per modum Eſſentiæ *Realiter* & *Phyſicè* ab ipſo indiſtinctæ. Sicut ergo implicat, in uno realiter indiviſibili actu eſſe plures eſſentias *phyſicè* ac *Entitativè*, vel vel etiam ex *naturâ rei formaliter* diverſas, ſic conſequenter repugnat, in uno actu morali eſſe plures *phyſicè* ac *realiter* ſecundùm ſpeciem diſtinctas Bonitates morales. At eo ipſo, quòd unitas ſpecifica actûs moralis ſit ex unitate objecti Formalis, tanquam ſui in Quarto perſeitatis genere ſpecificativi, *uti probat ſupra n. 8. deductum fundamentum*, conſequenter actûs moralis in plura virtutum ſpecie diverſarum Motiva tendentis oportet, eſſe unum objectum Formale. Hæc autem objecti Formalis in diverſis Virtutum motivis ſubſiſtens unitas non teriet, niſi quatenus per actum moralem attingitur elevatior quædam honeſtatis & Sanctitatis puritas, ex omnibus illis Motivis, quà ſub
12. uno actu coadunatis reſultans. Hæc igitur elevatior honeſtatis & perfectionis moralis puritas in objecto ex diverſis virtutum Motivis vi unius moralis actûs coadunata eſt quidem *Metaphyſicè*, ſecundùm præciſiones objectivas reſolubilis, & ut ſic ad diverſas virtutum ſpecies reducibilis, ſicuti etiam hominis Eſſentia *Metaphyſicè* reſoluta in plures gradus, intelligitur ſecundùm Formalitatem ſenſualitatis convenire cum brutis, ſecundùm Formalitatem autem Intellectualitatis cum Angelis, licèt de ſe ſit *realiter* una, ſecundùm ipſam etiam Intellectualitatis Formalitatem ex *naturâ rei Formaliter* diſtincta à
13. Formalitate Angelicæ Intellectualitatis. Pari ergo ratione dicendum eſt, quòd actionis moralis in plura virtutum Religionis, Obedientiæ &c. Motiva tendentis Formalitas *Phyſicè loquendo*, imò etiam *ex naturâ rei Formaliter* neque reduci debeat ad ſpeciem Religionis, neque ad ſpeciem obedientiæ, ſed ad altiorem puritatis *in genere morali* elevatioris Formalitatem, quamvis hæc ex naturâ rei etiam *Formaliter* indiviſibilis puritas ſecundùm præciſionem Intellectûs ſit *Metaphyſicè* reſolubilis, & ut ſic reducibilis ad Virtutes ſpecie diverſas Religionis, & Obedientiæ.

Et ſic patet etiam reſponſio ad fundamentum *n. 5.* oppoſitum.

CONTROVERSIA II.

Utrùm idem numero actus poſſit eſſe bonus ex Objecto, & malus ex Fine, ſeu Circumſtantiis, & econverſo?

AD actum moralem, quo aliquis v. g. Eleemoſynam intendit ex Fine Vanæ gloriæ, duplici modo ſe habere poteſt finis ejuſmodi, 1. *Elicitivè*, dum eodem actu intenditur & Eleemoſyna, & Finis Vanæ gloriæ. 2. *Imperativè*, dum ex prævia Vanæ Gloriæ intentione imperatur Eleemoſyna, tanquàm medium illi fini conſequendo accommodatum. Etſi proinde de utroque modo præſens procedat controverſia, ſpecialiter tamen reſpectu actuum ſupernaturalium difficultas eſt: *An actus ſupernaturalis poſſit Imperativè procedere ex intentione Finis Venialiter ſaltem pravi.*

Referuntur Sententiæ.

EUndem numero actum moralem poſſe bonum eſſe ex objecto, & malum ex Fine operantis, docet Cajetanus *1. 2. q. 18. §. Ad ſecundum dicitur. & to. 1. opuſc. tract. 31. in reſp. 14.* Ægidius *in 2. diſt. 36. q. 2. a. 3.* Granados *tract. 9. diſp. 9. & tract. 14. diſp. 1.* Serra *præſ. q. 18. a. 4. concl. 2.*

Fundamentum ab iſto authore deductum eſt. Si enim bonitas ex objecto deſumpta deſtrueretur per malitiam ex Fine petitam, ſequeretur, talem actum fore malum etiam ex objecto, adeòque duas in tali actu fore malitias. At iſta evidenter repugnant doctrinæ Divi Thomæ *præſ. q. 18. a. 4. ad 3.* taliter differenti. *Nihil prohibet, actioni habenti unam prædictarum bonitatum, deeſſe aliam: & ſecundùm hoc contingit, actionem, quæ eſt bona ſecundùm ſpeciem ſuam, vel ſecundùm circumſtantias, ordinari ad Finem malum.*

Cui conformiter *in 2. diſt. 36. q. 1. a. 5.* cum triplicem actûs bonitatem, primam ex hujus eſſentiâ, ſecundam ex objecto, tertiam ex Fine diſtinxiſſet, poſtea ſubjecit ſequentia: *Secundâ bonitate ſubtractâ, non poteſt eſſe tertia: ſed tamen poſitâ ſecundâ, non neceſſariò tertia ponitur: & ideo contingit, actum habere bonitatem ex materiâ, & tamen malè fieri.*

Confirmatur. Nam Bonitas ex objecto non eſt minùs Eſſentialis actui *ſecundùm ſe* bono, quàm malitia ex objecto eſt intrinſeca actui *ſecundùm ſe* malo. At nullus finis, ob quem fit actio ſecundùm ſe mala, aufert ejus malitiá ex objecto. Ergo nullus etiam Finis, ob quem fit actio *ſecundùm ſe* bona, aufert ejus bonitatem ex objecto. In quem ſenſum D. Thomas *quæſt. 2. de malo. art. 4. ad 2.* ait. *Illud, quod conſequitur ſpeciem alicujus, ſemper ineſt. Cùm ergo actus hominis ſpeciem conſequatur ex ratione objecti, ſecundùm quam eſt bonus, vel malus actus, ſic ſpecificatus in bono, nunquam poteſt eſſe malus, nec ſpecificatus in malo, unquam poteſt eſſe bonus.*

Specialiter circa actum ſupernaturalem v. g. Fidei contingere poſſe, ut *Imperativè* ſaltem procedat ex intentione alicujus Finis ſaltem venialiter mali, quin iſte tollat actûs illius Bonitatem moralem, docent Medina *1. 2. q. 46. a. 3. in fine.* Oviedo *de actibus hum. tract. 4. cont. 7. punc. 1.* cum Doctoribus ibi relatis.

Fundamentum est. Nam actus procedit ab illâ virtute, atque adeò habet specificam Bonitatem virtutis, in cujus Formale Motivum tendit. Atqui potest actus tendens in Motivum supernaturalis virtutis, esse imperatus ex intentione alicujus Finis Venialiter mali: veluti patet tum in eo, qui cum attritione ex Motivo virtutis supernaturalis elicitâ accedit ad Sacramentum Confessionis, intendens exinde inanem captare famam, seu Gloriam apud confessarium: tum in eo, qui veræ fidei assentitur, illamque confitetur propter vanæ gloriæ Motivum; vel ut complaceat Principi: tum in eo denique, qui habet voluntatem suscipiendi Baptismum ex Fine vanæ Gloriæ: voluntas enim hujusmodi sufficit ad consequendam gratiam, estque adeò supernaturalis, & tamen Venialiter mala ex Fine vanæ Gloriæ. Cùm igitur actus ejusmodi ex Fine venialiter malo *saltem Imperativè* procedentes tendant in virtutis alicujus supernaturalis Motivum, consequenter ab istâ emanant *Elicitivè*, atque adeò habent specificam talis Virtutis Bonitatem supernaturalem.

6. Econtrario non posse unum & eundem actum moralem simul esse bonum ex objecto, & malum ex Fine, docent Gregorius *in 2. dist. 42. q. 1. a. 1.* Capreolus *dist. 40. q. un. a. 1. concl. 3.* Suarez *de actib. hum. tract. 3. disp. 8. sect. 1.* Curiel *præf. q. 8. a. 6. dub. 1. §. 6.* Bannes *2. 2. q. 7. a. 1. dub. 1. concl. 1.* Ysambertus Sorbonicus *ad præf. q. 18. disp. 7. a. 4.* Joannes à Sancto Thomâ *cit. disp. 9. a. 4. n. 7.* Amicus *disp. 14. n. 213.* Ildephonsus Baptista *disp. 182. n. 337.* Gonet *to. 8. disp. 4. a. 1. concl. 1.*

Fundamentum ab isto authore deductum est. Quando enim aliquis dat Eleemosynam ob finem vanæ Gloriæ, tunc eleemosyna *secundùm se & absolutè* non terminat hunc actum electionis, sed quatenus habet rationem medij ordinati ad malum Finem. Atqui Eleemosyna, ut habet rationem medij ordinati ad malum finem, non est objectum bonum, sed malum, cùm sub hâc ratione sit instrumentum mali, & materia, quâ exercetur vana gloria sub specie misericordiæ & Charitatis, licèt quantum ad sublevationem alienæ miseriæ habeat effectum misericordiæ. Ergo cum aliquis dat Eleemosynam ob finem vanæ gloriæ, objectum illius, ut habet rationem objecti, & prout illum actum specificat, non est bonum, sed potiùs malum.

7. Specialiter affectum vanæ Gloriæ *solùm Concomitanter*, non autem *Motivè* ac *Imperativè* se posse habere ad actum supernaturalem, esseque omninò impossibile, quòd ex parte operis & ipsius actûs fidei v. g. vel attritionis supernaturalis se immisceat vanæ Gloriæ Motivum, Joannes à Sancto Thomâ *cit. a. 4. n. 32. ac seq.* probat sequenti fundamento. Etenim attritio supernaturalis utpote dispositio ad Justificationem oritur ex gratiâ excitante & adjuvante speciali, ac supernaturali Dei concursu. At Dictamen vi gratiæ excitantis prælucens actui supernaturali, multò magis excludit quascumque circumstantias malas, quàm prudentia quælibet virtuosa. Repugnat igitur, supernaturalem attritionis actum procedere ex Fine malo, & vitiari Circumstantiâ pravâ.

CONCLUSIO I.

Eo ipso, quòd nullus actus possit in exercitio esse *Moraliter* bonus, nisi sit procedens ex rectæ rationis dictamine prudentiali, repugnat, unum & eundem numero actum esse ex objecto bonum, & ex Fine malum etiam *Imperativè*.

Probatur. Nam licèt actum moralem objecti de se honesti ex Fine pravo prosecutivum *Metaphysicè*, secundùm præcisiones objectivas considerando; liceat in ipso *signatè* distinguere varias Formalitates & tendentiæ habitudines, ita ut una intelligatur specificata ex objecto, altera verò ex Fine. Nihilominùs prudentiæ Dictamen repræsentat objectum quà omnibus particularibus, sub quibus elicitur, circumstantijs *in genere morali* considerabilibus circumdatum. Est autem propria prudentialis ratio per præviam consiliationem inquisitiva & per ipsummet prudentiæ dictamen Formale determinativa objecti, quà rectæ rationi consentanei. Hæc verò determinatio prudentialis *Essentialiter* respicit veritatem practicam. 8.

Est autem de naturâ veritatis, quòd consistat in indivisibili, ut adeò objecti cum rectâ ratione conformitatis veritas hic & nunc *practicè* non subsistat, nisi *simpliciter* quoad omnimodam secundùm prudentiæ Dictamen *in genere moris* considerabilem Formalitatem subsistat conformitas cum rectâ ratione. At eo ipso, quòd objectum de se honestum repræsentetur sub Formalitate ordinabilitatis ad Fine pravum, vel quà vestitum vitiosâ aliquâ circumstantiâ, nequit tale objectum cum veritate repræsentari, quà rectæ rationi consentaneû, secundû omnimodam sui Formalitatem, prout ad actum moralem *hic & nunc Exercitè* elicitum ac [illegible] *liter* spectatum se habet per modum unius simplicis in indivisibili subsistentis Formalitatis intrinsecam, eamque indivisibilem talis actûs Essentiam in Quarto perseitatis modo specificantis. Eo ipso autem, quòd repugnet, objectum de se honestum ex Fine pravo, sive sub circumstantiâ malâ intentum repræsentari sub Formalitate secundùm veritatem practicam rectæ rationi consenteneâ, atque adeò honestâ, sit consequens; non posse actum moralem hic & nunc elicitum *in actu Exercito* spectatum esse alicujus in tali objecto Honestatis prosecutivum. Quomodo ergo talis actus quà ex objecto secundum prudentiale Dictamen repræsentato specificatus potest habere moralem Bonitatem? Unde Divus Thomas *pras. q. 19. a. 2. ad 2.* differit in hæc verba: *Velle bonum, quando non debet, si referatur ad volitum, tunc voluntas non est bona, quia velle facere aliquid, quando non debet fieri, non est velle bonum.* Ecce ex circumstantiæ temporis defectu destruitur in objecto Bonitas moralis. Quantò magis ex malitia Finis operantis. 9.

Dices. Non repugnare, quin in Intellectu duplex stare possit judicium; alterum Honestatis objecti v. g. Eleemosynæ in ordine ad actûs moralis exercitium *practicè* repræsentatum, alterum objecti si non *Formaliter*, saltem *Moraliter* unius, quà ad pravum Vanæ scilicet gloriæ Finem conducibilis repræsentativum. Hinc verò posse consequenter voluntatem objecti sub utrâque illâ Formalitate efficaciter esse prosecutivum, 10.

tutivum. Exinde verò vi hujus duplicis efficacis prosecutionis imperari posse eundē Eleemosynæ actum externum. At istum taliter imperatū Eleemosynæ actū eo ipso participare tum specificā Eleemosynæ Bonitatem Formalem, tum Finis pravi malitiam moralem, quòd *Imperativè* procedat ex illo duplici actu voluntatis. Consequens proinde esse, quòd unus idemque actus moralis possit *saltem Imperativè* esse *Moraliter* bonus & malus.

11. Contra. Nam illo duplicis in Intellectu Dictaminis & exinde duplicis etiam in voluntate Dictamini illi respondentis imperij casū posito, deberet in tali externo actu eatenus distingui Entitas ipsius physica à moralitate, ut ista se haberet *solùm Extrinsecè* ad illam. Unde licèt talis actio esset *Physicè* ac *Entitativè* una, *Moraliter* tamen esset multiplex, utpote ab utroque illo actu imperante participans duas distinctas *Moralitates* tanquàm Formas *Extrinsecè* denominantes. Hæ ipsæ verò moralitates in illo actu se haberent ad invicem *solùm Concomitanter*. Quare verum quidem esset, in tali actu *physicè*, non autem quà *Moraliter* uno esse Bonitatem, simul & malitiam moralem, *Extrinsecè* duntaxat, & *per accidens* ac merè *Concomitanter* ad invicem se habentes. Quòd si proinde negemus; posse eundem numero actum moralem esse bonum simul ac malum, oportet, hoc intelligere *primariò* de actu voluntatis *intrinsecè* quoad suam Entitatem physicam morali. Si verò sit sermo de actu etiam externo, qui solū *Extrinsecè* quoad aliquam ex voluntatis imperio desumptam participationem denominatur moralis, tunc (si tamen casus superiùs expositus juxta philosophica cujusq; scholæ principia judicetur naturaliter possibilis) dici debet, non posse saltem actionem quà *Moraliter* unam esse simul bonam & malam.

12. Instabis. Posito, quòd urgente præcepto Eleemosynæ, vel restitutionis, quis actum ejusmodi faciat ex Fine vanæ Gloriæ, tunc satisfacere præcepto. At istud procedere de actu quà virtuoso. Oportere igitur, actum ex objecto Honestum manere virtuosum, licèt aliquam ex Fine pravo contrahat malitiam.

13. Contra. Nam, ut præcepto satisfiat, præcisè attendi debet illa Formalitas, sub quā materiā præcepti subest hujus obligationi. At Formalitas ejusmodi in præcepto Eleemosynæ ac restitutionis est tum sublevatio alienæ necessitatis, tum damni alieni reparatio. Hoc verò utrumque obtinetur ex eleemosynā ac restitutione, etiamsi fiat ob Finem pravum. Secus verò esset in præcepto Charitatis, Religionis, Spei, & Fidei. Hæ enim intrinsecam mentis rectitudinem ac puritatem suis legibus intendunt. Ejusmodi verò mentis puritas eo ipso *in actu Exercito* est sublata, quòd objecti de se honesti fiat relatio in finem pravum. Unde substantia actûs quà præcepti non subsistit, quando ordinatur in Finem vanæ Gloriæ. Quare verū quidem est, quòd omnis lex intendat actum virtutis, hoc tamen eo discrimine accipiendum est, ut leges ad effectum externum præcisè obligatoriæ requirant actum, qui non *in actu Exercito* ac *Individualiter*, sed *specificè* & *in actu signato*, secundùm præcisam ad objectum relationem debeat esse virtuosus; leges verò ad rectitudinem internam obligatoriæ exigant actum etiam *Exercitè* ac *Individualiter* rectum, seu virtuosum, ut adeò oporteat, actum ejusmodi nullā circumstantiā in *actu Exercito* vitiari.

CONCLUSIO II.

EO ipso, quòd actus supernaturaliter honestus procedere debeat ex Divina Gratiā Excitante ac Præveniente; nequit etiam *Imperativè* vitiari alicujus Finis seu circumstantiæ pravæ malitiā.

Probatur. Ista enim excitans Gratia ex parte Intellectûs involvit quoddam supernaturale judicium ac Dictamen practicum. At ejusmodi judicium specialiter procedens à Deo oportet esse *practicè* verum: siquidem ex veritate Primā non possit *per se* ac *positivè* ortum habere falsitas. Ad talis verò Iudicij supernaturalis veritatem practicam requiritur, quòd actio vi talis Dictaminis ceu Gratiæ Excitantis inspirata, *in actu etiam exercito* spectata, sit rationi quà supernaturaliter elevatæ eatenus conformis, ut ista conformitas *realiter* subsistat quà ideata ex Divinā, quoad gradum etiam quasi specificum consideratā, Sanctitate, seu naturæ Divinæ puritate. At eo ipso, quòd supernaturalis rationis rectitudo ita struatur super rectitudinem moralem naturalem, ut hanc non destruat, sed perficiat, nequit veritas practica in ordine supernaturali subsistere, nisi stet ex parte ordinis & honestatis simul naturalis. Ista verò si vel minima ex Fine seu circumstantiā interveniat deordinatio moralis, tollitur è medio, *uti praeced. cont. ostensum est*. Eo ipso igitur, quòd actûs supernaturalis moralis Essentia non subsistat sine supernaturali *Practicè* vero Dictamine: ejusmodi verò practica veritas omnimodam ab objecto auferat cujuslibet circumstantiæ seu Finis malitiam moralem, consequens est, actum supernaturalem non posse unquam vitiari ex malitiā Finis, seu alicujus circumstantiæ. 14.

Dices ex Oviedo *cit. punc. 1. à n. 4.* Præventā voluntate omnibus principijs supernaturalibus ad actum supernaturalem prærequisitis, tantùm deficere voluntatis determinationem ad illum producendum. In hanc verò determinationem posse voluntatem absque alio principio prorumpere, posseque adeò hoc fieri ex vi cujusvis actûs inclinantis ad talem determinationem. At ejusmodi actum inclinativum esse quemlibet voluntatis actum reflexum supra illam actionem supernaturalem, ut sic hujus imperativum. Talem verò actum reflexum ac Imperativum posse procedere ex Motivō pravo. Eo ipso autem, quòd actus aliquis imperetur ab actione respiciente Motivum pravum, trahere ab isto malitiam moralem. Non igitur repugnare, quin actus moralis supernaturalis possit *Imperativè* ac *Extrinsecè* superinduere moralem quandam malitiam. 15.

Contra. Nam ut vi imperij reflexi fiat voluntatis determinatio ad exercitium actûs imperati, oportet, hanc *Effectivè* procedere ab actu imperante, veluti *supra q. 6. a. 2. cont.* 1. probatum est. Atqui actus ex Fine pravo *Moraliter* malus, cùm nequeat esse supernaturalis, est hoc ipso improportionatus ad supernaturalis actionis effectionem. Deinde positis omnibus ex parte a- 16.

ctûs

ctûs primi supernaturalibus principijs, ad exercitium supernaturalis actionis requiritur adhuc Gratia, seu concursus Dei *in actu etiam secundo* præveniens. At eo ipso, quòd iste ad actum in substantiâ supernaturalem præveniens Dei concursus debeat esse in genere supernaturalitatis, quæ ut sic est quædam ex ipso quasi specifico Divinæ Sanctitatis gradu Ideata participatio, nequit in suo actu attingere Formalitatem, quæ in se fundet malitiam moralem, huic Divinæ Sanctitati quà *Idealiter* in mente creatâ participatæ *Directè* oppositam. Eo ipso autem, quòd actus supernaturalis *Effectivè* procederet ex imperio supra se reflexo Moraliter pravo, ab hujus influxu non tantùm *Extrinsecè* ac *Denominativè*, sed etiam *Intrinsecè* in suâ Entitate traheret quandam malitiæ moralis radicem ac fundamentum. Cùm igitur supernaturalitatis quà ex Divinæ sanctitatis gradu quasi specifico ideatæ Formalitas ex se *Formaliter* excludat omnimodam etiam *Radicaliter* spectatam moralem malitiam, consequens est; tum ratione suæ intrinsecæ Entitatis, tum ratione Divini *in actu etiam secundo* prævenientis, ut sic intra actûs supernaturalis lineam se continentis concursûs repugnare, quòd actûs supernaturalis procedat ex influxu alicujus supra se reflexi imperij *Moraliter* mali.

Responsio ad opposita fundamenta.

18. AD *n. 2.* oppositum fundamentum Respondetur, negando utramque sequelam. Cujus ratio est. Nam Bonitatis moralis objectivæ v. g. Eleemosynæ, ceu virtualis in ultimum finem sive Numinis Divini Gloriam ordinabilitatis relatio duobus modis fieri potest. 1. *Signatè*, talis in ultimum Finem ordinabilitatis Bonitatem objectivam sub istâ Formali ratione referendo in Finem pravum vanæ Gloriæ. Ut sic autem contraheretur malitia specifica opposita virtuti Religionis. 2. *Exercitè*, objectum de se honestum non sub illâ Formali ad Divini Numinis Gloriam referibilitatis, sed *Materialiter* tantùm spectatum ordinando ad Finem malum. Ut sic autem contra debitum virtutis Religionis non *Specificè*, sed *Transcendentaliter* duntaxat agitur, prout ejusmodi malitia Transcendens omni inest actui *Moraliter* malo. At verò non illo priori, sed isto posteriori modo regulariter procedit voluntas, dum objectum de se honestum refert in Finem pravum, ex vi cujus adeò relationis non alia contrahitur malitia, quàm illa, quæ ipsi etiam Finis pravi intentioni *Transcendentaliter* inexistat. Negandum igitur est, quòd in tali casu contrahatur duplex malitia. Neque Sanctus

19. Thomas ex parte oppositâ citatus ita accipiendus est, quasi doceret actui ex Finis pravi intentione elicito etiam *Individualiter Quoad Exercitium* spectato, in ordine ad Finem, non verò in ordine ad objectum, debitam deesse Bonitatem. Nam actionem ejusmodi *Physicè* ac *Moraliter* quoad individuale sui Exercitium consideratam omnimodè malam, omnique adeò Bonitate morali privatam esse, clarè testatur Sanctus Doctor *in 2. dist. 38. q. 1. a. 4.* sic disserens. *Cùm aliquis vult Eleemosynam propter inanem Gloriam, hic est unus actus voluntatis, & hic actus totus malus est, licèt non ab omni eo, quod in eo est, malitiam habeat.* Cui conformiter *in præs. q. 19. a. 7. ad 2.* *Voluntas*, inquit, *non potest dici bona, si sit intentio mala causa volendi, qui enim vult dare Eleemosynam propter inanem gloriam consequendam, vult id, quod de se est bonum, sub ratione mali, & ideò prout volitum ab ipso* (ecce sub ipsâ etiam ratione objecti quà individualiter quoad actûs Exercitium spectati) *est malum. Unde voluntas ejus est mala.* Quare dum 20.
Angelicus ille Doctor varias in actu morali distinguendo Bonitates morales, unam asserit posse sine aliâ deesse, posseque adeò actum ex objecto Bonum, ex Fine verò, vel circumstantiâ malum esse, intelligendus est loqui de actu morali *Metaphysicè* spectato, quatenus ut sic actus in specie suâ, secundùm præcisionem objectivam, in ordine ad objectum *præcise* consideratus, intelligitur habere *de se* bonitatem, licèt in individuo *Physicè* & *Moraliter* non *præcise* in ordine ad objectum de se honestum, sed in ordine ad omnes circumstantias spectatus sit *Simpliciter* & *Totaliter* malus; veluti eleganter adstruit Sanctus quoque Ambrosius *epist. 84. ad Demetriadem.*: *Inflatio & ambitio*, inquiens, *& propriorum bonorum superba defensio possunt destruere Eleemosynas* (en ipsam objecti bonitatem) *possunt evacuare Martyria, si & magnas opes amore quis humanæ laudis effundat, & sæva supplicia non eâ fortitudine, quam Deus tribuit, sed eâ, quam de se præsumpsit, excipiat.*

Ad confirmationem *n. 4.* oppositam Respondetur. Disparem esse rationem bonitatis & malitiæ moralis ex objecto specificatæ. Nam prudentialis rectæ rationis dictamen nequit in ipso etiam objecto esse repræsentativum Bonitatis moralis objectivæ, si objectum etiam de se bonum, respectu actûs in id *Exercitè* tendentis, afficiatur aliquâ circumstantiâ pravâ, licet *solùm Indirectè* volitâ. Unde natum est commune axioma, quòd Bonum sit ex integrâ Causâ, malum verò ex quolibet defectu. Etsi proinde Honestas non possit tollere objecti malitiam, sed 22.
minuere duntaxat, non quidem *ex parte Operis*, sed *ex parte Operantis*, in quo utpote Bonum Finem *intendentis* arguitur voluntas minùs fixa in malo: non tamen sequitur; Finem etiam pravum non auferre moralem objecti Bonitatem: siquidem Divo Thomâ *1. 2. q. 18. a. 5.* attestante, Circumstantia actûs bonitatem transmutans in malitiam, transeat in Essentialem objecti conditionem, ac differentiam *in genere moris* intrinsecam. Unde non nisi *in sensu Composito* acci- 23.
piendus est Sanctus Doctor ex parte oppositâ citatus, dum docet; actum ex objecto Bono specificatum, ut sic nunquàm posse malum esse. Hoc enim eatenus est verum, quatenus objectum non subsistit *Moraliter* Bonum, nisi ex integro, ex parte etiam Finis & omnium Circumstantiarum sit rectæ rationi conforme, nec adeò ut sic potest actus ex ipso specificatus esse *Moraliter* malus; licèt in sensu Diviso, malitiâ scilicèt Finis, aut Circumstantiæ transeunte in conditionem Essentialem objecti, quod de se secundùm suam *Metaphysicè* præcisam specificam differentiam est Bonum, transeunte, incipiat objectum *in actu Exercitio Moraliter* esse malum, ut adeò actus ex ipso taliter specificatus sit malus *in genere moris*. In quo proinde sensu Di- 24.
viso verificatur doctrina Divi Thomæ *supra. n. 3.* allegati docentis, *Actioni morali habenti unam Bonita-*

Bonitatem ex objecto, posse deesse aliam ex Fine. Hoc enim non tenet *in sensu Composito*, quasi Bonitas ex objecto, & malitia ex fine simul stent in uno actu morali, sed quatenus in actu de se, *secundum meta, hysicam præcisionem* habente Bonitatem ex objecto, si *Exercitè* ac *Individualiter* spectato superveniat malitia ex Fine, ista est destruens, seu impediens illam ex objecto alioquin specificatam Bonitatem: sicuti etiam mors dicitur accidens viventi superveniens, non in *sensu Composito*. sed *Diviso*, quatenus cadendo in Corpus formâ vivente informatum, est hujus dissolutivum ac destructivum.

25. Ad *n. 5.* oppositum fundamentum Respondetur, negando minorem. Quod si licet actus tendens in Motivũ supernaturalis virtutis, possit esse imperatus ex Fine alicujus Finis venialiter mali: hoc enim repugnare tum ratione supernaturalis actui ejusmodi prælucentis Dictaminis, tum ratione Divini concursûs, *superius est demonstratum.* Unde quamvis cum attritione supernaturali Confess. ... possit elici affectus vanæ gloriæ, nequit tamen iste Finis *Motive* afficere attritionem supernaturalem, imò ista, idem est de actu fidei, ne quidem implicitè potest ab illius pravi Finis intentione procedere. Etsi vero fidei interius conceptæ confessio externa possit fieri ex intentione captandæ vanæ gloriæ, vel inanis Complacentiæ Principis, eo ipso tamen ista confessio non erit actus Moraliter bonus; nisi affectus ille venialiter malus se habeat ad ipsam, *merè Concomitanter, prout seq. a. 4. cont. 1. magis elucidabitur.* Et hinc licèt voluntas suscipiendi Baptismum ex Fine vanæ Gloriæ, sit sufficiens ad valorem Sacramenti *ex opere Operato* Gratiam conferentis subjecto, obicem (cujusmodi non est affectus venialiter malus) non ponenti; nequit tamen *ex opere Operantis* habere aliquid moralis Dignitatis, vel Bonitatis.

CONTROVERSIA III.

Utrùm idem numero actus moralis possit de malo fieri bonus, vel econtra?

1. Capreolus *in 2. dist. 40. circa finem.* Cajetanus *1. 2. q. 19. a. 1. §. Quòd autem hujus oppositum.* Vasquez *disp. 56. cap. 2.* Medina *cit. q. 19. in explicat. ar. 1. concl. 3.* affirmant.

Fundamentum Primum à Vasquezio *citato* deductum est. Actus enim voluntatis, quantumvis sit totus simul, potest tamen nostro tempori successivo coexistere. Ergo non repugnat, diverso tempore, cui coexistit, recipere in suâ ipsius substantiâ diversa individua accidentia. Atqui bonum & malum sunt accidentia actûs interioris. Ergo eadem actio secundùm substantiam perseverans aliquo tempore potest de bonâ fieri mala: veluti patet in eo, qui cum debitâ animi dispositione, nullo præcepto impeditus, vult celebrare missam, & postea, dum incipit, Ecclesia interdicitur, ipse tamen manens in eâdem voluntate, perseverat in celebratione missæ cum ignorantiâ interdicti culpabili, tunc ille actus voluntatis incipit esse malus, qui priùs fuerat bonus.

Secundum à Cajetano *ubi supra* insinuatum, & à Medinâ *præcitato* deductum fundamentum est. Sicuti enim verum & falsum se habet ad actum Intellectûs; sic Bonum & malum se habet ad actum voluntatis, ex S. Thomâ *cit. q. 19. a. 2.* At idem numero actus Intellectûs substantialiter invariatus potest de vero transire in falsum ex solâ objecti variatione: veluti constat in hac propositione, *Petrus scribit*; quæ ipso scribente, sic vera est, ut, si desinat scribere, *substantialiter omninò* invariata, ob solam objecti mutationem constituatur falsa. Ergo idem etiam actûs voluntatis *substantialiter* invariatus ex objecti variatione potest de bono transire in malum, uti patet, cùm quis alienam fæminam cum ignorantiâ invincibili cognoscit, tanquàm suam, facit actum moraliter bonum, qui tamen eo ipso transit in malum, quòd succedat de objecti illius malitiâ vincibilis ignorantia. 2.

Econtrario negant Conradus *cit. q. 19. a. 1. & q. 20. a. 6. §. Nota, quòd circa hanc.* Suarez *tract. 3. de actibus humanis disp. 8. sect. 2.* & sub distinctionibus in progressu hujus controversiæ discutiendis, Amicus *cit. disp. 14. sect. 4. à n. 73.* Sotus *in 1. 2. q. 20. a. 6.* Fundamentum desumi potest ab Authoritate Divi Thomæ *cit. q. 20. a. 6.* ubi præsupposito exemplo deambulationis continuatæ, prout *in genere naturæ* est unus actus, sed ob diversitatem intentionis *in genere moris* multiplex; subdit, esse impossibile, quòd actus *in genere moris* unus sit bonus & malus bonitate & malitiâ morali, tametsi prout est unus unitate *naturæ*, & non unitate *moris*, possit esse bonus, & malus. 3.

CONCLUSIO.

Repugnat, unum numero actum voluntatis etiam *Entitativè spectatum*, esse *successivè* Bonum & Malum, unde etiam impossibile est, Externum seu imperatum voluntatis actum *quà in genere moris* unum transire de bono in malum, & èccontra.

Probatur. Eo ipso enim, quòd specificatio actûs moraliter Boni consistat in intrinsecâ commensuratione, seu habitudine ad Honestatem objectivam ratione nostrâ practicè verâ expressam, sequitur, non posse dari actum *Moraliter* Bonum, nisi stante istâ per Intellectum nostrum repræsentatâ Honestate objectivâ. At impossibile est, quòd ratio nostra secundùm Veritatem practicam sit expressiva Honestatis in objecto, cujus aliquam circumstantiam vel judicat, vel saltem advertens, vincibiliter negligit judicare Naturæ rationali dissentaneam. Sicut ergo judicium objecti quà naturæ rationali consentanei expressivum pugnat cum cognitione circumstantiæ alicujus rationi dissentaneæ vel repræsentativâ, vel aliqualem saltem hujus advertentiæ umbram Vincibilis, adeòq; culpabilis ignorantiæ inductivam præseferente: Sic repugnat; actum, qui Moraliter erat bonus, secundùm suam substantiam & entitatem intrinsecam adhuc stare; dum supervenit cogitatio & advertentia requisita ad actum *Moraliter* malum. 4.

Dices ex Amico citato *n. 82. & 83.* Hoc argumento evinci quidem, tum quòd actus interior 5.

terior voluntatis liberè elicitus non possit fieri ex bono malus, & econtra, tum quòd implicet, eundem actum defectu advertentiæ necessariò elicitum, accedente tantùm libertate & advertentiâ rationis, fieri ex non bono bonum: attamen non evinci, quòd actus defectu advertentiæ necessariò elicitus nequeat ex non malo fieri Moraliter malus, accedente solâ rationis advertentiâ & voluntatis libertate: neque evinci, quòd actus ex perfectione & plenitudine objecti necessariò elicitus ex non bono *Completè Moraliter* fieri non possit *Completè Moraliter* bonus, accedente solâ voluntatis libertate: siquidem, si beatus, sublatâ visione Beatificâ, continuaret actum delectationis Dei, iste actus substantialiter invariatus, accedente tamen libertate, ex non bono *Moraliter Completè* fieret bonus *Completè Moraliter*.

6. Contra. Nam *supra q. 3. a. 1. cont. 4.* ostendimus; libertatem non esse solùm extrinsecam denominationem, sed esse intrinsecam actui voluntatis. Unde consequenter etiam probavimus, actum amoris Dei Liberum & Necessarium distingui secundùm differentias perfectionis individualis, quatenus scilicet Voluntas quà principium determinatum recipiat à Causâ Primâ motionem causatricem alterius actûs amoris Divini, *Individualiter* diversi ab actu dilectionis Dei, quem in statu Indifferentiæ Electivæ, ac Denominativæ cum Dei præmotione & Causalitate operatur. Consequens proinde est; ne in prætactis quidem casibus contingere posse, quod idem numero actus voluntatis possit de non Bono in Bonum *Moraliter*, vel de non malo in malum *Moraliter* transire.

Responsio ad opposita Fundamenta.

7. AD Primum Vasquezij oppositum fundamentum Respondetur. Falsum esse, quòd Bonitas moralis etiam *Formaliter*, & malitia *Fundamentaliter* sumpta sint accidentia actûs voluntatis, quin potiùs sint ipsa Essentialis & intrinseca actûs ad objectum sui specificativum commensuratio. Ex quo etiam consequens esse, voluntatem de celebrandâ missâ in non impedito & rectè disposito moraliter bonam non posse eandem numero continuari, quando succedit aliqua circumstantia illius objecti de se boni in malum transmutativa; siquidem Motivo & objecto illius actûs Moraliter Boni specificativo tunc evanescente, oporteat, eo ipso evanescere actum ex tali specificatione *Essentialiter* subsistentem. Quamvis proinde actio aliqua extrinseca celebrationis *in genere naturæ* posset eadem numero perseverare, eo ipso tamen, quòd talis actio exterior non ad instar actûs voluntatis sit *intrinsecè* moralis, sed per extrinsecam duntaxat denominationem; fieri quidem posse, quòd eadem *in genere naturæ* actio possit de bonâ transire in *Moraliter* malam, repugnare tamen, quòd exterior actio *in Genere moris* una & eadem ex moraliter bonâ transeat in malam; uti ex Divo Thomâ *superiùs est demonstratum*.

8. Ad Secundum Medinæ oppositum fundamentum Respondetur. Sanctum Thomam *ibi* citatum apertè dicere; Bonum & malum *per se* pertinere ad voluntatem, sicut verum & falsum ad rationem. Hujus verò actus per se distingui differentiâ veri, vel falsi, prout dicimus, opinionem esse veram, vel falsam. At istam Divi Thomæ Doctrinam esse accipiendam, quatenus Verum & Falsum sunt motiva immediata, & ut sic specificativa actuum rationis. Hæc autem locum habere in opinione, quatenus Verum non sub determinatâ Veri ratione, secundùm principij alicujus signatam & expressam certitudinem seu evidentiâ Intellectui applicatâ, sed sub probabilitatis, vel testimonij humani signatam veri & falsi indifferentiam, seu veritatis contingentiam fundantis ratione est motivum assensûs opinativi. Unde Sanctum Thomam *loco citato* intendere, quòd, sicut Verum sub signatâ veritatis determinatione seu certitudine, & Verum, vel Falsum sub indifferentiâ probabilitatis sunt objecta *per se* specificativa, & ut sic distinctiva actuum Intellectûs, sic Bonum & Malum morale in objecto sint specificativa, & ut sic distinctiva actuum voluntatis, adeò ut voluntas bona & mala sint differentes secundùm speciem. Etsi proinde de veritate & falsitate remotâ & Exercitâ, non autem signatâ actuum Intellectûs ut sic specificativâ, & *Essentialiter* distinctivâ, verificetur, eatenus se habere ad Intellectum, ut idem numero actus opinativus, seu contingenter verus possit subire extrinsecam falsi mutationem: sicuti tamen sub signatæ contingentiæ & indifferentiæ ratione veritas opinionis propria est eatenus invariabilis, ut repugnet, actum opinativum de tali veritatis contingentis signatæ statu transire ad statum determinatæ veritatis, seu certitudinis; sic quia Bonitas etiam *Formaliter*, & malitia moralis *Fundamentaliter* spectata secundùm præallegatam Divi Thomæ doctrinam est differentia *per se*, adeòque *specificè* distinctiva actuum voluntatis, consequenter repugnat, actum voluntatis *Moraliter* bonum *intrinsecè* invariatum fieri malum.



ARTICULUS IV.

DE

Bonitatis & Malitiæ moralis ex uno actu in alium derivatione, seu participatione.

TRia hic veniunt principaliter discutienda. 1. *Qualiter intentio Boni Finis inficiatur ex pravi medij Electione?* 2. *Qualiter ad Bonitatem seu Malitiam actûs interioris imperantis se habeat Exterioris imperati actûs Malitia, vel Bonitas?* 3. *Utrùm actus exterior imperatus aliquid Malitiæ seu Bonitatis superaddat interiori imperanti actui?*

***

CON-

❀❀❀❀❀❀❀(❀❀❀)❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀

CONTROVERSIA I.

Qualiter intentio Boni Finis inficiatur ex pravi medij Electione?

NUllam movemus difficultatem de hoc: 1. *an scilicet intentio mali Finis malitiâ suâ inficiat Electionem medij de se honesti?* Nam si mali Fini intentio sit *Antecedens*, non verò *Consequens*, vel *Concomitans* duntaxat, patet *ex præced. art. controv. 1. & 2.* Electionem medij de se honesti eatenus infici mali iâ Finis præintenti, ut nulla penitus Bonitas moralis cum ipsâ componi possit. Ratio est. Tum quia intentio dicitur *Antecedens*, quando influit in medij Electionem. At *cit. cont. 2.* probavimus, actum imperatum, eo ipso, quòd dependeat ex influxu actûs imperantis; ex hoc eatenus participare malitiam moralem, ut nulla in actûs imperati objecto de se licet honesto moralis Bonitas possit per rectæ rationis prudentiale Dictamen ab intellectu repræsentari, atque adeò appeti a voluntate. Idem proinde asserendum est de Electione procedente ex influxu pravæ intentionis, ut adeò locum tunc habeat illud Christi Domini dictum *Lucæ 11. Si oculus tuus* scilicet intentionis, *fuerit nequam, totum corpus tuum*, series scilicet operationum moralium, *tenebrosum erit*. Tum quià 2. hoc eò fortiùs urget in Electione ortâ ex Finis pravi intentione, quòd Finis ejusmodi se habeat ut objectum Formale non *Quo* duntaxat, sed ut *Quod* Electionis ejusmodi Motivum, ac specificativum, veluti *supra. q. 1. artic. 1.* ostendimus. Oportet igitur, Electionem medij de se honesti infici malitiâ Finis, si ex hujus intentione promanet, non verò si ad Electionem ejusmodi se habeat vel *Consequenter* duntaxat, quòd v. g. fit, dum quis Eleemosynam ex motivo Bono factam postea primùm referat in Finem vanæ Gloriæ; vel *merè Concomitanter*, dum v. g. cum voluntate fidei imperativâ stat alicujus Gloriæ, seu lucri ex talis actûs professione apud Principem obtinendi deordinata intentio, in fidei supernaturalem actum non influens; imò nec potens quidem influere, sed cum supernaturali piâ erga fidei ex primæ veritatis appretiatione eliciendam affectione *merè Concomitanter* conjuncta.

Quibus adeò suppositis, restat hic 3. examinanda controversia: *An sicuti intentio pravi finis depravat Electionem medij de se honesti, sic contra Electio pravi medij tollat Bonitatem intentionis de Fine honesto prehabita?*

Referuntur Sententiæ.

VAsquez *præs disp. 68. cap. 1. n. 3.* cum Divo 4. Bonaventurâ & Richardo à se citatis docet, distinguendum esse, ita ut alia intentio se habeat ad Finem *Absolutè*, absque respectu ad media, quæ potiùs voluntas Finis, quàm intentio dicenda sit: alia verò sit tendens in Finem cum ordine ad media. Et quidem in priori casu intentionem Finis boni non posse infici malitiâ mediorum. In casu autem posteriori subdistinguendum esse, siquidem intentio Finis cum ordine ad media possit tribus modis accidere: *Primo* ita, ut media respiciat *solùm confusè*, non *determinatè* medium vel bonum, vel malum, atque tunc intentionem Finis honesti semper fore bonam, nec infici posse malitiâ medij postea *determinatè* eliciti. *Secundo* versari posse intentionem circa finem cum respectu ad medium malum, etiamsi voluntas nondum processerit ad Electionem; atque tunc intentionem fore hoc ipso malam, quòd dicat ordinem ad medium malum, v. g. intendendo Finis consecutionem per medium etiam malum, si opus fuerit, procurandam. *Tertiò* denique posse Boni Finis intentionem actu conjunctam esse cum pravi medij Electione, atque istius malitiam indubitanter redundare in illam.

Fundamentum desumitur ab authoritate S. Bernardi *in lib. de dispensat. & præcepto. c. 17.* docentis; ut rectus sit oculus intentionis, duo esse necessaria, alterum esse Charitatem in intentione, propositum scilicet virtutis: alterum verò esse veritatem in Electione, ita ut nihil contra rationem ex illâ intentione eligatur.

5. Joannes à Sancto Thomâ *præs. disp. 11. a. 3. n. 4.* absolutè docet, quòd, quotiescumque intentio influit in Electionem pravam, vitietur intentio, vel potiùs vitiata supponatur, quatenus est influxivâ in talem Electionem, utpotè ortam ex Fine præintento. Fundamentum *n. 3. & seq.* deductum est. Nam si intentio Boni Finis aliquando non vitiaretur ex pravi medij Electione, hoc ideò foret, quòd talis intentio non ex naturâ suâ, sed ex malitiâ abutentis, præintento bono fine, influeret in pravam Electionem. At hoc solùm probat, illam intentionem ex suâ specificatione non influere in pravam Electionem, nec adeò ex suâ specificatione & objecto malam esse, non tamen probat, quòd in exercitio non influat in pravam Electionem. Probatur istud assumptum. Intentio enim & quicumque actus voluntatis non operatur nisi 6. cum subordinatione ad ipsum operantem: Sicut principium *Quo* non operatur sine principio *Quod*. Unde intentio non est consideranda in *abstracto*, prout *præcisè* tangit objectum, ut sic enim non vitiatur: sed considerari debet *in concreto*, prout in Exercitio subordinatur ipsi operanti, & amore illius movetur operans ad talem Electionem faciendam. At intentio taliter considerata in Exercitio influit sine dubio in pravam Electionem, licèt id non petat ex naturâ & specificatione suâ, sed ex ordinatione operantis id habeat. Eo ipso autem, quòd Boni Finis intentio in Exercitio taliter influat in pravi medij Electionem, contrahit ex hac malitiam moralem.

Probatur hoc assumptum. Causa mali non 7. dicit Bonum, sed defectum. Unde impossibile est, quòd Exercitium influendi in peccatum; & causandi illud, non sit malum. At eo ipso, quòd illa intentio sit voluntas circa Finem non quomodocunque, sed ut acquirendum per media, & inde operans moveatur ad eligendum medium hoc vel illud *determinatè*, sequitur, intentionem, si talis sit conditionis & naturæ; ut velit acquirere Finem per medium, sive determinatè illud designet, sive solùm malum in confuso, sive per necessariam Consequentiam, sive liberè, modò non recuset illud, in Exercitio

fore causam peccati in medij Electione contenti. Ergo tunc contrahit hujus malitiam moralem.

8. Joannes Baptista Gonet *præs. to. 8. disp. 6. a. 1. §. 1.* distinguit, asserendo: quando intentio *per se* & *necessariò* connectitur cum pravâ Electione, vitiari per istam: secus verò esse, si *per accidens* tantum, & ex malitiâ eligentis cum eâ conjungatur. Fundamentum hujus posterioris partis est. Nam quando intentio non connectitur *per se* cum pravâ Electione, tunc, quòd assumatur medium malum, non provenit ex vi intentionis, utpote quæ id non exigat, nec ad id determinet voluntatem, sed contenta sit electione medij honesti, quo Finis posset obtineri. Unde malum medium tunc provenit ex pravitate voluntatis illud eligentis. Ergo tunc electio talis medij non reddit malam priorem intentionem: Veluti patet in eo, qui vendit agnum Sacerdoti Idololatræ, non enim peccat, etiamsi sciat, illum idolis immolaturum, siquidem talis immolatio non *per se* sequatur ex agni venditione, sed ex pravâ Sacerdotis, illo agno ad convivium uti potentis, voluntate. Quod si verò quis vendat vestes Idolorum Cultui deputatas, proculdubio peccat, cùm enim non possint tales vestes ad alios usus deservire, cultus idolorum *per se* sequitur ex tali venditione.

CONCLUSIO.

INtentio Bona vitiatur per Electionem medij pravi, nisi hujus malitia ad Finis honesti intentionem non *abstractè*, sed *in Concreto* & *Exercitè* spectatam juxta rectæ rationis Dictamen prudentiale *Moraliter* se habeat *merè per accidens*.

9. Probatur. Nam sive intentio respectu Electionis mediorum habeat vim physicæ Causalitatis, sive vim Causalitatis moralis, *per se* tamen est influens in Electionem, etiam non necessariò connexam cum tali intentione, sed subordinatam liberæ voluntatis subordinationi. 10. Probatur illud assumptum. Quia medium ex suâ præcisâ Bonitate non potest movere voluntatem, seu in virtute Finis actualiter moventis ad medij Electionem. At Finis, non nisi mediante sui intentione, potest movere ad medij sibi proportionati prosecutionem. Illa verò causa est *per se*, sine cujus influxu nequit produci effectus, tunc enim iste habet *per se* dependentiam a tali causâ. Consequens proinde est, quod intentio Finis sit *per se* influens in Electionem mediorum. At Causa *per se* actûs moraliter mali, si non *præcisè* influat in hujus Entitatem, seu *Moraliter saltem* sit causans ipsius malitiam, eo ipso inficitur tali malitiâ.

Probatur hoc assumptum. Nam ad hoc, 11. ut intentio Finis de se alioquin boni sit *Moraliter* causans malitiam Electionis, oportet; istius malitiei ex tali intentione causationem esse *Virtualiter* saltem, in aliquâ sui saltem umbrâ (velut accidit in ignorantiâ vincibili) præcognitam; nihil enim volitum, nisi vel in se ipso, vel saltem in aliquo medio exactioris de latente aliquâ obligatione inquisitionis debitum præseferente fuerit præcognitum. At positâ istâ etiam virtuali duntaxat præcognitione, hoc ipso Finis, prout mediante sui intentione est medij Electionem non tantùm *Physicè* ac *Entitativè*, sed *Moraliter* sub ratione moralis malitiei spectatam causans, nequit qua hic & nunc *Exercitè* intentus, per Dictamen prudentiale *Practicè* repræsentari rectæ rationi consentaneus, veluti probat etiam ratio *præs. art. 1. conc. 2.* per nos deducta. Quamvis igitur intentio Boni Finis pro instanti aliquo priori, in quo fiebat hujus quà in se secundùm suam propriam Honestatem *præcise* spectati repræsentatio, ac prosecutio, omnino honesta fuerit, & *Moraliter* bona, pro instanti tamen posteriori, in quo medij pravi ex talis intentionis vi & efficaciâ eligendi fit repræsentatio, nequit ut sic Finis sub objectivæ Honestatis Formalitate esse repræsentatus, nec adeo subsistere potest prior intentio Bona, sed hâc evanescente, succedit prava, non semper ac necessario distincta ab Electione, sed plerumque *realiter* identificata, nec nisi *Virtualiter* secundum rationem ratiocinatam diversa ab actu Electionis. Constat proinde, qualiter intentio Finis qua Boni & Honesti depravetur, imò tollatur per medij pravi Electionem, nisi ad hujus malitiam intentio etiam *in Concreto Exercitè* spectata secundùm rectæ rationis prudentiale Dictamen *Moraliter* se habeat *merè per accidens*.

Probatur istud assumptum. Nam intentio Finis, prout *Exercitè* est medij alioquin pravi 12. Electionem causans, ad hujus malitiam est se habens *per se Moraliter*, quando prudentialis ratio dictat, Finis de se Honesti Bonitatem non ita prævalere malitiei medijs annexæ, ut istam secundùm prudentialis Judicij æstimationem vel simpliciter, vel saltem in ordine ad actus Finis ejusmodi efficaciter prosecutivos tollat. Hinc quia mendacij intrinsece mali pravitas nequit *Moraliter* abstergi, nequit idcirco Intentio Finis medio mendacio consequendi non *per se* causans esse talis malitiei. Hinc etiam sustineri 13. non potest cujusdam (ut nonnemo refert) recentioris sententia existimantis, posse coram Idolo, sub quo lateat tamen imago Christi, ex intentione istam, non illud adorandi, gravioris saltem mali discrimen evitandi causâ exhiberi cultum latriæ. In hoc enim actu fit prævaricatio præcepti de publicè confitendo Christo, cujus præcepti sub omnimodo etiam Extremi mali subeundi discrimine gravitas tolli non potest ex illius de Christo latenter adorando intentionis Bonitate. Econtra verò Finis conservandæ vitæ cum debito tutelæ moderamine, 14. ex prudentialis rationis charitatem proprio supposito congruam ponderantis dictamine, penitus abstergit ab homicidio moralem injustitiæ malitiam. Similiter Charitatis ratio propriæ famæ conservandæ intenta malitiam Fornicationis, cujus Conjuges ob impedimentum impotentiæ solùm putatitij instar Fratris & sororis cohabitare permissi subsunt discrimini proximo, eatenus abstergit, ut Finis ejusmodi honesti intentio, ad talem malitiam Cohabitationi seu medio illius Finis assequendi accommodato annexam *Moraliter* secundum prudentiæ Dictamen se habeat *merè per accidens*: sicuti etiam medicina, ex cujus physicâ virtute certò prævidetur secutura pollutio, ex Bono sanitatis Fine electa non inficit bo-

nam istius finis intentionem, eò quòd ista in tali casu secundum prudentiæ rationem *solum per accidens* se habeat ad moralem pollutionis malitiam. 15. Quare eatenus verum est, quòd intentio Finis vitietur per electionem pravi medij, quatenus non *physicè* duntaxat, sed secundum prudentiæ moralem æstimationem est *per se* influens non *præcisè* in Entitatem Electionis, alterіusve mediorum prosecutivi & Causativi actûs, sed in hujus, seu mediorum malitiam moralem. Ad hæc verò discernendum non una pro omnibus materijs moralibus tradi potest regula, sed ex singularum Virtutum naturâ, uniusque præ alterâ dignitatis ac Eminentiæ, nec non obligationis cuique virtutis gradui secundùm dignitatis proportionem respondentis comparatione id prudenter est ponderandum, adeò ut, si secundùm prudentiale Dictamen malitia medio alioquin inexistens ex altiori quâdam Finis ratione vel tollatur, vel morali prudentiæ æstimatione se habeat ad intentionem ac prosecutionem Finis *solum per accidens*, ac proinde secundum voluntarium etiam indirectum & Interpretativum *purè permissivè*, tunc Electio medij de se pravi non inficit suâ malitia Boni Finis intentionem. Unde quoad intentionem ejusmodi Finis ex altiori prudentiæ ratione ad moralem medij malitiam non nisi *permissivè* se habentis accipi potest Divus Thomas *in 2. dist. 38. q. un. art. 5.* Item *1. 2. q. 19. a. 8. arg. sed contra*, docens, quod *in aliquo casu possit esse voluntas mala & intentio bona.* Et *dist. 40. q. 1. a. 2.* Item *1. 2. q. 20. a. 2.* inquiens. *Voluntatem ex fine posse bonam esse, & malam ex Electione, seu quoad actum exteriorem.*

Responsio ad opposita Fundamenta.

16. AD Vasquezij *n. 4* propositam doctrinam Respondetur. Ad hoc, ut simplex Finis Boni voluntas ac intentio ex consequente mali medij Electione non inficiatur malitiâ, duo præcipue attendenda esse: *An scilicet prævia Finis intentio sit influens?* &c. *An ejus influxus non sit præcisè in physicam Electionis Entitatem?* Etenim si intentio se habeat ad medij malitiam moralem *positivè* seu *privativè*, secundùm voluntarium saltem indirectum seu Interpretativum, & non merè *permissivè*, tunc Medij malitiam omnino derivari in talem intentionem, uti *supra* ostensum est.

17. Ad Joannis a Sancto Thomâ *n. 5.* deductum fundamentum Respondetur. Eo ritè probari quod Intentionis in Electionem influxus sit *per se*, atque adeo Finis de se Boni intentio inficiatur mali medij Electione, si tamen influxus ejusmodi (velut accidit in pollutione per medicinam ex intentione bonâ sanitatis prudenter assumptam causatâ) non terminetur *præcisè* ad physicam effectûs exinde secuti Entitatem, sed juxta prudentiæ dictamen saltem *indirectè* ac *interpretativè* (veluti non evenit in eo, qui ex bonâ propriæ sustentationis intentione Idololatræ vendit Agnum ex emptoris malitiâ cultui Idololatrico deputandum) terminetur ad ipsam medij moralem malitiam, non verò se habeat ad illam *solum permissivè*.

18. Ad Gonetij *n. 8.* propositam doctrinam Respondetur. Eam nobis apprimè probari, opus tamen esse adhuc explicare, quando Finis Boni intentio non *per se*, sed *per accidens* tantum cum pravâ Electione non *physicè* duntaxat, sed *Moraliter* quoad suam malitiam spectatâ connectatur. Pro quo dignoscendo aliqualem Regulam a nobis *supra n. 15.* expositam lectori expendendam relinquimus.

19. Instabis. Istam regulam in eo se tenere, quòd intentio Boni Finis tunc non inficiatur medij alioquin pravi Electione, quando secundùm prudentiale Dictamen malitia medio alias inexistens ex altiori Finis ratione vel tollitur, vel in morali prudentiæ æstimatione se habet ad intentionem *purè permissivè* secundùm voluntarium etiam indirectum ac Interpretativum. At istam Regulam videri fallere in pluribus sacræ scripturæ Exemplis, in quibus vel mendacium, vel propria sui occisio, vel homicidium privatâ authoritate perpetratum intrinsecè mala, atque adeò à suâ malitie inseparabilia videntur fuisse eatenus assumpta, tanquam media Boni alicujus Finis consecutioni accommodata, quin talis Finis intentio inficeretur malitiâ Electionis. Probatur istud assumptum. 20. Nam 1. Abraham *Gen. 20.* Saram uxorem dixit suam sororem. In quo tamen testibus Sanctis Augustino *Lib. 22. contra Faustum. cap. 33.* & Chrysostomo *Hom. 25. super Genes.* non peccavit, quia hoc dixerat ex intentione avertendi discrimen vitæ, alioquin periclitaturæ. 2. Jacob secundogenitus *Gen. 27.* Patri se primogenitum Esau est professus, & tamen à Divo Augustino *Lib. contra mendacium. cap. 10.* excusatur. 3. Obstetrices Ægyptiæ mentitæ sunt Pharaoni ex Fine impediendi parvulorum homicidia. At propter istius Boni intentionem videntur excusandæ à peccato, quia Deus ipsas remuneravit, juxta illud *Exod. 1. Bene fecit Deus obstetricibus.* 4. Moyses *Exod. 2.* legitur interfecisse Ægyptium, & tamen videtur excusandus ex bona intentione liberandi proximum injustè vexatum. 5. Sanson columnas templi concutiendo *Judicum 16.* se ipsum occidit; excusandus tamen est ex intentione bonâ de Populi Dei inimicis hoc medio interficiendis habitâ: Unde a Paulo *Heb. 11.* numeratus inter Sanctos.

21. Hinc 6. accedunt exempla novi Testamenti de Sanctâ Apolloniâ, quæ narrante historiâ ipsius Spiritûs Sancti igne succensa projecit se in rogum ardentem: nec non de Sanctâ Pelagiâ, quæ Divo Ambrosio *Lib. 3. de Virg.* attestante, se præcipitavit in flumen, ne à milite persequente violaretur: ac denique de quibusdam Sanctis Fæminis, quæ, referente Sancto Augustino *Lib. 1. de Civit. cap. 26.* simile quid fecerunt, ut invasores suæ pudicitiæ effugerent. 7. Quòd malitia propriæ occisionis ex bonâ servandi Castitatem intentione purgetur, S. Hieronymus super *cap. 1. Jonæ* videtur docere. *Non licet*, inquiens, *propriâ se occidere manu, absque eo, ubi castitas periclitatur.* 8. Denique videtur suffragari illud Christi Domini dictum *Matth. 6. Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit.* At nomine oculi intelligitur intentio, nomine verò Corporis opus ex illâ profectum. Unde Divus Augustinus *Præfation. in Psal. 31.* ait; *Bonum opus intentio, intentionem fides dirigit. Non valde aspicias, quid homo faciat, sed quid, cùm facit, aspiciat.* Et Sanctus Ambrosius *Lib. 1. Offic. cap. 30.* *Affectus tuus*, inquit, *nomen imponit operi tuo.*

22. Ex quibus adeò videtur evinci, Regulam superiùs positam nimis esse strictam, cùm præallegata exempla *Universaliter* ac *Illimitatè* probare videantur, quòd Finis Boni intentio non tantùm non infici possit per medij de se pravi electionem, sed hujus potiùs malitiam abstergat: velut nonnulli apud Sixtum Senensem *lib. 5. Bibliotheca annot. 253.* sentire videntur; affirmantes, licitum esse mentiri propter bonum Finem.

23. Respondetur 1. Istam à Sixto Senensi *proximè* citato allegatam doctrinam, ceu erroneam, Sancto Augustino *lib. contra mendac. cap. 1. præsertim* præeunte, omninò reijciendam esse: tum quòd Alexander III. *Can. Super eo. De Usuris*, rescribat: *Scripturas sacras prohibere pro alterius vitâ mentiri.* Tum quòd ex communi Theologorum axiomate non liceat, facere mala, ut eveniant bona. Unde *si oculus* intentionis *fuerit simplex*, seu *Moraliter* bonus, eatenus *Corpus*, sive opus inde secutum lucidum erit, ut tamen ad hoc, *quòd oculus intentionis sit rectus, duo nempe Charitas in intentione, & veritas* in Electione, atque adeò rectitudo tam Finis, quàm medij requirantur. ex Sancto Augustino *lib. de opere Monach. cap. 20.* & Divo Bernardo *in lib. de dispensat. & præcept. cap. 17.* Juxta quem adeò sensum accipienda sunt verba Sanctorum Ambrosij, & Augustini *in fine objectionis* adducta.

24. Verum enim est, quòd affectus & intentio per fidem regulata & per charitatem formata nequeat extendere se ad medium ex regulæ prudentialis practico dictamine hic & nunc pravum, ut adeò affectus prudentiali rectæ rationis, nihil fidei, aut Charitati contrarium approbare valentis, dictamine regulatus imponat nomen operi exinde secuto. Negandum proinde est, quòd Boni Finis intentio possit excusare pravi medij Electionem, quamvis ex altiori finis ratione prudentiale in principijs moralibus fundatum judicium quandoque possit vel medij Formalitatem eatenus immutare, ut sub tali Formalitate omnimoda secundùm alium statũ inexistens malitia abstergatur, vel possit Boni Finis intentionem ac medij, finem ejusmodi *physicè* causare valentis, electionem eatenus dirigere, ut intentio non influat in medij malitiam moralem, sed ad istam se habeat *merè permissivè*, non nisi ad physicam medij Entitatem concurrendo.

25. Quare ad exempla superiùs posita Respondetur 2. Ex nullo illorum evinci, quòd Electio medij pravi ex præcisâ Finis Boni intentione possit excusari. Nam 1. Abraham cum veritate dixit, Saram esse suam sororem: siquidem fuerit soror ipsius ex parte Patris, licèt non ex parte Matris. *Gen. 20.* Unde Sanctus hic Patriarcha teste Divo Augustino *in quæst. super Genesin* celando Veritatem, *quòd soror esset sua uxor*; & asserendo præcisè; *quòd esset sua soror*, non fecit mendacium.

26. 2. Jacob etiam cum veritate dixit, se esse primogenitum Esau, non quidem in personâ, sed in jure primogenituræ à se coempto, & insuper manibus pelle hædinâ contectis, se simulando, ac si esset Esau, Figuram, non mendacium fecit; uti pluribus deducit Sanctus Augustinus in *objectione* citatus.

27. 3. In illis Ægyptijs obstetricibus intentio bona conservandi infantes Hebræos jam priùs, quàm à Pharaone inquirebantur, præhabita, & à Deo remunerata se habebat solùm *per accidens* ad illud mendacium, in hoc nullam exercens causalitatem & influxum. Ergo non poterat infici malitiâ mendacij, *solùm per accidens* subsequentis.

4. Homicidium illud à Moyse perpetratum vel ex bonâ liberandi proximum intentione non est excusandum, vel oportet, ex speciali instinctu, atque adeo authoritate Dei absolutam vitæ ac necis potestatem & Dominium habentis esse perpetratum. 28.

5. Samson ex instinctu, atque adeò authoritate Dei Spiritûs Sancti eversis columnis, Philistæorum populi Dei inimicorum occisionem, intendens sibi ipsi internecionis causam præstando, fecit opus bonum, quatenus non ex præcisâ boni Finis intentione, sed ex formalitatis actum moralem specificantis variatione, tali occisionis actui ex Divinæ authoritatis instinctu fuerit superinducta Honestas, & Bonitas moralis. 29. Quod ipsum dici quoque debet de illis Sanctis Fæminis, aut Virginibus in ignem, seu flumen ex instinctu Spiritûs Sancti ob Charitatis Divinæ, ac Virtutis Castitatis Zelum sese projicientibus.

30. De quo proinde casu intelligendus est Sanctus Hieronymus, si verbis *supra* allegatis omninò doceat, licere ad servandam Castitatem se propriâ manu occidere: quamvis sententiæ hujus verba non incongruè exponantur à Gonetio *cit. a. 1. §. 2. paulò ante finem*, quod scilicet particula *absque* ibi non sumatur *Exclusivè*, sed *Affirmativè* & *Copulativè*, ita ut sensus tunc reddatur, quòd non liceat se propriâ manu occidere, etsi castitas periclitetur. Quomodo sumitur *Tò absque* etiam in hisce *Cant. 4.* verbis. *Quàm pulchra es &c. oculi tui columbarum, absque eo, quod intrinsecus latet.* Neque enim *Ly absque* excludit à pulchritudine id, quod intrinsecùs latet, maximè cùm secundum *Psalmistam 44. Omnis gloria filia regis sit ab intus*, sed illa particula *absque* potiùs copulat *Tò pulchra*, cum his, *quæ intrinsecùs latent*, ita ut sensus reddatur, pulchra es & etiam ac præcipuè in his quæ intrinsecùs latent. Parem ergo in illis Sancti Hieronymi verbis sensum formari posse arbitratur Gonetius *proximè* citatus.

COROLLARIUM.

31. Infertur 1. *Qualiter intentio bona diminuat malitiam Electionis ob bonum finem aliquod pravum medium eligentis.*

32. Nam Joannes à Sancto Thomâ *cit. a. 3. à n. 16.* istud optimè definit, asserendo; Bonitatem intentionis diminuere malitiam Electionis non quidem *Formaliter* & *Intrinsecè*, sed *Motivè*. Divo Augustino *lib. contra mendacium. cap. 8.* patrocinante, ubi sic ait. *Prior est, qui concupiscendo, quàm qui miserando furatur.* Ratio est. Quia Bonitas intentionis saltè impedit, ne ex malo fine, aut pejori quis operetur, neve operetur ex tanto mali seu peccati amore, ex quanto operaretur, si ex ipso peccati affectu, non ex aliquo boni amore moveretur. Unde licèt in eo, qui ex intentione Eleemosynæ furatur, ipse etiam Finis intentionis, prout hîc & nunc exercetur, ab operante corrumpatur, atque adeò intentio sit mala in Exercitio, nec jam sit Eleemosyna, sed injustitia; ut proinde verum omninò sit, malitiam electionis non diminui *Formaliter*, & *Intrinsecè* ex Boni Finis intentione. Nihilominùs quia ista ex 33.

parte

parte operantis *quoad exercitium*, non ex parte rei intentæ, *secundum se quoad specificationem* spectatæ se tenens corruptio partim arguit minorem in malo firmitatem, partim impedit, ne præter medij malitiam, etiam altera ex Fine pravo resultans malitia interveniat, idcirco Electionis malæ ex Fine de se Bonò elicitæ pravitas est minor tum *Appretiativè* ac *Intensivè*, quoad minorem animi in malo firmitatem, tum *Extensivè*, quoad malitiæ ex motivo alioquin inhonesto in Electionem se transfundentis impeditionem. Et hinc verificatur, quòd malitia Electionis ex intentione Boni Finis *Motivè* diminuatur.

34. Infertur 2. *Qualiter, & quomodo quantitas & magnitudo Finis ac intentionis se communicet medijs, eorumque electioni.* Nam Joannes à Sancto Thomâ *cit. a. 3. à n. 33.* duplicem in intentione distinguit Bonitatis magnitudinem, & quantitatem. Primam, ait, se habere ex parte ipsius rei intentæ, quam non semper communicari *Totaliter* & *Adæquatè* medijs, in Finem seu rem intentam ordinatis, sed juxta proportionem mediorum; siquidem aliqua media plus, alia minus participent de ordine ad Finem, ejusque Bonitate. Secundam verò Bonitatis in intentione magnitudinem seu quantitatem docet, se habere ex parte ipsius intendentis & operantis, esseque intentionem, vel remissionem in operando, nec non efficaciam, seu imperum in agendo. Cujusmodi proinde intentionem ac efficaciam *per se loquendo*, redundare ex efficaci Finis Electione, quamvis *per accidens*, dum ex impedimento circa Electionem seu Executionem mediorum enascente quis remittit de priori intentione, fieri possit; quòd istius efficacia ac intensio non redundet in Electionem, ac Executionem mediorum.

35. Cui proinde Joannis à Sancto Thomâ doctrinæ eatenus subscribimus, ut aliquâ tamen opus sit distinctione. Tum quia media quà in Finem ordinabilia considerari possunt vel *Formaliter* & *Intrinsecè* secundum suam propriam ex Fine participatam & *Finalizativè* communicatam Bonitatem: vel *Motivè* quoad Formale & principale actûs Mediorũ prosecutivi motivum. Etsi verò Doctrina Joannis à Sancto Thomâ verum teneat, quatenus in ipsis mediorum ex Fine participatâ intrinsecâ bonitate est quædam inæqualitas, ut adeò dici omnino debeat, Finis Bonitatem, vel etiam malitiam non esse *Totaliter* & *Adæquatè* participatam in medijs *Formaliter* ac *Intrinsecè* consideratis, attamen falsum est, quòd magnitudo Bonitatis in mediorum Electionem, sive in media Electioni subjecta se *Motivè* transfundentis, ut sic quoad specificationem non se *Totaliter* & *adæquatè* communicet Electioni, eò ipso, quòd ipsa Finis Bonitas sit hujus Motivum Formale non *Quo*, sed etiam *Quod*, in Quarto perseitatis modo *Essentialiter* specificativum, veluti ostendimus *q. 5. a. 2. cont. 4.*

36. Tum quia licèt etiam Intensio ac efficacia intentionis se *Participativè*, per se loquendo transfundat in mediorum Electionem, hoc tamen, ipsomet Joanne à Sancto Thomâ *cit. n. 34.* advertente, intelligi debet de medijs *Formaliter* consideratis, quà in Finem ordinabilibus, non autem de medijs *Materialiter* spectatis, prout annexum quandoque habent aliquid, (veluti Medicinæ ad Sanitatis Finem ordinatæ) horrorem incutiens. Ut sic enim potest voluntas *minùs intensè* ferri in medium, ut adeò *solùm Extrinsecè* quoad Bonitatem ex Finis intentione participatæ extrinsecam participationem, non autem *intrinsecè* in se ipsâ conveniat tunc Electioni aliqualis intensionis Bonitas ex intentione derivata.

❋❋❋❋❋❋❋❋❋()❋❋❋❋❋❋❋❋❋

CONTROVERSIA II.

Qualiter ad Bonitatem, seu Malitiam actûs interioris imperantis se habeat Exterioris imperati actûs Malitia, vel Bonitas?

Quinque de hoc, allegatis Doctoribus (quos, cùm in ipsorum mente planè ac plenè circa præsens punctum exponendâ subsit difficultas non modica, idcirco nominetenùs adducere noluimus) sententias recenset Joannes à Sancto Thomâ *cit. disp. 11. a. 5. n. 2.* Prima tenet, Bonitatem moralem *Formaliter* & *intrinsecè*, ac *per prius* esse in actu exteriori, in actu interiori *solùm Extrinsecè*.

Fundamentum est. Nam ratio Boni & Mali sumitur ex ordine ad legem. Ergo illi actui *per se primò* convenit malitia, qui *per se primò* prohibetur à lege. At hic est actus Externus, sive actus se habens per modum objecti. Ergo huic *per se primò* convenit malitia, actu interno se habente per modum conditionis, sub quâ malitia objectiva possit *Exercitè* convenire actui etiam Externo.

Secunda sententia èc contrario docet, bonitatem, vel malitiam *Formaliter & Intrinsecè* esse solùm in actibus interioribus: *Extrinsecè* autem ac *Denominativè* in exterioribus.

Fundamentum est. Nam moralitas ex naturâ suâ est regulatio voluntarij. Ergo actus in tantum est bonus, vel malus, in quantum est voluntarius & liber. Atqui actus externi sunt voluntarij & liberi *Denominativè* ab actu voluntatis imperante, non autem ex propriâ suæ potentiæ elicientiâ. Unde Divus Anselmus *in lib. de conceptu Virgin. cap. 4.* ait; quòd *actiones, quas facit injusta voluntas, vocemus peccata, quia in voluntate, quâ fiunt, est peccatum.* Et Sanctus Augustinus *lib. de duab. animab. cap. 10.* sic habet. *Non nisi voluntate peccatur.* Ex quibus adeò consequens est, in solo voluntatis actu *per prius* & *Formaliter*, non in actu exteriori esse peccatum, seu malitiam moralem.

Tertia sententia Scotistarum *præcipuè* distinguit in actu morali rationem bonitatis, vel malitiæ, tum quà imputabilis ad laudem, seu vituperium, tum quà conformis, vel difformis rationi, seu naturæ rationali. Et sub priori quidem Formalitate ait, *Intrinsecè* & *Formaliter* solùm inveniri in actu voluntatis: *Participativè* autem & *Materialiter* in actibus exterioribus: at sub Formalitate posteriori actus externos etiam *Formaliter* & *Intrinsecè* esse bonos, & malos.

Fundamentum est. Quia bonitas sub priori formalitate ut sic habens moralitatem, fundatur in libertate. Hæc autem *formaliter* est in actibus voluntatis, & *participativè* in actibus exterioribus. Econtra verò, quia ratio habet, regulare & judicare de actibus etiam exterioribus, conse-

consequenter isti etiam *Intrinsecè* & *Formaliter* dicunt bonitatem & malitiam in tali ad rationem conformitate, vel difformitate sitam.

4. Quarta ex Vasquezio *disp. 73. cap. 56. & 57* desumpta sententia inter actûs exterioris bonitatem & malitiam distinguendo, docet, quòd actus exterior possit habere *Formaliter* malitiam, non verò bonitatem. Fundamentum est. Ut enim actus sit *Moraliter* bonus, non sufficit, quòd sit circa bonum, sed propter ipsum bonum *per se* & *Directè* intentum: cùm econtra malum morale hoc non requirat, sed oriatur ex quolibet defectu. At solus actus voluntatis potest ferri in bonum propter se. Unde licèt actus exterior possit versari circa bonum objectum, nequit tamen *formaliter* & *intrinsecè* habere bonitatem moralem: quamvis in ipso possit reperiri malum morale, nisi hoc in quibusdam specialibus peccatis, veluti scandalo speciali, Formali inobedientiâ, & similibus exigat Voluntarium expressum, ac Directum.

5. Quinta ex Divo Thomâ *præs. q. 20. a. 1. 2. & 3.* petita, ac per Joannem à Sancto Thomâ *cit. a. 5. à n. 6.* fusè deducta sententia inter alia sequentem *n. 9.* statuit Conclusionem; quòd nimirum in omni actu voluntatis tam interiore, sive *immediatè* per voluntatem elicito; quàm exteriore, sive imperato, *Formaliter* & *Actualiter* inveniatur bonitas, vel malitia moralis.

Fundamentum est. Cùm enim moralitas actûs *Formaliter* consistat in passivâ per legem regulatione, consequens est, omnem actum tali regulationi actualiter subjectum esse *Formaliter* bonum, vel malum. Atqui actus tam interiores, quàm Exteriores sunt *Formaliter* & *Actualiter* subjecti tali regulationi. Ergo in ipsis *Formaliter* & *Actualiter* invenitur Bonitas & malitia moralis.

CONCLUSIO.

Actus internus & externus in lineâ moralitatis ita inter se comparantur, ut Bonitas moralis secundùm Causalitatem Finalem per priùs sit in actu externo seu imperato, secùndum Causalitatem verò tum Efficientem, tum Formalem sit prius in actu interno imperante; adeò ut tota Bonitas & Malitia moralis in actu Exercito spectata *Primariò* & *Formaliter Intrinsecè* conveniat interiori voluntatis actioni, exteriori verò actui conveniat quidem *Formaliter*, sed *Extrinsecè* tantùm, ac *Denominativè*, atque adeò *Secundariò* per extrinsecam ab interiori communicationem.

6. Probatur. Tum quia actus externus secundùm objectivam ex sui ad rationis Regulas comparatione, resultantem & in Intellectu expressam Honestatem est specificativus actûs interni quà virtuosi, quatenus illa ipsa per rationem expressa Honestas est Motivum Formale specificativum interioris actûs voluntatis. Ergo ut sic habet rationem Causalitatis, atque adeò prioritatis Finalis respectu actûs interioris.

7. Tum quia actus externus non est in *actu exercito* *Formaliter* virtuosus nisi quà imperatus, atque adeò *Efficienter* causatus ab interiori voluntatis actu. At iste Causalitatis Efficientis actui imperanti conveniens influxus talem in actu causat impressionem intrinsecam, ut in hanc consequenter ipsamet actûs interioris imperantis Bonitatis moralis specifica Formalitas *Exercitè* derivetur. Hinc autem fit, quòd Bonitas objectiva actui externo seu imperato per prius *in actu quasi signato* ad instar virtutis *Finaliter* motivæ conveniens, vi liberæ & voluntariæ ex actu imperante profluentis applicationis transeat in Formalem & actualem honestatem seu Bonitatem moralem, sibi *jam Exercitè* communicatam. At ista ex actu imperante, *quasi Efficienter* profluens Communicatio non importat aliam, nisi actûs interioris Formalem Bonitatem, sui ipsius participativam, & ut sic denominativam, & sub eâdem cum actu interno Honestatis virtuosæ specie, actûs Externi specificativam. Constat igitur, actum Externum, non nisi ex voluntatis interiori actu *in Esse morali* constitutum, hinc sumere *in actu Exercito* totam suam Formalem Malitiam, seu Bonitatem moralem.

Dices. Eo ipso, quòd actus externus secundum objectivam sui Honestatem sit specificativus, & ut sic *Finaliter* causativus actûs interioris, oportere, quòd habeat sibi intrinsecam Bonitatem moralem. Falsum igitur esse, quòd actûs exterioris Bonitas moralis solummodo sit ex denominatione, & participatione extrinsecâ actûs interioris, seu imperantis. 8.

Contra. Nam Bonitas moralis aliter se habet *in actu Signato*, aliter verò *in actu Exercito*. Est autem Bonitas moralis *in actu Signato* ipsa Honestatis, seu cum naturâ quà rationali convenientiæ ratio objectiva. Ista verò *primò* est expressa in Intellectu Dei per Idealem ex increatâ Deitatis Sanctitate participationem. At verò hæc ipsa Divinæ ex sanctitate Increatâ Ideationis Participatio mediante Divinæ voluntatis efficientiâ, derivatur in mentem creatam per legis vel naturalis, vel positivæ expressionem. Est autem inter istas duas leges hoc discriminis, quòd, licèt utriusque tam positivæ, quàm naturalis legis objectum quasi Formale sit Honestatis in mente Divinâ per legem æternam expressæ & ex Divinæ sanctitatis Ideatione formatæ objectiva ratio: attamen legis naturalis objectum materiale intrinsecâ habeat cum tali Honestatis Formalitate connexione, cùm econtra legis positivæ objectum materiale non nisi *ab Extrinseco*, ex legislatoris voluntate & authoritate, sit connexa cum Formalitate ejusmodi. Hæc proinde Honestatis, seu puritatis menti rationali convenientis ex Divinâ Sanctitate, ac puritate ideata, & *in actu Signato* expressa Formalitas habet vim voluntatis, seu appetitûs quà rationalis *Finaliter* motivam, atque adeò actûs à voluntate eliciti *Finalizativè* Causativam. Hinc autem fit, quòd talis objecto inexistens Honestas, seu Bonitas moralis non sit Actualis & Formalis, sed Radicalis, importans vim *in actu primo*, non verò *in actu secundo* *Finaliter* motivam voluntatis. At hæc ipsa voluntatis *in actu primo* *Finaliter* motiva vis exit *in actum secundum*, per ipsammet voluntatis, mediante tali Honestate, ceu vi Finalizativâ allectæ, & *Intentionaliter* attactæ motionem seu actionem. Eo ipso autem, quòd ista per Honesta- 9. 10.

Honestatis Finalizationem mota & excitata voluntatis actio *in Quarto perseitatis modo* specificetur per talem in Intellectu expressam honestatem, sequitur, actionem ejusmodi *in actu secundo*, sive *in Exercito* physicæ vitalis elicientiæ *actu* habere sibi intrinsecam Honestatem seu Bonitatem moralem. Ex hac verò fit quædam in actum Externũ seu imperatum derivatio, eo ipso, quòd iste externus seu imperatus actus ex internæ moralem Bonitatem in *actu secundo ac Effectivè Exercito* Formaliter participantis actionis causalitate *Physice*, vel saltem *Moraliter* fluat, ac mediante isto effectivo influxu recipiat quandam impressionem, in quà radicetur Formalis participatio Bonitatis moralis, interno actui inexistentis, & mediante istà participatione per denominationem licet extrinsecam constituentis actum imperatum Formaliter Bonum & Honestum. Constat proinde, qualiter oporteat, distinguere inter Bonitatem moralem objectivam *in actu Signato*, & Bonitatem moralem Formalem *in actu Exercito* communicatam, ita ut hæc per prius sit *Formaliter* in voluntatis interiore imperante, & ex isto derivetur *Extrinsecè* in actum externum, seu imperatum: illa verò per modum Causæ *Finaliter in actu primo* Motivæ priùs sit in objecto, atque adeò in actu imperato, ac exinde mediante Finalizationis motione, *secundum quartum perseitatis modum* se insinuet in interiorem voluntatis actum, huic intrinsecam suam specificationem in genere Causæ Finalis tribuendo. Confirmatur ex Doctore Angelico *præs. q. 20. a. 1.* disserente in hæc verba. *Bonitas & malitia, quam habet actus exterior secundum se, propter debitam materiam, & debitas circumstantias, non derivatur à voluntate, sed magis a ratione. Unde si consideretur Bonitas exterioris actûs, secundùm quod est in ordinatione, & apprehensione rationis, prior est, quàm Bonitas actûs voluntatis, sed si consideretur, secundùm quod est in executione operis, sequitur bonitatem voluntatis, qua est principium ejus.*

11.

Responsio ad opposita fundamenta.

12. AD 1. sententiæ *n. 1.* propositum fundamentum Respondetur. Illo præcisè probari, quòd Bonitas moralis objectiva, prout per legem ex Divinà æternà lege derivatam, rationi nostræ repræsentatur in *actu Signato*, posse per prius esse in actione Externà seu imperatà, atque ut sic ad actum internum se habere *Extrinsecè* per modum Motivi *secundùm Quartum perseitatis modum Extrinsecè* specificativi, quamvis in *actu Exercito effectivæ Executionis*, per prius sit in actu interiori imperante, & ut sic *Efficienter* se communicando actui Externo, seu imperato, hunc mediante extrinsecà participatione ac denominatione *Formaliter*, constituat in esse actionis *Moraliter* bonæ.

13. Ad 2. sententiæ *n. 2.* propositum fundamentum Respondetur. Quamvis actus sint *Formaliter* morales per sui cum rectà ratione conformitatem, vel difformitatem, libertate ad moralitatem se habente *solùm Materialiter*, & *Fundamentaliter*: illam ipsam tamen rectæ rationis conformitatem *in actu Exercito* eatenus esse priùs in actu voluntatis, ut tamen *in actu Signato*, per modum vis *Finaliter* motivæ sit priùs in actu imperato, utpote objecto actionis imperantis, *secundùm Quartũ perseitatis modum* specificativo. Quare authoritates Sanctorũ Anselmi & Augustini eatenus procedere de Bonitate morali *in actu Exercito* spectatà, quatenus ista *Primò Formaliter* inest soli voluntatis actui, & ex hoc tum *Efficienter*, tum *Formaliter* secundùm Extrinsecæ participationis denominationem derivatur in actus Exteriores, seu imperatos.

Ad 3. Sententiæ *n. 3.* propositum fundamentum Respondetur. Illo duntaxat probari, quòd Bonitas moralis, quà per rationem regulata *in actu Signato*, non verò *in actu Exercito Formaliter* ac *intrinsece* inexistat actionibus exterioribus, utpote in se habentibus objectivam cum rectà ratione conformitatem, atque adeo talem Honestatem, quæ non *absolutè in actu secundo & Exercito*, sed *in actu primo* sub ratione vis Formalem actui voluntatis *intrinsecè* liberæ inexistentem honestatem *Finaliter & Objectivè* movere potentis mereatur nomen Moralis Bonitatis. 14.

Ad 4. sententiæ *n. 4.* propositum fundamentum ℞. Verum quidem esse, quòd actui exteriori possit esse intrinseca objectiva Honestas, habens ut sic *in actu duntaxat signato* rationem moralis Bonitatis. Verum insuper esse, quòd econtra malitia objectiva *Formaliter* spectata, ne quidem *in actu signato* possit esse intrinseca actui exteriori, quà interioris actûs *Finaliter* motivo & ut sic specificativo. At falsum esse, quòd exteriori quà actionis à voluntate elicitæ specificativo actui non inexistat malitia objectiva fundamentalis, ut sic tam in objecto, quàm in actu per ipsam licèt *indirectè* duntaxat, seu *interpretativè* volitam specificato fundans debitæ cum rectà ratione conformitatis privationem, atque adeò moralem malitiam. 15.

Ad 5. sententiæ *n. 5.* propositum fundamentum Respondetur. Illo quidem rectè probari, quòd actibus tam Internis, quàm Externis *in actu* etiam *Exercito Formaliter* conveniat Bonitas moralis, ita tamen, ut actioni interiori *Intrinsecè*; Exteriori verò solùm *Extrinsece* ac *Denominativè* conveniat. 16.

❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀):(❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀

CONTROVERSIA III.

Utrùm actus Externus, seu imperatus aliquid bonitatis, vel malitiæ superaddat interiori imperanti actui?

NOn est status quæstionis pro casu, quo actus Internus præter malitiam, seu Bonitatem ex specificatione objecti acceptam, habet adhuc aliam specificam ex Fine desumptam moralitatem. Indubitatum enim est, quin voluntati furandi ob finem mœchandi habitæ respondeat ex duplici exteriori actu malitia *Specificè* distincta. 1.

Quare difficultas in controversiam hîc vocata est. *Utrùm exterior sive imperatus ab interiori voluntatis actione emanans actus aliquid habeat malitiæ, seu Bonitatis saltem individualis; quæ non fuerit eadem numero in actu interno imperante?*

Referuntur Sententiæ.

2. AFfirmant Alenſis *par. 4. q. 77. memb. 3. a. 5.* Scotus *quodl. 18. a. 3.* Herrera *diſp. 33. q. 2.* Granados *diſp. 6. ſect. 2.* Amicus *præs. diſp. 16. n. 28. ac ſeq.* Maſtrius de Meldulâ *in 2. lib. ſent. diſp. 1. q. 5. a. 1. n. 261.* cum Lycheto & alijs à ſe relatis.

Fundamentum à Maſtrio deductum eſt 1. ab authoritate Sancti Auguſtini *de Trinit. cap. 5.* taliter diſſerentis: *Malâ voluntate vel ſolâ quilibet miſer efficitur: ſed miſerior poteſtate, quâ deſiderium malæ voluntatis adimpletur.* At verò iſtud (prout arguit Doctor ſubtilis *citatus*) non poteſt intelligi de miſeriâ pœnæ: quia deſiderans & non potens habere, plus habet de pœnâ, quàm ille, cujus deſiderium impletur. Ergo intelligitur de malitiâ culpæ. Ergo actus malus exterior addit ad miſeriam culpæ, quæ præfuit in actu interiori. 2. Actui externo reſpondet ſpeciale præmium ſaltem accidentale, uti probat Divus Bernardus *Epiſt. 77 de Martyrio & de Virginitate.* E-
3. contra verò actibus quibuſdam Externis malis in foro Eccleſiaſtico imponuntur pœnæ Cenſurarum, quæ non debentur internis actibus. At præmium & pœna ſive Eſſentialis, ſive accidentalis debentur bonitati & malitiæ. Ergo actus externi habent diſtinctas ab actibus internis malitias & bonitates.

4. 3. Quia ex oppoſitâ opinione ſequitur, ſidem & hæreſim, ac univerſaliter omnes actus intellectûs (idem eſt de actibus virtutum in iraſcibili & concupiſcibili) nullam habere intrinſecam bonitatem & malitiam, eo ipſo, quòd hæ potentiæ nullam habeant immediatam libertatem plùs, quàm externæ.

5. Econtrario actus externos addere actibus internis bonitatem, vel malitiam, negant Divus Thomas *præs. q. 20. a. 4.* Cajetanus & Medina *ibi.* Sanctus Bonaventura *in 2. diſt. 42. a. 1. q. 2.* Capreolus *ibi q. un. a. 1. concl. 4.* Vaſquez *diſp. 76. cap. 2. in princip.* Salas *tract. 7. diſp. 6. n. 41.* Ildephonſus Baptiſta *diſp. 218. n. 43.* Serra *præs. q. 20. a. 4.* Ioannes à Sancto Thomâ *diſp. 11. art. 3.* Fundamentum deſumitur 1. ab authoritate Patrum, quorum teſtimonia fusè deducunt Ioannes à Sancto Thomâ & Ilphonſus Baptiſta *locis*
6. *citatis.* 2. Ex ratione a priori. Quia vel actus externus conſideratur ut interioris objectum, à quo iſte objectivè participat bonitatem, vel malitiam; velut effectus & executio ejus. At ſub priori conſideratione patet, non poſſe novam, vel diſtinctam malitiam actui exteriori ſuperaddi ex actu interno, ſiquidem tota malitia, vel bonitas objecto inexiſtens *Objectivè* transfundatur in actum *Formaliter.* Unde dicitur *Oſeæ 9. Facti ſunt abominabiles, ſicut ea, quæ dilexerunt.* Neque vero ſub poſteriori conſideratione poteſt actus exterior, ut effectus ſcilicet ac executio interioris actûs, huic addere ad malitiam, vel bonitatem.

Probatur iſtud aſſumptum. Non enim poteſt
7. ex parte actûs exterioris eſſe ſpecialis malitia niſi quà voluntaria, ſeu quà volita per actum interiorem. At eo ipſo, quòd talis malitia ſit volita ſeu voluntaria, oportet, ipſam præhaberi in actu interiori voluntatis. Repugnat igitur, actum exteriorem aliquid bonitatis, vel malitiæ mo-
8. ralis ſuperaddere actui interno. 3. A poſteriori. Si enim exterior actus, ut actûs voluntatis efficacis & perfecti mera executio adderet bonitatem, vel malitiam ſuper actum voluntatis, ſequeretur, actu externo quibuslibet modis per cauſam etiam extrinſecam & violentam impedito, perdi aliquid de merito. At hinc rurſus ſequeretur, tum quod bonum virtutis ſit ſubjectum fortunæ & caſui, nobiſque invitis poſſint tolli merita: tum quod in pauperibus ratione paupertatis deeſſet facultas potiundi præmio virtutis Munificentiæ, ac Eleemoſynæ. Hæc autem ſunt abſurda. Ergo & id, ex quo ſequuntur.

Conclusio.

EO ipſo, quòd actus Exterior totam ſuam Bonitatem, vel Malitiam moralem *in actu Exercito* habeat ex participatione actûs interioris, nequit huic ſuperaddere aliam, *Numericè* ſeu *Individualiter* diſtinctam Bonitatem, vel Malitiam.

Probatur. Nam licèt actus Exterior, vel imperatus ſub ſtatu moralitatis quà poſſibilis, ſive ex interiori voluntatis actu derivabilis, ut ſic habeat *in actu Signato* rationem objectivæ bonitatis, vel malitiæ; nequit tamen habere *in actu Exercito* Formalem Bonitatem, ſeu malitiam moralem, niſi ex participatione actûs liberi voluntatis. In hac autem participatione eatenus ſit realis quædam intrinſeca actionis exterioris ab actu interno *in genere cauſæ Efficientis* dependentia, ut ſuper iſtâ fundetur extrinſeca denominatio & communicatio Formalis, tum libertatis actualis, tum moralitatis, ſeu voluntariæ cum rectâ ratione conformitatis, aut difformitatis. At eo ipſo, quòd actus Externus, ſeu imperatus non aliam niſi interni voluntatis actûs tùm libertatem ceu proximum moralitatis fundamentum, tum moralitatem Formalem in voluntariâ cum rectâ ratione conformitate, aut difformitate ſitam participet, evidens eſt, actionem exteriorem non poſſe aliquid moralis bonitatis, vel malitiæ ſuperaddere actui interno. Quamvis proinde actui Externo, *pro aliquo priori Cauſalitatis Finalis*, intelligatur ineſſe Bonitas quædam objectiva, ut ſic diſtincta ab interioris actûs Bonitate Formali, atque hujus *in Quarto perfectatis modo* ſpecificativa, attamen, ſi ſermo ſit de Bonitate Formali, nequit *in actu Exercito* alia moralis Bonitas convenire actioni Exteriori, niſi illa, quam habet actus interior, nec adeò huic poteſt actus externus aliam *Specificè*, vel *Numericè* diverſam Bonitatem, ſeu malitiam moralem ſuperaddere. 9.

Dices cum præcitato Maſtrio *n. 264.* Si actus exterior non ſuperaddat actui interno aliam moralem malitiam, ſequi, quòd actus externus non eſſet neceſſariò confitendus, ſed ſufficeret, ſolam voluntatem efficacem occidendi, vel furandi explicari. At conſequens eſſe contra communem Eccleſiæ praxin. 10.

Neque ſatisfieri; ſi reſpondeatur, obligationem actus externos in confeſſione exponendi eſſe tum ex eo, quòd in actu Externo, licèt non ſit quidem malitia *Numericè* diverſa ab interioris actûs malitiâ, ſit tamen ſpecialis quidam ad opus externum Extenſionis modus, 11.

tum ex

tum ex eo, quòd ex actu externo soleat intendi & augeri interior volūtatis actus, ex cujus adeò augmento & multiplicatione fiant diversa numero peccata: tum quòd efficacia voluntatis non facilè cognosci possit à Confessario, nisi ex effectu seu opere externo, tum quòd actio externa vel solea: esse causa alterius peccati, velut in peccatis injustitiæ, vel ob firmiorem in opus externum prodeuntem adhæsionem proprij suppositi difficiliori spirituali medicinâ jam indigentis jam magis sit damnificativum. Quâ de causâ oportere, peccatum etiam externum Con-
12. fessario exponere. Quæ proinde responsiones vel ex hoc solùm non subsistunt, quòd inde probetur, operis externi Confessionem non *per se* necessariam esse, sed *per accidens* duntaxat, sive ratione damni inde secuti, & a Confessario curandi, sive ratione voluntatis efficacis exinde dignoscendæ, sive ratione voluntatis peccaminosæ ex actu externo *per accidens* augmentatæ, vel multiplicatæ, sive ratione extensionis cujusdā vel ad actum internum se habentis per modū circumstantiæ merè aggravantis. Atqui absurdum est, si dicatur, peccata externa vel *per accidens tantùm*, vel per modum circumstantiæ duntaxat aggravantis necessariò exponi debere in Confessione. Cùm igitur hæc absurda sequantur ex eo, quòd negetur, peccata externa superaddere internis voluntatis actibus aliam *Individualiter* diversam malitiam; consequens est, istam sententiam non subsistere.

13. Contra. Nam aliter consideratur individuatio *abstractè*, v. g. respectu Petri per *Tò Petreitas* explicata, aliter verò *in concreto*, ut sic importans in substantiis suppositum, in Formis verò accidentalibus inhæsionem seu receptionem in subjecto. At verò habemus præceptum, omnem peccatorum tum specificam, tum individualem malitiam non *sub abstractione Metaphysicâ*, sed *in Concreto*, prout *Physicè & Moraliter* se habent *in actu Exercito*, exponendi in Confessione; sicuti sub tali exercitâ individuatione subduntur etiam legi Divinæ ea prohibenti. Etsi verò malitia moralis, prout perficitur interno voluntatis actu, *Metaphysicè loquendo*, sit *individualiter* completa, totaque adeò malitia individualis sit in actu interno, eo ipso tamen, quòd actus externus peccaminosus vi legis etiam Divinæ sit *per se* prohibitus, sequitur, malitiam individualem *in actu Exercito Moraliter* non consummari nisi in opere externo, quà derivato ex liberâ voluntatis actione. Quia igitur est obligatio confitendi peccatorum Individualem malitiam, prout *Exercitè* sit in actu vel *Formaliter*, vel *Participativè* libero, utpote ut sic per legem Divinam prohibito, malitia verò in actu interno, *Metaphysicè loquendo*, sit quidem completa, *Moraliter* vero & *in actu exercito* consummetur in actu Externo, consequens est, hunc etiam esse de substantiâ actûs peccaminosi *Concretè in actu Exercito*, ac *Moraliter* spectati, debereque adeò non *per accidens tantùm*, sed *per se* explicari in confessione.

14. Instabis. Eo ipso, quòd malitia alicujus peccati *Moraliter* consummetur in actu Externo, non verò Interno, oportere, aliquid saltem individualis malitiæ esse in actu exteriori, quæ non sit in actu interiori.

15. Contra. Nam aliud est, quòd peccati in opere externo fiat consummatio, quoad Formalem individualem malitiam, aliud verò est, quòd hujus individualis malitiæ *in Concreto* spectatæ fiat consummatio, quoad subjectum *per se Moraliter* saltem susceptivum talis malitiei. Ejusmodi verò susceptivum eo ipso est actus etiam externus, quòd habeat ex actu interno participatam libertatem, sitque ut sic vi legis etiam Divinæ *per se* prohibitus. Etsi proinde actus Externus nihil Formalis Individualis malitiæ superaddat actui interno, eo ipso tamen, quòd tanquàm actio *Participativè* libera, & ut sic malitiæ *in Concreto* & *in actu Exercito* spectatæ *per se moraliter* susceptiva ad actûs peccaminosi, quatenus Divinâ lege prohibiti substantiam pertineat, sequitur, debere necessariò exponi in Confessione vi præcepti Divini ad speciem & numerum peccatorum, prout in suâ individuatione *Exercitè* & *Concretè* spectatâ, sunt consummata confitendum obligantis.

Urgebis ex Scoto per Mastrium *citatum n. 273.* deducto; malitiam individualem, quà *Exercitè* consummatam consistere in integrali ad regulas morales conformitate. At eo ipso, quòd alia sit lex prohibens actum Externum: *Non furtum facies*: alia verò lex sit prohibens actum Internū: *Non concupisces rem proximi tui*, oportere, diversam Consūmatam integralem inesse cum regulis moralibus difformitatem in actu externo & interno. Ergo & diversam moralem malitiam, veluti pateat ex eo, quòd voluntas *successivè* habita de quinque argenteis alteri surripiendis, sit tantùm venialis, consummata tamen in actu externo transeat in peccatum mortale, tum ex eo, quòd invincibiliter putans actus externos, non autem affectus internos esse peccata, contrahat in actu externo malitiam non derivatam ex actione interiori, sitque adeò consequens, specialem individualem malitiam esse in actu exteriori distinctam ab actûs interni malitiâ morali. 16.

17. Contra. Nam neque diversitas præceptorum est argumentum multiplicatæ, vel specificæ, vel individualis malitiæ, siquidem indubitatum sit, posse eandem numero malitiam pluribus adversari præceptis. Neque illæ *de non concupiscendo rem alienam* ac *de non furando* leges differunt, nisi sub ratione *Expliciti* ac *Impliciti*, siquidem prohibito furto, sit hoc ipso interdicta ejus concupiscentia, & econtra. Neque adeò verum est, quòd alia sit integralis cum regulis moralibus difformitas in actu interno & externo, sed isti sunt *Materialiter* duntaxat diversi, secundùm quod actio interior *Formaliter intrinsecè*, & ut sic respectu actûs Exterioris etiam *Causaliter Efficienter*, hic verò externus actus *Formaliter Extrinsecè*, ac respectu legis prohibentis *Consummative* sit susceptivus malitiæ moralis. Unde etiam falsum est, quòd aliqua malitia moralis possit esse in actu externo, quin eadem etiam *Individualiter* una per prius sit *Formaliter* in actione interiori. Quòd si proinde plura *successivè* facta minuta furta transeant tandem in materiam graviter damnificativam, tunc licèt malitia Mortifera *Objectivè in actu signato* sit per prius in actu externo, *Formaliter* tamen & *Exercitè* est per prius in actu voluntatis *Indirectè* saltem seu *Interpretativè* appetentis objectum tali malitiâ infectum. Parem ob rationem posito etiam, quòd aliquis invincibiliter putet, actus solummodò externos, non autem internos *per se* ac *directè* 18.

rectè prohibitos esse, nequit iste non intelligere actum interiorem quà exterioris Causativum, & *in Esse morali* constitutivum, ut sic legis prohibitioni *saltem indirectè* subjectum habere in se illam malitiam moralem, quæ inexistit actui ex-
19. terno. Cujus ratio à priori supra insinuata est. Quia actus Externus non est susceptivus malitiæ moralis, nisi quà voluntarius. At istâ ratione voluntarij non nisi ex actu interno participatâ suppositâ, tunc actio exterior se habet per modum quasi subjecti moralitatis proximè susceptivi habentis ut sic proximam potentialitatem à Moralitate Formali actuabilem. Hæc autem actûs Exterioris quà voluntarij seu liberi per Formalem moralitatem actuatio non aliâ fit ratione, nisi quatenus interioris voluntatis actûs moralitas seu malitia moralis *Formaliter extrinsecè* est denominans actum Externum, ex illo interiori actu quà libero causatum.

Probatur istud assumptum. Nam ut mali-
20. tia moralis sit actum externum *Formaliter* denominans, seu constituens *in Esse morali*, seu *Moraliter* mali, oportet, istam moralitatem, seu malitiam moralem esse saltem *Indirectè* ac *Interpretativè* voluntariam. At eo ipso, quòd malitia moralis actûs Exterioris sit voluntaria, oportet, ipsam *saltem Indirectè* ac *interpretativè* ingredi conditionem intrinsecam objecti per actum interiorem voliti. Nequit verò malitia actûs exterioris quà objectiva *Indirectè* volita esse, quin in actu voluntatis fundet malitiam Formalem. Oportet igitur, istam Formalem in actu Exteriore, quà objectivâ moralitatem p a continente fundatam Malitiam per prius esse in actu voluntatis, & ex hoc primùm derivari in actum Exteriorem, non sub ratione moralitatis objectivæ duntaxat *in actu Signato*, sed quà *Exercitè* moralem. At eo ipso, quòd neque ista derivatio, neque actûs Externi *in Esse morali* constitutio ac denominatio Formalis sit intelligibilis nisi sub ratione Voluntarij, non præcisè quà liberi, sed quà rectæ rationi dissentanei, consequens est; hanc ipsam cum rectâ ratione difformitatem, atque adeò moralitatem actui externo communicatam, ac priùs ab actu Interno *saltem Indirectè* volitam, huic sub eâdem indivisibili Formalitate eatenus primariò inexistere, ut non alia *individualiter* distincta malitia possit *Secundariò* esse derivata in actum exteriorem. Patet igitur, eandem numero malitiam moralem esse in actu Interiori ac Exteriori, nec adeò istum aliquid malitiæ superaddere actui interno.

Responsio ad opposita fundamenta.

21. AD primũ *n. 1.* ab authoritate S. Augustini desumptum fundamentum Respondetur. Sanctum Augustinum *Lib. 1. de libero arbit. cap. 3.* ista habere. *Si cui etiam non contingat facultas concumbendi cum conjuge alienâ, planum tamen aliquo modo sit, id eum cupere, & si potestas detur, facturum esse, non minùs reus est, quàm si in ipso facto deprehenderetur.* Et *in Epist. 29. Non colitur Deus*, inquit, *nisi amando, sed hic amor otiosus non est, quamvis in voluntate consistat, exteriùs tamen quibusdam se prodit indicijs, quæ quidem non perinde Deus attendit, atque illam ipsam, unde prodeunt indicia, voluntatem. Quamobrem non quid adferatur à nobis ad colendum Deum, sed quâ mente adferatur, attendit Deus. Affectus est, qui pretium rebus imponit.* Ex quibus manifestè patet, reatum 22.
& pretium actuum moralium non esse *per se loquendo* minora, si in solâ voluntate efficaci consistant, quàm si prodeant in actum exteriorem. At reatus ac pretium in actibus moralibus est tum malitia moralis ac Demeritum, tum Bonitas moralis ac meritum. Consequens proinde est, quòd secundùm Divum Augustinum non minùs de malitiâ seu Bonitate Morali, *per se loquendo*, sit in actu Efficaci purè interiori, quàm si adjungatur actus etiam Exterior. Unde ne hic 23.
Ecclesiæ Doctor sibi contradixisse videatur, oportet, loca ab adversarijs citata taliter accipi, quòd scilicet homo reducendo malam voluntatem ad opus, *per accidens* reddatur quandóque deterior, tum ratione augmenti vel Intensivi, vel etiam Extensivi ex actu externo plerumque redundantis in actum interiorem, *veluti supra diximus*: tum ratione effectuum, quatenus actus exterior deordinat sensus & potentias Executrices, in his causando pravas aliquas dispositiones, quibus homo reddatur pronior ad malè agendum: tum ratione scandali, vel etiam Divinæ derelictionis ex peccatis publicis seu externis quandoque inducendæ.

Ad secundum *n. 2.* oppositum Respondetur. 24.
In Martyrio distingui debere tum id, quòd vi specialis a Deo concessi privilegij sit gratiæ Causativum *ex opere Operato*, tum id, quod ex ratione meriti in morali ejus Bonitate & Forma Sanctificante radicati sit Gratiæ ac præmij causativum *ex opere Operantis*. At imprimis sub priori ratione Martyrium opere externo consummatum etiam *per se* esse melioris conditionis, quam sola efficax martyrij voluntas; siquidem non huic, sed illi concessum sit illud *operis operati* privilegium. Etsi verò Martyrium sub posteriori Formalitate quoad rationem meriti ac Bonitatis moralis *per se loquendo* non majoris sit valoris in actu purè interno, ac si opere etiam Externo sit Consummatum, hoc tamen fallit tum ratione augmenti tam intensivi, quàm extensivi actuum voluntatis meritoriam multiplicationem importantis sub ipsâ martyrij actuali tollerantiâ excitari soliti, tum ratione specialis ad aureolam obtinendam efficaciæ, cujusmodi efficacia radicatur quidem in Bonitate morali, attamen ex speciali Dei ordinatione est annexa actûs interioris in opus externum Extensioni, inducenti diversitatem non quidem moralitatum, sed actuum moralitatis susceptivorum: *prout in simili supra deduximus.* Cujusmodi adeò moralis malitiæ ad actus Externos extensio eatenus eti- 25.
am valet, ac necessaria est ad pœnas Ecclesiasticas subeundas, quatenus non nisi sub tali Extensione potest Ecclesia actus morales dijudicare.

Ad tertium *n. 3.* oppositum Respondetur. 26.
Verum quidem esse, quòd fides & hæresis nullam *in genere morali* habeant intrinsecam Bonitatem & Malitiam Formalem. Eo ipso tamen, quòd illi actus ex se ipsis habeant objectivam *in actu Signato* Bonitatem seu Malitiam moralem *in Quarto perseitatis modo* actuum voluntatis *intrinsecè* moralium specificativam, ipsis competere moralitatem fundamentalem, in ipsorum Essentiali per sui cum Primâ Veritate vel consensum, vel dissensum, specificatione *Formaliter* importatam.

QUÆ-



QUÆSTIO NONA DE CONSCIENTIA CEU PROXIMA ACTUUM MORALIUM REGULA.

1. Eo ipso, quòd moralitas consistat in actûs liberi ad rectam rationem, vel conformitate, vel difformitate, oportet, pro morali Bonitate & Malitiâ planè intelligendâ, disquirere rectæ rationis regulam, ex cujus mensuratione subsistat moralitas. Est autem alia rationis regula per modum principij, *in abstracto* expressiva Honestatis, Bonitatisque moralis; Alia verò est per modum conclusionis, *in concreto* expressiva Actûs moralis, quà hic & nunc *Exercitè* eliciendi. Prior proinde ad synthereſin, nec non scientiæ Moralis habitum spectans ratio est actuum moralium, non *in actu signato*, sub quâdam quasi metaphysicâ abstractione, sed *in actu Exercito*, sub individuali concretione spectatorum Regula remota, posterior autem in prudentiali dictamine se tenens regula practica, & proxima dicitur Conscientia.

De quâ proinde hîc quatuor instituemus Articulos. In primo quæsituri: *Quid & quotuplex sit conscientia?* In secundo *de conscientiâ Erroneâ.* In tertio *de Conscientiâ dubiâ & scrupulosâ.* In quarto denique *de Conscientiâ certâ & probabili.*

ARTICULUS I.

Quid, & Quotuplex sit Conscientia?

2. Conscientiam, cujus Ethymon Bernardus, *Lib. de Consci. cap. 8.* deducit à corde & scientiâ, quasi Cordis scientiam dictam, utpote soli cujusque proprio cordi, seu m..ti notam, dari in homine, testantur sacræ litteræ; *Proverb. 12. Est qui permittit, & quasi gladio pungitur conscientia.* Item *Eccles. 7. Scit enim conscientia tua, quia & tu crebrò maledixisti alijs.* Et *Eccles. 13. Bona est substantia, cui non est peccatum in conscientiâ.* Denique *ad Rom. 2. Testimonium reddente illis conscientiâ ipsorum.*

CONTROVERSIA I.

Quid sit Conscientia?

Henricus *quodl. 1. q. 18.* docet, Conscientiam pertinere tum ad Intellectum, tum ad Voluntatem, sed *principaliter* importare voluntatis inclinationem ad Bonum Rationis. Fundamentum est. Quia Bonum & malum morale sunt proprietates *principaliter* spectantes ad voluntatem. Atqui Conscientia dicitur Bona, vel mala *Moraliter. Actorum 23. v. 1.* Item *1. ad Timoth. 1. v. 19.* Et *1.* Petri *3. v. 16. Ad Heb. 10. v. 22.* ac *1. ad Titum 15.* Ergo Conscientia pertinet ad voluntatem, hujus ad Bonum vel malum morale inclinationem eatenus importans, ut, si contra ipsam agatur, resultet quædam tristitia & dolor, ceu Actus Conscientiæ proprius. Tum quia, si conscientia *Formaliter* consisteret in actu, vel habitu Intellectûs, tunc is, qui majorem de agibilibus moralibus habet scientiam, diceretur magis conscientionatus. At consequens est falsum. Ergo & antecedens. 3.

Alensis *in 2. part. q. 77. memb. 3.* tenet, Conscientiam ex æquo includere actum tam voluntatis, quàm Intellectûs. Fundamentum est. Nam teste Divo Thomâ *1. p. q. 79. ar. 13.* Conscientiæ proprium est, *testificari, ligare, vel instigare, vel etiam accusare, & reprehendere.* At pertinet ad Intellectum *testificari, ligare,* & *reprehendere, instigare* verò ac *remordere* ad voluntatem; denotant enim hujus impulsum ad Bonum, & aversionem à malo perpetrato. 4.

Divus Bonaventura *in 2. dist. 39. a. 1. q. 1. & 2.* Conscientiam usurpat partim pro facultate Intellectûs, partim pro habitu ipsius. Fundamentum est. Tum quia Sanctus Basilius *in init. Proverb.* Conscientiam appellat *Naturale Iudicatorium.* Hoc autem, quod Sanctus Damascenus *lib. 2. de fide cap. 12.* dicit lucem intellectûs nostri, est ipsa potentia intellectiva, quam proinde nomine mentis significatam contingit peccatis coinquinari, juxta illud *1. Titi. 15. Inquinata sunt eorum mens & conscientia.* Tum quia Sanctus Hieronymus relatus *in Glossâ Ezechielis*, Conscientiam appellat Synthereſin. Hæc autem est habitus congenitus mentibus nostris. 5.

 Scotus

6. Scotus *in 2. dist. 39. q. 2. n. 4.* tenet, Conscientiam consistere in habitu conclusionum practicarum, cui conformetur electio recta, ita ut iste habitus secundùm Bassolem & Tartaretum *ibidem.* ex pluribus assensibus necessarijs circa principia generetur. Fundamentum adduci potest. Quia Conscientia non videtur posse subsistere in actu Intellectûs. Ergo in habitu. Antecedens probatur. Si enim Conscientia consisteret in actu Intellectûs, Iudicio scilicet practico, atque adeò imperio habente ex prævio efficaci voluntatis actu efficaciam operationis, nisi ab intrinseco impediatur, infallibiliter illativam, tunc nemo

7. posset agere contra conscientiam. Deinde Justus Venialiter peccans habet judicium practicum defectuosum. Ergo ex tunc perderet suam Bonam conscientiam, si hæc consisteret in actu Judicij practici. Econtra peccator eliciens actum *Moraliter* Bonum, habet Judicium rectum practicum. Ergo Conscientiæ Bonitas in tali Judicij rectitudine consistens, ipsi ex tunc restitueretur. At ista sunt absurda. Ergo & id, ex quo sequuntur.

8. Divus Thomas *1. p. q. 79. a. 13.* docet, Conscientiam esse actum, quo scientiam nostram ad ea, quæ agimus, applicamus. Quam porro applicationem esse per modum conclusionis cujusdem & Dirigentis, Sanctus Doctor affirmat *in 2. dist. 24. q. 2. a. 4.* Unde Conscientia ex mente hujus Angelici Doctoris dici debet esse actus Intellectûs, utpote dictamen Rationis. *ex cit. ar.*

9. *13. ad 1. & 1. 2. q. 19. a. 5.* Fundamentum per Joannem à Sancto Thomâ *præs. disp. 12. a. 1. n. 5. & 6.* deductum est. Tum quia Conscientia est comparatio principiorum universalium ad agibilia particularia. Hæc autem comparatio importat dictamen rationis, vi cujus judicatur, qualiter hîc & nunc sit benè operandum. At dictamen ejusmodi est actus Intellectûs. Tum quia Conscientia dicitur testificari, *ad Rom. 9. & 2. Corinth. 1.* Item scire, *Ecclesiastici 7.* nec non judicare, *1. ad Corinth. 10.* ac denique errare, accusare, excusare, ligare, reprehendere. At omnes istæ actiones sunt intellectûs. Ergo conscientia est pertinens ad Intellectum.

10. Cæterùm Vasquez *præs. disp. 57. cap. 1. n. 9. & 5.* & Ildephonsus Baptista *disp. 204. n. 122.* existimant, Iudicium, in quo consistit conscientia, respectu actionis præteritæ esse speculativum, respectu verò actionis futuræ & præsentis esse practicum. Fundamentum est. Quia datur Conscientia præteriti, præsentis, & futuri actûs. At Judicium nequit operationem quà præteritam, sed quà præsentem & futuram duntaxat respicere ut operabilem, seu modo operabili. Est autem de ratione Judicij practici repræsentare suum objectum modo operabili.

11. Econtra Suarez *hic disp. 15. sect. 1. n. 5.* Joannes à Sancto Thomâ *cit. a. 1. n. 9.* absolutè respectu actionis etiam præteritæ dicunt, conscientiam semper esse practicam *quoad speciem ac substantiam suam*, seu *rationem formalem*; licèt non *quoad modum exercitij & applicationis.* Fundamentum est. Nam eo ipso, quòd Conscientia sit actus prudentiæ, oportet, judicium Conscientiæ, quantum est de se, habere vim directivam, & regulativam operum moralium, licèt *per accidens*, quòd actio (tanquàm materiale conscientiæ objectivæ) sit præterita, ista vis directiva impediatur. Oportet igitur, tale Conscientiæ dictamen in *virtute & specie suâ* esse quidem practicum, licèt *ex parte modi & exercitij* seu *applicationis actualis, per accidens* hîc & nunc impossibilis, non sit practicum, sed ut sic videatur esse speculativum.

CONCLUSIO.

Conscientia rectè definitur, quòd sit actus Intellectûs practici, quo universalem de rebus agendis cognitionem quis applicat ad res particulares, quas ab ipso fieri, vel non fieri debere, aut debuisse dictat ratio. Vel: quòd sit judicium præconsultatum & certum immediatè directivum moralis operationis.

Explicatur & probatur. Nam Conscientia est actus prudentialis *immediatè* Directivus humanæ operationis. Hic verò actus prudentialis *remotè* reducitur in prima Intellectus practici, naturali synthereseos lumine nota principia: cujusmodi sunt de colendo Deo, honorandis parentibus, suum cuique tribuendo, & propria conservando, honestè vivendo, & quod quisque vult sibi fieri, alteri faciendo. Ex ejusmodi autem primis principijs colligunt Theologi & Philosophi regulas morales, & Communitatis Rectores condunt leges, ex quibus cuique pronum sit judicare, quid hîc & nunc licitum, vel non licitum sit, operari. Quas proinde regulas morales Intellectus practicus, tum per Circumspectionem, seu prudentiæ partem, tum per Eubuliam, ac Synesin, vel Gnomen ad opus morale, hîc & nunc faciendum applicando, format conclusionem seu judicium prudentiale *immediatè* directivum Humanæ actionis. 12.

Probatur istud assumptum. Nam ad Judicium prudentiale operis moralis *immediatè* directivum requiritur, non media duntaxat ad finem bene ordinare, sed etiam comparare cum circumstantijs media ejusmodi comitantibus. Hoc autem, teste Divo Thomâ *2. 2. q. 49 a. 7.* est proprium Circumspectionis. Ad ejusmodi verò circumstantiarum ponderationem opus est consiliatione, quæ fit per Eubuliam, ex cit. Sancto Doctore *2. 2. q. 5. a. 2.* At verò istam consiliationem subsequi debet rectum circa actionem operabilem Iudicium. Hoc autem Iudicium, si feratur juxta regulas communes, est proprium Syneseos. *ex cit. q. 51. a. 3.* Si verò latum sit juxta altiora in extraordinarijs duntaxat circumstantijs locum habentia principia; reducitur ad Gnomen, *ex eâdem q. 51. a. 4.* In ejusmodi proinde judicio præconsultato, ut sic *Moraliter* certo, ex regulis moralibus *syllogisticè* deducto consistit Conscientia. 13.

Responsio ad opposita Fundamenta.

AD *n. 3.* oppositum fundamentum Respondetur 1. Conscientiam dici bonam & malam, non tam *Formaliter*, quàm *Ostensivè*, vel etiam *Causaliter*. Cùm enim Conscientia sit ostensiva moralis rectitudinis & ad hanc *Objectivè* motiva & incitativa; idcirco si veris & per se notis moralibus principijs consentanea sit, non tam dicitur 14.

dicitur *Formaliter* Bona, quàm recta ſeu vera; ſi verò ex falsâ apprehenſione, bonum dicat malum, vel malum Bonum, dicenda potius eſt *formaliter* falſa, quàm mala. Unde iſtæ tam boni, quàm mali moralis denominationes *ſtrictè loquendo* afficiunt Conſcientiam in ſenſu duntaxat cauſali, prout Conſcientia, ſi recta & vera ſit, ad Bonum; ſive verò ſit falſa, & vincibiliter Erronea, ad malum morale eſt inductiva, vel *Objectivè* motiva & excitativa. Unde Conſcientia etiam quà actus Intellectûs dicitur ad Bonum morale inclinare, imò impellere, non quidem *Motivè Efficienter*, ſed *Motivè Objectivè*. Cujusmodi incitamentū *objectivè* motivū, ſi contra fiat, eſt natum in voluntate excitare dolorem ac triſtitiam, tanquàm effectus ex conſcientiæ ſtimulis ortos, non verò tanquàm actus *intrinſecè*
15. pertinentes ad Conſcientiam. Reſpondetur 2. Cùm conſcientia non niſi *Radicaliter* importet Agibilium moralium ſcientiam, *Formaliter* autem conſiſtat in prudenti quâdam ex principijs moralibus deductâ applicatione, ſeu rationis dictamine practico Agibilium Moralium, non ſub abſtractione duntaxat ſcientiæ moralis ſpecificativâ, ſed in individuo ſecundùm concretionem ſingularium circumſtantiarum repræſentativo: idcirco neminem ex ſublimiore ſcientiâ morali ſtatim mereri conſcientioſi viri laudem, ſed hujus denominationem *in ſenſu Formali* deberi illis, qui ad Moralia Agibilia *in actu Exercito Practicè* ſpectata *ſtudiosè, circumſpectè*, ac *prudenter* applicant principia moralia; non verò illis, qui intra ſpeculativæ agibilium moralium conſiderationis limites ſe continendo, *imprudenter* ac *negligenter* ſe habent in ſuis moralibus actionibus, nullâ ferè curâ habitâ in agibilibus ſuis, prout *Exercitè* fiunt, conſiderandis. Imò verò denominationem viri conſcientioſi ex communi uſu accipi plerumque in *ſenſu cauſali*; ut adeò talem laudem non mereatur niſi is, qui morales ſuas operationes facit conformiter ad rectam conſcientiam.

16. Ad *n.* 4. oppoſitum Reſpondetur. Inſtigationem, ſeu remorſum Conſcientiæ aliter ex parte Intellectûs fieri *Objectivè*, ſub Motivi ad ſui proſecutionem *Finaliter* excitativi, atque adeò ad oppoſiti mali averſionem, & ex conſequenti ad aliquam de mali ejuſmodi præſentiâ triſtitiam incitativi repræſentatione. Quem proinde inſtigandi ac remordendi modum *Formaliter* convenire Conſcientiæ. Aliter verò inſtigationem ac remorſum in voluntate fieri *Effectivè*, atque ut ſic iſtos actus non *Formaliter* ſpectare ad Conſcientiam, ſed hujus eſſe effectus, nec adeò poſſe Conſcientiam, niſi *in ſenſu cauſali* denominari ab ejuſmodi actibus.

17. Ad *n.* 5. oppoſitum Reſpondetur. Conſcientiam non *Formaliter*, ſed *Radicaliter* dici poſſe Iudicatorium Naturale, ſeu congenitum ſyntherеſeos Habitum: ſiquidem ex iſto ſeu Lumine naturali primorum ex ſe evidentium Moralium principiorum judicativo, omnis intra honeſtatis naturalis lineam Conſcientia orignetur; ſicuti econtra intra lineam moralitatis ſupernaturalis in fidem reducenda eſt prima Conſcientiæ Radix & origo.

18. Ad *n.* 6. oppoſitum Reſpondetur. Verum quidem eſſe, quòd ex frequentatis circa agibilia moralia aſſenſibus generetur habitus. Hunc tamen non *Formaliter*, ſed reſpectu præteritorum, ex quibus ortus eſt, actuum *Effectivè*, reſpectu verò futurorum ad quos repetendos inclinat ſeu facilitat, *Cauſaliter* denominari poſſe Conſcientiam. Quam proinde *Eſſentialiter* conſiſtere in Iudicio practico, non illo, quod ex mediorum Electionis efficaciâ habet vim Imperij ad Executionem infallibiliter motivi, ſed quòd tum Finis cum rectitudine morali convenientiæ, tum mediorum cum principijs moralibus congruentiæ eſt *Practicè* judicativum, & ut ſic actionis à voluntate *liberè* eliciendæ regulativum. Etſi verò Iuſtus Venialiter peccans, habeat dictamen rationis defectuoſum, atque adeò *reſpectivè* ac *ſecundum quid* Conſcientiam minùs rectam ex communi tamen uſu dicitur retinere ſaltem *habitualiter* Conſcientiam Bonam & rectam. Tum quòd Conſcientiæ Effectus, Honeſtas ſcilicet moralis vi peccati venialis nequeat eſſe *Simpliciter* deſtructa. Tum quòd prior ad Bonum morale incitativa Conſcientia *Habitualiter*, vel etiam *Virtualiter* in ipſo adhuc perſiſtat. Sicuti econtra peccator *Moraliter* bene agens nequit *ſimpliciter* dici, habere Conſcientiam Bonam, partim quòd Exercitium conſcientiæ malæ in ſuo ſaltem effectu, peccato ſcilicet mortali adhuc duret, partim quòd ipſa etiam mala Conſcientia *Habitualiter*, vel *Virtualiter* plerumque perſeveret, & in malo firmet talem peccatorem, partim quod malo actui ſuccedens Conſcientia remorſum infigens, & ad mali liberationem quærendam incitans, licèt in ſe *Formaliter* Bona ſit, *Effectivè* tamen ratione pœnalis in ipſo remorſu conſiſtentis mali per ipſam cauſati, dici ſoleat mala. Unde non mirum eſt, quòd, licèt peccator benè *Moraliter* ſit operans, quamdiu non pertingit ad Gratiam peccati extinctivam, dicatur ſive *Habitualiter*, ſive *Virtualiter*, ſive *Formaliter* quoque, ſive *Effectivè* habere malam Conſcientiam, maximè cùm denominatio Boni deſumi ſoleat ex integrâ causâ, mali verò denominatio ex quolibet defectu. Quare omnino probanda eſt tum Divi Thomæ, & Suarezij, tum Joannis à Sancto Thomâ doctrina *n.* 8. & 11. deducta, ex quâ ſimul elucet ſolutio fundamenti *n.* 7. oppoſiti. 19.

✱✱✱✱✱✱✱✱✱)(✱✱✱✱✱✱✱✱✱

CONTROVERSIA II.

Quotuplex ſit Conſcientia?

Theologi communiter dividunt Conſcientiam in Certam, & Dubiam, Scrupuloſam, Erroneam & Probabilem. 1. Fundamentum à Mercoro *in ſuâ Praxi opinionum 1. part. a.* 2. deductum eſt. Cùm enim Conſcientia ſit Judicium dictans voluntati id, quod agere debet, oportet, ſecundùm diverſum modum, quo Intellectus ſe habet in judicando de operis Honeſtate, etiam diverſimodè accipi conſcientiam. At Intellectus vel non *determinatè* judicat, ſed ſtat anceps, & tunc eſt Conſcientia *Dubia*: vel *determinatè* judicat, cum formidine tamen oppoſiti, eſtque Conſcientia *Probabilis*, vel abſque tali formidine ſecundùm rei veritatem judicat operis moralis rectitudinem, eſtque conſcientia *Certa*. Quòd ſi verò, exclusâ oppoſiti formi-

formidine, Iudicio moralis in opere Honestatis repræsentativo subsit falsitas, erit Conscientia *Erronea*. At hic ipse Error vel oritur ex inordinato timore, vel quâvis aliâ animi perturbatione, diciturque Conscientia *Scrupulosa*: vel caussatur ex aliquâ passione, vel ignorantiâ subinde culpabili, vocaturque Conscientia *Erronea*.

2. Mercorus *citatus* ex proximè allegato discursu tandem deducit; Conscientiam *adæquatè* dividi in Rectam & Erroneam. Fundamentum est. Nam Conscientia est Iudicium præconsultatum & rectum. At Conscientia dubia & probabilis carent rectitudine: Scrupulosa verò & Conscientia vincibiliter errans seu laxa reducuntur ad Conscientiam erroneam. Ergo divisio Conscientiæ in rectam & erroneam est adæquata.

Conclusio.

VUlgata, & à Theologis recepta Conscientiæ in Erroneam, & Dubiam, Scrupulosam, Probabilem, & Certam divisio est partim Analogi in Analogata; partim secundùm differentiam, non Intrinsecam & Essentialem, sed Extrinsecam & Accidentalem.

3. Probatur. Nam 1. Conscientia Scrupulosa est de operis moralis Honestate, vel malitiâ simplex tantùm apprehensio. At Conscientia *Formaliter* ac *Essentialiter* importat practicum de opere morali Iudicium. Ergo Conscientia Scrupulosa non participat Formalem adæquatam Conscientiæ rationem. Ergo non nisi *Analogicè* dicenda est Conscientia.

4. 2. Conscientia dubia vel importat dubium negativum, per modum hæsitationis eatenus suspendentis judicium, ut neutrâ ex parte appareat aliqua de morali rectitudine, seu malitiâ ratio moralis: vel importat dubium positivum situm in rationum ex utrâque parte se tenentium repræsentatione, nullo interim facto judicio rectitudinis, vel malitiæ *Definitè* Enuntiativo. At neutri istorum Dubiorum Practicorum posse convenire adæquatam Conscientiæ rationem, constat ex dictis *præs. cont.*

5. 3. Conscientia vincibiliter errans tametsi importet Iudicium illativum, in hujus tamen præmissis intervenit defectus Consultationis debitæ, nec adeò dici potest *simpliciter* Iudicium præconsultatum.

6. 4. Denique licèt Conscientia invincibiliter errans, item probabilis & Certa participent adæquatam Conscientiæ rationem & Essentiam: ipsarum tamen differentia non est Formalis, ut sic se tenens ex parte conclusionis, sed ex parte præmissæ Majoris: eò quòd Conscientia invincibiliter erronea Majorem in se *Materialiter* & *speculativè* falsam, sed pro verâ judicatam, imò *practicè formaliter* veram: Conscientia verò probabilis majorem *speculativè* probabilem, sed nisi coincidat in vincibiliter Erroneam, *practicè Formaliter* certam; Conscientia denique Certa præmissas simpliciter infallibiles supponat, veluti de his infra suis distinctis locis patebit. Cujusmodi adeò differentia ex parte principij solùm *Materialiter*, non autem *Formaliter* quà Conscientiæ Motivi se tenens, nequit Formalem ac Essentialem Conscientiæ differentiam inferre. Atque hinc cuique facilè patet, quid circa ea, quæ n. 1. ac 2. deducta sunt, sentiendum sit.



ARTICULUS II.

De *Conscientiâ Erroneâ*.

ALia Conscientia est errans *Vincibiliter*, alia verò *Invincibiliter*, ad quas intelligendas faciunt, quæ *præs. q. 4. a. 4.* fusè disseruimus de vincibili & invincibili ignorantiâ.

Hic verò examinare superest: *Qualis sit obligatio in statu Conscientiæ, tam Vincibiliter, quam Invincibiliter Errantis, & qualiter peccetur in tali statu?*

CONTROVERSIA I.

Qualiter agendum, & judicandum sit pro statu Ignorantiæ vincibilis?

GLossa *in cap. Omnes. 28. q. 1.* Et Guilielmus Parisiensis ab Ildephonso Baptistâ *disp. 27. n. 220.* relatus *absolutè* & *simpliciter* negant; Conscientiam erroneam ligare, seu obligare, ita ut contra illam agens sit reus peccati. Fundamentum est. Nam Conscientia erronea est conclusio syllogismi practici, in quo una præmissa lumine Naturali, vel fidei cognita est certa, & altera falsa. Atqui conclusio, quæ sequitur ex unâ præmissâ certâ, & alterâ falsâ, non est certa, sed falsa, vel saltem dubia. Ergo quia Conscientia erronea caret rectitudine, nequit obligare, ut illi conformemur, maximè cùm talis obligatio deberet posse reduci in legem æternam, in quam nequit cadere Falsum. 1.

Vasquez *præs. disp. 60. cap. 2. n. 4.* & Castropalaus *tract. de Conscient. disp. 1. punc. 2. & 3.* docent; Conscientiam vincibiliter erroneam obligare *Negativè*, non autem *Positivè*, ita ut non sit obligatio eam *positivè* sequendi, sed ne quis contra illam faciat. Fundamentum est. Nam conscientiâ dictante, in casu, quo quis vitæ discrimen medio mendacio declinare potest, subesse obligationem mentiendi, tunc peccat non mentiendo. Ex hoc autem evidenter apparet, hominem obligari, ne faciat contra Conscientiam etiam *Vincibiliter* erroneam. At istâ obligatione non obstante, peccat etiam mentiendo. Nequit autem esse obligatio ad peccandum. Ergo stante etiam Conscientiâ *vincibiliter* errante, non potest quis obligari ad *positivè* se conformandum illi. Unde Castropalaus *citatus* infert, non aliam tunc positivam esse obligationem, nisi de tali *Vincibiliter* erroneâ Conscientiâ deponendâ. 2.

Divus Thomas *præs. q. 19. a. 5.* Sanctus Bonaventura *in 2. dist. 39. q. 3. ar. 3.* Suarez *disp. 12. sect. 5. n. 10.* Joannes à Sancto Thomâ *1. 2. cit. disp. 12. a. 2. n. 20.* Serra *præs. q. 19. a. 6. dub. 2. concl. 1.* 3.

tonl. 1. & 2. Amicus *disp. 15. sect. 2. n. 19.* Ildephonsus Baptista *supra citatus n. 272.* affirmant, Conscientiam erroneam etiam vincibilem, quando aliquid dictat non sub ratione boni supererogationis, vel sub ratione actûs indifferentis, sed sub ratione materiæ necessariæ, id est præceptæ, vel prohibitæ, obligare non solùm *Negativè* ad non agendum contra illam, sed etiam *positivè* ad agendum juxta illam. Fundamentum desumitur 1. ab Authoritate Sacræ Scripturæ. *Omne enim, quod non est ex fide, peccatum est. ex cap. 14. ad Roman.* At per fidem hîc intelligi Conscientiam, docent S. Thomas *cit. a. 5. arg. sed contra* & Patres *communiter* quę refertur *in cap. Litteris. De restit. Spoliatorum.* Ergo id, quod est contra Conscientiam etiam *vincibiliter* errantem, eatenus est peccatum, quatenus contrariatur Conscientiæ hîc & nunc habitæ. At eo ipso, quòd dictamen aliquod Conscientiæ repræsentet obligationem operis hîc & nunc faciendi, vel omittendi, tunc nisi etiam *positivè* quis se conformet isti dictamini, agitur contra fidem talis Conscientiæ. Ergo erit peccatum.

4. 2. ex Ratione per Joannem à Sancto Thomâ *cit. ar. 5. n. 4. & 20.* deductâ. Nam voluntas sequitur objectum, non prout *in se* existit, sed prout sibi proponitur & manifestatur. At Conscientia nihil aliud est, quàm dictamen seu Iudicium, per quod innotescit nobis & proponitur Regula, sive Lex, secundùm quam hîc & nunc sit obligatio operandi. Ergo operans contra tale Iudicium, vel istud non sequens facit contra Legem sibi repræsentatam, tanquàm Regulam operis moralis hîc & nunc faciendi.

CONCLUSIO.

EX Conscientiâ *vincibiliter* erroneâ duplex oritur obligatio, tum deponendi ipsam quà vincibilem; tum operandi secundùm illam non depositam, ut adeò habens talem Conscientiam eatenus peccet eam retinendo, ut tamen cæteris paribus, majoris sit peccati reus, operans contra illam.

Probatur. Tum quia Conscientia vincibi-
5. liter errans consistens in conclusione practicâ moralis operationis directivâ, ortum habet ex eo, quòd in syllogismi talem conclusionem inferentis vel *Majore* non sit habita industria circa considerandum principium morale, vel in *Minore* non fuerit adhibita circumspectio omniũ circumstantiarũ requisita ad formandum debitæ consultationis Iudicium. At hæc utraque industriæ ac investigationis debitæ omissio eatenus imputatur, ut consequenter malum morale latens in conclusione sit *Interpretativè* ac *Indirectè* volitum, atque adeò lethalis Culpa committatur ab operante secundùm Conscientiam vincibiliter errantem, dum operis moralis malitia *vincibiliter* ignorata est mortifera. *veluti de his constat ex præs. 10. q. 4. a. 4.*

6. Tum quia Conscientia vincibiliter errans duo complectitur; alterum tanquàm *Materiale*, opus nimirum *de se* peccaminosum, alterum *tanquàm Formale*, obligationem nimirum seu legem, licèt falsò applicatam operi hîc & nunc faciendo. Ex priori proinde capite se tenet commune principium morale de non agendo *temerariè*, sed *prudenter* in actionibus moralibus: Vi cujus adeò principij eatenus est obligatio per diligentem veritatis inquisitionem deponendi erroneam Conscientiam, ut consequenter ex omissione talis diligentiæ latens in opere morali malitia imputetur ad Culpam. At ex capite posteriore per ipsam legem æternam resultat obligatio non faciendi contra Conscientiam etiam Errantem, eo ipso, quòd talis Conscientia repræsentet opus quà præceptum, fundetque adeò obedientiæ obligationem, legi quà repræsentatæ debitam. Unde faciens contra talem Conscientiam, vel illam non sequens *directè* & *Expressè*, adversatur legi æternæ, quæ dictat, habendam esse obedientiam omni præcepto per rationem repræsentato. Nisi ergo in operante secundùm Conscientiam vincibiliter errantem, prævaleat materiæ gravitas ex debitæ circumspectionis & industriæ omissione *Interpretativè* saltem volita & imputata; gravius est, operari contra, quàm secundùm Conscientiam vincibiliter errantem.

Dices. Sæpe non posse quempiam deponere Conscientiam vincibiliter errantem, quòd nul- 7.
lus se offerat, qui errorem tollat. Si proinde sit obligatio sequendi Conscientiam ejusmodi, à reatu pœnæ & culpæ minimè excusantem, sequi, quòd talis sit taliter coarctatus, ut non possit ullo modo declinare peccatum.

Contra. Nam advertente Thomâ Sanche 8.
lib. 1. in Decalog. cap. 11. n. 12. Error, licèt à principio fuerit vincibilis, ex tunc redditur invincibilis; atque adeò excusans à reatu Culpæ; maximè cùm non pro libitu, sed ex ratione duntaxat vel Authoritate liceat Conscientiam *Vincibiliter* errantem deponere, ut præter Sanchen *citatum n. 10.* probat Castropalaus *ubi supra n. 4. & punc. 6. n. 5.* Hinc quia, ubi Doctoris errorem auferentis copia non habetur, Ratio est in sui de talis operis rectitudine per argumentum apparens; licèt non absque contrariâ *practicè* probabili formidine, in se *Erroneè* efformati judicij quasi possessione ex eo formatâ, quòd potior respectu hujus suppositi ratio, imò legis quamvis *Erroneè* repræsentatæ necessitas hîc & nunc militet ex parte Conscientiæ, non verò ex parte oppositâ. Idcirco pro tunc Intellectus secundùm prudentiæ, ejusque tutiorem quà in intellectu repræsentatam partem potest signatè judicare, omninò licere, Conscientiam hîc & nunc habitam positivè sequi. Falsum igitur est, quòd in præallegato casu quis coarctetur ad opus peccaminosum taliter faciendum, ut nequeat ullo modo declinare culpæ reatum. Quòd si *per accidens* eveniat, aliquem in tali casu eatenus con- 9.
stringi suâ Conscientiâ, ut sibi persuasum habeat, se quamlibet, sive sequendo, sive contra agendo, partem sit complexurus, fore culpæ obnoxium, tunc talis perinde judicandus est, ac ille, qui sub duplici & audiendæ missæ die sacro, & infirmi non deserendi obligatione constitutus arbitratur, se utrumlibet faciendo peccaturum. Nam cùm tali desit moralis de peccato declinando libertas, nequit ullum contrahere peccatum, nisi fortè id eligat, quod censuit majus esse peccatum, tunc enim quoad istum duntaxat majoris Culpæ à se judicatæ reatum

culpandus est. ex S. Thomâ Sanche *cit. cap. 11. n. 14.* & Castropalao *punc. 5. n. 1.*

10. Replicabis. Posse contingere, ut antehac dubitans de rectitudine per Conscientiam vincibilem *Erroneè* judicatâ, postea nullam habeat ampliùs de istâ dubitationem, quam tamen non revocando, sit Habitualiter in statu Conscientiæ Vincibiliter errantis. At eo ipso, quòd tale Conscientiæ vincibiliter erroneæ Iudicium non revocatum *Moraliter* manere censeatur, contra illam agendo peccari. *uti tenent aliqui à* Castropalao *punc. 4. n. 1. allegati.*

11. Contra. Non enim imputatur effectus ex causâ aliquâ præteritâ, nisi hæc *Moraliter* influat, atque adeò maneat *saltem Virtualiter* in aliquâ virtute ex se relictâ, ut sic effectûs mali causativâ. At licèt, stante formidine, vel dubitatione oppositi, fuerit Conscientia vincibiliter errans, sublatâ tamen postea istâ dubitatione, licèt non fuerit revocata, in nullo sui effectu eatenus permanet, ut hoc mediante *saltem Virtualiter* ac *Moraliter* sit influens in opus morale secutum ex subsequente conscientiâ operis moralis rectitudinem jam citra oppositi formidinem judicante, ac ex tunc *Invincibiliter* errante. Nisi ergo Conscientia sit actu dictans, aliquid esse peccatum, vel de aliquâ obligatione sit quodam modò dubitans, non peccatur, etiamsi agatur contra Conscientiam non jam *actu invincibiliter* errantem, sed *habitualiter* duntaxat permanentem, uti præter alios Doctores censet Vasquez *cit. disp. 6. c. 3. in fine.*

12. Instabis. Omne peccatum *in actu exercito* spectatum esse vel mortale, vel veniale, ac reduci debere ad determinatam speciem. At in rusticis contingere persæpe, ut agendo contra conscientiam *Vincibiliter* errantem, non judicent, an peccatum sit mortale, vel veniale. Imò quandoque in Genere duntaxat cogitare de discrimine peccati, ex tali actione incurrendi, nec *definitè* judicare speciem. Si proinde peccati ex Conscientiâ *vincibiliter* errante contracti malitia talis sit judicanda, qualem Conscientiæ Dictamen repræsentabat, non videri, ad quam speciem reduci debeat peccatum ejusmodi.

13. Contra. Nam *Vincibiliter* errans quandoque tendit in objectum, in quo aliqua malitiæ ad determinatam speciem pertinentis cogitatio seu dubitatio elucet, atque tunc absque ulteriori discussione operando, se committens periculo talis peccati perpetrandi, hoc ipso efficitur reus malitiæ ipsius specificæ, utpote quam *Interpretativè* seu *Indirectè* est volens. ex Joanne à S.

14. Thomâ *cit. a. 2. n. 11.* Et quidem potest tunc voluntas in materiâ etiam determinatâ taliter se habere, ut non distinguat, an sit mortale, vel veniale, sed *confusè* tantùm cogitet, esse malum seu peccatum. In quo proinde casu Vasquez *disp. 19. cap. 3. n. 10.* & Thomas Sanchez *cit. cap. 11. n. 7.* censet; ex ipsâ materiâ desumendam esse gravitatem, vel levitatem peccati, ita ut cognitio malitiam objecti non distinguens, & consequenter ad malitiam tam mortalem, quàm venialem indifferens, ex objecto debeat determinari, adeòque venialiter peccetur, si objectum sit veniale; mortaliter autem, si materia

15. sit mortifera. Verùm Castropalaus *præs. punc. 3. n. 6.* probabilius existimat, in tali casu mortaliter peccari, eò quòd voluntas jam se exponat periculo amplectendi peccatum mortale, sitque *per accidens*, quòd objectum *de se* sit solum veniale. Quòd si Conscientia *Vincibiliter* errans nullam specificam malitiam discernat, sed exprimat objectum sub aliquâ mali in genere sumpti formidine, tunc adhuc peccari etiam Mortaliter, censet Castropalaus *citatus*, cùm ista mali prosecutio sub indeterminatione *saltem Indirectè* attingat malitiæ gravitatem. Et quidem in tali casu peccatum ejusmodi perinde se habet, ac si quis velit male agere, nullam determinando malitiam virtuti specificæ, sed synthereseos generali principio *expressè* adversantem, in quo casu peccatum esse determinatæ speciei ut sic Religionis Virtuti oppositum, docuimus *in præcedentibus.* Ex quibus adeo patet, in nullo casu accidere, quod peccatum ex Conscientiâ vincibiliter errante sub confusâ licèt, ac indeterminatâ malitiæ repræsentatione etiam imperfectâ perpetratum non debeat reduci ad determinatam speciem peccati. 16. 17.

Responsio ad opposita Fundamenta.

18. AD *n. 1.* oppositum Respondetur. Vi practicæ ex unâ per Fidem, seu lumen naturale notâ, & alterâ falsâ deductæ conclusionis repræsentari legem, quâ materiæ alicui particulari falsò licèt applicatam. Unde sub tali repræsentatione stare quidem falsitatem totius illius concreti in legis ad opus morale hic & nunc faciendum applicatione siti, attamen ex parte ipsius legis *formaliter* & *abstractè* spectatæ subsistere veritatem, in ipsâ Divinâ Ideâ formatam. At vero illum, qui non se conformat Conscientiæ etiam *vincibiliter* erroneæ, non tantum agere contra illud concretum ex parte conclusionis, seu Conscientiæ repræsentatum, sed ex consequenti ac *Indirectè* adversari ipsi etiam legi, tanquam concreti illius formali rationi. Unde taliter operantem facere contra ipsam etiam veritatem legis in Ideâ Divinâ formatæ, vel ex hâc derivatæ, atque adeò ut sic constitui reum legis ejusmodi, quà in se *Formaliter* & *Abstractè* veræ violatæ. Et hinc Sanctus Thomas *in 2. dist. 39. a. 3. ad 3.* ait; Quòd *Conscientia* (erronea) *obliget, non virtute propriâ, sed in virtute præcepti Divini, in quantum dictat hoc, ut præceptum à Deo. Et ideò Dictamen Conscientiæ ejusmodi plus obligare, quam præceptum Prælati, sicut & præceptum Divinum, in cujus virtute obligat.*

19. Ad *n. 2.* oppositum Respondetur. In casu Conscientiæ *Vincibiliter* erroneæ duo intervenire: Alterum ad Conscientiam *Concomitanter* se habens, esse dubitationem, seu cogitationem aliquam de lege, vi cujus resultare obligationem moralis, ad inquirendam legem industriæ, adeò ut hanc negligens, legis seu obligationis ejusmodi violandæ discrimini se voluntariè committens, malitiam ipsius ex voluntate *indirectâ* ac *interpretativâ* contrahat. Alterum est Dictamen alicujus in opere morali hîc & nunc faciendo obligationis repræsentativum, in quo ratio Conscientiæ *Formaliter* consistit. Hinc autem resultare obligationem legis per tale dictamen repræsentatæ. Quamvis proinde vi hujus obligationis teneatur quis Conscientiam vincibiliter errantem nondum depositam eatenus sequi, ut huic se non conformando peccet, ipsa tamen Conscientia

Forma-

Formaliter spectata, & quà obligatoria non respicit tale peccatum, sed istud oritur ex suppositione legis, mediante dubitatione, vel cogitatione, ad Conscientiam *solùm Concomitanter* se habente, repræsentatæ. Unde non sequitur, quòd, si Conscientia vincibiliter errans ad sui sequelam seu conformationem sit obligans, *per se formaliter* obliget ad peccandum, licèt cum illâ *Concomitanter* conjuncta sit legis oppositæ fortè latentis inquirendæ obligatio, ex cujus defectu, atque adeò *per accidens*, dum quis sequitur Conscientiam vincibiliter errantem, incurrat peccati legi fortè latenti oppositi reatum, utpote *Indirectè* ac *Interpretativè* saltem volitum ab eo, qui inquisitione debitâ neglectâ, se committit periculo talis peccati. Et hinc Sanctus Thomas *q. 17. de verit. a. 4.* ait, hoc discriminis esse inter Conscientiam *Rectam & erroneam*, *quòd illa ligat simpliciter & per se. Hæc vero secundùm quid & per accidens, siquidem possit aliquid contingere, scilicet depositio Conscientiæ, quâ contingente, quis ulterius non ligetur; cum econtra Conscientia recta non possit sine peccato deponi.*

CONTROVERSIA II.

Qualiter agendum & iudicandum sit pro statu, seu casu Conscientiæ Invincibiliter Erroneæ?

1. Conscientiam etiam *Invincibiliter* Erroneam non obligare ad sui sequelam & conformationem, videtur evinci per hoc fundamentum. Etenim secundùm Divum Thomam *præs. controv. 1. n. 18. in fine citatum.* Conscientia Erronea non obligat nisi in virtute præcepti Divini. Lex autem Divina nequit obligare ad peccatum etiam mortale. At Conscientia Errans semper est de objecto *Materialiter* peccaminoso. Quomodo ergo stare potest talis obligatio?

CONCLUSIO.

Conscientia *invincibiliter* errans distinguitur à Conscientiâ *vincibiliter* erroneâ, ut non ad instar istius solùm obliget ad sui sequelam, sed omnimodè excuset à peccato; ita ut operans juxta illam possit facere actum *Moraliter* Bonum, non tamen mereatur, nisi per actum aliquem *Concomitanter* se habentem ad opus morale ex tali Conscientiâ procedens.

Probatur. Tum quia Error ex duplici capite fit invincibilis. *1.* ex omnimodâ inadverten-
2. tiâ seu oblivione. Hæc autem, cùm sit omninò involuntaria, atque purè naturalis, nequit imputari ad culpam, nec consequenter opus inde secutum malitiâ aliquâ morali inficere. 2. ex magnâ advertentiâ faciente sufficientem pro errore, seu ignorantiâ vincendâ diligentiam, adeò ut non occurrat ulterior cogitatio ad aliam morali & humano modo factibilem diligentiam adhibendam. At in tali casu Error fit purè speculativus, nec adeò erratur ampliùs in Conscientiâ ac prudentiâ, sed in re duntaxat & objecto, non quà *practicè* dirigibili, & *Moraliter* operabili, sed quà veritati consentaneo. Quare talis Error utpote purè speculativus non imputatur ad culpam, nec malitia sub isto latens potest *Interpretativè* volita esse; quin potius obligatio per talem errorem repræsentata urgeat in tantum, ut stante ejusmodi Conscientiâ, utpote dictamini legis rationem præseferenti magis parendum sit, quàm præcepto superioris, *veluti patet ex dictis præs. cont.* At hoc ipsum Divinæ legis dictamen eatenus est repræsentativum Honestatis alicujus objectivæ in Ideâ Divinâ formatæ ac expressæ, ut eo ipso, quòd Error sit invincibilis, nullam repræsentet malitiæ ejusdem cum Honestate taliter expressâ mixtionem. Unde licèt ex parte rei fiat talis Ho-
nestatis ad operis moralis hic & nunc faciendi 3.
materiam concretio quædam *Materialiter* & *speculativè* falsa, hæc tamen eatenus se habet *per accidens* ad moralem Honestatis illius in se *Formaliter* veræ, & ut sic *Finaliter* motivæ, atque adeò *practicè* rectæ prosecutivum actum, ut hic ex tali *quà Formaliter* depuratâ Honestate *in Quarto perseitatis modo formaliter* specificetur, illâ ad Materiam individuam concretione falsâ, non nisi *per accidens* ac *speculativè* se habente, respectu actûs Honestatem illam objectivam ut sic prosequentis. Consequens proinde est, talem actum (v. g. Iacobi Patriarchæ cum Liâ adhuc putatitiâ uxore concubitum) posse in genere naturalis Honestatis *Moraliter*, esse Bonum, veluti patet ex dictis *q. 8. a. 2. cont. 1.* Tum quia actus in ordine ad
præmium supernaturale, adeòque *simpliciter* 4.
meritorius non solùm exigit statum & condignitatem Gratiæ Sanctificantis, sed debet quoad substantiam & Entitatem suam intrinsecam supernaturalis esse, uti suo loco dicetur. At verò in ordine ad actum voluntatis *Intrinsecè* ac *Entitativè* supernaturalem requiritur Dictamen objecti formalis ac Motivi supernaturalis expressivum. Ejusmodi verò in substantia supernaturale, non nisi vi gratiæ auxilij eliciendum dictamen nequit coinquinari per aliquam falsi commixtionem, sed stante materiali circa objectum v. g. hostiæ solùm *putatitiè* consecratæ adorabilitatem errore eatenus est Christi quà in Eucharistiâ verè realiter existentis expressivum, ut non descendat ad consecrationem falsam istius non nisi putatitiè consecratæ Hostiæ, sed hujus concretionis per Conscientiam invincibiliter errantem expressio *Moraliter* & *speculativè* falsa ad supernaturalem meritorium Christi adorationis actum se habeat solùm *concomitanter*, non verò *antecedenter*, *uti cit. cont. 1. q. 8. dictum est.*

Ad *n. 1.* oppositam Difficultatem 5.

Respondetur. Verum esse, quòd Conscientia Erronea non obliget nisi in virtute præcepti Divini, tum quòd istud nequeat obligare *per se* ad peccatũ etiã materiale. Nihilominùs in casu Conscientiæ Erroneæ legem Divinã tunc expressam eatenus obligare *Intransitivè formaliter* ad sui ipsius observantiam, ut ista tamen obligatio *transitivè* non nisi *per accidens* afficiat materiale talis Conscientiæ objectum, cui convenit esse materiale peccatum. Quare legem Divinam non tam *per se Directè* obligare ad actum sub Conscientiâ Erroneâ repræsentatum, quàm istam obligationem oriri *per accidens* ex eo, quòd lex illa Divina *per accidens* non ex vi suæ naturæ, sed ex ratione Conscientiæ *Materialiter* erroneæ af-

si iat id, quod est materiale peccatum, adeò ut si id Conscientiæ dictamini conformiter fiat, exinde incidat voluntas in legis divinæ, objecto ejusmodi *materialiter* peccaminoso non nisi *per accidens* annexæ, transgressionem formalem.

COROLLARIUM.

6. INfertur 1. Doctrinam Divi Thomæ *in 2. dist. 39. art. ult. ad 3.* docentis, magis parendum esse Conscientiæ erroneæ, quàm præcepto superioris, accipiendam esse *in sensu formali*, non autem *materiali*. Ratio est. Nam *in sensu formali* fit quædam comparatio inter ipsam legem Divinam vi erroneæ Conscientiæ quà Conscientiæ *Formaliter* spectatæ expressam, ac humanum superioris præceptum. At per se notum est, legem Divinam prævalere legi humanæ, ita ut hæc non possit habere vim præcepti, quatenus adversatur legi Divinæ: juxta illud *Act. 5. Oportet magis obedire Deo, quam hominibus.* Verùm *in*

7. *sensu materiali* fit quædam Comparatio inter objectum sub Conscientiâ Erroneâ repræsentatum, & legem Humanam. Eo ipso autem, quod Conscientia sit Erronea, nequit ejus materia de se esse honesta, nec adeò meretur obedientiam, sive sui sequelam *per se*, & *ex naturâ suâ*, sed potius aversionem. Insuper cum præsumptio stet pro superiore, ipsius præceptum eatenus est *per se* obligans; ut *ordinariè* Conscientiam *Invincibiliter* errantê faciat dubiam, vel *Vincibiliter* erroneam. Unde licèt pro tunc ejusmodi *vincibiliter* erranti Conscientiæ *Formaliter* quà Conscientiæ ut sic legem divinam præseferenti adhuc magis sit parendum, quàm præcepto superioris; *Materialiter* tamen spectata ejusmodi Conscientia exigit vel sui depositionem, vel certe diligentiorem inquisitionem, nec, dum veritas nondum est comperta, licet *exercitè* se conformare materiæ talis Conscientiæ, quamvis formalis scilicet legis Divinæ per eam expressæ stet obligatio ad se ipsi conformandum. Constat igitur, qualiter Conscientia Erronea *Formaliter*, non autem *Materialiter* spectata sit præferenda superioris præcepto.

8. Infertur 2. Pari ràtione *Formaliter*, non autem *Materialiter* verificari, quòd Deus non possit dispensare, ut liceat agere contra Conscientiam etiam erroneam. Ratio est. Quia Conscientia *formaliter* spectata dicit materiæ quà legis obligatione affectæ expressionem. At implicat, nec adeò per absolutam Dei potentiam fieri potest, quòd materia quà lege prohibente affecta fiat licita. Nequit ergo Deus contra Conscientiam etiam Errantem operandi facere licentiam, nisi *in sensu materiali*, quatenus v. g. in Hebræos transferendo Dominium erga vasa Ægyptiorum, fecit, ut Hebræi ex Conscientiâ istorum vasorum de se illicitam spoliationem verè judicarent licitam.

ARTICULUS III.

DE
Conscientiâ Dubiâ & Scrupulosa.

DIfferunt Conscientia *Vincibiliter* Erronea, Dubia & Scrupulosa, tum quòd Conscientia *Vincibiliter* Erronea sub ratione Conscientiæ ut sic importet *in* 1. *recto* determinatum de opere morali ex vi legis repræsentatæ, hic & nunc faciendo, vel omittendo judicium, in *obliquo* autem qua vincibilis dicat apprehensionem, vel cogitationem aliquam de legis ad oppositum obligantis discrimine per sufficientem ac prudentem investigationem nondum excusso: tum quod Conscientia dubia non involvat aliquod determinatum Iudicium, sed hujus suspensionem, vel ex rationis ad resolutionem aliquam capiendam insufficientia, vel ex rationum pro utràque contradictionis parte instantijs in suspenso tenentibus Intellectus Iudicium definitivum: tum quòd Conscientia qua *Formaliter* scrupulosa *in recto* dicat simplicem de operis hic & nunc faciendi malitiâ apprehensionem, ex levi ad judicium ferendum insufficiente, ratione inductam; *in obliquo* autem & quà Conscientia importet judicium, contrariâ licet apprehensione ac formidine ac perturbatione hinc excitatâ obscuratum, operis tamen moralis in hisce circumstantijs faciendi quà liciti *Exercitè* & *Practicè* repræsentativum.

Quibus adeò præsuppositis, duas cum nonnullis cuique subjectis Corollarijs, hic examinabimus controversias primam *de Conscientia Dubiâ*; secundam verò *de Conscientiâ Scrupulosa.*

CONTROVERSIA I.

Qualiter sit agendum & Iudicandum de statu Conscientiæ Dubiæ?

DUbium aliud est *Negativum*, dum nulla ex alterutrâ parte occurrit ratio ad definitum, seu resolutorium de opere 2. hic & nunc faciendo Iudicium ferendum, inducens. Aliud est *Positivum*, dum rationes pro utràque tam Affirmationis, quam Negationis parte stantes, suspensum tenent judicium, nullâ in intellectu factâ determinatione, seu resolutione.

Hoc utrumque dubium quandoque est *Iuris*, dum sive *Positivè*, sive *Negativè* dubitatur de 3. lege, seu Iure obligante, ejusque valore: quandoque verò est *Facti*, dum stante legis, seu *Iuris* vigore, dubitatur, an species *Facti* sit taliter constituta, ut in ipsam cadat Iuris seu legis obligatio. Insuper tam *Iuris*, quàm *Facti* Dubium sive negativum, sive positivum potest esse vel speculativum, vel practicum. Est autem dubium speculati-

culativũ, quatenus dubitatur de veritate *Iuris*, ejuſque obligatione, vel *Facti*, abſtrahendo ab operis moralis circa tale Factum ſeu Ius exercitio. Dubium verò practicum eſt, quando vel dubitatur, an opus morale ſub iſtâ *Facti* ſpecie *Exercitè* fieri poſſit licite, ſecundum leges ac Iura, vel an cum veritate ſubſiſtat iſta Facti ſpecies, ſub quâ duntaxat licet hic & nunc tale opus morale proſequi, ſive etiam ad effectum deducere.

Quibus proinde poſitis, reſtat decidendum: *An, & qualiter liceat operari cum Dubio ſive Practico, ſive Speculativo, & an in tali dubio tutior pars ſit eligenda?*

Referuntur Sententiæ.

4. RODericus de Arriagâ *tract. de actib. human. diſp. 25. ſect. 2. n. 5. ac ſeq.* ex communi per ipſum aſſertâ Recentiorum ſententiâ docet, probabilius videri, quod in *Juris* dubio poſſit homo ſequi partem minus tutam, licèt in dubio *Facti* debeat eligere tutiorem. Fundamentum primum eſt. Quia in dubio melior eſt conditio poſſidentis. At quando dubitatur de Jure, de præcepto, de lege, aut voto, ego ſum in poſſeſſione libertatis priùs ante latam legem, vel emiſſum votum habitæ. Econtra quando conſtat de lege, ſeu Jure, vel voto, ſubeſt autem Dubium *Facti*, an ſcilicet ſatisfecerim, tunc poſſeſſio ſtat pro lege ac Deo.

5. Secundum Fundamentum deſumi poteſt ex ſolutione objectionis petitæ ex Canone. *Ad audientiam.* Item ex Canone. *Significaſti. de Homicidio.* ubi pontifex præcipit cuidam Sacerdoti, ut abſtineat a ſacrificio, propter dubium homicidij, eò quòd *in dubijs tutior pars ſit eligenda.* Nam ad hoc Arriaga *citatus n. 15.* reſpondet; illud Dubium fuiſſe Juris: quia enim Jus generale, ut omnis occidens irregularitatem incurrat, non obligat niſi adjunctâ hâc minori *Hic occidit.* Idcirco homicidium ipſum eſt id, quo quaſi completur debitum ad incurrendam irregularitatem, atque adeò dubium de Homicidio perpetrato ſpectat ad dubium *Juris.*

6. Tertium petitur ex Can. *Dominus. de ſecundis Nuptijs.* Et Can. *Inquiſitioni. de ſent. Excommunic.* ubi deciditur, eum, qui poſt contractum ſecundum matrimonium dubitat de vitâ prioris Conjugis, debere reddere debitum, non verò, ſtante illo dubio, poſſe illud petere. At cùm reddenti debitum inſit periculum commixtionis cum non conjuge, tutior pars eſt, non reddere debitum: Ergò in dubijs non ſemper eſt tutior pars eligenda.

7. Econtra quod *indefinitè loquendo*, in dubijs tutior pars ſit eligenda, eſſe præcepti; non autem conſilij duntaxat, cum Thomâ Sanchez. *lib. de Matrimon. diſp. 41. n. 9.* & Azore *tot. 1. inſtit. moral. lib. 2. cap. 16. in fine* docet. Caſtropalaus *prae. diſp. 3. punc. 1. n. 6.* idque tanquam ſententiam à Theologis & Canoniſtis receptam probat Amicus *diſp. 15. n. 41.*

Fundamentum eſt. Cùm enim è duobus malis ſemper eligendum ſit minus; neceſſario infertur, quòd, ſemel conceſſo, *non licere operari cum conſcientiâ dubiâ*, tutior pars ſit eligenda.

8. Verum Marcus Serra *praeſ. q. 19. a. 6. dub. 5. concl. 2. & 3.* taliter diſtinguit, aſſerendo; quando dubium eſt *Juris*, adhibitâ ſufficiente diligentiâ, ſi adhuc quis maneat dubius, non teneri tutiorem partem eligere, talem legem ſervando; aut ſe gerendo, ac ſi pœnam v. g. Irregularitatis incurriſſet. *Secundò.* Si dubium ſit *Facti*, 9.
pro quo certum eſt, conſtitutam eſſe in Jure, ſeu à lege pœnam Irregularitatis, excommunicationis, ſuſpenſionis, aut Interdicti, ipſo facto incurrendam, probabilius eſſe, quod eligenda ſit tutior pars, ita ut quis gerere ſe debeat tanquam excommunicatum, irregularem. Nihilominus *Tertio* probabile quoque eſſe, quòd diſpoſitio Canonis. *Ad audientiam.* & Canonis. *Significaſti. de Homicidio.* ubi ex eo, quòd in dubijs tutior pars ſit eligenda, deciditur, debere quempiam in dubio Homicidij ſe gerere tanquam irregularem; non debeat extendi ad Dubia cujuſcunque *Facti*, ſed potius reſtringi ad Dubium Homicidij, de quo ibi eſt ſermo, ſiquidem diſpoſitio ejuſmodi ſit rigoroſa, & odioſa nimis.

CONCLUSIO I.

INtrinſecè malum eſt, operari cum Conſcientiâ Dubiâ, ſeu cum Dubio practico.

Probatur. Hoc enim dubium accidit, dum quis dubitat, an hic & nunc licite operetur. At 10.
manifeſtum eſt, talem exponere ſe periculo violandæ obligationis *dubiè* licèt repræſentatæ. Unde hujus cenſetur hoc ipſo reus, quòd *Indirectè* in causâ, ſive periculo per ſe ipſum dato, cenſeatur velle transgreſſionem obligationis ſub dubio repræſentatæ; ut adeò operans cum dubio, an peccatum ſit mortale, vel veniale, culpæ lethalis ſit reus. Si verò ſit dubium de Bonitate vel malitiâ in confuſo, non *determinatè* dubitando de mortalis culpæ gravitate, tunc, *utrùm ex materiæ levitate contrahi poſſit culpa duntaxat venialis*, poterit hujus deciſio intelligi ex dictis *praec. art. conc. 1.*

CONCLUSIO II.

SI Dubium Speculativum maneat intra limites ſpeculationis, nec adeò in opus quà morale *Indirectè ſaltem*, aut *Interpretativè* influat, tunc licitè poteſt quis operari cum dubio ſpeculativo.

Probatur. Quia factâ licèt morali diligentiâ tam in exquirendò principio morali, ſeu Jure dubio, quàm in ſpecie *Facti* ambigui conſultandâ, poteſt fieri, ut ex directione alterius moralis principij meliorem v. g. poſſidentis conditionem aſſerentis, *Practicè* quidem intellectus omninò acquieſcat, ſeſeque in operando *Moraliter* ſecurum judicet: attamen plures adhuc occurrant ex parte tam *Facti*, quam *Iuris* difficultates, quas per illam moralem induſtriam ſuperare non licuit, ut proinde dubium aliquod ſpeculativum adhuc ingerant. At eo ipſo, quòd in tali caſu operans cum dubio ſpeculativo, ex moralis à ſe præſtitæ diligentiæ confidentiâ, per quam alteri meliorem v. g. poſſidentis conditionem indicanti principio jam inſiſtere liceat, *Practicè* habeat omnimodam de non malè operando ſecuritatem, conſequens eſt, opus cum tali dubio factum nulla poſſe infici morali malitiâ. 11.

tali ergo casu licitum est, operari cum dubio
12. speculativo. Secus vero est, si dubium ejusmodi efficeretur practicum, *Moraliter Indirectè* saltem ac *Interpretativè* influendo in opus quà morale. Hoc autem fieret, quando dubitans vel de Juris obligatione, vel etiam de facto inferente aliquam Juris obligationem, pro tali dubio evincendo non faceret diligentiam *Moraliter* possibilem, juxta suam possibilitatem seu facultatem, atque materiæ gravitatem. Ex ejusmodi enim diligentiæ omissione æquiparatur quis habenti ignorantiam vincibilem, cum quâ operans constituitur eo ipso reus, quòd malitiam sub tali ignorantiâ constitutam velit *Indirectè* ac *Interpretativè*. Pari ratione, si quis post diligentem inquisitionem, non compertâ circa Jus, vel factum obligationem inferens veritate, adhuc dubius & anceps hæreat, nec ex alio morali v.g. meliorem possidentis conditionem inferente principio, formet aliquod de hic & nunc licitè operando judicium, tunc partem minùs tutam sequendo, *Indirectè* ac *Interpretativè* vult ex parte objecti, malitiam dubiè licèt repræsentatam; ut adeò tale dubium ab initio licèt speculativum, ex tali vel inquisitionis, vel determinationis defectu fiat practicum, utpote malitiam ejusmodi *Moraliter* causans, eo ipso, quòd ista, vi talis omissionis, *Indirectè* seu *Interpretativè* sit volita.

Conclusio III.

Principia moralia generalia, vi quorum Conscientia Dubia deponi, & ad debitæ rationabilis resolutionis securum statum deduci potest, optimè traduntur per Joannem à Sancto Thomâ *cit. disp. 12. ar. 4. n. 23.* & Ildephonsum Baptistam *disp. 209. à n. 1071.*

13. Primum in eo se tenet, quòd, si factâ morali diligentiâ nihil potest liquidari, sed dubium manet, inspiciendum sit, pro quâ parte stet possessio, oporteatque illam partem sequi tanquàm tutiorem; siquidem nullus propter dubium sit spoliandus Jure suo, ac possessione. Cujus probatio desumitur ex lege. *Cum par delictum. & lege. In pari Causâ. de Regul. Juris.* Item *cap. In pari. eod. tit. in 6.* ubi dicitur, *quòd in pari delicto, vel causâ potior sit conditio possidentis.* At licèt istæ regulæ videantur statutæ pro foro externo, si tamen possessor h bonæ fidei, tenent pro foro etiam interno: Cùm forum internum semper conformari debeat externo, quando illud non innititur falsæ præsumptioni. ex Soto *lib. 4. de Just. q. 5. ar. 3. vers. Quartò arguitur.* Suarezio *de Cons. disp. 40. sect. 5. n. 16.* Castropalao *cit. disp. 3. punc. 2. n. 4. &* aliis ab ipso relatis.

14. Secundum Principium est; quòd, si dubium est de ipsâ possessione, ita, ut dubitetur, pro quâ parte stet possessio, in tali casu favendum esse Reo, juxta illam Juris regulam; *Cùm sunt partium Jura obscura, Reo favendum est potius, quàm Actori. ex Cap. Cùm sunt. de regulis Juris in 6. & leg. Favorabiliores. ff. eod. tit.* Ille verò, advertente Joanne à Sancto Thomâ *citato*, censetur Reus, contra quem agitur, seu cui imminet damnum ex actione alterius; Actor enim, cùm impetat, conatur Reum à possessione exturbare, vel crimen ei impingere. Quare ad præsens nostrum institutum censendus est Reus, quisquis impetitur ab alio, ac damnificari ac præjudicari potest, sive cui ab alio damnum quæritur.

Tertium ex antecedentibus deductum principium est, quòd dubia in alterius præjudicium tendentia in meliorem partem sint interpretanda. ex *variis Canonibus.* Item *ex Glossâ ordinariâ super illud. Qui non manducat, manducantem non judicet.* Etenim triplex est genus operum moralium, unum est de se Bonum, quod non licet judicare, quasi malo animo fiat: Alterum est de se malum, quod judicari non licet tanquàm Bonum; aliud denique indifferens, ita ut in individuo & bene & male fieri possit; quod ratione Juris erga famam alteri inexistentis in meliorem partem interpretari tenemur. 15.

Quartum est, quòd, si hi, inter quos est dubium, non se habeant ut Actor & Reus, nec discerni possit, pro quâ parte stet possessio, & alias materia in se sit illiquida, & confusa, res illa, de quâ dubitatur, juxta qualitatem dubii dividenda sit, modò dividi queat, alioquin debeat per sortem dividi dubium. 16.

Quintum principium est, quòd in Dubio tutior pars eligenda sit. *Ex Canone Juvenis. de Sponsalibus.* Et *Can. Ad audientiam.* Item *Can. Significasti. de Homicidio.* Cæterum observat Castropalaus *cit. disp. 3. punc. 1. n. 7.* illam partem tutiorem dici, in quâ nihil mali repræsentatur. Quapropter attentis in occurentiâ diversorum incompatibilium præceptorum circumstantiis, si examinatis rationibus pro temporis opportunitate minus malum se obtulerit, illud respectu illius dicendum esse partem tutiorem, ac proinde eligendam. *ex cap. Duo mala. 13. dist.* Verùm de intellectu hujus principii & qualiter sit præcepti, vel Consilii duntaxat, mox statuemus. 17.

Conclusio IV.

Circa illud principium quatuor sunt statuenda.

Primò. Quòd *practicè loquendo* Juris naturalis sit, ut in dubio semper sequamur partem *Negativè*, non autem *Positivè* tutiorem. *Secundò.* Quòd Juris positivi Ecclesiastici sit, ut in dubio facti Homicidii; teneatur quis se gerere irregularem; atque adeò partem *Positivè* tutiorem sequi. *Tertiò.* Quòd in aliis materiis occurrente Dubio *Facti*, non sit obligatio partem *positivè* ac *speculativè* tutiorem taliter sequendi, quin practicum ex alio quodam morali principio Dictamen formando, quis possit, sequendo oppositum, *practicè æquè* tutus esse, dicaturque adeò partem *Negativè* tutiorem tunc sequi. 18.

Quarto. Quòd in dubio Juris, suffragante possessione libertatis, possit quis sequi partem *speculativè* minùs tutam, quæ tamen *practicè loquendo*, ex Jure possessionis reddatur æquè tuta, atque adeò sequens dictamen super Juris possessione fundatum, adhuc dicatur sequi partem *Negativè* tutiorem. Prima pars probatur. Nam pars dicitur in Genere Morali *Negativè* tutior, in quâ vi alicujus principii moralis *practicè saltem loquendo*, quis æquè constituitur tutus in conscientiâ, id est immunis à peccato, ac si partem oppositam eligeret. At vi juris etiam naturalis ob- 19. 20.

lis obligamur, in omni opere nostro morali taliter operari, ut simus immunes à peccato, atque adeò *practicè loquendo*, tuti in Conscientiâ. Ergo Juris Naturalis est, ut *Moraliter* operando semper sequamur partem *Negativè* tutiorem. Secunda pars probatur. Nam pars dicitur *positivè* tutior, in quâ nullum peccati periculum apparet, dum econtra ex parte oppositâ, *saltem speculativè loquendo*, (quando nimirum vi alterius principij moralis *practicè* non amovetur) subest discrimen alicujus inconvenientiæ, seu indecentiæ moralis. At in dubio perpetrati homicidij, Jure Canonico statutum est, ut quis se gerat irregularem. Hujus verò ratio desumitur ex eo, quòd, cùm stante tali dubio, sit periculum alicujus indecentiæ ex defectu significationis ad Christi lenitatem congruè repræsentandam committendæ, sit melius, partem tutiorem eatenus sequi, ut ne quidem Jus possessionis possit partem oppositam reddere immunem à peccato. Quare id, quod attento jure naturali erat tunc Consilij, Canones prætacti fecerunt, ut esset de præcepto, ut scilicet partem etiam *positivè* tutiorem, non obstante circa libertatem possessionis jure, in illo facti Dubio sequi deberemus. Tertia & Quarta pars probatur. Cùm enim lex præsertim pœnalis sit odiosa, atque adeò restringenda; ac possessio libertatis de Jure suffragetur, quoties speciali jure non est adempta; consequens est, illud morale de parte etiam *positivè* tutiore sequendâ principium, quod secundum Jus naturale erat tantum Consilij, non nisi in casibus à Jure expressis debere in *Materia* aliquâ particulari censeri obligatorium seu præceptivum, ut adeò in dubio tam *Juris*, quàm *Facti* extra specialem Juris dispositionem, (veluti est de Irregularitate ex dubio homicidio incurrendâ) non sit obligatio partem *Positivè*, sed *Negativè* duntaxat tutiorem sequendi.

21.

22.

Responsio ad opposita Fundamenta.

23. AD primum Arriagæ *n. 4.* oppositum fundamentum Respondetur. Illo rectè probari, quòd in dubio Juris eatenus possit suffragari possessio, ut pars *positivè* tutior *practicè loquendo* fiat *Negativè* æquè tuta: quamvis econtra dubio Facti circa legis adimpletionem subsistente, possessio, atque adeò obligatio stet pro lege ad partem etiam *positivè* tutiorem sequendam.

Ad Secundum Arriagæ *n 5.* oppositum Respondetur. Insignem in tali argumento contineri æquivocationem, dum dicitur Homicidium actu perpetratum esse quasi complementum Juris Irregularitatem imponentis. Nam alia est Homicidij *in actu quasi Signato* ratio, prout Hypotheticè supponitur in Jure Irregularitatis pœnam statuente. Alia verò est homicidij ratio *in actu exercito*, quà *absolutè* positi, ac in effectum deducti. Etsi vero Homicidium sub priori formalitate *Intrinsecè* supponatur in lege Irregularitatem imponente, sub formalitate tamen posteriore non ad ipsius legis substantiã supponitur, sed ad ejus effectũ, Irregularitatis scilicet incursionem actualem. Quare negandum est; Dubiũ de Homicidio *actualiter* perpetrato esse *Juris*, sed eatenus est *Facti*, ut consequenter non ex communi de tutiore parte sequendâ principio, sed ex speciali Juris Canonici dispositione, in dubio

24.

homicidij sit talis tutiorem partem sequendi obligatio, ut dubitans debeat se gerere tanquàm irregularem.

Ad tertium ex parte Arriagæ *n.6.* oppositum Rp. In illo casu ex unâ parte occurrere Dubium de prioris Matrimonij, tum Jure, tum possessione, an scilicet ista sint extincta; ex alterâ parte occurrere quidem Dubium de Jure Matrimonij valdè contracti, esse tamen liquidum possessionis Ius in viro Bonâ fide contrahente Matrimonium. Quare ex istâ parte eatenus prævalere Jus possessionis, ut pars non tantùm *negativè*, sed etiam *positivè* tutior in eo se teneat, quòd scilicet Conjunx non obstante dubio validi Matrimonij, ob liquidam viro ex Matrimonio Bonâ fide contracto quæsitam possessionem debeat reddere debitum, quamvis possessio, utpote per Matrimonium malâ fide contractum quæsita nequeat ipsi suffragari, ut possit petere debitum. 25.

COROLLARIUM I.

Qualiter in materiâ Justitiæ Dubium speculativum deponendum sit ex titulo Possessionis?

INfertur *primò*. Possessionem eatenus suffragari in materiâ Justitiæ, ut dubitans, an res à se possessa sit aliena, teneatur quidem diligenter investigare Dominum, hoc tamen non comperto, possit illam retinere. ex Covarru. *reg. possessor. 2. part. §. 7. n. 4.* Molinâ *to. 1. de Just. tract. 2. disp. 35. in fine.* Joanne a Sancto Thoma *cit. ar. 4. n. 23.* & Castropalao *cit. disp. 3. punc. 2. n. 4.* & pluribus ibi relatis Doctoribus contra Sotum *lib. 4. de Just. q. 5. art. ult. prope finem* existimantem; debere in tali casu rem dividi cum personâ, de cujus Dominio dubitatur, vel istâ non cognitâ, partem pro ratâ Dubij pauperibus distribui. 26.

Ratio nostræ assertionis est. Nam licèt dubitatio, an res aliena sit, inficiat bonam fidem in incipiente possidere, cùm injustè rem sibi arroget, quam non existimat ad se magis, quàm ad alium pertinere: attamen in continuatione possessionis bonâ fide inceptæ stat præsumptio pro possidente. *ex Cap. Si virgo. verb. in Jure prædonum. 13. q. 1.* Unde ex tali dubio non statim oritur restituendi obligatio, sed de veritate inquirendâ, ut proinde domino non comperto, possit illam retinere. Secùs foret, si quis omisisset investigationem veritatis, ex tunc enim inciperet fieri malæ fidei possessor, atque adeò stante tali dubio, in Conscientiâ non suffragaretur possessio, sed teneretur rem unà cum fructibus pro qualitate Dubij restituere. ex Molinâ *cit. tract. 2. disp. 36. concl. 1.* 27.

28.

Infertur *secundò*. Malæ fidei possessorem eatenus in Conscientiâ obligari ad restitutionem, ut Emptor rei alicujus, de quâ dubitabat, an venditor furtivè eam possideret, non tantùm teneatur ad diligentem veritatis inquisitionem, sed hâc etiam præstitâ, si Dominus non compareat, persistente Dubio, teneatur eam inter se, & illum, de quo dubitat, pro ratâ Dubij dividere. Ex Castropalao *cit. disp. 3. punc. 3. n. 2.* 29.

Ratio est. Nulla enim tunc Juris præsumptio stat pro possidente, & aliàs secundum Conscientiæ Dictamen, utpote in Dubio fundatum, omnes

omnes æquale Jus habent. Unde sibi imputet, quòd imprudentèr emendo rem dubiè furtivam, defraudandus sit parte pretij, imò toto pretio, si Dominus postea compareat.

30. Infertur *tertiò*. Etsi non desint plures Doctores existimantes, in casu Dubij, quo consulens homicidium, seu furtum, dubitat, an suum consilium fuerit actualiter causa Damni secuti, vel alter absque tali consilio damnum illaturus fuisset, ex titulo possessionis deobligari à restitutione. Oppositum tamen cum Baldo *in leg. Datâ operâ. n.52. Cod. Qui accusari non possunt.* omnino tenendum esse; quòd possessio militet pro Damno dato contra ipsum possidentem, ut pote qui ponendo causam talis damni, posuerit aliquam contra se præsumptionem. Nisi ergo istius præsumptionis vis efficaci in contrarium ratione elidatur, pro ipsâ standum erit.

31. Secùs autem foret, si ratio contraria talem præsumptionem eatenùs saltem enervaret, ut rationabiliter dubitari posset, an aliquid foret ipsi tribuendum, tunc enim stante tali dubio, per rationes efficaces contra illam præsumptionem oborto, existimat Castropalaus *cit. disp. 3. punc. 4. n. 3.* non fore æquum, ut quis obligaretur, satisfactionem certam exhibere, quando pensatâ illâ etiam præsumptione, esset dubius de damnificatione ex suo consil. , subsecutâ.

32. Infertur *quartò*. Qui certus est de debito, sed dubitat de solutione, teneri ad solutionem. ex Vasquezio *præs. disp. 66. cap. 7. n. 43.* Ildephonso Baptistâ *cit. disp. 219. n. 1146.* Ratio est. Quia in hoc casu Creditor possidet Jus certum contra debitorem. At Jus certum elidi non potest dubiâ solutione. *ex leg. Titia textores. ff. De legatis.*

33. Infertur *quintò*. Depositarium, vel Commodatarium, si dubitet, an res suâ causâ, & culpâ perierit, non teneri ad talis rei perditæ restitutionem. Ex Lessio *lib. 2. de Justitiâ. cap. 27. dub. 3. in fine. &* Ildephonso *citato n. 1149.* Ratio est. Quia Depositarius nisi ex suâ culpâ latâ, & Commodatarius nisi ex culpâ suâ saltem levissimâ (uti suis locis dicetur) res perierit, non tenetur ad restitutionem. Atqui in dubio suffragatur possessio pro immunitate à culpâ.

COROLLARIUM II.

Qualiter in dubio illegitimitatis suffragetur possessio, ac præsumptio legitimitatis?

34. INfertur *primò*. In tali Dubio debere inprimis diligentem pro tali dubio excludendo fieri inquisitionem, aliàs Dubium ignorantia vincibili nitens in nullo suffragari. Ex Ildephonso *citato. n. 1155.*

35. Ratio est. Quia extunc est possessor malæ fidei. Cæterùm signa, ex quibus præsumitur filius legitimè natus, sunt sequentia. *Primò.* Si nascatur ex uxore in domo mariti cum ipsâ cohabitantis. *Ex lege. filium. ff. De his, qui sunt sui, vel alieni Juris.* ex Can. *Per tuas. de probat.* & ex Can. *Transmissæ. Qui filij sint legitimi.*

36. *Secundò.* Si parentes ipsum tractent ut Filium, eum sic nominando in publicâ scripturâ, vel testamento, seu instituendo Hæredem, educando, & alimenta præstando; uti hæc fusiùs per Authores probata videre licet apud Ildephonsum citatum *à n. 1156.*

Infertur *secundò*. Tametsi non desint plures Doctores à Castropalao *cit. disp. 3. punc. 5. n. 2.* citati, qui existimant, in casu dubij de legitimitate judicandum esse pro illegitimitate: Attamen oppositum verius videri, ex Menochio. *de Arbitrarijs. lib. 2. cent. 2. casu 174. n. 32.* Vasquezio *cit. disp. 66. cap. 8. & alijs* ab Ildephonso *n. 1163.* allegatis. Ratio est. Quia istud Illegitimitatis præjudicium redundaret in culpam parentis, contra quam stat præsumptio Juris. Unde Ildephonsus *n. 1178.* cum Doctoribus ibi relatis, censet pueros expositos, quorum parentes omninò ignorantur, debere etiam præsumi legitimos, & puri sanguinis, id est nulla maculâ conspersos; posseque adeò absque dispensatione promoveri ad sacros ordines, eò quòd defectus non præsumatur, nisi probetur, ac quilibet, dum aliquid non affertur in contrarium, sit in possessione suæ famæ. 37. 38.

COROLLARIUM III.

Qualiter in alijs, quàm Justitiæ materijs possessio suffragetur ad deponendum Dubium?

INfertur *primò*. Possessio in omnibus alijs à Justitiâ distinctis materijs est sufficiens titulus ad deponendum Dubium. ex Soto. *lib. 7. de Justit. q. 43. art. 2. docum 2. §. Sed est hic.* Suarezio *de Cens. disp. 40. sect. 5. n. 15. & tom. 2. de Relig. lib. 2. de voto. cap. 33. n. 7. &* quàm plurimis alijs Theologis contra Vasquezium *1. 2. disp. 62. cap. 3. n. 11.* Ratio est. Quia in omnem virtutum materiam cadit obligatio, contra quam stare potest præsumptio, atque adeò possessio libertatis. 39.

Hinc infertur *secundo*. Si dubium sit exortum, an pro aliquo casu subsit lex, aut præceptum aliquod, nec istud dubium diligenti inquisitione vinci potuerit, judicandum esse pro libertatis possessione; ex Doctoribus relatis à Castropalao *hic punc. 7. n. 1.* Qui addit *n. 2.* idem prorsus esse dicendum, quoties Dubium fuerit, an lex, vel præceptum se extendat ad aliquem casum, de quo Prælatus consuli non potest, perinde enim fore tunc, ac si dubitaretur de lege, an imposita fuerit. 40.

Secùs tamen esse, si de lege, ejusque obligatione constet, dubitetur tamen, an quis ratione necessitatis, vel alterius circuinstantiæ ab eâ eximatur, tunc enim standum esse pro legis possessione, quæ Exceptione dubiâ tolli non posit. ex Thomâ Sanchez *lib. 1. in Decalog. cap. 10. n. 33. & 34.* 41.

Idem Author *cap. 11. n. 35.* contra alios quosdam probat, standum esse legis obligationi, quando dubitatur, an sit usu recepta; quia tunc pro lege stat Juris præsumptio, atque adeò possessio. 42.

Infertur *tertiò*. Quando lex certò posita est, sed dubitatur de Jurisdictione, & potestate Prælati, si post sufficientem diligentiam dubium vinci nequeat; judicandum esse in favorem subditorum. ex Joanne a Sancto Thomâ *cit. ar. 4. n. 37.* 43.

Ratio est. Quia in tali dubio superior est quasi pars litigans, & ex parte subditorum antecedenter ad legis obligationem militabat libertatis possessio, quâ spoliari non debebat ex Juris 44.

Iurisdictione dubiâ, ſeu lege dimanante à tali
45. poteſtate. Quòd ſi verò conſtet de Iuriſdictione Prælati, ac dubitetur de materiâ præceptâ, an ſit licita, vel ſubſit ejus poteſtati, tunc in caſu dubij vincere juſſionem Prælati, utpote poſſidentis, tradit Author citatus, addens *ex cap. Quid culpatur. 23. q. 1.* quòd in tali circa materiæ præcepti honeſtatem dubio, Iudicium Prælati eatenus ſolvat dubium, ut omninò excuſetur, qui dubius de infirmitate, comedit carnes, aut Breviarium recitare omittit ex Prælati ſententiâ; ſive quoad modum recitandi horas conformat ſe communicati & directioni Prælati.
46. Parem ob rationem dubium de Iuſtitiâ Belli, vel revelatione alicujus ſecreti, ſi poſt ſufficientem de Iuſtitiâ inquiſitionem quis non certificetur, poſſe ex hoc ſolum deponi, quòd præcipiatur à Rege, vel Prælato, quos non conſtat, eſſe iniquos & imprudentes, docet idem Author *ubi ſupra.*

Infertur *Quartò.* Illum qui dubitat, an votum
47. vel Iuramentum, aliamve promiſſionem emiſerit, ſi factâ diligentiâ, Dubium evincere non poſſit, non teneri. Sotus *lib. 7. de Iuſtitiâ. q. 3. a. 2.* Ioannes à Sancto Thomâ *citatus n. 33.* Caſtropalaus *punc. 9. n. 2.* cum Doctoribus ibi relatis contra Vaſquezium *præs. diſp. 62. cap. 3. in fine.*

Ratio eſt. Quia poſſeſſio tunc ſtat pro libertate. Quæ ratio etiam probat, aliquem deobligari, ſi poſt emiſſionem voti dubitet de animo promittendi, vel ſe obligandi, modò iſta dubitatio oriatur ex eo, quòd verba habeant ſenſum ambiguum. Secus autem foret, ſi verba præſeferent obligationem, & tamen dubitaretur de intentione ſe obligandi, cùm enim verba ſint ſigna intentionis, tunc ſtabit præſumptio pro intentione de ſe obligando habitâ, velut pluribus tradit Caſtropalaus *punc. 10.* Cui conſonat Ioannes à Sancto Thomâ *citatus* adjiciens; ſi quis certus ſit de voto, ſed dubitet de circumſtantijs, teneri ad iſtas, quatenus ex naturâ rei ſunt neceſſariò connexæ cum voti materiâ, non ad cæteras accidentarias, utpote reſpectu quarum ſit in poſſeſſione, ut adeò is, qui voto Caſtitatis emiſſo, dubitat, an ſit perpetuum, vel temporale, obligetur ſolum temporaliter.

48. Infertur *quintò.* Etſi in dubio perpetrati Homicidij debeat quis ſe gerere pro irregulari, ex Can. *Ad audientiam, de Homicidio.* In dubio tamen contractæ Cenſuræ, Excommunicationis, aut Suſpenſionis, Ius non privare poſſeſſionis Iure, quò minus poſt diligentem inquiſitionem ſtante adhuc dubio, ſit melior conditio poſſidentis. ex Thomâ Sanchez *cit. cap. 11. n. 56.* & patet ex dictis *ſupra.* Unde etiam fit, quòd in caſu dubij, an ſit peccatum reſervatum, non teneat reſervatio. ex cit Ioanne à Sancto Thomâ *n. 38.*

Hæc proinde à nobis ſuis quæque locis ex inſtituto diſcutienda, non tam ex noſtro, quàm Doctorum judicio hic attexere placuit, ut oſtenderemus, qualiter ex poſſeſſionis Iure liceat plerumque dubia deponere, ac Conſcientiam Moraliter certam efformare.

(MARIA)

CONTROVERSIA II.

Qualiter agendum, & iudicandum ſit pro ſtatu Conſcientiæ Scrupuloſæ?

Scrupulum, ait Vaſquez *1. 2. diſp. 67. n. 8.* ex omnium ſententiâ, eſſe levem quandam ſuſpicionem, aut exiſtimationem ex levibus ortam rationibus & fundamentis, quâ quis credit aliquid eſſe peccatum, quod reverâ non eſt. De quo proinde difficultas hic examinanda venit. *An, & qualiter cum tali Scrupuloſâ exiſtimatione, aut ſuſpicione liceat operari?* 1.

Referuntur Sententiæ.

Navarrus *in ſum. prælud. 9. n. 9. & cap. 27. n. 283.* Thomas Sanchez *lib. 1. in Decal. cap 10. n. 80.* Ildephonſus Baptiſta *præs. diſp. 210. n. 1396.* Caſtropalaus *cit. diſp. 4. punc. 1. n. 2.* Medina *1. 2. q. 19. a. 6. dub. ult propos 2.* & alij abſolutè docent, licitum, imò laudabile eſſe, agere contra Scrupulum etiam non depoſitum. Fundamentum eſt. Quia ſcrupulus non tollit Iudicium certum, vel probabile de Honeſtate actus ſaltem per principia extrinſeca, ſeu ex Authoritate aliorum; licet aliquo modo ſuffocet iſtud Iudicium, & quaſi dēſis tenebris obnubilet: alioquin ſi tolleret Iudicium, jam non eſſet Scrupulus, ſed dubium. At ſtante Iudicio certo, vel probabili de Honeſtate actûs, clarum eſt, ſtare firmam regulam honeſtæ operationis. Ergo poteſt ſe illi conformare, non attento ſcrupulo oblatranti. Imò hoc eſſe laudabile & quandoque obligatorium, ex eo evincitur, tum quòd oporteat hujuſmodi dubitationes, & formidines utpote frivolas, & ſine ratione obortas ſedare: tum quòd ex anxietate Scrupulorum grave damnum ſalutis quandoque patiatur ſcrupuloſus, aut ſe officio proprio præſtando inutilem reddat, aut à Communione, vel confeſſione, aliâve actione ſub præcepto debitâ aliquando retrahatur. 2. 3.

Ioannes à Sancto Thomâ *cit. a. 4. n. 43.* duplicem ſtatum Scrupuloſi diſtinguit, ita ut quandoque ſit certum, quòd dubitatio ſit merus ſcrupulus, vel hoc ipſum incertum ſit ac pendens ſub dubio. In priori proinde caſu, ſi conſtet, aliquid eſſe merum Scrupulum, id eſt dubium ortum ex levibus motivis, & parum fundatis, non opus eſſe uti rationibus, & diſputationibus ad deponendam Conſcientiā Scrupuloſam, ſed ad Conſiliū ſui Paſtoris, ſeu Spiritualis Patris debere deponi, imò non eſſe aliud remedium efficacius pro Conſcientiâ Scrupuloſâ, quàm ut ducatur aliorum conſilio, non proprio; imò poſito talis Paſtoris conſilio, debere contra talem ſcrupulum agere non obſtante aculeo propriæ apprehenſionis. 4.

Fundamentum hujus deſumitur tum ex Can. *Inquiſitioni. De ſent. Excommun.* Ubi Pontifex ait; *quòd Conſcientia levis & temeraria* (id eſt fundamento carens) *explodi debeat ad ſui paſtoris conſilium.* At notione Paſtoris hic venit quilibet vir doctus, quem pro conſilio accipit quis in Patrem, hic enim fungitur vice Paſtoris in dirigendo 5.

gendo. Tum ex ſequenti ratione. Nam conſcientia Scrupuloſa in re ipsâ non invenit motiva, & fundamenta; ſi enim fundamenta haberet, Scrupuloſa non eſſet. Unde fundatur in ſolâ apparentiâ propriæ apprehenſionis. At contra hanc non eſt remedium efficax, quamdiu ducitur quis propriâ apprehenſione & diſcurſu. Unde Scrupuloſus indiget conſilio alieno, idque communiter ſine ullâ diſputatione, eò quòd tales imaginationes & apprehenſiones diſputatione, & multâ ratiocinatione plus ſoleant intricari, cùm ille neſciat eas ſolvere.

6. Verum in caſu poſteriori, dum ſcilicet de hoc ipſo: *An ſit Scrupulus, vel dubium,* ſubeſt difficultas, Author *citatus* docet, in diſpoſitione talis Conſcientiæ procedendum eſſe, ſicuti circa Conſcientiam dubiam. Fundamentum eſt. Quamdiu enim non diſcernitur; an aliquid ſit ſcrupulus, vel majus ſcrupulo, major aliqua diligentia requiritur pro fundando dictamine prudenti, quàm ſi conſtaret, merum eſſe ſcrupulum. Illa autem major diligentia & diſcuſſio non poteſt requiri, niſi propter aliquod Dubium majus ſcrupulo. Ergo regulis dubij, & non meri ſcrupuli conſcientia illa reformanda, & deponenda eſt.

7. Nicolaus Yſambertus *ad præs. q. 19. diſp. ult. a. 1.* eatenus diſtinguit, ut dicat, poſſe ſcrupulum duobus modis ſe habere ad operantem. 1. Ita, ut non tollat rationem probabilem, quâ ipſe operans judicat, hoc opus ſibi eſſe licitum. 2. Ita, ut repellat illud Iudicium certum, vel opinionem probabilem, quâ operans judicabat, hoc opus ſibi eſſe licitum, & ſic incipiat dubitare. Quâ proinde diſtinctione ſuppoſitâ, concludit, non tantùm licere, ſed ſæpiùs expedire, ut quis agat contra ſcrupulum, qui priori modo ſe habet ad operantem; at non licere, ut quis agat contra ſcrupulum ſecundo modo conſideratum.

8. Fundamentum prioris eſt. Quia agere ſecundum ſcrupulum, eſt aperta imprudentia. Sicuti ergo hanc declinare, ſic agere contra ſcrupulum licet. Imò quæ ſcrupuloſos ſequuntur mala; veluti mentis perturbatio, à bono opere retardatio, ſalutis propriæ aliquando deſperatio, & ſimilia urgent & obligant, ut contra ſcrupulum agatur; Divo præſertim Antonino *1. par. tit. 3. cap. 10.* atteſtante, quòd, cùm quidam ob ſcrupulos non auderet celebrare, & obtemperaret S. Bernardo dicenti, *vade frater, & in fide meâ celebra,* omni impoſterum ſcrupulo liberatus ſit.

9. Fundamentum poſterioris eſt. Non enim licet agere contra conſcientiam dubiam, ſed prærequiritur in operante dictamen aliquod prudens & determinatum Iudicium de ipſo opere, quod ſit licitum & honeſtum. At quando aliquis agit contra ſcrupulum ſecundo modo conſideratum, nullum habet prudens dictamen, nec judicium determinatum de Honeſtate ipſius operis, ſed illud, quod ante habuit, abjecit, & ante ipſum opus cœpit dubitare. Ergo tunc non licet ipſi agere contra ſcrupulum.

Conclusio.

Non tantùm *ſpeculativè*, ſed reſpectu illorum, qui officij & obligationum ſuarum moralem habent diligentiam *etiam practicè loquendo* eſt *abſolutè* verum, & in praxi tenendum, quod liceat, imò expediat agere contra ſcrupulos etiam non depoſitos, quin ſubeant diſcrimen aliquod operandi ſub Conſcientiâ dubiâ, & abſque judicio rationis moraliter etiam probabili. Secus tamen eſt in illis, qui deſidiosè ſe habent in ſuis interioribus, neque curant morali diligentiâ ſuas inveſtigare obligationes, eiſque inſiſtere.

Prior pars probatur. Nam in hoc differt ſcrupulus à dubio rigoroſo, quòd iſtud ponderosâ aliquâ ratione nitatur in contrarium, ſcrupuloſa verò dubitatio levem quandam rationem præſeferat, ac intellectui repræſentet. 10.
At verò, an dubium ſit ponderoſum & fundatum, vel ſcrupuloſum, ex hoc diſcerni debet, ut, ſi ratio dubij oriatur ex ipsâ difficultate rei in ſe, fundet dubium rigoroſum: ſi verò ſit ex pravâ diſpoſitione ſubjecti, fundet dubitationem ſolummodò ſcrupuloſam. Hæc autem ſubjecti prava diſpoſitio, advertente Ioanne à Sancto Thomâ *cit. ar. 4.* ex triplici ferè causâ provenit. *Primò* ex causâ aliquâ extrinſecâ corporali nimirum corruptâ diſpoſitione, vel Diaboli illuſione, ſeu frequenti cum alijs ſcrupuloſis communicatione. *Secundò* ex aliquâ nimia interiori voluntatis diſpoſitione, nimiâ ſcilicet timiditate, & trepidatione pro quâcumque re: 11.
vel nimiâ anxietate cupiendi certiorari in omnibus, & ſub quadam certâ ſecuritate procedere: quâ ex causâ oriri ſolent dubitationes, ſeu fluctuationes, aut inquietudines in rebus fidei. *Tertiò* ex aliquâ pravâ diſpoſitione Intellectus, dum vel nimis rudis eſt ad diſcernendum, vel nimiùm protervus, & arrogans ad ſe non ſubijciendum aliorum judicio, vel parum expeditus in rationibus apparentibus ſolvendis & extricandis: quod fit v. g. dum quis iſta principia. *Tutius eſt eligendum in dubijs.* Item. *In articulo mortis non eſſem contentus iſtâ probabili ſententiâ, ſed amplecterer ſecuriorem.* Item: *Iudicium Dei eſt terribile valde, nec noſtris opinionibus, ſed rei veritate ducitur;* valde apprehendendo, malè ea applicat, itaque anxietati, ac perturbationi conſcientiam valde diſcrutianti cauſam præbet. Si proinde dubitationes oriantur ex ejuſmodi pravâ diſpoſitione, & malæ circa illa principia generalia applicationis impreſſionibus, alijſque ſimilibus apparentijs, & imaginationibus quaſi generalibus, non verò ex ipsâ ſpeciali rei, de quâ agitur, difficultate, tunc non fundant dubium rigoroſum, ſed ſcrupuloſum, licetque adeò contra tale dubium etiam non depoſitum agere.

Probatur iſtud aſſumptum. Nam ſicuti peccati mortalis malitia non contrahitur à voluntatis actu, qui deliberatum rationis Iudicium antevertit, ſic à pari vel fortiori dubitatio repræſentativa alicujus argumenti, deliberatum rationis Iudicium fundare non potentis, non eſt ſufficiens ad culpæ mortalis malitiam. At verò deliberatum rationis Iudicium eſt concluſio reſolutoriè expreſſiva malitiæ moralis operi hîc & nunc Exercitè faciendo convenientis. Niſi ergo ratio dubitationis ſit taliter conſtituta, ut ex vi ſuæ in intellectu expreſſionis poſſit 12.

sit hunc determinare ad resolutorium de operis moralis hîc & nunc faciendi malitiâ lethali Iudicium ferendum; nequit talis dubitatio esse sufficiens ad culpæ mortalis malitiam contrahendam. At quamdiu dubitatio non est repræsentativa rationis ex speciali operis hîc & nunc faciendi difficultate desumptæ, sed teneat se ex pravâ subjecti dispositione, & tali illorum generalium principiorum expressione, ut sub nullis specificæ rationis applicatione sit potens determinare intellectum ad practicum hîc & nunc operis faciendi Iudicium, sed non nisi anxietatibus & perturbationibus concutiat conscientiam, tunc ejusmodi dubitatio non est sufficiens ad culpæ mortalis malitiam contrahendam ab eo, qui contra talis dubitationis nisum ac renisum operatur. Aliunde verò cùm tali dubitationi subsit adhuc Iudicium prudens, ab omni etiam veniali culpâ excusat illum, qui contra dubitationem ejusmodi operatur.

13. Probatur illud assumptum. Nam cuique eatenus est congenita possessio libertatis, ut ista cuiq; respectu operationum moralium vi Iuris naturalis non præceptarum, vel non prohibitarum *in actu saltem Exercito* per modum alicujus moralis principij sit nota. Hæc ipsa verò congenita principij ejusmodi Moralis notitia se statim ostendit, ubi per aliquam obligationis repræsentationem seu dubitationem enervari debet. At eo ipso, quòd illud de possessione libertatis principium ex se habeat pondus Intellectûs determinativum ad Iudicium ferendum de opere morali licitè faciendo, ubi libertas naturalis, aliquâ contrariâ per Ius naturale, seu publicam vi Iuris naturalis constitutâ authoritatem inductâ obligatione non est sublata: idcirco quando dubitatio ejusmodi nequit tollere Iudicium morale ac prudens, omnem ab actione Morali malitiam moraliter removens, non est repræsentativa alicujus rationis, quæ ex specificâ rei, de quâ agitur, conditione habeat aliquid momenti, ad enervandam illam libertatis in Iure naturali fundatæ præsumptionem ac repræsentationem. Hoc autem fit in dubitatione scrupulosâ, quæ ex eo, quòd prætendendo Divini v. g. Iudicij severitatem, nimiamque proinde Conscientiæ securitatem affectando, nimiamve in rebus agendis certitudinem & evidentiam quærendo, quis nolit acquiescere rationibus moralibus communiter receptis, varias excitat anxietates, timiditates, ac perturbationes, nec nisi sub quâdam generali ratione repræsentat aliquod mali operis discrimen, de se insufficiens ad libertatis possessionem naturali lumine notam enervandam in illis, qui graviter & prudenter insistunt suis obligationibus, Discretè tamen inquirendis & agendis. Secùs verò est in ijs, qui desidiosè se habendo, non curant morali diligentiâ suas investigare obligationes, easque exequi.

14. Probatur istud assumptum. Nam si subita, non nisi ex generalibus principijs, non verò ex aliquâ materiæ, de quâ agitur specificâ ratione, alicujus obligationis dubitatio pulsat, ex hoc præcise ob naturalem libertatis possessionem, non tenetur inquirere is, qui suæ functioni, & obligationibus eidem annexis studiosè intentus, curavit sufficienti moralium actionum sibi incumbentium notitiâ ac scientiâ se informari. At verò desidiosè se habens in suis functionibus moralibus, ignorantiæ ac vincibilis erroris discrimini se objciens, nequit libertatis suæ possessione pacificè frui, sed agitatus de obligatione fortè latente conscientiæ stimulis, ex ipsâ suâ incuriâ & desidiâ rationabiliter debet esse dubius; atque adeò dubitatio non manet intra limites scrupuli, sed incidit in rationem conscientiæ dubiæ, vel etiam vincibiliter erroneæ, quarum utraque non tantùm est exclusiva prudentis de opere morali hîc & nunc licitè faciendo dictaminis, sed insuper est repræsentativa alicujus de malè operando periculi, cui adeò se exponendo, operans necessariò perit in illo.

Responsio ad Fundamenta in initio deducta.

AD Castropalai *n. 2.* propositum fundamentum Respondetur. Illo omninò probari, quòd liceat, imò expediat, & quandoque obligatorium sit, agere contra scrupulum etiam non depositum, quamdiu tamen manet intra limites scrupuli. Nam illum posse ex concomitante vincibili ignorantiâ per alicujus desidiam contractâ, transire in conscientiam rigorose dubiam, seu vincibiliter erroneam, constat ex proximè dictis. Unde *speculativè loquendo* est quidem *absolutè* verû, quòd liceat agere contra scrupulum, etiam non depositum, hoc tamen *practicè loquendo* in conscientijs suarum obligationum incurijs *per accidens* fallere, patet ex *præcedentibus*. 15.

Ad Ioannis à Sancto Thomâ *n. 4.* propositum fundamentum Respondetur. Id nobis omninò placere, nisi quòd exigat scrupuli, mediante consilio, depositionem. Si enim hoc intelligatur de quâcunque individuâ operatione morali, ita ut non nisi priùs scrupulo deposito, fas sit, Moraliter operari, non subsistere, patet ex *dictis supra n. 14.* Si verò intelligatur sub quâdam abstractione respectu operantis, omninò tenendum esse, ne fortè, ubi operans scrupulum mediante Patris Spiritualis consilio evellere non studuerit, scrupulus transeat in conscientiam Erroneam, contra quam, non nisi depositam operari licere, constat *ex præc. a. 1. & 2.* 16.

Ad ejusdem Authoris *n. 6.* propositum fundamentum Respondetur. Id omninò tenere, posseque dubitationem, an sit scrupulus, vel dubium rigorosum, vel *signatè* se habere, dum quis dubitat, an ratio sit ponderosa, ipsâ rei agendæ difficultatê concernens, vel posse se habere *Exercitè* in eo, qui obligationû suarum incurius, ad harum investigationem agitatur scrupulis, nequit enim non evenire, quin talis sub ipsis scrupulis conscientiâ vel vincibiliter erroneâ, vel dubiâ afficiatur, debeatque adeò uti remedijs, quibus conscientia dubia vincibiliter erronea curatur, & deponitur. 17.

Ad Ysamberti *n. 8. & 9.* propositum fundamentum Respondetur. Vtrumque placere, modò explicetur, quibus modis & rationibus scrupulus transeat in conscientiam vel dubiam, vel vincibiliter erroneam, quod præstare conati sumus *sup. n. 14. & 15.* Quod Lectoris prudentiori judicio expendendum relinquimus. 18.

COROLLARIUM.

Quibus remedijs curandæ sint Scrupulosæ Conscientiæ.

19. INfertur 1. Confessarium in curandis Conscientijs Scrupulosis non debere eadem adhibere remedia; sed agere prudentem Medicum, cujus est priùs investigare originem, ac effectus morborum, ut hujus qualitate exinde perspectâ, congruam applicare possit medicinam. Nam si causa Scrupulorum sit extrinseca, aliquis scilicet humor melancholicus, aut illusio Diaboli, vel communicatio Scrupulosorum. Unde fiunt multùm imaginativi, ac apprehensivi, atque tenaces suarum dubitationum, tunc non est cum ipsis disputandum, sed oportet, ipsis medicinam impendere, vigilias, aut jejunia nimia coercere, orationibus contra Diabolum munire, communicationem aliorum Scrupulosorum prohibere, ac indicere, ne proprio, sed Pastoris consilio & judicio ducantur. ex Ioanne à Sancto Thomâ *cit. a. 4. n. 49.*

20. Quibus superaddit Ildephonsus Baptista *disp. 211. n. 247.* melancholicis Scrupulosis prohibendum etiam esse, ne cogitent ea, etsi pia, quæ possunt fomenta esse melancholicarum passionum: & sic non revolvant animo mortem, Iudicium Dei, ac gehennam, sed Misericordiam, Bonitatem Divinam, infantiæ, & Resurrectionis Christi Mysteria ac gloriam cælestem.

21. 2. Si causa Scrupulorum sit ex interiore pravâ voluntatis dispositione, ob nimiam de peccato mortali incurrendo timiditatem, vel ex nimiæ de moraliter bene operando securitatis affectione, tunc optima pro ipsis videtur esse regula ex Cajetano, Medinâ, Suarezio, Vasquezio per Castropalaum *cit. disp. 4. punc. 2.* & Ildephonsum Baptistam *citatum n. 1425.* tradita, quòd scilicet talis scrupulosus non debeat aliquid reputare mortale, nisi quod certissimè, & absque dubio credit, esse mortale, ita ut si opus esset, id jurare possit. Unde monente *prædllegato* Castropalao, consultum erit, ne, quando opus à se efficiendum mortale autumant, in hujus examinatione se detineant, sed si primo aspectu ut illicita non cognoscunt, certò & sine formidine credant, licita esse.

22. 3. Si scrupuli oriantur ex pravâ Intellectûs dispositione, dum iste nimirum nimiam in rebus agendis quærit certitudinem, & evidentiam, nec rationibus moralibus, & viris prudentibus acquiescit, tunc, sicut etiam in casu antecedente, instruendus est Scrupulosus principijs moralibus, quòd scilicet *in dubio sit melior conditio possidentis*, quòd *ad moralem rectitudinem non exigatur evidentia seu certitudo metaphysica & speculativa, nostro intellectui in hujus vitæ statu plerumque impossibilis*, sed moralis & probabilis.

23. 4. Si scrupuli ex quâcunque causâ oborti sint de rebus præteritis, *an scilicet quis consenserit in cogitationem turpem, blasphemiam*; tunc nisi certò & sine investigatione ipsi constet, se consensisse, reputare debet, se non consensisse: siquidem peccata mortalia de se ita sint manifesta, ut primo aspectu præcipuè à timoratis cognosci possint. ex Thomâ Sanchez & Azore, quos refert ac sequitur Castropalaus *supra n. 3.* Quibus Ilde-

24. phonsus *cit n. 1424.* superaddit, credulitatem scrupulosi, quâ credit, aliquid non esse peccatum, se non consensisse, se confessum esse, recitâsse horas Canonicas, consecrâsse; pro certitudine esse habendam; eò quòd teste Cajetano, quæ apud istos est credulitas, apud ipsosmet, si non essent impediti, haberetur pro certitudine.

5. Si scrupuli sint de obligatione ex peccatis resurgente, an scilicet confessiones factæ fuerint legitimæ, de omnibus scilicet peccatis; vel cum sufficiente examine, aut dolore, non debere permitti, ut repetant confessionem, dum constat, mediocrem in confessione factâ adhibuisse diligentiam, sed debere Moraliter certò præsumere, præcepto confessionis satisfactum esse. Imò cùm nimia & insatiabilis de ritè confitendo anxietas in infinitum soleat augere scrupulos, non teneri scrupulosum fateri, nisi quæ potest jurare, & fuisse mortalia, & se nunquam illa fuisse confessum, docet Castropalaus *citatus n. 4.* cum Doctoribus ibi relatis. Verùm Ildephonsus *n. 1429.* cum allegatis Caietano, Suarezio, Vasquezio & alijs existimat, si competenti diligentiâ secundum prudentis judicium non sit generaliter confessus, posse ipsi permitti confessionem generalem acuratam semel, post quam quomodocunque contendat iterum de eis confiteri, vel de alijs præteriti temporis, quæ dubitat, an confessa sint, non esse permittendum, cùm aliàs foveantur scrupuli. 25.

26.

6. Scrupuloso apprimè curandum est, ut doctum aliquem virum, à quo instruatur, eligat, & hujus consilijs, seu præceptis ad amussim pareat, cæteroquin Scrupulis non inhæreat, sed statim, ut occurrunt, ad alia se divertat, vel contemnat; solo etiam consilio sui Patris Spiritualis, seu regulis supra allegatis ductus, nec examinet, vel secum disputet, aut varijs supra suas occurrentes cogitationes reflexionibus se cruciet, sed tanquàm parvulos allidat ad petram, obedientiæ per spiritualem Patrem de Scrupulis contemnendis, seu non curandis sibi impositæ, non attentâ qualicunque oblatratione, & anxietate exinde ortâ, cùm hæc & vix alia sit expeditior via malum hoc extirpandi. 27.

Quam ob causam ipse quoque Confessarius, aliusve Pater Spiritualis evitabit, multis particularibus regulis, novas in Scrupuloso intricationes excitare, sed potiùs principio quodam generali curabit moderatam operandi audaciam in ipso erigere: Cujusmodi est illud supra insinuatum commune, & ab Amico *præs. disp. 15. sect. 3. n. 31.* quoque assertum proloquium, quòd, dum aliquid non adeò manifestè apparet, esse peccatum, ut de eo, quòd sit peccatum, jurare Scrupulosus possit, ipsi liceat sine omni cunctatione tale opus peragere. 28.

7. Denique à scrupuloso radicitùs tollatur solicitudo illa indiscreta de operum suorum moralium rectitudine *signate* ac *reflexè* judicandâ, cùm hæc inevitabiliter pariat intricationes, Conscientiam admodùm discrutiantes; sed audacter operando juxta aliorum bonæ vitæ virorum consuetudinem, credat se *in actu Exercito* securum, & tutum esse de operis sui moralis honestate, nec dubitet, quin lux hujus Honestatis repræsentativa sibi tunc affulgeat, adeò licèt Scrupulis obfuscata, ut eam in se non advertat. 29.

ARTICULUS IV.

De
Conſcientiâ Certâ, & Probabili.

1. COnſcientiæ rectitudo formalis non aliud eſt, quàm intelligibilis expreſſio moralium, *qua exercitè* in individuo ſub hiſce circumſtantijs agibilium taliter formativa ac repræſentativa, ut cum objectivâ in Intellectu Divino Ideata Honeſtate, intelligentijs creatis ut ſic conſentaneâ, ſecun-
2. dùm ipſam rei veritatem conformetur. Hæc autem conformatio eſt quandoque ſolùm inadæquata, ſecundùm formalem Honeſtatis objectivam rationem, non verò ſecundùm hujus materialem cum morali *qua Exercitè* ac *individualiter* ſub hiſce circumſtantijs agibili concretionem. In quo proinde caſu Conſcientia dici poteſt *formaliter* recta, licèt *Materialiter* ſit erronea. Quandoque verò illa conformatio eſt adæquata tam ſecundùm formalem Honeſtatis objectivam rationem, quàm ſecundùm concretionem Individualem & materialem. In quo adeò caſu Conſcientia eſt *ſimpliciter* recta.

3. Hæc ipſa tamen adæquata cum objectivâ in Divino Intellectu *Idealiter* formatâ honeſtate conformitas aliquando repræſentatur Intellectui creato ſub principio morali per ſe noto, ac evidente, ſive per infallibile fidei ſupernaturalis Lumen certificato. Tunc autem Conſcientia non tantùm eſt *ſimpliciter* recta, ſed etiam certa. Unde certitudo Conſcientiæ non Moralis duntaxat, ſed Metaphyſica & *ſimpliciter* dicta importat talem Iudicij de operis moralis honeſtate firmitatem, ut ſub ipsâ etiam materiali Agibilis moralis concretione ſit excludens omnimodam oppoſiti formidinem. Cujuſmodi firmitas nequit in Conſcientiâ utpote practica operis moralis individui concluſione locum habere, niſi ambæ vel per luminis Naturalis evidentiam, vel ſecundùm Fidem infuſam ſint certæ.

4. Cùm proinde Prima Moralium agibilium directiva principia in ſe ipſis *Abſtractè* & *Formaliter* ſpectata ſint omninò certa, ac per ſe nota, ſub concretione tamen individuali, & materiali eatenus obſcurentur, ut non facilè occurrat, qualiter ad moralia agibilia in individuo ritè ſint applicabilia, ſed & circumſpectione circumſtantiarum quandoque probabiliter occurrentium, & quâdam ſuper hiſce per Eubuliam conſiliatione, & tandem aliquo per Gnomen, ſeu Syneſin Iudicio opus ſit. Idcirco prudentialis Conſcientiæ ex ejuſmodi tum Circumſpectione, tum Eubuliæ Conſiliatione, tum Gnomes, ſeu Syneſis Iudicio illatæ ratio nequit plerumque habere certitudinem *ſimpliciter* dictam, ſed moralem duntaxat. Unde oritur inter Doctores hodie ſolennis concertatio: *An ejuſmodi moralis Certitudo niti poſſit probabili circa operis moralis Honeſtatem opinione?*

5. In quâ proinde difficultate ponderandâ, unà cum Corollarijs in fine expendendis ſequentes decidemus controverſias. Primam. *An, & quali certitudine nitatur prudentiæ Dictamen?* Secundam. *An opinio probabilis etiam falſa, ſeu legi Divinæ contraria poſſit excuſare à peccato?* Tertiam. *An ut liceat ſequi Sententiam probabilem, debeat ex parte conſcientiæ ſtare certitudo moralis expulſiva omnimodæ de oppoſito formidinis?* Quartam. *An, & qualiter poſſit probabilitas opinionis fundare moralem Certitudinem ac Conſcientiæ Rectitudinem?* Quintam. *An in Conſcientiâ liceat, relictâ probabiliori, ſequi opinionem minùs probabilem?* Sextam. *Quænam ſint requiſita, ut ſententia dici poſſit probabilis in ordine ad rectam Conſcientiæ directionem?* Septimam. *Quomodò poſſint contrariæ opiniones probabiles eſſe?*

CONTROVERSIA I.

An, & quali Certitudine nitatur Prudentiæ Dictamen?

MErcorus *1. p. praxis opinionum. a. 7.* ex 6.
communi Doctorum, nominatim Cajetani *2. 2. q. 47. a. 3.* Azorij *1. part. lib. 3. cap. 25. q. 2.* Medinæ *1. 2. q. 19. a. 6.* Alenſis *in ſum. 1. par. q. 16.* Salmanticenſium *1. 2. q. 57. a. 5.* ſententiâ docet; objectum prudentiæ eſſe certum. Fundamentum eſt, Quia prudentia eſt recta ratio agibilium. ex Ariſtotele *6. Eth. cap. 3.* Unde principalis actus prudentiæ eſt particularis concluſio, *ſyllogiſticè* deducta, cujus Major formatur ab Intellectu, & vocatur ratio tanquàm una ex partibus prudentiæ integrantibus pertinens ad ſcientiam moralem. Minor autem formatur à cogitativâ, diciturque circumſpectio tanquam altera prudentiæ pars. Cùm proinde Concluſio ſequatur deteriorem partem, nequit ratio prudentiæ eſſe certa, ſi altera præmiſſarum in ſyllogiſmo non ſit certa. At niſi ſubſit iſta certitudo, oportet, Intellectum manere dubium, nec adeò poteſt tunc ratio de aliquo agibili eſſe certa & recta.

Probatur iſtud aſſumptum. Nam recta ra- 7.
tio dictat ea, quæ ſunt, vel redduntur conformia objecto Honeſto, ſicut eſt à parte rei. At Intellectus Dubius eſt indifferens, ut conformetur, vel non conformetur verè, vel apparenter objecto, ſicut eſt à parte rei. Ergo dum Intellectus eſt dubius, ſeu non certus, nequit in ipſo ſtare recta ratio ſeu prudentiale Dictamen.

Hinc author *citatus a. 9.* concludit, opinabile, ſeu 8.
probabile non poſſe eſſe objectū prudentiæ. Fundamentum eſt. Nam prudentia eſt virtus. ex S. Thomâ *1. 2. q. 57. a. 2. ad 3.* At cùm virtus ſit diſpoſitio perfecti ad optimum; Conſequenter de ratione virtutis Intellectualis eſt taliter diſponere Intellectum, ut promptè feratur in objectum ſui perfectivum ac ſpecificativum. Hoc autem eſt verum. Ergo prudentiæ eſt, tendere in verum. ex Ariſtotele *6. Eth. cap. 3. & 2. de an. tex. 182.* Atqui opinio ex ſuo intrinſeco modo tendendi in ſuum objectum non minùs ducit Intellectum ad falſum, quàm ad verum, quia tendit in hoc etiam cum formidine, quòd etiam poſſit falſum eſſe, eſtque per accidens, quòd aliquando attingat verum. Ergo prudentia non eſt opinativa, nec adeò ipſius objectum eſt opinabile, ſeu probabile.

9. Verùm hiſce videtur adverſari, quod Divus Thomas *in 3. diſt. 34. q. 1. a. 2.* docet; *Hominem de inventis per Conſilium judicare probabiliter, quod ſit per Gnomen, & Syneſin, & ulteriùs ordinem hujus Iudicij imponere inferioribus, quod ſit per prudentiam, quæ præceptiva eſt; ſed quod homo certitudinaliter ſentiat, de his, quæ agenda occurrunt, ſupra hominem eſſe.*

10. Cui conformiter *in 1. Eth. cap. 1.* illa Ariſtotelis verba: *Certū enim non ſimiliter in omnibus ſermonibus quærendum eſt*; exponens ait: *Materia moralis talis eſt, quòd non eſt ei conveniens certitudo.* Et paulò inferiùs, dum Philoſophus ſubdit; *Oportere groſſe & figuraliter veritatem oſtendere*, exponit Angelicus Doctor, id eſt *veriſimiliter, & hoc eſt procedere ex proprijs principijs hujus ſcientiæ* (moralis ſcilicet) *& ſic manifeſtum eſt, quòd materia moralis eſt varia & difformis, non habens omnimodam certitudinem.*

11. Ex quibus adeò Authoritatibus Mercorus *citatus a. 8.* reſolvit; Certitudinem moralem ſufficere ad Iudicium prudentiale. *Quam porrò Certitudinem eſſe, quando attentis particularibus, & proprijs rationibus objecti, impoſſibile eſt, rem aliter ſe habere; licèt ſecundùm quaſdam rationes communes non repugnet, poſſe aliter ſe habere, & de facto aliquando, ſed rarò aliter ſe habeat, dicique certitudinem moralem, quòd attendatur penes mores hominum, uſus, conſuetudines, & ea, quæ ut plurimùm eveniunt.* De quà proinde certitudine accipi debere illud Doctoris Angelici *2. 2. q. 60. a. 3. ad. 1.* atteſtantis: *In humanis actibus evenire aliquam certitudinem, non quidem ſicuti in demonſtrativis, ſed ſecundùm quòd convenit tali materiæ.*

Conclusio.

Prudentiæ objectum eſt in genere Moris *Formaliter* & *Practicè* certum, licèt *Materialiter* & *Speculativè* poſſit eſſe falſum.

12. Probatur. Sicut enim ſe habet Ars in factibilibus, ſic ſe habet Prudentia in agibilibus moralibus. Unde Ars definitur, Habitus cum rectâ Ratione factivus. Prudentia verò dicitur eſſe habitus cum rectâ Ratione activus. Atqui Idea Artis propria figuræ Arte faciendæ expreſſiva, eſt de ſe habens vim potentiæ Executricis taliter directivam, ut *practicè* ſit omninò vera. Hæc autem practica veritas in eo ſe tenet, ut figura ſecundùm illam Ideam exemplata ſit omninò vera in genere artefacti, niſi *per accidens*, vel ratione materiæ ad modum figuræ efformativum ineptioris, vel ratione potentiæ Executricis ad Ideæ directionem ſequendam minus expeditæ, ponatur aliquod impedimentum Cauſalitatis Idealis præpeditivum. Unde illa Ideæ artificioſæ veritas *reſolutoriè* ſpectata conſiſtit in ſui cum principijs Mathematicis figurarum demonſtrativis intrinſecâ conformitate, ſed quà practica, & *Idealiter* cauſativa conſiſtit in quâdam vi figuræ *per ſe* expreſſæ, ac *Idealiter* ex ſe cauſandæ aſſimilativâ & conformativâ. Hæc autem veritas de *ſe Formaliter* ſpectata, tum ſub intrinſeco ad Mathematica figurarum demonſtrativa principia ordine, non quidem *Signatè* ſemper expreſſo, ſed *Exercitè* importato, tum ſub ratione vis *Idealiter* cauſativæ, eſt omninò immobilis ac infallibilis, eſtque adeò *practicè in actu primo* certa, licèt *Materialiter* eatenus poſſit eſſe falſa, quatenus non conformatur cum exercito Executionis actu, non niſi *per accidens* ſe habente ad Ideam artificioſam, utpote cujus executio ſit impedita ratione alicujus impedimenti ſe tenentis vel ex parte materiæ, vel ex parte potentiæ Executricis. Pari proinde ratione dicimus; alicujus prudentiæ dictamen eſſe *Formaliter practicè* certum, licèt *per accidens quoad concretionem materialem* poſſit quandoque eſſe falſum.

Probatur iſtud aſſumptum. Nam prudentiæ Dictamen dicit ordinem intrinſecum ad principia moralia per ſe nota. Hæc autem non ſunt tantùm illa Generalia omnis moralis Honeſtatis *Tranſcendentaliter* directiva principia, ſed cujuſvis ſpecificæ virtutum moralis Honeſtatis ratio in *abſtracto*, & *actu ſignato* eſt per ſe nota, tanquàm bonum Naturæ rationali per ſe expetibile. Quia verò talis in materijs individuis *Exercitè* facienda moralis ſpecifica Honeſtas varijs eſt affecta circumſtantijs, mediante eo ſi i-tione non niſi probabiliter per Eubuliam expendendis. Idcirco quævis Honeſtas ſpecifica *in Exercitio quoad ſui materialem* cum actu quà individuo, ac hiſce circumſtantijs veſtito *concretionem* regulariter nequit, niſi probabiliter judicari per Gnomen ac Syneſin, ex Divi Thomæ *in 3. diſt. 34. q. 1. ar. 2.* aſſertis, & ſupra relatis verbis. Hæc ipſa tamen *Quoad ejuſmodi materialem Concretionem* probabilitas ad Practicam formalem Certitudinem reducitur ex altiori quodam principio morali. 13.

Probatur hoc aſſumptum. Dum enim actûs quà in individuo exercendi, quoad omnes ac ſingulas circumſtantias fuit facta diligens ac circumſpecta ponderatio, tunc eatenus eſt ſatisfactum ſolertiæ ad actus morales requiſitæ, ut exinde in Intellectu reluceat illud Morale de libertatis poſſeſſione principium. Unde quia ex tunc actio ſub iſtis circumſtantijs Rectitudinis moralis trutinâ probabiliter ponderatis vi præallegati Moralis principij repræſentatur quà licita, eo ipſo ſit proportionata ad illam ſpecificam Honeſtatis moralis formalitatem *Intentionaliter* ac *Repræſentativè*, ſive *in actu ſignato* ſuſcipiendam. Ex hac verò ſui ad ſpecificam Honeſtatis moralitatem concretione *Intentionaliter* repræſentatâ provenit, quòd talis actus quà morali *Formaliter* ſpectatus dicat intrinſecam cum moralibus ſpecificam aliquam Honeſtatē repræſentantibus principijs comenſuratinoē. Ejuſmodi autem comenſuratio, licèt *Materialiter* quoad ſui cū ſtâ materiâ, ſeu iſto individuo actu concretionē; (veluti patuit in Jacobi Patriarchæ cum Liâ tanquàm putatitiâ uxore concubitu) ſit falſa & mala: attamen *Formaliter* ſub formalitate per rationem principijs moralibus omninò certis regulatam eſt *ſecundum ordinem reſolutorium* hoc ipſo certa & infallibilis, quòd ſecundùm talem formalitatem in principia non niſi certa, *in genere moris* omninò infallibilia, ſit reſolubilis. At ſuper hâc ipſâ *ſecundùm ordinem reſolutorium* omninò infallibili certitudine fundatur etiam practica *in genere Moris* Certitudo. 14.

Probatur iſtud aſſumptum. Sicuti enim practica Ideæ artificioſæ certitudo importat vim quandam artefacti ſecum aſſimilativam. Sic ſuppoſito illo Syneſeos vel Gnomes Judicio, prudentia inferioribus, ſive rebus agendis imponit ordinem Judicij. Hic autem ordo Judicij eatenus conſiſtit in con- 15.

in conclusione practicâ operis moralis hic & nunc secundùm determinatam moralitatis Honestatem specificam licitè faciendi repræsentativâ, ut hæc ipsa repræsentatio applicet voluntati operis moralis *Exercitè* faciendi Honestatem objectivam, quà *Finaliter* ejusdem motivam, & & allectivam. Hæc autem volitio ex tali objectivâ Honestate *Formaliter* mota, & specificata habet eo ipso talem cum rectâ ratione conformitatem, ut vi talis conformitatis habeat *Formaliter* illam ipsam specificam moralem Bonitatem, quam illa Ratio prudentialis repræsentabat. Cùm igitur ratio prudentialis habeat vim voluntatis taliter directivam, ut ejusdem cum formalitate objecti per se repræsentati sit conformativa, practica autem veritas consistat in aliquâ intellectuali repræsentatione effectûs alicujus ex se prodeuntis secum conformativâ, consequens est; quòd dictamen prudentiale *secundùm ordinem resolutorium in genere Moris* eatenus sit *Formaliter* certum, ut consequenter *in eodem genere* habeat certitudinem etiam practicam, non obstante, quòd Dictamini ejusmodi *Quoad concretionem materialem* subesse possit aliqua falsitas. Et hinc facilè patet Responsio ad Mercori
16. fundamenta. Quamdiu enim Intellectus *Quoad resolutorium* in moralia per se nota principia *Exercitè*, non autem semper *Signatè* occurrentem *ordinem* non est certus, atque adeò dubius, tamdiu nequit etiam Practicè certificari quoad moralem rectitudinem, nec adeò potest pro tunc voluntas operari prudenter. Et hinc etiam est, quòd probabile *Formaliter* quà tale nequeat esse objectum prudentiæ, licèt *in genere Moris* possit esse materia, super quà post sufficientem ac *moraliter* possibilem diligentiâ in vi cujusdam moralis Principij scilicet libertatis possessioni suffragantis possit itrui alia specifica per Gnomen ac Synesin in hoc individuo actu repræsentatæ Honestatis formalites, sub quâ tum *secundùm resolutorium* in Moralia principia *ordinem formaliter*, tum *secundum vim voluntates Directivam Practicè* certa *in genere Moris* constituatur. Cujusmodi proinde certitudinem in probabilitate non nisi *Materialiter* fundatam rectè dici moralem, constat ex dicendis sequenti controversiâ.

❊❊❊❊❊❊❊❊❊)(❊❊❊❊❊❊❊❊

CONTROVERSIA II.

An opinio probabilis possit excusare à peccato?

1. INnominatus quidam Theologus *in suo lib. de morali & politicâ Disciplinâ in Epist. 5. sect. 2. §. 1.* cùm priùs supposuisset, nullam opinionem posse probabilem esse, nisi ejus contradictoria sit etiam probabilis, debereque adeò unam ex ejusmodi probabilibus necessariò esse veram, & alteram falsam. Ex hoc ait, à Parochis Parisiensibus constitutum esse, quòd opinio probabilis falsa neminem à peccato penitus excuset. Fundamenta *præcitato §. 2. ac sequent.* deducta sunt. *Primò* ab Authoritate sancti Thomæ *quodl. 8. ar. 13.* ita concludentis. *Dicendum ergo, quòd quando duæ sunt opiniones contrariæ de eonem, oportet, esse alteram falsam. Aut ergò ille, qui facit contra opinionem Magistrorum, utpote habendo plures præbendas, facit contra veram opinionem; & sic, cum faciat contra legem Dei, non excusatur à peccato, quamvis non faciat contra Conscientiam.* Ex quibus manifestè patet, opinionem probabilem, si re ipsâ sit falsa ac legi Dei repugnans, non excusare à peccato: velut idem Sanctus Doctor *Quodl. 9. ar. 15. & quodl. 3. ar. 10.* differit. *In his verò,* inquiens, *quæ pertinent ad fidem & bonos mores, nullus excusatur, si sequatur erroneam opinionem alicujus Magistri. In talibus enim ignorantia non excusat.*

Secundo Authoritate Sacræ Scripturæ. *Si enim Cæcus Cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt.* At quis neget, Cæcum esse, qui sequitur opinionem probabilem falsam. Unde de tali opinione seu falsâ probabilitate dicitur. *Est via, quæ videtur homini recta, & novissima illius ducunt ad mortem.* 2.

Tertiò ratione. Certum enim est, opus Bonum non posse fieri sine gratiâ. *ex Concil. Triden. sess. 6.* At ex sacro Concilio eruitur, gratiâ semper immitti cognitionem veritatis, & Charitatis, cujus meminit Sanctus Bernardus *lib. de præcept. & dispensat. cap. 14.* taliter differens: *Ut interior oculus vere sit simplex, duo illi arbitror esse necessaria, Charitatem in intentione, & in Electione veritatem.* Ergo si quæ actio sit facta ex regulâ falsâ, seu opinione probabili, non verâ; nequit esse facta per gratiam. Ergò non potest esse bona. 3.

Quartò. Omne enim, quod non est ex fide, peccatum est. At fides falsa, seu opinio probabilis non est vera Fides. ex Sancto Bernardo *supra citato.* Quamvis ergo is, qui probabilitatem falsam & errantem sequitur, ratione fortassis vivat, quæ erat gentilium vita, quia tamen fide non vivit, non tenet Christianorum vitam, nec adeò vivit sine peccato. 4.

Quintò. Quia natura virtutis & bonæ voluntatis secundum Divum Augustinum, *præsertim lib. 2. de lib. arbit. cap. 19. & in psal. 61.* non est alia, nisi æternæ legis, æternæ veritatis, æternæ Justitiæ cognitio & Amor. Nisi ergo quis secundùm hujus æternæ Justitiæ regulam direxerit actus suos, in errorem iniquitatis impingitur. Ex Sancto Augustino *serm. 44. de Diversis. cap. 6.* Eo ipso igitur, quòd voluntas sequatur opinionem probabilem re ipsâ falsam, atque adeò cum lege æternâ pugnantem, oportet, esse pravam: Divo etiam Thomâ *1 2. q. 19. ar. 4.* attestante; *Bonitatem voluntatis pendere ex lege æternâ.* 5.

Sextò denique. Nam illud principium, quòd liceat in moralibus sequi sententiam probabilem, vel est certum, vel probabile duntaxat: si prius, ostendatur ejus certitudo vel ex Patribus, vel ex Sacrâ Scripturâ, vel ex ratione luminis naturalis omninò evidente ac certo. Si posterius dicatur, oportet, illos, qui sequuntur opinionem probabilem, esse solùm probabiliter securos, posseque adeò falli ac decipi in hoc suo principio. 6.

Cui proinde sententiæ usum probabilitatis reijcienti, innumeris in hunc finem Sacræ Scripturæ locis juxta Sanctorum Patrum interpretationem adductis, accedunt etiam Merenda in *suo opere de Conscientia*, & Carena *de Offic. S. Inquisit. part. 2. tit. 5. §. 4.* Verùm hisce minimè obstantibus communis hodie inter Societatis Jesu præsertim Theologos (quos speciatim recensere omitto, cùm ex ipsorum libris passim hoc ad oculum pateat) sententia est: *licitum esse in moralibus operari secundùm opinionem probabi-* 7.

probabilem. Quam ſententiam Maſtrius Scotiſta in *2. lib. ſent. diſp. 5. q. 2. art. 1. n. 45.* in omni Scholâ etiam Thomiſticâ & Scotiſticâ ait, eſſe hoc
8. currente ſæculo receptiſſimam. Cui non omninò refragatur Mercorus *in ſuâ opinionum probabilium examinatrice praxi cit. 1. p. ar. 15.* ubi docet *primò*, poſſe aliquod objectum opinabile ſecundùm diverſam rationem dici ſimul certum & probabile. Sicut enim in ſpeculativis alia eſt certitudo logica, & alia phyſica, ſic in moralibus aliam eſſe Certitudinem logicam, aliam verò moralem. At certum certitudine logicâ in ſpeculativis eſſe, quod implicat, eſſe falſum; Certum verò phyſicum eſſe, quod ut in pluribus eſt verum, velut dum dicitur homo bipes, licèt enim aliter poſſit ſe habere, attentâ quâdam ratione communi, & extrinſecâ virtute ſcilicet agentis defectibilis, quia tamen hoc raro contingat, conſequens eſſe, quòd formido de poſſibilitate oppoſiti, non niſi per accidens quoque contingentis non præjudicet certitudini requiſitæ ad ſcientiam. Cùm proinde certitudini opponatur probabilitas, oportere, duplex etiam in ſpeculativis probabile diſtingui, *Logicum* ſcilicet & *Phyſicum*. Hinc *ſecundò* probabile *Logicum* eſſe, quod quidem apparet verum, quia ut in pluribus ita ſe habet, ſed abſolutè non repugnat, poſſe aliter ſe habere. Et hinc iſtud probabile coincidere cum certo *Phyſico*.

9. *Tertiò* probabile *Phyſicum* eſſe, quòd attentis non ſolum rationibus communibus, ſed etiam particularibus & extrinſecis ſubjecti poteſt aliter ſe habere. Hoc autem probabile dignoſci à poſteriori, dum pluries quidem verificatur, ſed etiam ſæpe non verificatur, eſſeque taliter probabiles omnes ferè propoſitiones Aſtrologiæ, quam proinde non mereri nomen ſcientiæ, ſed opinionis. Ex quibus adeò *Quartò* manifeſtum eſſe, quòd certitudo *logica* non poſſit ſtare cum probabilitate *logicâ*, ſicuti neque certitudo *phyſica* ſubſiſtere queat cum probabilitate *phyſicâ*; quamvis cum *Logicâ* probabilitate ſtare poſſit certitudo *Phyſica*. Pari proinde modo *Quintò* philoſophandum eſſe in moralibus. Certum enim certitudine *logicâ* ſeu omnimodâ, eſſe principium aliquod morale, quod repugnat aliter ſe habere, veluti quòd Deus ſit colendus, vel quòd Adulterium ſit peccatum. Unde *Sextò* probabile *Logicum* in moralibus dici, quod ut in pluribus eſt verum, ſed ſecundum rationem quandam communem poteſt contingere, non verificari, veluti Scriptura Notarij facit fidem, quia eſt perſona publica & jurata, nec præſumitur mentiri, cùm tamen poſſit eſſe, quòd, attentâ humanitate, poſſit etiam mentiri. *Septimò* certum certitudine morali eſſe, quòd attentis circumſtantijs, & communiter accidentibus, & proprijs rationibus objecti non poteſt aliter ſe habere, & ideò ut in pluribus verificatur. Quam proinde certitudinem coincidere cum *Logicâ* in moralibus probabilitate. Verùm *Octavò* Probabile morale eſſe, quod, attentis circumſtantijs, & rationibus particularibus ſubjecti, & communiter accidentibus, poteſt aliter ſe habere, atque adeò aliquando verificatur, aliquando verò non. Veluti depoſitio unius teſtis etiam jurati in judicio.

10. Quare *Nonò* probabile *Morale* non quidem ſufficere ad prudenter operandum, bene tamen probabile *Logicum*, utpote coincidens cum *Moraliter* certo. Fundamentum eſt *Primò*. Nam Ariſtoteles *1. Ethicorum cap. 1.* tradens modum procedendi in ſcientiâ Morali, ait: *Oportet veritatem figuraliter oſtendere.* At iſtud ſic gloſſat Sanctus Thomas, id eſt *veriſimiliter, & probabiliter, quia probabile eſt, quod eſt ſimile vero.* Certum autem eſt, ſcientiam Moralem eſſe veram Scientiam, atque adeò procedere ex certis & per ſe notis. Ergò certum in moralibus idem eſt, quod veriſimile ſeu probabile.

Secundò. Quia Ariſtoteles in Topicis agit de ſyllogiſmo probabili applicato ad materiam contingentem, & de locis communibus aptis ad cauſandam opinionem, & probabilitatem, veluti de locis ab Authoritate, à causâ Efficiente, à majori ad minus, vel minore ad majus, ab exemplo, à ſimili. At omnes iſtæ argumentationes in materiâ morali poſſunt cauſare certitudinem. ex Sancto Thomâ *opuſc. 3. art. 10.* Ergo certitudo in materiâ morali non egreditur limites probabilitatis. 11.

Tertiò. Secundum Philoſophum *1. Top. 1. &* Sanctum Thomam *de fallacijs cap. 2.* probabilia dicuntur, quæ videntur omnibus, vel pluribus, vel præcipuis, vel maximè notis. At quæ ita videntur, ſunt *Moraliter* certa, ut praxis & experientia docet. Ergo probabile & certum pro eodem reputantur. 12.

Quartò. Sanctus Thomas *1. Poſt. in proœm.* ſic ait. *Aliquando in proceſſu Rationis, ſi non ſit ſcientia, ſit fides, vel opinio, vel probabilitas, in quibus Ratio inclinat in unam partem cum formidine alterius.* At fides Humana, quamvis formidinem habeat annexam, facit certitudinem moralem, & prudentialem, ut quotidiana experientia docet. Ergo aliqua formido non repugnat certitudini morali. 13.

Hinc Mercorus *citatus* tandem concludit; Quandò Doctores dicunt; probabilitatem eſſe tutam Regulam noſtræ operationis, & opus eſſe honeſtum, non obſtante formidine de oppoſito; debere interpretari de probabilitate logicâ, quæ ſimul ſtet cum certitudine morali, & de formidine remotâ, quæ ſit paſſio probabilitatis Logicæ. 14.

Suffragatur etiam Joannes à Sancto Thomâ *cit. diſp. 12. ar. 3. n. 4.* (quem inter Thomiſtas non infimum hic ſpecialiter adducere volui, ut patere poſſit, probabilitatem pro formandis conſcientijs in Scholâ etiam Thomiſticâ habere locum) expreſsè aſſerens: Licere ſequi Conſcientiam & Scientiam probabilem, dummodò de ejus probabilitate certò conſtet *Practicè & prudentialiter*: non ſolùm *ſpeculativè*. Fundamentum eſt. Quia in agendis non eſt poſtulanda major Certitudo, quàm quæ ſufficit ad prudentiam, ita ut aliquis non temerè, aut fortuitò, aut caſualiter, ſed ſufficienti conſilio procedat. At cùm Prudentia ſit virtus verſans circa actiones individuales contingentes ac fallibiles, in his medium ponendo, idcirco ejus firmitas, & certitudo non regulatur penes id, quod in re eſt, vel non eſt, ſi enim deberemus certificari, prout operabilia contingentia & individua ſunt in re, impoſſibile eſſet, in multis formare dictamen prudens, & conſequenter licitè operari; ſed inveniremur ſemper perplexi, utpote impotentes penetrare iſta omnia contingentia, & actio- 15.

nes, prout ſunt in re, & ponderare omnes circumſtantias ac intentiones: hoc namque proprium eſt Dei, quia *Spirituum ponderator eſt Dominus. Proverb. 16.* Conſequens proinde eſt, prudentiæ Dictamen & Judicium in nobis regulari pænes regulas morales, & humano modo tractabiles, faciendo ſcilicet id, quod operans poteſt juxta gravitatem, & qualitatem materiæ, & in hoc quidem ponendo limitem, ac terminum; cùm, ſi non eſſet finis inquirendi, & conſulendi, nunquam poſſemus operari. Quare poſitâ iſtâ probabilitate practicâ & prudenti, quæcunque dubitationes ſpeculativæ inſurgant (quas dum non datur evidentia de oppoſito, neceſſum eſt omnino inſurgere) licitè operamur id, quod prudenter eſt regulatum.

CONCLUSIO I.

EX principio morali non tantùm certo, ſed etiam probabili inferri poteſt conſcientia *Formaliter* ſaltem recta, atque adeò à peccato excuſans, modò tam circa *Majorem* Principium morale continentem, quam circa *Minorem* Judicium Syneſeos ſeu Gnomes ex circumſpectione, & conſultatione ſufficiente reſultans complectentem, habita fuerit tanta diligentia, quanta penſatis negotij gravitate, & qualitate perſonæ *Moraliter* eſt neceſſaria.

16. Probatur & explicatur. Conſcientia enim eſt actus prudentialis *ſyllogiſticè* illatus ex principio morali. Hoc autem licèt quandoque immediatè ſit petitum ex habitu ſynthereſeos, ſeu fidei circa ſupernaturaliter operandi principia ſynthereſin ſupplente ac elevante lumine, plerumque tamen morale in ſyllogiſmo Conſcientiæ illativo morale ex parte *Majoris* propoſitum principium eſt remotiùs deductum ex primis per habitum ſynthereſeos, vel fidei notis principijs practicis.

17. Imò tale principium ex Judicio Gnomes ac Syneſeos circa caſus aliquos particulares lato ſolet eſſe quaſi à poſteriori abſtractum, atque ut ſic caſuum ſimilium occurrentium eatenus *in actu ſignato* reſolutivum, ut ſimilis *in actu exercitò* contingentis caſûs, & ſuper hoc fundati actûs moralis *Exercitè* ponendi ſit regulativum. At hoc ipſum principium morale, quod ex Judicio Gnomes ac Syneſeos, vel etiam prudentiæ circa caſum particularem à viris Doctis ac peritis lato eſt abſtractum, & ſimilium caſuum *Hypothetice* occurrentium *in actu ſignato* reſolutivum, eatenus debet reſolvi in prima per ſe nota, vel per fidem Divinam certificata principia, ut ex his per legitimam conſequentiam oporteat eſſe deductum. At Conſequentiæ principium aliquod morale ex primis ſynthereſeos ſeu fidei principijs remotiùs deducentis vis plerumque non eſt ita perſpecta, ut habeat certitudinem non tantùm Conſequentiæ, ſed etiam Conſequentis; dum præſertim operabilium humanorum per varias *ſignatè* conſideratas circumſtantias debet eſſe reductio non ad unum duntaxat, ſed ad varia aliquam inter ſe non quidem *Formaliter*, ſed *Materialiter* ex parte ſcilicet ſui ad individuam actionem concretionis & applicationis, conflictationem habentia moralia, etiam per ſe nota principia. Tunc igitur Principium morale *Immediatè* directivum, pro aliquo *Signatè* conſiderato caſu non ſupergreditur metas probabilitatis.

18. Deinde poſito alicujus *Signatè* conſiderati caſûs morali principio, circa conſultationem *facti* in *Minore* Conſcientiæ illativâ exponendi, poteſt eſſe conflictatio animi quoad varios Circumſtantiarum tum præſentium, tum veriſimiliter futurarum eventus. In ejuſmodi proinde conflictatione tam circa principium morale, quàm circa ſpeciem facti ſecura ad conſcientiam formandam eſt regula, quòd oporteat in utriuſque tam Juris ſeu principij moralis, quam Facti conſideratione haberi tanta diligentia moralis; quanta nimirum pro ſtatu perſonæ, & negotij gravitate homini non ſegniter ac perfunctoriè, ſed induſtriè, ſtudioſè ac prudenter operanti neceſſaria videtur: tunc enim licèt *Major* & *Minor* ceu Principia Conſcientiæ illativa, quoad materiam *Speculativè* probabilia ſint: attamen *Practicè*, ſeu quoad formalitatem moralis altiori quodam Principio, ſuper libertatis v. g. poſſeſſione fundato nitentis directionis ſunt certa, ſeu illativa concluſionis reddentis Conſcientiam omninò ſecuram, ſecuritate omnimodæ formidinis practicæ, licet non ſpeculativæ excluſivâ.

19. Confirmatur. Nam ad ſecuritatem ſeu certitudinem moralem Conſcientiæ non plus requiritur, quàm ad prudentiam. Hæc autem licet ſit virtus intellectualis, ſitque adeò *Formaliter* determinata ad veritatem, non quidem ſpeculativam, ſed practicam, nec adeò poſſit *Formaliter* non reſpicere certitudinem moralis per ipſam dirigibilis operationis, *veluti præcedente controverſiâ expoſitum eſt*; attamen quoad materiam, teſte Divo Thoma *1. 2. q. 27. ar. 4. ad 2.* ſe tenet in opinativâ parte animæ, ſiquidem ſupra hominem ſit, quòd de his, quæ agenda occurrunt, certitudinaliter ſentiat, ſed per gnomen, & ſyneſin tanquam virtutes prudentiæ annexas ſolum probabiliter judicet de inventis per conſilium, ex Sancto Doctore *in 3. diſt. 34. ar. 2. in corp.* Conſequens proinde eſt, ad Conſcientiæ rectitudinem non requiri materiæ certitudinem, ſed formalitatis, ſub quâ eſt directiva operationis moralis: cujuſmodi formalitas ſe tenet in Jure poſſeſſæ libertatis ex tunc prævalentis, dum pro ſtatu perſonæ operantis, & negotij qualitate ac temporis ratione ſufficiens tum circa Jus ſeu principium morale, tum circa ſpeciem Facti, ſeu circumſtantiarum occurrentium, habita fuit diligentia: quæ equidem conſultatio in cauſis gravioribus, aliquod præſertim ſive temporalium, ſive ſpiritualium Bonorum periculum minitantibus, modò quandam conſiliandi moram patiantur, exactior eſſe debet. Sicuti etiam ſtatus Perſonæ in ſuperiore, dum inſtans operandi neceſſitas breviorem, ac minùs exactam conſiderationem non ſuadet, majorem exigit induſtriam: veluti viro etiam Docto magis, quam ſimplici incumbit eſſe diligentem in ſtatuendo, vel probando, vel etiam applicando Principio aliquo morali. 20.

Dices ex præcitato innominato Theologo *§. 3. n. 4. 6. & 8.* opera bona in Sacrâ Scripturâ dici opera lucis: mala verò vocari opera tenebrarum. Quis autem dixerit, actionem ex proba-

probabili opinione æternæ veritati contrariâ factam esse opus lucis? Hoc verò, si nemo dicere audeat, quid restat, nisi ut sit opus tenebrarum? Imò omnes Dei vias esse veritatem, clamat Psaltes Regius, *Omnes viæ tuæ veritas.* Unde etiam Christus Dominus suis Discipulis est pollicitus Spiritum veritatis, ut quidquid ex falso ortum duceret, ex spiritu suo non oriri cognoscerent. Quinimò Christus ita pronunciavit: *Sermo, quem locutus sum vobis, ipse vos judicabit in novissimo die.* An non autem probabilitas opinionis judicatura esset homines in novissimo die, si per eam tuti essemus in conscientiâ. Et certè jam non oporteret orare Deum, *ut veritatem suam nos doceret, nosque deducendo in viâ suâ, faceret ingredi veritatem suam*, sed ut doceret nos probabilitatem, utpote tutam & securam Conscientiæ viam. Ex quâ etiam probabilitatis securitate jam ita est aperta via ad omnem laxitatem, ut cuique quidquid libuerit, amplecti liceat, utpote ex utrâque parte ferè semper stantibus probabilibus Doctorum opinionibus, omne jam quasi peccatum è medio tollentibus. Si proinde nullæ aliæ ad impugnandam Conscientiæ ex probabilitate securitatem rationes supeterent, fore istam vel ex hisce laxitatis inde ortæ absurditatibus, vel etiam ex eo, quòd nullis Sanctorum Patrum nitatur argumentis ac authoritatibus, è Scholis orthodoxis eliminandam.

Contra. Nam inprimis oportet duplex
21. genus Bonorum operum moralium distinguere. Alterum supernaturale, cujusmodi opera radicantur in fide, atque lux talium operum directiva est per gratiam Spiritûs Sancti; ex cujus etiam illustratione ac inspiratione homo in ejusmodi supernaturalibus accipit certitudinem mediante Dono consilij. ex Sancto Thomâ *in 3. dist. 39. q. 1. ar. 2.* Quare omninò tenendum est, probabilitatem, & opinionem ac errorem non habere locum in Supernaturalibus, nisi *Concomitanter*, quatenus accedente bonâ fide, Spiritûs Sancti auxilio mediante ex objecto secundùm rei veritatem falsò Deus abstrahit puritatem formalitatis fundantis sanctam ac piam supernaturalem intentionem, quæ licèt *Occasionaliter* se habeat ad aliquem errorem, ex hoc tamen ne *Materialiter* quidem coinquinatur. Sic Angelus Persarum circa Redemptionem Israelitarum resistendo Gabrieli, licèt intenderit talis liberationis impeditionem, *Practicè* ex vi contrarij decreti Divini falsam, attamen talis intentio indubitanter supernaturalis ab isto errore fuit in tantum depurata, ut ne *Materialiter* quidè in suo objecto involveret aliquid erroneum seu falsum. Sic simplex ille bubulus adorans Deum hisce verbis: *Sancta Trinitas ora pro me*, simplicitate suæ intentionis supernaturaliter elevatæ, & ad Divinum beneplacitum sub miraculi etiam attestatione admissæ non attingebat, nisi veritatem Sanctissimæ Trinitatis, nostrique ab hâc dependentiæ & subjectionis quâ radicatæ in fide, errore illo solùm *Concomitanter* se habente ad talem intentionem, ne *Materialiter*
22. quidem conspersam aliquâ falsitate. Alterum proinde moralium operum genus est Naturale, circa quod *Connaturaliter* insita sunt menti humanæ tum principia directiva non genericæ duntaxat Honestatis, sed quarumlibet virtutum moralium specificæ bonitatis, quâ per se expetibilis *in actu Signato* & *abstracto* repræsentativa, tum vis ejusmodi Honestatis ac Bonitatis appetitiva. Hæc ipsa verò Principia moralia *in actu Signato* ac *in abstracto* per se nota, quoad sui exercitam applicationem & concretionem individualem, contrahuntur ad rationes modo humano non nisi *probabiliter* inventas & judicatas. ex Sancto Doctore *citato*. At in hâc ipsâ non nisi probabili & conjecturali ad casus particulares concretione contingere potest, ut hæc sit quidem falsa & erronea, modò tamen debita in inquisitione veritatis solertia fuerit habita, possit super hac ipsâ concretione *Materialiter* secundum errorem invincibilem falsâ, adhuc lucere specificæ alicujus virtutis Honestas objectiva, ut sic *Finaliter* motiva & *Formaliter* specificativa actûs *Moraliter* Boni. Ex hâc ipsâ verò Honestatis luce manifestatâ voluntati, potest ista Finaliter attrahi & moveri. In quâ proinde voluntatis motione seu intentione ex parte objecti materialis *per accidens* & *omninò Voluntariè* Erronei ita potest intervenire aliqua falsitas, ut tamen objectum formale sit veritas per ipsam legem æternam exemplata & ideata, quam veritatem respectu talis intentionis oportet eo ipso stare immaculatam, quòd illa materialis falsitatem aliquâ importans concretio, propter moralem præstitam diligentiam, ne quidem *Interpretativè* sit voluntaria. Unde fieri etiam potest, ut Deus elevatione quâdam supernaturali Honestatem in tali concretione materiali relucentem eatenus depuret ab hujus falsitate, ut certitudo supernaturalis consilij (velut in illo Persarum Angelo Custode evenit) formale Honestatis supernaturalizatæ Motivum omninò abstrahat ab illâ concretione materiali, & non nisi in se ipsâ qua pure verâ repræsentet voluntati, eandem quâ taliter depuratam prosequenti. Est igitur indubitatè verum, quòd opera Bona tam naturalia, quàm supernaturalia sint opera lucis, & legi æternæ *intrinsecè* conformia; ita tamen, ut in supernaturalibus sit omnimoda etiam materialis veritas: in operibus verò naturalibus semper sit veritas ex lege æternâ ideata, tum quoad objectum formale specificativum, tum & consequenter quoad specificationem non tantùm *in actu signato*, sed etiam *in individuo exercitè* spectatam, licèt ex parte objecti materialis possit subesse falsitas, omninò tamen etiam *Interpretativè* involuntaria.

Et hinc tum ad omnimodam in operibus 23.
supernaturalibus veritatem, tum ad veritatem maximè formalem ceu *in genere Moris* omninò necessariam, tum ad veritatem etiam materialem, ceu Intellectûs Bonum indigemus gratiâ Dei partim supernaturali, partim naturali, ut proinde pro omnimodâ tali veritate meritò orare debeamus, ut Deus ducat nos in viâ veritatis, sub ipsâ licèt probabilitatis non nisi caliginosâ luce menti nostræ supernaturaliter non elevatæ plerumque relucentis. Neque jam in- 24.
grediendo istam, sub probabilitatis luce caliginosâ, veritatis *in genere morali* saltem formalis viam, tantum erit laxitatis discrimen, dum, ne ista quidem formalis veritas tenetur, quamdiu non debita circumspectio ac solertia in moralibus non *Signatè* tantùm, sed etiam *Exercitè* spectatis inquirendis, fuerit adhibita. Quam 25.
proinde sub morali debitæ solertiæ industriâ tutam probabilitatis viam inierunt Sancti Patres,

tres, argumentis non niſi probabilibus quaſdam difficultates ex Sacris Litteris erutas decidendo.

Et verò Sancti Eccleſiæ Doctores Auguſtinus & Hieronymus acri etiam concertatione in ſimilibus quæſtionibus ſalva ſemper Charitate, & abſque ulla ſaltem veritatis formalis læſione congreſſos eſſe conſtat. Quis autem ex tali probabilitatis in uno *Materialiter* falſæ conflictu alterutrum iſtorum Eccleſiæ Doctorum arguet de peccato? Imò ſacra etiam Scriptura *Eccleſiaſtici 39.* ait, Sapientis eſſe, *Sapientiam omnium antiquorum exquirere, & narrationem Virorum nominatorum conſervare, in verſutias parabolarum introire, occulta proverbiorum exquirere, & in abſconditis parabolarum converſari*; cùm tamen iſtam inquiſitionis & converſationis viam pateat, non niſi veriſimilibus plerumque niti argumentis. Unde hanc viam prudentiæ humano modo procedentis eſſe propriam, ejuſque materiam non niſi ſub probabilitatis luce poſitam eſſe, apertè docet S. Thomas *ſup. citatus in 3. diſt. 34. a. 2. in corp. & in 1. 2. q. 57. a. 4. ad 2. & in expoſitione* Ariſtotelis *lib. 1. Eth. ſupra n. 13.* allegatâ; aſtipulante etiam tum Divo Bonaventurâ *in 4. diſt. 17. a. 2. q. 3. & diſt. 21. a. 2. q. 1.* Item *diſt. 32. a. 2. q. 3. & diſt. 39. a. 2. q. 1.* tum Alenſi, Scoto, Richardo, & alijs antiquioribus, prout videre licet apud Maſtrium *cit. a. 2. n. 64.*

Reſponſio ad oppoſita Fundamenta.

26. AD *n. 1.* oppoſitum fundamentum Reſpondetur ex Petro Pergomenſi *in Concord. v. Conſcientia. n. 384.* Cum Divus Thomas in eo, quòd quandoque dicat Conſcientiam erroneam ligare, quandoque verò aſſerat, errorem Conſcientiæ excuſare, videatur ſibi contrarius, idcirco tum ex contextu præallegatorum textuum, tum ex varijs inter ſe collatis locis debere exponi ſub diſtinctione, ut ſcilicet Conſcientia erronea ſit ligans, non verò excuſans, quatenus talis Error ex defectu moralis ſcilicet Circumſpectionis ac induſtriæ, eſt peccatum. Secus vero eſſe, ſi error ſit omninò involuntarius & omnimodo ob debitam moralis Circumſpectionis habitam induſtriam, culpæ ſit expers.

27. Ad *n. 2.* oppoſitum Reſpondetur. Non eſſe practicè cæcum, niſi quis moralis ſolertiæ non adhibitæ reus fuerit. Quo caſu verum eſſe, quòd Cæcus Cæcum (de Magiſtri ſcilicet ſui doctrinâ & probitate nullo prudentiali argumento aſſecuratum) ducendo, ambos præcipitet in foveam & ruinam, poſſeque adeo tunc alicui tū ex proprijs inſtinctibus, tum ex alienis inſtructionibus ad moralis circumſpectionis trutinam ſtudiosâ ſedulitate non ponderatis, videri Viam rectam, quæ tandem ducat ad mortem.

28. Ad *n. 3.* oppoſitum Reſpondetur. Certum eſſe, quod opus ſupernaturale nequeat fieri ſine gratiâ etiam ſupernaturali. Neque verò in hac, neque in ejus effectu poſſe ſubeſſe falſitatem, & conſequenter in eis non eſſe locum probabilitati, ſed certitudini duntaxat à Spiritu Sancto inſpiratæ, veluti conſtat ex dictis *ſupra n. 21.* ubi *ſequenti n. 12.* videre quoque licet, qualiter falſitas ex parte concretionis duntaxat *materialis* ſolum *materialiter*, non autem ex parte Motivi formalis *Specificativè* ſe habentis ad actum ordinis naturalis bonum ſe habere poſſit.

Ad *n. 4.* oppoſitum Reſpondetur. Illum ſacrum textum à Sancto Thomâ *1. 2 q. 19. a. 6. arg. ſed contra.* taliter exponi, ut ſub nomine fidei intelligat Conſcientiam; ita ut eo ipſo quis peccet, ſi agat contra Conſcientiam. Quis enim dicere audeat, actus ordinis naturalis moraliter honeſtos, qui eo ipſo, quòd non ſunt ſupernaturales, nequeunt eſſe ex fide ſeu prudentiâ infusâ, ſed humanâ duntaxat & naturali, (ſecundùm Divum Thomam argumentis) probabilibus innitente eſſe peccatum? Quòd ſi verò etiam in his ordinis naturalis operibus moralibus quis cum Sancto Bernardo exigat veritatem, hoc eatenus ſubſiſtit, ut nequeat eſſe Bonum opus morale etiam naturale, quin ejus ſpecificativum *Formaliter* ſpectatum ſit verum, quamvis *Materialiter* ex parte ſuæ materialis concretionis poſſit ſubeſſe falſitas, quæ tamen ob Circumſpectionis *Moraliter* debitæ induſtriam, ne *Interpretativè* quidem ſit voluntaria. 29.

Ad *n. 5.* oppoſitum Reſpondetur. Ex dictis abunde conſtare, qualiter omnis actûs virtuoſi Honeſtas ex parte ſui ſpecificativi & objecti formalis, atque adeò quoad ſuam intrinſecam quoque ſpecificationem ſit ex lege æternâ, ſitque adeo æternæ veritatis ac Iuſtitiæ: quamvis *Materialiter* quoad objecti ſui concretionem materialem poſſit ſubeſſe falſitas, merè *per accidens* ſe habens ad naturalem etiam Virtutis actum. 30.

Ad *n. 6.* oppoſitum Reſpondetur. Illud Principium: *Quòd in moralibus liceat ſequi ſententiam probabilem* ſub conditionibus ſupra poſitis, ac infra magis exponendis, eâdem niti certitudine, quâ nititur illud, quòd in agibilibus moralibus ſufficiat certitudo prudentiæ propria. Unde illud principium habere ſuam certitudinem tum in lumine naturali, tum in authoritate Patrum, ac Eccleſiæ Doctorum, partim *Signatè*, partim *Exercitè* id approbantium, tum denique in Sacrâ Scripturâ, prout *n. 25. in fine* oſtendimus, probantque argumenta *à n. 9.* deducta ex Mercoro, cujus tamen doctrinam *n. 8.* à nobis expoſitam commodiùs expendemus infra *in controv. 4.* 31.

❋❋❋❋❋❋❋❋❋)(❋❋❋❋❋❋❋❋

CONTROVERSIA III.

An probabilitas in moralibus, ut ſit à peccato excuſans, debeat reduci ad talem certitudinem, quæ omnimoda de oppoſito formidinis ſit excluſiva?

VAſquez *1. 2. diſp. 62. cap. 5. n. 26.* docet; poſſe aliquem rectè operari cum aſſenſu tantùm probabili, etiamſi habeat formidinem oppoſitæ partis, non ſolùm, ſi formidinem habeat ſimul cum Iudicio univerſali, ſed etiamſi eam habeat cum Iudicio ſingulari, & quidem per principia non intrinſeca tantùm, ſed etiam per extrinſeca. Fundamentum eſt. Hoc enim diſcrimen intercedit inter dubitationem ſive hæſitationem, ac formidinem, quod vi hæſitationis pendeat intellectus in utramque contradictionis partem, nulli illarum *determinatè* 1.

minatè assensum præbendo. Unde cum ali hæsitatione eo ipso non licet operari, quòd taliter operans se committeret scienter periculo peccati. At verò formido unius partis non excludit assensum alterius, sed in eo tantùm posita est, ut aliquis per actum reflexum judicet, rationes illius partis, cujus habet assensum, non esse evidentes, sed tantùm probabiles, & ideò putet fieri posse, quòd in re ipsâ pars opposita sit vera, cùm tamen rationes illius id non ostendant. Cùm igitur hæc formido etiam expressa unius partis non excludat assensum determinatum alterius partis, & cum quovis assensu probabili, qui non attingit evidentiam, formido esse possit, sequitur; cum hâc formidine posse quemlibet operari, tum quod ex scientiâ omnium ad rectè operandum non sit necessarius assensus evidens, sed sufficiat probabilis: tum quòd certum sit, neminem debere necessariò operari, tutiorem partem eligendo: tum denique quòd habens formidinem circa propositionem universalem, habeat etiam circa singularem. Consequens proinde est, quòd habens tantùm opinionem probabilem de propositione universali, possit rectè operari cum formidine circa singulare judicium Conscientiæ.

2. Mercorus *cit. 1. p. ar. 10. 11. 12. 13. & 14.* docet 1. Certitudinem saltem moralem omninò necessariam esse ad rectitudinem operationis. Unde, ut quis rectè operetur necessarium esse, habere Conscientiam certam, excludentem non solum dubium positivum & formale, verùm etiá formidinem non quidem *Logicam*, quæ ex ponderatione aliquarum rationum communium & remotiorum oriri potest, nec adeo exclusiva est moralis Certitudinis, sed formidinem moralem, quâ scilicet timetur de errore, attentis rationibus proprijs, & circumstantijs occurrentibus. Ex quo fieri etiam consequens, quòd vltimum & proximum Iudicium Conscientiæ non possit esse opinativum, seu probabile, utpote de cujus essentiâ sit formido. Fundamentum est. Omne enim Dictamen prudentiale debet esse certum, certitudine excludente moralem formidinem de eo, quod opus hic & nunc faciendum non sit honestum. At dictamen rectæ Conscientiæ est prudentiale.

3. 2. Posse tamen Intellectum existentem in statu dubietatis perseverare in dubio speculativo, & nihilominùs facere Iudicium certum *practicè* de operis honestate, quando scilicet adest causa justa, id est, nova supervenit ratio saltem extrinseca, vel authoritas, vel consuetudo, seu præsumptio, seu titulus possessionis, aut tolerantia rationabilis, vel quid simile. Quòd si nulla talis superveniat ratio, tunc qualis est dispositio Intellectûs speculativi, talem fore in praxi. Unde consequens esse, quando nulla particularis ratio stat pro judicio de operatione in singulari, tunc quale Iudicium est de objecto, tale fore Iudicium de operatione. Secus esse, quando pro Iudicio particulari staret specialis ratio, tunc enim posse variari Iudicium de operatione, & fieri certum, existente dubio de objecto. Fundamentum est. Nam possum v. g. dubitare, an aqua ex sale sit materia Baptismi, & tamen in casu necessitatis possum fieri certus, mihi licere hic & nunc baptizare tali aqua. Hæc autem Certitudo derivatur ex tali syllogismo, *licitum est Baptizare in aquâ communi, sed aqua ex sale est aqua communis, ergo mihi licitum est, baptizare in aquâ ex sale.* At in hoc syllogismo *Major* est de objecto secundùm se quidem probabili duntaxat, atque adeò est dubietas de valore Sacramenti, quia tamen prævalet ratio procurandæ salutis proximi, alioquin periclitantis, idcirco ex istâ superveniente ratione resultat Iudicium *practicè* certum, etsi alioquin fuerit de objecto dubio & probabili tantum.

Hinc 3. concludit, neminem habere moralem de rectè operando certitudinem, qui inhæret doctrinæ taliter probabili, ut consideratis omnibus rationibus intrinsecis, & extrinsecis, usibus, consuetudinibus, authoritatibus, titulis, cæterisque circumstantijs adhuc non sit *Moraliter* certa, sed Intellectus adhuc de veritate formidet, formidine non tantum remotâ, sed morali. Quam equidem formidinem in casu necessitatis per hoc tolli, quòd tunc liceat operari, quod convenientius apparet, attamen extra talem necessitatis casum oportere peculiari quâdam ratione sublatam esse formidinem ejusmodi. Fundamentum est. Nam Iudicium particulare practicum in syllogismo dictaminis deducitur velut conclusio ex Doctrina universali, quæ continetur in præmissis. At certitudo conclusionis non excedit certitudinem præmissarum. Si igitur in universali habeat quis formidinem de veritate doctrinæ utpote tantum probabilis, etiam conclusio erit conjuncta cum tali formidine. 4.

Joannes a Sancto Thomâ *cit. ar. 3. n. 10. & 11.* tenet, probabilitatem practicam a peccato excusantem eatenus importare moralem certitudinem, ut hâc mediante sit exclusiva practicæ, non autem speculativa formidinis seu dubitationis. Fundamentum est. Non enim prudentia diceretur virtus intellectualis, si ejus Iudicium non esset *Moraliter* certum & firmum, sed defectuosum. Probatur ista sequela. Sicut enim virtus existens in voluntate, opponitur vitio & peccato, nec in illud potest inclinare, ita nec virtus existens in Intellectu potest inclinare ad falsam seu defectum ac vitium Intellectûs. At si Judicium prudentiæ a peccato unice excusans non esset firmum ac certum in eo, quod attingit, posset deficere ad falsum, sicut opinio. Oportet igitur, Iudicium prudentiale esse firmum certitudine morali & prudentiali, vi cujus quis prudenter agendo, sit securus ab incursione peccati, licèt dubitationes speculativæ ex eo, quod de opposito non detur evidentia, insurgentes obmurmurent. 5.

CONCLUSIO.

PRobabilitas in moralibus non est excusans à peccato, nisi reducatur ad certitudinem moralem formidinis oppositæ eatenus exclusivam, ut omnimoda de bene operando ex parte objecti specificativi securitas practica teneatur.

Probatur. Nam ut probabilitatis via in moralibus reddatur secura, & immunis à periculo præcipitatæ ad laxitatem temerariam declinationis, apprimè cavendum est, ne putent homines 6.

mines ſibi ſtatim licere, quidquid ex cujuslibet etiá viri Docti authoritate, vel obviâ quâvis apparente ratione, ſibi videtur probabile poſſeq; adeò quamcunque probabilé exiſtimatam opinionem abſque ulteriore probabili, atque *Moraliter* poſſibili, & pro circumſtantijs emergentibus convenientè diſcuſſione tutò ſequi. Probatur iſtud
7. aſſumptum. Tum quia mens Authoris ex nudâ ſententiæ conſideratione, non penſatis rationum momentis, nequit adeò perſpecta eſſe, ut quis prudenter judicet, quòd circa hunc in particulari caſum ita ſenſerit: ſed ex rationis argumento plerumque fit manifeſtum, aliquas in caſu hic & nunc occurrente ſubeſſe circumſtantias, quæ diverſum facere poſſint ſtatum moralis ac prudentialis conſiderationis ab illo, quem Author ille, dum ſententiam poſuit, in mente ſuâ *ſignatè* ſub ſtatu hypothetico & abſtractivo judicabat. Unde illa regula, quòd unius paſſim, vel etiam plurium Doctorum (nullo præſertim facto diſcrimine cujus fuerint vitæ, & apud homines æſtimationis, vel etiam prudentiæ) authoritas faciat ſecuram Conſcientiam, eſt optimum medium, quoſvis inducendi ad ſocordiam, prudentiæ maximè inimicam, ne ulteriùs conſiderando caſûs moralis hîc & nunc occurrentis ſtatum, omnia adeò neglectâ conſultatione, bonos dies ducant, medio ſomno oppreſſis virtutibus Eubuliæ, Syneſis & Gnomes; ipſis intereà maximè exercitatis circa ea, quæ prudentia carnis & ſapientia
8. hujus Mundi quærenda docent. Tum quia præterquam, quòd nimia per probabilitatem promiſſa ſecuritas præinſinuatam Circumſpectioni ac prudentiæ, eique annexis virtutibus ſoporem inducere poſſit; hoc in eâ periculi latet, quòd moralem in rectitudine voluntatis morali conſequendâ diligentiam feciſſe, dici nequeat, quisquis advertens, in ſententiâ probabili ſubeſſe amittendæ rectitudinis diſcrimen, libens ac volens hanc declinationi obnoxiam viam ingreditur, niſi ſub altioris cujuſdam principij moralis umbrâ, certitudinem prudentiæ propriam, & ſecuritatem practicam obtineat. At iſta practica ſecuritas ex eo provenit, quòd morali ſecundum negotij gravitatem ac perſonæ ſtatum & captum, congruâ habitâ ſolertiâ & diligentiâ, quis eatenus ſe exemerit ab ulterioris inquiſitionis obligatione, ut conſequenter ſub moralis ſuper libertatis poſſeſſione fundati principij directione, poſſit formalitatem Honeſtatis per ſententiam probabilem repræſentatæ amplecti, tanquàm motivum formale, atque ut ſic ſpecificativum operationis ex Honeſtate ſpecificâ per probabilem rationem, ſeu authoritatem propoſitâ finalizatæ, atque adeò ſpecificatæ, veluti *ſequenti controverſiâ elucidabitur.*

Reſponſio ad oppoſita Fundamenta.

9. AD Vaſquezij *n. 1.* oppoſitum fundamentum Reſpondetur. Quamvis formido de objecti, ſeu operationis defectibilitate morali ſtare poſſit cum aſſenſu determinato, *Inevidenter* tamen ac *probabiliter* tantùm Rectitudinis moralis judicativo; nihilominùs ex hâc ipsâ inevidentiâ ac incertitudine excitari poſſe Circumſpectionis ac ſolertiæ obligationem debitam circa Veritatis inquiſitionem. Unde niſi huic veritatis inquirendæ obligationi ſecundùm prudentiæ regulas ſatisfiat, non poſſe operationis, vel objecti Honeſtatem mediante ſententiâ probabili repræſentatam, *in actu exercito* ſtare ſub formali rectitudinis moralis ratione, ſed ex illâ ipsâ debitæ ſolertiæ omiſſione, ſeu labe ſocordiæ coinquinari maculâ quâdam reſultante ex eo, quod cum tali vecordiâ operans, ſe objiciat morali Honeſtatis *in actu exercito* amittendæ diſcrimini. Ex quâ proinde maculâ infici totum illud *in actu exercito* ſpectatum objectum, ut conſequenter nequeat operatio tendens in objectum ſub ſententiæ probabilis repræſentatione honeſtum, ſed ſub ſolertiæ debitæ omiſſione, Honeſtatis jam expers, rectitudinis moralis ſpecificationem trahere ex tali objecto; ut adeò falſum ſit; tum quòd ad rectè operandum non requiratur aſſenſus objecti *Practicè* & *Exercitè* ſecundum haſce circumſtantias repræſentativus evidens ac certus: tum quòd nemo teneatur, ſequi partem *Negativè* ſaltem tutiorem, ita ut omne peccati diſcrimen ſit *practicè* excluſum, tum denique quòd de propoſitionis univerſalis *in abſtracto*, & *in actu ſignato* ſpectatæ veritate formidinem habens, non poſſit ex debitæ Circumſpectionis induſtriâ præhabitâ, & libertatis poſſeſſione inde exortâ reſpectu actûs *Exercitè* & *Practicè* ſpectati, de morali rectitudine habere certitudinem omnimodæ formidinis à Judicio ſingular. excluſivæ, veluti probant fundamenta Mercori & Ioannis à Thomâ *n. 2. 3. 4. & 5.* deducta, in quibus hoc unicè notandum arbitramur, ut, quando Mercorus ait, Conſcientiam in objectis *ſpeculativè ſolùm* probabilibus certificari ex authoritate, vel præſumptione, vel ſimili ratione, id non tam *in ſenſu Formali*, quàm *Materiali* accipiendum eſſe; ſiquidem hæc ipsa etiam argumenta ut ſic *præcisè* ac *formaliter* ſpectata, ſint ſolum probabilia, quamvis ſuper ea, vel aliquod illorum, præhabitâ morali diligentiâ, ſuperſtruatur formalitas altioris cujuſdam moralis directivi principij, in illa argumenta, nec non objectum, quæ hic & nunc operabile omni nodum practicam ſecuritatem refundentis, uti mox *ſequenti controverſiâ* oſtendemus.

CONTROVERSIA IV.

An, & qualiter probabilitas poſſit fundare moralem Certitudinem?

RECentiores nonnulli arbitrantur, Iudicium Conſcientiæ, quatenus deducitur ex Doctrinâ probabili, ut ſic nō eſſe certum, ſed reflexione factâ ſuper probabilitate ejuſde doctrinæ tanquàm Motivo univerſali, poſſe fieri certum. Fundamentum hujus deduci poteſt ex Arriagâ *tract. de actibus Humanis. diſp. 24. ſect. 1. n. 4.* ſic diſſerente: *Eo ipſo, quòd aliqua doctrina ſit probabilis, & à viro docto & prudente defendatur, eſt etiam doctrina, & Iudicium prudentum.* Ergo qui ei doctrinæ ſe accomodat, prudenter agit. Atqui repugnat, ut, qui operatur prudenter, peccet; ſed certò ſcit, ſe rectè operari. Ergo eum, qui ſe accomodat opinioni probabili, repugnat peccare, ſed certò ſcit, ſe rectè operari. 1.

2. Mercorus *cit. artic. 14.* præallegatam sententiam refutat sequentibus fundamentis. *Primò.* Iudicium probabile ex proprio & intrinseco motivo non potest fieri certum, nisi ex diverso motivo saltem ab extrinseco supervenientc. Atqui probabilitas, quæ refulget in hoc judicio particulari, non est medium diversum a ratione, propter quam idem Iudicium est tantùm probabile. Ergo probabilitas *reflexè* cognita in Iudicio prudentiali, non valet tollere formidinem in eo relictam à motivo intrinseco doctrinæ probabilis.

Secundò. Non est major ratio de probabilitate affulgente in judicio particulari, quàm de ea, quæ effulget in judicio propositionis universalis, imò hæc est potior illâ, quia est causa illius. Ergo si probabilitas, quæ effulget in judicio particulari, est medium sufficiens certificans ipsum, etiam probabilitas propositionis universalis certificabit ipsam universalem, quod est absurdum: quia in moralibus confunderetur scientia & opinio, & omnis opinio esset scientia, & ideò esset scientia, quia opinio.

3. Hinc Mercorus *cit. a. 12. n. 14.* existimat, tametsi non possint haberi demonstrationes *Directe*, & ad *intrinseco* ostendentes, quodcunque opus occurrens esse honestum, attamen certitudinem moralem posse in Iudicium principio aliquo morali duntaxat probabili nitens derivari ex ratione aliquâ intrinsecâ authoritatis, præsumptionis, possessionis, consuetudinis, tolerantiæ rationabilis, exempli, & similium. Et quidem si is, qui debet operari, sit rudis, facilè posse certificari consilio Confessarij, vel proprij Parochi, vel alterius viri Docti & probi, utpote quorum authoritas, teste Divo Thomâ *Quodl. 3. a. 8.* sit sufficiens, ut tutò quis possit operari. Si verò sit Doctus, & jam habeat rationem probabilem de operis Honestate, posse certificari adhibita diligentiâ, scilicet ex consideratione principiorum moralium, vel a simili deducendo casum, aut à Doctioribus inquirendo. Quòd si adhuc non refulgeat medium certificans ejus Conscientiam, & urgeat necessitas, posse operari id, quod sibi convenientius apparet ex usu illius Regulæ, *de duobus malis minus est eligendum.* Si autem operandi necessitas non urgeat, & adhuc duret formido, debere abstinere ab opere, donec fiat certus, sicut in agendis rebus sæculi facere soleamus. Si proinde quis tali utatur diligentiâ, non diu mansurum anxium de veritate, siquidem ille, qui eam inquirit, de facili sit inventurus, juxta illud *Proverb. 2. Si quæsieris sapientiam tanquam pecuniam, & sicut thesauros effoderis illam, intelliges timorem Domini, & scientiam invenies Dei.* Quibus adeò verbis ostendi, à nobis tantam adhibendam esse diligentiam, ut inveniamus veritatem pertinentem ad salutem animæ, quantam prudenter solemus habere solicitudinem in hujus sæculi agibilibus.

4. Ioannes à Sancto Thoma *cit. disp. 12. a. 3. à n. 10.* docet, ut in particulari formetur dictamen prudens, & *Practice* probabile, seu *Moraliter* certum; *Primo* attendendam esse gravitatem & difficultatem materiæ, ut majori attentione & studio consideretur, & sufficiens tempus ad hoc concedatur, ne celeritate ipsâ opprimatur ratio. Illam autem materiam in re morali esse graviorem, sub quâ majoris peccati periculum imminet, sicut in materiâ Sacramentorum propter summam reverentiam, quâ tractanda sunt. De quibus proinde oportere attentius considerare, & majorem securitatem habere, eò quod non operentur gratiam juxta nostram æstimationem, sed prout in re sunt. Similiter ubi magnum damnum imminet bonorum, velut in causâ civili magni momenti, in indictione tributi, applicatione Medicinæ, indictione Belli, prolatione sententiæ per Iudicem, vel procuratione causæ per Advocatum, opus esse exactiori consideratione & attentione, nec posse practicam probabilitatem haberi tam facilè, sicut in alijs materijs. *Secundò.* Attentâ gravitate materiæ, seu negotij tractandi, circa resolutionem & formationem dictaminis attendendam esse legem, seu Ius, si quod detur in tali materiâ. Et quidem si dubium sit, an detur lex in tali materiâ, fieri debere diligentiam, juxta quod est possibile in tali tempore, aut loco. Quâ diligentiâ sufficiente præhabitâ, si adhuc maneat dubium de existentiâ legis, debere istam pro nullâ judicari, siquidem lex sit gravamen aliquod inferiori impositum, in dubio autem gravaminis, aut servitutis, stet possessio pro libertate. Quod si *tertiò* constet de lege, sed circa ejus intelligentiam sit varietas opinionum, oportere id regulare vel penes consuetudinem loci, vel praxim tribunalium receptam, vel penes graviores Authores, & eorum fundamenta. Si verò *Quartò* constet, de intelligentiâ legis, sed dubium sit de exceptione legis, pro isto casu ratione Epichiæ, vel urgentis necessitatis, aut ex alio capite oportere considerare, an talis necessitas, vel utilitas, aut ratio propter quam fit exceptio, sit evidens. Et quidem ubi factâ istâ consideratione, adhuc stat dubium de exceptione, stare possessionem pro lege. *Quintò* necessitatis considerationem apprimè habendam esse in moralibus, siquidem instante necessitate, recto Iudicio aliqua eligantur, quæ extra necessitatis casum non licerent. *Sexto* denique inspiciendum esse damnum seu effectum, qui ex aliquâ parte sequi potest. Atque hoc esse, quod maximè nos doceat formare practicum & prudentiale Dictamen: cùm videamus plures opiniones *Disputativè* habere suam probabilitatem, quas tamen ob plures malos effectus inde sequutos, non sit tutum consuli. In ejusmodi proinde effectibus ac damnis eam tenendam esse regulam, *ut ex duobus malis semper minus sit eligendum.*

Suarez *tract. de actibus human. disp. 12. sect. 5. n. 4. ac sequent.* tenet, Conscientiam tunc primùm sufficere ad honestè operandum, si verè sit *practice* certa, & ex principijs certis elicita. Inter ejusmodi verò principia esse istud: *in dubijs tutior pars est eligenda.* Quia tamen Jura etiam clamant, quod *in dubijs melior sit Conditio possidentis*: neque verò pars illa, pro quâ possessio stat, quoad remotionem peccati semper sit tutior. Idcirco illud de tutiori parte eligendâ principium sic accipi posse, ut scilicet dicatur, id esse in unaquâque actione agendum, quod juxta materiæ exigentiam & negotij qualitatem minora habet incommoda omnibus pensatis. 5.

***

Conclu-

CONCLUSIO.

PRobabilitas in moralibus ſolùm *materialiter* conducit ad moralem certitudinem, quatenus omnibus per circumſpectionem conſideratis circumſtantijs, ſuper honeſtate actûs moralis hic & nunc faciendi debitâ per Eubuliam, ac ex rationibus tum intrinſecis, tum extrinſecis *Regulariter* non niſi probabilibus, habitâ conſultatione, ac Syneſeos, vel Gnomes inde ſecuto Iudicio, Prudentia ex altiori quodam morali in libertatis v. g. poſſeſſione fundato principio ſuper materiâ probabili ſtruit certitudinem, quæ ex parte formalis ad voluntatem applicati Motivi omnimodam habeat veritatem, probabilitate falſitati fortaſſis conjunctâ, non niſi circa materialem Honeſtatis objectivæ actum moralem ſpecificantis, cum individuâ hic & nunc eliciendâ actione concretionem ſe tenente, ut adeò conſcientia in prudentiali taliter formato judicio ſubſiſtens omnimodam habeat certitudinem ac ſecuritatem practicam.

6. Probatur. Quia iſta practica ſecuritas & certitudo formalis conſiſtit in tali Conſcientiæ directione, ut formalitas objectiva per Conſcientiam repræſentata habeat vim *Finalizativè* motivam, & ut ſic *in Quarto perſeitatis modo* ſpecificativam actûs moralis ex tali Honeſtate objectivâ eliciendi. At verò omnis ſpecificæ Honeſtatis Formalitas, actûs *moraliter* Honeſti ſpecificativa, per vultûs Divini *participativè*, atque adeò ſub honeſtatis Divinæ Increatæ participationibus *ſpecificè* diverſum ſuper nos ſignatum lumen eſt noſtro intellectui per ſe nota, tanquam bonitas menti quà rationali per ſe experibilis. Ex ejuſmodi vero ſpecificæ quarumlibet virtutum Honeſtatis ſignatâ expreſſione tanquam principio morali per ſe noto, Prudentiæ eſt, cuilibet morali materiæ *Practicè* exercendæ, vel amplectendæ per legitimam Conſequentiam applicare aliquod Honeſtatis motivum actûs moraliter Boni ſpecificativum. At verò hæc ipſa Honeſtatis objectivæ per ſe notæ, ac ſuper nos evidenter ſignatæ applicatio non eſt poſſibilis reſpectu alicujus particularis materiæ, dum in ipſo relucet aliquid difformitatis, ſeu à rectâ ratione diſſonantiæ: ſiquidem per minimæ etiam malitiei moralis commixtionem Bonum, non niſi ex integrâ Honeſtatis ratione ſeu causâ conſtans oporteat omnino diſſolvi ac *repræſentative* in Intellectu noſtro interire. Unde ſi prætactæ Honeſtatis *in actu ſignato* ſpectatæ, per diſcurſum, ſeu rationis Iudicium fiat talis ad moralem individuam materiam concretio, ut in hac concretione aliquid rectæ rationi difforme appareat, vel etiam per modum alicujus hæſitationis ſeu cogitationis formidoloſæ debito modo non excuſſæ, ſub quâdam quaſi umbrâ aliquid deordinationis, ſive à rectâ ratione declinationis quomodolibet effulgeat, nequit Iudicium actûs moralis quà *Exercitè* hic & nunc faciendi repræſentativum cum veritate applicare voluntati Motivum, actûs quà
Moraliter Boni ceu Honeſti ſpecificativum. At 7.
eo ipſo, quòd cuilibet ſit quædam debitæ pro negotij gravitate circumſpectionis, ac inde juxta rei exigentiam maturè producendæ ac ponderandæ conſultationis, & ſuper hac ſecundùm Syneſeos, ſeu Gnomes rectâ rationem reſolvendi Iudicij obligatio, ſequitur: non poſſe actum moralem hic & nunc *Exercitè* faciendum repræſentari, quà rectæ rationi conſentaneum, ubi omiſsâ illâ circum ſpectionis & conſultationis congruæ ſolertiâ, neceſſariò ſubeſt ſimul practicæ
de morali fortaſſis latente malitiâ Conſcientiæ 8.
remorſus. Econtra verò debitæ inquiſitionis diligentiâ præhabitâ, dum nulla ulterior inſtat conſultationis obligatio, & aliunde per rationem probabilem, in materiâ hic & nunc *Exercitè* amplectendâ repræſentatur Honeſtas, lumine vultûs Divini ſuper nos ſignati expreſſa, tunc ad voluntatem *practicè* applicatur formalitas actûs quà *Moraliter* Boni ſpecificativa. Huic autem repræſentationi reſpondet omnimoda ex altiori quodam morali, ſuper libertatis poſſeſſione quandoque poſt diligentiam moralem ſuffragante, quandoque ſuper minoris mali præ majori malo eligendi, & ut ſic tutioris partis ſequendæ ratione fundato, aliove ſimili generali per ſe noto principio reſultans ſecuritas. Sub tali proinde ſecuritate Honeſtas moralis per rationem probabilem in actûs moralis hic & nunc faciendi objecto repræſentata, ſecundum omnimodam certitudinem eatenus reſolvitur in lumen Honeſtatis alicujus ſpecificæ repræſentativum, ut conſequenter ratio Honeſtatis ejuſmodi in hâc individuâ materiâ ſecundum prudentiam expreſſiva habeat vim taliter directivam, ut ſub tali directione objecti Honeſtas ſpecificâ ſe *Finaliter* transfundendo in actum moralem, huic *in quarto perſeitatis modo Formaliter* communicet ſuam ſpecificationem.

Reſponſio ad oppoſita Fundamenta.

AD *n. 1.* oppoſitum Reſpondetur. Non ex 9.
eo præciſè, quòd aliqua doctrina, pro aliquo caſu *hypotheticè* & *Signatè* formato, ſit probabilis, ſequi, ipſam fundare prudens judicium, uti rectè probant argumenta Mercori *n. 2.* deducta, ſed opus eſſe, ut debita circumſpectionis & conſultationis ſolertia ſit prudenter applicata caſui *Exercitè* poſito, vel ponendo. Imò etiam ut doctrina probabilis pro aliquo Hypothetico caſu *Signatè* poſita per prudentiale Dictamen ſit applicabilis huic particulari materiæ, oportere, in ſe ipsâ niti ratione vel intrinſecâ, vel extrinſecâ, non leviter, ſed juxta materiæ gravitatem, ejuſque captum ponderosè conſideratâ. Cujuſmodi proinde circumſpectionis, & Conſultationis, ac ponderoſæ inquiſitionis præhabitâ ſolertiâ, tunc in intellectu ex aliquo univerſali per ſe noto principio effulgere ſecuritatem practicæ de ulterioris inveſtigationis obligatione formidinis excluſivam, & rationis practicæ eatenus certificativam, ut hæc poſſit eſſe repræſentativa formalitatis ſpecificam alicujus virtutis Honeſtatem *in Quarto Perſeitatis modo* transfundentis in actum moralem.

Ad Mercori *n. 2.* propoſitam doctrinam
Reſpondetur. Illas ipſas ab hoc Authore po- 10.
ſitas

ſitas rationes non niſi veriſimilibus niti fundamentis. Quomodo ergò in prudentialem ex illis formatam rationem poterunt derivare certitudinem, niſi ex quodam per ſe noto, ac per lumen naturale ſeu fidem certificato principio formentur. Quare rationes ab Authore illo pro judicij practici certitudine habendâ propoſitas *ſolùm diſpoſitivè*, licèt *proximè* conferre ad practicam operationis moralis certitudinem, quatenus poſitis illis fundamentis, eatenus ſit ſatisfactum ſolertiæ ac circumſpectionis pro re natâ convenientis obligationi, ut ratio Prudentialis formare jam poſſit omnimodam tum reſolutoriam ex principijs moralibus omninò certis derivatam certitudinem, tum practicam in vi actionis moralis quà Honeſtæ Finalizativâ, & ut ſic ſpecificativâ ſitam ſecuritatem. Cujuſmodi proinde rationem practicæ ſecuritatis fundatricem, per Joannem à Sancto Thomâ & Suarezium *à n.4.* quoque deductam omninò nobis probari.



CONTROVERSIA V.

An liceat, relictâ probabiliori, ſequi ſententiam minùs probabilem?

1. NEgant Sanctus Antoninus *2. part. tit. 5. cap. 10. §. 2.* Conradus *de Contract. q. 20. & ult. concl. 1. cap. 5. & 7.* Gabriel *in 4. diſt. 15. q. 8. ar. 3. dub. 2. in probat. concl. 1.* Major *in 4. q. 1. prologi.* Sotus *in 4. diſt. 18. q. 2. ar. 5. ad 5. in fine & lib. 3. de Juſt. q. 6. ar. 5. ad 5.* Henricus *quodl. 4. quæſt. 33.* Sylveſter *ver. Opinio. quæſt. 1. & 2. & ver. Dubium. quæſt. 2.* Gomez *cap. 1. de conſtit. in 6. n. 12.* Merenda *de Conſilio.* Mercorus *par. 2. praxis opinionum. ar. 26.* plures *ibi* pro hâc parte allegans Doctores, imò aſſerens; omnes Doctores & Scriptores caſuum Conſcientiæ ſæculorum antecedentium tenuiſſe hanc ſententiam. Fundamenta fusè deducta ſunt à Mercoro *cit. par. 2. ab ar. 8. uſque ad 28.* Nam *primò.* Nulli ſequi licet Conſcientiam dubiam: *Amans enim periculum peribit in illo. Proverb. 6.* At eo ipſo, quòd ex utrâque parte ſint motiva æqualia, vel ex unâ parte ſint fortiora, Intellectus quoad partem infirmiorem eſt dubius. Hoc autem dubium nequit ſiſtere intra limites ſpeculationis, ſed oportet, eſſe practicum, eo ipſo, quòd non interveniat ſpecialis titulus, vel ratio ſaltem extrinſeca cauſans certitudinem de licitè hîc & nunc operando; nec iſta certitudo fundari poteſt ſuper probabilitate *reflexè* cogitatâ, uti *ſuprà* oſtenſum eſt.

2. *Secundò.* Qui tutâ Conſcientiâ vult ſequi aliquam ſententiam in moralibus, oportet, ut de eâ formet judicium particulare practicum ſaltem opinativum. At dum una ſententia ex proprio motivo apparet probabilis, altera verò probabilior, oportet, partem minùs probabilem non magis, imò minùs apparere veram, quàm Falſam. Nullus autem poteſt habere aſſenſum etiam opinativum de propoſitione, quæ ſibi æquè, imò magis apparet falſa, quàm vera: ſiquidem opinari ſit judicare propoſitionem veram, cum ſolâ formidine falſi. Cùm igitur nequeat intellectus ex inefficaciâ Motivi propoſitionem judicare tanquàm veram, conſequenter in concurſu contrariæ æquè, vel magis probabilis, non licèt ſequi ſententiam probabilem.

3. *Tertiò.* In conflictu probabilium opinionum non magis apparet, probabilem ſententiam conformari legi æternæ, quàm non conformari, imò ſi oppoſita ſit probabilior, magis apparet non conformari, quàm conformari. At Judicium rectum de Honeſtate operationis nunc exercendæ reſolvendum eſt in conformitatem ad legem æternam. Ergo dictamen rationis, quod fundatur in uſu ſententiæ minus probabilis, in concurſu probabilioris non poteſt eſſe recta Regula morum.

4. *Quartò.* Si verum eſt, eum, qui operatur id, quod probabiliter apparet honeſtum, non peccare; licebit à contrario arguere, quòd peccet operans id, quod apparet non honeſtum. At, qui ſequitur opinionem minùs probabilem, concurrente probabiliore, operatur id, quod apparet non honeſtum, ſiquidem motivum probabilioris opinionis neget, hoc opus eſſe honeſtum. Unde etiam fit, quòd ex adverſo remordeat & redarguat ſyntereſis, ſuggerendo id ſolum eſſe licitum, quod ex conſilio rationis apparet honeſtum, atque adeò fugiendum eſſe, quod ex conſilio ejuſdem rationis apparet non honeſtum.

5. *Quintò.* Opinio tuta *Moraliter* illa eſt, quæ caret omni periculo offendendi Deum. At non poteſt excogitari major ſecuritas, quàm illa, quæ caret omni periculo. Ergo nequit aliqua ſententia eſſe *Moraliter* tuta, niſi ſit tutior, imò tutiſſima *Moraliter*. At nequit in moralibus eſſe tutior ſententia minùs probabilis. Unde nec poteſt eſſe tuta *Moraliter*

6. *Sextò.* Dubium facti, quod in ſyllogiſmi practici minore ſubſumitur, cauſat dubium practicum in concluſione Dictaminis. Hujus verò eſt ratio, quod concluſio ſequatur debiliorem partem. At concluſio ſyllogiſmi practici æquè dependet ex veritate Majoris, in quâ ſub propoſitione aliquâ univerſali exponitur id, quod Juris eſt. Si autem Jus in majore explicatum ſit dubium, velut accidit in ſententiâ minus probabili, conſequens eſt, in Dictaminis concluſione inferri Dubium practicum, cum quo non licet operari.

7. *Septimò.* Deus *Deuteron. 26.* mandavit, ut implerentur ſua mandata *ex toto Corde*, & *ex totâ Animâ*, id eſt, ex totâ voluntate, & intellectu, atque adeò quantum unuſquiſque hîc & nunc poteſt, & ſcit. Unde etiam *David Pſal 118.* oravit ad Deum: *Mandaſti mandata tua cuſtodiri nimis*, id eſt valdè. At ille, qui ſequitur ſententiam minus probabilem, atque adeo ſtat contra Præceptum in concurſu probabilioris pro præcepto ſtantis, non facit quantum ſcit, & poteſt hîc & nunc, ut divinum mandatum cuſtodiat. Quomodo ergò implebit præceptum Divinum obligans ad mandatorum ſuorum ex totâ Animâ obſervantiam. Quomodo ſtabit illud *Eccleſiaſtici 37. Ante omnia opera verbum verax præcedat te, omnem actum conſilium ſtabile?* Quomodo locum habebit illud Apoſtoli, *Omnia probate, quod bonum eſt, tenete, ab omni mali ſpecie abſtinete vos.*

8. *Octavò.* Scire: *An ſit licitum in concurſu opinionum ſequi ſententiam minus probabilem*, eſſentialiter ſpectat ad modum obſervandi Divina Præcepta. Atqui

ta. Atqui Apostoli extra dubium esse videntur tradidisse etiam modum observandi Divina præcepta. Ergò indubitatum videtur, ab ipsis fuisse decisam illam de sententiâ minùs probabili licitè amplectendâ controversiam. At credendum etiam est, tempore Apostolorum inter Magistros Conscientiæ passim exortas fuisse quæstiones; nec non Apostolos fuisse consultos de modo regulandi Conscientias in ejusmodi casibus, atque adeò ipsos Ecclesiæ sanctæ tradidisse certam regulam, quâ fideles scirent, quid tutâ Conscientiâ sibi facere liceret in hujusmodi Controversiis. Quam proinde Regulam cum cæteris traditionibus per tot sæcula *successivè* continua per manus in Ecclesiam Dei derivatam esse. Quare ista traditio in puncto præsenti vel stat pro affirmativâ, vel pro negativâ. At prius non videtur dicendum, eò quòd Sanctus Thomas, Scotus, Sanctus Antoninus, Gerson, Joannes Major, Adrianus, & alij docuerint oppositum, scilicet non licere sequi sententiam minùs tutam, seu minùs probabilem: non sit autem verisimile, hujusmodi Doctores voluisse scribere contra regulam, quæ communiter tunc habebatur in Ecclesiâ, utpote memores verborum Divi Hieronymi *lib. 1. contra Originem. epist 33.* scribentis. *Cur post quatuor centum annos docere niteris, quod antea nescivimus? Cur profertur in medium, quod & Paulus edere noluit.*

9. Econtrario pro parte affirmativâ, quòd scilicet relictâ probabiliore sententiâ, liceat sequi minùs probabilem, stant ex Thomistis Bannes 2. 2. *q. 10. ar. 1.* Medina *1. 2. q. 19. ar. 6.* Alvarez *disp. 80.* Corneio *tract. 8. disp. 3. dub. 6.* Serra *cit. q. 19. ar. 6. dub. 4.* Joannes à Sancto Thomâ *cit. disp. 12. artic. 3. num. 50.* Ex Scotistis Mastrius *cit. disp. 5. n. 46.* cum suo subtili Doctore *locis ibi citatis & ponderatis.* Ex Societatis Jesu Theologis Suarez *3. p. disp. 40. sect. 5. nu. 6.* Vasquez *1. 2. disp. 62. cap. 4.* Sanchez *lib. 1. sum. cap. 3.* Valentia *pref. disp. 2. q. 14. punc. 4.* Tannerus *disp. 2. q. 4. dub. 3.* Castropalaus *pref. tract. 1. disp. 2. punc. 2.* Amicus *disp. 15. n. 1.* & plures alij relati à Mercoro *citato.* Fundamentum per Joannem à Sancto Thomâ *ubi supra* deductum est. Cùm enim probabilitas practica sit, quæ temeritate caret, utpote habens fundamenta rationabilia, sitque procedens cum sufficiente ratione & apparentiâ. Ideircò secundùm Divum Thomam *Quodlibet. 8. art. 13. Quæcunque opinio probabilis, si practicè probabilis sit, potest prudentiale Dictamen generare.* At omne prudentiale dictamen est regulativum actûs Boni & virtuosi, siquidem prudentia sit præstituens medium virtutibus, Ergò quamcunque probabilem opinionem, etiamsi minùs sit probabilis, si probabilitatem practicam, id est prudentialem faciat, sequi licet.

10. Quam nihilominùs sententiam distinguunt Suarez *tract. de actibus Huma. disp. 12. sect. 6. n. 6. &* Ysambertus *ad pras. q. 19. disp. 9. ar. 4. & 6.* asserendo; si probabiles opiniones contendant de Jure, vel obligatione actionis, licere, probabiliori relictâ, sequi sententiam minùs probabilem. Secus verò esse, quando probabilitas opinionum est circa naturam rei & operis, tunc enim sæpius saltem teneri, in Administratione Sacramenti v. g. vel applicatione Medicinæ, opinionem probabiliorem præferre minùs probabili, quando scilicet ex Justitiâ, vel charitate tenetur quis vitare damnum, vel incommodum, quod in re ipsâ subest, vel periculum ejus.

CONCLUSIO.

Licitum est, relictâ probabiliore, sequi Sententiam minùs Probabilem, dummodò nulla industriæ, ac circumspectionis *Moraliter* debitæ interveniat negligentia, vel ex quasi contractu, sive speciali Charitatis obligatione teneatur quis ad tutiorem seu certiorem viam amplectendam.

Explicatur & probatur. Diversimodè enim accidere potest, ut quis sequatur sententiam minùs probabilem. 11. *Primò* ex studioso quodam selectu opinionum, quæ viæ carnis, seu hujus sæculi oblectamentis, sive ambitiosæ ac politicæ libertati magis arrident. At in istis cæcutit oculus sanctæ intentionis, estque in primo statim Prudentiæ principio, Fine scilicet, aliqua perversitas, siquidem finis Boni intentio sit principium rectæ consiliationis, ejusmodi verò homines eorum, quæ Mundi sunt, studiosi amatores, dum ita quærunt placere Deo, ne tamen oblectamenta Carnis, sive hujus sæculi vanitates abjicere debeant, & in hunc finem sententias suis affectibus faventes studiosè inquirunt, in ipsâ suâ intentione se produnt, subesse ad terrena affectum, qui in sententijs favorabilibus inquirendis sit moderator. Viderint ergò tales, ne corrumpantur in vijs suis, dum oculo mentis per affectum rerũ terrenarum cæcutiente, non ponderant circumstantias, sub quibus Doctorum aliquis suam protulit sententiam, sed unicè intenti sunt ad quærendas vias, in quibus affectui suo prædominanti insistere liceat. Quibus proinde mentis oculum pro veritate inspiciendâ, & ipsius etiam facti serie ponderandâ, imò Juris etiam per aliquem Doctorem probabiliter expositi sensu fortassis ritè intelligendo expeditum non habentibus facilè accidit, ut, quæ videtur ipsis recta via, novissimè ducat ad interitum, dum scilicet tales in obligationes eatenus declinant, ut has ad suum affectum accommodare velint, non verò sincerâ intentione veritatem legis Divinæ inquirant. Unde ex tali aliqualiter depravato affectu veritati, ac illustrationi divinæ obicē quendam opponentes, à Deo permittuntur quoque ire in adinventionibus suis, errore probabilitati opinionis inexistente, utpotè vincibili, & *Indirectè* volito vix ipsos excusante.

12. Alij proinde *Secundò* tum rectam obligationis suæ Domino reddendæ habent intentionem, tum in mandatis Divinis etiam Humanis inquirendis pro statu suo sufficientem adhibent industriam, ac insuper pro captu sui ingenij ponderant circumstantias, hic & nunc occurrentes. Hi ipsi verò se habere possunt diversis adhuc modis, ita ut quandoque non sint intenti ad negotij pondus sub contradictorio rationũ appendendum, sed dum, quatenus ratio ipsorum suggerit, Moralis actionis hic & nunc faciendæ Judicium statuunt, ad opinionem aliquam, vel à suo Magistro, vel Parocho, vel alio viro Docto traditam, absque ullâ sententiarum inter se agitatione attendunt. In hoc autem casu contingit plerumque, ipsos *quasi Exercitè & Materialiter* sequi opinionem minùs proba-

bilem. At eo ipso excusantur, quòd agant ex ratione, prout vel instans agendi necessitas, vel Ingenij imbecillitas, vel temporis, aliusveCircumstantiæ conditio permittebat, ac suggerebat. Quare *Tertiò* accidit quandoque, ut negotij qualitas exigat Judicium magis exactum.
13. In quo casu ex peculiari horum conditione plerumque fit, aliquem fieri tam de specie Facti, quàm de Jure conflictum, vel saltem aliquam talis concertationis umbram excitare in Intellectu hæsitationem aliquam, non nisi prævio Deliberationis Judicio determinandam. Quòd si proinde absque consultatione secundùm rei gravitatem congruâ, quis ad alterutram contradictionis partem se resolveret, talis omninò redarguendus esset temeritatis ac imprudentiæ, atque adeò errores per industriam moralem eruendi imputabuntur ad culpam, nec adeò sententiam licèt probabilem, debitâ circumspectione actui hic & nunc faciendo
14. non applicatâ, sequens excusabitur. Quòd si verò sub conveniente & Juris & Facti conflictu subsit sententiarum diversitas, utrinque Motivis probabilibus taliter innitens, ut tamen ex unâ parte major stet probabilitas, tunc nisi v. g. in Judice, Medico, ac Ministro Sacramenti sit specialis ad securam, seu tutiorem viam amplectendam, poterit utraque probabilitatis etiam minoris ratio reduci ad prudentialis dictaminis resolutionem.

15. Probatur istud assumptum. Nam eo ipso, quòd ratio sententiæ probabilioris non sit convincens, nequit elidere Jus liquidò stans pro libertatis possessione. At istud libertatis Jus locum habet in quâcunque dubiâ obligatione. Cùm proinde Major probabilitas nequeat vincere tale dubium, consequenter ex illo Jure possessionis in quâlibet materiâ locum habentis, licebit adhuc stare pro sententiâ minùs probabili, dummodò istud possessionis Jus non fuerit turbatum ex defectu circumspectionis ac solertiæ pro negotij qualitate congruæ ac debitæ.

16. Dices cum Mercoro *cit. 2. p. ar. 29.* illam Regulam, *quòd in dubio sit potior pars possidentis*, esse falsam in aliarum, quam Justitiæ, virtutum materijs. Probatur istud assumptum. Nam possessio in materiâ Justitiæ in dubio favet possessori, in quantum facit præsumptionem, quòd possessor sit verus Dominus. At in materiâ aliarum virtutum possessio non facit præsumptionem de veritate pro possidente. Minor hæc probatur. Nam dubitans de emisso voto, non quidem tenetur ad ejus observantiam. Neque tamen hujus ratio desumi potest ex eo, quòd stet præsumptio de voto emisso. Similiter habens scientiam voti emissi, sed dubitat de ejus adimpletione adhuc tenetur, quamvis præsumptio ex aliquibus conjecturis stare posset pro adimpleto voto.

17. Contra. Nam alia est præsumptio *Facti* ex conjecturis, alia verò est præsumptio Juris vel naturalis, vel radicati in Jure naturali. At præsumptio *Juris* in omni materiâ stat pro libertate hominis, quamdiu non constat de lege, vel voto, aliove legitimo vinculo. Econtra verò præsumptio *Juris* stat pro lege, aliove vinculo obligationem inducente, dum non eliditur non solâ facti præsumptione conjecturali, sed evidente probatione. Eo ipso autem, quòd oriatur quæstio de obligatione aliquâ, variæque de hac extent Doctorum sententiæ, dum nullius ratio est convincens, nequit opinionis probabilioris momentum extinguere liquidi Juris præsumptionem stantem pro libertate. Ex quâ proinde libertatis præsumptione eatenus favere potest libertatis possessio, ut consequenter pro istius manutentione liceat sequi sententiam minus probabilem.

Instabis ex præallegato Mercoro *art 12.* Ex lege Amicitiæ & Charitatis ad Deum tenemur, quantum possumus procurare, ut præstetur obedientia mandatorum ejus. At quando occurrunt opiniones oppositæ in materiâ morali, semper una favet præcepto, altera libertati, is, qui eligit opinionem faventem præcepto, scit certò, se nihil contra Divinam voluntatem moliri; qui autem eligit sententiam faventem libertati, de hoc non est certus, imò magis, aut saltem ex æquo putat, se posse agere contra Dei mandatum, sicuti de facto posset ita contingere. Ergo eligendo, vel consulendo opinionem faventem libertati, relictâ eâ, quæ favet præcepto, non facit, quantum pro mandato Dei non violando *Moraliter* valet & potest. Ergo videtur facere contra Amicitiam, quam habet cum Deo. 18.

Contra. Nam lex charitatis & Amicitiæ erga Deum exigit quidem, ut quantum *Moraliter* possumus, *Appretiativè*, non autem *Intensive* faciamus: uti est in confesso apud omnes Theologos. At quisquis præhabitâ maturâ circumspectione, ac ponderosâ juxta ingenij sui captum, ac negotij qualitatem rationis discussione, sequitur sententiam probabilem, facit, quantum in ordine ad Deum potest *appretiativè*. Probatur ista Minor ex deductis *supra cont. 3. & 4.* Nam in tali casu Bonitas moralis per opinionem probabilem repræsentata sub actûs moralis hic & nunc eliciendi conditione etiam individuali ita applicatur ad voluntatem, ut hujus actûs moralis sit in *Quarto Perfectatis modo Formaliter* specificativa. At eo ipso, quòd actus Voluntatis sit specificatus ex motivo virtutis per Divinam legem debitæ, sequitur, Voluntatem, quantum potest *Appretiativè*, facere pro observantiâ Divinæ legis, imò hanc adimplere secundùm veritatē practicâ sive secundū Formalitatis objectivæ actū *Moraliter* Bonū specificantis quâ individuæ concretionē. Ergò omninò satisfit mandato Divino, Formalitatis virtuosæ cum individuâ actione concretionem non aliter præcipienti, nisi secundùm circumspectionem humano modo possibilem, ut adeò tali morali circumspectione & solertiâ positâ, locum habeat Dictamen prudentiale, omnimodam Honestatis moralis practicam certitudinem ex altiori quodam super libertatis possessione quandoque fundato principio subinferens. 19.

Responsio ad opposita fundamenta.

AD *n. 1.* oppositum Respondetur. Dubio speculativo circa sententiarum probabilitatum stante, supervenire novum titulum Certitudinis moralis fundatricem, quatenus juxta negotij qualitatem ingenitæ ab obligatione libertatis Jus possessionem fundans, omnimodam securitatem, & practicam certitudinem trans- 20.

transfundit in prudentiæ ſuper ſententiâ improbabiliore quidem, attamen probabili fundatum Dictamen. *uti ſupra demonſtratum eſt.*

21. Ad *n. 2.* oppoſitum Reſpondetur. Non opinativum duntaxat aſſenſum, ſed Iudicium ex parte Motivi formalis voluntati *Practicè* applicati certum poſſe ſuperſtrui ſuper ſententiâ etiam minus probabili, ubi moralis habita fuit ſolertia & circumſpectio, tunc enim licèt ex *parte materialis* cum objectivâ alicujus ſpecificæ virtutis Honeſtate in actione *individua concretionis* ſubſit falſitas, eo ipſo tamen, quòd ſolertiæ & circumſpectionis pro rei ſtatu debitæ obligationi ſit ſatisfactum, poſſe illam objectivam Honeſtatem quà voluntatis motivam, ſub competente ſuâ puritate applicari ad actum moralem *in Quarto Perfeitatis genere formaliter* ſpecificandum, uti patet in Patriarchæ Jacob cum Liâ putatitiâ uxore concubitu; ac ſupra à nobis probatum eſt.

22. Ad *n. 3.* oppoſitum Reſpondetur. Ex ſententiâ minùs probabili poſt ſufficientem circumſpectionem derivari Judicium practicum objecti quà *Formaliter* Honeſti, & ut ſic legi æternæ *Exercitè* ſaltem conformis purè repræſentativum, atque ut ſic Motivi actum moralem quà *Formaliter* Honeſtum *Finaliter*, ac *extrinſecè Formaliter* ſpecificantis applicativum. Unde licèt ex parte ſpeculationis ſententias probabiles in abſtracto conſiderantis, non magis conformitas, quàm difformitas ad legem æternam appareat: Hæc tamen ſpeculatio, utpote non influens in actum moralem, nequit hujus ex motivo honeſto per prudentiale ſuper ſententiâ probabili debito modo fundatum Dictamen repræſentato ſpecificationem impedire.

23. Ad *n. 4.* oppoſitum Reſpondetur. Verum quidem eſſe, quòd, ſi ex parte dictaminis practici ſubſit mera probabilitas, atque adeò hæſitatio, & dubietas, tunc taliter operans ſit incurſurus peccatum. At falſum eſſe, quòd ſuper ſententiâ probabili Honeſtatis *abſtractè* repræſentativâ, poſt moralem pro cujuſque obligatione diligentiam adhibitam, nequeat ſuperſtrui Dictamen quoad Honeſtatis objectivæ, ut ſic voluntatis *Finaliter* motivæ repræſentationem *Practicè* certum, nec, niſi *materialiter* falſum, falſitate ſcilicet ſe tenente ex parte individualis in actu morali hic & nunc Exercito concretionis, nullatenus influentis, nec adeò ſpecificantis voluntatis actum moralem, atque adeò ad iſtum *in genere moris* non niſi *per accidens* ſe habentis.

24. Ad *n. 5.* oppoſitum Reſpondetur. Verum eſſe, quòd Judicium voluntatis *in genere Moris* directivum ſemper oporteat, eſſe tutiſſimum, utpote omni offendendi Deum carens periculo, nec adeò practicum Conſcientiæ Dictamen, ſi rectum ſit, poſſe ut ſic eſſe probabile, quamvis ſuper ſententiâ *in abſtracto* probabili poſt debitam diligentiam adhibitam, mediante altiori, præſertim ſuper poſſeſſione v. g. libertatis fundato morali Principio, ſuperſtrui poſſit certitudo moralis objectivæ Honeſtatis ſub omnimodâ ſui puritate repræſentativum, atque adeò cum omnimodâ ſecuritate actûs non niſi *Moraliter* Boni generativum.

25. Ad *n. 6.* oppoſitum Reſpondetur. Stante probabilitate non *Juris* duntaxat, ſed etiam *Facti* utpote ſecundùm Divum Thomam *Conjecturaliter* arbitrandi, poſt debitam circumſpectionem ſupervenire altius quoddam morale Judicium, ex quo inferatur Certitudo moralis, ad quam probabilitas tam *Juris*, quam *Facti* in præmiſſis expoſita ſe habeat ſolùm *Materialiter* per modum fundamenti, quatenus ratione adimpletæ debitæ de morali diligentiâ obligationis, ſuper ſententiâ ex parte tam *Facti*, quàm *Juris*, non niſi ex argumentis juxta ingenij noſtri vires præconſiliati & judicati probabili, poſſit ſuperſtrui formalitas objecti hic & nunc amplectendi ſub purâ Honeſtatis moralis ratione ad voluntatem applicativâ, & ut ſic actûs moralis eatenus ſpecificativâ, ut actus ex talis objecti finalizatione excitatus & ſpecificatus non poſſit non eſſe *Formaliter* Bonus, licèt ex parte *materialis concretionis* fortè ſubſit falſitas, non niſi *per accidens* ſe habens ad illum actum quà moralem.

Ad *n. 7.* oppoſitum Reſpondetur. Deum, 26.
quatenus mandat ſuorum præceptorum, *ex toto corde*, id eſt totâ voluntate, & *ex totâ animâ*, id eſt toto intellectu obſervantiam, imponere voluntati obligationem de proſecutione ſuorum mandatorum non *Intenſivè*, vel etiam *Extenſivè*, ſed *Appretiativè* ſummâ; Intellectui vero intimare obligationem de inquiſitione ſuorum præceptorum, non *Metaphyſicè*, vel etiam *Phyſicè*, ſed *Moraliter* maximâ. At eo ipſo, quòd habita fuerit tam circa mandatorum Dei intelligentiam, quam eorum ad ſpeciem *Facti* applicationem diligentia, pro cujuſque captu & negotij arduitate *Moraliter* competens, tunc poſſe ex ſententiâ circa ſpeciem tam *Juris*, quam *Facti* ſolùm probabili, mediante altiori quodam ſuper illâ morali diligentiâ fundato principio morali, deduci Dictamen prudentiale Motivi non niſi quà legi Divinæ conſentanei ad voluntatem applicativum, & ut ſic actionis quà *Moraliter* bonæ *in quarto Perſeitatis modo* eatenus ſpecificativum, ut conſequenter voluntas obſervantiam mandati divini ex toto corde *appretiativè* tunc proſequatur. Unde etiam fieri, quòd tale prudentiale Dictamē ex parte formalis ad voluntatem applicati, actum quà *Moraliter* bonum ſpecificantis motivi, ſit omninò verax, licèt *quoad Materialem* in actu quà individuo *concretionem*, per accidens *ad genus Moris* ſe habentem, poſſit ſubeſſe falſitas, quæ tamen Conſilium ſtabile eo ipſo non impediat, quòd iſtud ſufficienti præhabitâ diligentiâ, ex altiori quodam morali principio ſuperinduat moralem, imò omnimodam practicam certitudinem: ut adeò taliter operans, omnibus hic & nunc occurrentibus circumſtantijs circumſpectione *Moraliter* congruente probatis, non niſi Bonum teneat, atque ab omni mali, utpote in Dictaminis prudentialis modo præfato formati repræſentatione nullum locum habentis, ſpecie omnimodè abſtineat.

Ad *n. 8.* oppoſitum Reſpondetur. Apoſto- 27.
los tradendo modum obſervandi Divina mandata, utique reſpexiſſe tum ad rationem luminis naturalis, quà moralium actuum Intra Ordinis naturalis genus Directivæ, tum ad rationem fidei quà moralium actuum intra lineæ ſupernaturalis, genus ordinativæ. At iſtam utramque rationem eleganter deſcribi à Sancto Thomâ in *3. diſt. 34. q. 1. ar. 2.* taliter diſſerente. *In cognitione practicâ, quæ dirigit in operibus moralibus, invenitur duplex via ſcilicet Inventio, & Judicium. In inventione autem modus humanus eſt*, quod

quòd procedatur inquirendo, & conjecturando ex his, quæ solent accidere, quia ex talibus, & circa talia est moralis consideratio, ut Philosophus dicit: & hæc inventio secundùm hunc modum perficitur per Eubuliam, quæ est bona consiliatio. Sed quòd homo accipiat hoc, quod agendum est, quasi per certitudinem à Spiritu Sancto edoctus, supra humanum modum est: & ad hoc perficit Donum consilij. In viâ autem alterâ modus Humanus est, quòd ex his, quæ frequenter solent accidere, homo de inventis per consilium judicet probabiliter, quod fit per Gnomen & Synesin: & ulteriùs ordinem hujus Judicij imponat inferioribus, quod fit per prudentiam, quæ præceptiva est. Sed quòd homo certitudinaliter sentiat de his, quæ agenda occurrunt, supra hominem est: & hoc fit per Donum scientiæ, quæ docet conversari in medio pravæ & perversæ nationis.

28. Vides igitur, si Apostolorum, quam de modo servandi mandata Divina Ecclesiæ Sanctæ reliquerunt, doctrina illibata, uti non dubitamus, mansit in Divo Thomâ, dicere oportet, quòd prudentiale ex ratione naturali formatum Dictamen ita fundetur super probabili Gnomes ac Synesos judicio, ut tamen prudentia inferioribus imponat hujus Judicij ordinem, utique certo morali principio nixum, atque adeò practicâ, saltem Motivi formalis, non nisi actum *Moraliter* Bonum specificantis applicativâ veritate omnimodè verum, utpote prudentiæ ceu Virtutis Intellectualis actum, licèt *speculativè quoad materialem* motivi cum actione individuâ *concretionem* falsitas, non nisi *per accidens ad genus Moris* se tenens, subesse possit, eo ipso, quòd de his, quæ agenda occurrunt, supra hominem sit, certitudinaliter sentire, nec adeò prudentialis dictaminis *practicè* certi ordo superstrui possit super materiâ nisi solùm probabiliter judicatâ per Gnomen ac Synesin.

❊❊❊❊❊❊❊❊❊❊❊)(❊❊❊❊❊❊❊❊❊❊

CONTROVERSIA IV.

Quænam sint requisita, ut sententia dici possit probabilis in ordine ad rectam Conscientiæ directionem?

1. PLacuit quorundam Doctorum sententias in præsenti puncto attexere, ut quandam super eas reflexionem formando, statuere nobis liceat regulam aliquam universalem pro difficultate circa Conscientiæ ex probabili sententiâ directionem hic agitatâ.

Referuntur Sententiæ.

MArcus Serra *præs. q. 19. cit. dub. 4. §. Si quæras.* rem istam expedit asserendo, sententiam, ut eam sequi liceat, debere esse probabilem in sensu Aristotelis *1. Topic. cap. 1.* quatenus aliquid, si non omnibus, saltem sapientibus maximè cognitis & probatis, videatur verum, hoc enim esse probabile, quatenus aptum sit approbari, atque verosimile censeri à virtute Opinatricè cujuscunque, tum ob Authoritatem, quæ ut sic fundet probabilitatem extrinsecam, tum ob rationes probabiles, ex quibus viri sapientes moventur ad illud asserendum, quæque ut sic fundent probabilitatem intrinsecam. Et verò quamvis unus solus sit talis opinionis Author, si tamen sapiens maximè cognitus & approbatus sit, sufficere ad illam probabilem efficiendam, nisi aliàs constet, illam ab omnibus improbari. Quòd si asserant nonnulli, quemcumque, si suas lucubrationes edidit in lucem cum superiorum licentiâ, & peritorum approbatione, modò sint omnes isti Catholici, facere posse sententiam probabilem, hoc sibi non probari, nam licèt fortè cujuscunque prædicti opinio publicata censeatur probabilis, hoc tamen subsistere non ob ejus Authoritatem, sed quia alij probi & docti nihil ejus probabilitati repugnans invenerint.

Castropalaus *cit. disp. 2. punc. 1. a. n. 1.* tradit sequentia: *Primò* opinionem probabilem eam esse, quæ firmâ ratione fulcitur, neque contra se habet rationem convincentem; cùm, si istam habeat, teste Ioanne Sanche *in selectis. disp. 14. n. 8.* non sit opinio, sed error. Nihilominus *secundò* accidere posse, ut tibi probabiliter opinanti ratio aliqua in contrariũ videatur convincens, nec tamen opinio inde amittat probabilitatem, cùm alijs sit solubilis; atque hoc debere tibi esse persuasum, cum sæpe multæ rationes tibi repræsententur, quæ ab alijs facillimo negotio solvuntur. Quare, Ioanne Sanche, Vasque, & Thomâ Sanche ab ipso *citatis* testibus, imprudenter processurum te, si ob illam causam opiniones aliorum, quæ ut probabiles circumferuntur, improbabiles judicares. *Tertiò* circa dubium: *An unius Authoris dictum sufficiat ad probabilem opinionem constituendam?* responderi debere cum distinctione. Si enim res, pro quâ est opinio, ab Authoribus agitata non sit, nemini posse dubium esse, quin unius gravis & pij Doctoris dictum, qui ratione firmâ intelligitur moveri, ad opinionem probabilem tam sibi, quàm alijs constituendam sufficiat. Quòd si verò res controversa sit à paucis, posse virum doctum adversus illos sentire, si rationem firmam in contrarium habeat, si verò à multis sit ex professo agitata, & omnes ex probabilibus rationibus unum sentiant, posse ex Ioannis Sanchis *in selectis disp. 44. n. 6.* sententiâ, virum Doctum probabiliter opinari contrarium, si viderit, aliquam rationem pro suâ parte stare ab alijs insufficienter solutam, hoc enim modo opiniones probabiles in Scholis fuisse introductas. Verùm Castropalao *citato n. 2.* videtur *Quartò*, posse hoc rarò contingere, siquidem talis Doctor potiùs credere debeat, se errare, quàm aliorum Iudicio se præponere; Unde tali meritò timendum esse, ne lumen, quod sibi esse videtur, tenebræ sint, maximè cùm prudentia & humilitas petat, aliorum se judicio subijcere, & conformare. *ex Can. Prudentiæ. de officio delegati. & cap. de quibus. dist. 20.* *Quintò* nihilominùs posse, quod multis reconditum & abstrusum erat, alicui manifestari, multas enim veritates tempore Divi Thomæ & Bonaventuræ fuisse elucidatas adversùs communem & receptam sententiam, maximè cùm Ecclesia Dei quotidie illuminetur, & (ut glossa *in Can. ad nostram. verb. incipientibus. de consuetudine* ait) interdum revelletur minori, quod major nescit. Unde dictum unius gravis Doctoris, si firmâ ratione muniatur, sufficere ad probabilem opinionem asseren-

ferendam adversùs communem, doceri ab Azo-
re, Vaſque, Thomâ Sanche, & Heinrique,
7. *in fine citati n. 2.* allegatis. Hinc *Sextò*. Si in libro
alicujus Doctoris Neoterici inveniantur aliquæ
propoſitiones *abſolute* affirmantes, quæ adver-
sùs communem ſtare videantur, non debere ut
improbabiles judicari, imò potiùs debere cenſeri
probabiles, dum à Sede Apoſtolicâ non ſunt ju-
dicatæ improbabiles. Si enim (teſte Panormi-
tano *in Can. Capellanus. De ferijs.*) ſecurè procedat,
ſententiam Magiſtri pij & gravis ſequens, à
fortiori licere iſtud ex Conſilio typis manda-
to, cum majore tunc circumſpectione profe-
ratur, & ab alijs Doctis ſit priùs approba-
tum. *Veluti etiam doceant* Azor *&* Villalobos *ibidem*
8. *citati.* Hoc tamen *Septimò* ſpeciale ex ratione locũ
habere in Doctore Neoterico pio ſimul & Docto.
Nam de Doctore antiquo majorem eſſe poſſe du-
bitationem, an ejus opinio, etſi ſuo tempore fue-
rit probabilis, antiquata jam ſit, & à Sede A-
poſtolicâ, ſeu communiter videatur jam repro-
bari, ac proinde virum rudem ac indoctum e-
jus dictis tantum fidere non debere. Ex Tho-
mâ Sanche & Vaſque in fine *cit. n. 4. allegatis.*
Verum *Octavò*, ut opinio alicujus Doctoris
9. adversùs communem cenſeatur probabilis, non
ſufficere, ſi perfunctoriè & incidenter occaſione
alicujus argumenti dicta ſit, ſed requiri reſolu-
toriè eſſe dictam, nec ſufficere, ſi in indice libri
dicatur, cùm Indices quandoque non ſint Au-
thoris, nec tanta curâ, atque ipſimet libri ſo-
leant eſſe inſpecti ab Authoribus. Nec denique
ad opinionem probabilem conſtituendam, ſuf-
ficere unquam factum unius Doctoris etiam pij,
cum in facto ſubeſſe poſſit vel ſubreptio, vel di-
ſpenſatio, vel ſpecialis aliqua ratio, ſecus verò
eſſe, ſi à multis viris religioſis abſque ſcrupulo
ſit tali modo factitatum.
10. Ioannes à Sancto Thomâ *cit. diſp. 12. a. 3. n. 18.*
uſque ad n. 37. duo deducit principia generalia ad
probabilitatem practicam formandam. Pri-
mum ait, peti debere ex ratione intrinſecâ; ſe-
cundum ab Authoritate extrinſecâ. Et qui-
dem circa primi ex ratione deſumpti prin-
cipij applicationem ponderari debere tum
gravitatem materiæ, tum legem, ſeu Ius,
& concordiam, quæ circa aliquid habetur, tum
Conſuetudinem, quæ ad legem reducitur, ut-
pote quâ mediante lex firmatur, tum poſſeſ-
ſionem, eò quòd in dubijs melior ſit conditio
poſſidentis, tum neceſſitatem, ſiquidem neceſ-
ſitate imminente multa judicentur prudenter fi-
ri poſſe, quæ extra caſum neceſſitatis non lice-
ant, tum denique effectus, ſeu damna, quæ ex a-
ctione aliquâ veroſimiliter prævidentur ſecu-
tura. Ex quibus adeò vel ſimilibus, per nos
ſupra *controverſ. 4. n. 4.* ex eodem Authore fuſiùs
deductis principijs ritè collatis & ponderatis
licere fundamentum adſtruere pro alicujus opi-
nionis probabilitate taliter fundandâ, ut dicta-
men exinde formatum fiat prudens & rectum,
non autem temerarium.
Verùm circa ſecundi ab Authoritate petiti
11. Principij moralis applicationem conſideranda eſ-
ſe ſequentia. *Primò.* Quòd non quælibet Autho-
ritas poſſit probabilitatem fundare in re mora-
li. Cum enim ea, quæ moralia ſunt, dependeant
tam ex pondere & ſcientiâ rationum, quàm à
prudentiâ, quæ rurſus dependet à rectâ Inten-
tione, & pietate vitæ, idcircò in tantum ali-
quam Authoritatem facere probabilitatem mora-
lem & practicam, in quantum ſupponitur in
Authoribus inveniri ſapientiam fundatam, &
prudentiam, ſeu vitam approbatam.
Hinc *ſecundò*. Si Authores antiqui ſint, viden- 12.
dum eſſe, an in ſuis opinionibus habuerint ſe-
quelam, vel an fuerint opiniones antiquatæ &
relictæ. Si enim hoc poſterius ſit, non facere
in vi authoritatis fundamentum. Quòd ſi prius
fuerit, *Quartò* inſpiciendum eſſe, an fuerit ſe-
quela inter cordatos fideles, alioquin enim ſe-
quelam nihil præbere Authoritatis, cùm ſtul-
torum ſoleat infinitus eſſe numerus. Secus ve-
rò eſſe, ſi in gravi aliquâ familiâ, veluti San-
ctus Thomas & Scotus ſequelam habuerunt; ſi-
quidem inter prudentes antiquitas vel maxi-
mè faciat Authoritatem, juxta *Iob. 12. In antiquis*
eſt ſapientia & *multo tempore prudentia.* Ex ejuſ-
modi enim ſequelâ non ſolùm concurrere per-
ſonalem alicujus Doctoris Authoritatem, ſed
multorum, & multi temporis comprobationem,
plurium judicio & conſuetudini æquivalen-
tem. Si *Quintò* probabilitas Authoritatis ſo- 13.
lùm ſumatur ex authoribus recentioribus, ſo-
lam perſonæ authoritatem non facere probabi-
litatem practicam, ſed oportere adjungere fun-
damenta rationum, ita, ut conſtet, pollere ho-
minem maturo Iudicio, & conſilio, & ingenij
acumine, nec niſi cum fundamento, non au-
tẽ leviter ac perfunctoriè tractare res ſerias. Qui-
bus conditionibus concurrentibus, poſſe ex unius
etiã Doctoris Authoritate formari judicium pro-
babile practicum. Quare non eſſe ſtultum aliquid
judicandum temerarium, quòd unus ſingula-
ris (illis ſcilicet ſolertiæ, prudentiæ, ſapien-
tiæ, ac pietatis dotibus ornatus) id ſequatur,
cùm temerarium non ſit, quod gravi funda-
mento nititur, ſed quod leviter ſine pondere
rationum ab uno, vel paucis contra reliquos in-
troducitur.
Sexto. Nihilominùs cautelam in diſcernendis
Doctoribus, vel Conſcientiæ Conſultoribus eò 14.
vel maximè adhibendam eſſe, quòd plerum-
que homines placere deſiderent alijs, à quibus
conſuluntur, cùm ſint multi Magiſtri prurien-
tes auribus. Quas inſidias vel maximè impete-
re Principes & Magnates, & eò magis, quòd
non cum indifferentiâ, ſed aliquâ ſuæ volun-
tatis inſinuatione conſulant, deſiderantes pro ſuo
intento invenire Theologorum opiniones, &
ſententias. Unde plerumque iſtam opinionum
probabilitatem non eſſe ſecuram, licèt plurium
placita & conſulta ſuper his reperiantur, & alias
ſint viri Docti & litterati, obnoxij deceptioni
tamen facilè, inſtar illorum quadringentorum
Prophetarum, qui *Achab & Ioſaphat 2. Reg. 22.*
belli felicem ſucceſſum prænunciantes à ſpiri-
tu nequam *3. Reg. 22.* decepti dicuntur. Unde
ut poſſit quis probabile Iudicium ferre in for-
mandâ Conſcientiâ ex Authoritate conſuli o-
portere tales, qui non ſolùm ſint viri Do-
cti, ſed & timorati, ſine reſpectu particulari
tradentes conſilium, ſeu cum indifferentiâ.
Septimò tamen; Etſi ſola Perſonæ Authoritas 15.
per ſe loquendo, uti ſupra dictum fuit, non faciat
probabile Iudicium practicum. Attamen *per ac-*
cidens pro aliquo caſu & in defectum aliorum,
cum quibus conſuli poteſt, bene poſſe ex unius

Authoritate formari Judicium prudens: quod scilicet in consulendo faciat quis totum, quod potest, nec pro tunc inveniat alium, cum quo conferat.

16. Quam ob rationem *Octavò* illiteratum sæpiùs ex unius viri Docti consilio secutum esse, cùm ipse non possit de re illâ per se ipsum judicare, & aliàs non habeat alios, cum quibus consulat. Nihilominùs *Nonò* nunquam esse tutum, neque consulendum, quòd illiterati ex libris Authorum velint suam Conscientiam componere, & formare Dictamen, eò quòd communiter non intelligant, nec discutiant id, quod legunt, & sic fallantur; sed debere consulere viros Doctos, & timoratos, eâ quidem ratione, ut consulatur unusquisque in suâ facultate, quam profitetur, & si negotium fuerit majoris difficultatis, plures ac peritiores consulantur juxta qualitatem materiæ, siquidem in re morali plurium concordia magnam vim habeat ad formandum prudens Iudicium.

Conclusio.

Probabilitas practica in eo, qui ex ipsâ format Conscientiæ Dictamen, supponit tum rectam intentionem, tum solertiam & circumspectionem pro negotij gravitate congruam, & *Moraliter* sufficientem: *Formaliter* autem consistit in aliquo vel intrinseco per rationem ex ipsâ rei Naturâ desumpto, vel Extrinseco ab authoritate petito fundamento, quod hic & nunc pro Causæ præsentis statu homini pro negotij qualitate, & ingenij captu circumspectè & cautè operanti videatur rationabile.

17. Probatur. Nam probabilitas opinionum diversimodè formari potest. *Primò* quatenus casus, qui re ipsâ quandoque acciderunt, vel aliquando evenire possunt, *Hypotheticè* ponuntur *in abstracto & in actu signato*. At casus ejusmodi, (uti videre est ex libris Authorum) quandoque, à Summulistis præsertim, solent pertractari sub absolutâ, nullis secundum circumstantiarum varietatem restrictionibus limitatâ, vel etiam am-
18. pliatâ decisione. Econtra verò ab alijs Doctoribus, qui Causam rei exactiùs secundùm diversas occurrentes Circumstantias ponderant, taliter ponitur Causæ, quà à circumstantijs, statum rei mutantibus abstractæ decisio, ut variarum tamen limitationum adhibeant cautelas necessariò observandas pro diversitate circumstantiarum, ipsam Iudicij substantiam transmutantium. Neque verò ista variatio afficit forum duntaxat externum, sed plerumque etiam internum. Etsi proinde de his posterioribus Doctoribus dicere liceat, Casus *Hypotheticè & in actu signato* positos decidi cum probabilitate: attamen de prioribus Authoribus videtur taliter sentiendum, quòd, licet casus secundùm Metaphysicam à circumstantijs moralem rei statum pro foro etiam Conscientiæ transmutantibus abstractionem, sub physicâ alicujus moralitatis quidditate bene deciderint, ejusmodi tamen decisio non quadret pro quolibet morali talis speciei casu, utpote diversis judicium morale mutantibus circumstantijs obnoxio.

Unde meritò redarguendus esset, qui istud
morale à Vasquezio *1. 2. disp. 115 n. 9.* & Filliucio *to. 2. tract. 3. n. 151.* positum principium, *quòd scilicet, si una causa duplicem habet effectum, eaque assumatur ex intentione unius consequendi, alio non intento, is, qui non fuit intentus, licèt prævisus, non imputetur ad culpam*; omnino illimitatè vellet transferre ad quamlibet materiam moralem. Etenim contingere posset, quòd effectus prævisus, licet non intentus, altioris esset ordinis, cui ex regulâ superioris virtutis v. g. Religionis, vel Iustitiæ legalis cederet deberet commodum ex altero intento effectu consequendum. Neque enim excusari posset, quod nollet quis abstinere ab actione sibi proficuâ, vel utili, sed Republicæ damnum minitante. Quam ob rationem nonnemo Catholici Regis cum hæreticis fædera & bella, cum fidei ac Religionis orthodoxæ detrimento suscepta, ex illo principio excusans, videtur refutandus, eò vel maximè, quòd Principes & Reges Christiani ex vi Characteris in Baptismate suscepti, ita subjecti sint Ecclesiæ, ut hujus proinde Bonum statûs sui rationi præferre debeant. 19.

Secundò. Nonnulli ita coacervant Authoritates Doctorum, ut istorum argumenta, & rationum momenta non ponderent, imò ne quidem ex contextûs integritate legitimum eorum sensum eruere studeant. Unde si illorum libri consulantur, aliter quàm allegentur, censuisse, non difficulter deprehenduntur. In quo non modicum subest debitæ pro casibus Conscientiæ *signatè* formandis ac decidendis circumspectionis ac solertiæ periculum, tantò etiam gravius, quòd illationes quædam ad laxitatem magis declinantes, vel cum sanâ fidei doctrinâ parum cohærentes quandoque inde inferantur, sub quo procedendi modo facilè irrepunt deceptiones, 20.
imò in argumentando etiam fallaciæ. Cujusmodi argutiæ non immeritò redargueretur ille, qui talem v.g. formaret discursum: *Secundùm aliquos authores* probabile est, non dari verum balsamum strictè sumptum: *at secundum plures Doctores* probabilius est, non dari Sacramentum Confirmationis per Unctionem puri olei, *sed balsamo mixti*. In hâc enim argumentatione notandum venit, quòd præmissæ non singulæ divisim, sed collectim habeant vim conclusionis illativam, neque verò in illis præmissis collectim spectatis subesse possit probabilitas; sed hanc oporteat, eo ipso evanescere, quòd in obsequium fidei nos de Confirmationis Sacramento omnimodò certificantis illarum præmissarum ratio captivari debeat. Quare licèt Do- 21.
ctores, dum præmissas illas divisim, quamlibet ad rationem aliquam particularem conferendo, considerant, eas ut sic probabiles dicant, nullus tamen Catholicorum Authorum præmissas ejusmodi *collectim* spectatas dicere auderet probabiles, ut adeò in aperto sit fallacia consequentiæ ex talibus præmissis *divisim* extra syllogismum assertis verosimilibus, sed quà *collectim* vim conclusionis illativam habentibus omninò falsis inferendæ. 22.

Tertiò. In sententiarum probabilitate ad materiam aliquam individuam *in actu exercito practicè* applicanda videtur periculosa quorundam licentia, qui vix ponderatis circumstantijs morali 23.

rali

rali conſideratione dignis, quamlibet obviam Doctoris alicujus ſententiam probabilem arripiunt, non conſiderando: *An rationum momenta, quibus nititur talis opinio, caſui præſenti quoad omnes morales circumſtantias debitâ cum ſolertiâ conſultato congruant.* Unde accidere poteſt, quòd ſpecies facti malè conformet cum Iure taliter applicato.

24. *Quartò.* Circa facti ſpeciem apprimè etiam ponderanda eſt rei gravitas, circa quam præcipuè attendi debet, an non ſpeciale ſubſit Ius exigens non tantùm exactiorem cauſæ ponderationem, veluti in Iudice, & Advocato, ſicut & in Rege indicente Bellum, vel tributum, ſed tutiorem ac certiorem viam, ne vel actus fiat invalidè, veluti in Sacramentis cum gravi læſione Iuris ac Reverentiæ Deo debitæ, nec non fructûs Sacramenti jacturâ, vel damnũ potiùs, quam commodum, velut in applicatione Medicinæ tantùm probabilis, procuretur. *veluti de his infra in fine hujus articuli coroll. 2. ſpeciatim differemus.*

25. *Quinto.* Quòd ſi ſolum agatur de actûs honeſtè ac validè faciendi ratione, tunc quantâ pro cujuſque captu opus ſit circumſpectione & ſolertiâ, quantove vel rationis, vel authoritatis momento; facilè licet videre ex dictis *ſupra controv. 4. & 5.* nec non ex Caſtropalao & Ioanne à Sancto Thomâ *in hujus controverſiæ initio* allegatis. Unicum tamen præ oculis habendum, ut ſanctâ & probâ intentione procedamus, non eas ſententias ſectari cupientes, quæ affectui noſtro, vel ambitioni arrident, ſed iſtas noſtras affectiones, & paſſiones ſub jugum rectæ Rationis mittendo, quæramus ea, quæ Dei ſunt, non quæ Carnis, ſeu propriæ commoditatis.

26. Et, ſi *Sextò* quæſtio ſit de probabilitate per authoritatem alicujus Doctoris firmatâ, in memoriam reduci debet articulus ab Alexandro VII. *in Decreto ſanctæ Inquiſitionis Anno 1666. 18. Martij ſub Excommunicationis cenſurâ* prohibitus, *quòd ſcilicet ſi ſit alicujus Iunioris & moderni liber, debeat opinio cenſeri probabilis, dum non conſtet, rejectam eſſe à Sede Apoſtolicâ, tanquam improbabilem.*

27. *Septimò* denique ſpeciatim in modo inquirendi practicam probabilitatem, & formandi rectum conſcientiæ Dictamen, eſſe Principi habendam diligentiam peculiarem, monet Ioannes à Sancto Thomâ *cit. diſp. 12. ar. 6. à n. 66.* aſſerens, oportere, ipſum petere conſilium non à quibuſcunque Theologorum, ac Juriſprudentum nomine gaudentibus, ſed ab his, qui ſunt ſufficientis peritiæ ac Timoris Dei, nec magis intenti ad quærendum excuſationes, & laxiora dictamina formanda, quàm ad veritatem proponendam, quique non quærunt placere, aut æſtimari ab hominibus, ſed Charitatem Dei & ſalutem animæ.

Ratio eſt. Quia multi aucupantur favores Principũ, qui tantò ſunt infæliciores, quantò veritas ex reſpectibus humanis ipſos plerumque celatur, ut adeò facile ſit, offendere ipſos Magiſtros prurientes auribus. Unde pro aſſecurandâ Principis conſcientiâ, in conſultationibus faciendis duo obſervanda eſſe, tum ne Princeps viris prudentiâ licèt ac Timore Dei præpollentibus ad conſilium adhibitis, faciat inſinuationem ſuæ voluntatis, ſed rem cum indifferentiâ proponat, declarando, cupere ſibi cum omni libertate dici veritatem; tum ut exiſtente diverſitate opinionum, inquirat motiva & rationes, ex quibus momenta opinionum diſcutere liceat.



CONTROVERSIA VII.

Quomodo contrariæ opiniones poſſint eſſe probabiles?

Videtur hæc controverſia non tam materiam de Conſcientiâ ſpectare, quàm fori philoſophici, quam nihilominùs 1. huc reduximus, cùm, ſi duæ probabiles opiniones non poſſent ſimul terminare aſſenſum Intellectûs, ſequeretur, nec poſſe probabiliori relictâ, quempiam ſequi minùs probabilem ſententiam, neque poſſe Confeſſarium ſuæ probabili ſententiæ Intellectûs ſui aſſenſu definitæ præferre alienam pœnitentis v. g. ſententiam. Quæ tamen difficultates ad præſens forum pertinent.

Referuntur Sententiæ.

MErcorus *cit. praxi opinionum par. 2. â. 1. 2. 3. & 4.* tradit ſequentia. *Primò* repugnare rationi, eundem Intellectum ſimul poſſe aſ- 2. ſentiri aſſenſu opinativo utrique parti contradictionis. Fundamentum eſt. Quilibet enim ſcit principium per ſe notum, quòd, ſi, una pars contradictionis eſt vera, altera ſit falſa. At, qui opinatur de aliquâ propoſitione, credit, eam eſſe veram, licèt cum formidine. ex Ariſtotele *2. de animâ. tex. 57.* Ergo non poteſt Iudicare, alteram oppoſitam eſſe veram, ſed falſam, nec adeò de ipsâ opinari.

Secundò. Si tamen una pars contradictionis ſit probabilis ab intrinſeco, altera ab extrinſeco, poſſe eundem Intelle- 3. ctum aliquo modo opinari de utrâque, ſcilicet *ſpeculativè* de unâ, & *practicè* de aliâ. v. g. ſi Clericus putans, eſſe de præcepto, recitare matutinum ante celebrationem Miſſæ, eò quòd hujuſmodi preces ſe habeant, ſicuti diſpoſitio inſtituta ab Eccleſiâ pro peragendo hujuſmodi ſacrificio, tunc poſſe talem Clericum eatenus *Practicè* opinari de negativâ ſententiâ, ut tamen propter Authoritatem virorum piorum & Doctorum poſſit *ſpeculativè* opinari etiam de oppoſitâ affirmativâ.

Fundamentum eſt. Quia Intellectus, quando opinatur *ſpeculativè* de affirmativâ, format Judicium aliquo modo præciſivum, ſcilicet attentis his ſolis rationibus, directè ſecundùm propriam objecti naturam relucentibus. At verò quando *practicè* procedendo, conſiderat omnia motiva, tam intrinſeca, quam extrinſeca in negotio occurrente utrinque ſe repræſentantia, tunc, licèt medium Extrinſecum, Authoritas ſcilicet virorum proborum, pro unâ parte poſſit eſſe validum, Intellectus tamen ſe reflectens ſupra rationem, propter quam adhæreret parti affirmativæ, *Arguitivè* & *Indirectè* eam ſolvit, *Implicitè* arbitrando, ſtante illâ authoritate, poſſe ſe in ſuo diſcurſu errare. Hoc autem modo Intellectus liberatus à pondere dictæ rationis, *abſolutè*, & omnibus penſatis, adhæret parti negativæ,

gativæ. Eo ipso tamen, quòd ratio ejusmodi non sit *directè* soluta, ostendendo scilicet falsitatem ipsius per aliam rationem intrinsecam, consequenter Intellectus secundùm dispositionem speculativam dicitur adhuc aliquo modo de parte affirmativâ opinari.

4. *Tertiò.* Intellectum actu considerantem, utramque partem contradictionis esse æqualis probabilitatis, non posse se determinare ad unam, nec de alterutrâ ad libitum opinari.

Fundamentum est. Judicare, utramque contradictionis partem esse æqualis probabilitatis, est judicare, utramque non minùs apparere veram, quàm falsam. At nullus potest opinari de propositione, quæ sibi æqualiter apparet vera, & æqualiter falsa, cùm opinari sit judicare propositionem veram cum solâ formidine, quòd sit falsa. Ergo in casu, quo intellectus judicat, utramque partem contradictionis æquè probabilem esse, de neutrâ potest opinari. Imò sicuti Judex, quando partes habent Jura æqualia præcipuè circa *Factum*, non potest judicare rectè in favorem alicujus, sed debet partes componere: sic quando Jura utriusque partis contradictionis sunt æqualia in hoc, quòd ambæ apparent veræ, Intellectus, qui est Judex, malè judicaret, hanc partem esse veram potiùs, quàm oppositam.

5. *Quartò.* Intellectum non posse judicare de parte minùs probabili, relictâ probabiliori.

Fundamentum est. Quælibet enim potentia naturaliter tendit in suum objectum, quantum potest, cùm sit ejus perfectio & terminus. Ergo quantum potest, abhorret à suo opposito. At intellectus pro objecto habet verum. Ergo in judicando, quantum potest, naturaliter quærit semper dicere veritatem. At sententia magis probabilis apparet magis vera, quàm ejus opposita. Ergò si pro suo debet innato appetitu debet dicere verum, non potest parti minùs probabili adhærere, relictâ probabiliore, adeò ut ne quidem per Imperium voluntatis, utpote cui non *Despoticè*, sed *Politicè* sit subjectus, flecti possit ad opinandum de minùs probabili. Joannes à Sancto Thomâ *cit. disp. 12. art. 3. n. 24.* affirmat. Non repugnare, circa idem formari diversas & oppositas Sententias probabiles etiam *Practicè*.

6. Fundamentum est. Quia neutra affirmat, aut negat absolutè veritatem, sed solùm probabiliter non contradicit, nec repugnat Judicio neganti illud etiam probabiliter; sicut in modalibus dici solet, non esse contradictorias propositiones, quæ fiunt cum modo *contingenter*. Sic ergo, qui habet Judicium probabile circa aliquam veritatem, vel fert absolutum Judicium, licèt ex motivis probabilibus deductum, vel non absolutum, sed cum quâdam restrictione, quam ipsa probabilitas postulat, dicendo scilicet *hoc videtur verum*; non absolutè affirmando, *hoc est verum.* At verò si *absolutè* pronunciat, non potest oppositum Judicium formare, judicando alteram Contradictionis partem esse veram, cùm repugnet, idem esse, & non esse. Secus autem est, si cum prætactâ restrictione fiat Judicium, seu assensus, nam videri, seu apparere verum, & videri, sive apparere non verum, non sunt Contradictoria, cùm neuter istorum terminorum importet negationem *Formaliter*, sed ex parte actuum importetur utrinque aliquid positivum, & *Objectivè* duntaxat involvatur negatio veritatis. Consequens proinde est, probabiles de duplici contradictionis parte assensus non esse oppositos *Formaliter* & *Absolutè*, sed *Objectivè*; posseque adeò simul componi in uno Intellectu.

Conclusio I.

De duplici Contradictionis parte, etiamsi altera videatur probabilior, simul haberi potest assensus tum practicus, tum speculativus.

Probatur. Nam Intellectus in materijs præsertim moralibus diversimodè potest se habere ad opiniones. *Primò* potest utraque contradictionis pars *Signatè* judicari probabilis. In quo casu propositiones quà contradictoriæ se habent, ut objectum purè materiale, probabilitas autem *Signate* ac *Reflexe* cognita, secundum veritatem verbo mentis inexistentem, est objectum formale. At non repugnat, duo contradictoria per modum objecti pure materialis simul stare sub uno Intellectûs assensu, cùm alioquin primum principium, quo impossibile dicitur, idem esse, & non esse, non posset cadere sub assensum Intellectûs. Imo Angeli etiam, ipse quoque Deus *definite* judicant nostrarum sententiarum probabilitates in eo se *Formaliter* tenentes, quòd aliqua propositio sub aliquâ ratione non convincente Intellectui humano applicatâ sit nata excitare assensum opinativum. 7.

Secundò potest duplex Contradictionis pars sub aliquâ utrinque militante probabilitate non quidem sub *Signatâ probabilitatis formalitate*, sed *in actu exercito* applicari ad nostrum Intellectum. Hoc autem fit, quatenus argumenta aliquam hinc inde veritatis speciem à nostro Intellectu non plenè superabilem præseferentia utrinque solicitant Intellectum ad objecti sub tali verisimili argumento repræsentati assensum. At tunc Intellectus ad ejusmodi verosimilia utrinque militantia argumenta potest se habere vel *definite* ad unam partem accedendo, quod fieri nequit nisi aut ex imperio voluntatis, aut ex novo Intellectûs determinativo motivo. Neque verò ubi Intellectus ad unam contradictionis partem *se absolutè* determinavit, potest alteram etiam actualiter judicare veram, cùm alioquin idem judicaret, esse, & non esse, duoque contradictoria assereret simul vera. Vel igitur sub prætacto motivorum utrinque probabilium ponderatione Intellectus neutram Contradictionis partem *absolutè* veram judicat, sed cum restrictione *in actu saltem exercito* importatâ, quòd scilicet respectu unius Motivi appareat una vera, respectu verò alterius motivi ad intellectum applicati, altera contradictoriarum habeat veritatis apparentiam. In hoc autem casu objectum talis assensûs non est ipsarum contradictoriarum veritas in se spectata, sed objecti unius sub contradictorijs propositionibus contenti ad diversas Causas sive intrinsecas, sive extrinsecas connexio, vi cujus adeò connexionis in ordine ad unam causam seu motivum appareat affirmativæ enunciationis veritas, cùm tamen oppositæ negativæ veritas respectu alterius Causæ, seu rationis Motivæ appareat. At certum est, has ipsas respectu diversarum Causarum ut sic verita- 8.

veritatis apparentiam in Intellectu generantium connexiones eſſe objecta *Intentionaliter* ſaltem ac *præciſivè* diverſa, ſuper quibus adeò eatenus formari poſſint diverſæ, altera ſcilicet negativa, altera affirmativa enuntiationes, quin in iſtis aliqua ſit contradictio. Unde cùm una eademque res diverſimodas ejuſmodi reſpectu variarum Cauſarum connexiones habens, in caſu expoſito non in ſe ipsâ niſi *Remotè*, & *Materialiter* ſubſtet Judicio Intellectûs, conſequenter poterit de utrâque non niſi *Materialiter* contradictoriâ parte haberi aſſenſus.

9. *Tertiò.* Stantibus utrinque æqualibus probabilitatis motivis, vel quoad alterutram etiam partem relucente majoris probabilitatis momento, poteſt poſt diligentis Circumſpectionis ac ſolertiæ congruæ ponderationem, ex ſublimiore quodam morali ſuper poſſeſſionis. v. g. libertatem, vel tutioris partis eligendæ conſilium fundato principio ſupervenire novum quoddam prudentialis aſſenſûs (quoad objectivâ voluntati *practice* applicatam Honeſtatem,) practicè omnino certi determinativum Motivum. At nullatenus implicat, quòd unus ac idem Intellectus, habens in re morali ſibi repræſentatam duplicem contradictionis partem, circumſtantijs debitâ Circumſpectione penſatis utrinque probabilem, ſuper hâc non tanquàm Motivo prudentialis Dictaminis, ſed hujus quaſi materiâ ſtruat duplicem formalitatem moralis Certitudinis, ſub quarum alterâ ex Conſilio tutioris partis ſequendæ v. g. in caſu Matutinarum precum Sacrificio Miſſæ præmittendarum judicet *affirmativè.* Sub alterâ verò formalitate, ſtante dubio præcepti, ex libertatis poſſeſſione judicet *negativè.* Conſtat proinde, quomodo & qualiter tum *ſpeculativè*, tum *practicè* poſſit de duplici Contradictionis parte circa materiam præſertim moralem haberi duplex aſſenſus, non tantum opinativus, ſed *practicè* ac *Moraliter* certus, & hinc facilè cuique patere poteſt Reſponſio ad Mercori oppoſita fundamenta.

COROLLARIUM I.

Qualiter relictâ propriâ Sententiâ, liceat ſe accommodare alienæ, minùs etiam probabili opinioni.

10. INfertur *primò.* Qualiter Confeſſarius poſſit contra propriam opinionem abſolvere pœnitentem, qui ſequitur ſententiam probabilem? Nam de confeſſario negant, de Parocho autem affirmant Sanctus Antoninus *3. p. tit. 17. cap. 20. §. 2.* Sylveſter *verb. Confeſſor. 3. q. 7.* Ratio per Caſtropalaum *cit. diſp. 2. punc. 4.* deducta eſt. Quia De-
11. legatus, cùm non teneatur miniſtrare Sacramentum petenti, ſolùm videtur poſſe illud miniſtrare ſecundùm propriam opinionem, non verò ſecundum aliorum. Secùs in Parocho, cui cùm incumbat obligatio miniſtrandi Sacramenta, grave eſſet onus, ſi aliorum opinioni ſe non poſſe accommodare. Verùm iſtâ ratione minimè obſtante, cum communi ſpeciatim Suarezij *to. 4. in 3. par. diſp. 32. ſect. 5.* Vaſquezij *1. 2. cap. 7.* Caſtropalai *citat.* & aliorum *ibi* relatorum ſententiâ videtur, Confeſſarium etiam delegatum poſſe ſe alterius, ſcilicet pœnitentis opinioni *practicè* tamen probabili, & Conſcientiam pœnitentis à peccato verè excuſanti ſe accommodare.

Ratio eſt. Quia in tali caſu pœnitens eſt verè diſpoſitus ad abſolutionem Sacramentalem, & aliunde prudentiale Judicium ſuper quâlibet, etiam minùs probabili opinione fundari poteſt ſub aliquo altiori principio, cujuſmodi ſpeciatim intervenire poteſt, ne pœnitentis Conſcientiam bonæ fidei turbando, confeſſarius conjiciat illum in grave periculum ſalutis, vel peccati alicujus.

Infertur *Secundò.* Tametſi Confeſſarius Delegatus nullam habens de audiendis confeſſionibus obligationem, poſſit pœnitentes, quos novit, nolle ſuis ſententijs ſe accommodare, licèt opinionibus probabilibus inſiſtendo, credi poſſint eſſe in Conſcientiâ *practicè* tuti, ſecluſo ſcandalo, aliovè infamiæ. v. g. damno, à confeſſionali arcere, dum adhuc res integra eſt; nihilominùs auditâ ipſorum confeſſione ſaltem ex parte, atque adeò incepto hujus tribunalis Judicio, habere obligationem, ſi pœnitens à ſententiâ reſpectu Conſcientiæ ipſius *practicè* probabili recedere nolit, ipſum ex integro audiendi, & ritè contritum abſolvendi. ex Suarezio, Vaſquezio, & Caſtropalao *ſupra* citatis. 12.

Ratio eſt. Quia ex Judicio Confeſſionis inchoatæ Jus habet pœnitens ad abſolutionem, ſi ritè diſpoſitus ſit: ui cujus adeò Juris utpote in mate…ꝯ gravi, Sacramenti ſcilicet collatione, ſe tenentis, ſub peccato mortali eſt abſolutionis conferendæ obligatio, uti rectè ſentit Caſtropalaus *cit. 2. punc. n. 5.* contra Vaſquem & alios Doctores *ibi* relatos, exiſtimantes: ſubeſſe culpam duntaxat venialem, imò nullam, ſi Confeſſarius ducatur bonâ Fide, & Zelo ſuæ opinionis ſanctioris ac tutioris. Quod cum ſale acceptum nobis etiam probatur, dum ſubeſſe poſſunt circumſtantiæ per Confeſſarij prudentiam maturè conſiderandæ, ob quas non benè à pœnitente ponderatas *practicè* ruinoſum eſſet fundamentum ſententiæ *ſpeculativè*, ac *præciſivè*, alioquin probabilis.

COROLLARIUM II.

An & qualiter poſſit Doctor conſulere, vel docere opinionem probabilē relictâ probabiliore propriâ?

INfertur *primò.* Qualiter Doctor privatus de aliquâ re conſultus, reſpondere poſſit ſecundùm quamlibet etiam minùs probabilem ſententiam. Etenim Caſtropalaus *cit. diſp. 2. punc. 3. n. 1.* exiſtimat, hoc licere in quâlibet materiâ etiam Juſtitiæ: ſi enim ex ſententiâ minùs probabili etiam alienâ quis poſſit ſuam propriam regulare Conſcientiam, cur id non liceat circa alienam? Nobis tamen videtur cautela in hoc adhibenda, ut non procedat, ſi ex alterâ parte præter proprietatis Jus magis probabile, militet Jus liquidæ poſſeſſionis. Limitat etiam Filiucius *to. 2. tract. 21. cap. 4. q. 7.* exiſtimans, conſultum in aliquâ re non poſſe reſpondere, niſi juxta propriam ſuam, non verò alienam ſententiam. Verùm Vaſquez *diſp. 62. cap. 9. n. 47.* & *diſp. 63. n. 42.* Item *diſp. 44. n. 50.* & alij diſtinguunt, aſſerendo, poſſe Doctorem juxta aliorum ſententiam reſpondere, ſi hæc faveat interrogan- 12.

 ti, eum

ti, cum ab obligatione Reſtitutionis. v. g. liberum pronunciando. Secus verò eſſe, ſi non faveat, imponendo ſcilicet obligationem. Imò etiamſi ſentiat aliquis, ex ſuâ propriâ ſententiâ ſubeſſe obligationem, à quâ aliorum opinio probabilis excuſat, Caſtropalaus *cit. punc. 3. n. 4.* arbitratur, non licere rudibus & indoctis ſententiam propriam præcisè, alteram ab obligatione excuſantem opinionem non manifeſtando, patefacere: ſiquidem omnis petens conſilium, licèt expreſsè non roget, an aliquâ ratione excuſari poſſit v. g. à reſtitutione, tacitè tamen illud roget, dum quærit, an obligatus ſit reſtituere? ſi ergò dum expreſse rogatur, an aliquâ ratione poſſit excuſari reſtitutio? reſpondens tenetur manifeſtare ſententiam excuſantem, conſequenter debet opinio excuſans tunc manifeſtari, dum abſolutè rogatur, an ſubſit reſtitutionis obligatio.

13. Verùm in hoc videtur nobis circumſpectè agendum, ne ex quâvis obviâ ſententiâ, neque *Facti* circumſtantijs, neque *Iuris* practicâ probabilitate ponderatis, temerariè reſpondeamus, excuſando excuſationes in peccatis, quærentes hominibus magis, quam Deo placere: ut adeò illa in præcedentibus ſæpè inculcata regula de Sententijs probabilibus *provide* ac *circumſpecte* per maturam cauſæ diſcuſſionem ſeligendis, ſemper habenda ſit præ oculis.

14. Infertur *ſecundò.* Quamvis fortè probari poſſit, quod Doctores, vel Rectores, alicujus Cathedræ ſatisfaciant ſuo officio, ſi ea, quæ ſibi videntur probabilia, doceant. ex Caſtropalao *cit. punc 3. n. 7.* contra Thomam Sanchem *lib. 1. in Decalogum. cap. 9. n. 26.* exiſtimantem, venialiter peccare talem Doctorem, ſi nullâ ratione excuſante doceat, quæ probabilia ſibi videntur, relictis probabilioribus. Nihilominùs ex illâ Caſtropalai favorabili ſententiâ, non nimia licentia & facilitas Profeſſoribus publicis capeſſenda eſt, ut abſque induſtriâ & diligentiâ congiuâ quaſvis obvias arripiant ſententias, cum & hâc ratione fundamenta rationum non penetrando, non niſi in ſuperficie attingant ſcientias. Unde diſcipuli minùs proficere poſſunt, & punctum difficultatis non perpendendo, plurium errorum periculo ſe committunt, Doctorum mentes nō aſſequendo & conſequentias ineptiores ſuo, judicio probabiliter, re ipsâ tamen

15. improbabiliter ſubinferendo. Unde ob talem negligentiam ſuam graviter incuſandi ſunt, maximè cum teſte Caſtropalao *cit. n. 8.* lethale ſit, in rebus etiam parvi momenti communiter docere ſententias improbabiles: partim quòd officio Magiſtri, cui ſe ingerunt, in veritate formandâ, & erroribus depellendis, non ſatisficiant; partim quòd gravem injuriam auditoribus inferant, in eorum Intellectibus ſeminando errores.

COROLLARIUM III.

An & qualiter in Sacramentorum Adminiſtratione procedere liceat ex opinione probabili?

16. INfertur *primò.* Graviter peccari, quoties, relictâ tutiori quoad Sacramenti valorem ſententiâ quis contra uſum & approbationem Eccleſiæ utitur materiâ ſeu formâ Sacramenti tantùm probabili. ex communi omnium Doctorum ſententiâ. Ratio eſt. Quia tunc talis committit ſe periculo reddendi invalidum Sacramentum. Unde fit adverſus Jus Chriſti exigentis Sacramenta, Sanguinis ſui pretium continentia non profundi inutiliter, necnon contra Jus ſuſcipientis ad Sacramenti fructum certis, quantum fieri poteſt, medijs ſibi procurandum. Tum quia in Sacramentorum Adminiſtratione quiſquis ſe non conformat Eccleſiæ Sacræ Ritibus, etiamſi certam baptizando (v. g. in Nomine Genitoris, Geniti, & Spirati) formam aſſumat, reus eſt in materia gravi mortiferæ erga Sacram Eccleſiam inobedientiæ. Quare ille caſus, in quo certus Ritus eſt ab Eccleſia præſcriptus, excipi debet à Doctrinâ Caſtropalai *cit. diſp. 2. punc. 5. n. 1.* docentis, ſi de Sacramento ex utràque parte eſſet opinio probabilis, *an licitè hoc modo fiat*, ſit tamen Certitudo de ejus valore, poſſe quam libuerit, eligi ſententiam. Et hinc ob paritatem Rationis, ſi de aliquo moribundo nullum doloris ſignum edere valente præſumi poſſit, eſſe forte interius contritum; cum aliqua ſaltem ſecundum quoſdam Doctores poſſit eſſe ſpes de valore Sacramenti, & aliunde Chriſtus in tali neceſſitatis caſu magis velit conſuli ſaluti moribundi, quàm valori Sacramenti, conſequens eſt; licere tali abſolutionem ſub conditione impendere. 17.

18. Infertur *ſecundò.* An abſolutè, vel ſub aliquâ duntaxat reſtrictione verum ſit, quod in nullo caſu circa Sacramenti Adminiſtrationem liceat opinione probabili uti, relictâ certâ & ſecurâ?

Nam iſtam negativam ſententiam *abſolutè* tradunt Scotus *in 4. diſt. 11. q. 6.* Medina *præs. q. 19. ar. 5. & 6.* Suarez *3. tom. in 3. par. diſp. 16. ſect. 2. & diſp. 21. ſect. 4. ad finem*, & alij plures. Ratio deſumitur ex diſparitate ſententiarum probabilium circa validitatem Sacramenti, & Honeſtatem alicujus actionis moralis verſantium; nam quatenus in hoc poſteriore caſu ſuper probabilitate fundari poteſt Dictamen prudentiæ, poteſt ut ſic malitia omnimodè abſtergi ab actu morali; ſecus eſt in Sacramenti valore, qui per probabilitatem opinionis nequit procurari, ut adeò ſemper ſubſit irritationis periculum, quantum fieri poteſt, neceſſariò evitandum.

19. Econtra Vaſquez. *cit. diſp. 63. cap. 2. & 3.* Joannes à Sancto Thomâ *cit. diſp. 12. ar. 6. n. 42.* Caſtropalaus *cit. punc. 5. n. 5.* & alij plures *ibi* relati exiſtimant, licere in adminiſtratione etiam Sacramentorum amplecti ſententiam probabilem, relictâ tutiore & ſecuriore: dum ejuſmodi probabilis ſententia non eſt rejecta per Conſuetudinem, vel decretum Eccleſiæ, ſed per hanc eſt tolerata. Ratio eſt, quia non eſt dubium, tutius & ſecurius eſſe in adminiſtratione Sacramentorum habere intentionem actualem, quàm virtualem duntaxat. At hoc non obſtante Miniſter in quocunque Sacramento licitè utitur intentione virtuali, quoniam hoc uſus Eccleſiæ approbat in ipſo etiam Romano per ſummum Pontificem approbato Rituali. Tum quia tutior materia Pœnitentiæ Sacramenti eſt contritio, quàm attritio cognita, & tamen ſciens ſe tantùm eſſe attritum, licitè accedit ad hoc Sacramentum, ipſique licitè impenditur abſolutio Sacramentalis.

Tum

20. Tum quia simplex Sacerdos in articulo mortis præsente proprio sacerdote licitè impendit absolutionem Sacramentalem; sicut etiam Parochus non sacerdos in alienâ Parochiâ licite assistit Matrimonio, cùm tamen in his casibus, relictâ omninò certâ & securâ, adhibeatur materia duntaxat probabilis. Nos sententiæ propriæ super hisce definitionem ad proprium de Sacramentis locum consultò differentes, unicum hic monendum duximus, exempla proximè adducta non videri saltem universaliter evincere; tum quòd intentio virtualis per universalem Ecclesiæ, ipsius etiam Capitis summi Pontificis approbationem, atque adeò fidelium consensum, videatur non tantùm probabiliter, sed certò sufficiens esse ad valorem Sacramenti: tum quòd Attritio etiam cognita ex definitione Concilij Tridentini *sess. 14. cap. 4.* videatur esse certa pœnitentiæ Sacramenti materia. Tum denique, quia probabilis opinio circa Jurisdictionem facit errorem publicum, atque adeò *ex lege Barbarius. ff. De officio Prætoris*, per sacros Canones receptâ, tribuit Jurisdictionem. Et ideo simplex sacerdos, & Parochus non Sacerdos in casibus prætactis videntur habere certam Jurisdictionem, pro tunc ex Ecclesiæ, ejusve Capitis summi scilicet Pontificis consensu sibi specialiter concessam.

COROLLARIUM IV.

An, & qualiter Princeps, aliusve superior ex sententiâ probabili procedere possit ad ferendas leges, imponenda tributa, immutandam monetam, & indicenda bella, & qualiter subditi teneantur tunc obedire?

21. INfertur *Primò*. Principem & superiorem eatenus posse legem ferre ex opinione probabili, ut consequenter subditi teneantur illi stare, nec ob sententiam contrariam etiam probabilem, vi cujus videri possit res præcepta esse illicita, excusari à legis observantiâ. Ex communi sententiâ Doctorum, quorum plures allegant Castropalaus *cit. disp. 2. punc. 6. n. 4.* & Ioannes à Sancto Thomâ *cit. disp. 12. a. 5. n. 4.* Ratio per Authorem hunc deducta est. Quando enim princeps, seu superior habet legitimam, & indubitatam Iurisdictionem, sive Authoritatem, tunc non est possessio ex parte subditorum, quæ lædatur, vel vulneretur à principe, sed dubietas & controversia insurgens Iudicio principis est determinanda, siquidem controversia ejusmodi debeat aliquo Iudicio finiri, non subditorû, utpote ad quos non spectet jurisdictio, neque declaratio Authoritativa in hâc lite & controversiâ. Ergo judicio principis. At hoc ipso, quod legem seu præceptum imponat princeps, definit & determinat dubium illud circa talem materiam. Ergo tale præceptum tenet.
22. Ex quo sane solido fundamento redarguenda est opinio Castropalai *præcitati n. 5.* asserentis, audere se affirmare, quòd valde probabile sit, te obligatum non esse superiori præcipienti obedire, quando opinionem habes probabilem, illicitam esse rem præceptam, vel excedentem ejus Iurisdictionem. Nam si opinio ista sustinenda sit, an non rumpetur totum obedientiæ ac subjectionis vinculum? In tantâ enim opinionum probabilium varietate, imò licentiâ vix unquam poterit quidquam præcipere superior, quin ex opposito stet sententia in controversiam trahens materiam præceptam.

Infertur *secundò*. In impositione Tributorum & novorum onerum, non sufficere causam & opinionem tantùm probabilem, sed opus esse certâ & evidente necessitate, ita ut propriæ principis facultates non suppetant ad talem. ex Ioanne a Sancto Thomâ *cit. a. 4. n. 23.* Ratio per eundem Authorem deducta est. Quia istis gravaminibus populus spoliatur re suâ, quam possidet, cogitur enim, quod suum est, exhibere principi, qui non est Dominus facultatum subditorum, ut pro libitu aut proquocunque motivo de illis disponat, sed solum in ordine ad Boni communis necessitates sublevandas. Unde in casu solius probabilitatis, atque adeò dubij melior est conditio populi possidentis, quam principis Tributum imponentis. 23.

Quòd si verò legitima & vera subsit Reipublicæ necessitas, facultatibus principis non sufficientibus, nullam esse limitationem in imponendis tributis, evincitur ex Divo Thomâ, qui *opusc. 21.* Ducissæ Brabantiæ hâc de re ipsum consulenti, respondit, quamdiu durat necessitas, & quantum postulat, tantum posse imponi. Verùm quia Sancto Doctore *ubi supra* insinuante, ordinarij redditus sunt principi dati ad sustentationem & Reipublicæ defensionem; idcirco populi in majoribus tributis gravatio non est facienda, nisi in defectum illorum redditum; ut adeò, quamdiu isti suppetere possunt, aut, dum ab alijs usurpantur, vindicari; non posset populus jure gravari, peccetque proinde Princeps Mortaliter, si in curandis suis redditibus, ob quorum insufficientiam labitur in necessitatem tributis gravandi populum, negligens fuerit. ex Ioanne à Sancto Thomâ *cit. a. 4. n. 18. ac sequ.* ubi rectè etiam advertit, necessitatem pro tributis imponendis requisitam, non debere esse extremam, sed sufficere gravem, siquidem Reipublicæ necessitas gravis secundùm Divum Thomam *2. 2. q. 525.* æquiparetur extremæ privatæ. 24. 25.

Infertur *Tertiò*. Non pro libitu, sed ex causâ gravi, eâque non probabili duntaxat, sed certâ, damna ob talem mutationem oriri solita compensante, licere principi mutare monetam, Divo Thomâ *lib. 2. de regimine principum. cap. 13.* asserente, *quòd moderatus debeat esse Princeps in mutando, sive diminuendo pondus, & metallum, quia hoc cedit in detrimentum populi, tum sit rerum mensura. Unde tantum est, mutare monetam, sive numisma quantum stateram, sive quodcumque pondus.* Ratio per Ioannem a Sancto Thomâ *cit. art. 5. n. 42.* deducta est. Nunquam enim licitum est, uti opinione probabili, relictâ probabiliori, ubi intervenit damnum Tertij, qui est in possessione, & spoliatur re suâ. At per mutationem monetæ periclitatur damnum multitudinis & reipublicæ in commercijs & commutationibus, omnibusque alijs pretio æstimabilibus. Nisi ergo subsit aliqua evidens & certa utilitas Reipublicæ, quæ damnum compenset, non potest monetæ mutationem facere. 26.

27. Infertur *Quartò*. Qualiter procedendum sit in Conscientiâ, dum inter duos principes ex argumentis utrinque probabilibus vertitur controversia de successione alicujus Regni, seu Principatûs? Nam hujus decisionem more suo prudenter tradit Ioannes à Sancto Thomâ *cit. a. 5. à n. 45.* asserendo *primò*, si tale Regnum sit Feudatarium, vel aliàs subjectum Regi Majori, aut Imperatori, tunc hujus Iudicio terminandum esse. Ratio est. Nam pro tali casu controversia est in tali statu, ut possit decidi per Iudicium legitimi superioris ac Iudicis. At quoties controversia est in statu, quo possit dirimi per Iudicium, & non per arma, debet sic fieri, cùm actûs Iustitiæ, qui fit Iure Armorum, propter damna innocentium inde emergentia vitari debeat, quantum potest fieri.

28. *Secundò*. Si Princeps nec ratione sui, nec ratione Regni, de quo est Controversia, non recognoscat superiorem, debere controversiam per se loquendo judicari per Iudices ab ipsis Regni statibus deputandos. ex Castropalao *cit. disp. 2. punc. 7. n. 7.* contra Bannem *2. 2. q. 4. art. 1. dub. 4. & dub. 5. concl. 3.* & alios existimantes, Regnum pro qualitate Dubij esse in illo casu dividendum. Ratio est. Quia naturalis Iuris est, ut quælibet Communitas humana non subjecta alteri superiori, possit sibi providere de Capite, a quo gubernetur. Ergo existente Dubio & controversiâ de successione Regni, cùm uterque non possit simul gubernare, & hoc Regnum non habeat superiorem, à quo gubernetur, devolvitur ad ipsum regnum, ut suo naturali Iure sibi provideat in hoc casu, & sic judicet controversiam illam.

29. Cæterum Author *citatus n. 65.* ait, tales ex Regni statibus deputatos judices, meminisse debere, se in tali casu non esse præcisè judices, sed etiam quasi Electores Regni. Unde attentâ Iustitiâ legali Bonum Commune respiciente, tenere ex duobus Jus probabile, vel ex unâ parte etiam probabilius habentibus eligere, qui Bono Communi hic & nunc videtur convenientior esse.

30. Nihilominùs *Tertiò* per accidens, dum vel status Regni, vel Iudices ex his deputandi sunt suspecti, posse ab alterutro prætendentium peti Iudices Arbitros, non suspectos. Et, si hoc etiam non concedatur, fieri ipsi injuriam, atque adeo sufficientem habere causam gerendi Bellum pro defensione sui Juris, & consequenter justè possessurum, quod jure talis belli aquisierit. ex Castropalao *citato*.

31. Infertur *Quartò*. Non licere ex opinione sive quoad Jus, sive quoad Factum tantum probabili indicere Bellum offensivum. ex Vasque *1. 2. disp. 64. n. 13.* Ioanne à Sancto Thomâ *cit. a. 5. à n. 10.* Castropalao *ubi supra n. 2.* & alijs ibi relatis contra Joannem Sanchen existimantem, si attento jure sit probabilis opinio, licere regi urbem ab alio possessam occupare, posse tunc intentare possessionem, & si ab alio possidente impediatur, bello vindicare. Ratio nostræ illationis est. Quia bellum est actus Justitiæ vindicativæ, quâ Rex, vel Respublica, aut princeps supremus vindicat Jus suum, aut satisfacit Iuri læso. Eo ipso autem, quod in hoc actu damnificentur quamplurimi etiam innocentes, specialem exigit Iustificationem, quam alij actus, in quibus quis utitur Jure suo etiam cum damno alterius impedientis. At verò nullus potest tueri jus proprium cum damno innocentis, dum tale Ius est Dubium, aut minus probabile, siquidem in tali casu innocens sit possidens, nec liceat quemquam in dubio spoliare suâ possessione. Ergo in tali dubio non licet cum tanto plurium etiam innocentium damno indicere bellum præsertim offensivum, maximè cùm per hoc alterius Regnum seu oppidum ab altero Principe possessum invadatur, neque verò liceat quemquam in dubio spoliare sua re possesso, quin potius in dubijs sit melior conditio possidentis.

Infertur *Quinto*. Ex causâ etiam probabili licitum esse, gerere Bellum Defensivum. ex Ioanne à Sancto Thomâ *ubi supra n. 29.* Ratio est. Quia in bello defensivo supponitur alterius aggressio, itaque vel possessio pro illo, qui non nisi defensionis causa init bellum, vel indebita possessionis spoliatio, vel si nullus fuit in possessione, sed pro Regno vacante geritur bellum, Aggressor incepit causare damna, & intendit repellere a Jure probabili cujus hoc non terræ possessio habetur. Quare defensor in tali casu non est causa damnorũ innocentibus infligendorum, siquidem supponatur alia causa in illorum illativâ, scilicet Aggressorum. At eo ipso, quod ista innocentium damnificatio tunc *per accidens* se habeat ad Bellum defensivum, nec adeò imputetur *Moraliter*, licet tuer Ius suum probabile. Ergo ad bellum defensivum sufficit probabilitas Juris. 32.

Infertur *Sexto*. Bello per Regem indicto, milites, vel ex origine, vel ex conducto (alienigenæ continuis scilicet stipendijs sub eodem Principe tam belli, quàm pacis tempore degentes) subditos posse obedire, quoties non constat de Injustitiâ belli. ex Sancto Augustino relato in *cap. Quid culpatur. 23. q. 1.* Suarezio *de Charit. disp. 13. de bello. sect. 6. n. 8.* Castropalao *præs punc. 8. n. 1.* & alijs ibi relatis. Ratio est. Quia præsumptio Iustitiæ stat pro Principe indicente bellum, vi cujus adeò præsumptionis, si præcepto cogantur militare, debent id facere, nullâ habitâ circa belli Iustitiam inquisitione. ex Mascardo & Menochio, quos refert ac sequitur Castropalaus *cit. punc. 8. n. 2.* Imò licèt de injustitiâ belli extet dubium, merè tamen negativum, ita ut nulla specialis ratio de hoc repræsentetur, posse authoritate Principis militare, censuit Suarez *citat. sect. 6. n. 9.* Quòd si verò dubiũ sit positivum, ita ut probabiles pro utrâque parte de Iustitiâ belli rationes repræsententur, dicendum est, potiorem esse rationem pro Principe, utpote possidente, quamvis ubi rationes de Injustitiâ belli adeò urgentes essent, ut subditus illas solvere nequiret, tunc aliquo modo teneretur veritatem inquirere, ne morali Injustitiæ periculo se exponeret, uti Suarez *citatus* censuit, addens tamen, istud onus non facilè subditis, utpote in quibus prævalere debet præsumptio pro superiore, esse imponendum. 33.

Infertur *Septimò*. Quamvis Castropalaus *supra n. 4.* cum Doctoribus à se allegatis existimet probabile, quòd milites etiam extranei militare possint, quoties militibus subditis hoc licet, eò quòd cuilibet liceat juvare alterum in re, quæ justa præsumitur. Hoc tamen non obstante, communi nominatim Caietani *ubi supra.* 34.

Sylve-

Sylvestri *verbo bellum. 1. q. 9.* Thomæ Sanchis *lib 6. in Decalogum cap. 3. n. 17.* Molinæ *disp. 114. in princ. sententi.* insistendum esse, quòd scilicet tales milites non possint militare, nisi certitudine morali illis constet, Bellum esse justum.

Ratio est. Cùm enim ex bello gravissima etiam innocentibus, quibus suffragatur Ius possessionis, oriantur damna, non licèt hæc inferre, nisi de Justitiâ habeatur certitudo moralis. At erga extraneos milites non suffragatur in Principe possessionis Ius, in quo fundari possit præsumptio, moralem de belli à principe indicti Iustitiâ certitudinem inducens.

COROLLARIUM V.

An, & Qualiter ex sententiâ probabili possit procedere Iudex & Advocatus?

35. INfertur *primò*. Si attentis instrumentis, alijsque probationibus Iuridicis, *quoad factum* sit ex unâ parte plenior & major probatio, teneri Iudicem pro hac parte judicare. ex Soto *lib. 3. de Iust. q. 6. a. 5. ad 4.* & Castropalao *punc. 10. n. 2.* contra nonnullos indefinitè existimantes, posse Iudice secluso scandalo, sequi opinionê minùs probabilem, relictâ probabiliore. Ratio per Ioannem a Sancto Thomâ *cit. disp. 12. a. 6. n. 16.* deducta est. Quia ubi plenior & major probatio est, etiam fundatur Titulus & Jus potius, utpote ex probationibus resultans & crescens. Ex vi autem hujus melioris Tituli est possessio, si non ipsius rei, saltem Iuris ad possidendum. At in dubijs melior est conditio possidentis.

36. Infertur *secundò*. Si probationes & Instrumenta circa *factum* pro utrâque parte sint æqualia, tunc rem dividendam esse, si divisibilis sit, vel si dividi nequeat, eatenùs uni adjudicandam, ut alteri fiat recompensatio. Ex communi nominatim Castropalao *supra*, & Ioannis à Sancto Thomâ *n. 17.* sententiâ, contra Ioannem Sanchez *disp. 44. n. 51.* existimantem, integrum esse Iudici rem applicare, cui maluerit.

Ratio nostræ illationis est. Cùm enim probationes ex unâ parte non fundent meliorem titulum, tunc ex utrâque parte stat possessio probabilis, si non rei, saltem Iuris. Et si proinde in tali dubio sit magis Reo favendum, ex hoc tamen non evincitur, quòd tota res illis adjudicanda sit, sed ut major pars ipsi attribuatur.

37. Infertur *tertiò*. Si diversitas probabilitatis & opinionum non sit ex parte *Facti*, sed *Iuris*, ita ut diversæ sint juris interpretationes probabiles, posse Iudicem non improbabiliter sequi partem etiam minùs probabilem, ita contra Doctores à se relatos sentiunt Castropalaus *supra n. 7.* cum pluribus ibi adductis. Ratio per Ioannem a Sancto Thomâ *n. 18.* deducta est. Quia

38. pars etiam minùs probabilis habet in se veram probabilitatem, & aliàs pars probabilior non fundat titulum, vel possessionem, aut quasi possessionem, ut reddat meliorem Conditionem illius. Verùm hæc, sicuti etiam illa quæ mox de Advocato dicteremus, ex instituto examinabimus in Materiâ de Iustitiâ.

Infertur *Quartò*. Posse Advocatum omnem illam causam, atque adeò in viâ Iuris minùs probabilem licitè patrocinari, pro quâ Iudex licitè ferre potest sententiam, dummodò admoneat partem litigantem de qualitate suæ Iustitiæ. ex Ioanne à Sancto Thomâ *cit. art. 6. n. 26.* Ratio prioris est. Quia pro illâ parte, pro quâ stare potest sententia Iustitiæ, utique licet etiam argumenta in Iure fundata proferre ac deducere. Ratio posterioris est. Pars consulens Advocatum de meritis Causæ, si non admoneatur de periculo, conjicitur in discrimen expensarum inutiliter contra suam voluntatem, utpote quæ veritatem edocta non litigaret, fortassis faciendarum. 39.

COROLLARIUM VI.

Qualiter Medicus in applicandis medicamentis procedere possit ex opinione probabili?

INfertur *primò*. Medicum eo debere ordine in medicamentis adhibendis procedere, ut *primò*, si habeat medicinam certam, relictâ probabili, applicet illam, hoc enim exigit ratio sui officij, & Charitatis erga ægrotantem, cujus salus non est discrimini objicienda. *Secundò*. Si nullum suppetat certum medicamentum, applicet probabile, & si nec illud præstò sit, dubium, dè quo tamen certus sit, minimè nociturum, adhibeat, hâc enim ratione opitulatur infirmo, quantum potest. Ex Valentiâ *2. 2. disp. 3. q. 10. punc. 2. vers. altero modo.* Thomâ Sanchez *lib. 1. in Decalogum cap. 9. n. 42.* Castropalao *punc. 9. n. 1. & 2.* qui tamen infra *n. 8.* cum Doctoribus à se relatis tradit, Medicum non teneri applicare infirmo medicamentum, quod sibi securius & probabilius profuturum videtur, sed posse applicare illud, quod existimat probabile, & in aliorum opinione probabilius ac securius. Contra quod tamen cum alijs sentit Vasquez *cit. disp. 64. cap. 4. in fine*, eò quòd charitas proximi obliget Medicum, ut certiori modo saluti ægrotantis consulat. 40.

Infertur *Secundò*. Etsi secundùm Thomam Sanchen *cit. cap. 9. n. 17. &* Valentiam *cit. punc. 2. vers. non improbo*, non improbabile sit, quòd ægroto, de cujus salute desperatur, applicari possit medicina, de quâ æquè dubitatur, profuturane sit vel nocitura? Nihilominus sententiam oppositam, teste Castropalao *n. 5.* quàm plures Doctores ibi referente, communissimam eatenùs amplectendam esse, ut dum nulla subest Medicinæ dubiæ probabilitas, non liceat quasi mortis periculum facere in ægroto. 41.



QUÆSTIO DECIMA
DE
NATURA PECCATI, EIUSQUE IN MORTALE AC VENIALE DIVISIONE.



ARTICULUS I.
DE
Naturâ Peccati, eiusque Proprietatibus.

QUinque hic veniunt decidendæ Controversiæ. 1. *In quo consistat Prima peccati Quidditas & Essentia?* 2. *An, & qualiter peccato conveniat, esse offensam & injuriam Dei?* 3. *Utrùm, & quomodo cuivis peccato tam Mortali, quàm Veniali conveniat, esse aversionem à Deo, & conversionem ad Bonum Creatum?* 4. *An, & qualiter peccati Mortalis Malitia sit infinita?* 5. denique. *Utrùm omne peccatum præcedat in intellectu aliquis Error, vel ignorantia, seu inconsideratio?*

CONTROVERSIA I.
In quo consistat Prima peccati Quidditas, & Essentia?

1. EX Sancto Augustino *lib.* 22. *contra Faustum cap.* 27. definiri solet Peccatum, quod sit Dictum, Factum, vel Concupitum contra legem æternam. Circa quam definitionem controverrunt Theologi; *An sit Essentialis, vel Descriptiva dumtaxat?*

Referuntur Sententiæ.

VAsquez 1. 2. *disp.* 97. *cap.* 3. cum Durando Richardo, Scoto (quem tamen alij ex parte oppositâ allegant) & alijs à se relatis docet: Non omne peccatum ideo esse peccatum, quia lege, aliave prohibitione vetante vetitum sit, sed quia suâpte naturâ sit malum homini. Consentit Lychetus Scotista *in* 3. *dist.* 37. *q. un. comment.* 43. Primam peccati rationem ponens in disconvenientia ad naturam rationalem, sive in talis disconvenientiæ principio, ut abstrahit à lege superioris.

Fundamentum à Vasquezio deductum est primò. Sicut enim ex se, non ex voluntate, aut intellectu Dei Essentiæ rerum non implicant contradictionem, & una alteri contraria, & disconveniens est, ita etiam Odium Dei, & Perjurium ex se, non ex intellectu, aut voluntate Dei disconvenientia sunt homini. Ergo non omnia ideo peccata sunt, quia prohibita, non enim Deus pro voluntatis arbitrio potest naturas rerum variare, nec adeo in ijs, quæ suapte naturâ sunt mala & contraria, ex Dei voluntate pendet, esse contraria, seu disconvenientia naturæ quà rationali, sed hoc ex se habent aut actu existentia, aut possibilia. 2.

Secundò. Licèt per impossibile nulla esset lex æterna, nec ullus Deus, adhuc mendacium esset malum morale, & consequenter peccatum, per hoc præcisè, quòd esset contrarium naturæ rationali. At licèt illa ad naturam rationalem disconvenientia, & contrarietas (prout apud Gonetium *to.* 1. *tract.* 4. *de peccatis. disp.* 1. *a.* 1. *circa finem.* videre est) diceretur esse Malum Morale non quidem *Formaliter* & *Completive*, sed *Fundamentaliter* & *Initiative*, vix posset adhuc intelligi, quomodo non esset Prima peccati Quidditas, & Essentia, siquidem ex se ipsâ haberet intrinsecam, ut à lege, si esset posita, prohiberetur, aptitudinem. Non igitur videtur peccato essentiale esse, quòd sit contra legem Dei æternam, sed contra naturam quà rationalem. 3.

Divus Thomas 1. 2. *q.* 71. *a.* 6. *in corp.* & *ad* 4. Albertus Magnus *in* 2. *dist.* 35. *a.* 3. *ad arg.* Sanctus Bonaventura *eâd. dist. in* 4. *dub. circa textum Magistri.* Scotus à Mastrio Scotistâ *in* 2. *disp.* 6. *q.* 3. *a.* 1. *allegatus*, docent, de ratione peccati & Mali Moralis quidditativâ & Essentiali esse, quòd sit contra legem æternam, ita ut omne peccatum, sive *Philosophicè* sive *Theologicè* consideratum tale sit *Formaliter*, quia prohibitum. Fundamentum ex Gonetio *cit. a.* 1. *concl. unicâ.* deductum est *Primò.* Quia omne Peccatum ex Essentiali suâ ratione est Prævaricatio; juxta illud *Psal.* 118. *Prævaricantes reputavi omnes peccatores terræ.* Atqui prævaricatio est contra legem, seu recessus à lege. ex Sancto Ambrosio *serm.* 16 in illum locum. Unde Apostolus *ad Rom.* 4. ait. *Ubi non est lex, nec prævaricatio.* Ergo essentiale est omni 4

omni peccato, eſſe contra aliquam legem, ſubindeque contra legem Dei æternam, à quâ omnes aliæ derivantur, & vim obligationis habent.

Secundò. De ratione omnis peccati eſt, ut ſit
5. contra dictamen rationis, ſiquidem ex ordine ad hanc, ceu proximam actuum Moralium regulam deſumatur omnis Moralitas. At dictamen rationis eſt ipſa lex Naturalis, quæ eſt participatio legis æternæ, eſtque ipſummet ſuper nos ſignatum lumen vultûs Domini, *Pſal.* 4. Ergo de ratione omnis peccati eſt, quòd Mediatè ſaltem ſit contrarium legi æternæ. Divo Thomâ *cit. a.* 6. ſic diſſerente: *Actus humanus habet, quòd ſit Moraliter malus ex eo, quod caret debitâ commenſuratione: Omnis autem commenſuratio cujuſcumque rei attenditur per comparationem ad aliquam regulam, à quâ ſi divertat, incommenſurata erit. Regula autem voluntatis eſt duplex: Una propinqua, & homogenea, ſcilicet humana ratio: alia verò eſt Prima regula, ſcilicet lex æterna, quæ eſt quaſi ratio Dei.*

Conclusio.

PRima ratio Peccati conſtitutiva non importat Formaliter diſconvenientiam cum naturâ rationali; ſed diſſonantiam cum lege æternâ; Unde, rectè definitur, eſſe Dictum, Factum, vel Concupitum contra legem æternam.

Explicatur & probatur. Nam diſconveni-
6. entia cum naturâ rationali ut ſic radicatur in Diſſonantiâ cum lege æternâ. Ergo hæc, non illa eſt Prima ratio peccati conſtitutiva. Antecedens probatur. Nomine enim legis æternæ in prætactâ definitione non intelligimus Divinam Viſionis ſcientiam omnis tam Poſitivæ, quàm Naturalis legis in mente creatâ expreſſæ Cauſatricem: de quâ ſicut etiam de Naturali lege accipi poteſt illud dictum commune: *Quòd aliqua nimirum intrinſecè mala non ideo ſint mala, quia prohibita; ſed ideo ſint prohibita, quia mala.* Quare ſub lege æternâ ad præſens inſtitutum intelligimus Divinam ſimplicis intelligentiæ ſcientiam, quâ Deus ſuæ Sanctitatis ac honeſtatis Increatæ Imitabilitatem activam intuendo, intelligibiliter exprimit quaslibet rectitudines Morales, eaſque creaturæ quà rationali in Deum ceu Ultimum Finem intentionaliter poſſidendum reducibili convenientes *ſignatè* affirmando, in certas diſtinguit virtutum ſpecies: cùm econtra circa alia objecta *Intelligibiliter* repræſentet negationem Moralis rectitudinis, *ſignatè* negando, actiones circa objecta ejuſmodi verſantes habere cum naturâ rationali in Deum quà Ultimum Finem *Intentionaliter* poſſidendum reducibili convenientiam. Hic proinde Divinitatis conſpectus, quatenus per Iudicium affirmativum eſt expreſſivus convenientiæ, habet rationem legis æternæ Præceptivæ, vel Conſultivæ, ex quâ ut ſic derivatur Moralis virtutum creatarum Bonitas. Sicuti contra eadem Divina Intellectio quatenus per judicium negationis eſt repræſentativa diſconvenientiæ, habet rationem legis æternæ Prohibitivæ, ex quâ derivatur actuum præſertim *intrinſecè* malorum Moralis Malitia. Conſtat proinde, rationem Diſconvenientiæ in peccatis etiam *intrinſecè* malis radicari in affirmativâ ſeu Præceptivâ lege æternâ, & in legem æternam Prohibitivam tanquàm Malitiæ Moralis rationem reduci.

Dices. Eſſentias ſpecierum quoque meta- 7.
phyſicarum ac phyſicarum primò derivari ex Ideâ Dei per Divinam ſimplicis Intelligentiæ ſcientiam expreſſâ, ut ſic Eſſentias ejuſmodi ideante, ſive quoad Eſſe Objectivum *Idealiter* ex ſe derivante. At hoc minimè obſtante, Eſſentias ejuſmodi non definiri ex ordine ad Ideam Divinam, ſed ex intrinſecis ſuis prædicatis. Quamvis ergo peccati quà naturæ rationali diſſentanei Malitia reducatur in legem æternam, omnis intra Genus Morale ſpeciei *Idealiter* formativam, & ut ſic malitiæ oppoſitæ expreſſivam; non ſequi, quòd iſte ad legem æternam reſpectus debeat eſſe Prima ratio peccati *Eſſentialiter* definitiva.

Contra. Nam inter ſpecies *Phyſicè*, ſeu *Meta-* 8.
phyſicè conſideratas ac *Morales* hoc diſcriminis eſt, quòd, licèt ambæ habeant *Eſſentialiter* in ſe imbibitum Tranſcendentalem participationis ex Divinâ tum Ideâ, tum lege æternâ Exemplatæ ordinem, hic tamen ordo Tranſcendentalis in ſpeciebus ſecundùm abſtractionem ſcientiarum Phyſicarum, aut Metaphyſicarum ſpecificativam ſpectatis ſe habeat tanquàm *Materiale*, non verò tanquàm *Formalis* partim phyſicæ, partim Metaphyſicæ conſiderationis objectiva ratio. Secus autem fit in Morali ſcientiâ, quæ ex parte ſui objecti Formalis *per ſe primò* ſpectat actuum Moralium in Numen mentis creatæ unicè ſatiativum ceu Ultimum Finem reducibilitatem quà *Idealiter* derivatam ex Divinæ per legem æternam expreſſæ ſanctitatis Imitabilitate.

Probatur iſtud aſſumptum. Nam Primum 9.
in omni actu quà Morali reſplendeſcens Principium eſt ordinabilitas in Ultimum Finem. Hæc ipſa verò in Ultimum Finem ordinabilitas hoc ipſo intelligitur per Ultimum Finem Finalizata & participata, quod non *intrinſecè* ac *in Primo, ſed in Quarto perſeitatis modo Formaliter* ſit ſpecificata per Ultimi Finis Bonitatem. At eo ipſo, quòd illa in Ultimum Finem ordinabilitas intelligatur participata, oportet, ipſam cognoſci ſaltem *Exercitè* quà Ideatam ex Ultimi Finis Bonitate & ſanctitate. Iſta verò ideatio *activè* eſt ipſa lex æterna *Formaliter* ſpectata, *Paſſivè* verò eſt lex æterna *Terminativè*, & *Objectivè* conſiderata. Hæc autem legis æternæ *Terminativè* ſpectatæ ratio objectiva ſunt ipſæmet Moralium virtutum ſpecies per legem æternam *Formaliter* & *activè* ſumptam eatenus definitæ, ut in ſuâ Eſſentiali adſcientiam quà Moralem *Formaliter* ſpectante ratione importent habitudinem participatæ ex Divinâ, ceu Ultimo naturæ rationalis Fine, Bonitate ac Sanctitate ideationis. Quare ſecundùm hanc omni actui quà Morali *Tranſcendentaliter* inexiſtentem ut ſic ſcientiæ Moralis *in quarto perſeitatis modo ſpecificativè* propriam ex lege æterna ideationem, ſeu intrinſecam cum lege æternâ commenſurationem rectè definitur actus Moralis, ita ut actus *Moraliter* bonus commenſurationem, actus verò *Moraliter* malus incommenſurationem (veluti Sanctus Thomas *ſupra citatus* loquitur) cum lege æterna *Eſſentialiter* importet.

Inſtabis. Pro illo priori, in quo Divinus
Intellectus per ſcientiam ſimplicis Intelligen- 10.
tiæ cog-

tiæ cognovit Odium Dei præcisè secundùm prædicata Essentialia, verè cognoscere illud ut oppositum suæ Bonitati, & ut avertens ab eâ creaturam rationalem, ipsique creaturæ rationali disconveniens & dissonum. Ergo Odium Dei est quid *intrinsecè* malum *antecedenter* ad legem Dei æternam. Neque cum Gonetio *citato*
11. dicere licet, quòd Odium Dei *antecedenter* ad legem æternam sit ex se malum non *Formaliter*, sed *Initiativè* & *Fundamentaliter*. Nam ista Initiativa & Fundamentalis malitia secundùm præallegatum Authorem consistit in eo, quòd actus ab intrinseco malus secundùm se repugnet alicui ex Divinis perfectionibus, Odium scilicet Dei summæ Bonitati, Mendacium Primæ Veritati, Furtum summæ Iustitiæ & æquitati: eo ipso enim, quòd Deus sit necessariò determinatus ad diligendum sua attributa, oportet, esse necessariò determinatum etiam ad odio habendum & prohibendum lege æternâ, quidquid prædictis Attributis contrariatur. At hæc ipsa contrarietas secundùm se præcisè spectata est ut sic objectum *in Quarto perseitatis modo* actûs Moralis eatenus specificativum, ut in hunc eo ipso transfundat Formalem malitiam. Ergo abstrahendo ab æternâ, secundùm signum rationis, consequente lege; jam est intelligibilis actûs moralis specificatio ex Formalis sui objecti ratione intrinsecam & Essentialem importans malitiam. Hæc ipsa verò esset Moralis, quatenus diceret liberam voluntatis in objectum taliter specificativum, tendentiam. Consequens igitur est, Moralem Malitiam *Formaliter* ac *Essentialiter* esse intelligibilem pro signo aliquo priori antecedente legem æternam.

12. Contra. Nam sicuti Divus Thomas *1. p. q. 15. a. 3.* in Ideâ mentis Divinæ distinguit duplicem Formalitatem; alteram scilicet Principij Factivi, seu Exemplaris; alteram Principij Cognoscitivi sive rationis Idealis: sic lex æterna est partim ratio omnimodæ Moralis Honestatis ad extra participabilis *Idealiter* per Iudicium affirmativum, & ex consequenti oppositæ malitiæ attributorum suorum participationi adversantis per Iudicium negativum repræsentativa; partim exemplar omnimodæ legis tum Bonitatem moralem præcipientis, atque consulentis, tum Malitiam oppositam prohibentis creaturis imprimendæ Factivum. At licèt verum sit, quòd pro aliquo priori legem æternam quà Principium obligationum Moralium Essentiæ & Quidditatis non *in Esse Objectivo* purè repræsentativum, sed Factivum, & ut sic Exemplativum antecedente, sit intelligibilis objectorum respectu voluntatis liberè operantis intrinsecè malorum cum Divinorum attributorum menti quà rationali convenientibus participationibus contrarietas, negandum tamen est, quòd pro aliquo priori legem æternam quà Principium actuum & objectorum Moralium sub extrinsecâ etiam Moralis debiti, vel ad naturam quà rationalem convenientiæ Formalitate obligatoriâ purè repræsentativum antecedente, Formalis aliqua sive Objectiva Malitia Moralis, quandâ cum Divinis Attributis, atque horû in mente rationali participatione contrarie-
13. tatem importans intelligi possit. Unde verum omninò est, quòd Prima Bonitatis Moralis ad extra participatæ ratio & quidditas ex legis æternæ quà simplicis Intelligentiæ notitiam importantis Iudicio affirmativo derivetur; econtra Malitiæ Moralis Prima Essentia quandâ cum Divinis Attributis, non *in genere Physico* duntaxat, sed etiam *in Esse Moris* oppositionem importans, in ejusdem simplicis Intelligentiæ, seu Primæ in Moralibus Legis Divinæ Iudicio Negativo eatenus fundetur, ut actuum Moralium ejusmodi Divinorum Attributorum participationem, vel ab hac deficientiam *Formaliter* importantium specifica *in genere moris* Essentia & quidditas omninò consistat in intrinsecâ ad legem æternam habitudine vel imitabilitatis, vel defectibilitatis. Cùm igitur ista Defectibilitatis habitudo peccati propria Essentia optimè exprimatur per hoc, quòd peccatum definiatur esse contra legem æternam, prout hæc scilicet est ratio Moralis à Divinarum perfectionum participatione defectibilitatis per Iudicium Negativum repræsentativa; Consequens est, istam definitionem omninò ratam esse habendam. Et hinc facilè patet responsio ad opposita fundamenta, dummodò illa legis æternæ quà Principij obligationum Moralium *simpliciter* repræsentativi, & quà Factivi distinctio teneatur.

CONTROVERSIA II.

An, & qualiter omni peccato conveniat, esse offensam & injuriam Dei?

DUplici modo proponi potest ista difficultas. 1. sub Hypothesi (à nobis tamen refutatâ *to. 1. q. 2. a. 2. cont. 4.*) invincibilis ignorantiæ Dei. *An scilicet positâ tali ignorantiâ, contra jus naturæ in materiâ præsertim gravi peccans, esset reus si non injuriæ, saltem offensæ Divinæ?* 2. absolutè: *An omni peccato, præsertim mortali conveniat, esse injuriam, & qualis hæc sit, & quomodo differat ab offensâ?* 1.

Referuntur Sententiæ.

CIrca primam difficultatis partem Cardinalis de Lugo *disp. 5. de Incarnat. sect. 5. n. 74.* negat quidem, peccatum juri naturæ in materiâ etiam gravi repugnans, cum ignorantiâ Dei invincibili perpetratum, fore Mortale. Idem tamen author *disp. 3. de Pœnit sec. 1. n 7.* asserit; tale peccatum fore offensam Dei. Fundamentum est. Ad hoc, ut Deus offendatur, sufficit, in homine esse malitiam, cujus intuitu Deus indignetur. At homo eo ipso ponit causam justæ indignationis divinæ, quòd sciens perpetret factum repugnans rationi, nec opus est, quòd attendat ad Deum. Sic enim Pater in humanis justè indignatur in filij crimine, licèt hic non attenderit ad offensionem patris. Ergo datâ hypothesi ignorantiæ invincibilis Dei, peccatum, quatenus esset rectæ rationi repugnans, haberet malitiam offensæ Divinæ. 2.

Econtrario Salas *to. 2. in 1. 2. disp. 16. sect. 22.* acri notâ invectus in sententiam oppositam, simpliciter asserit; Homicidium in eo casu fore peccatum Mortale, dignum pœnâ æternâ. 3.
Fundamentum est. Quia ejusmodi peccatum, abstrahendo etiam à sui cum Deo contrarieta-

te & oppositione, gravem haberet deordinationem.

4. Huic sententiæ accedit Oviedo *1. 2. tract. 6. cont. 2. punc. 7. n. 114.* taliter argumentans. Nam ignorantiâ Dei etiam suppositâ, posset Deus de peccatore conqueri, suam sprevisse gratiam, sanctisque cogitationibus restitisse, quibus hominem gubernat, & suaviter ad virtutum opera allicere intendit. Deinde quia, cum Deus sit author naturæ, & supremus omnium gubernator, adhuc in illo ignorantiæ casu vindex esset culparum, quas homo committeret, & de illis posset hominem increpare propter commissa scelera, tenereturque homo pro illis Deo satisfacere. At ubi est satisfaciendi obligatio, est persona offensa, non enim nisi offenso est satisfactio exhibenda. Hæc ipsa verò offensæ ratio sufficeret ad peccatum mortale, ac pœnam æternam contrahendam. Probatur istud assumptum. Nam ut actus sit meritorius de condigno vitæ æternæ, non requiritur expressa relatio in Deum, sed sufficit virtualis inclusa in tendentiâ ad objectum honestum, At plus requiritur ad meritum, quam ad demeritum. Ergo ut actus malus sit dignus pœnâ æternâ, non requiritur expressa notitia oppositionis cum voluntate Divinâ, sed sufficit inclusa in cognitione oppositionis ad naturam rationalem.

5. Circa secundam difficultatis partem Suarez *to. 4. in 3. part. disp. 2. sect. 3. n. 6.* ac plurimi alij Justitiam strictam & rigorosam hominis ad Deum concedentes docent; in omni peccato, quatenus est contra Deum, inveniri propriam quandam injuriam altioris rationis, quàm sit omnis injuria humana (de quo *alibi* ex instituto agemus) sicut jus quoque Divinum altius & excellentius est. Fundamentum à Suarezio *citato* deductum est. Tum quia id insinuat sacra scriptura, peccatum frequenter vocans injuriam & offensam Dei. At scriptura sacra debet propriè intelligi, cùm commodè potest. Unde exigit etiam ab homine satisfactionem, & conversionem in Deum; non utcunque debitam ex lege solius charitatis, sed etiam ex justitiâ. Ac propterea Christus ex perfectâ Justitiâ pro peccatis hominum satisfecit, ut omne illorum debitum plenissimè solveret. Tum quia subditus debet Principi tributum & honorem. Ergo magis homo debet Deo recognitionem & honorem Ultimi Finis, quem illi denegat, dum peccat: imò quantum est in affectu peccatoris, privat Deum dignitate Ultimi Finis, & alium constituit, si mortale sit peccatum. Quocirca hæc ipsa malitiæ & ratio injuriæ in aversione a Deo includitur.

6. Econtrario Vasquez *to. 1. in 1. par. disp. 85. cap. 2. n. 24.* & alij quamplures rigorosam hominis ad Deum justitiam negantes, simpliciter negant; peccata nostra esse specialem contra Deum injustitiam. Fundamentum a Vasquezio *citato* deductum est. Nulla enim creatura aut peccatis suis, aut alio modo potest Deo inferre damnum, quod verè damnum illius sit. Ergo neque facere potest ipsi aliquam injustitiam.

7. Cardinalis de Lugo *cit. disp. 1. de Pœnit. sect. 1. n. 10.* arbitratur; licèt possit fieri injuria contra Deum, non tamen omne peccatum habere rationem injuriæ. Fundamentum est. Tum quia non semper exigit Deus nostra opera & obsequia ex Dominio Proprietatis, quod habet, & quod necesse esset ad rationem injuriæ, sed ex Dominio Jurisdictionis, ut Legislator, & superior. Tum quia multi sunt, qui invincibiliter ignorant illam malitiam injuriæ esse in omnibus peccatis: Multi, qui illam probabiliter negant, cum quibus potest se quis practicè conformare, & per consequens tale peccatum saltem *per accidens* non haberet malitiam contra Justitiam.

Idem nihilominùs author *disp. 2. de pœnit. sect. 4. n. 5.* distinguendo injuriam ab offensa, hanc insinuat, in omni peccato inveniri. Fundamentum est. Nam injuria est contra jus strictum & proprium, quod alius habet: offensa verò contingit sæpè sine injuriâ; dum v. g. amicus à me petens librum commodatum, sibi non autem mihi necessarium, patiatur repulsam, indignatur, licèt reverà nulla ipsi injuria irrogetur. Pari ergo ratione circa Deum intelligibilis est offensa, ut sic Pacis cum Deo læsiva, quin subsit ratio injuriæ propriè dictæ. 8.

Joannes Baptista Gonetius *cit. disp. a. 2.* rationem offensæ & injuriæ Divinæ in peccatis ex sequentibus deducit fundamentis. 1. Quòd contrarietur Deo ut Legislatori, tollens ab eodem debitam subjectionem & obedientiam. 2. Quòd offendat ipsum ut Judicem, non timendo ejus pœnam & supplicium. 3. Ut testem, non reverendo ejus præsentiam. 4. Ut supremum & summum Dominum, denegando ei servitutem debitam. 5. Ut amicum & benefactorem, exhibendo ei se inimicum & ingratum, & abutentem ipsius beneficijs. 6. Ut Primam Causam, ac Primum Principium, utendo ipsius concursu ad peccandum. 7. Denique ut summum Bonum & Ultimum Finem, quatenus per quodlibet peccatum Mortale convertitur peccans ad bonum creatum, tanquàm Finem Ultimum, & a Deo verè Fine Ultimo avertitur, in quo Deus ipse summe offenditur. Unde Divus Thomas *q. 28. de Verit. a. 2.* disserit in hæc verba: *Quicunque rem aliquam digniorem indigniori postponit, injuriam facit, & tantò amplius, quantò res est dignior: quicumque autem in re temporali finem sibi constituit, quod facit omnis mortaliter peccans, ex hoc ipso quantum ad affectum suum, præponit creaturam Creatori, diligens plus creaturam, quam Creatorem.* 9.

Conclusio.

Omni peccato Mortali convenit, esse Formalem Divini in Ultimo Fine radicati Juris violationem, essèque adeò injuriam Justitiæ hominis erga Deum, à Religionis tamen virtute indistinctæ oppositam.

Probatur. Nam Christus Dominus *Lucæ 19.* Juris Naturalis ad Dona tum Naturæ, tum Gratiæ in Dei cultum referenda exponens; ad servum, qui mnam sibi concessam reposuit in sudario, ait: *Quare non dedisti pecuniam meam ad mensam, ut ego veniens cum usuris utique exegissem illam.* Ex hoc autem manifestum est, quòd virtutis bene operandi usum exigat Deus tanquàm usuram 10.

usuram Juri sui Dominij subjectam. At verò, licèt Deus absolutum habeat Dominium in omnes nostras potentias, earumque actus, ita tamen benignus est, ut nolit nos ab actuum nostrorum feudatario Dominio exclusos, sed quasi super potentiarum nostrarū Dominio utili nos constituendo, nō nisi actus aliquos definitos suis Divinis præceptis per modum alicujus recognitionis exigat à nobis ex jure sui Dominij Proprietatis. Unde Deus præceptis à se latis præfixit quandoque verba: *Io Ego Dominus.* Vel *ly: Hæc dicit Dominus*; ad insinuandum, quòd actiones à se præceptas exigat ex prætacto Dominij sui jure. Atqui actionis à creaturâ rationali exactio insinuata per signum Dominij erga talem actionem alteri competentis repræsentativum, inducit obligationem non tantùm Obedientiæ seu Præcepti, sed Juris cujusdam. Ejusmodi verò ex tali jure intimatæ obligationis violatio est injuria *per se* ac *immediatè* lædens jus ac Dominium, in quo radicatur ista obligatio. Consequens igitur est, peccata nostra Juris Divini exactioni *Formaliter* adversantia habere rationem injuriæ ac injustitiæ, non quidem strictæ ac rigorosæ, ob Juris Divini per actus humanos inadæquabilitatem, sed latæ, quæ ut sic opponitur virtuti religionis, tanquàm Justitiæ hominis ad Deum, *velut alibi ostendetur.*

11. Dices. Ex hoc evinci, quòd peccatum etiam veniale sit quædam Dei injuria. Probatur istud assumptum. Nam rectitudo moralis peccato Veniali opposita est sub præcepto Dei. Si ergo Præceptum Divinum est aliqua ex Jure supremi Dei Dominij exactio, consequens est, peccatum etiam Veniale esse læsivum istius Juris Divini, atque adeò esse Dei injuriam.

12. Contra. Nam omnis quidem obligationis moralis fundamentum est Jus Ultimi Finis (sub cujusdam Numinis mentis creatæ unicè satiativi ratione) in intellectu creato intelligibiliter expressi per modum Primi omnium moralium actionum Transcendentaliter Directivi Principij. At verò voluntas quandam ab Ultimo Fine deordinationem admittens aliter se habet, si deficiat præsisè ab aliquâ ad Ultimum Finem medij ordinabilitate; aliter verò se habet, si ab ipso Ultimo Fine se avertat, hujus quà *Ultimate* satiativi rationem *moraliter affectivè* seu *interpretativè* transferendo in Bonum creatum. Hæc verò utraque ab Ultimo Fine Defectibilitas eatenus subest præcepto Divino, ut in posteriore semper sit materiæ gravitas, ut sic ipsius Divini in Ultimi Finis Jure & Majestate, sive infinitâ Bonitate radicati Juris *Moraliter* & *Affectivè* offensiva, adeò, ut eo ipso, quòd Angelorum voluntas ex connaturali suo operandi modo nequeat à medijs deficere, quin sui ab ultimo Fine defectibilitatem *Interpretativè* affectet, non possit *Venialiter*, sed *Mortaliter* duntaxat peccare. Consequens proinde est, quòd Divinis in illo primo Ultimi Finis expressivo Morali principio fundatis præceptis duplex ex parte rei præceptæ respondeat Formalitas, altera tanquàm aliqua Medij in Ultimum Finem ordinabilitas, altera tanquàm aliqua Finis Ultimi per actum moralem recognoscibilitas. At verò per se manifestum est, istius posterioris Formalitatis violationem moralem hoc ipso importare Juris Divini in Ultimi Finis seu Majestatis infinitæ ratione radicati læsionem injuriosam & injustam, vi cujus adeò injustæ Juris divini læsionis competit ipsi, esse peccatum lethale, ita ut Pomi vetiti commestio in Adamo vel ex hoc unicè fuerit mortifera, quod esset Juris Divini per abstinentiam lege Dei præceptam recognoscendi violatio.

Secus verò est, si præcisè fiat mediorum in Ultimum Finem ordinabilitas, quin ista redundet in Juris Ultimo Fini competentis injuriosam læsionem; tunc enim malitia peccati non transgreditur limites malitiæ venialis; *velut seq. art. cont. 1. dicetur.* Est autem communi Doctorum consensu recepta doctrina, quod peccatum ex genere suo aliàs mortiferum, ex levitate materiæ transeat in veniale. Hinc autem manifeste evincitur, quòd, si in materiâ morali vel non sit gravis ab Ultimi Finis ordinabilitate Defectibilitas, vel subsit involuntaria perfectæ deliberationis carentia, Deus pro tali casu non exigat actum moralem ex Jure sui Dominij, quamvis actus ejusmodi possit adhuc stare sub lege Divinâ, non quà actionis moralis ex Jure sui in Ultimi Finis Majestate radicati Dominij exactivâ, sed quà moralis in Ultimum Finem mediorum ordinabilitatis determinativâ. At eo ipso, quod vel ex defectu gravitatis materiæ, vel ex defectu plenæ deliberationis præceptum Divinum non ex Divinæ in Ultimo Fine radicatæ Majestatis jure sit actus moralis exactivum, sequitur; ejusmodi legis transgressionem, si non fiat ex contemptu, utpote in ipsum Ultimum Finem *Affectivè* ac *Moraliter* redundante, ne quidem ex voluntarij indirecti, vel Interpretativi ratione esse quandam injuriosam Ultimi Finis ac Juris in hoc fundati læsionem moralem. Patet igitur, quomodo Peccato mortali, non autem Veniali competat, esse injuriam seu injustitiam Divini in Ultimi Finis ratione radicati Juris *Moraliter* offensivam.

Replicabis. Hinc videri consequens, quòd peccatum Veniale non sit offensa Dei, utpote *Moraliter* non lædens Deum, seu jus in ipso quà Ultimo Fine radicatum. 14.

Contra. Nam alia est ratio offensæ Divinæ, per modum cujusdam contra Deum, ejusq; in Ultimi Finis Majestate radicatum jus aggressionis: alia verò est per modum alicujus Motivi Divinam pœnæ tum Damni, tum Sensûs inflictivam indignationem adversùs creaturam concitantis. At eo ipso, quòd peccatum Veniale importet moralem à medij alicujus in Ultimum Finem ordinabilitatis defectibilitatem, sequitur, hanc ceu malitiam Divini erga se, non autem simpliceter erga suppositum sui *Moraliter* causativum justè concepti Odij terminativam, concitare Divinam Pœnæ tum Damni, tum Sensûs inflictivam indignationem. Etsi proinde peccato duntaxat mortali conveniat, per modum cujusdam moralis ipsum Ultimi Finis jus Divinum *affectivè* violantis aggressionis esse offensam Dei: attamen peccato Veniali convenit, habere rationem offensæ Divinæ, quatenus ex sui defectibilitate & malitiâ morali Odium Dei terminando, est Divinæ contra Principium sui *moraliter* causativum indignationis, pœnam tum Damni, tum Sensûs temporaneam decernentis provocativum. 15.

Respon-

Responsio ad opposita Fundamenta.

16. AD Cardinalis de Lugo *n.2.* oppositum fundamentum Respondetur. In casu licèt impossibili ignorantiæ Dei invincibilis, peccatum in materiâ etiam gravi cum naturâ qua rationali repugnans fore offensam Divinam non *Formaliter*, sed *Materialiter* duntaxat. Nam prætterquam, quòd in tali casu peccatum nequiret esse Deo injuriosum, per modum cujusdam moralis jus Divinum *Affectivè* lædentis aggressionis, non posset per modum etiam Indirectè seu Interpretativi voluntarij habere malitiam Formalem Divinæ indignationis & aversionis concitativam. Ergo tale peccatum, quantum esset ex parte voluntatis, non *Formaliter*, sed *Materialiter* duntaxat esset offensa Divinæ indignationis provocativa. Eo ipso enim, quòd esset malum cum rectitudine Intellectualis naturæ non quà in Deum, ceu Ultimum Finem, sed in reipublicæ Bonum ordinabili dissonans, displiceret Deo tanquàm Fonti universæ honestatis. Ex quâ etiam displicentiâ Deus tanquàm Caput Reipublicæ rationalis, & tanquam Prima Bonitatis moralis regula puniret illud malum, non quidem pœnâ æternâ, sed proportionatâ temporali.

17. Ad Salæ *n.3.* oppositum Respondetur. In illo casu peccatum homicidij intelligi quidem sub gravis naturæ rationali quà ad se ac rempublicam, non verò ad Deum ceu Ultimum Finem comparatæ deordinationis formalitate. Hanc ipsam tamen malitiæ in Deum *Formaliter* non redundantis gravitatem sufficienter coæquari pœnâ temporali; siquidem pœnæ æternitas supponat culpæ infinitam malitiam, quæ eo ipso deesset homicidio, dum ex defectu voluntarij ob invincibilem ignorantiam Dei non redundaret in hujus offensionem ac injurationem.

18. Ad Oviedo *n.4.* oppositum Respondetur. Exinde probari quidem, quod Deo ceu universali omnis Boni liberaliter Effectivo ac Finalizativo Provisori jus foret, pœnam condignam infligendi illi, qui cum ignorantiâ Dei invincibili peccâsset. Verum sicuti ad meritum requiritur ex parte actûs intrinseca tum supernaturalitatis, tum per Gratiam Sanctificantem condignitatis ad vitæ æternæ præmium proportio; sic pœnæ infinitatem ac æternitatem in actu peccaminoso talis reatûs inductivo supponere infinitatem culpæ; qualem hoc ipso defecturam, quòd peccans haberet invincibilem Dei ignorantiam.

19. Ad Suarezij *n.5.* oppositum fundamentum Respondetur. Peccatum mortale dici quidem propriè Dei injuriam. Eo ipso tamen, quòd Jus Divinum per actiones nostras morales non sit adæquabile, non dari rigorosam hominis ad Deum Justitiam a virtute Religionis condistinctam: uti alibi ex instituto probabitur. Unde neque peccati qua Dei injuriosi malitiam aliam, quàm Religionis virtuti esse oppositam.

20. Ad Vasquezij *n.6.* oppositum Respondetur. Ad Injuriam Damni non tam Effectivam, quàm efficaciter Affectivam non requiri realem damnificationem injuriati. At licet Deus in suæ Divinæ Majestatis ac Ultimi Finis Jure nequeat *physicè Effective* offendi, attamen *Affective* *Moraliter* ex Deo in Bonum creatum quolibet peccato mortali transferri rationem Ultimi Finis. Quare talem affectum utpote infinitæ in Ultimi Finis ratione radicatæ Majestatis *Affective Moraliter* destructivum continere in se malitiam moralem infinitam.

Ad Cardinalis de Lugo *n.7.* oppositum Respondetur. Verum quidem esse, ubi Deus materiam aliquam peccati scilicet venialis non exigit ex Jure sui in Ultimo Fine radicati Dominij, non inesse peccato rationem injuriæ contra Deum. Eo ipso tamen, quòd notum sit, Deum materiam aliquam sub præcepto ad culpam lethalem obligante exigere, fore evidens, quòd talis materia eatenus attingat Ultimum Finem, utpote peccato mortali ex Deo *Moraliter* transferendum, ut consequenter intelligatur, fuisse exactum per modum recognitionis alicujus Deo ceu Ultimo Fini exhibendæ: nec adeò tunc fieri potest, ut vel ex ignorantiâ, vel ex sententiæ in peccato injuriæ Divinæ rationem negantis probabilitate, (utpote per præallegatam in materia mortiferâ, Divini in Ultimo Fine radicati Juris recognoscibilitatis repræsentativam rationem) *Practicè* sublatâ quis excusetur a formali, peccato mortifero ut sic propriâ, injuriæ contra Deum malitiâ. 21.

Ad ejusdem de Lugo *n.8.* oppositum Respondetur. Illo quidem argumento probari, quod ratio injuriæ in peccato Veniali sit separabilis a ratione Divinæ offensæ importantis ut sic malitiam Divinæ pœnam decernentis indignationis provocativam. Nihilominùs rationem offensæ Divinæ in peccato mortali nullatenus esse intelligibilem, quin *Formaliter* involvat rationem injuriæ contra Deum. Cujus ratio est. Nam peccati cum sanctitate Dei difformitas in peccato mortali non est causa indignationis Divinæ, nisi quatenus Increata honestas ex jure Causæ Primæ tum Idealis, tum Formalis exigit sui in omnibus actionibus moralibus imitationem, ex ipsâ tanquam Ultimo Fine *Virtualiter* saltem finalizatam. Ergo non potest illa difformitas in peccato lethali concipi tanquam causa indignationis Dei, quin *Formaliter* ex parte objecti imbibatur violatio Juris Divini. 22.

Ad Gonetij *n.9.* propositam doctrinam Respondetur. Eam eatenus probari nobis, ut tamen omnimodam illius cum Deo sive qua Legislatore, sive qua Judice, sive qua supremo Domino, sive quà Amico & benefactore, sive quà Primâ Causâ, sive quà summo Bono, & Ultimo Fine contrarietatem non nisi *Indirectè* voluntariam, asseramus reduci ad unicam injustitiæ contra Deum malitiam, ut sic Religionis virtuti oppositam. Ratio est. Nam licet Religio, utpote Moralis, non autem Theologica virtus, pro objecto suo immediato ac Directo non respiciat Deum, vel aliquam ipsius perfectionem intrinsecam, attamen quatenus actionum nostrarum cum Jure Divino conformitatem (quæ ut sic est *Formaliter* quid creatum) prosequitur, *Indirectè* attingit Deum seu Jus ejus Increatum. At peccatum Mortale rationem Ultimi Finis ex Deo in Bonum creatum *affective* transferendo, eatenus est Juris Divini in Ultimo Fine radicati *moraliter* destructivum, ut hanc tamen moralem Juris increati destructionem non *Formaliter* 23. 24.

ac *Directè*, ſed *Indirectè* ſolùm ac *Interpretativè* attingat, cùm, ſi voluntas eam *Directè* proſequeretur, haberet rationem Odij contra Deum. Ergo talis cum Deo contrarietas Juris Ultimo Fini proprij *Moraliter*, & ſecundùm voluntarium duntaxat indirectum *affectivè* deſtructiva optime reducitur ad peccatum quà virtuti Religionis, hominis erga Deum juſtitiæ, *Tranſcendentaliter*, non autem *ſpecificè* oppoſitum. At omne Jus Dei ſive quà Legiſlatoris, ſive quà Judicis, ſive quà ſupremi Domini, ſive quà Benefactoris & Amici, ſive quà Primæ Cauſæ, ſive quà Ultimi Finis increatum ſuper Divinæ cauſalitatis tum Idealis, tum Finalis, tum Efficientis eminentiâ Deo intrinſecâ fundatum, quatenus per actiones noſtras creatas recognoſcibile eſt, eandem, veluti *alibi* oſtendemus, fundat religionis virtutem; ſicuti unica etiam Theologicæ Charitatis virtus reſpicit omnes Divinarum Eſſentiæ & Hypoſtaſum, nec non Attributorum *Virtualiter* licèt diſtinctorum excellentias & perfectiones. Ergo moralis quoque peccatis Mortalibus *Tranſcendentaliter* ſecundùm voluntarium duntaxat Indirectum conveniens, cum illis Divinis *Virtualiter* diſtinctis Juribus contrarietas uni virtuti ſcilicet Religionis, tanquàm noſtræ erga Deum Juſtitiæ adverſatur.

CONTROVERSIA III.

An, & quomodo cuivis peccato tum Mortali, tum Veniali conveniat, eſſe averſionem à Deo, & converſionem ad Bonum creatum?

1. CAjetanus *1. 2. q. 71. a. 6. §. In eodem ſexto articulo. in reſpons. ad Ultimum.* pro parte Negativâ, poſtea tamen refutatâ, tale profert argumentum. Etenim Deus eſt ipſum Eſſe per Eſſentiam. At contrarium ſeu privatio Entis participati non eſt contrarium ſeu privatio Entis per Eſſentiam: ratio autem noſtra eſt ens participatum. Ergo peccatum qua rectæ rationi repugnans non eſt à Deo averſivum.

2. Vaſquez *1. 2. diſp. 96. cap. 2. n. 5.* tenet; Peccato mortali ſemper eſſe conjunctam voluntaris & animæ noſtræ averſionem a Deo. Fundamentum ibi deductum eſt. Quia licèt homo creatus eſſet in purâ naturâ ſine Dono Gratiæ ſanctificantis & Charitatis, hoc ipſo tamen, quòd peccaret Mortaliter, contraheret privationem Charitatis, & Dei quà Finis ſupernaturalis; ſiquidem peccatum Mortale, etiamſi ſolùm ſit contra legem naturalem, nullâ aliâ ratione deleri poſſit, quam per gratiam & Charitatem Dei. Ex illo igitur momento, quo quis peccat mortaliter, debitum incurrit non habendi gratiam & Charitatem, quâ Deo ut Fini ſupernaturali conjungitur. Ergo dum manet in peccato, dicitur manere averſus à Deo, tanquàm Fine ſupernaturali.

3. Author citatus *n. 6.* addit: Averſionem à Deo Fine ſupernaturali non eſſe de Eſſentiâ peccati, quatenus peccatum eſt. Fundamentum eſt. Quia peccatum quatenus *in genere moris* peccatum eſt, cognitum fuit à Philoſophis pegentibus, qui nec Deum cognoverunt ut Finem ſupernaturalem: nec averſionem ab eo, ſed ſolùm ea, quæ habebant illae actiones oppoſitionem cum virtute, & cum naturâ rationali. Secundùm hanc verò conſiderationem, & naturâ rationali oppoſitionem integra culpæ & peccati moralis ratio intelligitur. Atqui averſio a Deo, cui charitate conjungimur, nullo modo Philoſophis innotuit

Idem denique author *cap. 2. n. 9.* ſentit, non in omni peccato eſſe converſionem ad Commutabile Bonum. Fundamentum eſt. Nam Odium Dei, licet naſcatur ex nimio amore proprio, qui dici poſſit converſio, in ſe tamen *Formaliter* non eſt converſio ad Bonum Commutabile. 4.

Econtrario Joannes Baptiſta Gonet *tract. de Peccatis. diſp. 9. art. 2.* eatenus in peccato mortali conſtituit rationem averſionis à Deo Ultimo Fine, & ad Bonum Commutabile converſionis, ut dicat, peccatum, ſi non *Formaliter*, *Virtualiter* ſaltem ac *Interpretativè* in creaturâ conſtituere Ultimum Finem. Fundamentum ex Divo Thomâ *q. 20. de Verit. a. 2.* deſumptum eſt. Omnis enim, qui mortaliter peccat, diligit plus *appretiative* creaturam, quam Deum; ſiquidem ejus voluntatem & præceptum propter illam contemnat: Unde *Joan. 12.* dicitur: *Dilexerunt gloriam hominum plus, quam Dei.* At finis eſt id, quod maximè diligitur. Ergo Mortaliter peccans a Deo avertitur, & ad creaturam tanquam ad Finem Ultimum convertitur. Unde *Jeremia 2.* Deus de peccatoribus ſic conqueritur. *Duo mala fecit populus meus, dereliquerunt me fontem aquæ vivæ, & foderunt ſibi ciſternas diſſipatas.* 5.

Concluſio.

INter Peccatum Mortale ac Veniale hoc diſcriminis eſt, quòd Mortale ſit poſitiva *ſaltem Indirectè* ac *Interpretativè* voluntaria averſio à Deo Ultimo Fine, & hujus *Formaliter* ſpectati in Bonum Commutabile tanquam *objectum ſaltem Quo* translatio affectiva & appretiativa: econtra verò in Peccato Veniali fiat quidem converſio ad Bonum commutabile tanquàm *objectum ſaltem Quo*, non tamem fiat à Deo Ultimo Fine averſio Poſitiva & perfecta, ſed Negativa duntaxat & imperfecta.

Explicatur & probatur. Nam averſio à Deo tanquam Ultimo Fine poſitiva eſt, quatenus voluntas *affectivè* & *appretiativè* tollit à Deo rationem Ultimi Finis. Hæc autem affectiva Ultimi Finis à Deo ablatio, ſi *directè* ſit voluntaria, importat peccatum odij expreſſi & formalis. Quare iſta *Directè* voluntaria Ultimi Finis à Deo ablatio affectiva non convenit omni, ſed ſpecifico odij divini peccato. Alia proinde Ultimi Finis à Deo ablatio affectiua eſt ſolum *indirectè* ſeu *interpretative* voluntaria. Hoc autem fit, quatenus actio aliqua, vel actionis pravæ omiſſio exigitur à Deo ex jure Ultimi Finis. In quo adeò caſu contra divini in Ultimi Finis majeſtate fundati Iuris exactionem operans, *affective* & *appretiative* ſecundùm voluntarium indirectum ſeu interpretativū *moraliter* tollit à Deo rationem Ultimi Finis. Quæ proinde à Deo ceu ultimo fine averſio poſitiva in affe- 6.

affectivâ Ultimi Finis *interpretativè* saltem ac *indirectè* voluntariâ extra Deum translatione consistens, eatenus est propria peccati mortalis, ut propterea Divus Thomas *2.2. q. 2 . a. 3* dixerit: *Principalem rationem mali, & gravitatem in quolibet peccato mortali esse ex hoc, quòd avertat se quis à Deo. Si enim posset esse conversio ad bonum commutabile sine aversione à Deo, quamvis esset inordinata, non fore peccatum mortale.*

7. Dices. Ex hoc quidem evinci, quòd omni peccato mortali conveniat, esse affectivam à Deo Ultimo Fine aversionem saltem *indirectè* seu *interpretativè* voluntariam. Nihilominus fieri posse, ut talis aversio etiam *directè* voluntaria contingat absque ullâ ad bonum commutabile conversione. Probatur istud assumptum. Nam intellectus potest repræsentare voluntati Deum sub ratione mali, peccatorum scilicet Vindicis, quin fiat repræsentatio alicuius boni creati; siquidem ista objecta sunt distincta, & consequenter quoad intentionalem intellectûs repræsentationem separabilia. At voluntas sequitur intellectum prælucentem. Ergo subsistere potest odium Dei sub præcisâ voluntatis à Deo aversione etiam *directè* & *Formaliter* voluntariâ, quin fiat conversio ad bonum aliquod creatum.

8. Contra. Nam dato, quòd dari possit actus meræ fugæ, veluti supra *q. 5. a 2. cont. 2.* probavimus, tunc Odium Dei eatenus stare posset sub præcisa aversionis à Deo *directè* voluntariæ formalitate, ut nulla ad bonum commutabile tanquam *obiectum quod*, sed tanquam *obiectum quo*
9. duntaxat fieret conversio. Probatur istud assumptum. Nam ut Divus Thomas *1.2. q. 60. a. 3. ad 4.* ex divino Dionysio probat, malum non movet voluntatem nisi agendo in virtute boni. Ergo Deus quatenus est malorũ vindex, suis vel legibus, vel pœnis privando bonis sensualitati delectabilibus, eatenus induit rationem mali ad odium voluntatis excitativi, ut hæc ipsa tamen mali Deo affixi ratio non habeat vim voluntatis motivam, nisi in virtute Boni oppositi. At in ordine ad actum odij habentis rationem meræ fugæ, nequit Boni oppositi virtus cum mali motivâ vi ad voluntatem excitandâ concurrere per modũ
10. *motivi Quod*, sed *Quo* duntaxat. Probatur hoc assumptum. Hoc enim inter *motivum Quo* & *Quod* discriminis est, quòd istud *obiectivè* excitando ad actum voluntatis sit eiusdem quoque terminativum: illud verò sit purè motivum, habens vim voluntatis actum excitandi, quin actus iste suo quasi sinu complectatur tale motivum, nec illud adeo sit actûs eiusmodi terminativum. At eo ipso, quòd odium Dei aliquando sit merus actus fugæ, nequit tunc suo quasi sinu complecti bonum, in cuius virtute movet ratio mali Deo affixi, & ut sic ad odium voluntatis excitativi. Ex hoc autem, quòd ista ratio mali non possit voluntatem movere nisi in virtute boni oppositi; sequitur, istud bonum debere ad actum odij concurrere saltem ut *motivum Quo*, veluti loco *supra citato* probavimus. Cum igitur actus odij Dei subsistere nequeat, quin ex Finalizatione alicuius boni creati saltem ut *motivi Quo* procedat, consequens est, illum etiam odij divini actum, qui est meræ fugæ, esse talem conversionem ad commutabile bonum saltem tanquàm *motivum Quo*, ut in bonum creatum vi talis odij fiat ex Deo Ultimo Finis translatio affectiva, utpote boni ejusmodi creati supra Deum quà summum bonum, & quà ex suæ infinitæ majestatis Jure actûs ejusmodi prohibentem *moraliter* appretiativa.

Instabis. In peccato etiam veniali fieri talem boni creati appretiationem, ut *appretiativè* præferatur Deo. Hinc tamen non inferri, quod per actum venialiter peccaminosum ratio summi boni & Ultimi Finis ex Deo *affectivè* seu *appretiativè* quoad voluntarium etiã indirectum ac interpretativum transferatur in bonum creatum. Ergo nec per appretiativam boni creati præ Deo prosecutionem in peccato mortali, inferri affectivam Ultimi Finis ex Deo in bonum commutabile translationem *indirectè* saltem, seu *interpretativè* voluntariam. 11.

Contra. Nam in actu tam venialiter, quàm mortaliter peccaminoso duplex formalitas venit distinguenda. Altera est ipsa actûs entitas physica boni creati saltem *ut Quo* prosecutiva. In hac autem sive Formali, sive Virtuali prosecutione bonum creatum utpote non omnis boni contentivum nequit se habere tanquam Ultimus Finis. Unde talis boni ut *obiecti* saltem *Quo* appretiatio importat virtualem relationem ad boni qua voluntatis *complete* satiativi, atque adeò ad Ultimi Finis *formaliter* spectati rationem. Hinc autem fit consequens, quòd attenta physicâ actûs venialiter, imò & mortaliter peccaminosi entitate, ac ex bono creato specificatione essentiali, non fiat boni commutabilis præ Deo Ultimo Fine appretiatio, quin potius Ultimi Finis *formaliter* spectati re ipsâ non nisi Deo inexistens ratio *virtualiter* præferatur. Altera proinde actûs, tum venialiter, tum mortaliter peccaminosi formalitas est moralitas in sui per rationem regulabilitate consistens. At quoad istam moralitatis formalitatem talis inter peccatum veniale & mortale est differentia, ut vi affectionis quà mortaliter peccaminosæ fiat Boni creati præ Deo quà Ultimo Fine appretiatio: econtra verò vi affectionis quà Venialiter peccaminosæ fiat Boni commutabilis non præ Deo quà ultimo Fine, sed præ honestatis in Deum ceu Ultimum Finem divinitus quidem, non ex Jure tamen divinæ in Ultimo Fine radicatæ majestatis definitâ actuali quâdem ordinabilitate appretiatio. Ex hoc autem discrimine fit consequens, quòd secundum lineam moralitatis in peccato mortali fiat positiva à Deo Ultimo Fine aversio, importans affectivam Ultimi Finis ex Deo in Bonum commutabile translationem *Indirectè* saltem seu *interpretativè* voluntariam. Secus verò est in peccato veniali, in quo fit à Deo Ultimo Fine aversio duntaxat negativa, nullatenus importans Ultimi Finis ex Deo translationem affectivam & moralem, sed actualis cujusdam ordinabilitatis privationem seu destructionem moralem. 12.

Confirmatur. Nam moralitas actûs liberi ex ratione regulabilitatem importans, in peccato Mortali supponit in intellectu expressam actûs moralis, quà ex Divinæ in Ultimi Finis seu summi Boni per se sub omnis perfectionis eminentiâ stantis Majestatis Jure debiti repræsentationem. Unde nequit voluntas se convertere ad commutabile actûs *Mortaliter* pravi Motivum & specificativum Bonum, quin *Indirectè* saltem seu *Interpretativè* fiat hujus Boni præ Deo Ultimo Fine appretiatio talis, ut Ultimi Finis Jus *Moraliter affectivè* destruatur in Deo, atque adeò summi Boni ratio in illud utpote Deo 13.

 appreti-

appretiativè prælatum commutabile Bonum *Interpretativè* ac *Moraliter* transferatur. Econtra moralitas actûs Venialiter peccaminosi supponit in intellectu repræsentationem actûs moralis non quà ex Divinæ Majestatis, seu Ultimi Finis jure debiti, sed prout talis actus ex Divinâ, non tamen in vi alicujus ex sui supremi Dominij, seu ultimi Finis jure exactionis determinatione habet rationem alicujus in Deum ceu Ultimum Finem nostrum mediante actu creato possidendum actualis ordinabilitatis. Unde voluntas Venialiter peccans, se convertendo ad Bonum commutabile, ne quidem secundum voluntarium Interpretativum *Affectivè* seu *Moraliter* lædit Ius Divinum, sed privat se ipsam non habituali gratiæ sanctificantis formam importante, sed actuali rectitudinis moralis aliquem specificum actum involvente in Ultimum Finem mediante actu creato possidendum ordinabilitate. At ista privatio ex hoc dicitur Negativa à Deo aversio, quòd ex seipsâ habeat improportionem Moralis in Deum quà possidendum & fruendum referibilitatis. Constat proinde, quod in peccato mortali *in genere moris* fiat positiva Boni commutabilis præ Deo secundùm voluntarium saltem Indirectum affectiva appretiatio, ipsius adeò Ultimi Finis ex Deo *Interpretativè* translativa, & *Moraliter* destructiva; cùm econtra vi affectûs Venialiter peccaminosi non fiat ista positiva, sed negativa duntaxat à Deo aversio, non in ipsum Deum *Moraliter* redundans, sed consistens in aliquâ erga Deum, non in seipso spectatum, sed quà mediante actu creato possidendum ordinabilitatis solùm actualis, non autem habitualis privatione seu negatione.

Responsio ad opposita fundamenta.

14. AD fundamentum ex Cajetano *n. 1.* oppositum Respondetur. In peccato Mortali non fieri duntaxat privationem Formalitatis ex Deo participatæ, sed ipsius Dei in se spectati, sive Iuris increati in Ultimi Finis supremâ Majestate radicati destructionem, non quidem *Physicam* & *Effectivam*, sed *Moralem* sub ratione voluntarij saltem Interpretativi *Affectivam*. Vi cujus adeò affectivæ Divini Juris *in genere moris* destructivæ formalitatis peccatum Mortale esse positivam à Deo aversionem, *veluti supra in conclusione fusè diximus*.

15. Ad Vasquezij *n. 2.* oppositum fundamentum Respondetur. Verum quidem esse, quòd peccato Mortali semper sit conjuncta voluntatis, & animæ nostræ a Deo aversio. Verùm displicere, quod Vasquez istam peccati Mortalis in puræ etiam naturæ statu perpetrandi aversionem eatenus constituat in privatione gratiæ sanctificantis, ut asserat, peccatum Mortale taliter factum non esse delebile, nisi per Gratiæ sanctificantis infusionem. Etenim in statu puræ Naturæ circa materiam ex Divinæ Majestatis jure exactam peccans, eatenus haberet voluntatem vi voluntarij saltem Indirecti a Deo Ultimo Fine positivè aversivam, ut hæc ipsa aversionis malitia esset objectum Divini erga talem peccatorem odij Terminativum. At eo ipso, quòd Bonitatis ex Deo participatæ infusio arguat in Deo amorem, utpote talis Boni effectricem; econtra verò odium Dei efficax sit Boni in subjecto destructivum, sequeretur, non posse Deum tali peccatori concedere aliquam *in genere moris* honestatis formam, quin ex parte sua rem remitteretur peccatum prius perpetratum, utpote ex se omnimodi *in genere morali* odij Divini fundans, ut adeò illo Dei justo in Boni Moralis effectivum amorem converso odio, deberet hoc ipso aliquod peccati perpetrati morale debitum esse remissum & condonatum. Etsi vero peccatum in Puræ naturæ statu non *Formaliter*, sed *Radicaliter* duntaxat adversaretur Fini supernaturali, ex eo enim, 16. quod omnimodi erga peccatorem Divini odij de se esset concitativum, consequens foret, quòd afficiendo naturam rationalem de potentiâ Dei absolutâ respectu gratiæ sanctificantis *obedientialiter* elevabilem, eatenus istam obedientialem, licèt pro puræ naturæ statu remotam elevabilitatem macularet omnimodæ *in genere morali* etiam *supernaturali* privationis debito, ut eo ipso, quoad istam Elevabilitatis obedientialis maculam Habitualem fieret remissio & condonatio, si Deus supernaturalem Gratiæ sanctificantis formam infundendo, *in genere moris supernaturalis* quoad ipsum etiam supernaturalitatis fundum amaret illum peccatorem. Nihilominus quia iste Divinus in obedientiali animæ ad 17. formam sanctificantem ceu omnimodæ supernaturalitatis fundum elevabilitate, peccati maculam abstergens amor, non jam respiceret Purum naturæ statum; consequens foret, peccatum *quà puro naturæ statui repugnans* fore omnimode abstergendum, si Deus justo suo omnimodæ intra naturalis moralitatis genus honestatis destructivo odio in amorem talis moralis tam Habitualis, quàm actualis Bonitatis effectivum converso, peccatori infunderet efficax tum abstractivæ sui contemplationis, tum appretiativi super omnia Bonitatis suæ infinitæ amoris, ceu Formalis in statu naturali Beatitudinis auxilium. Quâ proinde auxilij efficacis infusione eatenus sublatum iri Habitualem peccati in Puræ Naturæ statu perpetrati maculam à Deo ceu Fine aversivam, ut non remaneret à Deo ceu Fine supernaturali aversio nisi per modum puræ negationis; siquidem iste finis pro tunc foret omninò indebitus, & ne quidem ex vi Extrinseæ Divinæ ordinationis menti creatæ proportionatus.

Ad ejusdem Vasquezij *n. 3.* oppositum Respondetur. Hunc authorem hallucinari, quòd 18. aversionem à Deo peccati Mortalis ut sic propriam *Formaliter* statuat in sui ad Charitatem, quâ Deo supernaturaliter conjungimur, oppositione; cum ista tamen aversio non tam *Formaliter*, quam *Effectivè* pro statu naturæ ad Gratiam sanctificantem elevatæ se habeat ad peccatum mortale. Quare Formalem a Deo aversionem, quâ peccati Mortalis à Veniali *Essentialiter* distinctivam consistere in affectivâ Dei quà Ultimi Finis, actum aliquem moralem ex hoc ipso suæ in Ultimo Fine radicatæ Majestatis jure exigentis, destructione Morali, cujusmodi Philosophis etiam Ethnicis ex Divini super ipsos signati vultûs lumine naturaliter notam fuisse, ut adeò teste Apostolo *ad Roman. 1. Fuerint inexcusabiles*; utpote qui, *cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis*,

19. *suis, & obscuratum est insipiens cor eorum.* Ad ejusdem authoris *n. 4.* oppositum Respondetur. Eo ipso, quòd malum Deo afflictum, & ut sic contra Deum odij concitativum non habeat vim *Finaliter* motivam, nisi in virtute Boni oppositi, non posse subsistere odium Dei ex Boni Commutabilis amore *affective* quodammodo procedens, quin ex parte sui Motivi Finalizativi saltem *ut Quo* concurrat tale Commutabile Bonum, fiatque adeò vi Odij Dei ad Bonum creatum saltem *ut Motivum Quo* conversio moralis.

20. Ad Gonetij *n. 5.* propositam doctrinam Respondetur. Eam nobis omnino probari, adeo, ut is, qui ex zelo etiam inordinato putans in actione aliquâ secundum ignorantiam vincibilem quà *Moraliter* bonâ repræsentatâ, realiter tamen pravâ, se præstare Deo obsequium, lethaliter peccat, habeat quandam ad seipsum conversionem, quatenus ex sui amore, in inquirendâ veritate laborem debitum pertæso, talem inquisitionem negligendo, incurrit reatum Iuris Divini eatenus *moraliter affectivè* violati, ut hæc ipsa Divini Juris vincibiliter ignorati læsio moralis sit *Indirectè* seu *Interpretativè* voluntaria; uti author *citatus in respons. ad 1. object.* deducit.

CONTROVERSIA IV.

An, & qualiter peccati Mortalis Malitia sit Infinita?

1. Restringitur ista controversia ad solum peccatum Mortale, siquidem culpa Venialis non nisi participatæ actui Morali, non ex Divini Juris exactione, sed definitâ in Ultimum Finem mediante actu creato possidendum ordinabilitate debitæ rectitudinis Moralis sit *Moraliter* destructiva. Unde cùm perfectionis seu rectitudinis finitæ privatio nequeat continere infinitam malitiam, siquidem non plus malitiei sit in privatione, quam Bonitatis in oppositâ formâ. Idcirco malitia peccati venialis non est nisi finita. Superest igitur difficultas de solius peccati mortalis malitia. *An, & ex quo fundamento dicenda sit infinita?*

Referuntur Sententiæ.

2. Negant Hicquæus *in comment. sui subtilis Doctoris in 4. dist. 15. q. 1. a n. 13.* & Vasquezio *in 3. p. to. 1. disp. 2. cap. 2. n. 8.* Fundamentum est. Nam Quantitas privationis attendenda est penes formam, quâ proximè privat, non penes objectum, quo privatur subjectum ex Formæ alicujus privatione: sic enim cæcitas, licèt hominem privet coloribus *syncategorematicè* infinitis, est *in genere Physico* malitiæ duntaxat finitæ, eò quod proximè privet formâ finitæ perfectionis, scilicet visu, nec privet coloribus nisi remotè, tanquam objectis visivæ potentiæ. At peccatum etiam mortale non privat Deo tanquam Formâ, sed tanquam objecto, & Fine per actus *Moraliter* honestos, & Gratiam sanctificantem conjunctò homini. Unde quia forma sanctitatis & Honestatis moralis, quâ peccatum mortale proximè privat, finita est, consequenter ipsius quoque malitia est finita. Hinc Scotus *in 4. dist. 15. q. 1. n. 7.* ait; si Deus post attritionem tanquam dispositionem congruam, & meritum de congruo daret peccatori gratiam, per quam motus ejus fieret contritio, tunc per actum ejusmodi reddi Deo æquivalens illi Bono, quod abstulit peccatum. Et *in 3. dist. 20. q. un. n. 8.* affirmat: Si Adam per Gratiam datam & Charitatem habuisset unum, vel multos actus diligendi Deum propter se ex majori conatu liberi arbitrij, quam fuerat conatus in peccando, tunc talem dilectionem sufficturam fuisse pro peccato suo remittendo.

3. Econtra peccati malitiam infinitam, ex diversis licet fundamentis, affirmant Sanctus Thomas 1. *2. q. 87. a. 4. & 3. p. q. 1. a. 2. ad 2.* Cajetanus *ibi. §. ad alteram objectionem.* Suarez *to. 1. in. 3. p. disp. 4. sect. 7.* Lessius *de Perfect. Divinis lib. 13. cap. 26. n. 187.* Joannes à Sancto Thomâ *to. 5. disp. 1. a. 2. a n. 23.* Card. de Lugo *disp. 5. de Incarnat. sect. 4.* Fundamentum Primum ex Joanne à Sancto Thomâ petitum est. Quantò enim aliquâ injuria in plures redundat, tantò cæteris paribus est gravius peccatum. Hinc enim gravitas injuriæ Principi factæ crescit, quatenus redundat in injuriam totius multitudinis. At hujus in totam multitudinem redundantiæ non alia est ratio, nisi quod Princeps sit Caput totius multitudinis. Deus autem est Princeps omnium in infinitum multiplicabilium creaturarum. Ergo ex illa injuriæ Deo illatæ in omnes creaturas redundantiâ peccatum est *simpliciter* infinitum.

4. Secundum ex Suarezio desumptum fundamentum est. Quia gravitas injuriæ & offensæ crescit ex dignitate personæ. Ergo cùm Deus peccato mortali offensus sit dignitatis infinitæ, sequitur, hanc offensam non quidem *simpliciter*, sed *secundum Quid* esse Infinitam.

5. Tertium ex Cardinale de Lugo deductum fundamentum est. Quia ratio Gubernationis ad homines in peccatum nimis proclives à peccato deterrendos exigebat, ut pro culpâ mortali decerneretur pœna æterna, cujus adeò tum culpæ, tum pœnæ reatus nullâ hominis puri condignâ satisfactione posset deleri. Ergo vel ex hoc capite peccatum Mortale contrahit malitiam Infinitam.

Conclusio.

Malitia peccati Mortalis non quidem absolutè, sed in genere Moris est *simpliciter* Infinita.

6. Probatur. Nam peccati Mortalis à culpâ Veniali discrimen in eo est ponendum, quòd ista non habeat directam cum Ultimo Fine repugnantiam, sed cum ordinabilitate ad finem: Illud verò importet directam cum Ultimo Fine oppositionem: velut *seq. a.* elucidabitur. Hæc autem oppositio in eo sita est, quòd, cùm Deus aliquam actionem creaturæ rationali imposuerit, per quam fieret Dei quà Ultimi Finis recognitio, creatura illa intellectualis per liberam suam voluntatem deflectat ab isto Fine, eumque

virtua-

virtualiter ac *interpretativè* transferat in Bonum creatum. At hæc ipſa Ultimi Finis ratio fundata eſt in Divinâ Majeſtate per cauſalitatem ſuam efficientem ex ſe taliter profundens totius Entis creati *Eſſe*; ut hoc ipſum creatum *Eſſe* per actiones creaturæ præſertim intellectualis ex Iure Primæ Majeſtatis, id eſt, Primi in ſe ſtantis *Eſſe* in Deum *Finaliter* reduci debeat. Hæc autem in Deum quà Ultimum Finem totius *Eſſe* noſtri reductio poſſet eatenus exigià Deo, ut nihil eſſet moralis in nobis actionis, quam Deus non ex Jure ſuæ Majeſtatis cum actuali ſaltem *Virtualiter* permanente ad ſe reflexione Finali exigeret. At quia hoc ipſum, attentâ humanæ infirmitatis conditione, erat difficile, Deus ſaltem aliquas ex Iure Primæ Majeſtatis per præcepta ſua exigit actiones morales ſui quà Ultimi Finis eatenus recognoſcitivas, ne has ſaltem tranſgrediendo, proteſtaremur nos alienos à ſupremo Divinæ Majeſtatis Iure. Quare iſtius in ſupremâ Dei Majeſtate fundati Iuris Divini non quidem phyſica ac effectiva, ſed moralis & affectiva fit læſio per peccatum Mortale. At per ſe manifeſtum eſt, moralem læſionem Divini in Primâ Majeſtate fundati Iuris non quidem *Phyſicè*, ac *Effectivè*, ſed *Affectivè* ac *Interpretativè* deſtructivam importare malitiam, non quidem *abſolutè in genere Entis*, ſed *in genere Moris ſimpliciter* infinitam. Ergo malitia peccati Mortalis eſt *in genere Moris ſimpliciter* infinita.

7. Dices. Si peccati Mortalis malitia *ſimpliciter* infinita ſit, non poſſe dari peccatorum in ratione offenſæ Divinæ inæqualitatem: ſiquidem non poſſit unum infinitum eſſe altero majus. At hoc videri repugnans ſanæ Fidei doctrinæ, agnoſcentis in peccatis ſpecificam diſtinctionem, atque adeò inæqualitatem peccatorum.

8. Contra. Nam licet infinitum ſub illâ formalitate, ſub quâ eſt infinitum, atque adeò *Formaliter* non admittat ſe majus: attamen in uno actu mortaliter peccaminoſo quà Phyſico & morali aſſignabiles ſunt formalitates etiam *in genere moris* diſtinctæ, quarũ una ſit finita, altera verò infinita. Unde Divus quoque Thomas *1. 2. q. 87. art. 4. 14.* in peccato Mortali diſtinguendo tum averſionem ab incommutabili Bono quà Infinito, tum converſionem inordinatam ad commutabile, adeoq; Finitum Bonum, aſſerit, peccatum ſub priori formalitate Infinitum, ſub poſteriori autem formalitate finitum. Atqui ſub hac ipſâ inordinatâ converſione ad commutabile Bonum eatenus invenitur ſpecifica objectorum *in genere etiam Moris* diverſitas, quatenus Bona ejuſmodi creata voluntatis *Finaliter* allectiva ad rectæ rationis ſtateram regulata fundant in actibus moralibus ex ſe *in Quarto Perſeitatis modo* ſpecificatis diſtinctas rectitudinis moralis privationes, atque adeò malitias morales *ſpecificè* diverſas eo ipſo finitas; quòd ut ſic non niſi finitæ moralis ſecundùm rectam rationem debitæ bonitatis ſint privativæ. Quare ſecundùm talem bonitatis moralis ſpecificam diverſitatem omninò datur in peccatis mortalibus malitiei ut ſic finitæ inæqualitas. At ſuper has ipſas morales ex objectis quà per rationem regulatis ſpecificatas malitias ſuperſtruitur talis à Deo averſio, ut Divinæ in Ultimi Finis jure ſtantis Majeſtatis ſit *affectivè Moraliter* læſiva & deſtructiva. Hæc autem malitia ſub iſtâ juris Divini læſi formalitate, atque adeò ſub ratione injuriæ & offenſæ juris Deo intrinſeci *Moraliter* violativæ eſt *Formaliter* unica, licèt quoad differentias ſpecificas ejuſdem contractivas *materialiter* ſe ad ipſam habentes admittat quandam ſpecierum inæqualitatem. Patet igitur, quod iſta ex ſpecificis differentijs peccatorum mortalium inæqualitas ad culpam quà mortalem ut ſic Divinæ Majeſtatis *Moraliter* læſivam *Materialiter* ſe habens, optimè ſubſiſtat cum Mortalis peccati *Formaliter* ſpectati infinitate.

9. Inſtabis. Sanctum Doctorem citatum infinitatem peccati Mortalis à Deo quà Ultimo Fine averſivi commenſurare cum infinitate pœnæ damni, peccato mortali quà Morali & affectivæ a Deo averſioni reſpondentis. At iſtam pœnam Damni importare privationem Formarum ſupernaturalium luminis præſertim Gloriæ, ac viſionis Beatificæ. Etſi verò per Beatificam Viſionem ipſum increatum Eſſentiæ Divinæ Verbum *Intelligibiliter* uniatur menti creatæ, nequit tamen pœna Damni eſſe privativa Verbi Increati quà in ſe ſubſiſtentis, ſed quà cum mente creatâ, ſub Termini ſeu objecti *immediatè* Intelligibilis ratione, unibilis. Hæc autem unio in ſe *Formaliter* conſiderata eſt finita, nec niſi *Terminativè* & *Objectivè* eſt infinita. Si ergo infinitas peccati mortalis commenſuranda eſt cum pœnâ Damni *Formaliter* ſecundùm ſubſtantiam finitâ, & non niſi *Terminativè*, vel etiam ſecundum durationem accidentariam infinitâ; conſequens eſt, peccati Mortalis malitiam non eſſe *ſimpliciter* infinitam niſi *Terminativè* quatenus jus Dei increatum & infinitum *objectivè* attingit. At *Formaliter* ſpectatam non niſi *ſecundùm* [illegible] eſſe infinitam.

10. Contra. Nam pœna Damni peccato mortali commenſurata eatenus importat omnimodæ ſupernaturalis ad Gratiæ ſanctificantis ordinem ſpectantis formæ privationem, ut ex hac ſequatur talis in damnato peccatore obduratio & deordinatio voluntatis, ut *poſitivè* inſurgat contra Deum, *affectivè* impetendo divinu in ſupremâ Majeſtate ſubſiſtentis Iuris violationem, atq; adeò *Moraliter* per affectivam voluntatis intentionem deſtruendo Deum quà Ultimum Finem. Unde pœnam Damni *Effectivè* ac *Completivè* ſpectatam importare infinitæ Majeſtatis non quà menti creatæ duntaxat unibilis, ſed quà in ſe ſubſiſtentis ſive quà Ultimi Finis deſtructionem Moralem & affectivam. Ad quam proinde pœnam Damni *Effectivè* & *Completivè* ſumptam ſpectare etiam illud Pſalmiſtæ: *Superbia eorum, qui te oderunt, aſcendit ſemper*, ipſam ſcilicet Divinitatem *affectivè* impetendo, & ut ſic *Moraliter* deſtruendo. At licèt talis contra Divinitatem moralis inſultatio *Phyſicè* quoad actûs moralis entitatem ac ſpecificationem Eſſentialem ſpectata non attingat Deum niſi *Terminativè* ac *Objectivè*: attamen quoad appretiationem & affectionem conſiderata eſt quædam moralis & affectiva Divinæ Majeſtatis, & Dei quà Ultimi Finis non in formis duntaxat participatis, ſed in ipſomet ſuæ Majeſtatis Divinæ jure increato impetiti violatio ac deſtructio. Eſt autem per ſe manifeſtum, Divinæ Majeſtatis non in formis duntaxat participatis, ſed in ſeipſâ non quidem Phyſicam & Effectivam, ſed Moralem & affectivam violationem ſeu deſtructionem

ctionem esse in genere moris simpliciter infinitam.[2] Consequens igitur est, peccati mortalis malitiam esse in genere moris simpliciter infinitam. Plura de his videre licet *in 4. tomo de Incarnat. q. 2. a. 2. cont. 2.*

Responsio ad opposita Fundamenta.

11. AD fundamentum ex parte negativæ sententiæ *n. 1.* oppositum Respondetur. Verum quidem esse, quòd peccatum Mortale *proximè & formaliter* formæ duntaxat creatæ, atque adeo finitæ, *Terminative* verò & *objective* ipsius Dei seu Ultimi Finis sit *physicè* privativum: at *moraliter* & *affective* esse Divinæ Majestatis ac Increati Ultimo Fini proprij Iuris non in formâ duntaxat creatâ, sed ipso suo subsistente qua Ultimi Finis jus fundante infinito Esse destructivum; *uti supra* demonstratum est. Unde licèt contritio ex Deo super omnia appretiato elicita, non autem attritio extra sacramentum posset habere rationem congruæ cum Gratiâ Habituali vi pacti Divini infallibiliter connexæ dispositionis, eâdem gratiâ sanctificante mediante peccatorum mortalium expulsivæ. Nihilominùs formam Gratiæ sanctificantis non præcisè secundum se spectatam posse *Formaliter* tollere peccatum mortale, qua Divinæ Majestatis *Moraliter* offensivum, *sed Formaliter* se ipsâ eatenus tollere maculam sanctitatis, & ad æternam Gloriam Iuris privativam, ut malitiam offensæ Divinæ non tollat nisi in vi gratuitæ, ex quâ efficienter fluit, dilectionis, eo ipso per gratiam ex se profluentem remissivæ injuriarum contra se commissarum, tum quòd istæ nequeant nisi Odij Divini esse objecta; tum quòd Divinum odium sit Formæ sanctificantis non nisi Divinam in ordine supernaturali amicitiæ dilectionem *Effective* terminantis destructivum, ut adeò sanctificans ex Divinâ quoad ordinem supernaturalem amicitiæ dilectione profluens gratia, in vi talis dilectionis gratuitæ non in vi suæ intrinsecæ quidditatis sit *formaliter* expulsiva peccati mortalis. Hinc autem evincitur, quod illa non quidem *Physicè*, sed *Moraliter* Ultimi Finis impetitiva & affectiva violatio ac privatio non secundùm condignitatis æqualitatem, sed secundùm gratuitam Divinæ dilectionis misericordiam sit remissibilis per creatam Gratiæ sanctificantis formam, ut adeò sit omninò tenendum, peccati Mortalis Malitiam esse *in genere moris simpliciter* & eatenus infinitam, ut ne quidem per formam sanctificantem, multò minùs per puri hominis satisfactionem sit de Condigno ad æqualitatem reparabilis, sed non nisi per gratuitam Dei Dilectionem Gratiæ Causatricem sit misericorditer remissibilis.

12 Ad Joannis à Sancto Thomâ *n. 2.* propositum fundamentum Respondetur. Hanc injuriæ contra Deum commissæ in omnes creaturas redundantiam arguere in peccato Mortali infinitatem duntaxat Extensivam, & quasi Effectivam, non autem Formalem & Intrinsecam ac Intensivam. At eo ipso, quòd effectus infinitus arguat in causâ vim infinite Effectivam, oportere, in peccato Mortali per prius ponere Intensivam & Formalem injuriæ infinitatem quà contra Divinæ Majestatis jus commissæ, & ut sic Dei in seipso *Affective Moraliter* læsivæ, ita ut ex hac *Formaliter* ac *Intensive* seu *affective* infinitâ peccati lethalis Malitiâ intrinseca resultare possit illa infinita in omnes creaturas injuriæ redundantia Extensiva.

Ad Suarezij *n. 3.* propositum fundamentum Respondetur. Cum offensæ contra Deum commissæ gravitas se habeat ad Divinam Majestatem non pure *Terminativè*, sed ejusdem Divinæ Majestatis in se *Formaliter* spectatæ (quoad affectivam injuriosæ a Deo Ultimo Fine aversionis appretiationem) sit violatio ac læsio moralis. Idcirco ex tali formalitate convenire peccato Mortali Malitiam non *secundum Quid* duntaxat, sed *simpliciter* infinitam. 13.

Ad Card. de Lugo *n. 4.* propositum fundamentum Respondetur. Vel maximè displicere, quòd peccati mortalis malitiam solum *Extrinsece*, non autem *Intrinsecè* infinitam ponere videatur. 14.

❊❊❊❊❊❊❊❊)(❊❊❊❊❊❊❊❊

CONTROVERSIA V.

Utrum omne peccatum præcedat aliquis error, vel ignorantia, vel inconsideratio?

1. NEgativam sententiam tradunt Scotus *in 3. dist. 36. q. un. n. 12.* Mayron. *in 2. dist. 24.* Bacchon. *dist. 29. q. un. art. 3.* Suarez *tract. 5. de actib. human. disp. 1. sect. 1.* Fundamentum 1. Scoti desumitur ab authoritate Sancti Augustini *super illud Psal. 123. Fortè vivos deglutiissent nos.* taliter disserentis: *Hi sunt, qui vivi absorbentur, qui sciunt malum esse, & lingua consentiunt: absorpti moriuntur.* Et *super illud Psal. 68. Fiat mensa eorum coram ipsis &c.* sic scribentis: *Quid est vivos? Consentientes illis & scientes, quia consentire non debebamus. Ecce norunt muscipulam, & pedem mittunt.* Denique *super illud Psal. 118. Concupivit anima mea desiderare &c.* ita disserentis: *Præcedit Intellectus, sequitur tardus, aut nullus affectus.* Quibus ait Lychetus *in Comment. subtilis Doctoris ubi supra n. 64.* superaddi posse authoritates ab ipsomet Sancto Thomâ adductas; alteram *ex Luca 12. Servus, qui cognovit voluntatem Domini sui, & non facit secundùm voluntatem ejus, vapulabit multis.* Alteram *ex Iacobi 4. Scienti bonum, & non facienti, peccatum est illi.*

2. 2. Scoti ex ratione petitum fundamentum est. Nullus enim in viâ incorrigibilis est. Atqui errans circa Prima Principia nihil haberet, per quod posset revocari ad bonum: quomodocunque enim fieret sibi persuasio, negaturus esset assumptum. Quia nihil posset assumi notius, quàm Primum Principium practicum. Ergo nullus peccans potest omninò errare circa Prima Principia. Ergo potest tunc eatenus stare prudentia sine virtute morali, ut consequenter dari possit defectus in voluntate sine errore in intellectu. Unde damnati etiam non acquiescunt huic tanquàm vero, Deum esse odiendum; quia tunc non esset verum illud *Isaiæ ult. Vermis eorum non morietur*: siquidem simpliciter delectabiliter odirent Deum absque remorsu.

3. 3. à Suarezio *citato n. 8. & 10.* deductum fundamentum est. Nam Angelus & Adamus peccârunt, nullo etiam practico præcedente errore: sicuti neque fidelis, cùm furatur, habet judicium *speculativè* falsum circa furtum, aliàs esset Hæreticus. Unde quando Divus Thomas *1. 2. q. 77. art. 2.* asserit; *Quòd peccans feratur in malum sub ratione boni, atque adeo judicet esse bonum, quod non est*: respondendum esse, illum, qui peccat, licèt non appetat bonum honestum, appetere tamen bonum delectabile, seu naturæ commodum, & ideo sic judicando, non judicare falsò.

4. 4. Fundamentum. Cùm, si peccatum præcedere deberet error, vel ignoranria, nullum foret discrimen inter peccatum ex ignorantiâ, & ex Malitiâ; siquidem hujus sit proprium, ut procedat ex scientiâ & industriâ, juxta illud *Iob. 34. Quasi de industriâ recesserunt ab eo.*

5. Affirmativam sententiam adstruunt Divus Thomas *de Verit. q. 24. a. 8.* Et *q. 16. de Malo. art. 2.* Item *1. 2. q. 77. a. 2.* Cajetanus, Medina, Curiel, Serra, alijque Thomistæ *ibidem.* Sanctus Bonaventura *in 2. dist. 22. a. 2. q. 1.* Durandus *in 2. dist. 5. q. 1.* Vasquez *1. 2. disp. 128. cap. 5.* Amicus *præs. disp. 17. sect. 7. n. 155. & 157.* Gonet *disp. 6. de Peccatis. a. 2.* Fundamentum 1. ex Ioanne à Sancto Thomâ *in 1. par. to. 2. disp. 23. a. 1. n. 61.* petitum est. Eo ipso enim, quòd actus voluntatis sit regulatus, & in suâ regulatione, imò & in suâ elicientiâ omninò dependens ab intellectu, impossibile est, concipere in voluntate motum seu actum deficientem in regulatione passivâ, nisi sit defectus ex parte regulationis cognitæ, & per intellectum propositæ, quæ est regulatio activa. Ergo defectus moralis in voluntate non potest oriri nisi ex defectu dictaminis regulantis seu applicantis ex parte Intellectûs. Unde *Proverb. 14. dicitur: Errant, qui operantur malum.* Cui consonat Aristoteles *3. Eth. cap. 1.* asserens: *Pravum ignorare, quid agendum, abstinendumve sit.* Ex quo commune profluxit axioma: *Quòd omnis peccans sit ignorans.*

6. 2. à Vasquezio *cit. cap. 5. n. 13.* insinuatum, & ab Amico *ubi supra n. 141. & 157.* deductû Fundamentum est. Nam licèt voluntas non necessitetur ab objecto efficaciùs proposito, posset enim imperare Intellectui, ut efficaciùs proponat oppositum: nequit tamen ferri in objectum inefficaciùs propositum. Ergo non potest amplecti bonum delectabile, relicto honesto, nisi illud ab Intellectu efficaciùs sit propositum. At in hoc ipso est aliqua inconsideratio.

7. 3. à Gonetio *præcitato* deductum fundamentum est. Cùm enim voluntas sit appetitus rationalis sequens ductum & directionem Intellectûs, nunquam eligit, aut respuit aliquod objectum, nisi intellectus judicet, hic & nunc illud esse amplectendum, vel respuendum. Ergo quotiescunque homo peccat, eligendo aliquod objectum malum, & rectæ rationi dissonum, debet intellectus judicare, hic & nunc illud esse eligendum. At judicium, quo judicatur, aliquid esse eligendum, quod secundùm rectam rationem non est eligendum, est falsum, & erroneum.

8. 4. ex Amico *n. 155.* & Serrâ *supra cit. in probat. 4.* petitum fundamentum est. Eo ipso enim, quòd ad peccatum necessariò prærequiratur judicium Practicum saltem virtuale & implicitum de eligendo objecto malo, oportet ad omne peccatum necessariò præcedere errorem moralem imprudentiæ. Unde peccatores in sacris litteris vocantur stulti. Et Divus Gregorius *15. Moralium. cap. 23.* ait: *Omnis peccator stultus fuit in culpâ.*

Conclusio.

EAtenus verum est, quòd omne peccatum originetur ex aliquâ ignorantiâ, vel errore rationis, ut tamen neque debeat error esse Positivus, seu objecti etiam *Practicè* falsi *Positivè* repræsentativus; nec ignorantia debeat esse pravæ dispositionis, vel privationis; sed puræ in potentialitate Iudicij & rationis nostræ limitationem ac imperfectionem inferente radicatæ negationis.

Probatur. Nam primum in Moralibus practicum naturali lumine notum principium est, 9. Deum tanquam Primum & Summum Principium ac Ultimum Finem, & Bonum mentis etiam creatæ unicè satiativum esse super omnia diligendum & colendum. Hoc verò Principium eatenus relucet in omni morali actione, ejusque objecto, ut nequeat istud voluntati repræsentari, nisi sub aliquâ sui ad illud Primum Principium habitudine. Unde prudentia & recta ratio agibilium Moralium non nisi ex illo Primo Principio Morali deductiva nequit ullius formalitatis voluntati quà rationali proportionatæ, & ut sic appetibilis esse repræsentativa, nisi quatenus ejusmodi agibilis moralis formalitas est reducibilis in illud principium. Quare formalitas sensualis delectabilitatis seu Naturalis Honestati repugnantis comoditatis nequit sub ratione Boni appetibilis repræsentari ac proportionari voluntati quà rationali, sed quà radicatæ in animâ habente in se portionis etiam sensitivæ, vel vegetativæ, ut in homine; vel potentialitatis saltem, ut in Angelo, radicationem. Cùm igitur prudentiæ ratio nequeat subsistere sub ullâ expressione ac repræsentatione intellectuali, nisi quatenus ex illo Primo Principio Morali est deducta; ejusmodi verò ex Primo circa Deum super omnia amandum & colendum Morali principio derivata ratio nequeat Formalitatis voluntati quà rationali convenientis ac proportionatæ esse repræsentativa, quin objecti hic & nunc *practicè* eligendi sit expressiva quà Primo illi Morali Principio convenientis; consequens est, rationem delectabilitatis sensualis, aut commoditatis naturalis tali morali Principio dissonantis per voluntatem jam non quà rationalem, sed quà in animâ portionis sensitivæ, vel potentialitatis radicationem in se habente radicatam expetibilis expressivam hoc 10. ipso deficere à ratione prudentiali. At verò ad omne peccatum præcedere debet Iudicium formalitatis objectivæ à principio illo Morali dissonantis à volûtate tamê expetibilis expressivû. Cùm igitur tale Iudiciû deficiat à ratione prudentiali; consequens est omne, peccatû supponere Iudiciû defectuosum, in quo, si non sit Error *positivè* Iudicativus objecti *practicè* falsi, vel ignorantia pravæ dispositionis, aut privationis, debeat esse defectibilitas & negatio rationis prudentialis.

10. Dices. Ex hoc diſcurſu videri evinci, quòd Angelus intra ordinis naturalis limites conſideratus in ordine ad Finem præcise naturalem abſque prævia ſeu comitante legis ac Finis ſupernaturalis deviatione non potuiſſet peccare. At conſequens ſtud pugnare cum ijs, quæ *in 1. tom. q. 17. a. 4. conc. 1.* deduximus. Sequela majoris probatur ex Joanne a Sancto Thomâ *in. diſp. 23. a. 1. n. 18.* Etenim angelus circa Finem naturalem, & in puris naturalibus conſideratus poteſt dupliciter procedere; ſcilicet *Connaturaliter*, & juxta modum, quem natura ipſa ſecundum ſe poſtulat; aut non *naturaliter*, nec juxta modum, quem de ſe poſtulat natura, ſed præter illum. At connaturalis modus Angeli eſt, ut in naturalibus veritatibus ſive practicis, ſive ſpeculativis procedat cum plena & evidenti comprehenſione, ſiquidem perfectus ſit Angeli intellectus, & in actu, non in potentiâ reſpectu naturalium. Vnde Angelus conſideratus ſolùm in puris naturalibus non poſſet habere, operando *connaturaliter* ad modum ſuæ naturæ defectuoſum dictamen rationis. Cum igitur omne peccatum ſupponat defectuoſum rationis dictamen, non poſſet Angelus in puris naturalibus conſideratus peccare, niſi præter ſuæ naturæ exigentiam Deus ipſi denegaret illam comprehenſionis perfectionem: vnde conſequenter Angelicus intellectus *imperfectè* ac *inevidenter* attingeret Finem naturalem, & principia, atque concluſiones, ſeu media practica.

11. Confirmatur. Nam Angelus *comprehenſivè* procedendo, non poteſt aliquod objectum ſub aliqua convenientiæ ratione habere in ſe expreſſum, niſi quà contentum in primis naturalibus ſuis principijs. Hinc autem fit, quòd, cum Angelus *immobiliter* adhæreat ſuis primis naturalibus tam ſpeculativis, quâ practicis de Deo v. g. ſuper omnia diligendo, & colendo principijs, nequeat Intellectus Angelicus *Comprehenſivè* procedens, ullius objecti qua ejuſmodi principio diſconvenientis eſſe repræſentativus ſub formalitate alicujus ad voluntatem angelicam convenientiæ. Unde eo ipſo, quod objectum aliquod præcepto alicui Divino præſertim naturali ſit diſſonum, cum in ſe ſub ratione alicujus ad voluntatem Angelicam in Primis practicis principijs ſecundum connaturalem modum ſuum *immobiliter* adhærentem proportionabilis Bonitatis nequeat eſſe expreſſum, conſequenter non poteſt a voluntate Angeli in puris naturalibus conſtituti eſſe diligibile, attenta propria quidem excellentia, & ad hanc ſpectantia poſſint in Intellectu Angelico ſecundùm pura naturalia ſpectato repræſentari, ut *immediatè* & *directè* contra legem naturalem diligibilia.

12. Contra. Nam eo ipſo, quòd Judicium Angeli de objectis *naturaliter* notis ſit comprehenſivum, oportet, eſſe objecti Divina lege maximè naturali præcepti eatenus in Primum Morale Principium reductivum, ut tamen omnimodæ voluntati Angelicæ proportionabilis tali objecto Formalitas ſit *indiviſibiliter* repræſentativum. At ejuſmodi objecto qua per Intellectum Angelicum expreſſo imprimis competit talis in primum Dei qua ſuper omnia amandi & colendi Principium reductio, ut nec iſta Dei ſuper omnia diligibilitas niſi *abſtractivè* ſub verbi creati ac limitati intelligibili expreſſione, nec illa objecti creati ex illo principio derivati honeſtas niſi ſub limitatâ potentialitati immerſâ participatione ſit applicata ad voluntatem. Hinc autem fit, quòd nec ipſa Dei diligibilitas ſub verbo finito *abſtractivè* expreſſa poſſit voluntatis infinitam cum Deo quà ſummo Bono commenſurationem *ſimpliciter* actu ſatiare, nec conſequenter illam objecti honeſtatem ex primo principio *finitè* participatam eatenus ſublimare, quin malitia puræ actualitatis ac omnimodæ ad voluntatem plenè commenſuratæ perfectionis negationem in objecti creati potentialitate radicatam importans, ſuam retineat vim motivam, quâ mediante valeat voluntatem ab illius, cui *Transcendentaliter* inexiſtit, objecti appretiatione ac proſecutione removere. Ejuſmodi verò non tam *in genere moris*, quàm *in genere Entitativo* ſe tenens, Angelo *Tranſcendentaliter* inexiſtens malitia fundamentalis eſt dependentia a Deo in Eſſe & Operari, atque adeò in ſuo *ordine* etiam Beatificativo Fine. Etſi verò illa ipſius Angeli dependentia ſit Angelicæ ſubſtantiæ Eſſentialis, atque adeo intra genus ſubſtantiæ creatæ ſit Bona, fundetque ut ſic *in genere moris* Angelicæ voluntatis in Deum ceu Primum morale Principium reducibilitatem, hæc ipſa tamen & Entitativa, & Moralis Bonitas neque Angelicæ voluntatis commenſurationem infinitam coæquare, eo quòd nec *in genere Entis*, nec *in genere moris* contineat omnimodam perfectionis puritatem, ex cujus immediatâ, non verò mediatâ duntaxat, ſuo verbo creato & finito, ad voluntatem applicatione poſſit infinita voluntatis ad Bonum univerſale commenſuratio plenè ſatiari. Quare ſuper illâ tum Entitativâ, tum Morali Bonitate convenit voluntati vis Dominativa, per quam poſſit talis objecti, per ſui ad Primum Morale Principium reductionem, non omnimodam Entitativam in potentialitate puræ perfectionis excluſivâ radicatam malitiam excludentis, tum moralem, tum Entitativam Bonitatem, utpote plenæ ad voluntatem omnimodè commenſuratæ Bonitatis ex ſua Eſſentiali potentialitate *Tranſcendentaliter* excluſivam averſari. Etſi proinde verum ſit, quòd omnimoda per connaturale Angeli utpote comprehenſivum Judicium expreſſa formalitas ſub actuali ſui ad Primum Morale Principium reductione repræſentetur: verum tamen etiam eſt, quòd iſtud Morale Principium per illam intellectûs repræſentationem non ita applicetur voluntati, ut infinitam hujus ad Bonum Univerſale commenſurationem ſit coæquans. Ex hoc autem rurſus fit, manere voluntati ſuper Formalitate ad illud morale principium reductâ vim Dominativam. Ex hac autem vi Dominativâ competit voluntati poteſtas ad objectum ejuſmodi, non ſub plenæ perfectionis actualitate, ſed ſub potentialitatis puram voluntatis ſatiativam Bonitatem excludentis aliquali Entitativâ permixtâ malitiâ repræſentatum averſandum, maximè cum iſtam averſionem in voluntate *objectivè* excitativam vim nequeat ipſius in primum Morale Principium, ſcilicet Dei Ultimi Finis ſuper omnia amabilitatem utpote non niſi finito Verbo expreſſam, nec adeo voluntatis infinitati ut ſic commenſuratam, reductio abſtergere. Non igitur ſubſiſtit, tum quòd voluntas Angelica ſub puris naturalibus eſſet *connaturaliter* impeccabi-

peccabilis; tum quòd Judicium Angelicum Moralium objectorum *connaturaliter* expreſſivum tunc nullum haberet prudentiæ defectum, quin potiùs aſſerendum ſit, ipſam Angelo *Tranſcendentaliter* inexiſtentem tum in Eſſendo, tum in Operando potentialitatem arguere quandam Judicij prudentialis ſub puris etiam naturalibus defectibilitatem, ratione cujus Angelo pro tunc conveniret peccandi potentia.

13. Probatur iſtud aſſumptum. Nam Divus Thomas *1.p.q.63.a.1.* expreſſis verbis docet, quamcunque creaturam rationalem, atque adeò Angelum, ſi in ſuâ naturâ conſideretur, poſſe peccare. Cui conſonat idem ſanctus Doctor *q. 24. de Verit. a. 7.* & Divus Auguſtinus *lib. de Fide ad Petrum. cap. 3. & 23.* Hujus autem ratio per illos Sanctos Eccleſiæ Doctores affertur, tum quòd Angelus ſit factus de nihilo, tum quòd omnis creaturæ Intellectualis actuum Moralium regula ſit ab his diſtincta, poſſintque adeò tales actus deficere à rectitudinis ſuæ regulâ. At verò iſtius rationis vis in eo ſe tenet, quòd prima Moralitatis regula Divinæ ſcilicet Bonitatis ceu Ultimi Finis amabilitas non ſit per ſeipſam taliter applicata voluntati creatæ, ut hujus infinitam commenſurationem poſſit coæquare. Hujus autem applicationis defectibilitas eſt ex eo, quòd ſubſtantia Angelica ſit de nihilo, nec adeò habeat in ſe Purum Eſſe, cui poſſit *connaturaliter* eſſe *Intelligibiliter* unitum Dei infinitum voluntatis etiam creatæ unicè ſatiativum Eſſe ſubſiſtens. Ex hac verò connaturalis ad Purum voluntatis etiam creatæ unicè ſatiativum Bonum unionis intelligibilis defectibilitate rurſus infertur, quòd nullum in creatâ etiam Angelicâ Intelligentiâ poſſit dari Judicium Moralium agibilium ſub Primo Dei ſcilicet ſuper omnia diligendi & colendi Principio eatenus expreſſivum, ut voluntatis infinitam commenſurationem coæquare valeat, quin potiùs voluntati ratione Eſſentialis à Deo, ceu Primâ *in genere moris* regulâ, & Fine Ultimo dependentiæ ut ſic quandam *in genere Entis* malitiam fundantis conveniat vis Dominativa ſuper morali agibili etiã quà in Primum Principium, utpote non niſi *abſtractivè* expreſſum, nec adeò voluntatis plenè ſatiativum reducibili. Hæc ipſa verò prudentiæ virtutis propria in Primum Morale Principium, Deum ſcilicet quà Ultimum Finem & Primam *in genere Moris* regulam reducibilitas eo ipſo importat aliquam defectibilitatem, quòd tale Primum Morale Principium non ſit taliter applicatum voluntati, ut hujus infinitam commenſurationem coæquare, atque adeò ſatiare, & ut ſic voluntatis vim ſuper moralia eidem Primo Principio adverſantia agibilia Dominativam plenè excludere valeat. Ejuſmodi autem prudentialis in Primum Morale Principium reducibilitatis defectibilitas in Angelo ſecundùm pura naturalia conſiderato non importat aliquem errorem poſitivum, vel ignorantiam ſive pravæ diſpoſitionis, ſive privationis, ſed puram in intellectûs quà creati potentialitate, atque adeò ipſius Angelicæ ſubſtantiæ de nihilo extractione fundatam Dictaminis ſimpliciter ſimplicis negationem. Conſtat proinde, quòd peccabilitas *Eſſentialiter* ſupponat Dictaminis prudentialis defectibilitatem ſaltem Negativam in Intelligentiæ quà creatæ potentialitate radicatam.

Reſponſio ad oppoſita Fundamenta.

AD Primum ex parte Negativæ ſententiæ *n.1.* oppoſitum fundamentum Reſpondetur. 14.
Illis authoritatibus ſolùm probari, quòd peccatum ſupponat mali moralis in intellectu expreſſionem. Hoc autem non obſtante verificari, quòd hæc ipſa mali expreſſio Intelligibilis habeat aliquam defectibilitatis, vel Erroris poſitivi *Formaliter*, ſive *Virtualiter* ſaltem, aut *Exercitè* aliquâ præ Deo Ultimo Fine appretiabilitatem objecto moraliter malo affingentis, vel ignorantiæ, ſeu inconſiderationis prudentialê rationem ſaltem ſimpliciter ſimplicem ac omnino perfectam plerumque *privativè*, quandoque verò *negativè* duntaxat removentis.

Ad Secundum ex Scoto *n. 2.* oppoſitum Re- 15.
ſpondetur. Aliud eſſe, quòd aliquis dicatur errans circa prima moralia principia, aliud verò eſſe, quòd error ſe teneat in primorum principiorum ad particularia moralia agibilia applicatione, ut ſic prudentiæ propriâ. At ſi error ſe teneret circa Prima Principia, verificari quidem, quòd talis ab intrinſeco quidem ſit incorrigibilis, utpote ne ex parte quidem intellectûs aliquod, ex quo ad meliorem frugem reduci valeat, principium retinens. Secus verò eſſe, ſi error ſe teneat ex parte Dictaminis Primorum Principiorum ad moralia agibilia per conſequentiam applicativi: tunc enim eatenus poſſe illa principia *ſignatè* & *abſtractè* ſpectata ſtare firma, ut Dictamen ejuſmodi utpote falſum mediante ſui in Prima Principia reſolutione ſit revocabile. Cujuſmodi proinde ſive errorê ſive ignorantiam, ſive defectibilitatem prudentiæ ſaltem perfectæ oppoſitam ſupponi ad omne peccatum, adeò, ut licèt damnati Deum non *abſolutè* quà Ultimum creaturæ rationalis Finem odiendum aſſerant, attamen mediante dictamine Primi moralis Principij malè ac imprudenter applicativo pronuntient ipſum hic & nunc odiendum quà peccatorum Vindicem.

Ad tertium ex Suarezio *n. 3.* oppoſitum Re- 16.
ſpondetur. Ipſum etiam Angelum peccâſſe præcedente defectuoſo rationis dictamine, non quidem poſitivum errorem, vel ignorantiam privativam, ſed plenæ prudentiæ in intellectualitatis quà finitæ potentialitate radicatam negationem importante. Cujuſmodi proinde defectibilitatem, ſive errorem practicum moralis agibilis ſub falsâ Boni ſpecie non quidem *ſignatè* ac *Formaliter*, ſed *exercitè* ac *virtualiter* expreſſivum plerumque intervenire in homine peccatore, furtum v. g. aliquod perpetrante: cujuſmodi tamen falſitatem non arguere hæreſin, eo ipſo, quòd furtum neque *univerſaliter*, neque *individualiter* ſub formali per fidem revelatâ ſui execrabilitate, ſed ſub naturali ad furti malitiam ſe *Materialiter* habente commoditate eatenus judicetur amplectendum, ut tamen non *ſignatè* aſſeratur, Deo Ultimo Fini præferendum, ſed repræſentetur ſub aliquâ naturalis commoditatis appretiabilitate, voluntatis *exercitè* motivâ ad ſui præ lege Divinâ proſecutionem: In

quo

quo clarum est, nullam intervenire hæresin seu errorem in fide, sed in dictamine prudentiæ, illam ex naturali quâdam commoditate resultantem appretiabilitatem mediante primo Morali per fidem etiam revelato Principio debitè non excludentis.

17. Ad quartum *n. 4.* oppositum Respondetur. Peccatum ex Malitiâ, & ex infirmitate, vel ignorantiâ distingui penes dispositionem subjecti; siquidem peccatum ex malitiâ radicetur vel in habituato, vel expresso ac formali ad malum sub specie Boni propositum affectu; cùm econtra peccatum ex infirmitate contingat, dum quis à passione suâ seductus & victus, potiùs ex languore, ac defectu virium spiritualium magis prostratus, quàm erecto collo se attollens peccat: sicuti etiam ex ignorantiâ peccat, qui ex defectu notitiæ non quidem affectatæ, *vincibiliter* tamen neglectæ, ruit in peccatum. Quare in omnibus ejusmodi peccatis subesse dictaminis prudentialis defectibilitatem, ita tamen ut in peccato ex malitiâ Intellectus per pravam voluntatis dispositionem cum plenâ malitiæ moralis notitiâ formet Judicium *practicè* erroneum ad Boni commutabilis præ Deo electionem eatenus inclinativum, ut isti inhærendo per suum, quo præcepto se non subjicere sibi conveniens judicat, perversum Judicium in rebus etiam pessimis lætari & exultare, vel retardantem conscientiæ remorsum non curare, sive moralia in contrarium oblatrantia principia supprimere conetur.

ARTICULUS II.

De
Distinctione Peccati Mortalis ac Venialis.

1. ADversùs Iovinianum, qui apud Sanctum Hieroymum *lib. 2. contra ipsum circa finem.* omnia peccata paria asserebat, ex fide orthodoxâ indubitatum est, aliqua delicta esse mortalia, alia verò Venialia. Tum quia dantur peccata cum Gratiâ sanctificante compatibilia, quæ non nisi Venialia esse possunt: de quibus dicitur *Proverb. 24. Septies in die cadit Iustus*: siquidem iste sacer textus stante justitiâ innuat, posse frequentari ejusmodi culpas: à quibus nemo quantumvis sanctus in hac vitâ immunis est, *juxta illud 1. Ioan. 1. Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus.* Unde Milevitano *can. 7.* & Tridentino *sess. 6. can. 11.* Concilijs attestantibus, *vox etiam Iustorum est quotidie orantium; Dimitte nobis debita nostra.* Tum quia dantur peccata æternæ pœnæ reatum inducentia, juxta illud *Matth. 5. Qui autem dixerit fratri suo fatue, reus erit gehennæ ignis.* Unde talibus peccatoribus in extremo Iudicio dicturus est Christus: *Discedite à me maledicti in ignem æternum Matth. 25.* Cujusmodi proinde peccata vel ex hoc oportet, esse mortalia, quòd mortis æternæ reatum inducant. De quo proinde duplici peccatorum genere tres hîc decidemus controversias.

2. 1. *Qualiter peccatum Mortale ac Veniale differant secundùm Essentiam?* 2. *Qualiter peccatum ex genere suo Veniale fieri possit Mortale?* 3. *Quomodo peccatum ex genere suo Mortale fieri possit Veniale?*

CONTROVERSIA I.

Quæ sit essentialis differentia peccati Mortalis, ac Venialis?

ALbertus Magnus *in 2. dist. 42. q. 1. a. 4.* Ægidius *ead. dist. q. 1. a. 4.* & alij vel *explicitè*, vel *implicitè* dicunt, peccatum mortale esse contra Finem, Veniale autem præter Finem. Fundamentum à Cajetano *1. 2. q. 88. a. 1. §. ad tertium.* insinuatum est. Non enim *simpliciter* discordat à Fine, nisi quod contrarium finem inducit: *secundùm Quid* verò repugnat Fini, quod finis assecutionem impedit. At hoc in Veniali, illud verò in Mortali reperitur.

Scotus *in 2. dist. 21. q. 1. n. 3.* asserit; Peccatum Mortale nō distingui à Veniali, quòd unū scilicet Mortale sit respectu finis, alterum vero scilicet Veniale sit circa ea, quæ sunt ad Finem; sed utrumq; posse esse & circa ea, quæ sunt ad finem, & circa finem. In hoc igitur distingui, quod Mortale sit deordinatio opposita ordinationi, sine quâ finis non potest sequi aliquo modo. Ejusmodi verò ordinationem habere rationem præcepti, & ideò omnem deordinationem præcepto oppositam avertere à fine necessario. Aliam proinde respectu finis sequendi posse ordinationem esse, quæ non sit necessaria, sed utilis, nec adeò sit dè præcepto, sed potius de consilio. Quare deordinationem huic oppositam esse peccatum veniale, quòd non faciat cadere à fine necessario, sed faciat, quòd actus non procedat meliori modo, quo potest.

Hanc doctrinam Mastrius Scotista *in 2. disp. q. 0. a. 1. n. 163.* explicat asserendo; subtilem Doctorem illis verbis nihil aliud dicere voluisse, nisi quòd veniale per se differat à mortali, quatenus hoc sit contra præceptū obligans ad aliquod necessarium ad salutem, illud verò sit contra præceptum obligans ad aliquod utile tantùm, quâ ratione potius dici debere consilium. Fundamentum ab Authore præcitato deductū est. Quia peccati mortalis ac venialis differentiæ ab alijs assignatæ vel non sunt à priori, vel non omninò primæ, sed omnes reducuntur ad illam à Scotò assignatam. Si enim mortale, non autem veniale dicatur solvere amicitiâ Divinam sitam in mutuâ benevolentiâ hominis & Dei volentis nobis communicare beatitudinem, tunc istud reducitur ad hoc, quòd peccatum mortale sit contra aliquod necessarium ad vitam æternam. Si verò mortale, non autem veniale affirmatur æternaliter punibile, hoc ideò est, quia illud; non istud habet rationem gravis offensæ divinæ. Si porrò peccatum asseratur cum Deo Ultimo Fine incompatibile, hoc ex eo oritur, quòd sit contra aliquod necessarium ad vitam æternam. Si deniq; peccatum lethale dicatur grave malum, hoc ex eodem fonte provenit. Ergo illa ratio per Scotum assignata est primò distinctiva peccati mortalis à veniali.

6. Ex D. Thomâ *q. 7. de Malo. a. 1. & 1. 2. q. 87. a. 3. & 5.* Item *q. 88. a. 1. in corp. & ad 1.* & *2. 2. q. 105. a. 1. ad 1.* Divo Bonaventurâ *in 2. dist. 42. a. 2. q. 1.* ac plerisque Theologis maximè Thomistis inter peccatum mortale ac veniale sequentia assignãtur discrimina. *Primum* consistit in eo, quod peccatum mortale opponatur gratiæ & charitati, illasque destruat; veniale verò solùm opponatur charitatis fervori, & neque charitatem, neque gratiam corrumpat. *Secundum* in eo se tenet, quod peccatum mortale importet aversionem, & deordinationem ab Ultimo Fine; veniale verò à medijs. *Tertium*, quod mortale inordinationem irreparabilem inducat, non autem veniale. *Quartum*, quod peccatum mortale inducat reatum pœnæ æternæ, non veniale. *Quartum* denique, quod peccatum mortale *simpliciter* sit contra legem; veniale verò præter legem, sive contra legem *secundum quid*.

Conclusio.

Peccati Mortalis à Veniali differentia exponi potest vel per hoc, quod Mortale sit contra, Veniale autem præter legem, vel per illud, quòd Mortale sit contra, Veniale autem præter finem, sive contra media: vel denique, quòd mortale includat aversionem à Deo seu contemptum virtualem Dei quà Ultimi Finis. Unde per modum proprietatis duntaxat est consequens, quòd illud, non verò illud afferat mortem animæ, mereaturque pœnam infinitam, seu æternam.

7. Probatur. Nam circa finem Intellectualis creaturæ duo sunt consideranda; nimirum ordinabilitas in Finem, & ipsa ratio Finis. Atqui Ultimus intellectualis in statu sive naturali sive supernaturali consideratæ creaturæ Finis est ipse Deus: ordinabilitas vero in hunc finem est quid creatum, estque triplex, ita ut prima ex ipsoUltimi Finis ac Primi in se stantis Esse, Divinæque adeò Majestatis jure sit exacta; secunda verò ex radicali creaturæ intrinsecâ in Deum ordinatione, vel per ipsam naturam, vel per legem Positivam originetur, quin tamen à Deo ex Finis Ultimi, ac Majestatis suæ Divinæ jure sit imposita; tertia denique sit omnino supererogatoria, nullam sive ex juris Divini exactione, sive ex creaturæ intellectualis intrinsecâ in Deum ordinabilitate obligationem importans. Est autem inter duas priores in Deum ordinabilitates id discriminis, ut primæ transgressio ipsum Divinæ Majestatis jus attingat, & moraliter lædat seu offendat: secundæ verò violatio non redundet in Divinæ Majestatis offensam & injuriam. Quare ista secundæ in Deum ordinabilitatis transgressio eo ipso venialis est, quòd non sit contemptus, seu læsio Divini in Ultimi Finis Primâ Majestate radicati Iuris, nec adeo sit simpliciter contra legem, utpote cujus formale sit ipsa Iuris Divini in Ultimi Finis Majestate fundati exactio: sed sit contra Medij in Ultimum Finem ordinabilitatem vel ex natura rei, vel ex lege positivâ, non tamen ex vi Divini in Ultimo Fine radicati Iuris radicatam.

Dices. Posse contra media etiam mortaliter peccari, violando scilicet justitiam, & Castitatem, aliasque morales circa media, non autem Finem Ultimum immediate versantes virtutes. Econtra verò posse ex defectu saltem plenæ deliberationis directè peccari contra virtutes Theologicas, immediate versantes circa Deum Ultimum Finem. Ergo posse dari peccatum veniale, quod directè sit contra Ultimum Finem. 8.

Contra. Nam aliud est, quòd peccatum aliquod sit contra Finem Ultimum duntaxat *objective ac Terminative*; aliud verò est, quod *Formaliter* non quidem *Physice*, sed *moraliter* & *affective* tollat, imò destruat Ultimum Finẽ. At vero sicuti amor Dei est actus *objective* & *terminative in Quarto modo dicendi per se* specificatus ex infinitâ Dei bonitate, sic actus odij Dei quà *Physice* oppositus amori Divino, est contra Deum Ultimum Finem *objective* ac *terminative*, quatenus eius specificatio discordat ab Ultimi Finis appretiabilitate *Finaliter* motivâ, & ut sic in *Quarto perseitatis modo* ejusdem odij *Terminative* specificativâ. Hæc proinde odij cum Deo quà objecto voluntatis *Finaliter* motivo ac specificativo contrarietas adhuc est intra limites malitiæ finitæ. At vero hoc ipso, quod divinæ Bonitatis seu Ultimi Finis appretiabilitas infinita ad rationem reducta, non tantum in vi motivi Finalizativi ac specificativi exigat amorem sui super omnia appretiativum, sed quòd insuper [illegible] secum connatu: aliter connexum Divini [illegible] mi Finis Majestate radicati Iuris exac[illegible] quitur, hominem odiendo Deum, hoc ip[illegible] vinæ Majestatis jus *Moraliter affective* infringere, nisi ob imperfectionem deliberationis, atque adeò ex defectu voluntarij ista Divini Juris violatio moralis & affectiva excusetur. Ex [illegible] autem Divini Juris affectivâ & morali læsione inducitur malitia infinita Dei Majestati non *objective* duntaxat ac *Terminative* opposita, sed *formaliter* non quidem *Physice*, at *moraliter* contraria, utpote ipsius Ultimi Finis in ipsomet actu morali *affective* destructiva. Atqui talis affectiva Divini Juris *formaliter* destructiva læsio secundùm voluntarium indirectum & interpretativum reperitur etiam in actu virtuti morali opposito, qui [illegible] licet talis actus, licet *Terminative* ac *objective* non specifice [illegible] ex Ultimo Fine, sed ex medij alicujus in hunc ordinabilitate, Divini tamen in Ultimi Finis primâ Majestate radicati juris exigentiæ contrariando, habet annexam malitiam non quidem *directe*, sed *indirecte* voluntariam, ipsiusmet Divini increati Juris in seipso *moraliter Formaliter* privativam, seu destructivam. Quocirca verum quidem est, quod peccatum tam mortale, quam veniale p[illegible] *objective* ac *terminative* esse tum contra Finem Ultimum, tum contra media in talem finem ordi[illegible], attamen solius peccati mortalis proprium est, quod sit contra Finem Ultimu *Formaliter*, hunc [illegible] in seipso, ejusque Jure increato *affective mor[illegible]* destruendo. Quare optime subsist[illegible] illa inter mortale ac veniale diff[illegible], quo[illegible] illud *formaliter* sit duntaxat contra media, destruendo [illegible] in actu morali formalem ipsius, quan[illegible] n duntaxat, in Deum Ultimum Finem ordinabilitatem, illud verò sit *formaliter* contra Deum Ultimum Finem *moraliter* [illegible] secundum voluntarium saltem indirectum, vel interpretativum

a[illegible]

auferendo à Deo rationem Ultimi Finis, atque hanc transferendo in Commutabile Bonum.

10. Instabis. Saltem non apparere, quâ ratione peccatum veniale dicatur esse præter, non autem contra legem: siquidem sint venialia quamplurima, juri etiam naturali repugnantia.

11. Contra. Nam in objecto legis distingui debet tum Formale, tum Materiale. Hoc autem est ordinabilitas in Finem gubernationi legislatoris congruum. Eo ipso autem, quòd Deus nullum habere possit vel ad intra, vel ad extra Finem voluntatis suæ specificativum, nisi unicam Essentiæ divinæ bonitatem infinitam, propter quam universa operatus est, sequitur, quòd legis Divinæ materia non sit nisi moralis ad Deum Ultimum Finem ordinabilitas lege æternâ præordinata & præfinita. Et hinc omne peccatum dicitur esse contra legem æternam. At verò hæc ad Deum Ultimum Finem moralis ordinabilitas eatenus est creaturæ intellectuali per modum proprietatis conveniens, ut eo ipso tamen, quòd intellectualis creatura sit in Essendo, Operando ac Finalizando *essentialiter* dependens à Deo, congruat, aliquas saltem morales actiones ab ipso exigi in vi recognoscibilitatis Divinæ Majestatis. Hæc proinde ex Jure Divinæ Majestatis recognoscibilitas in legis Divinæ objecto se habet tanquam formale. Atqui ista Dei recognoscibilitas est ex vi divini in Ultimi Finis Primâ Majestate radicati Juris. Huic autem divinæ Majestatis juri per modum offensæ *moraliter* eam destruentis *Formaliter* opponitur peccatum Mortale, non autem veniale; *uti patet ex dictis*. Cum igitur simpliciter loquendo dicatur esse contra legem, quòd hujus objecto non tantùm *materialiter*, sed *Formaliter* considerato adversatur, veniale autem peccatum legi divinæ solum *materialiter*, mortale autem Juri Divino *Formaliter* spectato adversetur; consequens est, optimè subsistere, quòd peccatum mortale sit contra, veniale autem præter legem divinam.

Responsio ad opposita fundamenta.

12. AD Cajetani *n. 3.* propositum fundamentum respondetur. Id optimè subsistere, quatenus peccatum mortale Deum Ultimum Finem *Formaliter moraliter* destruendo, simpliciter est discordans à Fine Ultimo, cùm econtra peccatum veniale non sit *Formaliter affectivè* destructivum, nisi ordinabilitatis in Finem Ultimum, nec adeò nisi *secundùm quid* repugnet Ultimo Fini.

13. Ad Scoti *n. 4.* propositam doctrinam Respondetur. Eam teneri posse, si peccatum veniale eo duntaxat sensu dicatur, non esse contra præceptum, sed consilium, quatenus præceptum *Formaliter* & *Complete* spectatũ ipsamet Divini in Primâ Majestate radicati juris exactionem importat, cùm econtra Consilium non nisi medij in Ultimum Finem ordinabilitatem, præcisâ Divini Juris exactione, involvat, ut hæc tamen jure divino non exacta ordinabilitas quandoque sit ab intrinseco, vel ab extrinsecâ legislatoris voluntate definita, ejusque adeò transgressio sit venialiter culpabilis, quandoque verò sit superogatoria, nec ejus adeo omissio sit per se loquendo etiam venialiter peccaminosa, sed stare possit adhuc in materiâ virtutis. Et si proinde Consilium præcisam in Finem ordinabilitatem absque Juris increati exactione formali divini Juris tamen determinatam involvens, in actu morali ejus transgressivo fundet culpam venialem: attamen Consilium medij in finem ordinabilitatem quâ superogatoriam importans ne venialem quidem culpam posse per se fundare. Unde si consilium priori, non autem posteriori modo accipiatur, stare posse Scoti sententiam, nec ut sic pugnare cum nostrate.

14. Ad Mastrij *n. 5.* propositam doctrinam Respondetur. Displicere, quòd prima peccati mortalis differentia desumatur ex præcepti obligationem medij saluti æternæ necessarij determinativâ importantis obligatione. Nam pectũ mortale subsisteret etiam in statu puræ naturæ, Etsi verò tunc omne objectũ sub peccati mortalis reatu præceptũ esset necessariũ ad Beatitudinẽ intellectuali creaturæ in puro naturæ statu spectatæ congruam: attamen ista necessitas ex hoc proflueret, quòd peccatum mortale tanquam objectum odij divini per se terminativum ex consequenti amorem Dei auxiliorum ad Beatitudinem etiam naturalem saltem efficacium causativum impediret. Unde talis necessitas foret consequens peccati mortalis execrabilitatem, atq; adeò primam ejus malitiam, ut sic odij divini primò terminativam, & ad media salutis consequendæ efficacia saltem deneganda concitativam, seu ex parte volitorum *Finaliter* motivam. Hæc ipsa verò esset ratio offensæ Divinæ increati in Primâ Ultimi Finis Majestate radicati Juris *moraliter* destructivæ. Ex quâ proinde malitiâ eatenus redundaret necessitas seu quædam mediorum ad beatitudinem etiam naturalem efficacium saltem indigentia, ut ex hac ipsâ necessitate per objectum lege divinâ simpliciter volitorum transgressionem inducenda denominentur objecta ejusmodi simpliciter necessaria ad Beatitudinem. Ergo ista necessitatis determinatio non *primò ac essentialiter*, seu *secundariò ac consecutivè* afficit peccatum mortale, quà præcepti ad Beatitudinem seu salutem necessarij transgressivum.

15. Ad *n. 6.* propositam doctrinam respondetur, Illas peccati Mortalis ac Venialis differentias omnino subsistere, ita tamen, ut illarum aliquæ sint tantùm secundariæ ac consecutivæ, non autem primariæ ac Quidditativæ. Nam præterquam, quòd vis charitatis & gratiæ destructiva, non conveniat peccato Mortali in statu puræ naturæ, sed elevationis duntaxat supernaturalis, neque actualis culpa mortifera immediatè destructiva esse gratiæ ac charitatis, sed quatenus est Terminativa odij Dei in ipsum etiam suppositum peccãs reflexi ut sic impeditiva Divini gratiã & charitatem influentis amoris. Quare ad istam gratiæ & charitatis privationem, & consequenter ad peccati mortalis tum ex illâ privatione, tum ex Primâ infinitâ ejus malitiâ resultantem irreparabilitatem præsupponitur in peccatore malitia odij divini modo præfato terminativa. Consequens proinde est, quòd ista peccati Mortalis cum gratiâ & charitate oppositio sicut & vis pœnæ æternæ inductiva, nec non peccati Mortalis irreparabilitas sit consequens malitiam ipsius essentialem in aversione à Deo Ultimo Fine, sive hujus morali formali offensione, atque adeò ad Finem Ultimum seu legem simpliciter spectatam oppositione sitam.

CON-

CONTROVERSIA II.

Qualiter peccatum ex genere ſuo Veniale poſſit fieri Mortale?

1. DAri peccata ex genere ſuo per intrinſecam naturam Venialia, evincitur ex Bullâ Pij V. & Gregorij XIII. damnantium aliquas Michaelis Baij Doctoris Lovanienſis propoſitiones, inter quas *n. 12.* eſt iſta. *Nullum eſt peccatum ex naturâ ſuâ Veniale, ſed omne peccatum meretur pœnam æternam.* Unde Sanctus Auguſt. *lib. 83. quæſt. 26.* olim dixerat: *Ex ipsâ Dei ſapientiâ & virtute dijudicandum eſſe, quænam ſint peccata Venialia, quatenus ſcilicet illa judicat de rebus habitâ ratione eorum, quæ illis inſunt.* Cujuſmodi adeò peccata ex genere ſuo ac objecto Venialia eſſe prodigalitatem & tenacitatem ſeu avaritiam, quà virtuti liberalitatis duntaxat, non autem Juſtitiæ oppoſitam; item mendacium veracitati, & immoderatum luſum & jocum Eutrapæliæ adverſantia, rectè aſſerit Oviedo 1. 2. *tract. 6. cont. 3. punc. 4. n. 41.*

2. De his igitur ac ſimilibus peccatis ex genere ſuo & intrinſecâ naturâ Venialibus indubitatum eſt, non poſſe, quamdiu intra ſpeciem ſuam propriam ſubſiſtunt, tranſire in mortale, quamvis ex aliquâ circumſtantiâ transferri poſſint ad aliâ ſpeciem moralē, ſub quâ conſtituantur mortalia. Circa quas proinde circūſtantias peccati de ſe venialis in Mortale transferentes quadruplex hîc venit decidenda difficultas *1. An, & quomodo ex frequentatione? 2. An ratione Finis? 3. An ratione contemptûs? 4. An ratione periculi? 5. denique An, & qualiter ratione ſcandali peccatum Veniale tranſeat in Mortale?*

CONCLUSIO I.

PEccatum ex genere ſuo veniale non præcisè ex actuum frequentatione, ſed ex aliquâ ſpeciem mutante per talem frequentationem moraliter inductâ circumſtantiâ tranſire poteſt in mortale. Suarez *lib. 3. de legibus cap. 28. n. 9.* Azor *lib. lib. 4. inſtit. moral cap. 9. q. 11.* Caſtropalao *præſ. punc. 9. §. 4. n. 1.*

3. Probatur. Ut enim actus aliqui quantumvis frequentati habeant rationem culpæ mortalis, oportet, eſſe à Deo prohibitos ex jure ſuæ divinæ Majeſtatis. At de ejuſmodi ob actuum frequentationem prohibitione non conſtat, niſi accedat ſpecialis aliqua ſpeciem mutans circumſtantia. Hinc *1.* non videtur ſubſiſtere doctrina Vaſquezij *1. 2. diſp. 158. cap. 6. n. 60.* docens: tranſgreſſionem legis ſub veniali licèt duntaxat obligantis frequentem eſſe mortalem, eò quòd notabiliter lædatur finis legislatoris. Nam in contrarium eſt, quòd, cùm materia tali legi ſubjecta nequeat ex naturâ ſuâ gravem habere cum fine moraliter debito deordinationem, nequeat conſequenter, dum intra ſuæ ſpeciei naturam propriam manet, aggravari malitiâ mortali, uti rectè tenet Caſtropalaus *citatus n. 3.*

4. Si tamen *2.* Religioſi paſſim tranſgrederentur regulares obſervantias, ſubeſſe poſſet vel contemptus, vel periculum violandi vota, morum præſertim Converſionis, uti dicetur de Legibus, vel gravis religionis in ſpiritualibus damnificatio & ruina ex defectuoſo ac tepido alicujus religioſi, imò & inquieto, aliorumque perturbativo procedendi modo facile oritura, quis enim, ait Caſtropalaus ubi *ſupra*, dubitare poteſt, religioſum, qui paſſim ſilentium violaret, cubicula ingrederetur, epiſtolas ſine licentiâ ſcriberet, & hæc parvipenderet, ſcandalum fore alijs religioſis, & ruinam religioni non mediocrem allaturum, ut proinde tanquam peſtis eſſet omnino à cætu & cōmunicatione aliorum excludendus. Jn cujuſmodi adeò caſibus ex frequentatione venialium contrahi ex circumſtantijs illis ſpeciem mutantibus malitiam Mortalem; tradunt Abbas *cap. Nam concupiſcentiam. n. 4. & 5. de Conſtitut.* Sylveſter *verbo Religio. 1. q. 12. dicto 4. & 4. 13.*

5. 3. Si tamen peccata frequentata non ex genere ſuo, ſed ex parvitate materiæ per accidens Venialia ſint, tunc quando in aliquo effectu aliquam cum præcedentibus connexionem habente ac peccati Mortalis culpâ ſubinferente coadunantur, non ita tranſeunt in peccatum lethale, ut, quæ prius erant venialia, fiant mortale, ſed ut tandem ſuccedat actus, qui ad præcedentes tranſgreſſiones comparatus gravem contineat deordinationem. Unde, quia Juramenta vera, ſed judicio diſcretionis carentia non uniuntur in uno tertio effectu gravem præſeferente malitiam, idcirco quantumvis frequentata ſemper manent venialia. Econtra verò ſi furtis minutis deveniatur tandem ad gravem alicujus damnificationem, ſive reipublicæ, uti fit in ſtateris doloſis detrimentum notabile; tunc, licèt furta præcedentia, niſi perpetrata fuerint cum virtuali ſaltem ad materiam notabilem deveniendi intentione, maneant venialia. Nihilominùs furtum Ultimatum, in quo comparatione cum præcedentibus factâ grave damnum alienum & injuſtum repræſentatur, eſt hoc ipſo mortale, uti docent Suarez *lib. 3. de legib. cap 28. n. 11.* Vaſquez *1. 2. diſp. 146. cap. 2.* Sanchez *lib. 1. in decal. cap. 4. n. 9.*

6. Ex pari proinde ratione 4. die Jejunij ſæpius comedens aliquid modicum, in ultimâ tandem comeſtione de ſe quidem levi, cum præcedentibus tamen notabilem jejunij violationem importante; ſicut etiam die feſto iteratis vicibus parum laborando, ad notabilem temporis taliter inſumpti partem ſuceſſivè perveniens, peccat mortaliter. Idem eſt in eo, qui intemperanter cibum ſumendo ultimatè cognoſcit, notabile damnum ſanitatis ſe incurſurum. Uti cum Doctoribus à ſe relatis fuſius deducit Caſtropalaus *cit. punc. 9. §. 4. à n. 5.*

CONCLUSIO. II.

PEccatum de ſe Veniale ſecundùm Divum Thomam *1. 2. q. 88. a. 2.* ex fine tranſit in Mortale duplici ratione.

7. *Primò.* Ex intentione Finis mortaliter peccaminoſi; dum v. g. quis otioſè fabulando intendit alteri moram facere, ut negotium aliquod interim omittens, grave incurrat malum. *Secundò.* Dum quis affectui alicui, licet de ſe venialiter tantùm inordinato ita eſt addictus, ut potiùs ſit paratus committere peccatum aliquod

quod mortale, quam illum affectû deserere: tunc enim illa ipsa peccati mortalis species contrahitur, cujus malitia non præponderat ad illius inordinati affectûs abjectionem. Si verò ad nullam determinatam peccati lethalis speciem descendatur, sed in genere sit resolutio sive *Directe*, sive *Indirecte*, aut *interpretative* cogitans de lethali potiùs culpâ committendâ, quam objecto aliquo creato, licèt solum venialiter malo, deserendo, tunc peccatur specifico injuriæ contra Deum peccato. Hinc ob similem animi pravitatem arguendus etiam esset de Mortali, qui nollet in re alias levi obedire Deo, ne faceret ejus beneplacitum; talis enim affectus *Virtualiter* ex parte Finis involveret Dei odium & injuriam gravem. ex Suarezio *lib. 3. de Legibus c. 28. n. 23.* & Ioanne Sanche *disp. 7. select. n. 13.*

CONCLUSIO. III.

Ex contemptu sive legis, sive legislatoris non tantùm Divini, sed etiam humani in objecto licet de se solùm venialiter malo contrahitur malitia mortalis. ex Sancto Thomâ *2. 2. q. 186. a. 2.*

8. Probatur. Nam contemptus legis alius est materialis nullam nisi violatæ legis malitiam specificam importans: alius est Formalis procedens ex formali intentione despiciendi personam aliquam, vel ejus præcepta & consilia. At istum Formalem contemptum habere Malitiam specie distinctam a legis transgressione, constat ex eo, quòd, si versetur circa Deum, ejusve præcepta & consilia, sit peccatum contra religionem per modum tacitæ saltem blasphemiæ, nullam adeò Materiæ parvitatem admittens; uti pluribus probat Suarez *cit. c. 28. n. 23.* & Salas *de Legib. disp. 18. sect. 8. n. 38.* Si verò contemptus sit adversus legislatorem Humanum, ejus præcepta seu consilia, ceu vana & inutilia despiciendo, adversatur virtuti observantiæ, uti recte tradit Castropalaus *cit. punc. 9. §. 2. n. 5.*

9. An verò in tali legislatoris humani contemptu subesse possit materiæ levitas, disputant Doctores. Affirmant enim Medina *1. 2. q. 88. a. 4. in fine.* Valentia *1. 2. disp. 7. q. 5. punc. 6. in 1. casu.* Cajetanus *in sum. verb. Contemptus. vers. advertendum.* Thomas Sanchez *lib. 1. in Decalog. cap. 5. n. 11. & 13. in fine.* dari posse Veniale peccatum contemptûs, si præceptum superioris non contemnatur absolute, sed prout est in Materia levi. E contra negant Suarez *supra n. 24.* Castropalaus *cit. §. 2. n. 5.* eò quod talis contemptus afficiat ipsam legislatoris potestatem, quæ ut sic est materia gravis a Deo ordinata, atque adeò redundans in Dei injuriam, juxta illud *Luc. 10. Qui vos audit, me audit.* Verùm licet ista doctrina omnino tenenda sit dum contemptus attingit legem, vel

10. legislatorem formaliter spectatum. Secus tamen est si superior contemnatur, non ut superior, sed quà enus est vir indoctus, & imprudens, ac ex hujusmodi contemptu quis nolit ei obedire in materiâ levi, hinc enim posse talem contemptum ad instar detractionis ac murmurationis, vel levis cujusdam ad parendum in materiâ ... inducentis erga superiorem indignationis venialem esse, Castropalaus *citatus* censet cum Doctoribus *ibi* relatis, addens ex Bonacinâ *disp. 2. de peccatis. q. 3. p. 7. n. 11.* a mortali etiam excusari clericos alicujus Seminarii, nolentes obedire suis Præfectis ex quodam ipsorum contemptu: Siquidem isti non habeant potestatem superioris, atque adeò ipsorum contemptus habendus sit ad instar contemptûs hominum particularium, qui tanquam peccatum injustitiæ pro materiæ gravitate ac levitate est quandoque mortalis, quandoque verò venialis.

CONCLUSIO IV.

Ratione periculi non quidem remoti, sed proximi in peccatum lethale inductivi culpa ex genere suo Venialis, imò actus de se indifferens transit in mortalem, modo nulla subsit alterioris rationis causa, per quam liceat tali periculo se committere.

Probatur. Quia exponens se periculo *indirecte* etiam & in causâ est volens peccatum inde secuturum. Unde quamdiu est in tali periculo constitutus, est incapax absolutionis sacramentalis. In quo tamen casu, si pœnitens nolit relinquere occasionem peccandi, Confessarius discrete judicabit, an sit periculum proximum, vel remotum duntaxat. Est enim remota peccandi occasio, ex quâ aliquoties, non tamen ordinarie secundum moralem quandam infallibilitatem quis inducitur in peccatum. Ejusmodi verò est negotiatio, quam difficulter exerceri posse sine peccato, habetur *in cap. Qualiter. & cap. Contrarium. dist. 5. de pœnit.* At certum est, mercatorem non obligari ad relinquenda hæc officia: non enim Sanctus Ioannes Baptista *Luc. 3.* consuluit militibus, ut desererent militiam ceu remotam peccandi occasionem, sed status sui leges observarent. Cujus ratio est. Quia in omnibus mundi statibus est occasio remota peccandi: unde si obligatio esset, hanc evitandi, deberent omnes fieri Eremitæ, ac exire de mundo, uti arguit *S. Paulus 1. Corinth.* ... Hinc antiqui authores apud Card. de Lugo *disp. 14. de sacram. pœnit. sect. 10. n. 11.* non imprudenter existimant, absolvi posse adolescentes versantes cum fæminis laborando v. g. non tamen simul habitantes, licet sæpius peccarint mortaliter: hæc enim occasio putatur tantùm remota, cum ex illâ non semper, aut ferè semper soleant homines mortaliter peccare, & ad talem occasionem evitandam foret necessum, talem pœnitentem ablegare extra mundum.

Alia proinde occasio peccandi est proxima, quæ definiri solet, quâ homo consideratis circumstantijs vel secundùm rei naturam, vel secundum propriam fragilitatem ferè nunquam utitur absque peccato: cujusmodi est detentio concubinæ non in propria duntaxat domo, sed alibi alitæ, ut pro voluntate suâ quis eâ frui possit. ex Castropalao *cit. punc. 9. § 3. n. 2.* 12. Neque verò occasio proxima peccandi ex hoc solùm est dijudicanda, quod inducat in peccatum opere consummatum, sed sufficit esse solum in voluntate, ut adeò retinens domi fæminam, ex cujus præsentiâ movetur ad lasciva desideria, debeat modis intra ponendis ab ejus

 consor-

conſortio ſe abſtrahere. ex Navarro *in ſum. cap. 3. n. 23.* Joanne Sanche *in ſelect. diſp. 10. n. 13.* Quòd ſi tamen occaſio taliter ſit conſtituta, ut quis ſemel, iterumque in eâ peccârit, pluries autem reſtiterit, non cenſetur moralis & proxima peccandi occaſio. ex Sanche *citato n. 40.* & alijs. Cùm proinde occaſio proxima peccandi cenſeatur, quæ ſecundùm moralem æſtimationem infallibiliter, id eſt, ut plurimùm trahit ſecum peccatum, evidenter ſequitur, hominem eâdem obligatione teneri illam evitare, quâ ipſum peccatum. Unde audiendus non eſt Ioannes Sanchez *cit. diſp. 10 n. 4.* qui auſus eſt affirmare, non ſolùm ſemel, ſed ter, & quater abſolvi poſſe, qui eſt in occaſione proximâ peccandi, dummodo proponat firmiter, ſe non peccaturum. Quare cum Caſtropalao *cit. §. 3. n. 18.* potiùs te-
13. nendum eſt, quando pœnitens non ex altiori quâdam ratione excuſatur à dimittendâ proximâ peccandi occaſione, poſſe quidem confeſſarium ſemel, aut iterum abſolutionem impendere, antequam de facto pœnitens illam occaſionem deſerat, ſperetur tamen illam deſerturus, rarius tamen debere abſolutionem taliter concedi, ſed oportere, pœnitentem cogere, ut à ſe peccati periculum expellat, ut tali periculo liberatus abſolvatur. Cujus ratio eſt. Quia confeſſarius non tantùm tenetur ſubire officium Iudicis, ſed etiam Medici: ex quo proinde officio Medici tenetur medicamentum apponere, quod videt unicè neceſſarium ad præcavenda futura peccata, in quæ certò prævidetur, occaſione ante abſolutionem non remotâ, relapſurus, utpote poſtea nullam de hoc curam habiturus, uti præſertim accidit in concubinarijs, quos proinde Navarrus *ſum. cap. 16. n. 16.* Sylveſter *verb. Concubinarius. q. 2.* & alij cenſent; ne primâ quidem vice abſolvendos, niſi priùs expellant concubinam. Quod tamen videtur temperandum, niſi vel pœnitens extraordinarium oſtendat dolorem ac propoſitum, ex quo moralis ſpes affulgeat deſerendæ occaſionis malæ, ac vitæ emendandæ, vel gravis ſubſit cauſa, propter quam talis occaſio hic & nunc relinqui non poſſit, uti mox dicetur.

14. Quare 2. oportet, confeſſarium in caſu proximi ad peccandum incitativi periculi prudenter penſare, an non forte talis occaſio per cauſam gravem honeſtari poſſit. Nam peccati periculum non eſt imputabile, niſi in quantum *indirectè* volitum eſt peccatum. At ſi hujus occaſio ex cauſâ honeſtatis, aut neceſſitatis ſit ſuſcepta, non cenſetur *indirecte* volitum peccatum, imo nec hujus periculum quà tale eſt voluntarium. Juxta illud *S. Baſilij in Conſtit. Monaſt. cap. 4. Qui urgente*, inquientis, *aliquâ cauſâ & neceſſitate, ſe periculo objicit, vel permittit, ſe eſſe in illo, cum tamen alias nollet, non tam dicitur amare periculum, quam invitus illud ſubire, & ideò magis providebit Deus, ut illo ne pereat.* Unde Caſtropalaus *citatus n. 8.* ex communi ſententiâ rectè concludit, licitum eſſe ob gravem, honeſtamque cauſam periculo peccandi ſe exponere, vel ſi jam expoſitus ſit, periculum non deſerere. Hinc 1. permittuntur *in Can. Conſultationi. de Frigidis & Maleficiatis.* ſimul habitare conjuges ut frater & ſoror, quorum Matrimonium ob impotentiam eſt nullum: quòd, licet occaſio proxima tactuum ſubſit, hæc tamen honeſtetur ratione infamiæ & ſcandali ex ſeparatione ſecuturi. Neque 2. Filiusfamilias ob detrimentum ſibi futurum tenetur deſerere domum patris, in quâ habet occaſionem peccandi, ſed alijs medijs, quantum poteſt, hanc declinare. ex Navarro *cit. cap. 3. ſum. n. 4.* & alijs. Ex pari ne- 15.
ceſſitatis alienæ ratione Caſtropalaus *cit. §. 3. n. 10. 11. & 12.* tradit; licere cum periculo ſubverſionis accedere infideles ex motivo eos convertendi, vel prædicare meretricibus cum periculo peccandi, nec non chirurgo licitum eſſe, inhoneſtiores partes fæminæ curare cum periculo conſenſûs, ſicuti etiam parochum (non tamen Confeſſarium, nullâ audiendi confeſſiones obligatione obſtrictum, & id muneris hic & nunc facilè recuſare potentem) poſſe cum periculo voluntariæ pollutionis ex confeſſionis audiendæ occaſione reiteratæ huic officio ſuo inſiſtere. Cujus ratio eſſe poteſt, quòd grave damnum ex illarum occaſione imminens ſit certum; damnum verò ex illa occaſione ſecuturum ſit evitabile Dei auxilio, quod ſperare licet illum, ſi actiones prætactæ ex honeſto motivo ſuſcipiantur. Verùm 4. rejciendus eſt Joannes Sanchez *cit. diſp. 10. n. 20.* aſſerens; Dominum, qui concubinæ dedit mutuos centum aureos, quorum, ſi ipſam è domo expellat, recuperandorum ſpem non habet, poſſe eam retinere. Cujuſmodi doctrina vel ex hoc capite venit meritò redarguenda, quòd quilibet teneatur conſulere ſaluti propriæ etiam cum aliquo temporali detrimento, ut rectè advertit Caſtropalaus *citatus n. 14.* 5. Deni- 16.
que licet Thomas Sanchez *lib. 1. in Decalog. cap. 5. n. 4.* exiſtimet, propoſitum committendi omnia venialia, quæ ſe obtulerint, eſſe mortaliter peccaminoſum: eò quòd, cùm mortalia Divo Thomâ *2. 2. q. 83. a. 3* atteſtante, diſponant ad mortale, is, qui vult committere omnia venialia, in manifeſtum peccati mortalis periculum ſe voluntariè conjiciat; ſi enim, *qui modica ſpernit, paulatim decidet, Eccleſ. 19.* conſequens eſt, eum, qui omnia modica peccata non curat, ſed de ijs perpetrandis expreſſum habet propoſitum, tunc cadere. Verum Caſtropa- 17.
laus *cit. §. 3. n. 5.* cenſet, ſi tale propoſitum non ſit longo tempore continuatum, vel ex frequenti reiteratione habituatum, non ita movere Deum ad deneganda gratiæ auxilia, ut quis in proximum peccandi mortaliter periculum ſe conijciat, quin potiùs, ſi per actus charitatis, vel religionis, vel propoſito non peccandi mortaliter interrumpatur, & animus firmari poſſit, ne corruat, & Dei Iuſtitia non in tantum irritari, ut gratiæ ſuæ auxilio ſubtracto, ſit *moraliter* certum, ex illo propoſito aliquem lapſurum in grave peccatum. Niſi proinde venialium multitudo, veluti in furtis minutis coadunetur in aliquo effectu gravem deordinationem præſeferente: vel per naturam ſuam, veluti occaſiones de ſe veniales ad peccata carnis incitativæ conijciant, in culpæ Mortalis proximum periculum, vel certè ob animi nimis perverſam in Venialibus firmitatem & pertinaciam, timoris Domini frænû quaſi rumpatur, tunc venialium multitudo ſive *actualiter* contracta, ſive *objectivè* volita eatenus manet intra limites remoti de peccato mortali incurrendo periculi, ut ſemper adhuc verificetur, eum, qui talia modica peccata ſpernit, non niſi paulatim lapſu-

lapsurum in vi dispositionis remotæ duntaxat.

Conclusio V.

Ratione etiam scandali potest peccatum ex se Veniale transire in Mortale. ex communi sententiâ Theologorum, nominatim Thomæ Sanchez *eit. lib. 1. in Decal. cap. 6. n. 11.*

18. Probatur. Quia venialiter peccanti imputatur proximi mortale peccatum seu ruina spiritualis ex alicujus actu Venialiter peccaminoso, imò quandoque etiam indifferente *indirecte* secutura. Si ergo quis prævideat proximum ex Veniali suo peccato in gravem & mortalem culpam lapsurum, tunc charitas proximi ac præceptum Correctionis fraternæ ad proximorum peccata impedienda obligans graviter violatur. Unde Divus Thomas *1. 2. q. 88. a. 5. ad 1 in fine* ait, quòd quantumcunque diuturna sit ira, si tendat in nocumentum ex genere suo veniale, dum v. g. quis illi, cui irascitur, intendit dicere verbum aliquod leve, & jocosè modicè ipsius contristativum, non sit peccatum mortale, per accidens tamen ratione scandali secuturi posse fieri lethale. Verùm de scandalo, & causis ab hoc excusantibus dicemus in materiâ de charitate.

19. Interea unicum libet hic annotare, quòd ex actione licitâ proximi ruina prævisa non tam facilè imputetur secundùm voluntarium etiam indirectum, uti bene advertit Thomas Sanchez *lib. 1. in Decal. cap. 17.* Unde puellam, quæ novit, se turpiter adamari ab aliquo adolescente, non teneri se domi continere, vel decenter se non ornare, modò tali adolescenti de industriâ citra causam rationabilem se non offerat: sicuti etiam excusantur à gravi culpâ vendentes indifferentia, quæ norunt alijs suâ culpâ fore ruinam & occasionem peccandi. De quibus tamen *alibi* ex instituto fusius disseremus.

CONTROVERSIA III.

Qualiter peccatum ex genere suo Mortale fieri possit Veniale?

1. In limine statim hujus controversiæ difficultas exurgit, quomodo fieri possit, quòd peccatum secundùm naturam suam mortale, manente eâdem specie, transire possit in Veniale. Etenim Veniale & mortale differunt secundùm differentias essentiales, atque adeò subalternè specificas. At impossibile est, essentias ac species mutari

Verum ad hoc responsio patet, si 1. in peccato tum Mortali, tum Veniali distinguatur tum malitia ex specificâ objecti qua per rationem regulati deformitate, ut sic specificæ alicui virtuti oppositâ, *in Quarto perseitatis modo* specificata, tum malitia ex Iuris Divini actionem aliquam moralem, vel ejus abstinentiam exigentis affectivâ læsione *formaliter* desumpta. Est autem inter has duas malitiæ formalitates hoc discriminis, quod prior se h[illegible] ad instar materialis, supra quod cadat illa Divini Juris affectiva læsio in ordine ad peccati mortalis ac venialis differentiam essentialem se habens *formaliter*. Unde illa prior [illegible] mortalis aut venialis peccati malitiam [illegible] *materialiter* se habens malitia, quando [illegible] seu specie suâ dicitur mortalis, perinde est, ac si diceretur, ex suâ Essentiâ per objectum virtuti [illegible] cui specificæ contrarium specificatâ habere potentialitatem à formalitate Iuris Divini *Moraliter Formaliter* læsivâ eatenus determinabilem, ut nisi materiæ parvitas, vel indeliberatio impediat, exinde fiat *formaliter* & *actualiter* mortalis, cum tamen ex specie sua non nisi *potentialiter* seu *materialiter* & *aptitudinaliter* sit mortalis. Sicut è contra Veniale, licèt stante eadem specie, non possit transire in mortale, hæc ipsa tamen intrinseca specifici alicuius peccati venialis species in [illegible] signato considerata potest intelligi sub aliquâ potentialitate per aliam specificam malitiam eatenus determinabili, ut sub illa sibi superveniente specificâ malitiâ possit affici per moralem Iuris Divini læsionem, ac exinde denominari mortale.

2. Quamvis ergo peccati Mortalis ac Venialis differentia sit specifica & essentialis *in genere moris*, si actuum moralium ratio attendatur non sub præcisâ sui ex objectis specificatione, sed sub morali Divini Iuris vel læsione, vel non læsione; nihilominus ratio peccati mortalis ad actum moralem sub priori respectu consideratum se habet solum *Denominative* per modum vel accidentis separabilis; vel ut in peccatis solâ lege positiva prohibitis, vel per modum proprietatis connaturalis materiam gravem plene deliberatè sub tali specie admissam afficientis; velut in peccatis jure naturali vetitis. Unde non implicat [illegible] fieri potest, ut peccatum, manente eâdem actûs moralis secundum sui præcisam ex objecto specificationem spectati specie, ex culpâ de se *potentialiter* mortali ob materiæ levitatem, vel plenæ deliberationis defectum transeat in Veniale.

Quibus adeò suppositis restat decidendum; *Ex quibus capitibus peccatum de se mortale transire possit in Veniale?*

Conclusio I.

Peccatum ex genere suo Mortale redditur Veniale ob materiæ parvitatem, *ex communi Theologorum sententiâ.*

Probatur. Nam Deus in suis Divinis circa creaturas intellectuales ordinationibus se accommodat ipsarum naturis. Unde quia in materiâ Venereâ secundùm puræ naturæ statum respectu Finis humanæ rationi debiti consideratâ non datur materiæ levitas; idcirco in ordine ad statum etiam supernaturalem voluit Deus illam materiam prohibitam, non præcisè ob intrinsecam ipsius cum naturâ rationali disconvenientiam, sed ex ipso suæ Divinæ Majestatis & Ultimi Finis Iure. Econtra verò in materiâ furti & detractionis, cùm in puræ naturæ intellectualis statu detur parvitas, non habens gravem à Fine naturæ humanæ debito deordinationem, idcir-

eo respectu Finis etiam supernaturalis noluit Deus illam materiam exactam ex gravi obligatione. At verò si Deus ex Iure Ultimi Finis seu Majestatis suæ Divinæ dominio materiam furti quantumvis levem exigeret, non esset *moraliter* minùs gravis, quam in Adamo pomi ob supremi Divini Dominij recognitionem vetiti abstinentia continebat materiam *Formaliter* gravem. Constat igitur, peccatum de se mortale posse ob materiæ levitatem fieri veniale eo ipso, quòd talem materiam, seu actum Deus non soleat exigere ex supremæ Divinæ Majestatis suæ Iure; nec adeò transgressio ipsius tunc contineat strictè loquendo injuriam seu offensam Divinæ Majestatis, sed medij duntaxat in Finem ordinabilitatis in materiâ non nisi parvâ defectum.

Quibus taliter constitutis, nova se prodit difficultas, *Unde scilicet materiæ gravitas, vel levitas in peccato desumenda sit?*

4. Etenim Oviedo *præs. tract. 6. cont. 3. punc. 14. n. 45.* existimat, nullo alio modo explicari posse gravitatem peccatorum ex objecto lethalium, nisi dicatur; illa esse lethalia ex objecto, quæ intra primam speciem ex objecto desumptam possint gravem fundare dissonantiam. Ex his autem quædam esse, quæ non necessariò illam fundant, sicuti furtum: alia verò esse, quæ necessariò gravem continent dissonantiam, ita ut nunquam intra illorum objectum levis dissonantia reperiatur, & consequenter semper sint mortalia, si ex plenâ advertentiâ procedant. Ejusmodi verò esse Perjurium, Odium Dei, Infidelitatem & Desperationem. Imò secundùm Suarezium *lib. 2. de legib. cap. 28. n. 11.* & Thomam Sanchez *lib. 1. sum. cap. 4. n. 1.* nullam dari parvitatem materiæ in his, quæ *immediatè* & *directè* circa Deum, & ejus honorem versantur, & hâc de causâ in Iuramento assertorio falso, Simonia, & similibus non dari materiæ levitatem, eò quod in ipsis semper inveniatur integra irreverentiæ & offensæ Divinæ ratio.

Verùm in hoc Oviedo *citatus à n. 46.* & Castropalaus *cit. disp. 2. punc. 7. n. 2.* invenit aliquam difficultatem: inquiri enim posse, ait, cur integra Dei offensa & irreverentia in materiâ parvâ Odij, Infidelitatis, Contemptûs & Iuramenti assertorij falsi, non autem in Iuramento promissorio, comminatorio, voto, sacrilegio & alijs religioni contrarijs peccatis reperiatur?

5. Quare Castropalaus *citatus n. 4.* cum Suare, Thomâ Sanche, & Vasque à se relatis concludit, gravitatem & levitatem materiæ desumendam esse non ex eâ secundum se spectatâ, sed secundùm quod conducit ad Finem intentum à Legislatore, ita ut, si materia præcepta graviter conducat Fini Legislatoris, sit Peccatum grave illius transgressio, esto materia levis sit; si verò leviter conducat, sit peccatum Veniale, esto materia gravis sit. Fundamentum desumitur ab inductione. Si enim præcipiat legislator, ne alienum contra voluntatem Domini accipiatur, vel retineatur; finis hujus præcepti, qui est indemnitas alterius, non læditur graviter per furtum minutũ, sed per rei graviter damnificantis ablationem. Item multiloquium est materia de se levis, si tamen ex eo graviter minuatur observantia religiosa, & ob id superior silentium præcipiat, violatio silentij erit peccatum grave. Similiter ingressus unius in alterius religiosi cubiculum est de se materia levis, si tamen prohibeatur ob gravia inde nocumenta evitanda, sine dubio talis ingressus erit materia gravis, veluti hæc omnia authoritate Doctorum firmat Castropalaus *citatus* addens in fine, in casu dubio an materia graviter conducat ad finem præcepti, & an finis gravis sit, præsumi debere esse gravem, cum præsumptio sit pro communiter contingentibus, neque verò soleat nisi raró fortassis præceptum imponi, nisi ob finem gravem, & de materiâ illi necessariâ.

Conclusio II.

CUjvis actui morali præcepto vel ob intrinsecam secundùm naturam rei, atque adeo vi Juris naturalis, vel secundùm determinationem legislatoris in vi legis positivæ est suus Finis definitus, ex cujus gravitate, nec non ad talem finem conducibilitate in præceptorum transgressionibus optime desumitur materiæ gravitas, seu levitas.

Probatur. Nam quæ peccata jure naturæ prohibita sunt, adversantur honestati alicujus finis per connaturalem creaturæ quâ Intellectualis exigentiâ determinati, cum econtra peccata per Jus positivum vetita contrarientur fini per legislatoris voluntatem definito. Juxta cujusmodi adeo Finem, nec non rei præceptæ ad illum conducibilitatem est omnimode mensuranda gravitas, seu levitas materiæ. Hinc enim, quia peccata carnis eatenus adversantur Honestati decentem Humani generis propagationem præfigenti, ut, quia ob hominum ad ejusmodi peccata proclivitatem semper foret periculum, hunc honestatis finem notabiliter transgrediendi, dum quoquo modo extra matrimonium permitterentur venereæ delectationes, idcirco ex tali intrinsecâ ad Finem à virtute Castitatis præscriptum manutenendi determinatione, & conducibilitate omninò necessariâ non datur in ejusmodi venereæ delectationis peccatis materiæ levitas. Secus est in materiâ furti, ubi non statim ex quacunque levi damnificatione est ordo *intrinsecè* determinatus ad grave damnum inferendum, nisi v. g. in stateris dolosis de se licèt respectu singulorum non nisi leviter damnificativis; attamen per suam quasi naturam determinatis ad commercia humana graviter damnificanda. 6.

Conclusio III.

PEccatum ex suo genere mortale transit in Veniale etiam ex defectu plenæ deliberationis, atque adeo plenæ libertatis, ex communi Doctorum sententia, speciatim Divi Thomæ *1. 2. q. 88. a. 6.* contra Joannem Sanchen *in select. disp. 18.* insinuantem, non posse dari peccatum ex semiplenâ deliberatione Veniale, sed vel nullum esse, vel mortale; eò quod Deus sua præcepta non imponat sensu hominum

sed

sed homini integro, suarumque actionum Domino, atque adeo ex plena libertate ac deliberatione perfectâ operanti.

7. Probatur nostra conclusio ex eo, quòd cum imperfectâ gravis à Deo inordinationis advertentiâ subesse possit libertas, adeòq; peccati Malitia Formalis. Hanc verò non esse Mortalem, communis Theologorum consensus probat, dum scilicet Deus è gratiæ statu dejectum & pœnæ æternæ addictum non vult illum, qui offensæ suæ Divinæ malitiam nequidem in confuso habet expressam sub deliberatâ & plenâ ratione; ut adeò DEUS eatenus imponat homini præcepta, ut si perfectè quà homo, id est, cum plenâ deliberatione agat, culpam lethale, si vero quà homo solùm imperfectè cum semiplenâ deliberatione operetur, culpam duntaxat venialem incurrat.

8. Verùm hoc ita accipiendum est, ut ad peccatum mortale non requiratur de specificâ actûs malitie deliberatio seu advertentia *Extensive* plena; sed sufficit mali Deo graviter adversantis in communi, vel in confuso, sive periculi advertentia, quæ prævio diligenti examine ducere posset intellectum in distinctam malitiæ, gravitatisque peccati notitiam, ex tunc enim diligente inquisitione, seu discussione maturâ nón habitâ, malum in sui periculo expressum est saltem *indirectè ac interpretativè* volitum, *uti supra q. 9. a. 3. cont. 1. n. 5.* fusè diximus. Quare ad peccatum de se grave à mortali malitiâ excusandum oportet, quòd talis malitiæ advertentia ob rationem vel semisomno, vel semiebrietate, vel passione, vel distractione præpeditam *Intensivè* ac eatenus sit imperfecta, ut intellectui vires integræ non suppetant ad plenam de gravitate malitiei, atque adeò deliberatam considerationem; uti Amicus *pras. disp. 17. sect. 8. n. 170. 172. 173. & 174.* fusius deducit, hujus exemplum ex Cajetano *in sum. ver. Delectatio.* ponens in illo, qui primùm è somno evigilans, nondum sui perfectè compos consensum præbet in pollutionem. Unde cùm idem in ratione ligandâ valere possit in vigilante passio, quod semisomnus, ait author *citatus*, consequens esse, quòd motus secundò primi cum aliquâ rationis advertentiâ imperfectâ licèt conjuncti sint veniales duntaxat; cum econtra motus primò primi rationis advertentiam omninò prævenientes, sicuti & actus in somno utpote rationem omnimode ligante facti ne venialem quidem culpam contineant: siquidem omne peccatum etiam Veniale oporteat saltem primariò esse in parte superiore animæ ut sic versante circa res æternas, quibus peccati subjectumque malitia *formaliter* opponitur, nec [illegible] ratione per somnum, aliove modo ligatâ, subinde re possit consensus, formalem etiam venialem malitiam contrahens ex objecto peccaminoso. Nec obstat, quòd in somno videatur quandoque subesse discursus, hoc enim est secundum expressionem duntaxat phantasmatum repræsentantium voces, seu signa sensibilia discursuum ejusmodi repræsentativa.

Cœterum aliqua, licet probabilia duntaxat, non certa Castropalaus *cit. disp. 2. punc. 6. n. 5.* profert indicia, quibus dignoscatur, utrum quis cum semiplenâ duntaxat advertentiâ sit operatus. 9. *Primum* ex Thomâ Sanche *lib. 1. in Decal. cap. 1. n. ult.* petitum est ex defectu ætatis septennium necdum attingentis, tunc enim præsumptio stat pro deliberatione ac libertate in peccatis semiplenâ duntaxat. Idem est in dubitante, an perfectè fuerit à somno excitatus, vel ebrietatem depulerit. *Secunda* conjectura, si animum firmum quis habeat & sæpe repetitum de mortali nunquam committendo, præsumere enim poterit, se non plene consensisse peccato, siquidem illa, quæ odio multoties sunt habita, quando cum plenâ advertentia admittuntur, facile ac sine difficultate cognoscuntur. [illegible] ex Sanche *citato n. 17.* & Bonacina *disp. [illegible] de peccatis q. 2. p. 3. n. 19.* desumptum indicium est, si facile quis possit exequi peccatum, id tamen, dum sui compos est, pro viribus respuit, talis enim præsumere potest, antea plenè non consensisse, siquidem affectus efficax non tam facile mutetur. *Quarta* conjectura secundùm Menochium *lib. 1. de præsumpt. & lib. 5. præsumpt. 32.* sumitur ex communiter contingentibus. Unde si aliquis timoratæ sit conscientiæ, solitus adeò peccatum mortale abhorrere, præsumendus est non plenè consensisse, cùm de consensu dubitat; sicuti econtra is, qui perditis moribus est, contra se habet de consensu præsumptionem. ex Sanche *citato n. 20.* & Bonacinâ *n. 19.*

10. Quibus tandem superaddit Castropalaus *in fine cit. punc. 16.* cum ejusmodi conjecturæ utpote non certæ nequeant dubium de consensu peccati tollere, consequenter non excusare à lege Divinâ obligante ad peccata ejusmodi confitenda, dum dubius quis existit de pleno consensu; secus tamen fore, si probabilis, prout ex qualibet illarum conjecturarum fieri possit, formetur opinio de consensu plenè deliberato non præstito, tunc enim posse huic quempiam se accommodare. Verùm de hoc *alibi* ex instituto.

QUÆSTIO UNDECIMA
DE
DE PECCATO OMISSIONIS ET COMMISSIONIS.

1 SUperius diximus, duplicem posse peccati præsertim Mortalis formalitatem distingui, alteram in ordine ad Divini Primæ Majestatis Juris læsionem moralem, sub quâ formalitate subsistit divisio peccati in mortale & veniale. Alteram proinde peccati tum mortalis, tum venialis Formalitatem posse considerari per intrinsecam actûs moralis ab objecto rectæ rationi dissono specificationem. Quia verò objecti cum rectâ ratione dissonantia provenit ex contrarietate cum præcepto partim Affirmativo, partim Negativo, idcircò secundùm istam specificationis ex objecto Formalitatem conveniens est peccati divisio in *Omissionis* præcepto Affirmativo, & *Commissionis* præcepto Negativo repugnans peccatum.



ARTICULUS I.
DE
Peccato Omissionis.

2 MOveri hic posset controversia, utrùm omissionis peccatum consistere possit in purâ omissione; Verùm hujus discussionem videre licet *supra q.3.a.1. cont.5. &c.* Quatuor igitur duntaxat supersunt decidendæ difficultate. 1. *Utrùm actus positivus, qui est causa omissionis culpabilis, sit peccatum commissionis, vel omissionis?* 2. *Utrùm omnes actus cum observantiâ alicujus præcepti incompossibiles participent malitiam culpabilis omissionis?* 3. *Quo tempore peccetur peccato omissionis, si hujus causa fuerit posita?* 4. *Ex quibus impedimentis omissio reddatur inculpabilis?*

CONTROVERSIA I.
Utrùm actus positivus, qui est causa omissionis culpabilis, sit peccatum commissionis, vel omissionis?

3 PRima sententia Gabrielis *in 2. dist. 42. q. 1. a. 2. dub. 3.* & probabiliter Gandavensis *quodl. 12. q. 24.* Salæ *tract. 13. disp. 2. n. 1.* affirmat, actum positivum, qui est causa omissionis culpabilis, esse peccatum Commissionis numero ac specie distinctum a morali omissionis malitiâ.

Fundamentum 1. est. Nam peccata præceptis specie, imò genere diversis opposita distinguuntur specie. Ejusmodi vero sunt præceptum Affirmativum & Negativum. Atqui malitia omissionis opponitur *Formaliter* præcepto Affirmativo, actus verò causans talem omissionem præcepto Negativo de non ponendo actu omissionis *Moraliter* malæ causativo, cujusmodi adeò vis malitiæ omissionis causativa est quædam malitia radicalis & Causalis, importans quid positivum, utique specie diversum a Formali omissionis malitiâ importante privationem actûs debiti. 2. Si volitio positiva directè, vel *indirectè* causans omissionem culpabilem, non esset peccatum commissionis specie diversum à malitiâ illius omissionis, non foret 4 hujus alia ratio, nisi quod illius positivæ volitionis objectum *in genere moris* specificativum esset omissio, seu privatio debitæ rectitudinis moralis. At istam rationem haud subsistere, evincitur ex eo, quod desiderium mortis alienæ habeat pro objecto privationem vitæ, scilicet mortem, & tamen sit peccatum commissionis, non autem omissionis.

Secunda Medinæ *1. 2. q. 71. a. 5. dub 2.* Cutielis *ibi. dub. 2. §. 5. & dub. 3. §. 2. concl. 5.* Vasquezij *præs. disp. 93. cap. 3.* Ysamberti Sorbonici *ad præs. q. 71. disp. 7. a. 5.* Serræ *ad cit. art. 5. dubio. 3.* & Gonetij *præs. disp. 3. a. 3. concl. 2 & in coroll.* sententia negat, 5 quòd actus causans omissionem culpabilem habeat malitiam moralem specie ac numero distinctam ab omissione.

Fundamentum Vasquezij præcitati est. Tum quia, si talis actus esset peccatum Commissionis specie distinctum ab omissione, deberet explicari in Confessione, nec sufficeret dicere, *Missam non audivi*, sed opus esset explicare causam, in quâ esset peccatum commissionis. Hoc autem est contra communem praxin, ac sensum fidelium.

6 Tum quia sicut voluntas & Causa Homicidij non habet aliam malitiam, quam Homicidij, quando alioquin mala non est: sic etiam voluntas omittendi, & causa omissionis, quæ ex se malæ non sunt, non habebunt aliam malitiam, quam omissionis: eodem enim modo voluntas se habet,

habet ad omissionem, quo modo actus interior ad exteriorem circa idem objectum. Sicut ergo ex actu exteriori derivatur in interiorē malitia eiusdem speciei, sic etiam ab omissione derivatur malitia in voluntatem, quæ *directe* aut *indirecte* fertur in ipsam omissionem.

CONCLUSIO.

Actus positivus, qui est causa omissionis culpabilis, est ut sic peccatum Omissionis, non verò Comissionis specie morali indistinctum à *malitia* Omissionis.

Probatur. Tum quia omnia, quæ ordinan-
7. tur ad consummationem unius peccati, inquinantur huius malitiâ, nec ex istâ ordinabilitate sortiuntur aliam malitiâ. Nisi ergo per sui ex objecto specificationē habeant specialē malitiā, erunt
8. unius moralis speciei. Tum quia peccatum Comissionis est, quod adversatur præcepto Negativo per se obliganti, non vero dependenter a præcepto Affirmativo. At licet susceptio itineris v. g. extra causam necessitatis, vel magnæ utilitatis, quatenus est Causa non audiendi sacrum die festo, sit prohibita per præceptum *Materialiter* negativum: hæc ipsa tamen de itinere taliter suscipiendo prohibitio quoad formalem obligandi rationem reducitur in præceptum affirmativum de audiendo sacro, cū quo actus ille habet incompossibilitatem. Ergo actus ejusmodi, licèt *Materialiter* & *physicè* sit positivus, *Formaliter* tamen habet solam moralis omissionis imputabilitatem.

Dices. In actu studij v. g. quatenus est causa
9. omissionis sacri die festo, esse specialem Malitiam moralem tum in eo se tenentem, quòd studium *Appretiativè* plus ametur, quam præcepti illius observantia, tum quòd studium specialem tunc habeat repugnantiam cum virtute studiositatis catenus moderantis sciendi appetitum, ne Cultui Divino vi præcepti Ecclesiastici debito prædominetur.

10. Contra. Nam studij præ lege Missæ auditionem præcipiente appretiatio ut sic non fundat specificam malitiam, sed Transcendentalem, omni peccato mortali etiam omissionis communem. Ergo ex istâ transcendentali malitiâ nequit studium in illo casu specificam peccati Comissionis Malitiam contrahere. Eo ipso enim, quòd virtus studiositatis ex specifica suâ differentiâ non moderetur appetitum sciendi nisi intra limites objecti scibilis supposito congrui; ne scilicet ad inutilia & curiosa deflectat, vel per desidiam & torporem à rebus scitu necessarijs & pro qualitate subjecti congruis deficiat, sequitur, studium, quatenus est Causa die Festo non audiendi Sacrum, non adversari virtuti studiositatis secundum specificam suam Honestatem, sed secundum Transcendentalem virtutis rationem spectatæ: siquidem virtuti, tanquàm dispositioni perfecti ad optimum ordinativæ, ex Transcendentali suâ quidditate convenit, non posse in ullâ sui specie subsistere, ubi aliqua ex circumstantiâ etiam deordinatio Moralis
11. intervenit. Cum proinde malitiæ formalitas, studij præ sacri præcepti auditione appretiationem cum virtute studiositatis hoc ipso incompatibilem importans, ut sic non sit specifica, sed Transcendentalis, cuique mortali tam Omissionis, quàm Commissionis peccato conveniens, evidenter sequitur, ex inde in actu Omissionis culpabilis causativo haud subsistere specificam Commissionis malitiam.

Responsio ad opposita Fundamenta.

Ad 1. ex parte affirmativæ *n. 1. & 2.* oppositum fundamentum Respondetur. Ad hoc, ut 12.
peccata ex diversitate præceptorum dicantur distingui *specie*, oportere, ipsa etiam præcepta versari circa objecta & Motiva *specie morali* diversa. At præceptum negativum ex objecto & Motivo suo proprio habere respectu præcepti affirmativi specificam differentiam, quatenus *per se primò*, non autem *Dependenter* duntaxat a *præcepto Negativo* est obligatorium. Si enim formalis obligandi ratio unicè se teneat in præcepto affirmativo actûs alicujus imperativo, & ex hoc derivetur in præceptum actus cum prioris affirmativi præcepti observantiâ incompossibilis prohibitivum, tunc istius obligandi vis non est diversa ab illo priori præcepto, estque *Formaliter* unum, & non nisi *Materialiter* diversum præceptū. Cum proinde actus omissionis v. g. Missæ auditionis culpabilis causativus, sub istâ Formalitate, nō in vi negativi per se obligatorij, sed in vi affirmativi Missæ auditionem imponentis præcepti sit prohibitus, nō posse sub tali Formalitate habere etiam aliam, quam omissionis malitiam. In quo differre a peccato Commissionis quòd licet hujus malitia *Formaliter* sit quid privativum, ipsa radicalis tamen malitia per se ipsam in *genere moris* sit specifico Negativo *per se* obligatorio præcepto opposita.
Secus verò esse in actu *moraliter* non malo nisi 13.
qua omissionis culpabilis causativo: ut sic enim nequit in *genere moris* secundum legis ad cujus qua *Formaliter* obligatoriæ regulabilitatem considerari, nisi in ordine ad præceptum affirmativum, omissioni actûs debiti contrarium. Unde in tali actu ne radicalis quidem *in genere moris* malitia est intelligibilis, nisi ex ordine ad omissionis præcepto affirmativo oppositæ Formalem malitiam, ut adeo ex hac totam moralis malitiei formalitatem in se transfusam unicè habere possit.

Ad 2. *n. 3. & 4.* oppositum Fundamentum 14.
Respondetur. Ut peccatum *Formaliter in genere morali*, non vero *Materialiter* duntaxat *in genere physico* sit Omissionis, debere ejus objectum specificativum *in genere moris* esse privationem debitæ rectitudinis. Ad hoc autem requiri oppositionem privativam rectitudinis moralis præcepto affirmativo adversantem. Quamvis proinde mortis alienæ desiderium pro objecto habeat privationem physicam, attamen objectum ejus *in genere moris* specificativum esse oppositionem cum præcepto Negativo, vi Charitatis obligante ad malum alteri nec inferendum, nec desiderandum. Ut sic autem *in genere moris* stare objectum, quà positivum utpote præcepto Negativo oppositum. Pari proinde ratione, licèt actus positivus omissionis culpabilis causativus, etiam sub radicalis quasi malitiei, seu vis omissionem culpabilem causantis ratione, *physice loquendo* sit quid positivum, *in genere* tamen *moris* reputatur quid Negativum seu privativum, utpote præcepto affirmativo *privativè* oppositum.

CON-

**********)(*********

CONTROVERSIA II.

Utrum omnes cum alicuius præcepti observantia incompossibiles actus participent malitiam culpabilis Omissionis?

1. GRegorius de Valentiâ *1. 2. disp. 6. q. 1. punc. 4.* Capreolus *in 2. dist. 34. q. un. art. 3. ad 2. contra 2. concl.* & Granadus *ibi cont. 6. tract. 2. disp. 2. sect. 3.* simpliciter affirmant.

Fundamentum est. Eo ipso enim, quod *voluntarie* ponatur actus cum executione præcepti incompossibilis, secundum voluntarium saltem indirectum infallibiliter sequitur omissio actûs præcepti: Ergo quilibet actus, hoc ipso, quod cum executione præcepti sit incompossibilis, si *voluntarie* ponatur, est *indirecte* causa saltem Moralis omissionis. Probatur consequentia. Si enim aliquis horum actuum non esset moralis causa omissionis, hoc ideo esset, quod supponeret omissionem præcepti *Moraliter* factam per efficax omittendi propositum. At vero, ut aliquid sit moralis causa effectus, sufficit, ut ex illo reipsâ sequatur effectus, etiamsi idem sequatur ex alijs causis: Siquidem de ratione causæ non sit, ut ab eâ solâ sequatur effectus. Cum igitur ex vi cujuslibet actus incompossibilis infallibiliter sequatur omissio præcepti, consequens est, quemlibet illorum actuum esse moralem Causam talis omissionis, atque adeo infici hujus malitiâ, licet ex vi actûs alicujus prioris esset alioquin secutura.

Durandus *in 2. dist. 35. q. 2.* simpliciter negat,
2. ullum actum cum præcepti executione incompossibilem esse malum malitia omissionis. Fundamentum est. Si enim peccatum determinato præcepto oppositum non consisteret in actu determinato, non foret in individuo determinatum. Atqui actus cum præcepti executione incompossibiles non sunt determinati, siquidem possint diversi actus in tempore præcepti obligationis, pro uno eodemque tempore exerceri.

Medina *citatus in concl. 2.* & Curiel *cit. dub.*
3. *2. §. 2.* Suarez *præs. tract. 5. disp. sect. 3.* Vasquez *disp. 93. cap. 2.* Ylambertus *cit. disp. 7. art. 3.* Amicus *præs. disp. 22. & 23.* Serra *ubi supra dub. 4.* Gonet *cit. a. 3. concl. 1.* distinguunt asserendo, non omnes cum executione præcepti incompossibiles actus, sed illos tantum, qui sunt causa, vel occasio omittendi præceptum, esse malos malitia Omissionis. Fundamentum est. Quia malitia omissionis refunditur in talem actum ex influxu *directe* vel *indirectè* voluntario, & ut sic *Moraliter* causativo omissionis. Hic autem influxus non stat, nisi quatenus actus incompossibilis cum observantia præcepti est *directe* vel *indirectè* volitus propter omissionem præcepti. At ille actus est propter talem omissionem *Directe* volitus, qui *expresse* eligitur vel ut Finis ad præceptum omittendum, vel ut medium: *Indirecte* verò est volitus actus incompossibilis tanquam moralis Causa omissionis, quando prævisus, quod sit impediturus observantiâ præcepti, nihilominus est positus. At si actus supponat omissionem præcepti *Moraliter* factam, quod sit, dum ejus Causa efficax jam est posita, tunc nequit *Moraliter* influere in talem omissionem, nec potest *Moraliter* esse impeditivus observantiæ præcepti. In quo proinde casu, dum actus ejusmodi nec ut Finis, nec ut medium *expresse* est intentus in ordine ad præcepti omissionem, nequit hujus malitiam in se tanquam ipsius causa *moraliter* contrahere.

CONCLUSIO.

ISta ratio efficaciter probat actus cum præcepti alicujus Affirmativi observantia incompossibiles non participare Malitiam culpabilis Omissionis, si ad illam se habeant mere *Concomitanter*.

Probatur. Nam actus ejusmodi nec *Finaliter*, 4
nec *Efficienter* influunt in omissionem peccaminosam. Unde, si quis efficaciter statuit, non audire Sacrum die festo, ac postea sub Missâ se det studijs, vel lusibus, actus isti non contrahunt omissionis Sacri malitiam, quòd, licet de se sint incompossibiles cum auditione Sacri, tamen nec influant in illam, nec ut suppono, etiam aliquam in se contineant voluntatem, saltem *Indirectam*, seu *Virtualem* de non audiendo Sacro.

Dices. Ex hoc sequi, quòd Clericus, qui 5
statuisset in navigatione omittere horas Canonicas, non peccaret mortaliter, projiciendo Breviarium in mare. Item, quòd Voto Castitatis obstrictus, si efficaciter statuisset votum illud non servare, non peccaret postea ducendo uxorem. Imo, quod neque latro, si decrevisset non restituere, peccaret distrahendo rem furto ablatam. Denique quòd non peccaret, qui, audito sacro, luderet cum altero, qui ex intentione ludendi efficaciter ita vellet non audire sacrum.

Contra. Nam actus cum observantiâ præcepti incompossibilis nequit ad hujus omissio- 6
nem se habere *mere Concomitanter*, si supponat talis omissionis non *simpliciter* pro quovis tempore, sed *limitate* pro aliquâ duntaxat mora efficacem causalitatem: tunc enim alteri incompossibili actui potest adhuc esse locus pro ejusmodi omissione *Moraliter* causandâ non secundum aliquam duntaxat ad limitatum temporis restrictionem, sed *simpliciter* & *absolute* pro quovis subsequente tempore. At licet efficax de non recitandis horis, vel de voto Castitatis non servando, vel de non restituendâ re ablatâ propositum sit Causa pro tempore, quo illud propositum durat, Efficaciter influens in omissionem tum recitationis Horarum, tum observantiæ Voti Castitatis, tum restitutionis rei ablatæ: attamen projectio Breviarij in mare, nec non Matrimonij contractus ab habente Castitatis votum initus, item rei ablatæ distractio sunt omissionum tum præcepto recitandi Horas, tum voto Castitatis, tum legi restitutionis faciendæ oppositarum Causæ morales non pro tempore duntaxat præsenti, sed etiam futuro. Unde in ordine ad omissiones huic tempori futuro respondentes habent illæ Causæ influxum moralem: sicuti etiá ludens cum eo, qui ex intentione ludendi statuit non audire sacrum, potest non tantum reus esse violatæ Fraternæ correctionis ipsum efficaciter non monendo, sed eidem potest esse scandalo, dum ipsi fortasse est

Causa

Cauſa cooperatrix actu reiterandæ vel continuandæ illius malæ voluntatis, vel ad longius tempus extendendæ.

7. Conſtat proinde, qualiter poſito efficaci alicujus culpabilis omiſſionis Decreto, illi duntaxat actus incompoſſibiles excuſentur, qui *mere Concomitanter* ad illam ſe habent, non verò qui ad talis omiſſionis vel reiterationem, vel Extenſionem *Moraliter* influunt, cujuſmodi *Virtualiter* ſaltem ac *Extenſivè* reiterata voluntas clarè apparet in eo, qui poſt efficax de non recitandis horis propoſitum projecit Breviarium in mare.

Reſponſio ad oppoſita fundamenta.

8. AD *n. 1.* oppoſitum Reſpondetur. Licèt actus incompoſſibilis ſit in actu primo efficax omiſſionis præcepti, ejus tamen *in actu ſecundo* influxum moralem eo ipſo impediri, quod in talis actûs poſitione omiſſio præcepti ne *Indirectè* quidem ſit voluntaria. At omiſſionem vi voluntarij ſaltem indirecti jam *Moraliter actu* poſitam non eſſe etiam *indirectè* voluntariam ex vi alterius ſubſequentis, & ad omiſſionis moralem malitiam, non niſi *Concomitanter* ſe habentis actûs, cum præcepti obſervantiâ licet incompoſſibilis, *uti probat fundamentum n. 3. propoſitum.* Cum igitur omiſſionis malitia moralis non redundet in actû incompoſſibilem, qui de ſe quidem *in actu primo*, non tamen *in actu ſecundo Moraliter* Cauſativus eſt talis omiſſionis, conſequens eſſe, quòd talis actus in quantum ſupponit omiſſionis Cauſam efficacem, non inficiatur morali omiſſionis ejuſmodi malitiâ.

9. Ad *n. 2.* oppoſitum Reſpondetur. Omnes actus incompoſſibiles quà omiſſionis culpabilis *Moraliter actu* cauſativos eſſe ſub unâ malitiæ Moralis ſpecie & individuâ ratione determinatos, licet quoad *Eſſe phyſicum* poſſint quaſi in infinitum multiplicari, ſintque adeò ut ſic *Syncathegorematicè* ſecundum potentiam indeterminati. Hoc autem nullatenus obeſſe, quo minus *abſolutè* dicatur, actus cum obſervantiâ præcepti incompoſſibiles eſſe ſub aliquâ per certum præceptum affirmativum determinatâ, omiſſionis quà moralis, & ſpecie & individuatione.

CONTROVERSIA III.

Quo tempore omiſſio rei præceptæ non Formaliter in ſe ipſâ, ſed indirectè volita in Cauſâ imputetur ad culpam?

1. ALenſis *ſum. 2. p. q. 113. memb. 7.* Major *in 4. diſt. 7. q. 2. concl. 4. & diſt. 1*[illegible] *. q. 8. concl. 4.* Gabriel *in 2. diſt. 41. q. un. art. 3. dub. 3.* Paludan. *in 4. diſt. 9. q. 3. concl. 1.* Yſambertus *ad cit. q.* [illegible] *1. diſp. 8. a. 3.* Vaſquez *præſ. diſp. 94. cap. 9.* Amicus *cit. diſp. 22. n. 42.* & alij aſſerunt, peccatum omiſſionis tunc *Verè*, nec ſolum *reductivè* imputari, cùm quis *Voluntariè* cauſam dedit omiſſioni. Hanc verò in ſomno v.g. vel ebrietate ſecutam non eſſe *Formaliter* peccatum *in genere moris*, ſed eſſe effectum peccati, ita ut ne *Extrinſecè* quidem per malitiam ex voluntate antecedente in ſe derivatam, verè denominetur peccatum.

Fundamentum ab Yſamberto deducitur eſt. Ad actum enim moralem quà *formaliter* peccaminoſum requiritur, eſſe liberum ſaltem *Interpretativè*, vel in ſuâ cauſâ. Atqui ut effectus aliquis ſit voluntarius & liber in ſuâ cauſâ vel *Interpretativè*, non ſufficit, ejus cauſam eſſe applicatam *Voluntariè* & *liberè*, ſed ulterius requiritur, ut actu ſubordinetur volitioni internæ, à quâ procedit, & ejus libertate veluti informetur, ſitque talis conditionis, ut poſſit adhuc non poni, & impediri per ipſam voluntatem. Probatur illud aſſumptum. Quia habitus vitioſi ita ſe habent ad malos actus, ſicuti ſe habent effectus ad ſuam cauſam. Atqui habitus vitioſus, licet in initio ſui & in ſuâ cauſâ fuerit voluntarius & liber, ubi tamen acquiſitus eſt, non eſt amplius liber ac voluntarius, ex Ariſtotele 3. *Eth. cap. 5.* Et hinc non amplius imputatur ad culpam; cum alioquin non poſſet manere in juſtificato. Evidenter igitur conſtat, ut aliquis effectus imputetur ad culpam, non ſatis eſſe, quòd ejus cauſa ſit *Voluntariè* & *liberè* applicata, ſed præterea requiri, ut, quando ponitur, poſſit non poni: At in caſu præſenti exterior omiſſio nullo modo ſubordinatur internæ volitioni ut liberæ, nec ejus libertate aliquo pacto informatur, [illegible] et ſe per [illegible] ad talem volitionem, cùm ipſe omittens non agat humano modo. Ergo ipſa omiſſio Exterior pro eo inſtanti, quo omittens non eſt compos ſui, vel habet impotentiam ad non omittendum, non eſt voluntaria & libera.

2. Cajetanus *2. 2. q. 150. a. 4. §. ad horum evidentiam.* Sotus *in 4. diſt. 12. q. 1. a. 7. poſt 3. concl.* Medina *1. 2. q. 71. a. 5.* Curiel *in eod. art. dub. 3. §. 2.* Valentia *1. 2. diſp. 6. q. 1. punc. 4. §. Tertio quæri poteſt.* Suarez *cit. tract. 5. diſp. 3. ſect. 4.* Serra *in cit. art. 5. dub. 5.* Gonet *præſ. diſp. 3. a. 4.* tenent, omiſſionem eatenus imputari ad culpam, quando ponitur actus ejuſdem cauſativus. v.g. ſomnus, ut ipſa etiam omiſſio in ſomno contingens verè imputetur ad culpam eo tempore, quo inſtat præceptum, nec ſit ſolum effectus peccati, ſed ſit *Formaliter* peccatum, eandem ſpecie & numero malitiam cum actu ejuſdem cauſativo continens.

Fundamentum ab authoritate Divi Thomæ petitum prioris aſſertionis præcedentis parti apparenter contrarium eſt. Nam hic Sanctus Doctor *1. 2. q. 71. a. 6. ad 3.* aſſerit. *Peccatum omiſſionis contrariari præcepto affirmativo, quod obligat ſemper, ſed non ad ſemper: & ideo ſolum pro tempore illo, aliquem, ceſſando ab actu, peccare, pro quo præceptum affirmativum obligat.* Et *in 2. 2. q. 79. a. 3. ad 3.* diſſerit in hæc verba: *Dicunt quidam, quod tunc incipit peccatum omiſſionis, quando aliquis ſe applicat ad actum illicitum & incompoſſibilem cum illo actu, ad quem tenetur; ſed hoc non videtur verum, quia dato, quod excitaretur per violentiam, & iret ad matutinas, non omitteret; unde patet, quòd præcedens inebriatio non fuit omiſſio, ſed omiſſionis cauſa. Unde dicendum eſt, quòd omiſſio incipit ei imputari ad culpam, quando fuit tempus operandi, tamen propter cauſam præcedentem, ex qua omiſſio ſequens redditur voluntaria.*



CONCLUSIO.

QUi præcepti alicujus affirmativi adimplendi voluntarium posuit impedimentum omnino irrevocabile, & cum actu præcepto incompossibile, Formali omissionis malitiâ peccat, non tantùm in positione hujus omissionis, sed eadem numero ac specie moralis omissionis malitia *participativè* & *consummativè Formaliter* convenit ipsi etiam actûs præcepti, licèt jam impossibilis, omissioni.

3. Probatur. Ut enim aliquid in se *Formaliter* non quidem *primariò* ac *Elicitivè*, sed *participativè* sit peccatum, sufficit, esse liberum & voluntarium in suâ causâ: Hinc enim pollutio nocturna in somno contingens, licet non sit in se *Formaliter* libera, sed in causâ duntaxat, peccatum est, teste Divo Thomâ *3 p. q. 8. a. 7.* sic etiam dilloratio, cujus causam voluntariè posuit Virgo, licèt in somno accidat, est peccatum. ex eodem Sancto Doctore *in 4. dist. 33. q. 3. a. 1.* Sic denique ex omnium sententiâ actus pravus, cui causam dedit ignorantia vincibilis, est in se *Formaliter* peccatum, licèt quoad Formalem suam malitiam non sit *Formaliter* ac *directè* in se ipso, sed in Causâ *Indirectè* voluntarius. Atqui omissio præcepti contingens tempore somni voluntariè positi cum prævisione talis omissionis secuturæ, est *indirectè* voluntaria in suâ causâ. Ergo ipsa est in se *Formaliter participativè* peccaminosa.

4. Dices. Voluntarium in Causâ dupliciter posse accidere; *primò* ita, ut pro tempore, quo causa influit in effectum, nec iste, nec illa possit esse dependens à voluntate, utpote tunc impeditâ, vel ligatâ v. g. per somnum, aliudve impedimentum: *secundò* ut pro tempore omissionis ex voluntario somni v. g. impedimento secutæ voluntas adhuc expedita sit ad suam libertatem vi voluntarij saltem Interpretativi, vel Indirecti *Participativè* transfundendam in actum exteriorem, vel omissionem. At hoc posterius, non autem prius voluntarium in *Causâ*, sufficere ad Formalem malitiam in actum exteriorem, vel omissionem transfundendam. Probatur ista
5. minor. Nam alioquin præbens alteri venenum, tamdiu peccaret *Formaliter*, quamdiu noceret venenum, licet istud nocumentum jam non amplius esset in potestate applicantis; imò licèt per pœnitentiam efficaciter revocâsset suam pravam de veneno præbendo voluntatem. Deinde Divus Thomas *2. 2. q. 154. a. 3. in fine.* apertè dicit, nocturnam pollutionem nunquam esse peccatum, sed quandoque esse sequelam præcedentis peccati, dum scilicet ejus data fuit causa culpabilis. At per se patet, pollutionem nocturnam, cui in vigilijs data fuit causa culpabilis, eatenus esse voluntariam in causâ, quatenus libera fuit posita, licèt ejus applicatio & influxus tempore secutæ pollutionis jam non sit in potestate voluntatis.

6. Contra. Nam actio exterior in administratione v. g. Sacramenti [illegible] cum distractione, voluntatis in tali actione libertatem actualem importante, eatenus manere potest *Virtualiter* libera & voluntaria, ut exinde sufficiens sit ad valorem & substantiam Sacramenti. Hujus autem non est alia ratio, nisi quòd talis actio *Formaliter participativè* libera sit per influxum alicujus virtutis ex Formali Sacramenti conficiendi intentione relictæ, & ut sic per se connexæ, in vi Causæ saltem moralis talem actionem Sacramentalem efficientis. Consequens igitur est, posse stare actum qua *Formaliter participativè* liberum ac voluntarium ex hoc solum, quòd talis actio *per se Moraliter* saltem fluat ex libertate ponente causam talis actûs Effectivam, licet pro tempore, quo actus ponitur, non subsistat libertas voluntatis, nec adeò actus ejusmodi possit *immediatè* positus esse in potestate liberâ voluntatis. At eo ipso, quod prævisum sit, positâ tali causâ, omissionem præcepti, tempore, quo istius obligatio vigeat, fore infallibiliter secuturam, sequitur; positionem talis causæ *in genere moris* habere cum omissione inde secutâ connexionem, & influxum *per se*; nisi certè illa antecedens voluntas, per quam impedimentum omissionis causativum est positum, fuerit per pœnitentiam revocata, vi cujus adeò revocationis *affectivè* & *appretiativè* efficacis illud voluntariè positum impedimentum præcepti omissionem jam non *Moraliter*, sed *physicè* duntaxat causet.
In quo proinde revocationis casu fieri potest, 7.
quòd affectus ex causâ *Moraliter* malâ, sed postea per pœnitentiam *Moraliter* revocatâ secuti queant esse boni & virtuosi. Si enim quis se inebriando, gravem contraxit morbum, cujus causâ nec jejunare, nec Sacrum audire, nec horas Canonicas recitare potest, tunc licèt istæ Omissiones *participativè* ratione causæ culpabiliter datæ forent malæ; attamen istâ malitiâ per pœnitentiam retractatâ, eatenus cessat ipsius in actus subsequentes moralis influxus, ut consequenter ex altiori alicujus virtutis ratione omissiones illæ possint non tantum licitæ esse, sed virtuosæ, ac meritoriæ.

Econtrario autem verum est, omnes effectus 8.
ex veneni liberâ applicatione per pœnitentiam *Moraliter* non sublatâ secutos eandē cum actu veneni voluntariè applicativo malitiam moralem participare, quatenus ad liberum voluntatis actum se habeant tanquam effectus in vi Causalitatis Moralis *per se* influentis ab illo causati. Unde præallegatus Sancti Doctoris locus cum alijs textibus collatus eatenus accipiendus est, quòd licèt pollutio nocturna comparata ad tempus somni non sit peccatum, in comparatione tamen ad actum, quo ejus causa in genere etiam morali *per se* influens posita est, subeat illam ipsam actûs, mediante quo pollutio *indirectè* vel *Interpretativè* volita est, Malitiam moralem, ut sic *Participativè Formaliter* derivatam in effectum pollutionis quâ *in genere moris per se* connexæ cum tali voluntatis actu.

Responsio ad opposita Fundamenta.

AD *n.* 1. oppositum Respondetur. Ad malitiam moralem *Formaliter participativè* requiri, ut effectus [illegible] pendeat 9.
ex actuali libertate, sed sufficere [illegible], saltem in aliquâ virtute [illegible] influente & causante talem effectum. Hinc enim ob talem effectûs cum actu libero [illegible] causa in genere moris *per se*

per ſe influente connexionem, derivari actûs ejusmodi liberi malitiam moralem in effectum non merè contingenter, veluti fit in actibus ex habitu vitioſo deinceps *liberè* prodituris, ſed ſub aliquâ infallibilitatis determinatione ex illo procedentem. Quam ab rationem Juramenta falſa indeliberatè facta ex pravâ pejerandi conſuetudine, dum hujus eradicandæ debitâ diligentiâ non adhibitâ, ſunt *Indirectè* voluntaria, ex hoc ipſo voluntario indirecto contrahunt eandem numero Malitiam, ita ut licèt *Materialiter* ſint multa, *Formaliter* tamen in ratione moralis maliciei non ſint niſi unicum numero peccatum.

10. Ad Fundamentum ab authoritate Divi Thomæ *n. 2.* deſumptum Reſpondetur. Illis textibus ſolùm probari, quòd omiſſio ſub Formali denominatione omiſſionis culpabilis necdum exiſtat, dum ejus Cauſa efficax poſita eſt, licèt pro tunc ſit contracta Formalis, actui talem cauſam ponenti *Formaliter* inexiſtens malitia moralis, eatenus derivabilis in omiſſionem realem ſeu phyſicam, ut pro tunc peccatum ſubeat Formalem Moralis omiſſionis denominationem.

❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀)(❀❀❀❀❀❀❀❀❀

CONTROVERSIA V.

Ex quibus impedimentis Omiſſio reddatur inculpabilis?

1. TRipartita eſt iſta difficultas. Prima; *Qualiter in concurſu præceptorum incompoſſibilium quis ab alterius obligatione excuſetur?* Secunda. *Qualiter in caſu, quo unjus partis præceptæ executio eſt impoſſibilis, vel excuſabilis, quis deobligatus ſit à præcepti adimpletione?* Tertia. *An ſubſiſtat unjus alteriuſve recentioris opinio exiſtimantis impedimentum etiam culpabiliter præſtitum v. g. ex immoderato ludo, poſſit taliter deobligare à Præcepti obſervatione, ut hujus tranſgreſſione participativè quidem ſit mala?*

CONCLUSIO I.

IMpedimentum adimplendi legẽ, ſi ortum ſit ex concurſu alterius incompoſſibilis præcepti maioris ac fortioris, reddit inculpabilem omiſſionem minoris præcepti. *ex Communi Theologorum ſententiâ.*

2. Probatur. Quia lex inferior v. g. de audiendo Sacro die Feſto, nequit obligare cum præiudicio præcepti Superioris v. g. de cuſtodiendo ægroto. Et hinc infertur, eum, qui Caſtitatis voto obſtrictus ſub ſpe Matrimonij defloravit Virginem, ex fortiori Juſtitiæ vinculo teneri, non attentâ voti obligatione, illam ducere; de quo tamen *alibi*.

3. Cæterùm præceptum ſtrictioris obligationis cenſetur eſſe Naturale reſpectu poſitivi tam Divini, quàm Humani, item Divinum poſitivum reſpectu humani, & inter Divina prævalet præceptum Primæ tabulæ reſpectu mandatorum ſecundæ tabulæ, item Negativum reſpectu Affirmativi, utpote ſemper quidem, non tamen inſtar Negativi pro ſemper obligantis, nec non inter præcepta unjus lineæ lex altioris virtutis reſpectu legis verſantis in Materiâ virtutis inferioris.

Quòd ſi denique duo incompoſſibilia æqualis obligationis præcepta, vel Vota concurrant, liberum eſt, alterutrum pro libitu omittere. Ex Reginaldo *lib. 13. n. 86.* & Thomâ Sanche *lib. 4. de voto. cap. 5. à n. 22.* ubi addit; præceptum etiam Eccleſiaſticum eatenus prævalere conſilio per votum quoque firmato, ut, qui vovit peregrinationem die Feſto, quam nequit abſque præjudicio præcepti de audiendo Sacro perficere, conſequenter debeat potiùs abſtinere à voti, quam præcepti adimpletione.

CONCLUSIO II.

IMpedimentum unius partis præcepti adimpletionem impoſſibilem reddens, excuſat etiam ab alterjus partis adimpletione, modò Materia præcepti ſit individua: ſecus eſt, ſi Materia præcepti ſit Dividua. Ex ThomâSanche *lib. 1. in Decalogum. cap. 19. à n. 5.* Rodrique *to. 1. quæſt. Regul. q. 42.* & Navarro in *Cap. Quando. diſt. 1. De Conſecratione.*

Explicatur & probatur. Nam Materia præcepti dicitur individua, ſi in una ejus parte nequeat ſalvari ratio & ſubſtantia ſeu Eſſentia legis. At per ſe notum eſt, nullam eſſe obligationem, dum ejus ſubſtantia ſervari non poteſt. 4.
Sic enim lex Jejunij eatenus eſt præcipiens *individuè* abſtinentiam à carnibus & ab iteratâ refectione, ut conſequenter factâ quoad Carnis eſum tranſgreſſione, nequeat ſubſtantia & ratio Jejunij ſubſiſtere, atque adeò refectio ſecunda licita ſit. 5.
Sic dum quis non poteſt intereſſe Conſecrationi, utpote Eſſentiæ Sacrificij; nullam habet obligationem ad audiendum Reliquum Miſſæ; tametſi econtra impotens audire Miſſam integram, tenetur intereſſe ſaltem conſecrationi, vel etiam ſumptioni: ſicuti violato etiam jejunio per ſecundam refectionem, adhuc militaret ratio legis jejunij de abſtinendo à carnibus. 6.
Quare dicendum, præcepta audiendi Miſſam, & jejunandi quoad ſubſtantiam eſſe quidem in materia individuâ; quoad accidentia verò in Materiâ Dividuâ; Unde quamdiu ſubſtantia illorum præceptorum adhuc ſervari poteſt, eſt obligatio de ſingulis Materiæ præceptæ etiam diviſim ſpectatæ partibus: quamvis omnimoda cujuslibet partis obligatio ceſſet hoc ipſo, quòd præcepti ſubſtantia ſervari ampliùs non poſſit. 7.
Secùs eſt de præcepto recitandi ſeptem horas Canonicas, hic enim numerus ſeptenarius non ita *collectim* ac *individuè* cadit ſub legem, ſed ſingulæ horæ *per ſe Diviſim* ſumptæ ſunt præceptæ, ut adeò per morbum impotens recitare Matutinum, teneatur reliquas horas, quantum poteſt, perſolvere; ſicuti etiam in honorem Sanctiſſimæ Trinitatis vovens tria Roſaria per tres dies perſoluenda, omiſſo uno, tenetur ad reliqua, niſi conſtet, intentionem voventis ob peculiarem Dei quà Trini repræſentationem ſuper omnia tria per modum unius individuæ materiæ eſſe latam, quemadmodùm Sanchez *citatus* exiſtimat, eum, qui partem circuli Virginei, vel Pſalmos pœnitentiales vovit, nec totum recitare poteſt, non teneri ad partem. 8. 9.

CONCLUSIO III.

NOn tantùm eo casu, quo impedimentum sponte susceptum v. g. immoderata in lusu, alijsque illicitis laboribus exercitatio, de se malum est, sed, licèt nullam ex se ipso contineat specialem malitiam, contrahit omissionis culpabilis hinc causatæ moralem malitiam, nisi post impedimenti cum præceptorum adimpletione incompossibilis culpabiliter causati mediante Pœnitentiâ saltem virtuali retractationem, subsit altioris virtutis ratio à præceptorum obligatione excusare incipiens.

10. Explicatur & probatur. Nam quòd nonnemo existimet, eum, qui cibos noxios edendo, vel nimiùm ingurgitando se prævidit lapsurum in morbum gravem, ex quo ad multa præcepta sacri audiendi, Jejunij, & abstinentiæ à carnibus reddatur impotens, ex tunc in horum præceptorum transgressione fore innoxium; eò vel maximè redarguendus est, quòd omnes istæ transgressiones utpote in causâ voluntariæ habeant in se *participativè* derivatam malitiam moralem *Formaliter* incursam, dum à sciente & volente posita est Causa talium Transgressionum, veluti probat Medina *præf. q. 71. a. 5. &* patet ex *dictis præced. cont.* Unde 11. magis redarguendi essent, qui docerent, quempiam studendo rei illicitæ v. g. immoderatè ludendo, dum prævideret, se ad jejunium exinde fore impotentem, non fore reum violati ieju ij; siquidem istius præceptum ad abstinentiam à carnibus, & secundâ refectione, non ab illo lusu licèt immoderato, obliget, ut adeò huic insistendo, non obstante lege jejunij, quis jure suo uta- 12. tur. Hæc, inquam, Doctrina funditùs extirpanda est, maximè cùm præceptum quodlibet vim habeat obligandi ad sui transgressionem etiam in causâ (nisi hæc altioris ordinis prævaleat illi præcepto) impediendam; ut proinde Salas *tract. 13. n. 118.* meritò asserat, graviter culpandos, qui dicunt, omissionem jejunij prævisam ex defatigatione in scelere, esse inculpabilem. Quamvis 13. igitur verum sit, quòd, ubi ex causâ etiam illicitâ sciens ac volens quis contrahit morbum, ex quo ad præcepta recitandi Breviarium, audiendi sacrum die festo, abstinendi à carnibus, vel jejunandi, factus est impotens, possit per Pœnitentiam, eatenus moralem voluntatis suæ illas transgressiones *Interpretativè saltem* volentis influxum impedire, ut illius voluntatis Malitia moralis ex tunc non derivetur ampliùs *Moraliter participativè* in illorum præceptorum omissiones: imò licèt istæ omissiones ex altiori iam vitæ conservandæ, seu Mortis certò alioquin secuturæ cavendæ Motivo ac præcepto vel naturali, vel superioris positivo fieri possint honestæ ac meritoriæ: semper tamen verum est, fuisse pro illo tempore, in quo talium omissionum Causa *voluntariè* posita est, contractam moralem earundem Malitiam, nec nisi hîc vel *Virtualiter* per actum ex virtutis *implicitè* saltem oppositæ motivo elicitum, vel *Formaliter* per expressum pœnitentiæ actum retractatâ, locum esse ad omissiones illas bonâ & meritoriâ intentione vitandas.

ARTICULUS II.

DE

Peccato Commissionis.

TRes celebriores hic veniunt decidendæ difficultates. Prima. *Utrum peccatum Commissionis formaliter consistat in positivo, vel privativo?* Secunda. *Utrum debita rectitudinis carentia, seu Formalis in peccato commissionis malitia importet privationem non tantùm respectu subiecti, sed ipsius etiam actûs moralis peccaminosi?* Tertia. *Qualiter demonstretur, Deum non concurrere ad peccatum Commissionis tum Formaliter, tum Fundamentaliter spectatum?* 1.

CONTROVERSIA I.

An peccatum Commissionis Formaliter consistat in Positivo, vel Privativo?

PRima sententia à nonnullis Scotistis, 2. speciatim Andreâ Möhr Lectore Salisburgensi *in sua methodo Scholasticâ. de act. human. disp. 3. cont. 1.* attributa Scoto *in 2. d. 7. n. 12. & quodlib. 18. n. 7.* affirmat, formale peccati commissionis consistere in aliquo positivo, Formalitate scilicet actui intrinsecâ, ex qua habet (suppositis cognitione & modo procedendi requisitis) tendere in objectum operanti prohibitum. Fundamentum est. In illo consistit malitia *Formaliter*, quod *immediatè* ac *Directè* opponitur rectitudini exclusæ, & quod per illam, si adesset, *immediatè* excluderetur. At ipse actus peccati *immediatè* ac *per se* excluderetur per rectitudinem, & non tantum negatio aliqua, cum rectitudo sæpè sit negatio, puta, omissio libera, cujus adeò non possit negatio esse exclusiva, siquidem negatio non possit excludere negationem. Adstipulantur Cajetanus *1. 2. q. 18. a. 5. & q. 71. a. 6. & in 2. 2. q. 6. a. 2.* Curiel *cit. q. 71. a. 6. dub. 1.* Gonetius *disp. 3. de peccat. art. 1. §. 2.* Serra *cit. q. 71. a. dub. vii.* Ysambertus Sorbonicus *ad præs. q. 71. disp. 10. a. 9.* Amicus *disp. 17. n. 41.* & alij plures asserentes, Formale peccati Commissionis seu mali moralis esse ordinem positivum ad objectum ut deordinatum, & contrarium bonitati: quatenus hæc contrarietas positiva sit fundamentum privationis rectitudinis in actu. 3.

4. Fundamentum à Gonetio deductum est. Quia ante privationem rectitudinis intelligitur in peccato commissionis tendentia positiva ad objectum dissonum legi, & rationi. At tendentia ista pro priori ad privationem est mala *Moraliter*. Minor hæc probatur. Tum quia omnis tendentia specificatur à suo termino, sumitque suam rationem ab eo, in quod tendit, atque adeò tendentia in objectum rationi ac legi dissonum, non potest accipere ab illo speciem disconvenientiæ dissonantis rationi & legi. At hæc est moralis malitia. Ergo tendentia positiva

tiva ad objectum legi, & rationi dissonum, prò priori ad privationem rectitudinis ex eâ dimanantem, intelligitur mala *moraliter*. Tum etiam, quia tendentia illa, prout antecedit privationem, quam causat, est *Formaliter in genere moris*; cum oriatur à voluntate liberè & cum subjectione ad regulas morum operante. Ergo sub aliquâ specie moralitatis continetur. At non est in specie boni moralis. Ergo est mala *moraliter*. Nec jam dicere licet, esse malam *Fundamentaliter* duntaxat, quamvis enim voluntas *Directè* & *Formaliter* non attingat Dissonantiam, seu malitiam objectivam in objecto repertam, eam tamen *Indirectè* ac *Interpretativè* attingere necessum est, quatenus vult illius causam & fundamentum, à quo inseparabilis est. Ex quâ proinde secundùm voluntarium indirectum malitiæ objectivæ attingentiâ in hanc *intrinsecè* ac *specificativè* transfunditur Formalis malitia.

5. Joannes à Sancto Thoma *1. 2. disp. 9. a. 2. à n. 16.* præfatam doctrinam firmat triplici assertione. Prima est; *In moralibus, seu in lineâ morali differentiam constitutivam actûs mali, quatenus condividitur à bono, non esse privationem, sed aliquid positivum.* Fundamentum ab Authoritate Divi Thomæ petitum est. Nam hic Sanctus Doctor *1. p. q. 48. a. 1. ad 2.* ait; *Malum, quod est constitutivum in moralibus, esse quoddam bonum adjunctum privationi alterius boni*, id est, ut fundat privationem debitæ rectitudinis. Et *in 1. 2. q. 18. art. 5. ad 2.* inquit, *Malum actum dici secundum suam speciem, quatenus habet objectum non conveniens rationi.* Constat autem, actum sumere speciem ab objecto per habitudinem & ordinem positivum ad illud. Similia habet *3. contra Gent. cap. 9. & in 2. dist. 34. q. 1. a. 2. ad 3.* Item *dist. 37. q. 2. a. 2. ad 4.* docens, malum morale *contrariè* opponi Bono morali, esseque differentiam specificam in genere morali importantem Formalitatem bonam scilicet *Entitativè* & *absolutè*, eamque positivam, quam consequatur privatio.

Secunda præcitati Ioannis à Sancto Thom. *n. 17.* assertio est; *Quòd defectus ille in peccato, qui non est à Deo, pertineat ad speciem actus mali consequenter, & non ut differentia specifica.* Fundamentum

6. petitum est ab authoritate Sancti Thomæ *1. 2. q. 79. a. 2. ad 3.* differentis in hæc verba: *Habitus & actus non recipiunt speciem ex ipsâ privatione, in quâ consistit ratio mali* (scilicet ratio mali simpliciter) *sed ex aliquo objecto, cui conjungitur talis privatio, & sic ipse Defectus, qui dicitur à Deo non esse, pertinet ad speciem actus consequenter, & non quasi differentia specifica.*

7. Tertia à præallegato Joanne à Sancto Thomâ *n. 18.* asserta propositio est; *Quòd deformitas actûs non solùm importet privationem debitæ formæ, sed etiam contrariam dispositionem, & actus deformis non sit à Deo.* Fundamentum est desumptum ab authoritate ejusdem Angelici Doctoris *2. 2. q. 6. a. 2.* taliter differentis. *Ad secundum dicendum, quod deformitas actus est de ratione speciei ipsius actûs, secundum quod est actus moralis, dicitur enim actus deformis per privationem formæ intrinsecæ, quæ est debita commensuratio circumstantiarum actus, & ideo dici non potest causa actus deformis Deus, qui non est causa deformitatis, licet sit causa actûs, in quantum est actus. Vel dicendum, quòd deformitas non solùm importat privationem debitæ formæ, sed etiam contrariam dispositionem. Unde deformitas se habet ad actum, sicut falsitas ad fidem, & ideò sicut actus deformis non est à Deo, ita nec aliqua fides falsa.* Unde Joannes à Sancto Thomâ *n. 26. in fine* ait, patere, quod deformitas *positivè* & *contrariè* sumpta sit de ratione speciei actus mali *Constitutivè*, sumpta autem *privativè* non sit de ratione ejus *Constitutivè*, sed *Consecutivè*.

Secunda sententia (quam Mastrius Scotista *in 2. disp. 6. q. 1. n. 2.* probat, esse Scoti, aitque esse communem Scotistarum) à Divo Bonaventurâ *in 2. dist. 34. artic. 2. quæst. 2.* Alberto Magno *ead. dist. 34. artic. 1. 2. & 3.* & partim Ferrariensi *3. cont. Gent. cap. 9. §. ad tertium.* Sylvio *1. 2. q. 71. a. 6. q. 2.* Conrado *ead. q. 71. a. 6.* Suarezio *præs. tract. 5. disp. 6. sect. un. n. 18.* Valentiâ *1. 2. q. 18. disp. 2. q. 12. punc. 3.* & pluribus alijs tradita tenet, Formalem rationem peccati commissionis consistere in privatione rectitudinis debitæ. Fundamentum ab authoritate petitum est. Etenim Divus Thomas *3. cont. Gentes. cap. 7.* universaliter docet, *Quòd malum nihil aliud sit, quàm privatio ejus, quod quis natus est, & debet habere.* Et *q. 2. de Malo. a. 1.* ait, *Malum non esse aliquid, sed esse ipsam privationem alicujus particularis boni.* Denique *1. par. q. 48. a. 1.* inquit, *Nomine mali significari quandam absentiam boni.* Concordat Damascenus *lib. 2. de fide cap. 4. Neque aliud,* inquiens, *est malum, quàm boni privatio.* Unde Sanctus Augustinus *tract. 1. in Ioan. 1.* super illa verba, *Sine ipso factum est nihil*; ait, *Nihil fiunt homines, cùm peccant.* 8.

Quibus ita constitutis, cùm ad oculum pateat, Doctorem tam Angelicum, quam Subtilem ex utraque parte allegari, operæ pretium visum fuit, difficultatem in suo quasi centro, unde Divi Thomæ utrinque allegatæ sententiæ discuti valeant, attentius considerare. Aliud enim est, si quæramus peccati, quà actûs moralis differentiam specificè constitutivam, & ut sic distinctivam ab actu virtutis: aliud verò est, si hanc differentiam dicamus esse quidem specificam moralitatem peccaminosi actûs, ab hoc indistinctam, ipsam tamen malitiam duntaxat fundamentalem, non verò Formalem asseramus. Et quamvis ex hoc jam videatur difficultatis punctum reduci ad quæstionem de nomine, sub hoc ipso tamen latet difficultas ad rem pertinens, ipsam Dei in omnes, quas judicio affirmativo per suam simplicis Intelligentiæ scientiam in se expressas habet, Formalitates primæ Ideationis Causalitatem attingens, uti *supra q. 8. art. 1. conl. 2.* deduximus, & ob hanc rationem conclusimus: *Malitiam moralem non Formaliter, sed Fundamentaliter duntaxat importare Formalitatem positivam ab actûs moraliter mali Entitate realiter indistinctam.* Quo tamen non obstante, *ead q. 7 a. 1. conl. 2.* ostendimus, actûs moraliter mali differentiam in *Esse morali specifico* constitutivam, & ut sic *Essentialiter* constitutivam sitam esse in positivâ talis *actûs Entitate ac Formalitate specificâ.* Juxta quam proinde distinctionem Doctoris Angelici, ex unâ parte intrinsecam actûs moraliter mali entitatem vocantis differentiam peccati Essentialem, ac specificam, ex alterâ verò parte malitiam *indefinitè* ponentis in privatione, utrinque allegati textus videntur eatenus conciliari, ut nobis non videamur discrepare à mente Thomistarum, quos *supra* citavimus.

CONCLUSIO.

QUamvis verum sit, differentiam specificam peccati Commissionis *in genere morali* Distinctivam & Constitutivam consistere in positivo ad objectum pravum ordine; hæc tamen specifica mali moralis à Bono morali condistinctiva differentia dicenda est Fundamentalis malitia peccati, atque adeò asserendum est, Formalem peccati Commissionis malitiam consistere in privativo, non autem in positivo.

10. Prior pars probatur. Quia inter actum bonum & malum, sicut inter virtutem & vitium est oppositio non privativa duntaxat, sed contraria non solùm *in Esse Naturâ ac Physicâ Entitatis*, sed *in lineâ & genere etiam morali*. Probatur istud assumptum. Nam actus peccati tollit actum virtutis *directè* per modum contrarietatis. ex Divo Thomâ *q. 1. de virtutib. a. 1. ad 3.* Hæc autem contrarietas in eo se tenet, quòd virtus seu actus virtutis consistat in medio, vitium verò seu actus malus opponatur illi per extremum. ex S. Doctore *1. 2. q. 64. a. 1.* At medium virtutis est secundùm regulationem rationis, estque adeò quid morale. Ergo contrarietas virtutis & vitij, & consequenter actûs boni & mali est etiam *in Esse morali*. Atqui contrarietatis oppositio est inter formas positivas. Ergo formalitas actûs *moraliter* mali *Intrinsecè* ac *Essentialiter* hujus *in genere moris* specificativa, importat aliquid positivum. Posterior pars probatur. Cùm enim Verum & Bonum convertantur, sequitur, non posse in quocunque genere Entis inveniri Formalem mali rationem, quamdiu in istâ subsistit ratio veritatis. At veritas omnis creatæ Formalitatis quoad Essentiam eatenus derivatur Intelligibiliter ex Divinâ simplicis Intelligentiæ scientiâ, ut quidquid Fomalitatis ista Dei scientia attingit per assensum seu per affirmationem, id constituatur eo ipso *in Esse objectivo*, atque adeò *in Esse veri*: cùm ècontra objectum à præfatâ scientiâ Dei attactum per dissensum seu Iudicium Negativum eo ipso constituatur *in Non esse objectivo*, atque adeò in ratione Falsi, Cùm igitur malum respondeat falso, sicuti Bonum Vero, consequens est; malum consistere in *Non esse*, atque adeò in negatione seu privatione rectitudinis debitæ.

11. (placed beside "portat aliquid positivum. Posterior pars probatur.")

12. Respondebis ex Gonetio *citato §. 5. ad 1.* Aliam esse rationem Boni Transcendentalis, aliam verò Moralis. Quamvis enim malitia Bonitati Transcendentali opposita consistat in negatione, secùs tamen esse in malitiâ Bonitati morali contrariâ: siquidem malum morale, Divo Thomâ *3. contra. gent. cap. 9.* attestante, non importet aliquid, quod secundùm suam Essentiam sit malum, sed quod secundùm se bonum sit, malum autem sit homini, in quantum privat illum ordine rationis, qui est hominis bonum: sicut calor secundùm suam Essentiam bonus est, malus tamen aquæ, quam privat frigiditate naturali.

13. Contra. Nam verum quidem est, quòd malitia *in genere Transcendentali* eatenus sit negativa Entis, ut non possit esse radicata in Bono Transcendentali, cùm econtra malitia moralis eo ipso, quòd non sit malitia absoluta, sed respectiva duntaxat, radicata sit in Bono: imò malum morale *Concretè* sumptum *Essentialiter* involvat Bonum, *uti probat præallegatus* D. Thomæ *textus*. Hoc tamen minimè obstante, malitia moralis æquè removenda est à Divinæ tum Jdeationis, tum Finalizationis, tum Efficientiæ causalitate, atque malitia Transcendentalis. At ista per hoc removetur à Divinæ Jdeationis, & ex consequenti Finalizationis ac Efficientiæ Causalitate, quòd in Divinâ simplicis Intelligentiæ scientiâ formetur non per Judicium Affirmativum, sed Negativum; nec per voluntatis Divinæ Decretum, quà prosecutivum, & ut sic Causativum, sed quà Aversativum, quod ut sic nō est Effectivum, sit ponibilis in rebus creatis. Eo ipso autem, quòd omnimoda per Judicium seu assensum affirmativum in Divinâ simplicis Intelligentiæ scientiâ efformata & exinde per prosecutivū Dei Decretum determinata Formalitas sit Entitas positiva, oportet à contrario, conceptum objectivum non nisi Negativo Divinæ simplicis Jntelligentiæ Judicio, & ex consequenti non nisi Aversativo Divinæ voluntatis Decreto definitum, esse negationem seu privationem. Cùm igitur malitia moralis æquè, ac Transcendentalis *Formaliter* spectata sit removenda à Divinæ tum Efficicientis in prosecutivo voluntatis Dei Decreto sitæ, tum Jdealis in simplicis Intelligentiæ expressione affirmativâ consistentis Causalitatis influxu, consequens est, æquè Moralem ac Transcendentalem malitiam consistere in negatione, seu privatione, ut sic per Divinæ simplicis Intelligentiæ Judicium negativum, atque adeò negationis expressivum formatâ.

Confirmatur. Nam Intellectus Dei naturam creatam rationalem ex suâ Divinæ substantiæ imitabilitate activâ derivabilem cognoscendo *Comprehensivè* per simplex affirmationis Judicium intelligit hujus naturæ creatæ per quaslibet virtutis & Honestatis moralis species referibilitatem ad se tanquàm Ultimum Finem, mediâ operatione Intellectuali possidendum. Ex vi cujus adeò Judicij affirmativi per intelligibilem cujuslibet Honestatis objectivæ expressionem intelliguntur quarumlibet moralium virtutum species constitutæ in determinato Essentiæ suæ statu. At verò ille ipse Divinæ Intellectionis simplex intuitus naturam rationalem ex intrinsecâ limitatione defectibilem cognoscendo, intelligit actus aliquos ex voluntatis per rationem regulatæ vi Dominativâ producibiles, qui eatenus habeant physicam ex hujus Causalitate procedentem entitatem, ut tamen in se ipsis habeant fundamentum privationum rectitudinis moralis. Has proinde privationes Divinus Intellectus non cognoscit per Judicium affirmationis, sed per dissensum seu Judicium negationis: ut consequenter voluntas etiam Divina se conformando suæ Intellectioni, non per volitionem, sed per nolitionem, seu aversionem duntaxat tendere possit in privationes ejusmodi. Unde quia Causalitas Dei sita est in ipsius volitione absolutâ, nequit Deus privationes illas Intellectionis suæ Divinæ judicio negativo expressas causare: siquidem non aliter possit eas habere suæ voluntatis objectum, nisi aversando, id est, ex vi 14.

sui ab-

sui absoluti Dominij in tali actu morali creaturæ rationalis eatenus nolendo rectitudinem moralem, quatenus hujus rectitudinis privatio seu negatio per Judicium simplicis Intelligentiæ negativum fuit expressa.

Responsio ad opposita Fundamenta.

15. AD n. 2. oppositum Respondetur Aliud esse, si sermo sit de Formalitate *Contrarie* exclusiva rectitudinis moralis, aliud vero esse, si sermo sit de oppositione *privative* exclusiva rectitudinis. Quamvis proinde rectitudinis moralis *Contrarie* exclusiva Formalitas sit positiva, ab actûs moralis Quidditate ac Essentiâ realiter indistincta, negandum tamen esse, quod talis positiva Formalitas sit Formalis malitia, licet sit Formale peccati Commissionis sub specifica actus qua *Formaliter* moralis, constitutivum, & ut sic *Essentialiter* distinctivum ab actu virtutis *Contrarie* opposito. Quare Formalem peccati Commissionis Malitiam non *Contrarie*, vel *privative* opponi rectitudini. Nec tamen hinc sequi, quod negatio scilicet Malitia moralis possit esse exclusiva negationis rectitudinis, scilicet in pura omissione se tenentis; siquidem falsum sit, posse omissionem habere rectitudinem Formalem, nisi *Concomitanter*, ex positivo voluntatis actu participatam. Imo ne objectiva quidem [illegible] subsistere potest in omissione nisi qua velita Motivo Honestatis, ut sic positivam Formalitatem rectæ rationi conformem in actu signato [illegible] ente.

16. Ad n. 3. propositum Fundamentum Respondemus. Verum esse, quod antecedenter ad privationem rectitudinis in actu morali peccaminoso præintelligatur positivus ad objectum rectæ rationi dissonum ordo ac tendentia. Hunc verò positivum ordinem esse quidem *Formaliter in genere moris*, atque adeo ut sic esse differentiam *Essentialiter* ac *specifice* distinctivam ab actu virtuoso *contrariè* opposito. Nihilominus illam Formalitatem positivam nobis non videri dicendam malitiam Formalem, sed Fundamentalem. Nec in hoc subesse tantam de nomine quæstionem, sed specialem rationem, uti constat ex dictis supra.

17. Ad ea, quæ n. 4. 5. 6. & 7. per authoritatem Sancti Thomæ sunt deducta Respondetur. Illis præcise probari, tum quod actûs *moraliter* mali differentia *in genere morali* constitutiva & *Essentialiter* distinctiva sit Formalitas *Entitative* Bona, tum quod positiva ex objecto rectæ rationi dissono specificata, actûs moralis Formalitas se habeat ut dispositio rectitudini morali non *privative*, sed *Contrariè* opposita, tum consequenter quod ista contraria dispositio *Formaliter Constitutive*, privatio autẽ rectitudinis solum *consecutive* se habeat ad Essentiam actûs *moraliter* mali ac peccaminosi quà determinatam virtuti alicui *specificè primo* oppositam Formalitatem importantis. Nihilominus illis Sancti Doctoris textibus exactius ponderatis, eos præsertim cum ejusdem Doctoris Angelici *textibus supra citatis* conferendo, haud concludi, quod illa rectitudini *morali contrarie* opposita actûs mali *in genere* morali *specifice* distinctiva Formalitas dicenda sit malitia Formalis, sed Fundamentalis duntaxat. In quo proinde, ipsomet etiam Ioanne à Sancto Thoma *cit. a. 2. n. 9.* advertente, nec a Divo Thomâ, nec a Thomistis dissentimus, nisi fortè in nomine, de quo tamen nullum contendendi habemus animum, nisi quatenus sub illo latet specialis circa Divinam tum Ideationis, tum Finalizationis, tum Efficientiæ causalitatem difficultas.

❊❊❊❊❊❊❊❊❊)(❊❊❊❊❊❊❊❊❊

CONTROVERSIA II.

An privatio malitiæ Formalis in peccato Commissionis Formaliter constitutiva sit privatio rectitudinis ipsimet actui debitæ?

1. NEgant Ocham *quodlib.* 3. *q.* 15. Gabriel *in* 2. *dist.* 35. *q.* 2. *a.* 1. & 2. quòd actus *moraliter* malus importet carentiam rectitudinis debitæ ipsi actui, sed operanti, utpote habenti obligationem rectè operandi. Fundamentum est: Nam *supra* ostendimus, actum interiorem voluntatis ex objecto rectæ rationi dissono specificatum eatenus fundare in se negationem rectitudinis moralis, ut in ordine ad istam in se recipiendam non habeat ullam aptitudinem & capacitatem. Est autem de ratione privationis, esse carentiam formæ oppositæ in subjecto apto nato. Nequit ergo malitia moralis esse privatio rectitudinis ipsi actui, sed operanti debitæ.

2. E contrario Ferrariensis 3. *contra. Gent. cap.* 9. Medina 1. 2. *q.* 18. *a.* 5. Zumel *q.* 71. *a.* 6. *disput.* 1. *concl.* 2. Ioannes à Sancto Thomâ *cit a.* 3. [illegible] affirmant, actum *moraliter* malum importare privationem rectitudinis ipsi actui debitæ. Fundamenta ab eodem Ioanne à Sancto Thomâ *n.* 9. *ac sequentibus* deducta sunt. *Primum* à posteriori. Pura enim negatio non suscipit magis & minus. At unum peccatum potest altero majus esse, non tantum ratione subjecti operantis, sed etiam ratione ipsius operis in se, sic enim infidelitas & desperatio sunt graviora peccata furto & homicidio. Ergo carentia rectitudinis resultans in actu ex tendentiâ in objectum pravum, non est pura negatio, sed privatio. *Secundum* à priori. Actus moralis quà voluntarius ac liber egreditur à voluntate ut indigens regulâ & mensurâ. At si actus malus, quatenus est Humanus & moralis, ex suis principijs non esset capax in se bonitatis moralis, seu regulationis, non esset indigens regulari & mensurari à ratione, neque hoc esset ipsi debitum. Ergo actus ejusmodi moralis ex suis proprijs principijs, à quibus procedit, est capax rectitudinis, & illam exigit, licet prout tangit objectum rationi dissonum, non sit ei debita rectitudo, sed contrarium.

CONCLUSIO.

FOrmalis peccati Commissionis malitia importat privationem rectitudinis moralis non subjecto duntaxat operanti, sed ipsi morali etiam *intrinsice* malo actui secundùm rationem saltem Genericam debitæ.

Probatur. Nam alia ratio Generica eatenus importat potentialitatem ad suas specificas differentias, ut quælibet in linea & ordine suo sit perfecta

fecta: ſicuti reſpectu animalis ſunt ſpecies Equi ac Leonis. In tali autem Genericæ Rationis per Differentias ſpecificas contractione neutra ſpecies dicitur habere privationem alterius ſpeciei. Alia proinde ratio generica importat potentialitatem ad ſpecificas differentias, quarum altera ſe habeat per modum perficientis, altera vero per modum Deficientis: Sicuti reſpectu animalis ſunt Lynx & Talpa: hæc enim in aliquo Gradu ſenſitivi, nimirum in viſu, eſt per differentiam ſuam ſpecificam Deficiens, cum illa econtra in omni ſenſitivi gradu *ſimpliciter* perfecta ſit. Unde in tali Genericæ rationis per Differentiam ſpecificam contractione ex parte alterius, nimirum Deficientis ſpeciei, eatenus ſtat fundamentum alicujus Defectibilitatis, ut negatio perfectionis alteri ſpeciei inexiſtentis veniat nomine privationis; adſtipulante Philoſopho, dum Talpam cæcam dicit. At verò ita ſe habent actus de ſe *Formaliter* bonus, ſeu virtuoſus, & *contrariè* oppoſitus vitioſus, ſeu *Fundamentaliter* malus. Pro-
4. batur iſtud aſſumptum; Horum enim actuum intrinſecæ ſpecificæ differentiæ eatenus contrahunt genericam liberi qua per rationem regulabilis actûs moralitatem, ut tamen differentia ſpecifica actûs qua virtuoſi, ſeu Moraliter Boni ſit perficiens: differentia verò actûs vitioſi, ſeu quà *Fundamentaliter* etiam mali ſit deficiens. Quare rectitudo operationis virtuoſæ eatenus eſt debita omni morali ſecundùm genericam rationem conſiderato actui, ut conſequenter ejus negatio ſit privativa reſpectu actûs moralis, ex ſuâ
5. licèt ſpecificâ differentiâ intrinſecè mali. Et hinc facilè patet ſolutio Fundamenti *n. 1.* oppoſiti, quamvis enim actus per ſuam Eſſentiam ex objecto rectæ rationi diſſono ſpecificatus ex ſpecificâ ſuâ differentiâ habeat Eſſentialem cum rectitudine morali repugnantiam, attamen ex genericâ moralitatis ratione habet aptitudinem, ſeu potentialitatem reſpectu formalis *in genere morali* Bonitatis ſeu Honeſtatis. Unde carentia debitæ rectitudinis in actu morali etiam *intrinſecè* malo ſortitur nomen & rationem non puræ negationis, ſed privationis.

CONTROVERSIA III.

Qualiter demonſtretur, Deum non fore cauſam peccati Commiſſionis, tametſi ejus Formale conſtitutivum conſiſteret in poſitivo?

1. ANdreas Möhr *cit. diſp. 3. cont. 2.* putat, ſuo ſubtili Doctori *in 2. diſt. 37. q. 2.* licèt ibi irreſoluto conformiter doceri poſſe, quod ſit probabiliſſimum, Deum concurrere *Effective phyſicè ac immediatè* ad formale etiam peccati, quamvis certiſſimum ſit, non concurrere ad illud omnimode, ſicut ad Bonum, nec eſſe cauſam moralem ſeu particularem ipſius.

Fundamentum eſt. Cauſa enim ſecunda non tantum naturalis, ſed etiam libera de ſe eſt indeterminata quoad effectum in individuo, nec etiam libera voluntas poteſt ſeipſam ad unum præ alio determinare, cum ductor illius intellectus non poſſit pro hoc ſtatu unum ab alio diſtinguere, aut ut ſic diſtinctum ipſi proponere, adeòque à Deo determinari debeat. At non poſſet Deus ad unum individuum præ alio determinare, niſi reſpectu illius exerceret concurſum immediatum. Cum igitur peccatum Commiſſionis ſit quid poſitivum, & effectus Cauſæ ſecundæ; Deus autem probabiliſſime concurrat *immediatè* & *Effective* ad omnem effectum poſitivum naturalem Cauſæ ſecundæ, conſequens eſt; probabiliſſimum eſſe, quod Deus *Effective phyſicè* ac *immediatè* concurrat ad formale etiam peccati commiſſionis

Ioannes a Sancto Thomâ *cit. diſp. . a. 2. an. 77.* 2.
cum Cajetano *2. 2. q. 6. a. 2.* aſſerit, actum peccati etiam in lineâ morali, prout eſt contrarius *poſitive* actui bono, & virtuti, non eſſe a Deo ſub ipsâ formalitate contrarietatis, quatenus fundat privationem & defectum. Fundamentum *Primum* eſt ex Sancto Thomâ *2. 2. q. 6. a. 2.* ſic diſſerente: *Deformitas non ſolum importat privationem debitæ formæ, ſed etiam contrariam diſpoſitionem. Unde deformitas ſe habet ad actum, ſicut falſitas ad fidem: ſicut ita ſicut actus deformis non eſt a Deo, ita nec aliqua fides falſa.*
Secundum ex ratione. Nam in ratione & lineâ 3.
Deficientis non ſolum intrat ipſa privatio, quæ *formaliter* eſt defectus, ſed etiam ipſum Fundamentum & radix talis privationis. Hoc autem eſt poſitivum aliquid cum limitatione & abſentiâ alicujus, cum quo illa privatio non compateretur. Atqui tale poſitivum, licèt in ſe & in ſuo Eſſe ſit a Deo, tamen ut ſubeſt illi connotationi, & eſt radix talis privationis, non eſt à Deo, ſed talem defectum habet, prout eſt ex nihilo. Probatur iſtud aſſumptum. Nam potentia peccandi eſt antecedens peccatum, & conſequenter non eſt ipſa privatio peccati, ſed eſt aliquid poſitivum ut defectibile. Ut ſic autem potentia peccandi non eſt a Deo, prout talis, nempe ut eſt ad peccandum & deficiendum. Bene ergo ſtat, quòd aliquid poſitivum ſub aliquâ conſideratione ſeu connotatione & reſpectu à Deo non ſit, ſiquidem illud poſitivum, prout eſt ex nihilo, ſit defectibile, & prout eſt à Deo, ſit effectibile.

Confirmatur. Nam actus vitalis eſt Entitas, quæ eſt à Deo ut à Causa Univerſali totius Entis, & tamen non ſub omni Formalitate eſt à Deo, quia non eſt ab ipſo ut a principio intrinſeco. Similiter actio limitata eſt à Deo, ut Entitas eſt, & non ſub modo, & formalitate limitationis, ac imperfectionis, ſed ſub modo perfecto. Inſuper motus tibiæ claudicantis eſt à Deo, & ab animâ ſub ratione motûs, non ſub ratione obliquitatis & claudicationis. Pari ergo ratione illa entitas & ordo poſitivus moralis ad objectum pravum, prout in ſe entitas realis eſt, & habet *Eſſe*, eſt à Deo, eſt enim quid effectibile: ut autem tangit objectum deordinatum, eſt privatum regulis rationis, ex quo oritur in actu privatio rectitudinis. Sub hac autem ratione eſt Fundamentum defectibile, atque adeò, cum teſte Divo Auguſtino: *Nemo Deo authore fiat deterior*, non eſt à Deo, tametſi alias ipſe, ut Entitas eſt, ſit à Deo, quia licet tangat *poſitivè* objectum, non tamen *poſitive abſolute & ſimpliciter*, nec in eâ plenitudine, quam poſtulat illa regulatio moralis: ſicut artefactum deficiens à regulis artis reſpicit quidem aliquam Ideam, ſecundum quam ſit, ſed non in eâ plenitudine & adæquatione, quam poſtulat Idea, & ars propria talis artefacti. 4.

Nor

5. Nos in primo tomo varijs in locis præsertim *quæst. 5. art. 3. cont. 10.* fusius deduximus, rationem demonstrativam, *Cur peccati formalitas lucis foret positiva, quà talis non posset cadere sub Divina Causalitate.* Unde brevius difficultatem hic motam discutiemus.

CONCLUSIO.

Etiamsi dicatur peccati Commissionis Formale esse quid positivum, non infertur, Deum esse Causam peccati.

6. Probatur. Nam in illo intrinseco actûs moralis ordine positivo duæ sunt Formalitates intelligibiles. Altera est ratio Essendi, & ratio effectûs; altera est radix privationis rectitudinis debitæ, importans ut sic rationem Deficientis a Deo. At licèt omne positivum sub ratione effectûs ac Essentialitatis & Existentiæ sit a Deo, siquidem hujus effectus proprius in creatis sit Esse, attamen sub ratione Deficientis, prout est radix privationis debitæ, non respicit Causalitatem nisi Causæ *Defectibiliter* operantis: cujusmodi non est Deus, sed creatura rationalis, quæ per sui ex nihilo originem habet modum operandi Defectibilem: sicut etiam limitatio Essentiæ creatæ non quà fundamentum negationis perfectioris Essendi modi, sed quà modus Essendi participatus intelligitur descendere ex Divina Causalitate.

7. Dices. Materiam primam in sententiâ Thomistarum nullum includere actum Entitativum, sed puram potentialitatem. Hoc tamen non obstante, oportere pro aliquo priori naturæ, antequam intelligatur actuata per formam, ad ipsam determinari Divinam Effectricem causalitatem. Ut sic autem non intelligi materiam primam nisi sub Formalitate limitationis in potentialitate materiæ utpote purâ fundatæ. Non ergo intelligi posse, qualiter Causalitas Divina non sit effectrix in Ente positivo creato limitationis intrinsecæ ac Entitativæ, ut sic fundantis negationem purioris ac perfectioris Essentialitatis. Quare rationem *superius* deductam videri insufficientem ad probandum, quòd, cum formalitas quà privationem, seu negationem ac imperfectionem in se fundans non tam effectibilis, quàm Defectibilis sit, Deus nequeat dici Causa illius positivæ Formalitatis, in quâ ut sic *Formaliter*, vel *Fundamentaliter* sita sit malitia peccati Commissionis.

8. Contra. Nam Divina Causalitas originatur per Essentiæ Dei Exemplabilitatem ac Ideationem. Hinc autem Essentiarum in Divinâ Ideâ repræsentatarum fit expressio quædam sub ipsâmet Divinitatis ad Extra imitabilis Bonitate Infinitâ. Ex vi autem hujus expressionis applicatur ad voluntatem Divinam infinita Dei Bonitas, qua ejusdem voluntatis Dei *Formaliter* motiva ad creatarum in Divinâ Essentiâ repræsentatarum quidditatum *Esse* participatum absoluto amoris Decreto prosequendum. Ista verò *Esse* in creatis quidditaribus participati prosecutio absoluta eatenus habet rationem Causalitatis Finalizativæ, ut simul habeat vim Causalitatis actu Efficientis. Ex quo proinde fit consequens, Causalitatem Dei tum Finalem, tum Efficientem non extendere se se ad Formalitatem creato Effectui, seu actui existentem, nisi quatenus hæc *Idealiter* est formata in Divino Intellectu. At ista Dei Ideatio Essentias creatas eatenus format ex Essentiæ suæ Divinæ activâ in Essendo infinitâ Imitabilitate, ut tamen in nullâ creatâ quidditate sit expressiva puræ Essentialitatis. Hinc autem est, quod Divinæ Ideationis judicium creatarum quidditatum efformativum respectu nullius Essentiæ ad extra participabilis sit purè affirmativum, sive *pure Esse* repræsentativum, sed *indivisibiliter* sit Negativum, sive *Non Esse* purioris perfectionis expressivum. Quia ergo Divina tum Finalizativa, tum Effectiva Divinæ Ideationis rationi *intrinsecè* commensurata causalitas non se extendit nisi ad Formalitates Judicio ipsius affirmativo, sub ratione *Esse participati* expressas, consequenter erga Formalitates Judicio ejus negativo *sub non Esse*, sive sub purioris perfectionis negatione repræsentatas nullum exercere potest Causalitatis, sive alicujus ad Extra comunicationis influxum, sed potius efficaciam aliquam Essentialitatis ut sic mediante aversionis seu volitionis suæ Divinæ Decreto remotivam. At eo ipso, quòd Formale peccati commissionis nequeat in positivo constitui, nisi quatenus istud privationis debitæ rectitudinis radix & fundamentum est; sequitur tale positivum peccati commissionis Formale Constitutivum, quatenus sub ratione Entitatis quandam ex Divini Esse ideatione participationem *Formaliter* importantis intelligitur, eatenus substare affirmativo Divinæ Ideationis Judicio; ut tamen sub ratione radicis quà negationem rectitudinis actui morali debitæ privativam importantis reduci etiam debeat ad Divinæ Ideationis Negativum, purioris rectitudinem moralê involventis Essentialitatis remotivum, seu Negativum Judicium. Quia ergo nequit illa, ne materiæ quidem primæ (quam ob rationem non displicet illa cujusdam recentioris Thomistæ illud prius naturæ in materiâ primâ qua Causalitatem Divinam terminante negantis sententia) & cuivis creatæ Essentiæ quà limitatæ Formalitas substare Divinæ Causalitati, nisi quatenus Divinæ Ideationis affirmativo Essendi Formalitatis ut sic expressivo Judicio subjicitur, consequens est, illius positivi (quatenus est radix moralem defectibilitatem in se fundans) Formalitatem ut sic Divinæ Ideationis Negativo Judicio subjectam, non in Dei Causalitatem tam Finalem, quàm Effectivam in Divinæ volitionis seu amoris efficacis Decreto sitam, sed potius in Divinæ voluntatis efficaciam aversativam, sive in Efficax Nolitionis Divinæ Decretum reduci debere.

9.

Responsio ad opposita fundamenta.

Ad *n. 1.* oppositum Respondetur. Summoperè displicere. Tum quòd ibi asseratur probabilissimum duntaxat, quòd Deus *Physicè Effective immediatè* concurrat ad omnem Causæ secundæ effectum: tum quod isto Dei in omnes Causæ secundæ effectus physico immediato influxu admisso, tanquàm probabilissimum subinferat; quòd Deus *Effective physice* concurrat ad 10.

 Forma-

11. Formale etiam peccati Commissionis, utpote in positivo consistens. Cui illationi contraponitur, quòd in illo positivo, nõ puræ, *in genere tam physico*, quam *maximè morali*, perfectionis repræsentationem præseferente, eatenus distinguenda sit una Formalitas sub Entitatis participatæ ratione Divinæ Ideationis affirmativo Iudicio, altera verò sub radicis Defectibilitatẽ moralem in se fundantis ratione Divinæ Ideationis negativo judicio substans, ut sub priori, non autem posteriori Formalitate, non probabilissimè duntaxat, sed omninò certò dici debeat subesse Divinæ *immediatè* Effectivæ Causalitati.

12. Ad ea, quæ ex Joanne à Sancto Thomâ *n. 1.* deducta sunt, Respondetur. Illa nobis omnino probari præter id, quòd dicatur, actum vitalem sub Formalitate vitalitatis, secundùm quam ut sic est à principio intrinseco, non esse *Effectivè* ex Divinâ immediatâ Causalitate. Etsi enim non sit à Deo quà principio intrinseco, ipsa tamen à potentiâ creatâ vitali quà principio *immanenter* operativo profluens vitalitas est *Efficienter* à Deo. Unde licet in Effectibus creatis varias possimus Formalitates distinguere, omnes tamen, quatenus Divinæ Ideationis Judicio affirmativo substant, reducere debemus in Dei causalitatem tam Finalem, quam Efficientem. Secus verò est circa Formalitatem Divinæ Ideationis Judicio Negativo, ut sic Defectibilitatis expressivo substantem, quam ut sic eo ipso removere oportet ab omnimodâ Voluntatis Divinæ causalitate, quòd *Essentialiter* importet Divinæ Bonitatis communicationem.

QUÆ-

QUÆSTIO DUODECIMA
DE
SPECIFICA ET NUMERICA PECCATORUM DISTINCTIONE.

1. Hujus quæstionis materia ad praxin pro confessionali apprimè necessaria est, siquidem Confessario incumbat & distinguere inter peccatores species, & integram de singulis numero distinctis confessionem in pœnitente procurare, velut ex instituto probabitur in materiâ de Sacramento pœnitentiæ.

ARTICULUS I.
DE
Specificâ peccatorum distinctione.

2. Ex triplici capite potest hic moveri difficultas. *An peccatorum specifica distinctio* vel *ex oppositione cum virtute*, vel *ex ordine ad objecta Formalia in genere moris specie discrepantia*, vel denique *ex legum, cum quibus peccata pugnant, diversitate desumi possit, ac debeat.* Quam proinde triplicem difficultatem duabus controversijs concludemus, tertiam postea superaddituri ac visuri, *Qualiter ex circumstantijs resultet specifica peccatorum diversitas?*



CONTROVERSIA I.
An specifica peccatorum differentia ex oppositione ad virtutes specie distinctas, vel potiùs ex objectis in genere moris Formaliter ac specificè diversis dijudicanda sit?

3. Gabriel *in 2. dist. 37.* specificam peccatorum distinctionem desumebat ex oppositione ad virtutes. Fundamentum est. Quia malitia Formalis peccati est privatio rectitudinis moralis, ut sic spectantis ad speciem alicujus virtutis Formalitatem.

4. Divus Thomas *1. 2. q. 72. a. 1.* species peccatorum distinguit per objecta. Fundamentum ab eodem Sancto Doctore *supra q. 18. a. 2.* deductum est. Bonum enim & malum actionis, sicut & cæterarum rerum attenditur ex plenitudine Essendi, vel defectu ipsius. At primum, quod ad plenitudinem rei pertinet, est id, quod dat speciem. Sicut autem res naturalis habet speciem ex formâ, sic actio habet speciem ex objecto. Ergo prima bonitas actûs moralis attendi debet ex objecto convenienti. E contra verò sicut in rebus naturalibus primum malum est, si res generata non consequitur formam specificam, ita primum malum in actionibus moralibus est, quod est ex objecto quà rectæ rationi dissentaneo.

Conclusio.

Differentia specifica peccatorum non præcisè per oppositionem cum virtute, sed etiam per hujus oppositionis modum, adeòque per objecti cum naturâ rationali specialem dissonantiam consideranda est.

Probatur. Quia intra ejusdem virtutis materiam dantur peccata specie distincta, velut furtum, homicidium, & adulterium in materiâ Justitiæ. Item idololatria, Sacrilegium, & violatio Festorum in materiâ religionis: ac denique in omni virtutis materiâ dantur per excessum & defectum contraria vitia secundùm speciem diversa. 5.

Confirmatur. Nam 1. contra virtutem *prudentiæ* per defectum peccatur tum *præcipitatione*, dum ad judicium properatur nullâ, vel insufficiente consultatione de rebus agendis factâ: tum *inconsideratione* Circumstantiarum, aliarumque rerum, ex quibus rectum judicium foret efformandum: tum *inconstantiâ*, cùm ex nullâ, vel levi ratione receditur à maturo prudentiæ consilio: denique *Negligentiâ*, cùm ex quodam animi tempore præfata de rebus agendis consultatio & judicium omittitur, vel insufficienter præstatur. ex Divo Thoma *2. 2. q. 53. & 54.* Insuper per excessum peccatur contra prudentiæ virtutem, tum *prudentiâ carnis*, id est cogitatione & investigatione eorum, quæ carnali appetitui accommodata sunt; Tum *Astutiâ*, id est cogitatione mediorum simulatorum, & fallacium pro fine consequendo, *tum Dolo*, id est astutiæ executione verbis, vel factis præstitutâ in damnum proximi; tum *sollicitudine nimiâ*, nimirum in conquirendis, vel conservandis rebus temporalibus. ex eodem Sancto Doctore *2. 2. q. 55.* Quæ 6.

proinde prudentiæ per excessum ac defectum opposita vitia non ex præcisâ ad prudentiam oppositione, sed ex materiâ, vel Finis, aut effectûs, vel damni inde secuti in personis præsertim ad solertiam rerum bene agendarum ex officio obligatis judicari debent mortalia.

7. 2. Contra Virtutem *Fortitudinis* per defectum peccatur tum *timiditate*, dum vel timentur, quæ timenda non sunt, vel plus æquo timentur. ex Divo Thomâ 2. 2. *q.* 125. *a.* 3. Quod peccatum per se non est mortale, sed per accidens, si ob ejus causam desistatur ab aliquo gravi virtutis præcepto. Tum *Intimiditate*, seu *animi stupiditate*, cùm ea, quæ timenda sunt, vel non timentur, vel non quando, & quantum oportet; quod peccatum est mortale, aut veniale pro qualitate proprij, vel alieni inde secuti detrimenti. ex Angelico Doctore 2. 2. *q.* 126. *a.* 1. Insuper per excessum contra *Fortitudinem* prout modum in suscipiendo ac repellendo timore servat, Doctore Sancto *q.* 127. teste, peccatur tum *Audacia*, dum quis irrationabiliter adit, & aggreditur pericula: tum *Ignavia*, cùm quis non merè *Negative*, sed *Positive* refugit aggredi pericula. Quæ peccata pro qualitate materiæ, quam quis vel aggreditur, vel refugit, mortalia sunt, aut venialia. ex Castropalao *oper. moral. par.* 47. *tract.* 1. *disp.* 2. *punc.* 1.

3. Sicuti Fortitudo suas habet annexas virtutes (de quibus Divus Thomas 2. 2. *q.* 128. & 129. agit) ipsius integrantes, nimirum *Fidentiam*, quæ est spes Boni ardui consequendi, *Securitatem*, dum quis excluso timore, fidit se à malo non vincendum; nec à Bono avertendum: *Magnanimitatem* in despiciendo parvum, & in aggrediendo magnum, quod respectu naturæ rationalis est unicè Bonum honestum; *Magnificentiam*, quæ est virtus inclinans ad magna externa opera pecuniarum expensis, ut virum magnum decet, contemptis, facienda: *Patientiam*, cujus est, firmare animum, ne ob res adversas, ac mærores inde consurgentes quis à virtute deficiat, sed moderata tristitiâ quævis toleret æquanimiter ob virtutis Honestatem: *Longanimitatem*, quæ patientiæ pars est firmans animum, ne ob dilationem animi remotionem, vel Boni sperati consecutionem ob... tristitiâ: *Perseverantiam* denique, & *Constantiam*, quarum est firmare animum in Bono, ita ut huic constanter insistat, non obstante molestiâ etiam diuturnione inde natâ. Sic quælibet illarum virtutum habet vitia sibi opposita, per excessum quidem *Ambitionem*, *Vanam Gloriam*, & *Præsumptionem* Magnanimitati: *nimiam sumptuum vires proprias excedentium profusionem* Magnificentiæ: *Impatientiam* patientiæ, & *pertinaciam* perseverantiæ contrarias: de se quidem (uti pluribus exponit Castropalaus *cit. disp.* 2. *punc.* 2. *à n.* 10.) Veniales, sed ex circumstantiis sive materiæ, ac Finis, sive mediorum ac effectuum ad alias virtutes spectantium ut plurimum mortales.

8. Deinde præfatis Virtutibus per defectum opponuntur tum *Desperatio* Fidentiæ; tum *nimius timor* securitati, tum *pusillanimitas*, *sive inordinata officiorum, honoris, & Gloriæ fuga* Magnanimitati; tum *Parvificentia*, id est, *sumptuum operi instituto convenientium præ nimia angustia omissio* Magnificentiæ, tum *Durities*, *sive malorum insensibilitas nihili mala imminentia ex quadam stoliditate faciens* Patientiæ; tum denique *mollities seu animi levitas*, & *à bono citra causam rationalem desistens inconstantia* Perseverantiæ contraria. Quæ proinde peccata (teste Castropalao *citato*) nisi aliarum virtutum materias graviter obligantes tangant non excedunt malitiam venialem.

4. Contra virtutem *Temperantiæ* varias sub se species nimirum *Abstinentiam*, *Sobrietatem*, & *Castitatem* habentis variè peccatur. Nam abstinentiæ cibi usum moderanti per Defectum opponitur *Insensibilitas*, seu *stupor* consistens in fugâ cibi hic & nunc sumendi ad vitæ conservationem, aliasque cujusvis status congruentes functiones viribus corporis peragendas necessarij, cujusmodi proinde vitium erit mortale, si ad gravis alicujus obligationis executionem quis exinde fiat impotens. ex S. Thomâ 2. 2. *q.* 141. & 142. Deinde per excessum *Abstinentiæ* contrariatur *Gula*, consistens in immoderato cibi usu, quod vitium (secundum Castrop. locum *cit. tract.* 1. *disp.* 3. *punc.* 4. *n.* 3 & alios ibi relatos Doctores) de se veniale est, & non nisi per accidens ratione alterius præcepti, seu alicujus de lege graviori violandâ periculi fit mortale. 9.

5. *Sobrietati* affectum, & usum potionis de se inebriantis moderanti per excessum opponitur *Ebrietas*, violentam usûs rationis ex potu deceptionem inducens, estque culpa mortalis, dum ad plenam rationis usûs privationem pervenit: alioquin est solùm venialis, si potûs sumptio non creditur eo perventura, ut rationis usum plene adimat, sed solum aliquantulum perturbet, visum obfuscet, linguam paulisper vinciat, caput in gyrum vertat, & pedes infirmos reddat. ex Cajetano *ver. Ebrietas.* Sylvestro *ibi. q.* 1 & Castropalao *cit. disp.* 3. *punc.* 5. *n.* 3. *in fine.* colligiturque ex Divo Tho. 2. 2. *q.* 150. *a.* 2. *ad* 2. 10.

6. Castitati affectum, & usum Veneris moderanti opponitur Luxuria: cujus duæ generatim sunt species (nimirum *Fornicatio* & *Peccatum contra Naturam.* Fornicatio non tam intra lineam Luxuriæ, quam adjuncta justitiæ, seu Religionis violationi subdividitur in *Fornicationem simplicem*, *Adulterium*, *Stuprum*, *Raptum*, & *Sacrilegium. Fornicatio simplex* est Coitus venereus inter personas solutas: cui affinis est immunditia per tactus, & oscula contingens: colligiturque ex Apostolo *ad Ephesh.* 5. & *ad Gal.* 5. hanc non minùs, ac Fornicationem esse peccatum mortale. ex S. Thomâ 2. 2. *q.* 154. *a.* 4. Tametsi Castropalaus *cit. disp.* 3. *punc.* 7. §. 2. *n.* 5. cum pluribus Doctoribus à se relatis existimet: Oscula, amplexus, & tactus, modò non circa partes impudicas, si fiant ex joco, vel animi levitate, vel ex curiositate absque pollutionis periculo non excedere culpam venialem. Idem de tactu sui in verendis non ex Fine impudico, sed ex curiositate, aut levitate facto sentit Sanchez *lib.* 9. *de Matrim. disp.* 46. *n.* 10. Sicut etiam de aspectu, qui ob curiositatem non in alterius personæ pudendis, nec ex intentione delectationis libidinosæ, seu cum notabili partium venereâ commotione studiosè ac voluntarie factus est, non excedere culpam venialem, tradit cum aliis Castropalaus *cit.* §. 2. *n.* 13. addens *n.* 14. verba turpia ad delectationem veneream instituta esse quidem peccatum mortale, sed veniale, si fiant ex levitate animi, atque scandalum (quod tamen difficile sit), non interveniat. *Adulterium* Forni- 11. 12. 13. 14.

nicationi, vel etiam peccato contra naturam superaddit læsionem Iuris conjugalis. *Stuprum* est Coitus cum Virgine renitente, haberque malitiam injustitiæ per vim illatæ Virgini. *Raptus* est violenta fæminæ abductio ex uno in alium locum, facta ex intentione copulæ cum ipsâ habendæ. *Sacrilegium* denique est Coitus cum personâ sacrâ, vel in loco sacro.

15. 7. *Peccatum contra Naturam*, quod est effusio seminis extra vas naturale, contingit quatuor modis, inprimis si homo coeat cum bestiâ, vocaturque *Bestialitas*; item si coeat cum Dæmone formam humanam assumente; quo casu præter *vitium contra Naturam* incurritur peccatum *irreligiositatis*, deinde si vir cum viro, seu fæmina cum fæminâ coeat, diciturque *Sodomia*, licet coitus fæminæ cum fæminâ, teste Covarruviâ *4. Decret. 2. p. cap. 7. §. 5. n. 7.* non puniatur ordinariâ sodomitarum pœnâ, sicut si vir cum fæmina coeat præpostere, seu in vase indebito, est quidem *peccatum contra Naturam*, non tamen propriè sodomia, nec adeo incurrit pœnas Jure Canonico & Civili Sodomitis indictas. Denique, si voluntariè effundatur semen extra vas, nullâ interveniente copulâ, vocaturque *Mollities*, seu *pollutio*. Quæ proinde omnia & singula *contra naturam* peccata esse mortalia, eaque gravissima, indubitatum est: licèt, si fiat aliqua humoris distillatio absque ullâ spirituum commotione, venereâque delectatione, non censeatur esse pollutio, nec adeo peccatum saltem mortale contrahatur. ex Castropalao *cit. pun. 7. §. 3. n. 5.*

16. 8. Sicut Fortitudo, sic & Temperantia suas habet annexas virtutes, *Humilitatis*, *Studiositatis*, *Mansuetudinis*, *Clementiæ*, & *Modestiæ*; contra quas tum per defectum, tum per excessum peccatur. Etenim *Humilitati* per excessum opponitur *superbia*, quæ, si usque ad Dei, vel superioris contemptum ascendat, indubiè mortalis est: si verò subsistat in suis præ alijs antelatione: secundum Cajetanum *verb. superbia circa Finem*: venialis est, nisi cedat in alterius gravem injuriam. At per Defectu *Humilitati* contrariatur *nimia sui abjectio*, quâ se quis vilipendit plus, quàm ipsius statui congruit, quæ per se duntaxat venialis est.

9. *Studiositati* (cujus est moderari appetitum
17. sciendi, opponitur per Excessum *Curiositas*, estque appetitus sciendi, quæ vel absolutè, vel hic & nunc non decet scire; estque per se venialis, sed ex Fine, vel Materiâ aliunde prohibitâ quandoque mortalis. At per Defectum studiositati contrariatur *Negligentia*, estque vel mortalis, vel venialis pro qualitate obligationis ad notitiam aliquam cujque statui convenientem comparandam. ex Navarro *sum. cap. 23. n. 24.*

10 *Mansuetudini*, cujus est tum jram, ne in
18. substantiâ, vel modo excedat, comprimere; tum ipsam, si ad correctionem ac punitionem delictorum opus fuerit, excitare:) per Excessum opponitur *iracundia*, per Defectum autem *Stupor*. Est autem ira, si interius quis exardescat, ac exterius in verbis & factis ostendat, plerumque veniale duntaxat peccatum: at mortale est, si grave inde Scandalum oriatur, vel sit occasio, Deum seu proximum blasphemijs convitijs, aut contumelijs, alijsque [illegible] invadendi, sicuti iræ ad vindictæ appetitum prorumpens excessus est etiam mortale, [illegible] vel ex levitate materiæ excusetur, vel vindicta ex publicâ authoritate decernatur. ex Divo Thomâ 2. 2. *q. 158. a. 2. & 3.* At verò *Stupor*, seu privatio moderatæ iræ tunc solummodò peccatum est quando est, occasio munus aliquod in coercendis aliorum peccatis, vel ex Charitate, vel ex Justitiâ debitum omittendi. Ex Sancto Doctore *cit. q. 158. a. 8.*; eritque adeo mortale, vel veniale pro qualitate obligationis.

11. *Clementia* Exteriorem vindictam, & 19.
punitionem, quantum Justitia patitur, mitiganti per excessum opponitur *Crudelitas*, in pœnæ modo excedens; sicuti etiam *Feritas*, & *Sævitia* pœnam ex Delectatione infligens; quæ pro gravitate materiæ ac injustitiæ erit mortalis. ex Castropalao *cit. punc. 8. n. 6. in fine.* At per Defectum *Clementiæ* adversatur *nimia lenitas* ex compassione inordinatâ plus æquo remittens pœnas, estque mortalis, dum in grave Reipublicæ damnum facinorosis animum peccandi exinde sumentibus, redundat.

12. Denique *Modestia* modum in moribus, & 20.
gestibus, imo & in vestitu, seu ornatu, cujusque statui congruentem præscribenti per Excessum contrariatur *Immodestia*, per Defectum verò *Rusticitas*, quæ tamen utraque per se solum venialis, ac per accidens tantum ratione Finis, aut scandali fit mortalis: adeo ut fictitius, etiam aliam personam simulans ornatus non sit de se culpa lethalis. ex Divo Thomâ 2. 2. *q. 199. a. 2. ad 3.*

Ex quâ proinde peccatorum tribus Prudentiæ scilicet Fortitudinis, ac Temperantiæ Virtutibus oppositorum inductione patet, specificam peccatorum distinctionem non posse desumi ex præcisâ ad virtutem oppositione, sed hujus modo, ut sic fundante speciale objecti cum rectâ ratione dissonantiam.

Responsio ad opposita Fundamenta.

AD n. 1. oppositum Respondetur. Stare posse
rectitudinem moralem Honestatis ut sic 21.
secundùm universal. æstimandi suâ differentiis specificis abstractionem, quæ fundet quidem specificum Honestatis actum, ex habitu tamen Synthereseos & innata voluntatis ad Bonum Honestum inclinatione procedentem. Hincà contrario Turpitudinis *in abstracto* spectatæ peccatum Honestati *ut sic* adversantis, habere aliquam cum specifico virtutis actu, atque hujus Formali objecto, non autem cum specificâ Habituali virtute oppositionem. Quocirca *absolute* dici non posse, quòd peccata specificentur ex oppositione ad Virtutem, sed potiùs ad obiecta rectæ rationi adversantia, uti efficaciter probat Divi Thomæ *n. 2.* deductum Fundamentum. Et hinc Confessarij in definiendis peccatorum speciebus judicium fieri etiam promptius ac facilius: Tum quia non est opus determinare, cuinam virtutum in specie opponatur peccatū, sed Confessori scientiâ morali de peccatorum speciebus sufficienter instructo, ex ipsius statim peccati expositione apparet objecti turpitudo propria, ex quâ in *actu Exercito* agnoscat peccati speciem, non minùs ac ille, cui aliquis de facie notus occurrit, ex primo statim aspectu, non quidem in *actu signato* ejus conditionem expresse definiendo, sed *in actu Exercito* novit talis hominis statum,

CONTROVERSIA II.

An specifica peccatorum differentia ex legum, cum quibus pugnant, oppositione desumi debeat?

1. AFfirmativa ſententia videtur evinci; tum ex eò, quod peccatum Omiſſionis *ſpecificè* differat a peccato Commiſſionis, quatenus illud præcepto Negativo, illud autem præcepto Affirmativo adverſatur: tum ex eo, quòd Generica peccati definitio per nos *præc. q. 10. a. 1.* approbata ſit per oppoſitionem cum lege æternâ. Ergo ejusdem ſpecifica ratio conſiſtit in oppoſitione ad ſpecialem aliquam legem.

2. Verùm Vaſquez *1. 2. diſp. 98. cap. 2.* Azor *to. 1. lib. 4. cap. 2. q. 5.* Salas *tract. 13. diſp. 2. ſect. 2. n. 9. & 14.* Gonetius *præſ. diſp. 2. a. 2. n. 2.* Caſtropalaus *præſ. tract. 2. diſp. 3. Punc. 1. n. 2. & 4.* negant, peccatorum multiplicitatem deſumi poſſe à diverſitate legum ex parte duntaxat præcipientis diſtincta ûnicè. eo ipſo, ſi legum multiplicitas ſit penes objecta Formalia, exinde poſſunt intelligi peccata *ſpecificè* differentia: Divo Thoma *1. 2. q. 72. a. 1. & 2. ad 2.* atteſtante, *quod per objecta non ſecundum diverſa legis præcepta diverſificentur peccata ſecundum ſpeciem.* Fundamentum a poſteriori deſumptum eſt. Furtum enim de facto prohibetur lege Divinâ & humanâ, & tamen continet unicam ſpecie malitiam. Similiter Adulterium diverſo Decalogi præcepto prohibetur, ac ejus deſiderium, ſeu alienæ Uxoris concupiſcentia. Hoc tamen non obſtante, ſunt peccata ejusdem moralis ſpeciei.

CONCLUSIO.

EX præcisâ ad diverſas leges oppoſitione nõ ſcit deſumenda ſive ſpecifica, ſive etiã numerica peccatorum diſtinctio, niſi leges eandem rem præcipientes, vel prohibentes reſpiciant diverſa Motiva.

3. Probatur. Nam in peccato duplex reperitur Formalitas, altera per modum averſionis ab Ultimo Fine, altera per modum Converſionis ſaltem *indirectæ* ſeu *Interpretativa* ad Bonum commutabile, quà objectum rationi diſſonum, ſeu *Formaliter*, ſeu *Virtualiter* præ lege & jure divino appretiatur. At inter has duas Formalitates hoc diſcriminis eſt, quòd prior ſe habeat ſolùm per accidens ad voluntatem, nemo enim intendens ad malum operatur, ut ait Divinus Dionyſius *de Div. Nom. cap. 4.* Quare poſterior duntaxat Formalitas per ſe ſpectat ad actum moralem quà liberè à voluntate elicitum, utpote procedens ex Bonitate rationi licèt diſſonâ, attamen *Finaliter* allectivâ & Motivâ actûs voluntatis *primò* & *per ſe* participantis ſpeciem moralis malitiei. Atverò ſpecificatio cujusquè rei attenditur ſecundùm hoc, quòd *primò* ac *per ſe* convenit. Cùm igitur averſio à lege, atque adeò actûs moralis ad legem oppoſitio non *per ſe*, ſed *per accidens* ſe habeat ad actum moralem, hic verò *per ſe primò* referatur ad Bonum Commutabile ſui *Finaliter* motivum, conſequenter ex actûs ad motivum Formale, quà rationi rectæ diſſonum habitudine potiùs eſt deſumenda ſpecifica peccatorum diſtinctio, quàm ex oppoſitione ad legem.

4. Confirmatur. Nam 1. Vaſquez *cit. diſp. 98. cap. 3.* & Sanchez *lib. 1. in Decal. cap. 4. n. 5.* rectè probant: Violantem Jejunium Quadrageſimale concurrens cum vigiliâ alicujus Sancti: vel omittens ſacrum die Dominicâ concurrente cum Die Feſtivo, unicum & numero, & ſpecie committere peccatum, etſi diverſæ tunc extent leges jejunij & auditionis ſacri, ſicut etiam ille, qui millies renovat votum ſemel editum, illius transgreſſione committit unum numero peccatum, ex Suarez *lib. 9. de voto cap. 6. n. 6.*

Econtra 2. qui ad jejunandum tenetur ex voto, ſimul & ex præcepto Eccleſiæ, duplicem malitiæ ſpeciem in uno individuo peccato contrahit, alteram Temperantiæ per præceptum Eccleſiaſticum impoſitæ, alteram Religioni per votum obliganti contrariam, uti probat Sanchez *9. de Matrim. diſp. 5. n. 6.*

3. Sacerdotem Religioſum fornicando, ſupra malitiam intemperantiæ contrahere unicam virtuti Religionis oppoſitam malitiam, cenſet Sanchez *lib. 5. de Stat. Relig. cap. 6. n. 14.* eò quòd votum Caſtitatis ſive ſolemne, ſive Religioni, ſive ſacro Ordini annexum, ſit unius cum voto etiam ſimplici ſpeciei: at oppoſitum veriſimilius judicat Card. de Lugo *de pœnit. diſp. 16. ſect. 4. n. 148.* eò quòd Religioſus per vota ſe non ſolum obliget Deo, ſed etiam Religioni: cujus adeo Jus violat fornicando.

4. Illum, qui ex duplici beneficij nimirum & Ordinis ſacri titulo obligatus recitare horas Canonicas omittit, peccare duplici malitiæ ſpecie, alterâ virtuti Religionis ratione Ordinis Sacri, alterâ Juſtitiæ ratione Beneficij oppoſitâ, oſtendit Sanchez *9. de Matrim. diſp. 15. n. 6.* contra Azorium *lib. 4. cap. 2. q. 6.*

5. Si prælatus Regularis aliquod v. g. jejunium præcipiat ex vi, ſeu voto obedientiæ, Religioſum ad id teneri duntaxat ex voto, adeòque transgreſſionem contrariari virtuti temperantiæ, docet Card. de Lugo *cit. ſect. 4. n. 70.* addens tamen; Præceptum ex poteſtate etiam Juriſdictionis à ſummo Pontifice conceſſæ procedere, adeòque obligationem Temperantiæ ſuperinducere, ſi Prælatus præcipiat v. g. Jejunium ſub pœnâ Excommunicationis.

6. Denique peccatum contra votum Juramento firmatum, contrahere duplicem malitiam, alteram fidei Deo datæ per votum, alteram, Deum in falſum teſtem non adducendi obligationi oppoſitam, rectè tradit Sanchez *lib. 7. de Matrimo. diſput. 27. n. 16.*

Reſponſio ad oppoſita Fundamenta.

AD argumenta *n. 1.* oppoſita Reſpondetur. Peccatorum ſpecificam diſtinctionem demonſtrari quidem ex diverſitate legum, quatenus tamen diverſarum *in genere moris* formalitatum rectæ rationi diſſonantium ſunt demonſtrativæ, ut adeò ex legibus non quà comparatis ad ſui quaſi Efficiens principium, ſed quà per objecta formalia, ſui, actuumque moralium ſpecificativa diſtinctis deſumi poſſit ſpecifica peccatorum diſtinctio, uti probat Sancti Thomæ *n. 2.* allegata authoritas. 5.

CON-

CONTROVERSIA III.

Qualiter ex Circumstantiis resultet specifica peccatorum distinctio?

1. Circumstantias specialem cum rectâ ra-
tione dissonantiam præseferentes posse
peccatorum esse specificativas, patet ex
dictis supra *q. 8. art. 2. conc. 6.* Verùm de singulis
tum Personæ, tum loci, tum materiæ, tum me-
diorum, tum temporis circumstantijs morali
considerationi subjectis, & ut sic actuum mora-
lium specificativis operæpretium est speciatim
disserere. Quod equidē fusiùs pertexemus in ma-
teriâ de Pœnitentiâ, seu Integritate Confessio-
nis, hic interea, ne in hoc aliqualiter deficia-
mus, compendiosiorem quandam viam inituri.

CONCLUSIO.

SPecifica peccatorum malitia desumitur etiam ex Circumstantijs tum Personæ operantis, tum Materiæ, tum Finis, tum Mediorum, tum Loci, tum Temporis; si tamen Circumstantiæ ejusmodi specialem affundant objecto malitiam objectivam.

2. Explicatur. Nam 1. Dignitas personæ pec-
cantis, licèt aggravet peccatum, id tamen non
transfert ad aliam speciem, nisi scandalum in-
de eveniat. Card. de Lugo *de pænit. disp. 6. sect. 4.*
contra Fagundez *prac. 2. lib. 4. cap. 3. num. 8.*
3. 2. Sive quis scienter, sive ex ignorantiâ vinci-
bili, & moraliter culpabili peccet, ex tali Cir-
cumstantiâ non inducitur aliqua specifica dif-
ferentia. ex Sanche *lib. 1. in Decal. cap. 7. n. 22. & 23.*
4. Econtra 3. habens consuetudinem leviter juran-
di, ex quâ se committit periculo perjurij, licèt
inadvertenter proferendi, eo ipso, dum non
studet hujus consuetudinis extirpationi, *indi-
rectè* & in causâ vult malitiam perjurij, atque
adeo illam consuetudinem saltem *interpretati-
vè* volitâm tanquam unum continuatum pec-
catum tenetur in confessione explicare. Car-
5. dinalis de Lugo *citatus à num. 201.* 4. Virgo
permittens se deflorari, si parentibus gravem
inde mæstitiam, seu detrimentum in Bonis, si-
ve Honoris, sive Fortunæ causet, peccat etiam
contra pietatem parentibus debitam, quam in
confessione explicare tenetur. Idem Card. de Lu-
6. go *n. 226.* 5. Sponsa fornicando cum alio violat
Jus Sponsi. Sanchez *lib. 1. de Matr. disp. 2. num. 6.* A-
deòque peccat non tantum contra Castitatem,
sed etiam adversus justitiam. contra Pontium de
7. *Matr. lib. 11. c. 6. n. 8.* 6. Impotens ad copulam for-
nicando specialem malitiam contra naturam cō-
trahit, atque adeò tenetur istam circumstantiam
in confessione explicare. Sanchez *lib. 7. de Matr.*
8. *disp. 2. n. 6.* 7. Illum, qui loquendo turpia
alios concitat ad illicita desideria, seu delecta-
tiones morosas, debere in confessione expli-
care Personas, coram quibus loquebatur ob-
scœna, an sint nimirum conjugati, vel Sacer-
dotes, pro indubitato tradit Diana *to. 2. tract. 4.
resol. 114.* Verùm oppositum non carere proba-
bilitate, sentit Cardinalis de Lugo *cit. sect. 4. n. 167.*
eò quòd species peccati, in quod proximus ex
scandalo alterius inducitur, non sit explican-
da in confessione, nisi *directè* intendatur: ut
adeò indirecta in peccatum carnis inductio
Charitati duntaxat, non verò Castitati, vel ju-
stitiæ (si scandalizatus sit conjugatus) vel Reli-
gioni, (si scandalo inductus sit Sacerdos) contrari-
etur. ex Salâ *in 1. 2. tr. 13. disp. 5. sect. 15. n. 128. 134. & 146.*
8. In peccato Carnis explicari debere, an copula sit 9.
consummata, probat Cardinalis de Lug. *cit. disp.
16. sect. 5. n. 247.* addens *n. 248.* In peccato Sodo-
miæ explicari etiam debere, an fuerit quis agens,
vel patiens. contra Alphon. de Leone *ibi citatum.*
9. Religiosum peccantem cum Religiosâ, vel con- 10.
jugatum adulterantem cum conjungatâ satis-
facere in confessione, se accusando de specie adul-
terij, vel sacrilegæ copulæ, existimant nonnulli;
at cōmunis est sententia apud Card. de Lugo *n. 258.*
quòd status utriusque adulterantis, vel sacrilegè
fornicantis exponi debeat: siquidem duplex se-
cundùm speciem sit malitia, in se ipso non serva-
re Votum, seu Jus Matrimonij; atque hujus
violationem procurare in alio. 10. Illum, qui 11.
ex odio alteri imprecatur malum, non debe-
re hujus speciem in confessione explicare,
contra Suarezium *disp. 6. de charit. sect. 2.* nisi ef-
ficacem hujus inferendi habeat intentionem;
Valentia *to. 3. disp. 3. quæst. 11. punc. 2.* cum mali
cujuscunque imprecatio habeat malitiam Cha-
ritati duntaxat oppositam; nisi procedat in a-
ctualem mali inflictionem, seu hujus efficacem
intentionem, tunc enim adversatur Juri alte-
rius, quod differt specie morali circa Bona Ho-
noris, Famæ, Corporis, & Fortunæ. 11. Idem 12.
secundùm speciem est Injustitiæ peccatum in
contumelijs, nec adeò est opus in confessione di-
cere, utrùm quis conviciando alterum vocarit
hæreticum, vel furem, Cajetanus *2. 2. q. 72. a. 2.*
12. Jactantiæ peccatum in eo se tenens, quòd 13.
aliquis ex peccato quærat Laudem & Gloriam,
non diversificatur specie ex materiâ, contra San-
chen *lib. 1. in Decal. cap. 3.* sed ejusdem semper est
speciei, Castropal. *to. 1. tract. 2. disp. 2. punct. 11. n. 5.*
nisi cum tali jactantiâ interveniat gaudium, seu
complacentia de peccato jactato. Neque ve-
rò Jactantia culpam lethalem infert, si jactatio
non sit de ipso peccato, sed de viribus, aut dex-
teritate in peccando ostensis. Cardinalis de
Lugo *cit. sect. 5. num. 266.* Quòd si tamen peccati
jactantia cedat in scandalum, vel etiam in De-
honorationem gravem alterius, oportet, istas
quoque circumstantias in confessione explica-
re. 13. Etsi omnes blasphemiæ contra Deum 14.
sint unius speciei, attamen diversam specie ma-
litiam contrahit blasphemia, non eo duntaxat
casu, quando est hæreticalis, sed quando est
contra Sanctum; siquidem, si contra Deum sit,
Latriæ, ac Religioni duntaxat, si verò sit con-
tra Beatissimam Virginem etiam Hyperduliæ,
ac denique contra reliquos Sanctos Duliæ à Re-
ligionis Virtute secundum speciem distinctis ad-
versetur. uti Contra Cajetanum *ver. Blasphemia.*
tradit Card. de Lugo *n. 279.* 14. Etsi Paganismus, 15.
Judaismus, & Hæresis specie differant, atta-
men Hæreses omnes in quocunque versentur
errore, utpote eidem fidei & authoritati Divi-
næ adversantes, sunt unius infimæ Moralis spe-
ciei. Reginaldus *in praxi fori pænit. to. 1. lib. 6. c. 4. n. 114.*

Unde

Unde non nisi per accidens ob diversa contra Religionis Virtutem in diversis sectis perpetrari solita peccata debet in confessione exponi diversus Hæreseos status: sicut etiam Apostata reversus à fide satisfacit explicando infidelitatem, & qualitatem sectæ, nec opus est Apostasiæ circumstantiam, utpote aggravantem duntaxat explicare. ex Card. de Lugo *n. 296.*

16. 15. Sicut odium Parentum adversatur Pietati, sic omne contra parentes, seu quoslibet in lineâ rectâ ascendente perpetratum peccatum, si graviter lædat Bonum vitæ, salutis, incolumitatis, honoris, ac existimationis ipsorum; contrahit specificam impietatis malitiam. Idem de Lugo *n. 300. ac sequent.* Eadem est ratio viri erga uxorem, & ècontra: siquidem parricidij pœna fit extensa etiam ad uxoricidium. *leg. 1. ff. ad leg. Pomp. de Parricid.* Verùm peccata contra alios consanguineos, teste Bonacinâ *disp. 5. de pœnit. q. 5.* non contrahunt aliam specie diversam malitiam, exceptis duntaxat Fratribus, quorum occisio, mutilatio, depauperatio, infamatio notabilis, alteriusve non qualitercunque gravis, sicut in parente, sed majoris mali inflictio haberet specialem amori fraterno oppositam malitiam. Cardinalis de Lugo *citatus n. 307. & 308.*

17. 16. Injuria contra Personam Nobilem, vel Sacerdotem, extra casum specialis Ecclesiastici juris v. g. prohibentis Clerici percussionem, non contrahit malitiam specie diversam, Idem de Lugo *n. 309 & 310.* nisi Persona injuriata sit superior, tunc enim peccatur inobser-

18. vantiæ peccato. 17. Confessarius peccando cum finâ confessionis, specialem contra reverentiam Sacramenti committit malitiam, si confessione utatur tanquam medio v. g. sollicitando in confessione, vel proxime post ad illam accedendo. Extra hunc verò casum, secundùm Bonac. *disp. 5. de sacr. q. 5. sect. 2. punc. 2. §. 3. n. 9.* circũstantia illa non est mutans speciẽ contra Sanchen *l. 7. de Matri. disp. 55.* siquidem ex confessione non contrahatur cognatio Spiritualis, sicut ex Baptismo & Confirma-

19. tione. 18. Ex circumstantiâ loci sacri non quælibet peccata mortalia comissa in Ecclesiâ contrahunt malitiam Sacrilegij, contra Medin. *Cod. de pænit. tract. 2. q. 9.* sed illa duntaxat, quæ vel ex jure Ecclesiastico, vel speciali adversus locũ sacrũ indecentiâ naturali habent sibi annexum Sacrilegij reatũ: cujusmodi est voluntaria seminis effusio, seu Copula fornicaria, item occisio hominis, & percussio cum sanguinis effusione (ex quibus Ecclesia polluitur) tactus item magis impudici, Commediæ lascivæ, Mercatus publici, ac similia peccata specialem Ecclesiæ, in quâ fiunt, irreverentiam inferentia. ex Card. de Lugo *cit. disp. 16. sect.*

20. *10. n. 461.* 19. Furtum contrahit Sacrilegij malitiâ, si sit rei sacræ vel etiam non sacræ de loco sacro. Quod tamen ita accipiendum est, ut non sufficiat rei non sacræ in loco sacro ablatio, sed debeat esse de loco sacro, ita ut res ablata aliquo modo habeat respectum ad Ecclesiam, utpote ibi posita Custodiæ, vel securitatis causâ. *ex Can. Quisquis inventus 17. q. 4.* contra Suarezium *lib. 3. de relig. c. 5. n. 7.* Vnde non contraheretur Sacrilegij malitia, si fur in Ecclesia furaretur Divitis alicujus crumenam. ex Card. de Lugo *cit. sec. 10. n. 470.*

21. 20. Qui peccat ex motivo confidentiæ de veniâ à DEO per pœnitentiam impetrandâ, non contrahit specie distinctam malitiam, sed est Circumstantia minuens, si habeat animum citò confitendi; aggravans verò Circumstantia est, si habeat propositum in peccato perseverandi cum spe veniæ aliquando consequendæ. ex Lugo *citato. n. 496.* 21. Etsi non pauci Theologi existi-

ment, peccatum mortale tempore sacro, seu die festivo commissum ex istâ Circumstantiâ contrahere specialem malitiam in Confessione explicandam; oppositum tamen ex comuni Theologorũ, quos refert Diana *to. 1. tr. de circumstant. aggrav. resol. 32.* sententiâ modò receptũ est: nisi forte in aliquo peccato intercederet specialis adversùs Sanctitatem temporis indecentia, cujusmodi esset, si die Veneris quis vellet ludicra spectacula, seu ludos publicos, sicut in diebus Bacchanalium habere, vel statim à peracto sacro redire ad concubinam. ex Card. de Lugo *cit. disp. 16. sect. 12. n. 525.* 22.



ARTICULUS II.

DE

Numericâ Peccatorum Distinctione.

TRiplex hic moveri potest difficultas, tribus adeò Controversijs decidenda. Prima. *Qualiter ex multiplicatione actuum numericè multiplicentur peccata?* Secunda. *Qualiter actuum inter se subordinatorum interruptio inducat moraliter distinctionem Numericam peccatorum?* Tertia denique. *An ex individuali Objectorum distinctione in uno actu morali multiplicetur individualiter malitia moralis?*

CONTROVERSIA I.

Qualiter ex multiplicatione actuum Numericè multiplicentur peccata?

CAstropalaus *cit. disp. 2. punc. 2. 1. à n. 2.* cum Doctoribus à se relatis censet, pro præsenti instituto distinguendum esse inter 1. peccata, quæ actu interiori consummantur, volut odium, superbia, invidia, hæresis, delectatio morosa: & inter peccata, quæ actu exteriore consummantur, velut Juramentum falsum, idololatria, homicidium, furtum, fornicatio &c. si enim de peccatis, quæ actu exteriori perficiuntur sermo sit, communiter tradi a Doctoribus, quod multiplicata voluntate, multiplicetur peccatum. Fundamentum est. Cum enim illæ voluntates nec inter se, nec in aliquo effectu, qui causa sit peccati, uniantur, non est, unde unum peccatum dici possint. Unde si intendens occidere hominem, in se reversus decrevit à pravâ illâ voluntate cessare, sed intentionem postea renovet, debere talem reiterationem manifestari in confessione, probat author *citatus* ex eo, quòd postrema voluntas cum priori non continuetur etiam in opere aliquo externo, utpote per contrariam voluntatem retractata.

Idem fore, si durante eadem quidem volun- 2.
tate, ...

tate, ad alia opera se diverterit, quæ non erant media occisionis, cùm intervenerit tunc aliqua interruptio discontinuans, atq; adeo multiplicans peccata, siquidem quatuor modis fieri possit talis peccatorum multiplicationem inducens interruptio, per contrarium scilicet actum, per somnum, per inadvertentiam, & per diversionem ad alia opera.

3. Quòd si verò voluntas occidendi non fuerit interrupta aliâ voluntate contrariâ, neque alio, quod via non fuerit ad occisionem, opere; sed *Moraliter* perseveraverit, quousque hominem occiderit, satisfieri obligationi confessionis, confitendo occisionem, nec oportere declarare, quanto tempore perseveraverit in illâ voluntate, & quæ opera, dum aliam moralem malitiam non continent, ad illius voluntatis executionem assumpserit. Fundamentum est. Quando enim unum est propter aliud, non censetur nisi unum. ex Sancto Thomâ *1. p. q. 5. art. fin. ad ult. arg.* At omnia illa opera, & omnes illæ pravæ volitiones, etiamsi in genere Entis & peccati *physice loquendo* plura sint, ex sui tamen ad unum effectum coordinatione censentur unum peccatum.

4. Si denique voluntas occidendi effectum non sit sortita, cùm tota illa malitia se contineat intra limites interioris voluntatis, necessariò esse in Confessione declarandam moraliter, quantum fieri potest, voluntatis multiplicationem. Fundamentum est. Quòd tales voluntates non habeant, in quo uniantur, & moraliter unum reddantur.

5. Cardinalis de Lugo *disp. 16. de pœnit. sect. 14. à n. 539.* existimat *Primò.* Ad unitatem peccati externi neque sufficere, quòd aliqua proveniant ex unâ voluntate internâ, si illa plura nullam habeant inter se unitatem: neque satis esse, quòd uno tempore fiant: sed requiri unitatem aliquam inter ipsas actiones externas, quæ à voluntate ad faciendum aliquid unum ordinentur, cujusmodi sunt plures ad unum homicidium concurrentes subordinatæ actiones.

6. Nec econtra *secundo* ad pluralitatem moralem peccatorum sufficere breves physicas interruptiones, siquidem missa, licèt post Evangelium, dum fit Concio, interrupta, sit moraliter una eademque actio. Quare ad multiplicationem ejusmodi opus esse interruptione morali, quam non posse unâ regulâ determinari, sed pro qualitate actionis Judicio prudentis relinquendum esse; veluti pateat ex diversis actuum moralium subjectis exemplis.

Conclusio I.

Distinctio Numerica peccatorum re ipsâ, & coram Deo est secundùm pluralitatem actuum maximè internorum.

7. Probatur. Nam eo ipso, quòd voluntas liberè tendat in objectum rationi dissonum, ex hoc *specificativè* derivatur malitia moralis. Unde licèt objectum *Moraliter* malum sit de se unum, singuli tamen actus in id tendentes ex vi propriæ suæ libertatis & moralitatis intrinsecæ eatenus habent suam moralem individualem malitiam, ut in singulis oporteat esse *Numericè* distinctam. Nec obstat, quòd actiones ejusmodi aliquam inter se habeant subordinationem. Vel enim actus ejusmodi subordinati sunt *per se formaliter* liberi, vel sunt actus voluntatis ad unum licèt effectum ordinati, atque tunc singuli habens suas moralitates, atque adeò morales malitias. Vel unus habet in se *Formaliter* malitiam moralem: unde ista *participativè* derivetur in reliquos actus ex imperio seu efficaciâ voluntatis ad effectum aliquem ordinatos. Atque tunc licèt isti actus *moraliter* & *concretè* dici debeant plures actus morales, *formaliter* tamen participant unicam individualem ex actu illo interno derivatam moralem malitiam. 8.

9. Quare verum est, numericam peccatorum, non *Materialiter* & *concretè*, sed *formaliter* quoad formalem malitiam moralem peccatorum malitiam eatenus coram Deo subsistere ex pluralitate actuum, *ut concretè* sint tot peccata, quot sunt actus vel *Formaliter*, vel *Participativè* liberi, attamen *Formaliter* sub formali malitiâ morali non multiplicantur peccata, nisi secundùm numerum actuum voluntatis liberorum, utpote quibus duntaxat inesse possit *Formaliter* malitia moralis, nec actus externi aliam individualem habere possint malitiam, nisi ipsissimam illam, quæ inest voluntatis actibus internis. Quocirca ad malitiæ moralis distinctionem numericam designandam apprimè attendenda est pluralitas actuum internorum voluntatis.

10. Et hinc quando quis ex irâ in alterum jactans plures maledictiones ita procedit, ut præhabita vindicationis intentione, descendendo ad maledictiones, seu media fini præintentæ vindicationis accommodata eligenda, in ipsâ singulorum ejusmodi mediorum Electione novam exerceat libertatem, tunc sanè omnibus ejusmodi maledictionibus (nisi, quod vix unquam fit, per primam statim ex irâ conceptam vindicationis intentionem omnes istæ maledictiones essent determinatæ) ex singulis illis actibus singulatim Electivis conveniret individualis moralis malitia, ex quâ coram Deo & re ipsâ Numericè multiplicentur peccata, ut adeò, si quis uno continuato tempore plura juramenta falsa super eandem rem in eodem sermone successivè proferat, vel plures contra Deum blasphemias eodem iracundiæ calore successivè dicat, seu pluribus plagis inimicum affligat, pluribus osculis fæminam eodem tempore deosculetur, non minùs plura coram Deo ac re ipsâ perpetret peccata, utpote quorum singula, licèt ex unâ intentione prodire possint, in sui Electione novæ subsistent libertati; quàm si quis alterum diversis verbis contumeliosis, nominando latronem, furem, adulterum, afficiat. *Ita de hoc ultimo cum communi* sentit Castropalaus *cit. disp. 3. punc. 3. n. 6. contra* Bonacinam *disp. de peccat q. 4. punc. 2. n. 12.*

Conclusio II.

In ordine ad satisfaciendum obligationi Confessionis plures actus tum interni, tum externi aliquam inter se moralem subordinationem habentes censentur *Moraliter* unum numero peccatum.

11. Probatur. Nam communis & recepta Theologorum sententia & praxis Confessariorum

 at pœ-

ac pœnitentium declarat, quòd Divinum de numero peccatorum in confessione exponendo præceptum non ad physicam, sed moralem eorundem multiplicationem confitendam obliget. Unde in ordine ad istam obligationem unitas numerica peccatorum attenditur ex morali actûs peccaminosi continuatione. Ejusmodi verò unitas moralis dicit quandam actuum externorum tum dependentiam ex uno voluntatis actu peccaminoso, tum ordinationem ad unum effectum, seu Finem. Et hinc omnes actio-
12. nes peccaminosæ, (nisi contineant malitias specie distinctas, ratione cujus specificæ distinctionis nequeant in unum *Moraliter* individuum actum coadunari) ex unâ voluntate occidendi inimicum procedentes, in ordine ad satisfaciendum obligationi integritatis, Confessionis constituunt unum numero peccatum, adeò ut (secundum Cajetanum, & Navarrum à Vasquezio *in 3. p. q. 91. dub. 5. n. 5.* relatos) quis satisfaciat in
13. confessione dicens: *Occidi inimicum.* Neque verò unitas ejusmodi moralis per distinctionem, aut somnum statim interrumpitur, sed sicuti Missa, licet per concionem discontinuata, seu recitatio officij per aliquas morulas sive somni, sive distractionis, & ad aliud opus diversionis interrupta, vel Cœna in die Iejunij etiam sine intentione ad eam revertendi omissa, sed post brevem moram reassumpta censetur *Moraliter* unus actus, sic actiones peccaminosas ex voluntate v. g. occidendi non retractatâ procedentes, licet per somnum, aut distractionem, aliamve brevem morulam interruptas constituere moraliter unum peccatum, contra Vasquezium *citatum* censet Card. de Lugo *cit. sect. 14.* modo inter actus ejusmodi secundùm prudentem æstimationem interveniat moralis quædam *seq. controv.* explicanda subordinatio: siquidem, si unum sit propter aliud, non censeatur esse nisi unum. ex Divo Thomâ *1. 2. q. 5. art. fin. ad ult.*

14. Confirmatur inductione. Nam *Primò* graviter detrahens Petro, si posteà occasione interrogationis alteram detractionem de eodem Petro contexuerit, licet ab initio non fuerit ipsi animus, nisi ad primam detractionem, in ordine tamen ad satisfaciendum obligationi Confessionis, censetur *Moraliter* unum numero peccatum commisisse. Secùs foret, si secunda cum priori continuata detractio non in Petrum, sed in Paulum ferretur, tunc enim cum priori non uniretur *Moraliter*: sicuti si Petro superveniente, detractio jam coram ipso continuaretur, tunc enim novâ, scilicet Contumeliæ specie superadditâ, oporteret, etiam numerum peccatorum in ordine ad Confessionem esse plurificatum. ex Card. de Lugo *citato n. 559. & 560.*

15. *Secundo.* Etsi vero secundùm doctrinam Vasquezij *1. 2. disp. 95. cap. 3 n. 9.* dicendum sit, illum, qui in peccato mortali constitutus pluribus per aliquod tempus continuatum successivè audit confessionem, tot committere Sacrilegia, quot personas absolvit: attamen Cardinalis de Lugo *cit. sect. 14 n. 558.* judicat probabile, quòd possit reputari unum numero sacrilegium: tametsi econtrario debeant plures censeri fornicationes, quas cum tribus fœminis, imo etiam cum unâ (contrarium sustinente Zanardo *in Direct. confess. par. 1. de Sacra. Pœnit. c. 18.*) tribus vicibus eâdem nocte quis commisit: siquidem istæ copulæ fornicariæ tanquam actiones completæ, ac totales nullam inter se habeant subordinationis continuationem Moralem.

Tertiò. Econtra verba, tactus, & oscula copulam fornicariam præcedentia faciunt cum 16.
istâ *Moraliter* unum peccatum, adeò ut satisfaciat in confessione, qui se accusat præcise de fornicatione. *ex communi per* Card. de Lugo *n. 553. relatâ sententiâ.* Idem contra Suarezium *disp. 22. de Sacra. Pœnit. sect. 5. n. 26.* Azor *p. 1. lib. 4. cap. 4. in fine.* cum plerisque affirmat, de osculis, & tactibus subsequentibus, utpote cum illâ fornicariâ copulâ taliter connexis, ut sint hujus quasi complementum. Unde Lugo *citatus n. 555.* ait: Navarrum immeritò esse a Suarezio reprehensum, quòd dixerit, delectationem, quæ statim post copulam de istâ habetur, non esse necessariò declarandam in Confessione, sed facere idem peccatum cum copulâ præcedente.

Quarto. Non improbabiliter ex Petro Navarro *lib. 4. de restit. cap. 4. n. 5.* contra Suarezium *cit. sect. 5. n. 31.* dici potest, restitutionis debitæ per longum tempus omissionem esse unicum *Moraliter* peccatum; nisi voluntas rem alienam retinendi fuerit revocata per contrariam voluntatem: tunc enim interrumpitur peccatum præteritum; atque adeo, si nova de non restituendo succedat voluntas, advertente Castropalao *cit. punc. 3. n. 2.* reiteratur: sicuti, si post rem injustè acceptam, & aliquam ejus retentionem quis postea factus est impotens ad restituendum, potentiâ restituendi dein redeunte omissio restitutionis non continuatur cum priori peccato, sed novum constituit peccatum.

* * * * * * * * * * * * * * * * * * * *

CONTROVERSIA II.

Qualiter actuum inter se subordinatorum interruptio inducat moraliter distinctionem Numericam peccatorum?

CAnus à Card. de Lugo *cit. sect. 14. n. 562.* 1.
relatus tenuit, duplicem voluntatis malæ interruptionem esse distinguendam, per voluntatem scilicet contrariam, & per naturalem oblivionem, aut inconsiderationem. Sub priori per voluntatem contrariam interruptione asserebat, *Moraliter* multiplicari peccata *Numericè*, non autem sub posteriori, per naturalem oblivionem, aut inconsiderationem interruptione.

Adversùs istam sententiam acriùs pugnat 2.
Suarez *de Sacram. Pœnit. disp. 22. sect 5. n. 1.* & Vasquez *in 3. par. q. 5. dub. 5. n. 10.* asserentes, eandem esse rationem de utrâque interruptione, atque adeò peccata multiplicari etiam ex interruptione per oblivionem, vel inconsiderationem factâ, eò quòd duæ voluntates taliter interruptæ mereantur distinctos gradus pœnæ.

Verùm, hoc non obstante, Cani sententiam 3.
approbant Ioannes de La crux. *in Directo. Confiten. part. 2. de Sacram. Pœnit. q. 3. dub. 6.* Homobonus *de Exam. Ecclesiast. par. 1. tract. 5. cap. 13 q. 13.* & par-

& partim Cardinalis de Lugo *citatus n. 564.* asserens, differentiam inter illas duas contrarias sententias esse fere de nomine: siquidem prima Cani opinio dicens, non multiplicari peccata absque revocatione voluntatis, asserat tamen, in Confessione explicandum esse tempus, quo peccatum duravit, an per Mensem, vel per hebdomadam. Econtra verò secunda multiplica-
4. tionem peccatorum ex quâcunque interruptione adstruens sententia fateatur, esse impossibile persæpè in Confessione eas interruptiones explicare, & ideo dicat sæpè satisfieri, exponendo durationem temporis. Imò Suarez & Vasquez *ibi* allegati expresse dicunt, quando interruptiones non sint notabiles, sed breves, non debere aliter explicari, quàm explicando totam durationem, ita ut ille, qui per aliquot dies, vel hebdomadas fovit cupiditatem vindictæ, vel odium, seu turpem amorem, attestante Coninch *de Sacram. Pœnit. disp. 7. dub. 7. n. 151. & 152.* satisfaciat communiter, si dicat, se illo tempore, scilicet magnâ diei parte, aut quasi per totum de illâ recogitasse.

CONCLUSIO.

IN peccatis etiam merè internis, dum inter ipsa intervenit quædam subordinatio, potest pro foro Confessionis ad satisfaciendum hujus integritati, sustineri, quòd non nisi per contrariæ voluntatis, non autem naturalis oblivionis, aut inconsiderationis interruptionem numericè multiplicentur. Secus verò est in peccatis nullam inter se subordinationem habentibus, ex Cardinali de Lugo *citato à n. 565.*

Probatur. Nam *primò* voluntates malæ sæ-
5. pè repetitæ talem quandoque habent inter se subordinationem, ut una dependeat ab aliâ: dum v. g. quis hodie cogitans de fæminâ alienâ, decernit eam sibi procurare, & cras iterum de illâ cogitans, memor hodierni decreti, decernit iterum eam sibi procurare, sicque per multas dies frequentat cogitationem illam, tunc voluntates posteriores habent dependentiam à primâ, quatenus ex vi hujus absque novâ deliberatione, aut consultatione ponitur illa secunda, & tertia prava voluntas. Quare citatus Cardinalis de Lugo existimat, quòd peccatum, si illæ pravæ voluntates per voluntatem non sint interruptæ, sit *Moraliter* continuatum, ac non minùs unum, quam is, qui ex efficaci voluntate occidendi inimicum, multis diætis à se distantem, arripuit ac prosecutus est iter ex malâ illâ intentione per somnum licèt, vel per distractionem sæpius interruptâ; faciat unum *Moraliter* peccatum propter actuum concatenationem *Moraliter* continuatam.
6. *Secundò.* Si verò accidat, voluntates malas sæpè repetitas nullam habere inter se subordinationem: dum v. g. quis sicut heri fæminam videns, ipsam concupivit, sic hodie facit, quin prior illa voluntas excitet posteriorem; tunc in tali casu Lugo *citatus n. 566.* arbitratur, voluntatem priorem, etiamsi non sit facta interruptio per voluntatem contrariam, non posse cum posteriori *Moraliter* continuari, sed binarium talium peccatorum numerum necessariò explicandum esse in Confessione. Quare idem de Lugo *n. 569.* ad peccatorum internorum numerum *Moraliter* dignoscendum, statuit sequentem Regulam. Sicut enim in peccato externo perseverat unitas peccati, quando in eodem congressu successivè multiplicantur contumeliæ, & injuriæ etiam ex responsionis ab illo datæ occasione illatæ: econtra vero multiplicantur numero, si injuriatus postquàm discessit, denuo occurrit, ex quâ occasione novæ contumeliæ ipsi inferuntur, tunc enim prior actio jam censebatur *Moraliter* finita, & completa. Sic proinde cum proportione author *citatus* ait, discurrendum esse de peccatis internis. Si enim objectum perseveret alicui præsens *Moraliter*, quatenus non habuit animum discedendi ab eâ cogitatione, sed casu, & naturali aliquâ distractione interrumpitur, censeri adhuc eundem *Moraliter* intervenire congressum cum objecto, utpote quod nunquam discesserit, sed habeat se ad instar illius, qui, cum injuriâ afficitur, non discedit, licet injurians faciem ab ipso paulisper avertens, ad alium ibi præsentem divertat. Quòd si verò quis voluntariè discessit ab illâ cogitatione, licet non per revocationem voluntatis præteritæ, author *citatus* ait, jam censeri congressum illum cum objecto finitum, & completum, ut adeo, si redeat cogitatio, sit novus congressus, atque adeò novum *Moraliter* discontinuatum peccatum. 7.

Qui porrò Author *n. 570.* addit, in tali *moraliter* continuato & non nisi per distractionem, seu diversionem brevem interrupto actu, dum objectum tamen, circa quod versatur voluntas, *Moraliter* præsens perseverat, eatenus stare peccati moralem unitatem, ut, sive actus moralis duraverit per horam, sive per diem, æque manere possit *Moraliter* continuatus & unus. Nihilominùs ad dignoscendum, an objectum manserit *Moraliter* præsens, vel novus priori finito & completo, fiat cum tali objecto congressus, non posse unam regulam statui; siquidem blasphemia interior alijque similes actus ad opus externum non prodeuntes brevius durent, atque adeò facilius per interruptionem solius etiam distractionis, & ad aliam diversionis discontinuentur *Moraliter*: cùm econtra desiderium v. g. turpe, vel odium proximi ac similes actus maximè, dum ex vehementiore passione procedunt, longius soleant durare; quamvis eidem de Lugo *ubi supra* videatur, non posse ultra duas, vel tres horas perseverare *Moraliter* eandem voluntatem, ut adeo si duratio sit longior, exponi soleat in Confessione, eò quòd regulariter habeat interruptiones aliquas morales, nec homo censeatur totâ die non discedere à tali cogitatione, sed potius voluisse aliquoties desistere, licet cogitatio iterum, & iterum repulsa redierit. Verùm de his plura dicentur in materiâ *de Sacram. Pœnit.* vbi specialiter etiam discutiemus, qualiter possit pœnitens ob difficultatem exponendi numerum, dicere multitudinem confusam, aut durationem status. 8. 9.

Et hinc facile patet, quid sentiendum sit de sententijs ab initio expositis, aliter enim judicandum est de peccatorum numero, quatenus est re ipsâ coram Deo, uti rectè probat argumentum Suarezij & Vasquezij, quòd scilicet actus 10.

peccaminosi solà licèt distractione interrupti mereantur diversos pœnæ gradus, utpote distinctam libertatem, & moralitatem participantes. Aliter verò judicandum est de peccatorum numero in ordine ad Pœnitentiæ Sacramenti forum, seu obligationem satisfaciendi confessionis integritati, ut sic enim attendere licet ad moralem peccatorum unitatem, ex quâdam inter se subordinatione & concatenatione obortam, uti expendemus *in tract. de Pœnitentiâ.*



CONTROVERSIA III.

An ex individuali objectorum moralium distinctione in uno actu morali multiplicetur individualis malitia moralis?

1. CAsus est, si quis v. g. uno ictu occidat plures homines, vel uno sermone detrahat pluribus, sive multos vnâ suâ actione scandalizet. Tunc enim resultat difficultas. *An tot numero sint peccata, quot sunt personæ hisce injuriatæ, vel seductæ?*

Referuntur Sententiæ.

2. AFfirmat Vasquez *in 3. par. q. 1. art. 1. dub. 4.* & *lib. 4. cap. 4. q. 3.* Fundamentum est. Quia peccatum conjugati cum alienâ conjuge duplicem tenet ejusdem speciei malitiam, violationem scilicet Juris ex alieno thoro violato, & violationē fidei propriæ Uxori debitæ. At ista malitiei non *specifice*, sed *individualiter* diversæ multiplicatio numerica est penes objecta moralia, quoad malitias objectivas *Individualiter* distincta. Econtra negat Suarez *in 3. part. q. 4. disp 22. sect. 5. n. 54.* Fundamentum est. Tum quia non possunt plura solo numero distincta accidentia inesse eidem subjecto. Ergo nec plures malitiæ morales convenire possunt uni morali actui. Tum quia uno actu violans duplex unius speciei præceptum, non est reus nisi vnius numero peccati. At in tali casu subest duplex ex parte objecti malitia moralis objectiva *individualiter* diversa.

3. Cardinalis de Lugo *de Pœnit. Sacram. disp. 16. sect 3. n. 134.* distinguit asserendo; in illis casibus committi quidem plures indiuiduales malitias, esse tamen unicum numero peccatum, nec adeò debere in Confessione explicari, in quot personas fuerit peccatum.

Fundamentum est. Nam species duntaxat & numerum peccatorum una cum circumstantijs speciem mutantibus, non merè aggravantibus, oportet secundùm Concilium Tridentinum *sess. 14. cap. 5. & Can. 7.* explicare in Confessione. At illa individualis malitiæ in uno actu morali, seu peccato multiplicatio est circumstantia merè aggravans, & hinc non solet in confessione furti contra plures hæreditatem aliquam necdum divisam comunem habentes perpetrati explicari numerus Personarum, nec oportet, in plurium super eodem actu se tenentium ejusdem moralis speciei legum transgressione explicare numerum talium præceptorum.

Conclusio.

NE moralis quidem malitia in uno actu morali *Individualiter* multiplicatur ex præcisâ individuali objectorum moralium multiplicatione.

Probatur. Nam in tali actu morali duo possunt considerari; alterum est intrinsecus ejus ordo ad objectum rationi dissentaneum; Alterum est privatio debitæ rectitudinis ex ordine illo positivo resultans. At eo ipso, quod hic positivus ordo sit ipsa actûs moralis Entitas intrinseca, nequit in tali realiter uno indivisibili actu subsistere, nisi unica ad objectum de se licet multiplex, habitudo. Si proinde in hac positivâ actûs moralis Formalitate *Formaliter* consistit moralis peccati malitia, implicat, hanc individualiter multiplicari. Quod si verò dicatur malitia formalis solùm *fundamentaliter* in positivo, & *formaliter* in privatione debitæ moralis rectitudinis consistere, tunc illa privatio *intrinsecè* ac *essentialiter* fundatur in actu, ejusque ad objectum rationi dissonum habitudine intrinseca. Unde sicuti ex diversitate objectorum non stat multiplex, sed unica actûs moralis ad objecta ejusmodi habitudo, sic debitæ rectitudinis privatio nequit intelligi *individualiter* multiplex. Absolute igitur dicendum est, in tali actu non esse nisi unicam *individualiter* divisibilem moralem malitiam. 4. 5.

Responsio ad opposita Fundamenta.

AD *n. 1.* oppositum Respondet Cardinalis de Lugo. In peccato conjugati cum alienâ Conjuge duplicem intervenire moralem speciem, alteram Juri alieni thori, alteram Fidelitati ex proprio conjugio debitæ, atque adeò duplici virtuti oppositam. 6.

Verùm ex nostris principijs Respondetur. Intervenire quidem unicam speciem moralem sub unâ indivisibili moralitatis formalitate contentivam malitiei ex duplici objectivæ malitiæ moralis specie eatenùs specificatam, ut *Æquivalenter*, non autem *Formaliter* dici queat multiplex species, non tam ex aliquâ cum diversis virtutibus oppositione, siquidem utrinque sit Justitiæ ex jure conjugati obligatoriæ violatio, quàm ex aliquâ cum Justitiæ conjugalis actibus *specificè* distinctis, eorumque objectis formalibus *Moraliter* diversis contrarietate. Pari proinde ratione actus, quo plures homines simul occiduntur, habet malitiam moralem individualem *realiter Formaliter* unicam, sed *æquivalenter* diversam. Quam equidem individualem malitiam Card. de Lugo *citatus n. 141.* existimat, communiter non benè explicari, si præcisè dicatur *feci homicidium*: siquidem illud intelligatur ordinariè de unius duntaxat hominis occisione, *Individualiter* in *Esse* etiam *Moris* distinctâ ab actu, quo plures simul occiduntur. 7. 8.

QUÆ-

QUÆTIO DECIMA TERTIA
DE
SUBIECTO PROXIMO PECCATORUM.

1. INdubitatum est, quin sola voluntas *primario*, reliquæ verò voluntatis regimini subjectæ potentiæ *secundariò* & *participativè* possint peccati subjectum esse. Etenim peccatum *Essentialiter* importat actum liberum, qui *Elicitivè*, ac *Imperativè* est à solâ voluntate: licèt *participativè* ex imperio voluntatis, vel omissione debiti regiminis, aliarum quoque potentiarum actus inficiantur peccati malitiâ. Hinc enim in Intellectu non hæresis duntaxat virtuti *Fidei*, sed etiam defectus inconsiderationis virtuti *Prudentiæ* oppositi habent rationem peccati: Sicut stultitia infert culpam in eo se tenentem, quòd homo in tantum immergat sensum suum rebus terrenis; ut inde reddatur ineptus ad percipiendum Divina: cujusmodi adeò ineptitudo præceptis ad veritatis contemplationem inducentibus adversaria, luxuriæ sensum animæ carnalibus delectationibus absorbentis filia, est peccatum intellectuali sapientiæ opposita, ex Divo Thomâ *2. 2. q. 46.*

2. Deinde vitia Fortitudini, & Temperantiæ, præsertim Castitati, imò & Justitiæ opposita ita originantur ex voluntate, ut tamen redundent in appetitum sensitivum, nec non potentiam imaginativam, ac denique consummentur plerumque in sensibus exterioribus, vel locomotivâ potentiâ.

3. De quibus proinde peccatis, licèt ex instituto, ac in specie differendi locus sit in *2. 2.* hic tamen in genere occurrunt aliquæ difficultates, tam de voluntate, quàm de potentijs *participativè* liberis, quà peccatorum subjectis decidendæ.



ARTICULUS I.

Qualiter voluntas secundùm actus suos tum efficaces, tum inefficaces etiam conditionatos in objecta vel intrinsecè, vel extrinsecè duntaxat mala tendentes, sit subiectum peccati?

HOc in ordine ad moralem considerationem discriminis est inter actum efficacis desiderij, & inefficacis delectationis, quòd illa non tendat in objectum quà in rerum naturâ ponendum, posteaque adeò in hoc secundùm suam præcisè substantiam, quà circumstantijs in executione occurrentibus denudatum intendere, cum econtra efficax desiderij actus intendendo in objectum quà Executioni demandandum, eo ipso feratur saltem *Indirectè* in omnes ipsius circumstantias morales. Ex quo adeò discrimine fit etiam consequens, desiderium Efficax, non autem delectationem de *Esu carnium* in die prohibito statim contrahere moralem violati jejunij malitiam: *velut infra ostendetur.*

Quo adeò supposito, sequentes hîc veniunt discutiendæ Controversiæ. Prima. *An & qualiter Delectatio morosa, seu desiderium inefficax possit depurari ab objecti malitiâ, vel adæquatè, vel saltem partiali?* Secunda. *An, & qualiter Delectatio morosa, seu desiderium inefficax possit depurari à malitiâ circumstantiarum objecto inexistentium?* Tertia. *An, & qualiter conditionata erga objectum pravum voluntas possit à talis objecti malitiâ depurari?* Quarta. *Qualiter Delectatio, seu desiderium inefficax de objecto malo non quà formaliter malo, sed materialiter spectato, vel inefficax de objecto præcepto displicentia possit esse immunis à peccati reatu?* Quinta denique. *An, & qualiter efficax, & inefficax circa idem morale objectum versantes voluntatis actus sint ejusdem, vel diversæ moralis speciei?*

❀❀❀❀❀❀❀❀❀)(❀❀❀❀❀❀❀❀❀

CONTROVERSIA I.

An, & qualiter Delectatio morosa, seu desiderium inefficax possit depurari ab objecti malitiâ?

6. NOnnulli à Castropalao *præs. disp. 12. punct. 10. §. 2. n. 1.* relati, teste tamen Vasquezio *1. 2. disp. 109. cap. 3.* Erroneè, & teste Lessio *lib. de Temperantiâ cap. 3. n. 9.* improbabiliter affirmant; quamlibet delectationem de objecto *materialiter* malo in re etiam venereâ posse depurari à culpâ mortali, ita ut non sit nisi venialiter mala. Fundamentum est. Nullum enim est objectum in re etiam venereâ, quin sub aliquâ formalitate sit separabile à malitiâ suâ formali, dum v. g. persona soluta delectatur de copulâ habitâ, vel habendâ tempore Matrimonij, hoc ipso separatur à tali objecto formalis contra Castitatem malitia.

7. Econtra Valentia *1. 2. disp. 6. q. 4. punc. 4. ad finem.* Medina *Cod. de restitu. q. 21. §. Mihi tamen.* Azor *to. 1. Instit. moral. lib. 4. cap. 6. q. 1.* simpliciter affirmant, Delectationem morosam seu desiderium etiam efficax circa objectum, sive Iure naturali, sive Iure positivo prohibitum in materiâ gravi esse mortale. Fundamentum est. Quia actus liber est eo ipso mortalis, si tendat in objectum habens moralitatem objectivam graviter culpabilem. Ejusmodi verò est objectum Iure etiam positivo in materiâ gravi prohibitum.

8. Verùm Lessius *lib. 4. de Iustit. cap. 3. dub. 3. n. 109. & 115.* Corduba *lib. 2. q. 30. dub. 1.* Sanchez *lib. 1. in Decal. cap. 2. n. 10.* Vasquez *1. 2. disp. 110. cap. 2.* & alij distinguunt, asserendo, omnem quidem delectationem morosam de opere morali Iure Naturæ prohibito esse mortalem; secus verò esse de objecto lege duntaxat positivâ prohibito. Fundamentum est. Cum enim ea, quæ Iure naturali sunt prohibita, sint intrinsecè mala, nequit ab ipsis malitia separari. Secus est de prohibitis Iure positivo, ut adeò Delectatio possit in ista jure duntaxat positivo prohibita objecta tendere, prout in se ipsis delectabilia abstrahunt ab objectivâ malitiâ. Veluti dum videns die veneris ægrotum comedere carnes, de his delectatur, non quà prohibitis, sed quà in se delectabilibus, abstrahendo à prohibitione.

9. Castropalaus *cit. disp. 10. §. 2. n. 25.* aliter distinguit, asserendo de objecto Iure etiam naturali prohibito malam esse delectationem, quoties ab illo præscindi non potest malitia: at si ab objecto in aliquâ circumstantiâ separari possit malitia, non fore mortalem ejus delectationem. Fundamentum est. Furtum enim licitum esse potest, necessitate gravi urgente, sicut & homicidium authoritate publicâ factum. Si ergo quis delectatur de horum actuum substantiâ, non infertur, delectari de illis quatenus mali sunt, siquidem & boni, & mali esse possint secundùm diversas circumstantias, in quibus fiunt.

CONCLUSIO.

DElectatio morosa, & desiderium inefficax de objecto illicito in materia gravi est hoc ipso mortiferum, si feratur in formalitatem objecti, super quam fundatur Iuris naturalis prohibitio. Secus est, si talis objecti delectabilitas & formalitas Iure duntaxat positivo sit prohibita.

Probatur. Nam quia Delectatio morosa, & desiderium inefficax non fertur in objectum, quà à parte rei ponendum, sed secundùm quandam præcisionem unius formalitatis ab alterâ intentionaliter abstractivam, idcirco ex tali præcisâ formalitate est dependens actûs ejusmodi specificatio intrinseca. At si per actum voluntatis intendatur objecti formalitas, super quam ut sic fundatur Iuris Naturalis prohibitio, tunc ista eatenus est intrinseca talis objecti formalitati, ut malitia secundum moralem regulabilitatem non sit separabilis à tali formalitate. 10. Secùs verò est in objectis Iure duntaxat positivo vetitis, siquidem illa ipsa etiam formalitas v. g. Delectabilitas Esûs carnis, quæ Iuri Divino Ecclesiastico substat, non habeat ab intrinseco sibi annexam malitiam objectivam, sed ab extrinseco legis positivæ Iure. Unde secundùm regulabilitatem moralem potest illa Esûs carnium Delectabilitatis formalitas intentionaliter præscindi à malitiâ objectivâ. 11.

12. Et hinc fit *Primo*; quòd Delectatio morosa, vel Desiderium inefficax circa comestionem carnium in die jeiunij, sicuti displicentia inefficax auditionis sacri die festo, non sint mortalia. ex S. Tho. *1. 2. q. 74. 8. in corp. & ad 5.* & Sanchez *cit. cap. 2. n. 9.* Econtra indubitatum est, quin displicentia, seu odium Dei, item complacentia infidelitatis, aut delectatio morosa venerea, quantumvis inefficacia nequeant stare, quin peccatum mortale inferant. 13. Cujus discriminis alia non est ratio: nisi quòd affectuum prioris generis objecta sint tantum *extrinsecè* mala ex Iure positivo, possitque adeò malitia ipsorum respectu affectuum inefficacium a formalitate delectabilitatis carnium intentæ, vel auditionis sacri quà laboriosæ aversabilitatis inefficaci odio habitæ formalitate separari. Econtra verò affectuū posterioris generis objecta sub præadductis formalitatibus sunt *intrinsecè* mala ex Iure naturali, nec adeò ipsorum malitia separabilis est respectu affectuum etiam inefficacium.

14. Etsi verò *Secundò* habens delectationem morosam de homicidio, fingendo se Ducem strenuè militantem & occidentem, secundum Castropalaum *supra citatum* non sit damnandus culpæ mortalis, siquidem homicidiū non indefinitè instar infidelitatis subsit juri naturali prohibenti, sed sub formalitate duntaxat occisionis authoritate privatâ exercendæ. 15. Nihilominus peccati mortalis condemnari deberet, qui delectaretur de copulâ, vel alio turpi venereo actu intra Matrimonium præintentum habendo, vel habito, si jam viduus sit, tempore matrimonij, adeò vt ejusmodi cogitationes ac delectationes extra Matrimonij statum sint omnino illicitæ, ex Vasquez *1. 2. disp. 109. cap. 3* & Sanchez *lib. de Matrim. disp. 4.*

At

n. 4. Cujus Ratio est, quòd actus ejusmodi sint per se incitativi ad copulam, vel dimmitius non est facultas, ad pollutionem. Unde cum in solo Matrimonio liceat copula, non possunt nisi in hoc statu delectationes illæ cohonestari modò tunc etiam absit morale pollutionis periculum.

16. *Tertiò.* Licet delectatio de artificioso modo inter peccandum ostenso, vel de subtili circa rem ex se malam discursu seu cogitatione, secundùm Divum Thomam *præf. q. 74. art. 8.* & Cajetanum *ibi* per se non sit mala: attamen per accidens facilè potest malitiâ aliquâ infici, tum accedente consensu in ipsum objectum peccaminosum: tum periculo pollutionis, seu commotionis carnalis interveniente, dum speculatio est circa materiam veneream. Hâc enim de causâ prohibiti sunt libri de turpi amore, quantumvis intenderet quis delectationem ex artificio duntaxat poeseos: licet econtra speculatio ejusmodi ex fine Honesto licita sit tum Medicis, tum Theologis etiam cum delectatione veritatis, modò caveant,

17. ne voluntariè complaceant in objecto turpi. Ad cujus proinde discriminis (an delectatio habeat pro objecto speculationem, vel ipsam rem cogitatam, seu objectum illius speculationis) cognitionem Cajetanus *in sum. verbo delectatio morosa* rursus sequentem ponit regulam. *Quod nimirum si speculatio, seu hujus veritas concurrit ut motivum, Delectatio sit de ipsa cogitatione seu speculatione, si vero concurrit tantum ut conditio proponens & applicans objectum, delectationis sit de re cogitata.*

18. *Quartò* proinde ad Delectationis morosæ specificam malitiam distinguendam inspiciendum est Motivum, ut sic importans formalitatem, cui per se connexa sit malitia aliqua objectiva. Etenim si quis inefficaciter etiã intenderet æqualitatem Dei ex Motivo propriæ Excellentiæ, talis affectus esset superbiæ, si verò de peccato aliquo non secundùm specificam suam malitiam, sed quatenus est offensa Dei, delectaretur, esset odium Dei. Quòd si delectaretur de aliquo peccato, quatenus est contra mandatum superioris, foret peccatum specialis inobedientiæ: si porro de peccato contra proximum perpetrato delectaretur, quatenus est ipsius malum, ut sic esset odium proximi: si denique delectaretur de malo proximi, quatenus hujus felicitas, cujus malum illud est aliqualiter destructivum, est proprij Boni diminutiva, esset affectus invidiæ. ex Vasquez *disp. 111. cap. 4. à n. 15.* Ubi plura videre licet, quamvis, dum asserit, delectationem morosam non ex opere, sive objecto, sed ex seipsâ habere suam malitiã, sit improbandus; siquidem prætacta exempla demonstrent, Delectationis morosæ specificationem ex objectis petendam esse.

19. Responsio ad opposita Fundamenta.

Ad *n. 1.* oppositum Respondetur. Falsum esse, quod delectabilitas Copulæ in Matrimonio præintento habendæ, vt sic separetur a suâ malitiâ objectivâ, siquidem hæc inseparabilis sit respectu Personæ non ligatæ Matrimonio. Unde Delectationem de tali objecto fore hoc ipso lethalem, si fuerit plenè deliberata, licet esset solũ momentanea, & quasi instantanea; hinc enim ex plenitudine rationis, non verò ob aliquam in tali cogitatione, seu delectatione habitam moram, dicitur morosa, ad distinctionem motuum *Secundo* primorum, qui ex defectu perfectæ saltem Deliberationis non nisi venialiter culpabiles sunt, *ut seq. art.* dicetur.

Ad *n. 2.* oppositum Respondetur. Falsum esse, quòd formalitas objecti, subjacens Juris positivi prohibitioni, per abstractionem a morali etiam consideratione, non sit separabilis ab objectivâ malitiâ, utpote non nisi vi legis *Extrinsece* inexistente. Secus vero esse de formalitate objecti qua Juris naturalis prohibitioni subjacente. Ut sic enim esse inseparabilem a malitiâ objectivâ, quamvis sub aliâ per legem naturalem non intentâ formalitate possit objectum ejusmodi *Intentionaliter* eatenus depurari, ut nullam transfundat malitiam in actum moralem ex ipsâ specificatum, *uti partim constat ex dictis, partim constabit ex dicendis contro. 4.* 20.

❋❋❋❋❋❋❋❋❋)(❋❋❋❋❋❋❋❋

CONTROVERSIA II.

An, & qualiter delectatio morosa, seu Desiderium inefficax possit depurari a malitiâ circumstantiarum objecto inexistentium?

Difficultas est specialiter de delectatione venereâ, an scilicet si respiciat personã conjugatam *Adulterij*, si vero respiciat Personam religiosam, *Sacrilegij*; si denique respiciat consanguineam, *Incestus* malitiam contrahat. 1.

In quo affirmant Divus Antoninus *2. part. tit. 5. cap. 1. §. 6.* Tubiena *verb. Luxuria 1. q. 4.* & Navarrus *in sum. cap. 16. n.* Fundamentum est. Quia ejusmodi actus tendunt in objecta habentia diversas morales malitias objectivas. Ergo ex horum diversitate contrahunt distinctas adulterij, sacrilegij, & incestus morales malitias. 2.

Econtra negant Vasquez *rel. disp. 112. cap. 2.* Thomas Sanchez *lib. 1. de Matrim. cap 2. n. 12.* Lessius *lib. 4. de just. cap. 3. dub. 21. n. 12.* Castropalaus *cit. punc. 10. §. 4.* cum alijs ibi relatis. 3.

Fundamentum est. Quia illa circumstantia Personæ conjugatæ, Religiosæ, vel consanguineæ, non est per se connexa cum formalitate objecti per illam delectationem morosam intenti. Nisi ergo Delectatio, seu desiderium inefficax feratur in personam quà Conjugatam, seu Religiosam, vel Consanguineam, malitia objectiva istarum circumstantiarum non est specificativa illius delectationis, seu desiderij inefficacis sed istud specificatur ex præcisâ secundum intentionalem abstractionem ab illis circumstantijs separatâ venereæ delectabilitatis formalitate, ut adeò Delectatio ejusmodi venerea, non attentâ morali personarum, in quas fertur, differentiâ, semper unjus sit moralis speciei.

CONCLUSIO II.

Circumstantia Personæ operantis; non verò personarum ex parte objecti se tenens differentia Moralis potest diversificare actus morosæ Delectationis, seu desiderij inefficacis.

Prior

4. Prior pars probatur. Quia omnis actus moralis est secundùm moralis Regulabilitatis repræsentationem *Indirectè* saltem ac *Interpretativè* reflexivus super Personæ operantis conditione, objectivam aliquam moralitatem ut sic fundan-
5. te. Unde fieri non potest, quin Desiderium inefficax, seu Delectatio erga alienam personam habita, in conjugato *Adulterij*, in personâ autem sacrâ *Sacrilegij* malitiam contrahat, adeo ut ipsimet etiam Conjuges utrinque voto Castitatis obstricti delectando de copulâ, vel ante votum licitè habitâ, vel post voti dispensationem ha-
6. bendâ, sint rei de voto violato. Si tamen votum obliget alterutrum duntaxat ex conjugibus, qui proinde reddere, non tamen licitè petere possit debitum Conjugale, tunc delectationem Copulæ, utpote ad alterius Conjugis voluntatem licitè habendæ, non infici Sacrilegij malitiâ, censet Coninch *de Matrim. disp. 34. dub. 11. n. 109.* contradicente tamen quoad posteriorem partem Castropalao *cit. punct. 10. §. 2. n. 12.* eò quòd ille Coniunx habens votum, licitè reddere possit debitum, de se tamen sit obligatus abstinere ab omni carnali delectatione, quatenus sine injuriâ alterius Conjugis fieri possit. Ex quibus adeò patet, Circumstantias morales ex parte operantis se habentes non esse *Intentionaliter* abstrahibiles, quin sint specificativæ.

7. Posterior pars probatur. Nam super circumstantias ex parte objecti se tenentes ne quidem *Indirectè* ac *Interpretativè* fertur voluntas, dum præcisam objecti delectabilitatem *quà Intentionaliter* ab ejusmodi circumstantijs separatam
8. inefficaciter solùm intendit. Et hinc licèt Consanguinitas dicat mutuam quandam relationem tam ex parte desiderantis, quàm ex parte desideratæ personæ se tenentem, quia tamen secundùm moralis regulabilitatis considerationem non est actûs Castitati oppositi specificativa, nisi quatenus per ejusmodi actum Pietatis in Consanguinitate fundatæ, ut sic ex quodam Personæ sanguine junctæ inexistente reverentiali jure à venereâ familiaritate abstinentiam exigentis, ratio violatur, idcirco circumstantia Personæ Consanguineæ, quatenus fundat incestûs moralitatem objectivam, non se tenet *Primariò* ex parte personæ operantis, sed ex parte Personæ indebitè concupitæ, ut adeò nisi desiderium vel sit efficax, vel intendat actum venereum cum ipsâ quà consanguineâ habendum,
9. non sit talis desiderij specificativa. Et hinc Delectatio morosa, seu desiderium inefficax, sive versetur circa virginem, sive conjugatam, sive Consanguineam, sive voto obligatam, semper unius est speciei moralis, ad simplicem fornicationem spectantis, utpote semper eandem non verò diversam, (uti falsò supponit fundamentum *n. 1.* oppositum) objectivam moralitatem respicientis, secùs foret de efficaci desiderio. *velut infra in cont. 5.* elucidabitur.

CONTROVERSIA III.

An, & qualiter conditionata erga objectum pravum voluntas possit à talis objecti malitiâ depurari?

Non est difficultas de objectis jure duntaxat positivo illicitis, cùm enim malitia hisce sit intrinseca, tale objectum, v. g. carnium in quadragesimâ Esus potest appeti sub aliquâ conditione malitiam auferente, *si nimirum per Ecclesiam liceret.* Sub quâ adeò conditione Doctorum communis est sententia, objectum eatenus depurari à malitiâ objectiva, ut actus moralis in illud tendens exinde non coinquinetur. 1.

Difficultas igitur procedit de objectis Jure naturali illicitis. De quibus Salas *tract. 13 disp. 6. sect. 27. n. 180.* Sayrus *in clavi regiâ, lib. 8. cap. 7. n. 28. & 29.* Castropalaus *cit. disput. 2. §. 3. n. 3. & 4.* affirmant; non esse peccatum mortale, etiam intrinsecè mala objecta, quæ in nullo eventu licita esse possunt, desiderare, vel de illis delectari, sub conditione, si licita essent, vel si Dei offensa non subesset. 2.

Fundamentum est. Qui enim vult mentiri casu, quo liceret, non vult objectum pravum, siquidem mendacium licitum malum non esset. Et licèt nunquam possit licitum esse mendacium, hoc non obstat, quo minùs voluntas in illud sub eâ conditione feratur, in apprehensione enim & affectu tunc mendacium licitum est.

Thomas Sanchez *in lib. 1. Decalog. cap. 2. n. 25. & 27.* Azor *tom. 1. instit. moral. lib. 4. cap. 6. q. 10.* distinguunt inter objecta jure Naturæ illicita: aliqua enim sunt, à quibus malitia pro aliquo casu separari potest, veluti sunt homicidium, si Authoritate publicâ, furtum, si urgente necessitate, infamatio, si honestâ de causâ fiat. Alia verò sunt, à quibus in nullo casu malitia est separabilis, velut idololatria, fornicatio, vindicta privata, odium Dei, mendacium &c. De quibus proinde posterioris generis objectis Doctores præallegati negant, posse voluntatem absque peccato ferri in illa sub conditione auferente malitiam. 3.

Fundamentum est *primò.* Nam conditio impossibilis habetur pro non adjectâ. *ex cap. fin. de Conditionibus appositis.* Ergò perinde est, ac si in objecta ejusmodi sub conditione licèt desiderata absolutè ferretur voluntas. *Secundò* volens mendacium sub conditione, si licitum foret, intendit mutare Essentiam mendacij. Hoc autem est malum. *Tertiò* sub conditione etiam auferente malitiam, manet adhuc illicitus ille actus, quo dicitur, *si licitum esset, vellem Deum esse destructum.*

Vasquez *1. 2. disp. 116. cap. 2.* aliter distinguit asserendo, in objecta intrinsecè mala licere voluntati sub conditione malitiam auferente ferri per actum alicujus desiderij, non autem Delectationis. 4.

Fundamentum est. Quia malitia Delectationis non derivatur ex objecto, sed *per se primò* inest actui Delectationis. Secùs est de actu efficacis

ficacis desiderij, cujus malitia derivatur ex objecto, atque adeò auferri potest per conditionem ex parte objecti oppositam.

CONCLUSIO.

Absque peccato mortali potest voluntas per actum inefficacis desiderij, seu Delectationis sub conditione malitiam auferente in objecta etiam intrinsecè mala ferri, dummodò talis ex parte objecti Formalitas intendatur, cui ut sic non *Formaliter*, sed quasi *Concomitanter* duntaxat sit annexa malitia.

5. Probatur. Nullum enim quantumvis *intrinsecè* malum est objectum, cui non insit aliqua saltem naturalis, seu transcendentalis Bonitas. Et hinc voluntas Divina in quævis positiva, licèt jure naturali prohibita objecta, nec puræ volitionis, nec puræ nolitionis actu fertur, sed quatenus ex ideali suæ Essentiæ Divinæ participatione habent aliquid Entitatis naturalis, vel transcendentalis, ut sic in ipsa fertur Decretum Divini Amoris, ac volitionis: quamvis in eadem, prout ex imperfectionis suæ in genere tum moris, tum naturæ, vel Entis limitatione fundant in se malitiam, vel moralem, vel naturalem, seu Transcendentalem, ut sic feratur Decretum Divinæ aversionis, vel nolitionis.
6. Etsi proinde voluntas creata per actum efficacem non possit malitiam moralem *Intentionaliter* separare ab objecti *Intrinsecè*, imò & *Extrinsecè* mali Bonitate vel transcendentali, ac Entitativâ, vel naturali & Formali: Attamen hoc fieri potest per actus inefficaces, veluti *sequen. 4. & 5. conc.* probabitur. At eo ipso, quòd voluntas sub conditione malitiam moralem auferente, feratur in objectum, licèt de se *intrinsecè* malum, dum non intendit formalitatem, super quâ *ut sic formaliter*, & non *quasi concomitanter* fundatur malitia, tum *secundum intentionalem abstractionem* formalitatis quà transcendentalem, seu naturalem aliquam Bonitatem importanti, eatenus fit separatio à formalitate, quà malitiam moralem in se fundante; ut voluntas illam, non verò istam *Intentionaliter* attingat, nec adeò ex
7. hâc, sed illâ duntaxat specificetur. Eo ipso autem, quòd actûs voluntatis specificatio sit ex formalitate objecti, non quà fundante moralem malitiam, sed quà Bonitatem vel naturalem, vel transcendentalem continente, nequit ex talis actûs moralis specificatione ratio malitiei moralis resultare. Consequens proinde est, voluntatem sine peccato saltem mortali, sub conditione malitiam auferente posse ferri in objectum etiam intrinsecè malum; modò non in-
8. tendatur formalitas aliqua, ut sic *per se Formaliter*, & non *quasi Concomitanter* fundans moralem malitiam, velut accideret, dum quis sub conditione Matrimonij, ut sic Coitûs malitiam auferente, delectaretur, vel inefficaciter intenderet Copulam in præintento Matrimonio habendam, tunc enim Formalitas pro tali statu per se intenta secundùm moralem regulabilitatem esset adhuc *Formaliter* fundans malitiam, nec adeò conditio illa ex parte rationis regulabilitatem moralem repræsentantis efficaciter tolleret talis objecti malitiam moralem.

Responsio ad opposita Fundamenta.

AD *n. 1.* oppositum Respondetur. Jllud fundamentum solubiliter Casu, quo secundùm regulabilitatem moralem ratio est eatenus abstractiva naturalis, seu transcendentalis Bonitatis formalitate objecti, fundante objectivam Moralitatis malitiam, ut ista ad objectum, prout hic & nunc sub conditione malitiam auferente attingitur, habeat se merè *per accidens* & *quasi concomitanter*, ita ut nulla ex tali Malitia objectiva, sed ex transcendentali, vel naturali Bonitate, per rationem in genere moralis regulabilitatis depuratâ fiat actûs moralis specificatio. 9.

Ad *n. 2.* oppositum Respondetur. Conditionem impossibilem secundùm Canonem præcitatum in Matrimonij contractu duntaxat eatenus haberi pro non adiectâ, ut consequenter talis contractus censeatur purus & absolutus. Verùm quoad affectum v. g. Delectationis, seu desiderij inefficacis in objectum etiam intrinsecè malum sub conditione malitiam auferente tendentis, conditionem ejusmodi importare præcisivam formalitatis, malitiam moralem in objecto *formaliter* fundantis, separationem, ut consequenter ex tali formalitate *ut sic* fiat actûs moralis specificatio, nec adeò moralis malitiei coinquinatio. 10.

Ad *n. 3.* oppositum Respondetur. Negando, quòd ille, qui sub conditione, *si licitum foret*, inefficaciter intendit mendacium, velit in hoc objecto mutationem Essentiæ, sed præcisione inter transcendentalem, vel naturalem aliquam commoditatem, atque formalitatem qua malitiæ moralis fundatricem suppositâ, elicit actum ex illa, non verò ex istâ specificatum. 11.

Ad *n. 4.* oppositum Respondetur. Jlli actui, *si licitum foret, vellem destructum Deum*, *formaliter* substare formalitatem, Dei super omnia appretiabilitatis exclusivam, ut sic *per se formaliter* malam, atque adeo actus illius eatenus specificativam, ut huic moralem odij Dei malitiam imprimat. 12.

Ad *n. 5.* oppositum Respondetur. Falsum esse, tum quòd malitia Delectationis *specificativè* in *quarto perseitatis modo* non derivetur ex objecto, tum quòd possit per conditionem malitiæ moralis *Intentionaliter* præcisivam ab objecto eatenus tolli objectiva moralitatis malitia, ut consequenter talis actus non contrahat formalem *in genere moris* malitiam. 13.

❋❋❋❋❋❋❋❋)(❋❋❋❋❋❋❋❋❋

CONTROVERSIA IIII.

Qualiter Delectatio, seu Desiderium inefficax de objecto malo non quà formaliter malo, sed materialiter spectato, vel inefficax de objecto præcepto displicentia possit esse immunis à peccato?

CAstropalaus *cit. punc. 10. §. 2. n. 10.* cum Doctoribus ibi relatis docet, etsi nullo modo licitum sit, delectari de pollutione in somnis habitâ, vel de coitu citra peccatũ etiam contingente, eò quòd talis Delectatio sit causa excitativa pollutionis præsentis, & hâc de causâ 1.

per caſtitatem prohibita ſit. Nihilominùs licitum eſſe de illâ pollutione gaudere ob effectum bonum inde ſecutum, licereque ſimili de de causâ, v. g. ob ſedandas tentationes inefficaciter tamen deſiderare ipſam; ſiquidem tunc non ſit propriè delectatio de pollutione, ſed de effectu inde ſecuto: hâc enim ratione Eccleſiam gaudere de Adæ peccato, cum dicit: *O Felix culpa, quæ talem ac tantum meruit habere Redemptorem.*

2. Idem Auhor *n. 11.* ſubjungit, idem dicendum eſſe de homicidio, fornicatione, aliiſque peccatis: licitam enim eſſe horum Delectationem, non quatenus peccata ſunt, ſed quatenus fuerunt cauſæ alicujus boni effectûs. Etſi verò Sa *v. peccatum. n. 13.* & Leſſius *lib. 4. cap. 3. dub. 14. n. 105. concl. 4.* aſſerant, licitum eſſe, deſiderare illud, de quo licitum eſt gaudere. Attamen id non videtur verum eſſe, ſiquidem de eo, quòd aliquis ſit interfectus, non quidem ex diſplicentiâ Perſonæ, ſed ob hæreditatem inde provenientem, licitum ſit gaudere, non verò deſiderare ejus interfectionem: ſicuti nefario coitu habito, licere de ipſo, quatenus eſt cauſaturus liberos, gaudere, non tamen ex fine iſto illum in aliis etiam deſiderare. Unde ſolùm licere ob bonum Finem deſiderare illud objectum, quod ſine peccato effici poteſt, velut eſt pollutio naturaliter contingens.

3. Fundamenta, quibus probatur de objecto malo licere ob bonum finem gaudere, vel id etiam deſiderare, ſunt ſequentia. Primum ex Bonacinâ *de Matrim. q. 4. punc. 8. n. 8.* deſumptum eſt, quòd actus inefficax totam ſuam Bonitatem, vel malitiam deſumat à motivo. Ergo ſi Motivum in Delectatione ſit bonum, actus erit bonus. Verum contra hoc eſt, quòd, ſi unica formalitas ſecundum regulabilitatem moralem ſubſit objecto, qua per actum voluntatis intento, eatenus inficiat motivum, ut iſtud nequeat habere *in genere moris* bonitatem objectivam. Se-
4. cundum ex Salâ *tract. 13. diſp. 6. ſect. 32.* petitum eſt. Quia malum, quod inefficaciter deſideratur ob bonum finem, duobus modis poteſt deſiderari: *Primò*, prout habet diſſonantiam cum Natura rationali, *ſecundò*, prout eſt cauſa boni effectûs ſaltem *occaſionaliter*. At eo ipſo, quod iſta poſterior formalitas quoad actum inefficacem, non verò efficacem, poſſit *mentaliter* ac *intentionaliter* ſeparari a priori formalitate, poterit deſiderium inefficax, non verò Efficax ab illâ for-
5. malitate quâ moraliter bonâ ſpecificari. Cujus adeò rationis vim paucis ponderabimus in concluſione. Tertium a Leſſio *ſupra citato* deductum eſt, quod illius gaudii objectum non ſit peccatum, ſed hujus permiſſio. De quo fundamento mox diſſeremus.

Concluſio.

Gaudium, ſeu deſiderium inefficax de objecto malo, non *Formaliter* quà malo, ſed quà *Materialiter* ſpectato: ſicut econtra triſtitia, ſeu inefficax de objecto præcepto diſplicentia ob bonum finem, non inficitur malitiâ objecti, huic in actu exercito competente.

6. Probatur. Tum quia Eccleſia publicum edit gaudium de Adami peccato, non quidem *formaliter* quà peccato, ſed quatenus erat occaſio Boni inde ſecuti. Unde canit in Sabbatho 7.
Sancto *O felix culpa, quæ talem ac tantum meruit habere Redemptorem.* Tum quia Chriſti triſtitia in horto importabat inefficacem diſplicentiam de morte imminente, non quidem quà præceptâ formaliter, sed ex fine exiſtendi in gratiâ ſuâ iſtam triſtitiam tanquam ſpecialis paſſionis etiam internæ ſacrificium, & meritum. Tum quia 8.
nullum objectum eatenus eſt utrinque malum, quin aliquam in ſe habeat ex Dei libera ordinatione referibilitatem ad finem bonum. Quæ ratio eſt, cur omne malum ſit a Deo permiſſum ex altiori aliquo Fine. Quare gaudium & deſiderium de malo ob finem bonum inde ſecutum (idem eſt judicium circa diſplicentiam inefficacē de objecto præcepto) habet pro objecto materiali referibilitatem peccati ad finem ejuſmodi ejuſque permiſſionem, non verò ipſam peccati malitiam. pro objecto autem formali habet ipſummet finem Bonum. Ergo tale gaudium (v. g. de pollutione naturali et ſic præter intentionem habitâ ob finem ſanitatis, vel ſedationis carnis inde ſecutum) nec ex objecto formali, nec ex objecto materiali inficitur aliquâ malitiâ.

Et hinc patet, ad quam ſpeciem reduci debeat Jactantiæ peccatum. Nam *Primò*, ſi interveniat ipſius peccati jactati Complacentia, contrahitur *Virtualiter* duplex malitiæ ſpeciei, inordinatæ ſcilicet elationis ac laudis ex peccato quæſitæ, & ipſius etiam peccati, de quo ſe jactat, malitiæ. Unde ſi peccatum, de quo talis ſit jactantia, ſit mortale, tunc præter hujus ſpecificam a proprio objecto ſpecificatam malitiam contrahitur propriæ etiam malitiæ jactantia lethalis, gravem contra Deum irreverentiam importans, uti mox probabitur. Si tamē *ſecundò* in jactantiâ alicujus peccati licet mortalis non interveniat hujus complacentia, tunc Jactantiæ peccatum per ſe loquendo ſemper eſt ejuſdem ſpeciei, uti cum Navarro & Sanche probat Caſtropalaus *cit. diſp. 2. punc. 11. n. 5.* Ratio eſt. Quia Jactantiæ peccatum *Formaliter* conſiſtit in ratione irreverentiæ contra Deum; quatenus Deo graviter injurioſum eſt, velle gloriam & laudem conſequi ex gravi illius offenſâ. 10.
Quæ proinde ſpecifica, niſi ob levitatem materiæ in jactatione de peccato duntaxat veniali excuſetur, mortalis malitia *per ſe* ſemper eadem eſt, ut ſic *Iactantia formalis* appellata, quamvis *per accidens* poſſit habere tum rationem ſcandali in audientibus, tum rationem novæ injuriæ viro magnati inferendæ, dum quis de contumeliâ tali viro irrogatâ gloriatur, ſiquidem iſta gloriatio cedat in ipſius ignominiam. Quòd ſi *ter-* 11.
tiò quis ſe ipſum, vel alium laudet, ac jactet de ſola dexteritate, ſeu viribus, & arte, quam quis exhibuit inter peccandum, præciſâ peccati jactati complacentiâ, nullove ſcandali periculo interveniente, tunc peccatum jactantiæ non eſt mortale. ex Leſs. *lib. 2. de juſt. cap. 12. dub. 6. n. 42.* Ratio eſt. Quia talis laus abſtrahit a malitiâ objecti, ac præciſe importat circumſtantiam ex ſe non malam. Ergo non ex ſe, ſed *per accidens* poteſt eſſe mortalis, tum ratione ſcandali, tum ex eo, quòd adſtantes non intelligant jactantem de ſolâ dexteritate gloriari, imò jactans externo ſaltem opere, ſeu ſigno ſit exultans

ultans in rebus pessimis. Unde peccat mortali jactantiæ formalis peccato. Ex Castropalao citato punc. 11. n. 2. asserente: nisi animus jactantis in contrarium manifestè declaretur, semper præsumi *Formalis jactantiæ* peccatum in opere ac signo externo saltem intervenire.

CONTROVERSIA V.

An, & qualiter Efficax & Inefficax voluntatis circa idem morale objectum versantes actus sint ejusdem, vel diversæ moralis speciei?

1. DE hoc aliquod fundamentum præstruximus supra *q. 6. ar. 1. contro. 6.* ubi discussimus, qualiter actus efficaces ac inefficaces, tum circa finem, tum circa media versantes differant specie vel physica, vel morali.

2. Insuper quoddam hujus controversiæ definiendæ fundamentum desumi potest ex dictis *præs. art. 2.* ubi dictum est, partim quòd circumstantiæ morales objecto inexistentes suâ malitiâ non coinquinent inefficaces voluntatis actus, partim quod desiderium inefficax de objecto extrinsecè malo, sive per legem duntaxat positivam prohibito non inficiatur hujus malitiâ: cùm tamen certum sit, desiderium efficax, utpote objectum ut in re ponendum intendens, contrahere ejus moralem malitiam. At secus esse de actibus efficacibus, mox patebit.

CONCLUSIO.

ETsi Desiderium Inefficax & Efficax circa objectum *intrinsecè* malum per se, & abstrahendo ab objecti circumstantijs, ejusdem sint moralis speciei; ex accidenti tamen, sive ex circumstantijs est in *genere moris* longè diversa ratio illius duplicis desiderij.

3. Prior pars per Joannem à Sancto Thomâ *in 1. 2. q. 12. ar. 4. n. 13.* tradita probatur. Nam licet intentio, seu desiderium Efficax finis, & volitio simplex, atque fruitio seu Delectatio, nec non mediorum Electio, usus & imperium *in genere physico* differant secundùm speciem: *uti supra q. 6. ar. 1. con. 6.* ostensum est: *in genere tamen morali* specificantur ex objecto secundùm regulabilitatem moralem spectato. Unde si tendant in unum finem, ex nullâ moralitatis regulabilitate diversificatum, ejusdem sunt moralis speciei, nec adeò Delectatio morosa, seu inefficax desiderium differt *specie morali* ab intentione, sive desiderio efficaci, nisi in hoc ex medio, vel aliquâ objecti circumstantiâ refundatur specialis quædam malitia.

4. Probatur istud assumptum, secundam conclusionis partem importans. Quia intentio seu desiderium efficax tendit in objectum, ut a parte rei ponendum, atque adeo qua affectum circumstantijs, quibus *in actu exercito* est vestitum. Econtrà verò Delectatio morosa, seu desiderium inefficax abstrahit à circumstantijs ab objecto intento vel ex Naturâ, vel secundùm præcisionem objectivam *Intentionaliter* separabilibus: nec adeo habet rationem moralem tendentiæ nisi in illam formalitatem, quam suo quasi sinu complectitur. Si proinde ex parte circumstantiarum specialis interveniat moralis regulabilitatis malitia objectiva, tunc illa refunditur in specificationem actûs efficacis, non autem *inefficaciter* in objectum *secundum se præcisè* spectatum tendentis.

Unde fit 1. Omnes delectationes morosas in materiâ venereâ sive sint circa conjugatam, sive solutam, sive circa consanguineam, sive circa Personam Religiosam, esse ejusdem speciei moralis. ex Vasquezio *1. 2. disp. 112. cap. 9.* Sanche *lib. 1. in Decal. cap. 2. n. 12.* contra S. Antonin *2. p. tit. 5. cap. 18. § 6.* Navarrum *sum. cap. 16. n. 9.* Econtra 5.
2. in desiderio efficaci circa materiam veneream versante aliam esse speciem, si tendat in Conjugatam, & aliam, si tendat in Consanguineam, quia istæ circumstantiæ, licèt non sint *Directè* volitæ, malitiam suam eo ipso transferunt in Desiderium efficax. ex communi Doctorum sententiâ. Hinc 3. sicuti diversa species est incestûs filij cum matre, quàm Patris cum filiâ; ita ut non sufficiat dicere in Confessione; *peccavi cum Consanguineâ in primo gradu lineæ rectæ.* Sicuti etiam alia est species peccati inter consanguineos lineæ rectæ, quàm inter cognatos lineæ transversæ. ex Card. de Lugo *de sacram. pænit. disp. 16. sec. 6. n. 313.* Sic consequenter est discurrendum de efficaci circa personas ejusmodi Desiderio. 6.
Econtra 4. sicuti ejusdem speciei est peccatum filiæ cum patre, & cum Avo, vel filij cum matre, aut cum Noverca: siquidem consanguinitas, & affinitas cæteris paribus non faciunt circumstantiæ speciei moralis differentes. ex Lugo *cit. à n. 319.* sic idem servari debet judicium de efficaci erga Personas tales conjunctas desiderio. Fallit verò 5. Copula inter fratrem, & sororem, & consequenter efficax hujus desiderium, differat specie ab incestu inter consanguineos secundi in lineâ transversâ gradûs communiter. secus tamen est in affinitate, cujus duæ sunt tantum differentiæ specificæ, lineæ nimirum rectæ, ac lineæ transversæ: Idem de Lugo *n. 316.* Econtra verò Consanguinitatis sunt tres morales species, una lineæ rectæ, altera lineæ transversæ in primo gradu, & tertia lineæ etiam transversæ in gradibus primo ulterioribus: ut adeò ex specificâ harum circumstantiarum different à diversam contrahant moralem speciem Desideria efficacia, non verò affectus inefficaces, seu morales delectationes. 6. Proinde, sicuti Copula fornicaria, seu Sodomitica, sic consequenter hujus desiderium efficax diversas specie malitias contrahit ex diversis Consanguinitatis, vel affinitatis gradibus. author *citat. à n. 345.* 7. Denique cognatio spiritualis ex Baptismo, & Confirmatione contracta superinducit Copulæ fornicariæ, vel etiam Sodomiticæ, ejusque desiderio efficaci non tantùm incestûs, sed etiam sacrilegij, seu debitæ erga Sacramentum reverentiæ violatæ malitiam, eamque diversam, cùm alia secundùm speciem moralem sit malitia fornicationis Baptizantis (idem est respectu Confirmationis, non enim differt morali specie cognatio spiritualis, sive ex Baptismo, sive ex Confirmatione oriatur) vel Patrini cum puellâ baptizatâ, & alia Baptizantis cum Matrinâ, vel Patrini cum

matre baptizati: prior enim se habet ad instar incestûs Patris cum filiâ, seu filij cum matre, posterior autem est instar fornicationis inter Socerum & Matrem sui Generi habitæ; supra nominatus Card. de Lugo *n. 333. et seq.* Quæ contraheret malitiam incestûs ab illâ specificè diversam, si Ecclesia inter personas ejusmodi, sicut inter Patrinum & matrem baptizati statuisset aliquod impedimentum.



ARTICULUS II.

Qualiter Intellectus quoad Ignorantiam, & Potentia sensitiva, vel etiam vegetativa quoad Passiones & Motus Carnis sint participativè subjectum peccati?

1\. TRiplex hic venit discutienda difficultas. Prima, *Qualiter Intellectus quoad Ignorantiam sit subjectum peccati?* Secunda, *Utrum Appetitus sensitivus quoad passiones & Motus Carnis sit peccati subjectum?* Tertia, *Qualiter pollutio directè, vel indirectè volita sit peccatum?*

CONTROVERSIA I.

Qualiter Intellectus quoad Ignorantiam sit subjectum peccati?

2\. INdubitatum est, quin Ignorantia aliquo modo imputari possit in peccatum. Sic enim, cum sit obligatio sciendi præcepta Decalogi; consequens est, ipsorum ignorantiam imputari in peccatum, sic quia fideles, teste Divo Thomâ *2. 2. q. 2. art. 7.* tenentur sub præcepto, scire omnia Christianæ fidei Mysteria in symbolo contenta, Culpæ imputatur ipsorum ignorantia. Sic denique eodem Sancto Doctore *1. 2. q. 76. ar. 2.* attestante, peccati reus est, quisquis ignorat ea, quæ ad proprium officium ritè obeundum sunt necessaria.

Verùm difficultas est primò, *An talis de fidei Mysterijs Ignorantia unicam duntaxat, virtuti scilicet Fidei oppositam malitiam contineat, an verò præter hanc contineat adhuc malitiam studiositatis virtuti contrariam?* Secundò, *An Ignorantia ejusmodi solum in Causâ, an formaliter in se ipsâ sit peccatum?*

Referuntur Sententiæ.

3\. VAsquez *1. 2. q. 119. cap. 2. & 3.* distinguit Ignorantiam, alteram practicam rerum agendarum, alteram speculativam rerum earum, quæ in solâ speculatione consistunt. De practicâ igitur Ignorantiâ concludit *n. 3.* non esse speciale peccatum virtuti studiositatis oppositum, sed trahi ad eam speciem, cujus opposita virtus ignoratur, ita ut ignorantia eorum, quæ Justitiæ sunt, reducatur ad peccatum injustitiæ ex tali ignorantiâ incursum, vel incurrendum.

Fundamentum est. Nam alioquin sequeretur, graviùs multò peccare eum, qui ex ignorantiâ delinqueret, quàm qui scienter, siquidem hic unico tantùm peccato v. g. ignorantiæ peccaret, ille duplici, Justitiæ scilicèt, dum materia ignorata ad hanc virtutem spectaret, ac studiositati esset opposita.

Quod si de ignorantiâ speculativâ aliquo modo ad praxin inserviente sit sermo, Author *citatus à n. 6.* ait, eandem esse ipsius cum practicâ rationem: si verò de speculabilium nullo modo ad praxin, sed ad purâ speculationem pertinentium ignorantiâ agatur, tunc peccati ejusmodi malitiâ esse *Primariò* in intellectu, & *secundariò* in affectu, ita ut duo interveniant peccata Moris, non tamen fidei virtuti intellectuali opposita, sed quatenus fides sit materia moralis affectus secundum rationem. Etenim duplicem intervenire affectum, alterum de sciendis, quæ docet Religio, quam profitemur, cui proinde opponi talium Mysteriorum ignorantiam, ac sciendi negligentiam, quemadmodum in alijs scientijs negligentia ejusmodi opponatur studiositati. Alterum verò affectum esse credulitatis, cui ut sic opponi infidelitatem, ac Errorem in fide. Ex quo adeò duplici affectu in Mysteriorum fidei ignorantiâ distingui oportere duplex peccatum. 4.

Fundamentum est. Nam is, qui benè affectus est ad credendum Mysteria nostræ Religionis, potest esse negligens & malè affectus ad studium adhibendum, ut discat, quæ sunt Mysteria nostræ Religionis. At iste non peccat eo modo, quo ille, qui obfirmato animo proposita, aut proponenda Mysteria non vult credere. Quare *in fine cit. cap. 3.* tandem concludit Vasquez, Curiositatis studiositati adversantis materiam non esse doctrinam, quà ad fidem seu Mores pertinentem, sed scientiam aliarum rerum speculabilium, quatenus harum scientia homini sit conveniens, habitâ ratione statûs, & professionis. 5.

Econtrario Amicus *disp. 22. n. 18.* duplicem in ignorantiâ practicâ rerum moralium ponit malitiei formalitatem, alteram virtuti studiositatis oppositam, alteram virtuti, cujus transgressionis Causa est ignorantia, contrariantem. 6.

Fundamentum ex refutatione argumenti Vasqueziani desumptum est. Nam licet Ignorantia *formaliter* sub ratione ignorantiæ sit defectus virtuti intellectuali oppositus, hic ipse tamen defectus intellectualis subest virtuti morali, quatenus intellectus in operando pendere debet à Rectitudine voluntatis, Imperium erga Intellectum tenentis. Ergo quatenus illa ignorantia subest imperio voluntatis, habet rationem defectûs non purè intellectualis, sed moralis. At hic ipse moralis defectus opponitur certæ virtuti morali, quam studiositatem dicunt.

Quam porro ignorantiam actualem non tantum in sui causâ scilicet addiscendi negligentiâ, sed in se *formaliter* esse peccatum, cum alijs tenet Amicus *cit. disp. 20. n. 24.* Fundamentum est. Quia non solùm negligentia, sed ipsa ignorantia opponitur Præcepto sciendi, nec enim sola negligentia addiscendi fidei Mysteria, sed horum ignoran- 7.

jgnorantia contrariatur fidei præcepto. Oportet jgitur, talem jgnorantiam non solùm in causâ, negligentiâ scilicet discendi, sed in se *Formaliter* esse peccaminosam.

8. Econtra Vasquez *1.2 disp.118.cap.3.* negat, jgnorantiam esse *Formaliter* peccatum, sed hujus esse effectum, nec adeo nisi in causâ, seu negligentiâ addiscendi peccaminosam esse. Fundamentum est. Quia jgnorantia opponitur scientiæ Habituali. At peccatum *Formaliter* opponitur actui, seu actuali morali rectitudini, non habitui; sed hujus privatio se habet ad peccatum ut effectus duntaxat, non ut negatio *formaliter* ac *directe* opposita. Ergo ignorantia *ut sic formaliter* non est peccatum sed in sui causâ, defectu scilicet industriæ, per quam expelli deberet jgnorantia.

Conclusio.

Ignorantia in quâlibet etiã fidei ac morum materiâ continet malitiam virtuti studiositatis, non quidem *Specifice*, sed *Transcendentaliter* oppositam, atque ut sic non in sui duntaxat causâ, sive addiscendi negligentiâ, sed *formaliter & participativè* est in se ipsâ peccatum, pro materiæ gravitate seu levitate mortale, vel veniale.

9. Probatur. Nam aliquæ sunt virtutes, quæ determinatam quidem sub certo moralis virtutis genere speciem constituunt, earum tamen objectiva Honestas *transcendentaliter* in omnis virtutis Motivo est aliqualiter inclusa: veluti patet in Motivo Religionis, *saltem virtualiter implicitè* importato in omni virtutis motivo, ita ut nullum contra quamcunque virtutem fieri possit peccatum, quin *Transcendentaliter*, non autem *Specificè* semper peccetur adversùs Cultum ex virtute Religionis Deo debitum. At verò ejusmodi omnium virtutum motiva transcendens ratio con-
10. venit etiam virtuti studiositatis, eatenus specificam sub Temperantiæ moralis virtute sedem sibi vendicantis, ut tamen quælibet virtus, quatenus est obligans vel ad sui moralem Rectitudinem, vel ad Mysterij alicujus notitiam, exigat congruam talis objecti scientiam. Quamvis proinde peccatum studiositatis virtuti *specifice* oppositum non incurratur per jgnorantiam, nisi quatenus istius virtutis Honestas in se præcisè subsistens, non verò quà alterius virtutis Motivo *Transcendentaliter* permixta exigit objecti alicujus scientiam: attamen malitia studiositatis virtuti opposita *Transcendentaliter*, incurritur, quoties ex jgnorantiâ quis incidit in aliquod fidei, vel morali virtuti contrarium peccatum. At hæc virtuti studiositatis sive *Specifice*, sive *Transcendentaliter* opposita jgnorantiæ malitia est in se *formaliter participative* peccatum.

11. Probatur istud assumptum. Sicut enim omissio in sui Causâ *interpretative* saltem volita ex libertate voluntatis participat formalitatē liberi saltem indirecti, sic ignorantia quatenus voluntaria in negligentiâ addiscendi, ex hujus libertate habet in se derivatam rationem liberi saltem interpretativi. At illa libertatis in omissionem *interpretative* voluntariam derivatione suppositâ, in hac ob sui formalem cum actu præcepto oppositionem resultat formalis *in genere morali* malitia. Par ergò ratione in jgnorantiam in sui causa liberam eatenus refunditur libertas, ut consequenter ob sui tum transcendentalem cum virtute studiositatis, tum specificam cum fidei, vel aliquâ morali, circa cujus materiam versatur, virtute contrarietatem, jgnorantia ejusmodi constituatur in se *formaliter participative* peccaminosa.

Responsio ad opposita Fundamenta.

AD Vasquezij *n.3* oppositum fundamentum Respondetur. Quantum malitiæ ex transcendentali ad virtutem studiositatis oppositione accrescit in peccato per jgnorantiam perpetrato, tantum, imò longè plus malitiæ in peccato scienter perpetrato accrescere ex transcendentali ad Religionis, studiositate longe sublimiorem virtutem contrarietate. Falsum igitur esse, quòd, si peccatum ignorantiæ habeat malitiam virtuti studiositatis *Transcendentaliter*, imò *Specifice* quoque oppositam, sequatur, tale peccatum esse gravius peccato scienter perpetrato. 12.

Ad *n.4.* oppositum Respondetur. Verum quidem esse, quòd aliter peccet, qui malè affectus est ad Mysteria fidei credenda, hic enim ipsius fidei Motivo *quoad specificationem* adversatur: aliter vero peccet, qui, licet fidei Mysterijs bene sit affectus, negligit tamen laborem Mysterijs illis inquirendis necessarium, hic enim non *quoad specificationem* fidei motivo, sed hujus actui *quoad exercitium* duntaxat adversatur. In utroque tamen illo peccato inveniri transcendentalem cum virtute studiositatis oppositionem modo *superius* explicato. 13.

Ad *n.6.* oppositum Respondetur. Specificam quidem studiositatis virtuti oppositam malitiam non contrahi, nisi quis vel ex directa non sciendi voluntate intendat jgnorantiam, vel negligat scientiam rerum ex nullius alterius specialis virtutis ratione necessariâ; secus tamen esse de transcendentali virtuti illi oppositâ malitiâ, uti rectè probat Fundamentum *n.7.* deductum. Quinimò talem malitiam, non tantùm *Causaliter*, sed *Formaliter Participativè* afficere tunc jgnorantiam. Etsi enim jgnorantia *per se formaliter* non sit opposita rectitudini morali, sed habituali scientiæ, sicuti tamen moralis Rectitudo est *Participativè* derivabilis in scientiam ex Motivo virtutis quæsitam, sic ex consequenti malitiam moralem negligentiæ addiscendi inexistentem esse *Participativè formaliter* derivabilem in ignorantiam, uti contra Vasquezium *n.8.* oppositum probat fundamentum Amici *n.7.* deductum. 14. 15.

❊❊❊❊❊❊❊❊❊❊(❊)❊❊❊❊❊❊❊❊❊❊

CONTROVERSIA II.

Qualiter Appetitus sensitivus quoad passiones & motus Carnis sit subjectum peccati?

SVpponendum primò ex *dictis quæst. 4. art. 3. in Corollar. circa finem*; item *quæst. 6. art. 2. cont. 1.* junctâ *q. 9. art. 2. cont. 3.* passiones appetitûs sensitivi quandoque esse omnino antece- 16.

dentes rationis judicium, atque adeò tunc motus *primò* primos dici solitos, nullam omnino habere participatam libertatem, nec ullâ proinde morali malitiâ posse coinquinatos esse. Uti probant Div. Augustinus *lib. 9. contra. Iulian. cap. 3.* Item *lib. de Nupt. & Concup. cap. 2.* & Sanctus
2. Thomas *in 2. dist. 30. q. 1. art. 2. in corp.* Quandoque verò esse consequentes plenum rationis judicium, esseque proinde in materia gravi mortiferas. Quandoque demum esse consequentes judicium rationis, seu deliberationis semiplenum, & tunc esse peccatum veniale. Cujus fundamentalis ratio desumitur ex illo *Eccles. 18.*
3. *Post Concupiscentias tuas non eas.* Nam uti Sanctus Augustinus *cit. cap. 3. contra Iulianum.* argumentatur. Frustra dictum esset, *post Concupiscentias tuas ne eas*, si jam quisque reus esset, quia tumultuantes, & ad mala trahere conantes sentit eas. Quamdiu proinde Concupiscentiæ eatenus sunt in parte sensitivâ, ut nullam participent libertatem, tamdiu nequeunt esse peccata. Augustino *l. de Civit. cap. 25.* sic arguente: *Illa concupiscentialis inobedientia quantò magis absque culpâ est in corpore non consentientis, si absque culpâ est in corpore dormientis.*

4. Etenim licet unusquisque tentetur a concupiscentiâ, abstractus & illectus, concupiscentia tamen non priùs, quam conceperit, parit peccatum *ex Iacobi 1. cap.* At D. Aug. *hom. 41.* ait, illum conceptum fieri per nostrum consensum. *Noli ergo*, inquiens, *consentire concupiscentiæ tuæ, & non est, unde concipiat de te. Noli dare consensionis complexum, ne plangas partum, quia si consenseris, si amplexatus fueris, concipis, deinde paris & in partu gravissimi sunt*
5. *dolores.* Ex quo adeo evidenter evincitur, quamdiu in motibus concupiscentiæ non intervenit voluntatis consensus saltem indirectus ac interpretativus, tamdiu nullam subesse peccati culpam, sacro Concilio Tridentino *sess. 5. de peccato Originali* decernente, Concupiscentiam in homine non consentiente, sed resistente, per Christi gratiam nocere non posse.

6. Supponendum proinde secundo ex dicendis *sequent. conc.* Ejusmodi interpretativum, seu indirectum voluntatis consensum interveniente, atque adeò mortalem pollutionis malitiam contrahi, quoties ad motus Carnis cum rationis advertentia se habet quis *mere etiam negative*, non resistendo ipsis, aut eas reprimere conando per positivum voluntatis actum. Quare superest solum difficultas; *Utrum motus appetitus sensitivi ex concupiscentiâ carnis profecti casu, quo pollutionis, vel consensûs voluntarij periculo non interveniente, voluntas se habet merè Negativè nec approbando, & consentiendo, nec tamen etiam reprimendo, habeant rationem peccati, præsertim mortalis?*

Referuntur Sententiæ.

7. IN quo negativam sententiam tuentur nonnulli Doctores ab Amico *disp. 18. sect. 9. n. 182.* relati. Fundamentum est. Tum quia, si quæ esset obligatio *positivè* resistendi ejusmodi concupiscentijs, fundaretur in isto præcepto: *Non Concupisces.* At præceptum istud utpote negativum impletur solâ negatione actûs prohibiti. Ergo non est obligatio ad actum positivum resistendi, sed ad negativum duntaxat non consentiendi. Tum quia hujusmodi motus non sunt *intrinsecè* mali; alioqui nec ex honestâ causâ admitti possent. At quod non est *intrinsecè* malum, nec ullo positivo Iure prohibitum, absque culpa permittitur.

Verum econtrario Divus Thomas *1. 2. q. 74. art. 6.* expresse docet, malitiam morosæ Delectationis incurri, quando illicitus passionis motus non reprimitur. Quamvis idem Sanctus Doctor *q. 7. de Malo. a. 6. ad 6.* dicat, intervenire tunc peccatum tantum veniale, *Tripliciter*, inquiens, *potest ad motum illicitum sensualitatis se habere ratio. Uno modo sicut resistens, & tunc nullum est peccatum, sed est meritum Coronæ. Aliquando autem se habet ut imperans, puta cum ex proposito motum Concupiscentiæ illicitæ excitat, tunc, si sit illicitum in genere peccati mortalis, erit peccatum mortale. Aliquando autem se habet neque prohibens, neque imperans, seu consentiens: & tunc est peccatum veniale.* 8.

Huic Sancti Doctoris sententiæ non nisi culpam Venialem in ejusmodi motibus positivè non repressis, nec tamen positivè approbatis adstruenti cum pluribus a se relatis subscribit Castropalaus *cit. punc. 10. §. 5.* Fundamentum est. Quia hujusmodi motus a Natura proveniunt, ita ut omnes coercere sit impossibile, aliquos difficillimum. Non est igitur credendum de Divinâ Bonitate, salutem æternam hominum his periculis exposuisse: esset enim salus cujusque hominis æterna non levi periculo exposita, si, cùm à Naturâ ad malum sit proclivis, arctatus esset non solum non admittere hos motus, sed etiam coercere. Imo peccaret quis mortaliter etiā non evitando causas, ex quibus prævidet motus ejusmodi insurrecturos: si enim teneatur illos jam excitatos reprimere, a fortiori tenebitur impedire, ne excitentur, debebitque adeò sub mortali non alloqui, nec videre fæminam, aliaque similia motuum illorum excitativa omittere. 9.

Amicus cum pluribus à se relatis Theologis sentit *primo.* Ex solo interpretativo, qui, dum voluntas non resistit, intervenit erga motus illos, consensu contrahere mortalem morosæ delectationis malitiam. Fundamentum est. Quia ejusmodi in solâ licèt sensualitate se tenentes Delectationes habent annexam notabilem Naturæ qua rationali advertentem difformitatem; tum quod Delectatio tanquam proprietas connaturaliter consequens operationem, habeat eandem cum operatione ipsâ malitiam: omnis verò libidinosus extra conjugium actus ex se ipso habeat gravem cum Naturâ quà rationali difformitatem. tum quod delectationes ejusmodi ex Naturâ suâ ordinentur ut præviæ dispositiones ad effectum notabiliter malum, & difformem, scilicet pollutionem: tum quod opponantur notabiliter virtuti Castitatis. 10.

Idem Author *n. 186.* addit: tametsi nunquam possint hi motus, ne *interpretativè* quidem esse voluntarij in se absque peccato, posse tamen absque culpâ mortali esse *interpretative* voluntarios in causâ. Fundamentum desumitur ex summâ facilitate, quâ solent hi motus in nobis insurgere. Unde si etiam in causa *interpretativè* voluntarij essent illiciti, multis commoditatibus licitis, & honestis deberemus esse privati; quod tamen nec vita, nec victus humanus patitur. Hinc enim fore, quòd confessarij abstinere deberent ab excipiendis confessionibus, & Doctores à legendis libris, ac medici à medendis 11.

12. dendis corporibus. Quare de motibus ejusmodi taliter esse statuendum. *Primo*, si causa, ex qua originantur, sit mortalis, ipsos etiam imputari ad culpam mortalem, veluti si ex Curiositate sola quis aspiciat, vel tangat alterius sexus obscœna, eo quod affectus tunc sortiatur Causæ malitiam. *Secundo*, si causa sit venialiter duntaxat culpabilis, motus inde secutos imputari ad veniale, dum v. g. quis luxuriose, ex nulla causa actiones ejusmodi cohonestante, aspicit pulchros aspectus, jocosa verba profert, alios joci causâ tangit. *Tertio*, si causa, ex qua tales motus oriuntur, sit Honesta, veluti lectio necessaria, confessio, membri curatio; ad nullum imputari peccatum, dum tamen consensûs periculum absit, & propter illos causa non applicetur. *Quarto* denique, non improbandam esse Cajetani sententiam asserentis, non esse peccatum, si ejusmodi motus non reprimantur contemptus causâ: siquidem inter modos reprimendi tales motus sit, illos contemnere, & ab incepta Honesta actione non cessare.

CONCLUSIO.

VErisimilius est, peccari mortaliter, si voluntas ad motus ejusmodi insurgentes se habeat mere negative.

Probatur. Nam hujus Decisio stat in isto
13. fundamento, an scilicet motus ejusmodi corporis motioni juncti, ad quos voluntas se habet *merè negative*, sint *interpretative* voluntarij. At verò hujus interpretativi voluntarij Ratio ex hoc dijudicanda est, an voluntati quà tenenti appetitûs sensitivi, & corporis inde sequentium motuum regimen, sit obligatio non tantum cavendi, ne vincatur Consentiendo, neve turpis pollutionis effectus sequatur, sed etiam ne vigeant in parte inferiore appetitûs sensitivi ac sensus imaginativi: Si enim ista posterior obligatio non vinciat voluntatem, hæc non magis peccabit, motus illos in parte sensitivâ *Negative* permittendo quam, si quis confricaret brutum etiam ex intentione, ut illud expelleret semen: Hoc enim ordinarie (nimirum extra periculum propriæ pollutionis, aut in turpitudinem libidinosam consensûs) non inferre culpam mortalem, docet cum alijs Castropalaus *operis moral. par. 3. tract. 1. disp. 3. punc. 7. §. 2. n. 1.*
14. At vero licet non adeò clara sit obligatio voluntatis ad cavendum, ne motus Carnis in parte tantum sensitivâ extra pollutionis, ac voluntarij consensûs periculum vigeant. Attamen ipsa ratio videtur exigere à voluntate, ceu inferiorum potentiarum Reginâ, ut à suo supposito expellat omnia ea (quantum in suâ habet potestate) quæ per se, ac ex naturâ suâ sunt inductiva in peccatum mortale. Ejusmodi verò sunt illi motus Concupiscentiæ Carnalis, siquidem per sympathiæ naturalis cum voluntate connexionem sint hujus ex Naturâ suâ incitativi ad sui sequelam. Quare verosimilius videtur, voluntatem ad illos motus se habentem *merè negative*, non peccare tantum venialiter, sed mortaliter, licèt si ab initio resistat, nec tamen ipsos eradicare, ac reprimere valeat, jam satisfecerit suæ obligationi, nec adeo debeat continuo (dum pertinacius adhærent, ac tempori longiore durant) motu positivo adversus illos conari.

Responsio ad opposita fundamenta.

AD *n. 7.* oppositum Respondetur. Illud præceptum: *to non concupisces.* prohibere non tantum consensum formalem, sed etiam Interpretativum. Hoc vero Voluntarium ob rationem regiminis voluntati erga potentias inferiores competentis, intervenit, quoties pravis ad peccatum mortale de se incitativis concupiscentiæ *positive* non resistitur sine rationabili causa. Unde tales motus, quatenus voluntas citra rationabilem causam non resistit *positive*, sed *negative* ad ipsos se habet, ut sic *interpretative* voluntarij sunt *intrinsecè* mali, licèt, dum voluntate ab initio resistente, ac deinceps ob rationabilem Honestæ occupationis causam *Negative* se habente, non sint *interpretative* voluntarij, imo non sint intra genus Moralitatis, nec adeo ut sic possint esse *intrinsecè* mali.

Ad *n. 8.* oppositum Respondetur. Salutem æternam non tam subjici periculo, si ad motus illos *positive* repellendos habeamus obligationem, quàm si frænum relaxetur, & voluntati, ut se *negative* ad illos possit habere, permittatur, siquidem exinde coluber in sinu fovetur & facile prolaberentur homines in graviores turpitudines. Nec tamen exinde sequi, quod quaslibet causas ejusmodi motuum teneamur refugere, sed moderandum hoc esse juxta ea, quæ ex Amico *n. 5.* prudenter deducta sunt: siquidem motus ejusmodi non imputentur, nisi qua *interpretativè* saltem voluntarij, cujusmodi voluntarium non subest, dum insistitur causæ ex alio fine assumptæ, *uti seq. contro.* dicetur.

CONTROVERSIA III.

Qualiter pollutio Directè, vel Indirectè voluntaria sit peccatum?

POllutionem, sive seminis effusionem *Directe* voluntariam esse mortale gravissimum peccatum, colligitur *ex 1. ad Corinth. 6. & ad Ephes. 5.* Quam porrò seminis prolifici emissionem respectu voluntatis in se ipsâ eam volentis *intrinsecè* malam, in nullo penitus casu licere *Directe* intendere, vel curare, communis Theologorum, nominatim Lessij *lib. 4. de Justit. cap. 3. dub. 4.* sententia est; adeò ut sive fama, & Honor cujuscunque illustris familiæ, sive etiam puellæ, nisi mediante seminis concepti effusione impediat partum, periclitetur, hoc tamen nullatenus licere possit, nisi quòd causâ sanitatis liceat pharmacis provocare corrupti seminis expulsionem, cui prævidetur conjuncta seminis prolifici emissio. Quòd si voluntas ad istam seminis prolifici expulsionem se haberet *positivè*, eam *Directe* volendo, non obinde excusari posset a culpâ lethali. Cujus ratio communiter insinuatur à Doctoribus, eò quod perverteretur finis, ad quem Prolis scilicet generationem, à naturâ seminis effusio concessa est. Unde cùm fornicatio, eò quòd obstet rectæ prolis educa-

educationi nunquàm licita esse possit. A fortiori inferunt Theologi, seminis effusionem extra concubitum non posse unquam licitam esse, cum prolis conceptioni adversetur.

3. Verùm in hâc ratione latet adhuc aliquid difficultatis: *Cur scilicet Directè volita occisio hominis, licèt intrinsecè mala, in aliquo casu cohonestari possit, non autem pollutio, vel fornicatio?* Quare Card. de Lugo *disp. 23. de Pœnit. sect. 1. n. 8.* hujus affert rationem. Quia in Præceptis Juris quoque Naturalis materia aliquando est talis, ut in aliquibus casibus non afferat Præcepti Observatio majus Bonum, quàm Cessatio obligationis: velut accidit in Præcepto prohibente furtum, majus enim est bonum humano generi, quòd in necessitate extremâ unusquisque fruatur bonis aliorum, quàm quòd in tali necessitatis casu servetur illæsum Jus Domini in res suas. Econtra in alijs materijs magis expedit pati aliqua incommoda in casu particulari, quàm exceptionem aliquam admittere in præcepto. Ejusmodi verò est pollutio, & fornicatio, majus enim bonum est, quòd nunquàm liceat, quam illa commoda, quæ aliquando in particulari casu sequi possent ex licito illius usu: siquidem graviora mala sequerentur, si semel admitteretur exceptio hujus obligationis, eò quòd homines ad sensualitatem proni facilè sibi fingerent, vel procurarent eas circumstantias; quod in magnum prolis detrimentum vergeret: cui damno non præponderat illud, quod in aliquo raro & particulari casu sequi potest alicui privatæ personæ ex eo, quòd non sit licita pollutio.

4. Quibus adeò de pollutione *Directè* voluntariâ suppositis, restat examinandum, *An, & qualiter pollutio voluntaria indirectè in causâ possit à culpâ præsertim mortali excusari?*

Referuntur Sententiæ.

5. MEdina *1. 2. quæst. 74. a. 6. ad 3. & 4.* existimat, quòd is, qui sine causâ urgente, se exponit periculo pollutionis, absque dubio peccet mortaliter, etsi nullum sit peccatum, si ex causâ urgente ac necessariâ permittat, renitente voluntate, pollutionem magis ex necessitate materiæ, quàm ex electione. Unde sibi non probari Regulam illam, quâ dicitur, quòd, si causa pollutionis sit licita, non tamen urgens & necessaria, tunc pollutionem, quando est volita in suâ causâ tantùm, non esse peccatum.

Fundamentum est. Quia Præceptum obligans ad vitandam Pollutionem, obligat quoque ad abstinendum à causâ, in quâ prævidetur, sicuti ex præcepto vitandi Homicidij, aut fornicationis tenetur quis sub mortali removere causam, ex quâ prævidet in somno faciendum à se homicidium, vel fornicationem. Unde volendo causam pollutionis, hanc eo ipso intendit, siquidem volens causam, velit etiam effectum.

6. Cajetanus *tom. 1. opusc. tract. 22. de pollut. q. uni. art. 2.* Sylvester *verbo pollutio. in fine*, & alij tenent; pollutionem non intentam, prævisam tamen in causâ de se mortali fore mortalem, in causâ verò veniali venialem. Favet etiam Sanctus Thomas *2. 2. quæ. 154. ar. 5. & 3. p. q. 80. a. 7.* Item Divus Antoninus *2. p. tit. 6. cap. 5* docens, pollutionem ortam ex crapulâ, vel cibis calidis, non esse mortalem, quoties scilicet tali causa non assumitur ut medium ex intentione Pollutionis, sed ex solo appetitu ciborum, vel potus, etiamsi sciatur ex tali causâ futura Pollutio.

Fundamentum desumitur ab Authoritate Gregorij Magni *ad undecimam quæstionem* Augustini (prout habetur post duodecimum librum Registri) respondentis, esse quidem aliquam culpam, quando pollutio accidit ex crapulâ, eâ tamen non impediri sumptionem Eucharistiæ.

Vasquez *1. 2. disp. 115. cap. 3. n. 9.* simpliciter affirmat, Pollutionem non intentam, licet in causâ prævisam, non imputari ad culpam, nisi eam causam quis applicet, quæ ex se non alium habet effectum, velut si sumat medicinam, quæ nihil aliud operatur, quam irritare naturam, vel tactibus per se ad pollutionem tendentibus videat illam provocari. Verùm si Causæ, quæ alium quidem habent effectum, applicentur aliâ intentione, quàm pollutionis, etiamsi alias veniale sit peccatum, imò mortale, veluti crapula & ebrietas, tunc pollutionem ipsam secundùm se non esse peccatum mortale. 7.

Fundamentum est. Nam ponere causas, quarum effectus non est unica pollutio, etiamsi hæc per accidens inde oriatur, non videtur ordini naturali adversari, cùm alioquin à multis rebus abstinendum esset, ijs præsertim, qui facilè polluuntur. Hoc autem nimis durum esset.

CONCLUSIO.

IN multis casibus licet ponere causam, ex quâ certò prævidetur secutura pollutio.

Probatur, Quia in hac præsertim materiâ locum habet illud à Vasque *citato*, Sanche *lib. 9. de Matrim. disp. 45. n. 8.* Lessio *lib. 4. de Iustit. cap. 3. dub. 14. n. 74.* Navarro *in sum. cap. 16. n. 8.* & alijs vel *expressè*, vel *implicitè* saltem traditum morale Principium: quòd, si Causa duplicem habeat effectum, ac Finem, & unus sit *directè* intentus, ad alterum verò licet certò prævisum se habeat voluntas *merè negativè*, hic secundus effectus postea secutus non censeatur etiam *indirectè* ac *interpretativè* voluntarius, nec adeò imputetur ad culpam saltem moralem. Uti circa præsentem materiam non obscurè tradit etiam Divus Thomas *in 2. 2. q. 154. ar. 5. in corp.* Cui proinde conformiter concludimus, si causa de se honesta sit, non imputatum iri pollutionem licèt prævisam, præter intentionem tamen *per accidens* secutam. Si verò causa sit de se mala, non tamen per naturam suam determinata ad talem effectum, sed indifferens sit ad plures effectus, tunc si ex commoditate, vel Delectatione naturæ, non tamen venereâ suscipiatur, pollutionem nec in se, nec in suâ causâ specificam mortalem malitiam contrahere. 8.

Hinc 1. prout ex Divo Thomâ *citato*, ac præallegatis alijs Doctoribus tradit Castropalaus *cit. tract. 1. p. 7. disp. 3. punc. 7. §. 3. n. 5.* non tenetur homo abstinere à cibo & potu moderato, ab equitatione conveniente, ab accubatione in lecto commodiori, à studio honesto rerum turpium, illarumque Confessione excipiendâ, quinimò ab osculis, amplexibus, & tactibus honestis, ac ne- 9.

ac necessarijs: tametsi inde pollutio prævideatur secutura: quia censetur præter intentionem per accidens subsequi ex necessitate materiæ, hominisque temperie, quam ob causam viro, aut fœminæ magnum pruritum patienti licere confricare verenda, ut pruritum sedet, tametsi pollutionis sed non consensus periculum adsit; uti Castropalaus præcitatus n. 3. cum alijs à se
10. allegatis tradit. 2. Si causa, ex quâ prævidetur secutura pollutio, secundùm se, vel ex circumstantiâ sit quidem illicita, alium tamen finem, seu commodum, vel utilitatem habeat, velut accidit in nimio cibo, & potu, & somno; tunc pollutionem prævisam directè non intentam non fore peccatum mortale, sed veniale duntaxat, censet Lessius lib. 4. de
11. Just. cap. 3. dub. 14. n. 100. Sanchez lib. 9. de Matrim. disp. 45. n. 19. & alij 3. Si causa pollutionis in se non intentæ, sed prævisæ sit in materiâ luxuriæ de se veniali, tunc pollutionem necdum imputari ad culpam lethalem, sed venialem; tenet Sanchez & alij Doctores asserentes: pollutionem Directè non volitam, sed in causâ prævisam tunc fore duntaxat mortalem, si causa in materiâ luxuriæ sit de se mortifera. Hinc 4. statuendum; an, & quæ materia in vitio luxuriæ sit magna, vel parva. Nam licet in Delectatione morosâ circa copulam illicitam, sicut & in pollutione per se intentâ, vel in voluntariâ partium verendarum, seu spirituum generationi deservientium commotione, & consequentibus tactibus, & osculis ad talem commotionem ex naturâ suâ proximè excitantibus, vel ob finem Delectationis venereæ assumptis nequeat dari materiæ parvitas, ex com-
12. muni Doctorum sententiâ. Nihilominùs amplexus, oscula, & tactus, qui non fuerint circa partes impudicas, si joco, vel animi levitate, vel ex curiositate fiant, pollutionis periculo non interveniente, non excedere culpam venialem, arbitratur Castropalaus cit. punc. 7. §. 2. n. 8. cum Do-
13. ctoribus ibi relatis. Quod ipsum de osculis, tactibus, & amplexibus causâ delectationis sensibilis, quam secum trahunt, absque tamen intentione, vel periculo in ulteriorem delectationem progrediente assumptis judicant Azor to. 3. instit.
14. moral. lib. 3. cap. 25. not. 3. & plures alij. Verùm opposita ejusmodi tactus in partibus etiam honestis ob delectationem præcisè assumptos continuos, & replicatos culpæ mortalis condemnans sententia à Sanche lib. 9. de Matrim. disp. 46. n. 7.
14. & pluribus alijs tradita videtur omninò tenenda; quòd, licèt ejusmodi tactus, & oscula non sint Formaliter venerei, ac libidinosi, cùm non assumantur ob delectationem concubitûs commotionisve spirituum generationi subservientium; in quo delectatio venerea sita est; attamen implicitè ac virtualiter venerei, ac libidinosi censeri debent, siquidem nati sint in naturâ sanâ & rectè dispositâ excitare talem commotionem ac delectationem, ut adeò, si continui sint ac replicati (secus enim judicandum censet Castropalaus cit. §. 2. n. 10. in fine. de tactibus, amplexibus, & osculis instantaneis seu transeunter assumptis, utpote rarò valentibus illam spirituum generationi deservientium commotionem excitare) non sint excusandi à culpâ lethali. Verùm hæc pro pijs, ac timoratis conscientijs ad instructionem Confessionali præsertim necessariam eo duntaxat fine volumus insinuata, ut illos, qui ad aliquam laxitatem hâc in materiâ declinandi sumerent ansam, monitos cuperemus, ne anguem in sinu foverent.

Responsio ad opposita Fundamenta.

AD n. 5. oppositum Respondetur. In illâ quæstione; an, & quomodo ex vi præcepti ad effectûs alicujus impeditionem obligantis, vel objectum aliquod prohibentis teneamur evitare causam effectus ejusmodi effectivam; pendere ex tali Causæ ac effectûs Præcepto prohibiti inter se comparatione, ut secundùm Moralia prudentiæ principia oporteat ponderare, an non specialis pro causâ subsistat ratio, cujus intuitu prudenter liceat insistere causæ; non attento, quòd Effectus, si saltem interpretativè esset voluntarius, moraliter malus inde prævideatur secuturus. Etenim tali ex parte Causæ ratione se tenente, effectus nequidem interpretativè intra genus Moris est voluntarius in Causâ, sed purè permissivè se habet ad voluntatem: cui proinde moraliter non imputatur; veluti patet in scandalo passivo Pharisaico. At eo ipso, quòd Causæ ad 16.
carnis motum, & pollutionem inde movendam incitantes passim occurrant, quas, si evitare sit necessum, oporteat, ab omni ferè humano commercio abstinere, ac certè talem cibi, potûsque selectum habere, qualis esse solet in perfectè temperatis hominibus. Ideirco Deum & fragilitati humanæ, & publicæ commerciorum inter utriusque etiam sexûs homines necessitate eatenùs consuluisse, ut Jure naturaliter indito vellet quidem omnimodè prohibitam pollutionem Directè volitam & procuratam, nollet tamen homines sub aliquâ saltem mortali culpâ obligatos, nisi ad eas causas positivè impediendas, quæ per se ex Naturâ suâ sunt determinatæ ad pollutionis effectum, non quæ per accidens tantùm producunt istum effectum, vel quæ ex sui ad duplicem effectum indifferentiâ possunt ex intrinsecâ suâ Naturâ in ordine ad alium respectû Pollutionis secuturæ Disparatè se habentem Finem esse intentæ, veluti probant authoritates & rationes n. 6. & 7. deductæ.

***



QUÆTIO DECIMA QUARTA

DE

PECCATO HABITUALI TAM PERSONALI, QUAM ORIGINALI.

1. POst peccatum actuale relinqui in animâ maculam, vi cujus anima denominetur peccatrix, evincitur ex illo *Lucæ 7. Mulier, quæ erat in civitate peccatrix.* De quâ maculâ habetur *Josue 22. Peccastis in Beelphegor, & usque in præsentem diem macula hujus sceleris in nobis permanet.* Unde anima peccatrix indiget emundatione, *juxta illud Ezechielis 36. Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.* Quam equidem emundationem fieri per Justificationem, probatur ex Concil. Tridentino *sess. 6. de Justif. cap. 7.* decernente: *Justificationem esse sanctificationem & renovationem interioris hominis per voluntariam gratiæ, & donorum susceptionem: unde homo ex injusto fiat justus, & ex inimico amicus.*

Quæ proinde macula peccatum Habituale dicta, alia est personalis resultans ex peccato actuali à nobis commisso, alia est Originalis orta ex Adami peccato in nos per generationem transfuso. De quo duplici Habituali peccato duobus articulis disseremus.



ARTICULUS I.

D E

Peccato Habituali Personali.

DUabus Controversiis præsentem materiam discutiemus. Quarum prima erit: *In quo essentialiter consistat macula peccati Habitualis?* Secunda. *Qualis pœna secundum ipsam etiam rei naturam respondeat peccato tum Mortali, tum Veniali?*

CONTROVERSIA I.

In quo essentialiter consistat macula peccati Habitualis?

2. SCotus *in 4. dist. 14. q. 1. a. 1.* tenuit, Formale constitutivum peccati Habitualis esse reatum quendam, seu ordinationem passivam, sive obligationem ex actu peccaminoso contractam, quâ statim, ac aliquis peccat, realiter obligatur ad pœnam peccato respondentem. Hanc sententiam secuti sunt omnes antiquiores Scotistæ. Verùm ubi Pius V. & Gregorius XIII. in Bullâ quâdam inter alias Ncolai Baij Doctoris Lovaniensis propositiones, hanc ordine 35. quoque damnavit: *Duo sunt in peccato, actus scilicet & reatus; transeunte autem actu, nihil manet nisi reatus, sive obligatio ad pœnam.* Idcirco cum Thomistis, & alij recentiores Societatis Iesu Theologi acriùs in illam sententiam inveherentur, nedum falsitate & improbabilitate ipsam notantes, sed ab Ecclesiâ damnatam proclamantes, ait Mastrius *in 2. disp. 6. q. 8. n. 302.* Scotistas juniores his clamoribus ac minus perterritos timore nimis sententiam illam deseruisse. 3. Quibus tamen non obstantibus, præfatam Scoti doctrinam ex eo vindicandam esse, quòd oporteat distinguere duplicem pœnæ reatum, quorum alter sit denominatio extrinseca, vel relatio desumpta ab actu Divinæ voluntatis, quo peccator ob præcedentem actum peccaminosum deputatur ad pœnam illi debitam; alter verò sit denominatio extrinseca, aut relatio ab ipso peccati actu desumpta, quatenus eo ipso, quòd homo peccavit, ex ipso actu peccati redditur dignus, ut ordinetur ad pœnam. Unde, quando subtilis Doctor *citatus* statuit Formale constitutivum Habitualis culpæ in reatu, & obligatione ad pœnam peccato correspondente, non fuisse locutum de reatu pœnæ inspecto in primo modo, quo sensu *simpliciter* dici reatum pœnæ, sed de reatu pœnæ in sensu secundo, quo pacto dici reatum culpæ, atque ut sic consistere in ipso Habituale peccatum.

Fundamentum à Mastrio *præcitato n. 324.* deductum est. 4. Certum enim est apud omnes, peccatum Habituale nihil aliud esse, quàm peccatum actuale, cujus commissio *physice* iam præcessit, *moraliter* permanens. At ista moralis permanentia culpæ transeuntis non potest commodius explicari, quàm mediante reatu & obligatione satisfaciendi pro culpâ præteritâ. Minor ista probatur. Quia permanentia habitualis, quæ procedit ex voluntate habituali, ad hoc non sufficit. Hæc enim secundum Scotum in eo consistit, quòd actus fuerit elicitus, & *formaliter* non sit retractatus: ista autem non retractatio non sufficit ad constituendam habitualem culpam,

pam, hac enim ablatâ, potest adhuc habitualis culpa *moraliter* perseverare: si namque quis heri mœchari proposuit in corde suo, etiamsi ex quocunque alio à Motivo perfectæ erga Deum charitatis distincto motivo voluntatem illâ retractet, peccatum illud mœchiæ *Moraliter* perseverat. Neque ad rem facit permanentia procedens ex voluntate virtuali: hæc enim secundùm Scotum in eo consistit, quòd per effectus physicos ex illâ consecutos censeatur influere: at constat, talem intentionem, vel voluntatem virtualem ad peccatum Habituale constituendum minimè necessariam esse, nec in illo reperiri. Sola ergo sufficit, ac necessaria est permanentia moralis, quæ quodammodò mediat inter habitualem & virtualem, & videtur Major illâ, & minor istâ; proceditque à voluntate morali ut sic obligati nem aliquam inducente. Sicut ergo vitalis obligationes voluntas vovendi, celebrandi contractus, ferendi leges, licèt *physicè* transeant, *moraliter* tamē permanere dicuntur in ipsis obligationibus: ita pariter actus malus *physice* præteritus dicitur *moraliter* permanere, in quantum peccator ex ipso remanet obligatus ad satisfaciendum per pœnam peccato præterito condignam, quousque à tali obligatione fuerit absolutus. In quâ proinde morali peccati permanentiâ consistit peccatum habituale.

5. Vasquez *1. 2. disp. 139. cap. 5. n. 23.* asserit; peccati habitualis maculam consistere in denominatione peccatoris quà coram Deo injusti, proveniente ex peccato præterito non retractato. Fundamentum est. Non enim ex mortali duntaxat peccato, sed etiam veniali relinquitur aliqua macula in animâ. At venialis macula non potest consistere nisi in extrinsecâ denominatione desumptâ à peccato præterito non retractato: non enim consistere potest in privatione gratiæ, vel alicujus gradûs, cùm veniale nullâ privet gratiâ. Ergo consistit in solâ denominatione extrinsecâ actûs præteriti non retractati; cùm nihil aliud maneat.

6. Card. de Lugo de *de Sacram. Pœnit. disp. 7. sec. 5. n. 48.* cum Doctoribus à se relatis existimat; Peccatum Habituale nihil aliud esse, quàm peccatum actuale *moraliter* perseverans, in ordine ad reddendum hominem rationabiliter exosum Deo. Fundamentum autem hujus moralis perseverantiæ esse, peccasse hominem, & non satisfecisse condignè, nec Deum offensum condonâsse: quibus positis, prudenter censeri, peccatum præteritum æquivalenter durare, nec minùs reddere hominem reum odij Dei, quàm si actu existeret *physicè* voluntas peccandi. Fundamentum est. Omne peccatum, quatenus est offensa Dei, parit jus quoddam & titulū moralem, & rationabilem in Deo offenso ad justā indignationem. Ejusmodi verò jus tollendū esset vel per condignā satisfactionē, vel per condonationē Dei offensi. At eo ipso, quòd purus homo non possit condignè satisfacere pro Dei offensâ Mortali, sequitur, Jus Dei, quod habet adversus peccatorem, posse solùm tolli per Dei condonationem. Unde quamdiu Deus non condonat peccatum, cedendo huic Iuri, censetur *moraliter* perseverare peccatum præteritum, id est, æquivalenter existere ad fundandum hoc jus Dei, non minùs, quàm si actu existeret *physice* ipsum peccatum actuale. Hoc autem est, existere peccatum Habituale. Ergo peccatum Habituale *intrinsecè* componitur ex peccato actuali præterito, & ex negatione condignæ satisfactionis, & condonationis Dei.

Joannes Alphonsus Curiel *1. 2. q. 86. a. 2. dub. 2. §. 1. concl. 4.* arbitratur: peccatum Habituale etiam mortale non consistere *formaliter* in privatione gratiæ sanctificantis, sed in privatione habituali conformitatis ad legem, quam aliquis est transgressus per peccatum actuale, quatenus hujusmodi privatio manet in ipso per modum termini peccati actualis. Fundamentum est. Ista enim causalis est vera: *Quia iste est in peccato, ideò habet privationem gratiæ & dilectionis, aut benevolentiæ Dei, & nitoris, aut pulchritudinis gratiæ ac dignitatis gloriæ.* Ergo quomodocunque gratia sumatur, privatio ejus præsupponit peccatum Habituale. Ergo non constituit ipsum, sicut ejus ratio formalis: cùm alioquin omnia peccata habitualia essent ejusdem speciei & mortalia inter se; siquidem privatio gratiæ sit ejusdem semper rationis, & quodlibet peccatum mortale privet omnimodâ gratiâ sanctificante. 7.

Ioannes Baptista Gonetius *disp. 8. de peccatis. art. 3. §. 2. concl. ult.* docet 1. Peccatum Habituale secundùm se, & abstrahendo a mortali, consistere in privatione conformitatis ad legem seu rectitudinem rationis: Maculam vero peccati quà mortalis, seu peccatum Habituale quà mortale esse privationem nitoris gratiæ sanctificantis, cum respectu ad actum peccati præcedentem, à quo causatur. Fundamentum est. Per illud enim constitui debet homo peccator & injustus *Habitualiter*, cujus oppositum constituit illum *Habitualiter* sanctum, & justum, cùm denominationes oppositæ à formis seu rationibus oppositis petendæ sint. Unde etiam fit, id, quod *primò & per se* excluditur per justificationem, esse maculam peccati, seu peccatum Habituale. Atqui gratia sanctificans *immediate* constituit hominem sanctum & justum *Habitualiter*. Et hinc, quod *primò & per se* per Iustificationem excluditur, est privatio gratiæ, cùm ejus infusio sit terminus *ad quem* Justificationis: Divo Thomâ *in 1. 2. q. 113. a. 2.* attestante, quòd non posset intelligi remissio culpæ, si non adesset infusio gratiæ. Consequens igitur est, quòd gratiæ privatio hominem *immediate* denominet, & constituat peccatorem ac injustum *habitualiter*, & consequenter in tali privatione ipsum peccatum Habituale *formaliter* ac *immediatè* consistat. Unde Divus Thomas *1. 2. q. 86. a. 1. ad 3.* ait: *Macula peccati non est aliquid positivè in anima: nec significat privationem solam; sed significat privationem quandam nitoris animæ in ordine ad causam, quæ est peccatum: & ideò diversa peccata diversas maculas induunt.* Similia habet Sanctus Doctor *in 4. dist. 18. q. 1. a. 2.* Et *q. 3. de potent. a. 6. ad 23.* 8.

Confirmatur ex Serrâ *in cit. q. 86. a. 1. dub. un. concl. 3.* Etenim anima hominis duplicem habet nitorem, unum quidem ex refulgentiâ luminis naturalis rationis, per quam dirigitur in suis actibus: alium verò ex refulgentiâ luminis Divini, scilicet sapientiæ & gratiæ. ex Divo Thomâ *in cit. a. 2.* Atqui macula peccati Habitualis est privatio utriusque istius nitoris. 9.

Probatur istud assumptum. Nam nitor ex refulgentiâ Divini luminis scilicet sapientiæ & 10.

gratiæ nihil aliud est, quàm lucidum esse lumine Divinæ gratiæ & sapientiæ. Nitor autem ex refulgentiâ luminis naturalis rationis nihil aliud est, quàm conformitas ad rationem. At privatio utriusque illius nitoris est macula animæ. Est enim conformitatis ad rationē privatio ex eo proveniens, quòd anima adhæreat rebus aliquibus contra lumen rationis, & Divinæ legis. Unde sicut corpus perdit suum nitorem, atque ut sic maculatur ex contactu alterius corporis; sic anima inhærendo contra lumen rationis rebus aliquibus, per amorem maculatur earum quasi quodam contactu. Cùm proinde per talem rerum illicitarum amorem lumini tam rationis, quàm Gratiæ adversantem anima hujus utriusque luminis nitorem perdendo maculetur, consequens est, in tali hujus duplicis nitoris privatione consistere peccati Habitualis maculam.

Conclusio.

Peccati Habitualis macula *simpliciter* spectata importat *formaliter* Gratiæ sanctificantis carentiam; *secundùm Quid* verò conformitatis cum rectâ ratione privationem quà *Moraliter* causatam ex præterito peccato.

11. Probatur. Duplex enim est malitia in peccato, altera moralis à rectâ ratione deordinationis, altera affectivæ Ultimi Finis à Deo in Bonum creatum translationis, ut sic Dei quà Ultimi Finis *moraliter* læsivæ ac destructivæ. At prior malitia est communis omni tam mortali, quàm veniali peccato. Eo ipso autem, quòd malitia ejusmodi animam peccatricem tanquam causam sui originativam afficiat, reddit istam Deo aliqualiter saltem execrabilem. Ejusmodi verò Dei execratio importat Decretum nolitionis Divinæ propter malitiam illam moralem, ceu rationem ex parte volitorum *Finaliter* motivam denegantis gratiæ actualis auxilia, mediantibus quibus anima in se exerceat moralem rectitudinem, ac debitam in Deum ordinationem. At ex istâ Divinâ nolitione efficacis saltem ad moralem rectitudinem efficiendam requisitæ gratiæ auxilium denegante est hoc ipso consequens privatio talis moralis rectitudinis, seu cum rectâ ratione conformitatis. In quantum igitur peccatum actuale est ratio Divinæ voluntatis efficacem rectitudinis moralis gratiâ denegantis *finaliter* ex parte volitorum motiva, ut sic est causans privationem conformitatis cum rectâ ratione. In cujusmodi proinde privatione quà per peccatum actuale causatâ consistit aliqua saltem peccati Habitualis macula. At verò sicuti præter hanc a morali rectitudine deordinationis malitiam datur alia voluntatis Bonum creatum supra Deum Ultimum Finem appretiantis malitia Dei quà Ultimi Finis *affectivè* læsiva, atque adeò *moraliter* destructiva, sic ratione hujus malitiæ in animâ resultat specialis macula ut sic peccati Habitualis quà mortalis *formaliter* constitutiva animam peccatricem *simpliciter* maculans, cum econtra illa prior peccato etiam veniali competens macula tantùm *secundum Quid* sit maculans animam.

Probatur istud assumptum. Nam illa Dei 12.
quà Ultimi Finis *moraliter* destructiva malitia animam, ceu causam sui originativam eatenus Deo facit execrabilem & abominabilem, ut de se posset esse ratio ex parte volitorum *finaliter* motiva Divini odij, vi cujus omnimoda intra moralis rectitudinis lineam participatio divina denegaretur. Etsi verò Deus in ipsâ etiam Iustitiâ suâ superexaltans misericordiam nolit peccatori ex quolibet saltem peccato mortali, utpote Fidei ac Spei non semper extinctivo ademptam omnimodam suæ Divinæ Bonitatis participationem moralem: ex omni tamen mortali contra veniale ex illâ Dei Ultimi Finis *moraliter* destructivâ malitiâ distincto peccato in tantum concitatur odium Dei, ut hujus efficaciâ fiat destructio gratiæ sanctificantis, & charitatis, ac Donorum Spiritûs Sancti, nec non moralium virtutum supernaturalium. Vi cujus adeo Divini odij eatenus inducitur privatio istarum supernaturalium formarum, ut hæc ipsa sit animam *simpliciter* maculans, induatque rationem peccati Habitualis, prout ex peccati præteriti Divinam voluntatem ad illud gratiæ sanctificantis destructivum odium ex parte volitorum *finaliter* concitantis Motivo resultat. Constat igitur, tum quòd peccati Habitualis macula *secundùm Quid* sita sit in privatione debitæ ad rectam rationem conformitatis, atque ut sic respondeat peccato etiam veniali: tum quod peccati Habitualis macula *simpliciter* consistat in gratiæ sanctificantis per actuale præteritum mortale peccatum causatâ privatione.

Dices. Peccati Habitualis venialis maculam 13.
non aliter posse consistere in moralis cum rectâ ratione conformitatis privatione, nisi quatenus actualis venialis peccati malitia est motiva & excitativa Divinæ voluntatis ad gratiæ actualis saltem efficacis auxilia deneganda, ad quorum adeò denegationem consequatur illa moralis rectitudinis privatio. At peccato veniali non videri concedendam istam vim voluntatis Divinæ motivam ad ejusmodi gratiæ actualis auxiliorum denegationem.

Contra. Nam aliter est judicandum de ve- 14.
nialibus secundùm sui naturam, aliterque secundùm voluntatis Divinæ quasi acceptationem consideratis. Est autem venialium à mortalibus distinctorum natura, ut actualis in Deum Ultimum Finem ordinationis debitæ sint *moraliter* destructiva. Sub istâ verò morali debitæ in Deum Ultimum Finem actualis ordinationis destructione repræsentatur motivum Divinæ voluntatis ex parte volitorum *Finaliter* concitativum ad odium, vi cujus gratiæ actualis auxilia denegentur. At eo ipso, quòd illa culpæ venialis malitia non sit concitativa ad odium Divinum gratiæ sanctificantis destructivum, fit consequens, subsistere adhuc in animâ formam sanctitatis habentis econtrario vim ex parte volitorum cum essentiali tamen ad voluntatis Divinæ Dominium ac libertatem subordinatione *Finaliter* motivam ad amorem gratiæ actualis auxiliorum præfinitivum. Et hinc licèt peccatum veniale, quantum est de se, habeat vim Divinæ voluntatis concitativam ad gratiæ actualis auxiliorum in certo saltem virtutis, cui veniale ejusmodi adversatur, genere denegationem: eo ipso tamen, quòd gratiæ sanctificantis non sit destructivum,

compo-

componitur cum formâ Divinæ participationis ut sic illud actualis gratiæ auxilijs carendi debitum enervare potente. Unde etiam fit, tum quòd peccatū veniale non instar mortalis dicatur ab intrinseco irreparabile, tum quòd, licet veniale secundum sui naturam possit esse ratio ad aliorum auxiliorum denegationem Divinæ voluntatis concitativa, habitâ tamen Divinæ Gratiam sanctificantem culpâ veniali non exstinctam respicientis voluntatis ratione, Deus loco odij peccato veniali debiti, & ut sic aliquorum gratiæ auxiliorum denegativi habeat amorem talium gratiarum actualium causativum. Constat proinde, peccati venialis maculam eatenus consistere in moralis sub certâ tamen specie definitæ rectitudinis privatione, ut hæc tamen ab intrinseco sit reparabilis ob gratiæ sanctificantis cum istâ conjunctionem.

15. Instabis. In statu etiam puræ naturæ ex peccato mortali turpo e tunc possib li relinquendam fuisse maculam peccati Habitualis. At istam maculam non fore tunc privationem Gratiæ sanctificantis.

16. Contra. Nam in statu puræ naturæ Deo actionem aliquam ex jure Ultimi Finis exigente, foret hujus transgressio mortalis, utpote Dei Ultimi Finis *moraliter* destructiva & læsiva. Hæc ipsa verò mortalis malitia de se haberet vim voluntatis Divinæ concitativam ad odium omnimodæ in genere morali Divinæ participationis negationem decernendam. Etsi verò pro illo puræ naturæ statu non esset Intrinseca, vel etiam Extrinseca per Divinam voluntatem in Deum quà Ultimum Finem supernaturalem ordinabilitas, subsisteret tamen obedientialis ad supernaturalem statum elevabilitas. At eo ipso, quod peccatum illud mortale in puræ naturæ statu perpetratum esset de se concitativū Divini odij omnimodam in genere morali participationem Divinam statui illo congruentem denegantis, per se quidem non inducere privationem Gratiæ sanctificantis, sed abstractivæ *Naturaliter* Beatificantis contemplationis, & amoris Dei, omnimodæque in morali genere perfectivæ formæ; at tamen afficiendo animæ obedientialem respectu supernaturalis statûs elevabilitatem haberet etiam vim concitandi odium Dei, vi cujus taliter fieret supernaturalis ad gratiam elevationis carentia, ut carentia gratiæ ante peccatum se habens per modum puræ negationis, exinde esset effectus Divinæ erga peccatorem abominationis animam in ipso obedientialis ad gratiam sanctificantem elevabilitatis fundo execrantis.

Responsio ad opposita fundamenta.

17. AD *n. 2.* oppositum fundamentum Respondetur. Eo ipso, quòd peccatum actuale suæ malitiæ vi concitando odium Dei, sit isto mediante privationis gratiæ causativum, oportere, in hac gratiæ privatione peccatum actuale preteritum esse *moraliter* perseverans. At istam peccati præteriti perseverantiam moralem esse primariam peccati habitualis reatu pœnæ *virtualiter* priorem rationem. Probatur sequenti fundamento. Etenim peccatum actuale qua Divinæ in Ultimi Finis primâ Majestate radicati Juris *affective* offensivum, ac *moraliter* destructivum ex suâ ad infinitam Dei Bonitatem & Majestatem non quidem physica, sed morali & affectivâ oppositione intrinsecâ per seipsam formaliter in ratione motivi ex parte voluntatis Divinæ terminativi est concitativum odij Divini, & ut sic privationis Gratiæ sanctificantis causativum. Contra verò idem peccatum est reatus pœnæ inductivum sub motivo Justitiæ Divinæ. Atqui Ultimi Finis & Primæ Majestatis ratio *virtualiter* est prior in Deo, quam formalitas Justitiæ. Insuper ipsum etiam peccatum qua mortale ex sui Essentiali ratione per prius respicit Ultimi Finis ac Primæ in Deo Majestatis formalitatem, quam Justitiæ Divinæ; siquidem illius *formaliter* non quidem *physice*, sed *moraliter* & *affective* sit destructiva, nec possit ad Justitiam Dei vindicativam comparari, nisi præsupposita illa Divinæ Majestatis *Moraliter affective* lædente malitiâ. Unde quia peccati actualis malitia sub sua ad Divinam Ultimi Finis Majestatem comparatione est concitativa odij ab Ultimo Finis in Deo, & ut sic causativa privationis gratiæ, oportet, moralem peccati actualis præteriti perseverantiam per prius subsistere in privatione gratiæ sanctificantis tanquam sui primario effectu, quam in reatu pœnæ, utpote non causato per peccatum, nisi sub applicatione motivi Justitiæ Divinæ vindicativæ. Hæc enim peccati ad Justitiæ Divinæ motivum comparatio est in peccato *virtualiter* posterior, ut ideo in reatu pœnæ inde per modum effectus resultante non nisi secundario subsistere possit moralis peccati actualis præteriti perseverantia. Ergo peccatum Habituale non *Primario* & *essentialiter*, sed *secundario* duntaxat consistit in pœnæ reatu.

18. Ad *n. 5.* oppositum Respondetur. Si peccatum Habituale consisteret in denominatione peccati præteriti non retractati, fore consequens, quod hujus perseverantia moralis primo consisteret in negatione formæ, retractationis scilicet peccati destructivæ, quam in aliquo ejus effectu. At non esse intelligibile, quòd peccatum præteritum ex negatione formæ sui destructivæ sit *moraliter* perseverans, nisi antecedenter ad istam formam sui destructivam intelligatur aliquod aliud moralis perseverantiæ ipsius fundamentum. Hoc autem non esse aliud, nisi effectum ex vi peccati quà odium Divinum concitantis causatum. Istum verò peccato mortali quà odij Divini concitativo *primariò* respondentem effectum esse Gratiæ sanctificantis privationem. Deinde, licèt peccati venialis macula nequeat consistere in Gratiæ sanctificantis privatione; attamen peccatum ejusmodi ex sui malitiâ convenientis ad Ultimum Finem ordinationis privativâ est aliqualis Dei erga talem peccatorem execrationis excitativum, vi cujus adeo aliqualis indignationis Divinæ nata sit resultare macula non quidem *simpliciter* in ordine moralis rectitudinis, sed intra actualis cujusdam per gratiæ auxilia in Deum ordinationis limites *secundum quid* privativa conformitatis ad rectam rationem *uti supra* ostensum est.

Ad *n. 6.* oppositum Respondetur. Negationem satisfactionis & condonationis supponere peccati moralem pro illo instanti, in quo vi satisfactionis & condonationis extinguendum venit, perseverantiam. Unde peccatum Habituale per prius intelligi, quam intelligatur actualis 19.

 peccati

peccati præteriti perseverantia moralis. Quare peccatum Habituale in eo potiùs esse constituendum, quòd, cùm actuale mortale peccatū sit odij Divini, & hoc mediante gratiæ privationis causativum, in istâ privatione ut sic *moraliter* permaneat peccatum præteritum. Quam proinde moralem perseverantiam substituram, dum pro sequente aliquo instanti Deus peccatorem in ordine supernaturalis ad gratiam elevationis denuo adamando, hujus sui amoris efficaciâ est infundens Gratiam sanctificantem maculæ ex priori peccato relictæ eatenus abstersivam, ut infinitam peccati quà Divinæ Majestatis *moraliter* offensivi malitiam *formaliter* tollat, subtrahendo motivum odij erga talem peccatorem à Deo concepti, & subrogando motivum amoris amicitiæ in Deo.

20. Ad *n. 7.* oppositum Respondetur. Fieri posse, ut peccatum Habituale sacrilegij perseveret, & tamen per actum attritionis ex Religionis motivo elicitæ succedat actualis illius sacrilegio violatæ moralis Bonitatis reparativa ad legem conformitas. Nisi ergo sacrilegij præteriti malitia in alio quodam effectu, quam in conformitatis ad rectam in illâ virtutis lineâ rationem seu legem privatione sit *moraliter* perseverans, nequit intelligi, quomodo succedente illâ ex motivo Religionis attritione, adhuc subsista sacrilegij habituale peccatum. Quare istud potius esse statuendum in Gratiæ sanctificantis privatione, quam peccato duntaxat actuali, non autem Habituali posteriorem esse, ut adeò ista Causalis. *Quia est in peccato, ideo habet privationem gratiæ*, dum sermo est de Habituali peccato, accipi debeat *in sensu formali*, non autem *quasi Effectivo*. Neq; tamen hinc sequi, quòd omnia peccata Habitualia unjus sint speciei; siquidè privatio gratiæ non secundùm se præcisè spectata, sed qua per actuale peccatum causata constituat Habituale peccatum; ex quâ proinde peccatorum specie diversorum connotatione secundùm speciem differre peccata Habitualia; uti probat authoritas Sancti Thomæ *n. 8.* adducta.

✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻

CONTROVERSIA II.

Qualis pœna secundùm ipsam etiam rei naturam respondeat peccato tum Mortali, tum Veniali?

1. POenam inferni ex peccato mortali intra viæ statum non extincto infligendā esse, evincitur tum ex sacris Litteris *Matth. 25. v. 41. & 46. Marci 3. v. 29. 2. ad Thessalon. 1. v. 6. Apocal. 14. v. 11.* tum ex sacris Canonibu & Concilijs. Lateranensi sub Innocentio III *cap. 1. & 6.* Tridentino *sess. 14. Can. 5. & Can. Firmiter. de summ. Trinit.* Nec huic fidei doctrinæ adversabatur Gregorius Magnus, qui, prout ex Damasceno refert Sanctus Thomas *in 4. dist. 45. q. 2. a. 2. quæstiunc. 1. ad 5.* pro Trajano Imperatore fundens orationem audivit vocem sibi divinitùs allatam. Vocem tuam audivi, quòd veniam do Trajano. Quem tamen constat, fuisse in inferno ob necem pluribus Martyribus illatam. Etenim si historia illa, quam tamen Bellarminus *lib. 1. de Purgat. cap. 8.* & Baronius *Annal. Ecclesiast. to. 3. ad annum 604.* confictam & falsam dicunt, in rei veritate subsistat, cum Sancto Thomâ *citato* dicendum esse, posse probabiliter æstimari, quòd Trajanus precibus D. Gregorij ad vitam fuerit revocatus, & ibi consecutus gratiam, per quam habuerit remissionem peccatorum. Unde licet pœnæ inferni fuerit addictus, non tamen adversus ipsum erat latum decretum sententiæ *definitivæ* condemnatoriæ, sed inerat Deo Decretum, mediantibus precibus Sancti Gregorij revocandi ipsum ad vitam & sic eripiendi à finali Damnationis sententiâ. Quare licèt ordinariè nemo addicatur pœnæ infernali, nisi ex vi Decreti *finaliter* reprobativi, extraordinariè tamen fieri potest, ut quis detrudatur in infernum cum Decreto Divino ipsum revocandi in statum vitæ, & ut sic gratia pœnitentiæ præveniendi, ac *finaliter* collocandi in statu gratiæ & consequenter æternæ gloriæ; ut adeò pœna infernalis æterna sit, quæ ex finalis reprobationis decreto infligitur, non verò quæ vi Decreti non tam *finaliter* reprobativi, quam ad viæ statum revocativi imponitur.

Quibus adeò suppositis, superest difficultas hic decidenda. *Qualiter pœna æternitas respondeat peccato tum mortali, tum veniali in odio cum mortali in damnatis?*

Referuntur Sententiæ.

2. SVarez *disp. 10. de Pœnit. sect. 3. n. 17.* docet; Deum taxasse singulis peccatis mortalibus duplicem pœnam, alteram æternam infligendam, si peccator non subeat perfectam pœnitentiam, alteram temporalem ex hypothesi remissionis peccati infligendam. Et hinc contritionem secundùm se præcisè consideratam auferre tantum pœnam æternam, relictâ temporali integrâ; quatenus tamen dignifica ut per gratiam infallibiliter connexam cum contritione, ut sic habere vim per modum satisfactionis condignæ, delendi aliquid pœnæ temporalis. Fundamentum hujus afferri potest. Quia Deus per peccatum non offenditur tantum ut amicus, sed etiam quà publicus legislator & princeps. At priori titulo eatenus respondet pœna æterna, quam proinde, restitutâ per gratiam Dei amicitiâ, oportet, esse sublatam; ut titulo posteriori respondeat pœna temporalis post culpæ ac pœnæ æternæ remissionem adhuc luenda, & propter Bonum publicum, ut homines a peccando deterreantur, à Deo tanquā legislatore infligenda.

3. Doctor Angelicus *1. 2. q. 87. a. 4.* docet; in peccato esse duo distinguenda; alterum esse aversionem ab incommutabili ac infinito Bono. Ut sic autem peccatum esse infinitum. Unde ipsi ut sic respondere pœnam infinitam, scilicet pœnam Damni, quæ sit amissio Boni Infiniti, nimirum Dei. Alterum esse inordinatam conversionem ad Bonum Commutabile & finitum. Ut sic autem peccatum esse finitum, ipsique adeò respondere pœnam sensûs, quæ sit finita.

4. Idem Sanctus Doctor *ad 3.* ait. Durationem pœnæ respondere durationi culpæ, non quidem ex parte actûs, sed ex parte maculæ, quâ durante, manet reatus pœnæ. Sed acerbitatem pœnæ respondere gravitati culpæ. Culpam autem, quæ est irreparabilis, de se habere, quòd perpetuò duret. Et ideo deberi pœnam æternam. Verum ex parte conversionis non habere infinitatem, & ideò non deberi ei ex hac parte pœnam infinitam secundùm quantitatem.

Rationem

5. Rationem, cur peccatum Mortale, non autem Veniale per se & ex malitiâ suâ intrinsecâ reatum pœnæ æternæ inducat, Gonetius *disp. 8. de peccat. a. 6.* sic reducit. Etenim pœnæ reatus tamdiu manere debet, quamdiu remanet culpæ inordinatio. Unde si illa irreparabilis sit & perpetua, ille quoque æternus & interminabilis erit. At peccati mortalis, non autem Venialis deordinatio per naturam suam est irreparabilis. Probatur illud assumptum. Quia peccatum mortale avertit ac deordinat ab Ultimo Fine. Eo ipso autem, quòd Ultimus Finis in Moralibus sit, sicut primum principium in speculativis: error autem circa primum principium in speculativis irreparabilis sit, sequitur, deordinationem ab Ultimo Fine ex suâ propriâ ratione, & ex parte peccatoris esse irreparabilem. Econtra verò, cùm peccati venialis deordinatio non sit circa finem, sed tantùm circa media, ejusmodi verò inordinatio reparari possit ex rectâ intentione Finis, sicut error circa conclusiones corrigi potest ex rectâ intuitione principij; sequitur, peccati venialis deordinationem de se non esse irreparabilem, atque adeo inducere solùm temporalis pœnæ reatum.

6. Quo tamen non obstante, Divus Thomas *cit. q. 87. a. 5. & q. 7. de Malo. art. 10. & in 4. dist. 21. q. 1. art. 2. quæstiunc. 3.* Serra *ibi. dub. uni.* Ysambertus Sorbonicus *eâd. quæst. disp. 2. art. 4.* Gonetius *citatus. art. 7. concl. 1.* existimant, peccatum Veniale non remissum quoad culpam in hâc vitâ, & conjunctum cum mortali, *per accidens* ratione talis conjunctionis in inferno puniri pœnâ in æternum duraturâ, quamvis alias pœna illi debita foret duntaxat temporalis. Fundamentum est. Cum enim reatus pœnæ sit effectus culpæ, tamdiu perseverat, quamdiu permanet culpa. Unde si ista in inferno nunquam deleatur, ille pariter nunquam remittetur. At peccatum Veniale conjunctum cum mortali nequit sine hujus remissione extingui: neque verò ulla peccati remissio fieri potest absque meritorum Christi applicatione: nequit autem in inferno fieri meritorum Christi applicatio, nec ulla proinde peccati mortalis, & consequenter neque Venialis cum illo conjuncti remissio quoad culpam potest in inferno locum habere. Ergo nec quoad pœnam.

Addit Ysambertus *citatus*, pœnam peccato Veniali etiam dimisso respondentem in hac vitâ necdum solutam, esse in damnato per accidens ratione statûs æternam. Fundamentum est. Quia, ut opus aliquod pœnale sit satisfactorium coram Deo, oportet, esse informatum gratiâ. Atqui opus pœnale in inferno nequit esse informatum gratiâ. Ergo non est satisfactorium. Unde cùm peccatum illud, & reatus maneant in æternû, per accidens ratione statûs, in quo quis decedit, punietur in æternum.

7. Verùm Gonetius *cit. art. 7. concl. 2.* allegatâ etiam authoritate Divi Thomæ *in 4. dist. 22. q. 1. a. 1. ad 5.* existimat valde probabile, peccatum sive mortale, sive veniale dimissum in hac vitâ quoad culpam, non puniri in inferno pœnâ æternâ, sed duntaxat temporali. Fundamentum est. Ideo enim peccatum Veniale non remissum in hac vitâ quoad culpam, per satispassionem in inferno remitti non potest quantum ad pœnam; quòd in inferno semper remaneat, & nunquam deleatur, quantum ad culpam, & remanente culpâ reatus pœnæ deficere nequeat. Ergo si supponatur peccatum Veniale, seu Mortale dimissum in hac vitâ quantum ad culpam, non est, cur per satispassionem condignam & æqualem pœna temporalis in inferno solvi non possit; siquidem ad satispassionem non exigatur voluntaria ejus acceptatio.

Scotus *in 4. dist. 21. q. 1. & dist. 15. q. 1.* & Scotistæ communiter, nominatim Mastrius *in 2. disp. 6. q. 8. a. 1.* tenent, Veniali etiam conjuncto cum mortali pœnam æternam non deberi, sed temporalem, & ita de facto puniri in inferno. Fundamentum est. Quia Deus semper punit citra condignum, & ideo, quòd secundùm rigorem Justitiæ puniret usque ad condignum, omnino injustum foret, pœnam æternâ infligere pro isto peccato, cui secundum se debetur pœna duntaxat temporalis: quantumcunque enim conjungatur alteri, hoc non facit illud in infinitum exire genus istius culpæ. Igitur neque per accidens peccato Veniali respondet in inferno pœna æterna. 8.

CONCLUSIO I.

PEccatum mortale Habituale distinguitur ab habituali Veniali, quod illud, non vero istud importet reatum pœnæ æternæ.

Probatur. Nam triplex est formalitas peccati Mortalis. Prima est malitia aversionis à Deo Ultimo Fine, importans ut sic moralem & affectivam Divinæ Majestatis destructionem. 9. Ista vero malitia non objective ac Terminative duntaxat, sed formaliter intrinsece est infinita. Unde ipsi respondet pœna non objectivè duntaxat infinita, cujusmodi est pœna Damni ut sic privans Deo Ultimo Fine, non secundùm se spectato, sed qua per formalem Beatitudinem possidendo; sed pœna etiam *formaliter*, non quidem *intensive*, sed *extensive* secundùm æternitatis durationem est infinita. At vero malitia aversionis à Deo ut sic moralem Divinæ Majestatis offensionem ac destructionem importans est peccati mortalis à Veniali *formaliter* distinctiva ratio. Ergo peccato mortali quà *essentialiter* distincto à Veniali per naturam suam intrinsecam convenit, quòd inducat pœnæ æternæ reatum.

10. Secunda peccati mortiferi malitia est inordinatæ ad Bonum commutabile conversionis. Hæc autem est communis peccato mortali ac veniali, ita ut, si quæ conversio ad commutabile Bonum quantumvis inordinata, esset sine aversione à Deo, secundùm Divum Thomam *1. 2. q. 20. a. 3.* non foret peccatum mortale. Unde isti conversionis malitiei respondet pœna duntaxat finita, ex eodem sancto Doctore *1. 2. q. 87. a. 4.* Etsi verò ista pœna sensûs sit quoad durationem infinita & æterna, hæc tamen æternitas ut sic non respondet malitiei inordinatæ ad Bonum commutabile conversionis, sed culpæ irreparabilitati. *ex cit. a. 4. ad. 3.* At isthæc irreparabilitas est propria peccati mortalis à veniali distinctiva ratio. Ergo pœnæ æternitas convenit peccato mortali quà *formaliter* secundùm naturam suam intrinsecam distincto à veniali.

11. Tertia peccati mortalis malitia est quædam publicæ Justitiæ toti humano generi erga Deum in-

dentes rationis judicium, atque adeò tunc motus *primò* primos dici solitos, nullam omnino habere participatam libertatem, nec ullâ proinde morali malitiâ posse coinquinatos esse. Ueluti probant Div. Augustinus *lib. 9. contra. Iulian. cap. 3.* Item *lib. de Nupt. & Concup. cap. 2.* & Sanctus
2. Thomas *in 2. dist. 30. q. 1. art. 2. in corp.* Quandoque verò esse consequentes plenum rationis judicium, esseque proinde in materiâ gravi mortiferas. Quandoque demum esse consequentes judicium rationis, seu deliberationis semiplenum, & tunc esse peccatum veniale. Cujus
3. fundamentalis ratio desumitur ex illo *Eccles. 18: Post Concupiscentias tuas non eas.* Nam uti Sanctus Augustinus *cit. cap. 3. contra Iulianum.* argumentatur. Frustra dictum esset, *post Concupiscentias tuas ne eas,* si iam quisque reus esset, quia tumultuantes, & ad mala trahere conantes sentit eas. Quamdiu proinde Concupiscentiæ eatenus sunt in parte sensitivâ, ut nullam participent libertatem, tamdiu nequeunt esse peccata. Augustino *l. de Civit. cap. 25.* sic arguente: *illa concupiscentialis inobedientia quanto magis absque culpâ est in corpore non consentientis, si absque culpâ est in corpore dormientis.*

4. Etenim licèt unusquisque tentetur à concupiscentiâ, abstractus & illectus, concupiscentia tamen non priùs, quam conceperit, parit peccatum *ex Iacobi 1. cap.* At D. Aug. *hom. 41.* ait, istum conceptum fieri per nostrum consensum. *Noli ergo,* inquiens, *consentire concupiscentia tuæ, & non est, vnde concipiat de te. Noli dare consensionis complexum, ne plangas partum, quia si consenseris, si amplexatus fueris, concipis, deinde paris & in partu gravissimi sunt*
5. *dolores.* Ex quo adeò evidenter evincitur, quamdiu in motibus concupiscentiæ non intervenit voluntatis consensus saltem indirectus ac interpretativus, tamdiu nullam subesse peccati culpam, sacro Concilio Tridentino *sess. 5. de peccato Originali* decernente, Concupiscentiam in homine non consentiente, sed resistente, per Christi gratiam nocere non posse.

6. Supponendum proinde secundò ex dicendis *sequent. cont.* Ejusmodi interpretativum, seu indirectum voluntatis consensum interven re, atque adeò mortalem pollutionis malitiam contrahi, quoties ad motus Carnis cum rationis advertentia se habet quis *mere etiam negative,* non resistendo ipsis, aut eas reprimere conando per positivum voluntatis actum. Quare superest solùm difficultas; *Utrum motui appetitus sensitivi ex concupiscentiâ carnis profecti casu, quo pollutionis, vel consensus voluntarij periculo non interveniente, voluntas se habet merè Negativè nec approbando, & consentiendo, nec tamen etiam reprimendo, habeant rationem peccati, præsertim mortalis?*

Referuntur Sententiæ.

7. IN quo negativam sententiam tuentur nonnulli Doctores ab Amico *disp. 18. sect. 9. n. 182.* relati. Fundamentum est. Tum quia, si quæ esset obligatio *positive* resistendi ejusmodi concupiscentijs, fundaretur in isto præcepto: *Non Concupisces.* At præceptum istud utpote negativum impletur so à negatione actus prohibiti. Ergo non est obligatio ad actum positivum resistendi, sed ad negativum duntaxat non consentiendi. Tum quia hujusmodi motus non sunt *intrinsece* mali; alioqui nec ex honestâ causâ admitti possent. At quod non est *intrinsecè* malum, nec ullo positivo Iure prohibitum, absque culpâ permittitur.

Verùm econtrario Divus Thomas *1. 2. q. 74. art. 6.* expresse docet, malitiam morosæ Delectationis incurri, quando illicitus passionis motus non reprimitur. Quamvis idem Sanctus Doctor *q. 7. de Malo. a. 6. ad 6.* dicat, intervenire tunc peccatum tantum veniale, *Tripliciter,* inquiens, *potest ad motum illicitum sensualitatis se habere ratio. Uno modo sicut resistens, & tunc nullum est peccatum, sed est meritum Coronæ. Aliquando autem se habet ut imperans, puta cum ex proposito motum Concupiscentiæ illicitæ excitat, tunc, si sit illicitum in genere peccati mortalis, erit peccatum mortale. Aliquando autem se habet neque prohibens, neque imperans, seu consentiens: & tunc est peccatum veniale.* 8.

Huic Sancti Doctoris sententiæ non nisi culpam Venialem in ejusmodi motibus *positive* non repressis, nec tamen *positivè* approbatis adstruenti cum pluribus à se relatis subscribit Castropalaus *cit. punc. 10. §. 5.* Fundamentum est. Quia hujusmodi motus à Natura proveniunt, ita ut omnes coercere sit impossibile, aliquos difficillimum. Non est igitur credendum de Divinâ Bonitate, salutem æternam hominum his periculis exposuisse: esset enim salus cujusque hominis æterna non levi periculo exposita, si, cùm à Naturâ ad malum sit proclivis, arctatus esset non solum non admittere hos motus, sed etiam coercere. Imo peccaret quis mortaliter etiâ non evitando causas, ex quibus prævidet motus ejusmodi insurrecturos: si enim teneatur illos jam excitatos reprimere, à fortiori tenebitur impedire, ne excitentur, debebitque adeò sub mortal non alloqui, nec videre fæminam, aliaque similia motuum illorum excitativa omittere. 9.

Amicus cum pluribus à se relatis Theologis sentit *primo.* Ex solo interpretativo, qui, dum voluntas non resistit, intervenit erga motus illos, consensu contrahere mortalem morosæ delectationis malitiam. Fundamentum est. Quia ejusmodi in solâ licet sensualitate se tenentes Delectationes habent annexam notabilem Naturæ qua rationali adversantem difformitatem; tum quòd Delectatio tanquam proprietas connaturaliter consequens operationem, habeat eandem cum operatione ipsâ malitiam: omnis verò libidinosus extra conjugium actus ex se ipso habeat gravem cum Naturâ qua rationali difformitatem: tum quod delectationes ejusmodi ex Naturâ suâ ordinentur ut præviæ dispositiones ad effectum notabiliter malum, & difformem, scilicet pollutionem: tum quod opponantur notabiliter virtuti Castitatis. 10.

Idem Author *n. 186.* addit: tametsi nunquam possint hi motus, ne *interpretativè* quidem esse voluntarij in se absque peccato, posse tamen absque culpâ mortali esse *interpretative* voluntarios in causâ. Fundamentum desumitur ex summâ facilitate, quâ solent hi motus in nobis insurgere. Unde si etiam in causâ *interpretativè* voluntarij essent illiciti, multis commoditatibus licitis, & honestis deberemus esse privati; quod tamen nec vita, nec victus humanus patitur. Hinc enim fore, quod confessarij abstinere deberent ab excipiendis confessionibus, & Doctores à legendis libris, ac medici à medendis 11.

12. dendis corporibus. Quare de motibus ejusmodi taliter esse statuendum. Primo, si causa, ex quâ originantur, sit mortalis, ipsos etiam imputari ad culpam mortalem, veluti si ex Curiositate solâ quis aspiciat, vel tangat alterius sexus corpora, eo quod affectus tunc sortiatur Causæ malitiam. Secundo, si causa sit venialiter duntaxat culpabilis, motus inde secutos imputari ad veniale, dum v. g. quis luxuriose, ex nullâ causâ actiones ejusmodi cohonestante, aspiciat pulchros aspectus, jocosa verba profert, aut joci causâ tangit. Tertio, si causa, ex quâ tales motus oriuntur, sit Honesta, veluti lectio necessaria, confessio, membri curatio; ad nullum imputari peccatum, dum tamen consensus periculum absit, & propter illos causa non applicetur. Quarto denique, non improbandam esse Cajetani sententiam asserentis, non esse peccatum, si ejusmodi motus non reprimantur contemptus causâ; siquidem inter modos reprimendi tales motus sit, illos contemnere, & ab incepta Honesta actione non cessare.

CONCLUSIO.

VErisimilius est, peccari mortaliter, si voluntas ad motus ejusmodi insurgentes se habeat merè negative.

Probatur. Nam hujus Decisio stat in illo
13. fundamento, an scilicet motus ejusmodi corporis motioni juncti, ad quos voluntas se habet merè negative, sint interpretative voluntarij. At verò hujus interpretativi voluntarij Ratio ex hoc dijudicanda est, an voluntati qua tenenti appetitûs sensitivi, & corporis inde sequentium motuum regimen, sit obligatio non tantum cavendi, ne vincatur Consentiendo, neve turpis pollutionis effectus sequatur, sed etiam ne vigeant in parte inferiore appetitûs sensitivi ac sensus imaginativi: Si enim ista posterior obligatio non vinciat voluntatem, hæc non magis peccabit, motus illos in parte sensitivâ Negative permittendo, quam, si quis confricaret brachium etiam ex intentione, ut illud expelleret semen. Hoc enim ordinaria (nimirum extra periculum proximæ pollutionis, aut in turpitudinem libidinosam consensus) non inferre culpam mortalem, docet cum alijs Castropalaus operis moral. par. 3. tract. 1. disp. 3. punc. 7. §. 2. n. 1.
14. At verò licet non adeo clara sit obligatio voluntatis ad cavendum, ne motus Carnis in parte tantum sensitivâ extra pollutionis, ac voluntarij consensus periculum vigeant. Attamen ipsa ratio videtur exigere a voluntate, ceu inferiorum potentiarum Reginâ, ut a suo supposito expellat omnia ea (quantum in suâ habet potestate) quæ per se, ac ex naturâ suâ sunt incentiva in peccatum mortale. Ejusmodi verò sunt illi motus Concupiscentiæ Carnalis, siquidem per sympathiæ naturalis cum voluntate connexionem sint hujus ex Naturâ sua incitativi ad sui sequelam. Quare verosimilius videtur, voluntatem ad illos motus se habentem merè negative, non peccare tantùm venialiter, sed mortaliter, licet si ab initio resistat, nec tamen ipsos eradicare, ac reprimere valeat, jam satisfecerit suæ obligationi, nec adeo debeat continuo (dum pertinacius adhærent, ac tempori longiore durant) motu positivo adversus illos conari.

Responsio ad opposita fundamenta.

15. AD n. 7. oppositum Respondetur. Illud præceptum: tu non concupisces. prohibere non tantum consensum formalem, sed etiam Interpretativum. Hoc vero Voluntarium ob rationem regiminis voluntati erga potentias inferiores competentis, interveniet, quoties pravis ad peccatum mortale de se incitativis concupiscentiæ motibus non resistitur sine rationabili causa. Unde tales motus, quatenus voluntas citra rationabilem causam non resistit positive, sed negative ad ipsos se habet, sic interpretative voluntarij sunt moraliter mali, licet, dum voluntate ab initio resistente, ac deinceps ob rationabilem Honestæ occupationis causam Negative se habente, non sint interpretative voluntarij, imo non sint intra genus Moralitatis, nec adeo ut sic possint esse intrinsece mali.

16. Ad n. 8. oppositum Respondetur. Salutem æternam non tam subjici periculo, si ad motus illos positive repellendos habeamus obligationem, quam si frænum relaxetur, & voluntati, ut se negativè ad illos possit habere, permittatur, siquidem exinde coluber in sinu servatur & facile prolaberentur homines in graviores turpitudines. Nec tamen exinde sequi, quod quislibet causas ejusmodi motuum teneamur refugere, sed moderandum hoc esse juxta ea, quæ ex Amico n. 11. praedicta sunt: siquidem motus ejusmodi non imputabuntur, nisi quia interpretative saltem voluntarij, ejusmodi voluntarium non subest, dum resistitur causæ ex alio fine assumptæ, uti seq. contro. dicetur.

CONTROVERSIA III.

Qualiter pollutio Directè, vel Indirectè volita sit peccatum?

POllutionem, sive seminis effusionem Directè voluntariam esse mortale gravissimum peccatum, colligitur ex 1. ad Corinth. 6. & ad Ephes. 5. Quam porrò seminis prolifici emissionem respectu voluntatis in se ipsâ eam volentis intrinsecè malam, in nullo penitus casu licere Directè intendere, vel curare, communis Theologorum, nominatim Lessij lib. 4. de Justit. cap. 3. dub. 4. sententia est; adeò ut si vel fama, & Honor cujuscunque illustris familiæ, sive etiam puellæ, nisi mediante seminis concepti effusione impediat partum, periclitetur, hoc tamen nullatenus licere possit, nisi quòd causâ sanitatis liceat pharmacis provocare corrupti seminis expulsionem, cui prævidetur conjuncta seminis prolifici emissio. Quòd si voluntas ad istam seminis prolifici expulsionem se haberet positivè, eam Directè volendo, non obinde excusari posset à culpâ lethali. Cujus ratio communiter infinuatur a Doctoribus, eò quod pervertetur finis, ad quem Prolis scilicet generationem, a naturâ seminis effusio concessa est. Undè cùm fornicatio, eò quòd obstet rectæ prolis educa-

ac necessarijs: tametsi inde pollutio prævideatur secutura: quia censetur præter intentionem per accidens subsequi ex necessitate materiæ, hominisque temperie, quam ob causam viro, aut fœminæ magnum pruritum patienti licere confricare verenda, ut pruritum sedet, tametsi pollutionis, sed non consensus periculum adsit; uti Castropalaus *præcitatus n. 3.* cum alijs à se

10. allegatis tradit. 2. Si causa, ex quâ prævidetur secutura pollutio, secundùm se, vel ex circumstantiâ sit quidem illicita, alium tamen finem, seu commodum, vel utilitatem habeat, velut accidit in nimio cibo, & potu, & somno; tunc pollutionem prævisam *directè* non intentam non fore peccatum mortale, sed veniale duntaxat, censet Lessius *lib. 4. de*

11. *Just. cap. 3. dub. 14. n. 100.* Sanchez *lib. 9. de Matrim. disp. 45. n. 19.* & alij 3. Si causa pollutionis in se non intentæ, sed prævisæ sit in materiâ luxuriæ de se veniali, tunc pollutionem necdum imputari ad culpam lethalem, sed venialem; tenet Sanchez & alij Doctores asserentes: pollutionem *Directè* non volitam, sed in causâ prævisam tunc fore duntaxat mortalem, si causâ in materiâ luxuriæ sit de se mortifera. Hinc 4. statuendum; an, & quæ materia in vitio luxuriæ sit magna, vel parva. Nam licèt in Delectatione morosâ circa copulam illicitam, sicut & in pollutione per se intentâ, vel in voluntariâ partium verendarum, seu spirituum generationi deservientium commotione, & consequentibus tactibus, & osculis ad talem commotionem ex naturâ suâ proximè excitantibus, vel ob finem Delectationis venereæ assumptis nequeat dari materiæ parvitas. *ex com-*

12. *muni Doctorum sententiâ.* Nihilominùs amplexus, oscula, & tactus, qui non fuerint circa partes impudicas, si joco, vel animi levitate, vel ex curiositate fiant, pollutionis periculo non interveniente, non excedere culpam venialem, arbitratur Castropalaus *cit. punc. 7. §. 2. n. 8. cum Do-*

13. *ctoribus ibi relatis.* Quod ipsum de osculis, tactibus, & amplexibus causâ delectationis sensibilis, quam secum trahunt, absque tamen intentione, vel periculo in ulteriorem delectationem

14. progrediente assumptis judicant Azor *to. 3. instit. moral. lib. 3. cap. 25. not. 3.* & plures alij. Verùm opposita ejusmodi tactus in partibus etiam honestis ob delectationem præcisè assumptos continuos, & replicatos culpæ mortalis condemnans sententia à Sanchez *lib. 9. de Matrim. disp. 46. n. 7.* & pluribus alijs tradita videtur omninò tenenda; quòd, licet ejusmodi tactus, & oscula non sint *Formaliter* venerei, ac libidinosi, cùm non assumantur ob delectationem concubitûs commotionisve spirituum generationi subservientium; in quo delectatio venerea sita est; attamen *implicitè* ac *virtualiter* venerei, ac libidinosi censeri debent, siquidem nati sint in naturâ sanâ & rectè dispositâ excitare talem commotionem ac delectationem, ut adeò, si continui sint ac replicati (secus enim judicandum censet Castropalaus *cit. §. 2. n. 10. in fine.* de tactibus, amplexibus, & osculis instantaneis seu transeunter assumptis, utpote rarò valentibus illam spirituum generationi deservientium commotionem excitare) non sint excusandi à culpâ lethali. Verùm hæc pro pijs, ac timoratis conscientijs ad instructionem Confessionali præsertim necessariam eo duntaxat fine volumus insinuata, ut illos, qui ad aliquam laxitatem hâc in materiâ declinandi sumerent ansam, monitos cuperemus, ne anguem in sinu foverent.

Responsio ad opposita Fundamenta.

AD *n. 5.* oppositum Respondetur. In illâ quæstione; an, & quomodo ex vi præcepti ad effectûs alicujus impeditionem obligantis, vel objectum aliquod prohibentis teneamur evitare causam effectûs ejusmodi effectivam; pendere ex tali Causæ ac effectûs Præcepto prohibiti inter se comparatione, ut secundum Moralia prudentiæ principia oporteat ponderare, an non specialis pro causâ subsistat ratio, cujus intuitu prudenter liceat insistere causæ; non attento, quòd Effectus, si saltem *interpretativè* esset voluntarius, *moraliter* malus inde prævideatur secuturus. Etenim tali ex parte Causæ ratione se tenente, effectus nequidem *interpretativè* intra genus Moris est voluntarius in Causâ, sed purè *permissivè* se habet ad voluntatem: cui proinde *moraliter* non imputatur; veluti patet in scandalo passivo Pharisaico. At eo ipso, quòd Causæ ad carnis motum, & pollutionem indè movendam incitantes passim occurrant, quas, si evitare sit necessum, oporteat, ab omni ferè humano commercio abstinere, ac certè talem cibi, potûsque selectum habere, qualis esse solet in perfectè temperatis hominibus. Idcirco Deum & fragilitati humanæ, & publicæ commerciorum inter utriusque etiam sexûs homines necessitate catenùs consuluisse, ut Jure naturaliter indito vellet quidem omnimodè prohibitam pollutionem *Directè* volitam & procuratam, nollet tamen homines sub aliquâ saltem mortali culpâ obligatos, nisi ad eas causas *positivè* impediendas, quæ per se ex Naturâ suâ sunt determinatæ ad pollutionis effectum, non quæ *per accidens* tantùm producunt istum effectum, vel quæ ex sui ad duplicem effectum indifferentiâ possunt ex intrinsecâ suâ Naturâ in ordine ad alium respectu Pollutionis secuturæ *Disparatè* se habentem Finem esse intentæ, veluti probant authoritates & rationes *n. 6. & 7.* deductæ.

***

QUÆSTIO DECIMA QUARTA
DE
PECCATO HABITUALI TAM PERSONALI, QUAM ORIGINALI.

1. POst peccatum actuale relinqui in animâ maculam, vi cujus anima denominetur peccatrix, evincitur ex illo *Lucæ 7. Mulier, quæ erat in civitate peccatrix.* De quâ maculâ habetur *Josue 22. Peccastis in Beelphegor, & usque in præsentem diem macula hujus sceleris in nobis permanet.* Unde anima peccatrix indiget emundatione, *juxta illud Ezechielis 36. Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.* Quam equidem emundationem fieri per Justificationem, probatur ex Concil. Tridentino *sess. 6. de Justif. cap. 7.* decernente: *Justificationem esse sanctificationem & renovationem interioris hominis per voluntariam gratiæ, & donorum susceptionem: unde homo ex injusto fiat justus, & ex inimico amicus.*

Quæ proinde macula peccatum Habituale dicta, alia est personalis resultans ex peccato actuali à nobis commisso, alia est Originalis orta ex Adami peccato in nos per generationem transfuso. De quo duplici Habituali peccato duobus articulis disseremus.



ARTICULUS I.
DE
Peccato Habituali Personali.

DUabus Controversijs præsentem materiam discutiemus. Quarum prima erit: *In quo essentialiter consistat macula peccati Habitualis?* Secunda. *Qualis pœna secundùm ipsam etiam rei naturam respondeat peccato tum Mortali, tum Veniali?*

CONTROVERSIA I.
In quo essentialiter consistat macula peccati Habitualis?

2. SCotus *in 4. dist. 14. q. 1. a. 1.* tenuit, Formale constitutivum peccati Habitualis esse reatum quendam, seu ordinationem passivam, sive obligationem ex actu peccaminoso contractam, quâ statim, ac aliquis peccat, realiter obligatur ad pœnam peccato respondentem. Hanc sententiam secuti sunt omnes antiquiores Scotistæ. Verùm ubi Pius V. & Gregorius XIII in Bullâ quâdam inter alias Nicolai Baij Doctoris Lovaniensis propositiones, hanc ordine 35. quoque damnavit: *Duo sunt in peccato, actus scilicet & reatus; transeunte autem actu, nihil manet nisi reatus, sive obligatio ad pœnam.* Idcirco cùm Thom[illegible], & alij recentiores Societatis Iesu Theologi [illegible]ùs in illam sententiam inveherentur, ne[illegible] falsitate & improbabilitate ipsam notantes, sed ab Ecclesiâ damnatam proclamantes, [illegible] Mastrius *in 2. disp. 6. q. 8. n. 302.* 3. Scotistas juniores his clamoribus ac minis perterritos [illegible] sententiam illam deseruisse. Quibus tamen non obstantibus, præfatam Scoti doctrinam ex eo vindicandam esse, quòd oporteat distinguere duplicem pœnæ reatum, quorum alter sit denominatio extrinseca, vel relatio desumpta ab actu Divinæ voluntatis, quo peccator ob præcedentem actum peccaminosum deputatur ad pœnam illi debitam; alter verò sit denominatio extrinseca, aut relatio ab ipso peccati actu desumpta, quatenus eo ipso, quòd homo peccavit, ex ipso actu peccati redditur dignus, ut ordinetur ad pœnam. Unde, quando subtilis Doctor *citatus* statuit Formale constitutivum Habitualis culpæ in reatu, & obligatione ad pœnam peccato correspondente, non fuisse locutum de reatu pœnæ inspecto in primo modo, quo sensu *simpliciter* dici reatum pœnæ, sed de reatu pœnæ in sensu secundo, quo pacto dici reatum culpæ, atque ut sic consistere in ipso Habituale peccatum.

4. Fundamentum à Mastrio *præcitato n. 324.* deductum est. Certum enim est apud omnes, peccatum Habituale nihil aliud esse, quam peccatum actuale, cujus commissio *physice* iam præcessit, *moraliter* permanens. At ista moralis permanentia culpæ transeuntis non potest commodius explicari, quàm mediante reatu & obligatione satisfaciendi pro culpâ præteritâ. Minor ista probatur. Quia permanentia habitualis, quæ procedit ex voluntate habituali, ad hoc non sufficit. Hæc enim secundum Scotum in eo consistit, quòd actus fuerit elicitus, & *formaliter* non sit retractatus: ista autem non retractatio non sufficit ad constituendam habitualem culpam,

pam, hac enim ablatâ, potest adhuc habitualis culpa *moraliter* perseverare: si namque quis heri mæchari proposuit in corde suo, etiamsi ex quocunque alio à Motivo perfectæ erga Deum charitatis distincto motivo voluntatem illá retractet, peccatum illud mæchiæ *Moraliter* perseverat. Neque ad rem facit permanentia procedens ex voluntate virtuali: hæc enim secundùm Scotum in eo consistit, quòd per effectus physicos ex illâ consecutos censeatur influere: at constat, talem intentionem, vel voluntatem virtualem ad peccatum Habituale constituendum minimè necessariam esse, nec in illo reperiri. Sola ergo sufficit, ac necessaria est permanentia moralis, quæ quodammodò mediat inter habitualem & virtualem, & videtur Major illâ, & minor istâ; proceditque à voluntate morali ut sic obligationem aliquam inducente. Sicut ergo vitalis obligationes voluntas vovendi, celebrandi contractus, ferendi leges, licèt *physicè* transeant, *moraliter* tamé permanere dicuntur in ipsis obligationibus: ita pariter actus malus *physicè* præteritus dicitur *moraliter* permanere, in quantum peccator ex ipso remanet obligatus ad satisfaciendum per pœnam peccato præterito condignam, quousque à tali obligatione fuerit absolutus. In quâ proinde morali peccati permanentiâ consistit peccatum habituale.

5. Vasquez *1. 2. disp. 139. cap. 5. n. 23.* asserit; peccati habitualis maculam consistere in denominatione peccatoris quà coram Deo injusti, proveniente ex peccato præterito non retractato. Fundamentum est. Non enim ex mortali duntaxat peccato, sed etiam veniali relinquitur aliqua macula in animâ. At venialis macula non potest consistere nisi in extrinsecâ denominatione desumptâ à peccato præterito non retractato: non enim consistere potest in privatione gratiæ, vel alicujus gradûs, cùm veniale nullâ privet gratiâ. Ergo consistit in solâ denominatione extrinsecâ actûs præteriti non retractati; cùm nihil aliud maneat.

6. Card. de Lugo de *de Sacram. Pœnit. disp. 7. sec. 5. n. 48.* cum Doctoribus à se relatis existimat; Peccatum Habituale nihil aliud esse, quàm peccatum actuale *moraliter* perseverans, in ordine ad reddendum hominem rationabiliter exosum Deo. Fundamentum autem hujus moralis perseverantiæ esse, peccasse hominem, & non satisfecisse condignè, nec Deum offensum condonâsse: quibus positis, prudenter censeri, peccatum præteritum æquivalenter durare, nec minùs reddere hominem reum odij Dei, quàm si actu existeret *physicè* voluntas peccandi. Fundamentum est. Omne peccatum, quatenus est offensa Dei, parit jus quoddam & titulũ moralem, & rationabilem in Deo offenso ad justá indignationem. Ejusmodi verò jus tollendũ esset vel per condigná satisfactioné, vel per condonationé Dei offensi. At eo ipso, quòd purus homo non possit condignè satisfacere pro Dei offensâ Mortali, sequitur, Jus Dei, quod habet adversus peccatorem, posse solùm tolli per Dei condonationem. Unde quamdiu Deus non condonat peccatum, cedendo huic Iuri, censetur *moraliter* perseverare peccatum præteritum, id est, æquivalenter existere ad fundandum hoc jus Dei, non minùs, quàm si actu existeret *physicè* ipsum peccatum actuale. Hoc autem est, existere peccatum Habituale. Ergo peccatum Habituale *intrinsecè* componitur ex peccato actuali præterito, & ex negatione condignæ satisfactionis, & condonationis Dei.

Joannes Alphonsus Curiel *1. 2. q. 86. a. 2. dub. 2. §. 1. concl. 4.* arbitratur: peccatum Habituale etiam mortale non consistere *formaliter* in privatione gratiæ sanctificantis, sed in privatione habituali conformitatis ad legem, quam aliquis est transgressus per peccatum actuale quatenus hujusmodi privatio manet in ipso per modum termini peccati actualis. Fundamentum est. Ista enim causalis est vera: *Quia iste est in peccato, ideò habet privationem gratiæ & dilectionis, aut benevolentiæ Dei, & nitoris, aut pulchritudinis gratiæ ac dignitatis gloriæ.* Ergo quomodocunque gratia sumatur privatio ejus præsupponit peccatum Habituale. Ergo non constituit ipsum, sicut ejus ratio formalis: cùm alioquin omnia peccata habitualia essent ejusdem speciei, & æqualia inter se: siquidem privatio gratiæ sit ejusdem semper rationis, & quodlibet peccatum mortale privet omnimodâ gratiâ sanctificante.

Ioannes Baptista Gonetius *disp. 8. de peccatis art. 3. §. 2. concl. ult.* docet 1. Peccatum Habituale secundùm se, & abstrahendo à mortali, consistere in privatione conformitatis ad legem seu rectitudinem rationis: Maculam verò peccati quà mortalis, seu peccatum Habituale quà mortale esse privationem nitoris gratiæ sanctificantis, cum respectu ad actum peccati præcedentem, à quo causatur. Fundamentum est. Per illud enim constitui debet homo peccator & injustus *Habitualiter*, cujus oppositum constituit illum *Habitualiter* sanctum, & justum, cùm denominationes oppositæ à formis seu rationibus oppositis petendæ sint. Unde etiam fit, id, quod *primò* & *per se* excluditur per justificationem esse maculam peccati, seu peccatum Habituale. Atqui gratia sanctificans *immediate* constituit hominem sanctum & justum *Habitualiter*. Et hinc quod *primò* & *per se* per Iustificationem excluditur, est privatio gratiæ, cùm ejus infusio sit terminus *ad quem* Justificationis: Divo Thomâ *in 1. 2. q. 113. a. 2.* attestante, quòd non posset intelligi remissio culpæ, si non adesset infusio gratiæ. Consequens igitur est, quòd gratiæ privatio hominem *immediate* denominet, & constituat peccatorem ac injustum *habitualiter*, & consequenter in tali privatione ipsum peccatum Habituale *formaliter* ac *immediatè* consistat. Unde Divus Thomas *1. 2. q. 86. a. 1. ad 3.* ait: *Macula peccati non est aliquid positivè in animâ: nec significat privationem solam, sed significat privationem quandam nitoris animæ in ordine ad causam, quæ est peccatum: & ideò diversa peccata diversas maculas induunt.* Similia habet Sanctus Doctor *in 4. dist. 18. q. 1. a. 2.* Et *q. 3. de potent. a. 6. ad 23.*

Confirmatur ex Serrâ *in cit. q. 86. a. 1. dub. un. concl. 3.* Etenim anima hominis duplicem habet nitorem, unum quidem ex refulgentiâ luminis naturalis rationis, per quam dirigitur in suis actibus: alium verò ex refulgentiâ luminis Divini, scilicet sapientiæ & gratiæ. ex Divo Thomâ *in cit. a. 2.* Atqui macula peccati Habitualis est privatio utriusque istius nitoris. Probatur istud assumptum. Nam nitor ex refulgentiâ Divini luminis scilicet sapientiæ &

 gratiæ

gratiæ nihil aliud est, quàm lucidum esse lumine Divinæ gratiæ & sapientiæ. Nitor autem ex refulgentiâ luminis naturalis rationis nihil aliud est, quàm conformitas ad rationem. At privatio utriusque illius nitoris est macula animæ. Est enim conformitatis ad ratione privatio ex eo proveniens, quòd anima adhæreat rebus aliquibus contra lumen rationis, & Divinæ legis. Unde sicut corpus perdit suum nitorem, atque ut sic maculatur ex contactu alterius corporis; sic anima inhærendo contra lumen rationis rebus aliquibus, per amorem maculatur earum quasi quodam contactu. Cùm proinde per talem rerum illicitarum amorem lumini tam rationis, quàm Gratiæ adversantem anima hujus utriusque luminis nitorem perdendo maculetur, consequens est, in tali hujus duplicis nitoris privatione consistere peccati Habitualis maculam.

Conclusio.

Peccati Habitualis macula *simpliciter* spectata importat *formaliter* Gratiæ sanctificantis carentiam, *secundum Quid* verò conformitatis cum rectâ ratione privationem quà *Moraliter* causatam ex præterito peccato.

11. Probatur. Duplex enim est malitia in peccato, altera moralis à rectâ ratione deordinationis, altera affectivæ Ultimi Finis à Deo in Bonum creatum translationis, ut sic Dei quà Ultimi Finis *moraliter* læsivæ ac destructivæ. At prior malitia est communis omni tam mortali, quàm veniali pecccato. Eo ipso autem, quòd malitia ejusmodi animam peccatricem tanquam causam sui originativam afficiat, reddit istam Deo aliqualiter saltem execrabilem. Ejusmodi verò Dei execratio importat Decretum nolitionis Divinæ propter malitiam illam moralem, ceu rationem ex parte volitorum *Finaliter* motivam denegantis gratiæ actualis auxilia, mediantibus quibus anima in se exerceat moralem rectitudinem, ac debitam in Deum ordinationem. At ex istâ Divinâ nolitione efficacis saltem ad moralem rectitudinem efficiendam requisitæ gratiæ auxilium denegante est hoc ipso consequens privatio talis moralis rectitudinis, seu cum rectâ ratione conformitatis. In quantum igitur peccatum actuale est ratio Divinæ voluntatis efficacem rectitudinis moralis gratiâ denegantis *finaliter* ex parte volitorum motiva, ut sic est causans privationem conformitatis cum rectâ ratione. In cujusmodi proinde privatione quà per peccatum actuale causatâ consistit aliqua saltem peccati Habitualis macula. At verò sicuti præter hanc à morali rectitudine deordinationis malitiam datur alia voluntatis Bonum creatum supra Deum Ultimum Finem appretiantis malitia Dei quà Ultimi Finis *affectivè* læsiva, atque adeò *moraliter* destructiva, sic ratione hujus malitiæ in animâ resultat specialis macula ut sic peccati Habitualis quà mortalis *formaliter* constitutiva animam peccatricem *simpliciter* maculans, cùm econtra illa prior peccato etiam veniali competens macula tantùm *secundum Quid* sit maculans animam.

12. Probatur istud assumptum. Nam illa Dei quà Ultimi Finis *moraliter* destructiva malitia animam, ceu causam sui originativam eatenus Deo facit execrabilem & abominabilem, ut de se posset esse ratio ex parte volitorum *finaliter* motiva Divini odij, vi cujus omnimoda intra moralis rectitudinis lineam participatio divina denegaretur. Etsi verò Deus in ipsâ etiam Justitiâ suâ superexaltans misericordiam nolit peccatori ex quolibet saltem peccato mortali, utpote Fidei ac Spei non semper extinctivo ademptam omnimodam suæ Divinæ Bonitatis participationem moralem: ex omni tamen mortali contra veniale ex illâ Dei Ultimi Finis *moraliter* destructivâ malitiâ distincto peccato in tantum concitatur odium Dei, ut hujus efficaciâ fiat destructio gratiæ sanctificantis, & charitatis, ac Donorum Spiritûs Sancti, nec non moralium virtutum supernaturalium. Vi cujus adeo Divini odij eatenus inducitur privatio istarum supernaturalium formarum, ut hæc ipsa sit animam *simpliciter* maculans, induatque rationem peccati Habitualis, prout ex peccati præteriti Divinam voluntatem ad illud gratiæ sanctificantis destructivum odium ex parte volitorum *finaliter* concitantis Motivo resultat. Constat igitur, tum quòd peccati Habitualis macula *secundùm Quid* sita sit in privatione debitæ ad rectam rationem conformitatis, atque ut sic respondeat peccato etiam veniali: tum quòd peccati Habitualis macula *simpliciter* consistat in gratiæ sanctificantis per actuale præteritum mortale peccatum causatâ privatione.

Dices. Peccati Habitualis venialis maculam non aliter posse consistere in moralis cum rectâ ratione conformitatis privatione, nisi quatenus actualis venialis peccati malitia est motiva & excitativa Divinæ voluntatis ad gratiæ actualis saltem efficacis auxilia deneganda, ad quorum adeò denegationem consequatur illa moralis rectitudinis privatio. At peccato veniali non videri concedendam istam vim voluntatis Divinæ motivam ad ejusmodi gratiæ actualis auxiliorum denegationem. 13.

14. Contra. Nam aliter est judicandum de venialibus secundùm sui naturam, aliterque secundùm voluntatis Divinæ quasi acceptationem consideratis. Est autem venialium à mortalibus distinctorum natura, ut actualis in Deum Ultimum Finem ordinationis debitæ sint *moraliter* destructiva. Sub istâ verò morali debitæ in Deum Ultimum Finem actualis ordinationis destructione repræsentatur motivum Divinæ voluntatis ex parte volitorum *Finaliter* concitativum ad odium, vi cujus gratiæ actualis auxilia denegentur. At eo ipso, quòd illa culpæ venialis malitia non sit concitativa ad odium Divinum gratiæ sanctificantis destructivum, fit consequens, subsistere adhuc in animâ formam sanctitatis habentis econtrario vim ex parte volitorum cum essentiali tamen ad voluntatis Divinæ Dominium ac libertatem subordinatione *Finaliter* motivam ad amorem gratiæ actualis auxiliorum præfinitivum. Et hinc licèt peccatum veniale, quantum est de se, habeat vim Divinæ voluntatis concitativam ad gratiæ actualis auxiliorum in certo saltem virtutis, cui veniale ejusmodi adversatur, genere denegationem: eo ipso tamen, quòd gratiæ sanctificantis non sit destructivum,

compo-

componitur cum formâ Divinæ participationis ut sic illud actualis gratiæ auxilijs carendi debitum enervare potente. Unde etiam fit, tum quòd peccatũ veniale non instar mortalis dicatur ab intrinseco irreparabile, tum quòd, licet veniale secundùm sui naturam possit esse ratio ad illorum auxiliorum denegationem Divinæ voluntatis concitativa, habitâ tamen Divinæ Gratiam sanctificantem culpâ veniali non extinctam respicientis voluntatis ratione, Deus loco odij peccato veniali debiti, & ut sic aliquorum gratiæ auxiliorum denegativi habeat amorem talium gratiarum actualium causativum. Constat proinde, peccati venialis maculam eatenus consistere in moralis sub certâ tamen specie definitæ rectitudinis privatione, ut hæc tamen ab intrinseco sit reparabilis ob gratiæ sanctificantis cum istâ conjunctionem.

15. Instabis. In statu etiam puræ naturæ ex peccato mortali turpo e tunc possib li relinquendam fuisse maculam peccati Habitualis. At istam maculam non fore tunc privationem Gratiæ sanctificantis.

16. Contra. Nam in statu puræ naturæ Deo actionem aliquam ex jure Ultimi Finis exigentis, foret hujus transgressio mortalis, utpote Dei Ultimi Finis *moraliter* destructiva & læsiva. Hæc ipsa verò mortalis malitia de se haberet vim voluntatis Divinæ concitativam ad odium omnimodæ in genere morali Divinæ participationis negationem decernendam. Etsi verò pro illo puræ naturæ statu non esset Intrinseca, vel etiam Extrinseca per Divinam voluntatem in Deum quà Ultimum Finem supernaturalem ordinabilitas, subsisteret tamen obedientialis ad supernaturalem statum elevabilitas. At eo ipso, quod peccatum illud mortale in puræ naturæ statu perpetratum esset de se concitativũ Divini odij omnimodam in genere morali participationem Divinam statui illo congruentem denegantis, per se quidem non inducere privationem Gratiæ sanctificantis, sed abstractivæ *Naturaliter* Beatificantis contemplationis, & amoris Dei, omnimodæque in morali genere perfectivæ formæ; attamen afficiendo animæ obedientialem respectu supernaturalis statûs elevabilitatem haberet etiam vim concitandi odium Dei, vi cujus taliter fieret supernaturalis ad gratiam elevationis carentia, ut carentia gratiæ ante peccatum se habens per modum puræ negationis, exinde esset effectus Divinæ erga peccatorem abominationis animam in ipso obedientialis ad gratiam sanctificantem elevabilitatis fundo execrantis.

Responsio ad opposita fundamenta.

17. Ad *n. 2.* oppositum fundamentum Respondetur. Eo ipso, quòd peccatum actuale suæ malitiæ vi concitando odium Dei, sit isto mediante privationis gratiæ causativum, oportere, in hac gratiæ privatione peccatum actuale præteritum esse *moraliter* perseverans. At istam peccati præteriti perseverantiam moralem esse primariam peccati habitualis reatu pœnæ *virtualiter* priorem rationem. Probatur sequenti fundamento. Etenim peccatum actuale qua Divini in Ultimi Finis primâ Majestate radicati Juris *affective* offensivum, ac *moraliter* destructivum ex suâ ad infinitam Dei Bonitatem & Majestatem non quidem physica, sed moralis [illegible] oppositione intrinsecâ per seipsam *formaliter* in ratione motivi ex parte [illegible] Terminativi est concitativum odij Divini, & ut sic privationis Gratiæ sanctificantis causativum. Contra verò idem peccatum est reatûs pœnæ inductivum sub motivo Justitiæ Divinæ. Atqui Ultimi Finis & Primæ Majestatis ratio *virtualiter* est prior in Deo, quam formalitas Justitiæ. Insuper ipsum etiam peccatum qua mortale ex sui Essentiali ratione per prius respicit Ultimi Finis ac Primæ in Deo Majestatis formalitatem, quam Justitiæ Divinæ; siquidem illius *formaliter* non quidem *physice*, sed *moraliter* & *affective* sit destructiva, nec possit ad Justitiam Dei vindicativam comparari, nisi præsuppositâ illa Divinæ Majestatis *Moraliter* [illegible] malitiâ. Unde quia peccati actualis malitia [illegible] ad Divinam Ultimi Finis Majestatem comparatione est concitativa odij abominationis in Deo, & ut sic causativa privationis gratiæ, oportet moralem peccati actualis præteriti perseverantiam per prius subsistere in privatione gratiæ sanctificantis tanquam sui primario effectu, quam in reatu pœnæ, utpote non causato per peccatum, nisi sub applicatione motivi Justitiæ Divinæ vindicativæ. Hæc enim peccati ad Justitiæ Divinæ motivum comparatio est in peccato *virtualiter* posterior, ut adeo in reatu pœnæ inde per modum effectus resultante non nisi secundario subsistere possit moralis peccati actualis præteriti perseverantia. Ergo peccatum Habituale non *primario* & *essentialiter*, sed *secundario* duntaxat consistit in pœnæ reatu.

Ad *n. 5.* oppositum Respondetur. Si peccatum Habituale consisteret in denominatione peccati præteriti non retractati, fore consequens, quod hujus perseverantia moralis potius consisteret in negatione formæ, retractationis scilicet peccati destructivæ, quam in aliquo ejus effectu. At non esse intelligibile, quod peccatum præteritum ex negatione formæ sui destructivæ sit *moraliter* perseverans, nisi antecedenter ad istam formam sui destructivam intelligatur aliquod aliud moralis perseverantiæ ipsius fundamentum. Hoc autem non esse aliud, nisi effectum ex vi peccati quà odium Divinum concitantis causatum. Istum verò peccato mortali qua odij Divini concitativo *primariò* respondentem effectum esse Gratiæ sanctificantis privationem. Deinde, licèt peccati venialis macula nequeat consistere in Gratiæ sanctificantis privatione; attamen peccatum ejusmodi ex sui malitiâ convenientis ad Ultimum Finem ordinationis privativâ est aliqualis Dei erga talem peccatorem execrationis excitativum, vi cujus adeo aliqualis indignationis Divinæ nata sit resultare macula non quidem *simpliciter* in ordine moralis rectitudinis, sed intra actualis cujusdam per gratiæ auxilia in Deum ordinationis limites *secundum quid* privativa conformitatis ad rectam rationem *uti supra* ostensum est. 18.

Ad *n. 6.* oppositum Respondetur. Negationem satisfactionis & condonationis supponere peccati moralem pro illo instanti, in quo vi satisfactionis & condonationis extinguendum venit, perseverantiam. Unde peccatum Habituale per prius intelligi, quam intelligatur actualis 19.

 peccati

peccati præteriti perseverantia moralis. Quare peccatum Habituale in eo potius esse constituendum, quòd, cùm actuale mortale peccatū sit odij Divini, & hoc mediante gratiæ privationis causativum, in istâ privatione ut sic *moraliter* permaneat peccatum præteritum. Quam proinde moralem perseverantiam substituram, dum pro sequente aliquo instanti Deus peccatorem in ordine supernaturalis ad gratiam elevationis denuo adamando, hujus sui amoris efficaciâ est infundens Gratiam sanctificantem maculæ ex priori peccato relictæ eatenus abstersivam, ut infinitam peccati quà Divinæ Majestatis *moraliter* offensivi malitiam *formaliter* tollat, subtrahendo motivum odij erga talem peccatorem à Deo concepti, & subrogando motivum amoris amicitiæ in Deo.

20. Ad *n. 7.* oppositum Respondetur. Fieri posse, ut peccatum Habituale sacrilegij perseveret, & tamen per actum attritionis ex Religionis motivo elicitæ succedat actualis illius sacrilegio violatæ moralis Bonitatis reparativa ad legem conformitas. Nisi ergo sacrilegij præteriti malitia in alio quodam effectu, quam in conformitatis ad rectam in illâ virtutis lineâ rationem seu legem privatione sit *moraliter* perseverans, nequit intelligi, quomodo succedente illâ ex motivo Religionis attritione, adhuc subsista sacrilegij habituale peccatum. Quare istud potius esse statuendum in Gratiæ sanctificantis privatione, quam peccato duntaxat actuali, non autem Habituali posteriorem esse, ut adeò ista Causalis. *Quia est in peccato, ideo habet privationem gratiæ*, dum sermo est de Habituali peccato, accipi debeat *in sensu formali*, non autem *quasi Effectivo.* Neq; tamen hinc sequi, quòd omnia peccata Habitualia ejus sint speciei; siquidē privatio gratiæ non secundùm se præcise spectata, sed quà per actuale peccatum causata constituat Habituale peccatum; ex quâ proinde peccatorum specie diversorum connotatione secundùm speciem differre peccata Habitualia; uti probat authoritas Sancti Thomæ *n. 8.* adducta.

✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻

CONTROVERSIA II.

Qualis pœna secundùm ipsam etiam rei naturam respondeat peccato tum Mortali, tum Veniali?

1. POenam inferni ex peccato mortali intra viæ statum non extincto infligendā esse, evincitur tum ex sacris Litteris *Matth. 25. v. 41. & 46. Marci 3. v. 29. 2. ad Thessalon. 1. v. 6. Apocal. 14. v. 11.* tum ex sacris Canonibu & Concilijs. Lateranensi sub Innocentio III *cap. 1. & 6.* Tridentino *sess. 14. Can. 5. & Can. Firmiter. de summ. Trinit.* Nec huic fidei doctrinæ adversabatur Gregorius Magnus, qui, prout ex Damasceno refert Sanctus Thomas *in 4. dist. 45. q. 2. a. 2. quæstiunc. 1. ad 5.* pro Trajano Imperatore fundens orationem audivit vocem sibi divinitus allatam. Vocem tuam audivi, quòd veniam do Trajano. Quem tamen constat, fuisse in inferno ob necem pluribus Martyribus illatam. Etenim si historia illa, quam tamen Bellarminus *lib. 1. de Purgat. cap. 8.* & Baronius *Annal. Ecclesiast. to. 3. ad annum 604.* confictam & falsam dicunt, in rei veritate subsistat, cum Sancto Thomâ *citato* dicendum esse, posse probabiliter æstimari, quod Trajanus precibus S. Gregorij ad vitam fuerit revocatus, & ibi consecutus gratiam, per quam habuerit remissionem peccatorum. Unde licet pœnæ inferni fuerit addictus, non tamen adversus ipsum erat latum decretum sententiæ *definitivæ* condemnatoriæ, sed inerat Deo Decretum, mediantibus precibus Sancti Gregorij revocandi ipsum ad vitam & sic eripiendi à finali Damnationis sententia. Quare licèt ordinariè nemo addicatur pœnæ infernali, nisi ex vi Decreti *finaliter* reprobativi, extraordinariè tamen fieri potest, ut quis detrudatur in infernum cum Decreto Divino ipsum revocandi in statum vitæ, & ut sic gratiâ pœnitentiæ præveniendi, ac *finaliter* collocandi in statu gratiæ & consequenter æternæ gloriæ; ut adeò pœna infernalis æterna sit, quæ ex finalis reprobationis decreto infligitur, non verò quæ vi Decreti non tam *finaliter* reprobativi, quam ad viæ statum revocativi imponitur.

Quibus adeo suppositis, superest difficultas hic decidenda. *Qualiter pœna æternitas respondeat peccato tum mortali, tum veniali juncto cum mortali in damnatis?*

Referuntur Sententiæ.

SVarez *disp. 10. de Pœnit. sect. 3. n. 17.* docet; Deum taxasse singulis peccatis mortalibus duplicem pœnam, alteram æternam infligendam, si peccator non subeat perfectam pœnitentiam; alteram temporalem ex hypothesi remissionis peccati infligendam. Et hinc contritionem secundùm se præcisè consideratam auferre tantum pœnam æternam, relictâ temporali integra: quatenus tamen dignifica ut per gratiam infallibiliter connexam cum contritione, ut sic habere vim per modum satisfactionis condignæ, delendi aliquid pœnæ temporalis. Fundamentum hujus afferri potest. Quia Deus per peccatum non offenditur tantum ut amicus, sed etiam quà publicus legislator & princeps. At priori titulo eatenus respondet pœna æterna, quam proinde, restitutâ per gratiam Dei amicitiâ, oportet, esse sublatam; ut titulo posteriori respondeat pœna temporalis post culpæ ac pœnæ æternæ remissionem adhuc luenda, & propter Bonum publicum, ut homines a peccando deterreantur, a Deo tanquā legislatore infligenda. 2.

Doctor Angelicus 1. 2. q. 87. a. 4. docet; in peccato esse duo distinguenda; alterum esse aversionem ab incommutabili ac infinito Bono. Ut sic autem peccatum esse infinitum. Unde ipsi ut sic respondere pœnam infinitam, scilicet pœnam Damni, quæ sit amissio Boni Infiniti, nimirum Dei. Alterum esse inordinatam conversionem ad Bonum Commutabile & finitum. Ut sic autem peccatum esse finitum, ipsique adeò respondere pœnam sensûs, quæ sit finita. 3.

Idem Sanctus Doctor *ad 3.* ait: Durationem pœnæ respondere durationi culpæ, non quidem ex parte actûs, sed ex parte maculæ, quâ durante, manet reatus pœnæ. Sed acerbitatem pœnæ respondere gravitati culpæ. Culpam autem, quæ est irreparabilis, de se habere, quòd perpetuò duret. Et ideo deberi pœnam æternam. Verùm ex parte conversionis non habere infinitatem, & ideò non deberi ei ex hac parte pœnam infinitam secundùm quantitatem. 4.

5. Rationem, cur peccatum Mortale, non autem Veniale per se, & ex malitiâ suâ intrinsecâ reatum pœnæ æternæ inducat, Gonetius *disp. 8. de peccat. a. 6.* sic deducit. Etenim pœnæ reatus tamdiu manere debet, quamdiu remanet culpæ inordinatio. Unde si ista irreparabilis sit & perpetua, ille quoque æternus & interminabilis erit. At peccati mortalis, non autem Venialis deordinatio per naturam suam est irreparabilis. Probatur illud assumptum. Quia peccatum mortale avertit ac deordinat ab Ultimo Fine. Eo ipso autem, quòd Ultimus Finis in Moralibus sit, sicut primum principium in speculativis: error autem circa primum principium in speculativis irreparabilis sit, sequitur, deordinationem ab Ultimo Fine ex suâ propriâ ratione, & ex parte peccatoris esse irreparabilem. Econtra verò, cùm peccati venialis deordinatio non sit circa finem, sed tantùm circa media, ejusmodi verò inordinatio reparari possit ex rectâ intentione Finis, sicut error circa conclusiones corrigi potest ex rectâ intuitione principii; sequitur, peccati venialis deordinationem de se non esse irreparabilem, atque adeo inducere solùm temporalis pœnæ reatum.

6. Quo tamen non obstante, Divus Thomas *cit. q. 87. a. 5. & q. 7. de Malo. art. 10. & in 4. dist. 21. q. 1. art. 2. quæstiunc. 3.* Serra *ibi. dub. un.* Ysambertus Sorbonicus *eâd. quæst. disp. 2. art. 4.* Gonetius *citatus. art. 7. concl. 1.* existimant, peccatum Veniale non remissum quoad culpam in hâc vitâ, & conjunctum cum mortali, *per accidens* ratione talis conjunctionis in inferno puniri pœnâ in æternum duraturâ, quamvis alias pœna illi debita foret duntaxat temporalis. Fundamentum est. Cum enim reatus pœnæ sit effectus culpæ, tamdiu perseverat, quamdiu permanet culpa. Unde si ista in inferno nunquam deleatur, ille pariter nunquam remittetur. At peccatum Veniale conjunctum cum mortali nequit sine hujus remissione extingui: neque verò ulla peccati remissio fieri potest absque meritorum Christi applicatione: nequit autem in inferno fieri meritorum Christi applicatio, nec ulla proinde peccati mortalis, & consequenter neque Venialis cum illo conjuncti remissio quoad culpam potest in inferno locum habere. Ergo nec quoad pœnam.

Addit Ysambertus *citatus*, pœnam peccato Veniali etiam dimisso respondentem in hac vitâ necdum solutam, esse in damnato per accidens ratione statûs æternam. Fundamentum est. Quia, ut opus aliquod pœnale sit satisfactorium coram Deo, oportet, esse informatum gratiâ. Atqui opus pœnale in inferno nequit esse informatum gratiâ. Ergo non est satisfactorium. Unde cùm peccatum illud, & reatus maneant in æternû, per accidens ratione statûs, in quo quis decedit, punietur in æternum.

7. Verùm Gonetius *cit. art. 7. concl. 2.* allegatâ etiam authoritate Divi Thomæ *in 4. dist. 22. q. 1. a. 1. ad 5.* existimat valde probabile, peccatum sive mortale, sive veniale dimissum in hac vitâ quoad culpam, non puniri in inferno pœnâ æternâ, sed duntaxat temporali. Fundamentum est. Ideo enim peccatum Veniale non remissum in hac vitâ quoad culpam, per satispassionem in inferno remitti non potest quantum ad pœnam; quòd in inferno semper remaneat, & nunquam deleatur, quantum ad culpam, & remanente culpâ reatus pœnæ desinere nequeat. Ergo si supponatur peccatum Veniale aut Mortale dimissum in hac vitâ quantum ad culpam, non est, cur per satispassionem condignam & æqualem pœna temporalis in inferno solvi non possit; siquidem ad satispassionem non exigatur voluntaria ejus acceptatio.

Scotus *in 4. dist. 21. q. 1. & dist. 15. q. 1.* & Scotistæ communiter, nominatim Mastrius *in 2. disp. 6. q. 8. a. 1.* tenent, Veniali etiam conjuncto cum mortali pœnam æternam non deberi, sed temporalem, & ita de facto puniri in inferno. Fundamentum est. Quia Deus semper punit citra condignum, & esto, quòd secundùm rigorem Justitiæ puniret usque ad condignum, omnino injustum foret, pœnam æternam infligere pro isto peccato, cui secundùm se debetur pœna duntaxat temporalis: quantumcunque enim conjungatur alteri, hoc non facit illud in infinitum exire genus istius culpæ. Igitur neque per accidens peccato Veniali respondet in inferno pœna æterna. 8.

CONCLUSIO I.

PEccatum mortale Habituale distinguitur ab habituali Veniali, quòd illud, non verò istud importet reatum pœnæ æternæ.

Probatur. Nam triplex est formalitas peccati Mortalis. Prima est malitia aversionis à Deo Ultimo Fine, importans ut sic moralem & affectivam Divinæ Majestatis destructionem. Ista verò malitia non objectivè & terminativè duntaxat, sed formaliter intensivè est infinita. Unde ipsi respondet pœna non objectivè duntaxat infinita, cujusmodi est pœna Damni privans Deo Ultimo Fine, non secundùm se spectato, sed qua per formalem Beatitudinem possidendo; sed pœna etiam *formaliter*, non quidem *intensivè*, sed *extensivè* secundum æternitatis durationem est infinita. At verò malitia aversionis a Deo ut sic moralem Divinæ Majestatis offensionem ac destructionem importans est peccati mortalis à Veniali *formaliter* distinctiva ratio. Ergo peccato mortali quà *Essentialiter* distincto à Veniali per naturam suam intrinsecam convenit, quòd inducat pœnæ æternæ reatum. 9.

Secunda peccati mortiferi malitia est inordinatæ ad Bonum commutabile conversionis. Hæc autem est communis peccato mortali ac veniali, ita ut, si quæ conversio ad commutabile Bonum quantumvis inordinata, esset sine aversione à Deo, secundùm Divum Thomam *1. 2. q. 20. a. 3.* non foret peccatum mortale. Unde isti conversionis malitiei respondet pœna duntaxat finita. ex eodem sancto Doctore *1. 2. q. 87. a. 4.* Etsi verò ista pœna sensûs sit quoad durationem infinita & æterna, hæc tamen æternitas ut sic non respondet malitiei inordinatæ ad Bonum commutabile conversionis, sed culpæ irreparabilitati. *ex cit. a. 4 ad. 3.* At isthæc irreparabilitas est propria peccati mortalis à veniali distinctiva ratio. Ergo pœnæ æternitas convenit peccato mortali quà *formaliter* secundùm naturam suam intrinsecam distincto à veniali. 10.

Tertia peccati mortalis malitia est quædam publicæ Justitiæ toti humano generi erga Deum in- 11.

um inexistentis læsio ut sic *transcendentaliter* inexistens omni peccato. Etsi verò ista publicæ Justitiæ læsio crescat secundùm materiæ gravitatem, ex se tamen, si spectetur præcisa à malitiâ aversionis à Deo, nequit æquiparari malitiæ offensæ Divinæ ut sic peccati mortalis à veniali *formaliter* distinctivæ; ita ut, si per impossibile unà cum malitiei in homicidio quà lumini naturali repugnantis notitiâ stare posset invincibilis Dei ignorantia, Homicidium taliter perpetratum non foret peccatum mortale, velut *alibi* probabitur. At isto haud obstante, inesset tali peccato malitia publicæ humani generis Justitiæ læsiva, quam proinde deceret à Deo tanquàm reipublicæ rationalis Capite puniri. Hæc autem pœna non foret æterna, utpote non respondens infinitæ peccati malitiæ in offensæ Divinæ & injuriosæ à Deo aversionis ratione se tenenti. Quare sub illâ publicæ humani generis ad Deum Justitiæ læsæ formalitate respondet peccato mortali pœna duntaxat temporalis, quæ partialiter saltem manet plerumque post culpæ Mortalis ac pœnæ æternæ vi Pœnitentiæ sacramenti remissionem. De quâ proinde pœ-
12. nâ per satisfactionem eluendâ Concilium Trident. *sess. 14. de pœnit. cap. 8.* decernit: *Quòd Divinam clementiam deceat, ne ita nobis absque ullâ satisfactione peccata dimittantur, ut occasione acceptâ, peccata leviora putantes, velut injurÿ & contumeliosi Spiritus sancto, in graviora labamur, thesaurizantes nobis iram in die iræ.* Cùm proinde illa publica humani generis erga Deum Justitiæ læsæ malitia non sit formalis peccati mortiferi à veniali distinctiva ratio, quin *metaphysicè* saltem sub invincibilis ignorantiæ Dei Hypothesi sit separabilis, illi verò malitiæ ut sic non respondeat nisi pœna temporalis: æternitas autem in pœnâ tam Damni, quàm sensûs respondeat peccato quà Divinæ Ultimi Finis Majestatis *moraliter* læsivo, istâ verò Divinæ Majestatis affectiva & moralis læsio sit peccati quà mortiferi ratio *formaliter* constitutiva, evidenter infertur, peccato mortali secundùm naturam suam intrinsecam *formaliter* spectato ut sic respondere pœnam æternam.

Conclusio II.

Peccato Veniali potest per accidens ratione conjunctionis cum peccato mortali in inferno respondere pœna æterna.

13. Probatur. Nam Duratio pœnæ respondet durationi culpæ, non quidem ex parte actûs, sed ex parte maculæ. Unde hac durante, manet reatus pœnæ. ex Divo Thomâ *cit. a. 4. ad 3.* At hoc discriminis est inter peccatum mortale ac veniale, quòd istud quoad maculam non quidem ab intrinseco ac per se, sed per accidens ratione status in Damnatis possit esse perpetuum, illud verò ex naturâ suâ intrinsecâ irreparabile ac perpetuum sit. Probatur ista minor. Nam peccatum mortale per formalem suam aversionis quà ultimi Finis *moraliter affectivè* destructivâ ut sic infinitâ malitiam habet vim sub ratione motivi ex parte volitorum *Finaliter* terminativi eatenus concitandi odium Dei erga peccatorem, ut Deus istum *simpliciter* in ordine supernaturali execretur. Ex vi autem hujus execrationis resultat privatio tum Gratiæ sanctificantis, tum Donorum Spiritûs sancti, tum debitum carendi omnimodâ actuali gratiâ ad actus supernaturales excitante. At manifestum est, vi talis debiti, & in ordine supernaturali privationis oriri impotentiam ad eluendam peccati maculam. Ergo perpetuitas maculæ est propria peccato mortali secundum naturam suam intrinsecam spectati. Cùm igitur Duratio pœnæ respondeat durationi culpæ se tenenti ex parte maculæ, consequens est, peccato mortali per se respondere pœnam æternam.

Econtra verò peccatum Veniale habet malitiam odij Divini concitativam ad execrandum hominem non *simpliciter* in lineâ moralis ac supernaturalis rectitudinis, sed *secundum Quid* quoad privationem actualis ad determinatam moralis rectitudinis speciem auxilij. Ejusmodi verò rectitudinis moralis privatio, seu actuali ad illam auxilio carendi debitum superari potest ex gratiæ sanctificantis, cum quâ componitur, intrinsecâ perfectione ac elevatione, vi cujus inest animæ intrinseca ad actum supernaturalem peccati venialis etiam de condigno reparativum idoneitas. Cùm proinde peccatum veniale de se non sit extinctivum gratiæ, non fundat per se maculæ, atque adeò reatûs pœnæ ex se relicti irreparabilitatem, sed per accidens duntaxat. 14.

Probatur istud assumptum. Quia si peccatum veniale sit conjunctum cum mortali, tum vi istius inest debitum carendi omni supernaturali ad eluendam maculam etiam venialem necessario auxilio. At vi talis debiti est quadam peccati etiam venialis irreparabilitas, non quidem ex ipsâ veniali, sed mortali culpâ, cui illud conjungitur, proveniens. Ergo ratione talis conjunctionis peccatum veniale est *per accidens* irreparabile. Etsi verò ista peccati venialis cum mortali conjunctio in statu viæ non impediat, quin, cum mortale sit ab Extrinseco vi meritorum Christi, & voluntatis Divinæ pœnitentiam misericorditer donantis reparabile, post et veniale mediante gratiâ restitutâ reparari, hæc ipsa tamen etiam extrinseca peccati mortalis, & ex consequenti etiam venialis reparabilitas cessat in inferno. At duratio pœnæ respondet durationi culpæ se tenenti ex parte maculæ. Ergo quia veniali, cum quo aliquis in statu peccati mortalis constitutus decedit, non quidem per se, & ex natura suâ, sed ratione mortalis sibi conjuncti est in inferno penitus irreparabile; consequenter talis peccati maculæ *per accidens* irreparabili respondet ratione sui cum Mortali conjunctionis pœna æterna. 15.

Responsio ad fundamenta *à n. 2.* proposita.

AD Suarezij *n. 2.* propositum fundamentum Respondetur. Displicere, quòd asserat, rationem offensæ Deo non quà publico legislatori ac Principi, sed quà amico duntaxat illatæ mereri pœnam æternam: siquidem talis contra Deum etiam quà legislatorem offensa sit Divini in Primâ Majestate radicati Iuris (ex quo fit rei præceptæ per legem Divinam exactio) læsio affectiva, & moralis, ut sic infinitam continens malitiam, atque adeò æternam exigens pœnam. Quare pœnam temporalem respondentem pec- 16.

tem pec-

tem peccato mortali, & isto dimisso adhuc eluendam non respondere rationi offensæ Divinæ, sed publicæ Humani generis erga Deum Justitiæ læsæ [illegible].

17. Ad Divi Thomæ *a. 3. & 4.* propositam doctrinam Respondetur. Ex dictis patere, qualiter infinitas, atque adeò æternitas pœnæ *formaliter* respondeat peccato mortali. Et hinc licet pœna Damni quoad substantiam, prout *formaliter* Beatitudinis ceu formæ supernaturalis, *objective* autem ipsius Dei ceu objecti Beatifici est privativa, non nisi *Terminativè* sit infinita: quia tamen eadem Damni pœna adæquate sumpta omnimodam ex Divino vi peccati præteriti concitato odio prodeuntem formæ supernaturalis privationem importat, ut sic fundat peccati irreparabilitatem, & perpetuitatem, atque adeò pœnæ etiam æternitatem, ac infinitatem quoad modum durationis. Cùm proinde peccato mortali secundùm aversionis à Deo malitiam, atque adeò naturam suam intrinsecam spectato omnimoda Damni ut sic æternitatem fundantis pœna respondeat, consequens est, pœnæ æternitatem propriam esse peccati mortalis quà aversivi à Deo.

18. Ad Gonetij *n. 5.* deductum fundamentum Respondetur. Placere quidem, quòd pœnæ culpæ mortali respondentis æternitatem reducat in talis peccati irreparabilitatem. Hanc verò reducendam esse tum in formalem peccati mortalis actualis malitiam ut sic de naturâ suâ contrarivam odij divini efficaciâ suâ destituentis omnimodâ supernaturali forma, in quâ possit unicè radicata esse illius peccati reparabilitas: tum in peccati Habitualis maculam eo ipso *intrinsecè* irreparabilem, quod *formaliter* sit exclusiva Gratiæ sanctificantis ceu primi in lineâ supernaturali radicalis Principij. Quæ causa etiam est, cur veniale conjunctum cum mortali in inferno puniatur pœnâ æternâ, uti probat quoque fundamentum *n. 6.* deductum.

19. Ad Ysamberti *n. 7. & 8.* proposita Fundamenta Respondetur. Esto, quòd satispassio ut reatûs pœnæ temporalis post culpam dimissam remanentis extinctiva per se non exigeret statum gratiæ, cujus tamen contrarium conatur evincere Ysambertus *citatus*: attamen quia ex statu voluntatis in malo obduratæ & immobiliter firmatæ damnatus eatenus execratur pœnas ibi toleratas, ut suâ malitiâ in ipsum Deum justum Ultorem insurgat, imò in peccati licet dimissi quoad culpam, sed ob pœnæ temporalis reatum non extinctum in inferno puniti malitiâ complaceat, idcircò ex hoc impeditur illa satispassionis vis, ne possit prævalere ad reatûs illius extinctionem, & sic per accidens ratione statûs, & obduratæ in malo accedente Divino voluntatis fit, peccatum veniale quoad culpam, non tamen integrum reatum pœnæ dimissum in inferno puniri pœnâ æternâ.

20. Ad *n. 9.* oppositum fundamentũ Respondetur. Quamdiu stat causa de se exigens pœnæ inflictionem, tamdiu pœnam esse justam. At licet peccatum veniale de se non sit perpetuum seu irreparabile per accidens tamẽ ratione conjunctionis cum mortali, imò & voluntatis in malo obduratæ fieri in inferno irreparabile. Unde sicuti tale peccatum durat in perpetuum, sic effectum sui, pœnam de condigno ipsi respondentem ex Justitiæ æquitate debere esse æternam. Unde licet peccatum veniale in inferno non exuat genus malitiæ sibi ab intrinseco competentis, & non nisi pœnam temporalem exigentis, ejusmodi tamen temporalem actu, *ut coremanete* [illegible] & ut sic veniali peccato proportionatam pœnã ex ipso *fine coremanete* in infinitum extendi, & accidens, quòd etiam culpa *per accidens* duret in æternum, & sic causâ non cessante, nec effectus cessare debeat.

COROLLARIUM.

INfertur 1. Qualiter unum peccatum possit esse pœna alterius peccati. Nam *primò* certum est, peccatum sub formali suæ malitiæ ratione non posse esse pœnam; siquidem ista, teste Divino Dionysio *3. de Divin. Nomin.* sit à Deo, neque autem peccati malitia à Deo procedit. Nihilominùs *secundò* unum peccatum, teste Divo Thomâ *1. 2. q. 87. a. 3.* potest esse pœna alterius peccati per accidens tum *causaliter*, removendo seu demerendo auxilium gratiæ, per quod impediuntur peccata. Quo modo accipitur illud *ad Roman. 1. Propter quod tradidit eos Deus in desideria cordis eorum.* Hoc enim perinde est, ac si diceretur deleri ab auxilio gratiæ; unde consequens sit, ipsos vinci passionibus, & sic labi in peccatum, cujusmodi sic adeò peccatum sit pœna præcedentis peccati. Tum *Concomitanter*, quatenus peccatum posterius est afflictivum, & non quidem sub formali sua malitia, sed sub ratione actûs afflictivi quoad [illegible] Deo in vindictam sceleratum. Tum denique *effective* quatenus posterioris peccati effectus sit pœna inflig[itur] etiam propter prius peccatum.

Infertur 2. Qualiter in Damnatis sit inæqualitas pœnæ non sensûs duntaxat, sed etiam Damni. Nam 1. certum est, cuilibet peccato mortali respondere tum ratione inordinatæ ad Commutabile Bonum conversionis pœnam sensûs ex ignis infernalis physicâ causalitate impressam, tum ratione aversionis à Deo Ultimo Fine pœnam Damni in Beatitudinis, omnisque actualis & habitualis Gratiæ supernaturalis privatione sitam. De quâ duplici pœnâ dicitur *Isaiæ 14. Suscepit impius de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis suis.* 2. Certum etiam est, pœnam sensûs in quovis damnato esse *Intensivè* finitam, atque adeò pro diversitate peccatorum inæqualem. Verum de pœnâ Damni dubitatur, an aliqua possit penes ipsam se tenere inæqualitas? Etenim 3. plures à Francisco de Lugo *in 1. par. lib. 3. disp. 27. cap. 4. n. 35.* relati affirmant, in omnibus damnatis esse æqualem pœnam damni, eo quòd privatio non suscipiat magis & minus. Verùm Gonetius *cit. disp. 8. a. 8. q. 3.* admittit pœnæ damni inæqualitatem non quidem extensivam, sed intensivam, etsi enim pœna Damni in uno Damnato non plus formæ auferat, quàm in alio, nec adeò sit *Extensivè* inæqualis: attamen sicuti formæ intensio crescit per majorem in subjecto radicationẽ; sic ait author *citatus* privationẽ Formarum supernaturalium pœnæ Damni constitutivam tantò magis firmari & radicari in animâ damnata, atq; adeò ratione talis radicationis esse majorem *Intensivè*, quantò ex pluribus procedat peccatis pœnæ ejusmodi Causativis.

23 Cui non adſtipulatur Lugo *citatus n. 49.* inæqualitatem pœnæ damni ex eo adſtruens fundamento, quòd privatio ſpecificetur ac individuetur non à formâ duntaxat, quâ privat, & à ſubjecto, cui ineſt; ſed etiam à causâ, unde provenit, ſiquidem ad iſtam etiam dicat Tranſcendentalem, & Eſſentialem reſpectum. Unde cùm quodlibet peccatum Mortale cauſet privationem Gratiæ & Gloriæ, infert author *citatus* pro diverſitate & majori gravitate peccatorum oriri diverſas, vel plures etiam gratiæ & Gloriæ privationes: quas adeò ſub tali differentiâ cognitas à damnatis majorem, vel minorem incutere afflictionem, prout quiſque videat in ſe fœdiores, vel plures privationes ex gravioribus, vel pluribus peccatis provenientes.



ARTICULUS II.

DE

Peccato Originali.

1 ADverſus Hæreticos tum antiquos Pelagium, ejuſque diſcipulos, tum modernos Zvvinglium *lib. de peccato Orig.* & alios ex fide Orthodoxâ adſtruendum eſſe Originale Peccatum, evincitur ex ſacris litteris *Pſal. 50. In iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me Mater mea.* Supra quem ſacrum textum ſcribit *ibidem* Sanctus Auguſtinus: *Quid eſt, quòd ſe dicit in iniquitate conceptum, niſi quia trahitur iniquitas ex Adam?* Quæ proinde iniquitas ex Adam Originaliter contracta, cum ſit cauſa omnium aliorum peccatorum, eatenus eſt *Formaliter* in ſingulis unum peccatum, ut in ſenſu tamen Cauſali à Pſalmiſtâ in plurali numero dicatur iniquitates, & peccata.

Deinde Job. 14. ſic habetur: *Quis poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine, nonne tu, qui ſolus es.* At Septuaginta legunt, *Nemo mundus à ſorde, nec infans unius diei.* Hanc verò ſordem non eſſe corporalem, ſed peccati maculam, Divus Thomas *4. contra Gent. cap. 5.* probat, partim quòd ſoli Deo tribuatur, poſſe ab illa mundare, partim quòd ibi ſermo ſit de immunditiâ, ratione cujus homo ducitur in judicium: hinc enim dicebatur: *Et dignum ducis ſuper hujuſcemodi aperire oculos tuos, & adducere eum tecum in judicium.* Oportet proinde, in infante unius etiam diei ponere immunditiam peccati non Perſonalis. Ergo Originalis. Denique ad Rom. 5. ſcribitur in hæc verba: *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccaverunt.* Nec dicere licet cum Pelagianis, peccatum unius hominis Adami in mundum, ſeu omnes homines pertranſiiſſe per imitationem, non verò per Originem. Nam in contrarium ſtat argumentum Divi Auguſtini *lib. de peccatorum meritis & remiſſ. cap. 9.* ſic arguentis. *Si Apoſtolus peccatum illud commemorare voluiſſet, quod in hunc mundum non propagine, ſed imitatione intraverit, ejus principem non Adam, ſed Diabolum diceret, de quo ſcriptum eſt, ab initio diabolus peccat: de quo etiam legitur in libro ſapientiæ, invidiâ diaboli mors intravit in orbem terrarum, imitantur autem eum, qui ſunt ex parte ejus.* Oportet igitur, illa verba Apoſtoli omnes homines, atque adeo etiam infantes utpote morti obnoxios, nec tamen imitatione, ſed propagatione duntaxat peccati capaces comprehendentia eatenus intelligere de peccato Originali, ut propterea Concilium Tridentinum *ſeſſ. 5. de peccato orig. can. 2* ſic definiverit. *Si quis Adæ prævaricationem ſibi ſoli, & non ejus propagini, aſſerit nocuiſſe; & acceptam à Deo Sanctitatem, & Juſtitiam, quam perdidit, ſibi ſoli, & non nobis etiam eum perdidiſſe; aut inquinatum illum per inobedientiæ peccatum mortem, & pœnas corporis tantum in omne genus humanum transfudiſſe, non autem & peccatum, quod mors eſt animæ; anathema ſit, cùm contradicat Apoſtolo dicenti: Per unum hominem peccatum intravit in mundum.* 2

Quibus adeò ſuppoſitis, tres præcipuas hic perpendemus controverſias. 1. *Quæ ſit ratio, cur ex Adami peccato in omnes ejus poſteros fluat culpa originalis?* 2. *In quo Formaliter conſiſtat peccatum Originale?* 3. *An fieri poſſet, quod Originale peccatum eſſet conjunctum cum ſolo Veniali?* 4. *Quænam pœnæ reſpondeant Originali peccato?* Quibus tandem ſubnectemus aliquot corollaria, in iis examinantes, quæ circa peccati originalis cauſam, ſubjectum, ac effectus ſupererunt decidenda.

CONTROVERSIA I.

Quæ ſit ratio, cur ex Adami peccato in omnes ejus poſteros fluat Originalis culpa?

DIfficultatis punctum in eo ſe tenet, quòd indubitatum eſſe debeat Orthodoxis, quin Originalis culpa ſit proprie peccatum, ſacro Tridentino Concilio *cit. ſeſſ. 5. can. 5.* ſic definiente: *Si quis per Ieſu Chriſti Domini noſtri gratiam, quæ in Baptiſmate confertur, reatum Originalis peccati remitti negat, aut etiam aſſerit, non tolli totum id, quod veram & propriam rationem peccati habet, anathema ſit.* At de ratione peccati eſt, eſſe voluntarium illi, cui imputatur, oportet igitur explicare, *Qualiter Originale peccatum omnibus ac ſingulis Adæ poſteris ſit voluntarium?* 3

Referuntur Sententiæ.

FRanciſcus Amicus *præs. diſp. 25. à n. 33.* ex communi Scholaſticorum, necnon Sancti Auguſtini *16. de civit. cap. 27.* & Divi Hieronymi *in cap. 6. Oſeæ* ſententiâ tradit 1. Deum iniiſſe pactum cum Adamo de tranſmittendâ in poſteros Sanctitate, & Iuſtitiâ Originali, quam ipſe ut Caput à Deo acceperat dependenter ab obſervantiâ præcepti de non comedendo ligno ſcientiæ boni & mali. Unde ſicut eo ſervato, juſtitiam à Deo acceptam ſervaſſet ſibi, & transfudiſſet poſteris *Meritoriè*: ita præcepto violato, ſanctitatem à Deo acceptam non ſolum perdidiſſe ſibi, ſed etiam poſteris, quatenus Deus nollet poſterorum animas creare cum illo Gratiæ Dono, cum quo, ſi ille Deo fuiſſet obediens, eas creaturus fuiſſet. Hinc 2. Adamo peccante, debitam nobis fuiſſe privationem Originalis Iuſtitiæ per modum habitualis à Deo fine ſuper- 4

ne supernaturali aversionis consequentis peccatum nostrum interpretativum in origine. Quod equidem voluntarium in Capite suffecisse, ut posteri contraherent veram offensam & inimicitiam cum Deo, & maculam animæ.

Fundamentum est. Etenim ad veram & propriam culpam habitualem per modum Maculæ relictæ ex peccato actuali requiruntur duo, scilicet privatio debitæ Sanctitatis, & ratio voluntarij. Atqui ad privationem debitæ Sanctitatis sub ratione culpæ Originalis contrahendam non est necesse, ut nobis sit voluntaria voluntate propriâ personali, sed sufficit, ut nobis sit voluntaria voluntate Originariâ Capitis, in quo vi pacti Divini sumus omnes *Moraliter* inclusi. Hoc autẽ accidit, quatenus Deus constituit Adamum Caput hominũ, non solum in Esse naturæ, per seminalem propagationem; sed etiam in Esse Gratiæ per moralem observantiam præcepti: hinc enim factum est, ut voluntas ipsius *interpretative*, ac *Virtualiter* esset voluntas omnium nostrûm, proinde ipso peccante, & nos *interpretative* peccaremus, juxta illud *ad Rom. 5. In quo omnes peccaverunt.* Et Oseæ 6. *Ipsi autem sicut Adam transgressi sunt pactum.* Sicuti pronde casu, quo Princeps terrenus pactus est cum milite de ipso, ejusque posteris in gratiam & amicitiam recipiendo, si fortiter se gesserit in Bello, tunc, isto se non bene gerente, etiam posteri justam principis offensam, & quandam moralem in suis personis maculam contrahunt; sic quia supremus Dominus habens Ius omnium voluntates conjungendi cum voluntate unius principij Originantis, cum Adamo ceu Capite originario inijt pactum superius recensitum, consequenter ejus violatio *interpretative* fuit voluntaria omnibus Adæ posteris.

5. Joannes Baptista Gonet *disp. 7. de peccat. a. 2.* asserit, peccatum Originale ad posteros Adami descendens ipsis esse voluntarium non *Formaliter* per modum Exercitij, sed *Terminative* per modum effectûs non quidem *Physice* ex ordine ad propriam uniuscujusque voluntatem, sed *Moraliter* ex ordine ad voluntatem Adami continentis per modum Capitis omnium hominum voluntates. Fundamentum est. Peccatum enim Originale non est de genere peccati actualis, sed de genere peccati habitualis. Atqui peccata Habitualia solum sunt voluntaria *Terminative*, tanquam effectus, seu termini ex peccato actuali relicti. Ergo & peccatum Originale. Hæc ipsa verò in peccato originali voluntarij Terminativi ratio nequit *physice* se habere ad proprias Parvulorum voluntates, sed duntaxat *Moraliter* per ordinem ad voluntatem Adami continentis per modum capitis omnium hominum voluntates. Ad hoc autem requirebatur, Adamum non esse hominum Caput duntaxat Naturale, sed morale. At illa moralis Capitis ratio fundabatur in Decreto Divino, quo statuebatur, voluntatem Adami esse habendam pro voluntate posterorum, quantum ad conservationem, vel amissionem Iustitiæ Originalis. Unde oportebat, illud Decretum fuisse Adamo manifestatum, cùm alioquin ignorando *invincibiliter* se operari ut Caput Morale omnium hominum, non nisi ut Caput Naturæ, & ut persona particularis delinquere potuisset.

CONCLUSIO.

EX illâ morali omnium Voluntatum in Adami voluntatem transfusione factum est, quòd omnes ex eo per Adami propagatione nascituri in ipso tanquàm suo Capite Morali peccaverint, atque ut sic contraxerint peccati Originalis in primo Conceptionis instanti, nisi speciali privilegio quis præservaretur, incurrendi Debitum.

Probatur. Sicut enim actus per Magistratum facti ex potestate à Civibus in se translatâ *Moraliter* imputantur toti Civitati: sic quia Deus omnium totius humani generis Voluntatum Dominus, has in voluntatem Adami transtulit sub pacto, cunctos ac singulos ipsius posteros eâdem, in quâ creatus erat Adamus, Gratiâ sanctificante ornandi in primo conceptionis instanti, si ille debitæ fidelitatis ac subjectionis Ius per præcepti sibi impositi observantiam servaret: cum econtra illo debiti Homagij Iure non servato, esset ipsos privaturus Gratiâ sanctificante alioquin concedendâ in primo conceptionis instanti. Idcirco Adamo (habente omnium posterorum voluntates ex Divini absolutissimi Domini potestate in se *moraliter* transfusas) peccante, oportet omnes in ipso secundum imputationem moralem peccavisse: atque adeo in ipso Adami peccato contraxisse debitum maculæ in primo originis, seu conceptionis instanti in nos, teste Concilio Tridentino *cit. sess. 5. can. 3.* non imitatione, sed propagatione extenus transfusæ, ut unicuique insit proprium Originale peccatum, unde que dicamur natura Filij iræ *ad Eph. 2.* Et hinc Originale peccatum non quidem *physice*, vel etiam formaliter personali voluntate nobis est voluntarium, sed *Moraliter*, voluntate Originaria Capitis: ut directè probant fundamenta *n. 2. & 3.* deducta.

CONTROVERSIA II.

In quo Formaliter consistat peccatum Originale?

PLures extitit Hæreticorum damnati errores de Originali peccato breviter refutandi, ut pro nostro instituto ad difficultates inter Orthodoxos Scholasticos Theologos examinandas procedere possimus. Primus igitur error est Flacci Illyrici Centuriatorum principis apud Amicum *cit. disp. 25. n. 88.* existimantis, originale peccatum in nobis esse corruptionem substantialis imaginis Dei transformatæ in Diaboli imaginem substantialem: cujus modi adeò peccati Originalis constitutivam substantiam vocari corpus *Rom. 6. Vetus homo noster simul Crucifixus est, ut destruatur corpus peccati.*

Verùm illud delirium refutatur tum ex eo quòd incidat in hæresin Manichæorum substantiam malam à Diabolo authore profectam asserentium; tum quòd totum peccatum originale secundùm fidem Orthodoxam à Concilio

Tridentino *cit. sess. 5. can. 5.* definitam tollatur per Baptismum, neque verò tunc fiat mutatio quædam substantialis, seu destructiva substantiæ. Unde sub corpore peccati Apostolus *citatus* non intelligit substantiam, sed peccatorum congeriem, quæ similitudinariè dici potest corpus.

2. Secundus Lutheranorum & Calvinistarum error est, quòd peccatum originale sit Concupiscentia, hæc enim dicitur peccatum *in cit. ad Rom. 6. cap. Non regnet peccatum in vestro mortali corpore.* Verùm isti rejiciuntur, eò quòd *Nihil damnationis sit in his, qui sunt renati in Christo IESU. ad Rom. 8.* Unde Concilium Tridentinum *ubi supra* definit, per Baptismum tolli in renatis, quidquid habet veram, & propriam rationem peccati. At concupiscentiam non tolli per Baptismum, sed in renatis ad agonem relinqui, definit Concilium *citatum*, evinciturque ex illo *ad Rom. 7. Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ.* Unde concupiscentiam non *Formaliter*, sed *Effectivè* tanquàm peccati originalis effectum, & *Causaliter* utpote ad peccata actualia inclinativam esse peccatum, decernitur *in cit. can. 5. circa finem.*

3. Huc tertiò reduci potest error quorundam, peccatum Originale in vitiosâ quâdam qualitate semini humani generis propagativo, vel per sibilum serpentis, vel per Adami peccatum impressâ constituentium. Verùm huic figmento obstat, tum quòd ista serpentis impressio potius Evam, cui cum illo fuit colloquium, inficere debuisset, atque adeò non tam ex Adamo, quàm ex Evâ propagaretur originale peccatum. Hoc autem est contra sacras litteras: Tum quòd qualitas semini Adami sive per serpentem, sive per peccatum impressa non posset naturaliter habere tam firmas radices, quin evanuisset; neque hujus conservatio speciali Divinæ providentiæ congruè attribui posset.

His igitur erroribus missis, ad Scolasticorum Theologorum placita transeamus.

Referuntur Sententiæ.

4. ALbertus Pighius *cont. 1. de peccat. Orig.* Oviedo *præs. tract. 6. cont. 9. punc. 9.* existimabant, Originale esse ipsummet actuale Adami peccatum *Moraliter* imputatum posteris, & ut sic *Formaliter* ad eisdem contractum. Cui sententiæ aliqualiter saltem concordant Alphonsus Curiel *in 1. 2. q. 82. a. 3. dub. 4. §. 4.* Ysambertus *ad præs. q. 81. disp. 3. art. ult.* docens, peccatum originale esse *Formaliter* privationem conformitatis ad legem, quam transgressus est Adam, ut caput nostrum: non quidem prout illa privatio est actualis transgressio, sed ut terminus resultans ex actuali transgressione, quæ præcessit in Adam eo modo, quo in ipso remansit, transacto actuali peccato. Fundamentum est. Nam Adam tenebatur ut caput omnium conformare se legi impositæ sibi ut capiti. Quia igitur hoc non fecit, resultavit in ipso, & in nobis inadæquatio ad illam legem, sive privatio conformitatis cum eâ per modum habitûs & termini, in ipso quidem tunc *quoad actualem existentiam*, in nobis autem *Inchoativè* & quoad sufficientiam, *actu* verò, cùm primùm incipimus esse actu membra Adæ. Et hinc quando dici solet, peccatum originale consistere in privatione Iustitiæ originalis, debet hoc accipi *Causaliter* quatenus culpa Originalis est Causa dispositiva & demeritoria hujus privationis, aut etiam *Formaliter*, si Iustitia sumatur pro eà rectitudine, aut conformitate cum lege, ad quam Iustitia originalis inclinabat.

Durandus *in 2. dist. 30. q. 3.* Altisiodorensis *tract. 28. cap. 2.* arbitrati sunt, peccatum Originale consistere in reatu pœnæ. Fundamentum petitum est ab authoritate Sancti Augustini *in lib. 50.* asserentis, quòd *nemo nascatur nisi trahens pœnam, trahens reatum pœnæ.* In hoc autem textu Sanctus hic Ecclesiæ Doctor eatenus distinguit inter pœnam ac reatum pœnæ, ut mox dicat *meritum pœnæ esse peccatum.* Unde etiam *in lib. 1. Retract. cap. 15.* explicando, qualiter *nos ex Adam dicamur originaliter contrahere peccatum*; inquit, *nos reatu ejus implicatos, & ob hoc pœnæ obnoxios detineri.* 5.

Nonnulli recentiores Thomistæ a Gonetio *cit. disp. 7. a. 5. §. 3.* allegati censent; Originale peccatum consistere *Formaliter* in Conversione habituali ad creaturam, seu in habitu inclinante hominem ad Bonum Commutabile, ut in Ultimum Finem, causatum in nobis ex peccato Adami. Fundamentum ab Amico *citato n. 44.* deductum est. Quia omnis creatura debet habere aliquem Finem, ad quem sit conversa. At homo existens in peccato Originali non habet pro Fine Deum, utpote à quo sit aversus. Ergo habebit pro Fine creaturas. Ergo conversus erit ad istas. 6.

Divus Thomas *q. 3. de Malo. art. 7. & q. 4. a. 2. in corp. & ad 10. in 2. dist. 30. q. 1. a. 2. 1. 2. q. 82. a. 2. & 3.* Cajetanus, Sylvius, & Serra *ibidem. dub. un.* Divus Bonaventura *in 2. dist. 31. a. 1. q. 2.* Scotus *dist. 32. q. un. §. Quoad primum.* Capreolus *in 2. dist. 30. a. 1. concl. 4.* Suarez *de actib. hum. tract. 5. sect. 9. disp. 2. prop. 1. 6.* Vasquez *1. 2. disp. 132. cap. 8.* Gonet *cit. art. 5. §. 4.* Amicus *præs. disp. 25. sect. 3. n. 97.* tenent; Originale *Formaliter* consistere in privatione Iustitiæ originalis quoad primarium Gratiæ scilicet sanctificantis effectum spectatæ, ac posteris ab Adam per seminalem generationem propagandis ex pacto, si Adamus non peccasset, debitæ. 7.

Fundamentum à Gonetio deductum est. Tum quia peccatum originale *Formaliter* consistit in eo, quòd *per se primò* tollitur per Baptisma, siquidem istud Sacramentum institutum sit ad delendam culpam Originalem. At per Baptisma *per se primò* tollitur privatio Iustitiæ Originalis quantum ad effectum primarium, cùm per illud *per se primò* conferatur gratia habitualis mentem Deo conjungens. Tum quia illud in unaquaq; re se habet ut ratio constitutiva, à quo tanquàm à radice & origine cætera ad illam pertinentia dimanant, & consequuntur. Atqui à privatione Iustitiæ originalis quantum ad primum ejus effectum, mentis scilicet cum Deo conjunctionem spectatæ dimanant aliæ deordinationes ex peccato Adami ad nos transfusæ per generationem. Unde Divus Thomas 1. 2. q. 85. a. 3. sic disserit: *Per Iustitiam Originalem perfectè ratio continebat inferiores animæ vires, & ipsa ratio à Deo perficiebatur ei subjecta: Hæc autem Originalis Iustitia subtracta est per peccatum Primi Parentis, & ideò omnes vires animæ remanent quodammodo destitutæ proprio ordine, quo naturaliter ordinantur ad virtutem, & ipsa destitutio vulneratio dicitur naturæ.*

Mastrius

8. Mastrius *in 2. disp. 4. q. 5. a. 5. n. 116. 123. & 126.* tenet, peccatum Originale *Formaliter* consistere nec in solius Gratiæ sanctificantis, nec in solius Iustitiæ Originalis, sed in utriusque istius doni privatione. Fundamentum desumitur ex Concilio Tridentino *sess. 5. de peccato Originali. can. 1. & 2.* decernente: *Adam acceptam à Deo sanctitatem & Iustitiam perdidisse sibi, & nobis per inobedientiæ peccatum.* At per sanctitatem intellitur gratia sanctificans; per Iustitiam verò Donum Iustitiæ Originalis, sive hæc importet habitum supernaturalem ab habitu Gratiæ distinctum, sive solam Dei providentiam peculiarem, quâ potentiæ in eo statu ita regebantur, ut inferiores superioribus obedirent. Si igitur Adam perdidit sibi, & nobis non tantum gratiam, sed & Iustitiam Originalem, sequitur, illam accepisse non tantum pro se, sed etiam pro descendentibus. Ergo posteri Adæ non sunt debitores tantùm gratiæ, sed etiam Iustitiæ Originalis. Ergo peccatum Originale in privatione solius originalis gratiæ consistere nequit.

CONCLUSIO.

Originalis peccati macula non consistit *Formaliter* in Justitiæ Originalis latè sumptæ carentiâ, sed in Gratiæ sanctificantis vi pacti cum Adamo initi omnibus ex isto seminaliter propagatis debitæ privatione quà voluntariâ, non personali, sed Capitali Voluntate, per omnium nimirum Adamo posterorum Moralem in hunc translationem.

9. Probatur. Nam Iustitiæ Originalis latè ac universaliter sumptæ secundùm Divum Thomam *1. par. q. 95. a. 1.* tres erant formales effectus, nimirum subdere mentem Deo, inferiores animi vires eatenus in officio continere, ne contra rationis & voluntatis imperium ad illicita ferrentur, & corpus ab omni corruptione immune servare. At istos duos effectus vi Baptismi non esse in hac mortali vitâ restitutos, evidens est. Est autem de fide definitum in Concilio Tridentino *cit. sess. 5. can. 5.* vi Baptismatis tolli totam id, quod veram & propriam peccati rationem habet. Oportet igitur, istorum duorum effectuum privationes non esse *Formaliter* culpam, seu peccatum Originale, sed tanquàm pœnas, seu pœnalitates ex isto tanquam causâ, sicut & mortem corporalem derivari tum in animas, tum in corpora Adami posterorum. Quare quoad primum duntaxat effectum formalem, mentis nimirum ad Deum subjectionis privatio habet rationem Maculæ ex peccato Adami *Originaliter* contractæ ab illius posteris.

Probatur istud assumptum. Nam ista mentis ad Deum subjectio alia est Habitualis consistens in Gratiâ sanctificante, ac infusarum virtutum Donis: alia verò est se tenens in actibus virtutum supernaturalium. At licèt hujus posterioris ad Deum subjectionis, sicut & virtutum ac Donorum supernaturalium privatio sit potiùs pœna, seu effectus peccati Originalis: attamen privatio Gratiæ habitualis ex hoc, quod omnes Adæ posteri in ipso ceu Capite peccarint contracta privatio est *Formaliter* macula Originalis.

10. Probatur hoc assumptum. Nam peccatum Originale est morale. At peccati actualis malitia consistit in morali, seu affectivâ destructione juris Divini rationem aliquam moralem exigentis ex supremâ Primi Ultimi Finis Majestate, ac jure radicato Dominio. Hæc proinde præfacti Divini Iuris destructio Moralis est concitativa Odij Dei ut per hoc fiat gratiæ Habitualis, ceu primæ Formæ ad Deum Ultimum Finem supernaturalem ordinativæ destructio. In cujusmodi adeò gratiæ sanctificantis privativa per peccatum actuale, ceu odij Divini Motivum ex parte volitum *Formaliter* Terminativũ causatâ destructione eatenus *virtualiter* perseverat peccatũ præteritum, ut consequenter talis privatio *Formaliter* constituat maculam peccati Habitualis. Cum igitur peccatum originale se habeat per modum maculæ, & culpæ habitualis, consequens est; ipsum importare gratiæ sanctificantis privationem in primo conceptionis instanti de jure ab omnibus Adæ posteris contrahendam ex Adami peccato, universis ex ipso descendentibus voluntario, non quidem personali, sed Capitali voluntate; veluti *præc. cont.* explicatum est.

Responsio ad opposita Fundamenta.

11. Ad *n. 4.* oppositum Fundamentum Respondetur. Oportere bene distinguere inter peccatum actuale in ipso Adamo peccante à nobis voluntate non quidem personali, sed capitali contractum, & peccatum Originale, quod, teste Concilio Tridentino *sess. 5. can. 3.* propagationem ab Adamo eatenus transfunditur in posteris, ut unicuique proprium insit, atque adeò homines, dum concipiuntur, propriam contrahant injustiam. *ex cit.* sacro Concil. *sess. 6. de Justif. cap. 3.* At verò per illud actuale in Adamo peccante à nobis etiam capitali voluntate commissum peccatum eatenus erat in Adamo quidem *actualiter complete*, in nobis verò imputatione morali *inchoativè* quoad sufficientiam inadæquatio ad legem Adæ ut capiti impositam, ut ista tamen inadæquatio personas nostras quoad propriam animæ substantiam non nisi *moraliter extrinsecè* afficiens nequeat *formaliter* constituere originalis peccati Habitualem maculam, utpote secundum Concil. Trident. intrinsecam per modum propriæ injustitiæ. Quare illa moralis peccati Adæ nobis in ipso voluntate capitali olim peccantibus imputabilitas ad Originalis peccati maculam se habet solum *causaliter* concitando Divinum erga nos odium ut sic gratiæ sanctificantis privationem inducens. In hac proinde quà per illud capitali Adæ voluntate à nobis perpetratum peccatum causatâ privatione eatenus *virtualiter* manet præfactum Adæ peccatum, ut illa ipsa privatio sit *formaliter* macula peccati Originalis.

12. Ad *n. 5.* oppositum Respondetur. Ex illis Sancti Augustini non tam de formali peccati Originalis constitutivo, quàm de ipso *materialiter* & *objectivè* spectato peccato sollicitis Authoritatibus evinci duntaxat, quòd reatus pœnæ ex peccato per nostras in Adamum *moraliter* transfusas

voluntates commisso à nobis contractus sit *materialiter* & *identicè*, non autem secundum rationem nostram ratiocinatam *formaliter* peccatum originale. Etenim ex illo actuali capitali voluntate nobis voluntario Adæ peccato eatenus concitatur Dei erga nos odium, ut istud Gratiæ sanctificantis *primario* sit privativum. At in istâ privatione eatenus fundatur omnimoda pœna Damni, ut consequenter ipsa privatio Gratiæ sanctificantis non quidem secundùm sui naturam, sed quatenus Divino per peccatū concitato odio substat, sit ratio in se ipsâ fundatam habens pœnæ Damni condignitatem, sitque adeò *realiter identicè* ipse pœnæ Damni reatus. Cùm igitur peccatum originale *formaliter* consistat in gratiæ sanctificantis privatione, quâ per Adæ peccatum capitali voluntate nobis appropriatum causata, ista verò privatio *materialiter identicè* importet ipsum pœnæ reatum; consequens est, illam Sancti Augustini sententiam optimè posse conciliari cum nostrâ sententiâ.

Ad *n. 6.* oppositum Respondetur. Vi pec-
13. cati Originalis esse animam à Deo Ultimo Fine averlam *privativè* per Gratiæ sanctificantis ceu Primæ Habitualis ad Deum Ultimum Finem conversionis privationem, non autem *formaliter positive* per formam *positivè* aversivam à Deo. Ex illâ autem privativâ a Deo aversione resultare per modum effectûs concupiscentiam, quæ portioni quidem sensitivæ inexistens per hujus cum parte rationali sympathiam *indirectè objectivè* sit *habitualiter* conversiva, seu potiùs inclinativa animæ in bonum creatum. Hac tamen inclinatione non obstante, manere naturalem animæ intelligentiam sub primorum moralium principiorum repræsentatione intelligibili Numinis infinitæ animæ capacitati commensurati, & ut sic satiativi expressivam, cui etiam in voluntate respondeat innata quædam propensio habitualis tum ad Bonum creatum, tum ad Numen increatum conversio, quin opus sit, adstruere aliquem ex peccato Adami impressum habitum per modum Habitualis ad Bonum creatum conversionis animæ inclinativum, & ut sic peccati Originalis *formaliter* constitutivum. Quare hujus peccati formalem, ac essentialem rationem eatenus subsistere in gratiæ sanctificantis, seu primariæ originalis Justitiæ privatione, ut actualium gratiarum, quibus pars inferior in statu innocentiæ fuisset rationi subdita, privatio se habeat ad culpam Originalem solum *consecutivè* per modum effectûs; sitque adeo per Baptismum non nisi radicaliter separabilis, nec nisi in cælesti Beatitudine plena ipsius fiat restitutio. Et hinc, si peccatum Originale non sumatur secundum sui primariam præcisè quidditatem *essentialiter*, sed *integraliter* quoad suos etiam effectus, rectè dicimus cum Sancto Thomâ *1. 2. q. 82. a. 3.* peccatum Originale esse quidem *formaliter* defectum Originalis Justitiæ, formaliter tamen, id est Essentialem in peccato Originali esse privationem illius duntaxat Originalis Justitiæ, Gratiæ nimirum Habitualis, per quam voluntas *radicaliter* scilicet subdebatur Deo, privatione subjectionis inferiorum virium ad rationem se habente per modum proprietatis ex Originali peccato promanantis; uti eleganter exprimit Sanctus Thomas *in Opusc. 3. cap. 192.* taliter disserens. *Quia dicti status* (Justitiæ scilicet Originalis) *tam ordinata integritas tota causabatur ex subjectione humanæ voluntatis ad Deum, consequens fuit, ut subductâ humanâ voluntate a subjectione Divinâ, deperiret illa perfecta subjectio inferiorum virium ad rationem, & corporis ad animam. Unde consecutum est, ut homo sentiret in inferiore appetitu sensibiles concupiscentiæ & iræ, & coeterarum passionum inordinatos motus non secundum ordinem rationis, sed magis illi repugnantes, & eam plerumque obnubilantes, & quasi perturbantes, & hæc est repugnantia carnis ad spiritum. Consecutum est etiam* (pergit Sanctus Doctor *ibidem cap.*) *ut in corpore sentiretur corruptionis defectus, & per hoc homo incurreret necessitatem moriendi, quasi anima jam non valente corpus in perpetuum continere, vitam ei præbendo, unde homo factus est passibilis & mortalis, non solùm quasi potens pati, & mori ut antea, sed quasi necessitatem habens ad patiendum, & moriendum.*

❊❊❊❊❊❊❊❊❊)(❊❊❊❊❊❊❊

CONTROVERSIA III.

An fieri posset, quòd peccatum Originale esset conjunctum cum solo Veniali?

ISTius controversiæ difficultas ad duplicem statum reduci potest. Primo, *An in hypothesi non de facto positâ, sed possibili, dum scilicet Adamo Innocentiæ statum diutius conservanti licuisset libere, an isti in tali statu venialiter peccare potuissent, & cum tali veniali culpa, ubi Adamus postea peccasset, contrahere Originale peccatum?* Secundò. *An de facto fieri possit, ut puer ad usum rationis perveniens, peccato Originali adhuc perseverante, possit venialiter peccare?*

Referuntur Sententiæ.

CIrca primum difficultatis statum Scotus *in 2. dist. 21. q. 1. n. 3.* asserit, potuisse hominem in statu Innocentiæ peccare venialiter. Fundamentum *ibi* deductum est. Quia homo in statu Innocentiæ potuit non tantum exercere actum deordinatum contra præceptum, sed etiam contra consilium tantum, ut non faciendo maximè expedienda: vel faciendo aliqua retardativa, licèt non faceret *directè* contra præceptum necessarium ad salutem. Imò ab illis retardativis libere abstinendo merebatur. Fuit ergo ipsi libertas ad peccatum veniale contrahendum, dum ejusmodi retardativa fuisset facturus.

Econtrario negat Suarez *tract. de Peccat. disp. 2. sect. 1. 7.* Ioannes Baptista Gonet *disp. 9. de peccat. art. 1.* Fundamentum à Suarezio *citat. n. 1. & 7.* insinuatum est. Quia in statu Innocentiæ erat singulare Divini præsidij privilegium, ut quamdiu homo non peccaret mortaliter, per gratiæ auxilia præservaretur ab omnimodâ culpâ veniali.

Fundamentum à Gonetio *cit. art. 5. concl. 2.* deductum est. Nihil enim pœnale potuit esse in statu Innocentiæ. At si homo in illo statu potuisset committere peccatum veniale, tunc manente Innocentiæ seu Justitiæ Originalis statu, extitisset eo ipso aliquid pœnale, reatus scilicet pœnæ etiam sensûs respondens tali culpæ. Non potuit ergo homo in statu Innocentiæ venialiter peccare, antequam peccaret mortaliter. Hæc 14

autem

autem impotentia secundum Divum Thomam *1. 2. q. 89. a. 3.* erat ob ... firmitatem, quâ ... portio continebatur sub superiore. At ... inferioris portionis non solum intellectus Sanctus Doctor appetitum sensitivum, sed etiam rationem inferiorem, quatenus respicit ea, quæ sunt ad finem, ut sic enim inferior est quodammodo seipsa, quatenus respicit finem. Sicut igitur ob perfectam subordinationem appetitûs sensitivi ad rationem, quam Donum integritatis præstabat in statu Innocentiæ, huic statui ab intrinseco repugnabant peccata venialia ex subreptione appetitûs, aut ex indeliberatione: (hæc enim non contingunt, nisi cum appetitus sensitivus antevertit rationem, & ejus judicium perturbat) ita ob perfectam subordinationem rationis inferioris media respicientis ad superiorem Finis considerativam rationem, cujusmodi subordinatio statui Innocentiæ conveniebat vi doni integritatis. Idcirco tali statui, in quo omnia inferiora superioribus erant subjecta, repugnabant peccata etiam ex parvitate materiæ venialia.

5. Circa secundum difficultatis statum Amicus *præf. disp. 2. sect. 9. n.* ... ex mente aliorum Doctorum affirmat, posse fieri, ut solum veniale brevi tempore sit cum peccato Originali. Fundamentum est. Nam si hoc repugnet hujus repugnantiæ est ratio, quod homo in primo usûs rationis instanti habeat præceptum se taliter convertendi ad Deum, ut consequenter vel ... ejusmodi ... Originale peccatum, vel illo præcepto non servato, incurratur culpa mortalis. At illa ratio non subsistit. Probatur ista minor. Vel enim illud se ad Deum convertendi in primo usûs rationis instanti præceptum non est, vel esto sit, non ita obligat, quin possit homo ante ejus impletionem venialiter peccare; imò stante illo præcepto, posset ejus obligationi satisfieri per actum conversionis ad Deum insufficientem ad justificationem. Ergo ex post facto posset originali peccato necdum extincto peccari venialiter. Unde posito casu, quòd aliquis de veniali ac Originali peccato simul reus moreretur, arbitratur Amicus ..., relegandum esse in limbum, & ibi præter pœnam Damni Originali peccato respondentem ... rationem culpæ venialis levem quandam pœnam sensûs æternò duraturam ob culpæ in illo statu irremissibilitatem, sicuti etiam ... mortali actuali conjunctum in inferno secundum Thomistas puniatur in æternum.

6. Contra Divus Thomas *1. 2. q. 89. a. 6.* disertis verbis negat; fieri posse, ut peccatum veniale in aliquo sit cum solo originali absque mortali. Fundamentum ab ipsomet sancto Doctore *ibi* deductum est. Quia antequam ad annos discretionis perveniat puer, defectus ætatis prohibens usum rationis, excusat eum à mortali; ergo etiam à veniali. At verò, cùm usum rationis habere incæperit, tunc primum, quod homini cogitandum occurrit, est deliberare de seipso, &c. si quidem seipsum ordinaverit ad debitum finem, per gratiam consequetur remissionem peccati originalis. Si verò non ordinet seipsum ad debitum finem, secundùm quod in illâ ætate est capax discretionis, peccabit mortaliter, non faciens, quod in se est, & ex tunc non erit in eo peccatum veniale sine mortali, nisi postquam totum fuerit sibi per gratiam remissum.

7. Huic Angelici ... Salmanticenses ... *cit. disp. 9. a. 6. § 4.* cum Salmanticensibus ... docuerit, ante usum rationis perfectum ... esse quidem admittendam ... imperfectam, & incompletam, quæ tamen sit solùm ad operandum indifferenter *physicè*, non autem *moraliter*. Fundamentum est. Quia ob imperfectum lumen non potest ante perfectum rationis usum cognoscere consonantiam, aut dissonantiam suorum actuum à lege. Ergo est incapax omnis moralitatis, quæ in subjectione actûs ad regulas morum consistit. At vero ad peccandum venialiter requiritur libertas ad operandum indifferenter non solùm *physicè*, sed etiam *moraliter*. Ergo puer ante primum instans morale usus rationis non potest venialiter peccare, sicut tunc non potest moraliter bene operari ac mereri.

8. Author *citatus in resp. ad ult. objectionem* superaddit, puero Divinum in primo morali usûs rationis instanti se ad Deum convertendi præceptum adimplenti per actum etiam naturalis implicitæ duntaxat ad Deum conversionis infallibiliter à Deo conferri gratiam, & charitatem, per quam justificatur. Fundamentum est. Cum enim efficax in Deum Ultimum Finem naturalem conversio sit ... sine ... aversione ab ipso Deo, ut Fine supernaturali, ... nequit, ut ... originale, quod est aversio ab isto fine, ... nisi simul ... ab originali culpa ... tur, atque ... gratia, ... concurrat saltem ut removens ... aversionem prohibentem istius conversionis.

CONCLUSIO.

IN statu Innocentiæ non posset homo peccare venialiter, nec adeò ex hypothesi *n. 1* positâ stare posset Originale cum solo veniali.

9. Probatur. Integritatis enim Donû in statu Innocentiæ exigeret ab intrinseco talem inferioris portionis rationis circa ea, quæ sunt ad finê versantis subordinationem ad superiorem rationis Finem repræsentantis portionem, vt consequenter objecta moralia non repræsentarentur tunc voluntati nisi sub cujusdam ex fine *virtualiter* derivatæ ac formaliz... Bonitatis formalitate. Hinc autem fiebat, quòd participata Finibus intermedijs inexistens Honestas objectiva pro illo statu non esset voluntati proportionata ad istam *Finaliter* movendam, nisi dependenter ab Ultimi Finis concursu & influxu finalizativo. Ex hoc verò erat consequens, quod nulla in objectis *moraliter* malis esset pro illo statu repræsentabilis objectiva malitia sub ratione moralis cum Finis duntaxat intermedij Honestate participatâ dissonantiæ, sed ille integritatis per eandem inferioris Finium intermediorũ repræsentativæ portionis cum superiore Finis Ultimi, Divinæque adeò Majestatis Juris expressivâ ratione subordinationem importans status exigebat, ut sub illius dissonantia cum virtutum moralium objectis ceu finibus intermedijs repugnantis formalitate simul

voluntate commisso à nobis contractus sit *materialiter & identicè*, non autem secundum rationem nostram ratiocinatam *formaliter* peccatum originale. Etenim ex illo actuali capitali voluntate nobis voluntario Adæ peccato eatenus concitatur Dei erga nos odium, ut illud Gratiæ sanctificantis *primariò* sit privativum. At in ista privatione eatenus fundatur omnimoda pœna Damni, ut consequenter ipsa privatio Gratiæ sanctificantis non quidem secundùm sui naturam, sed quatenus Divino per peccatū concitato odio subsstat, sit ratio in se ipsâ fundatam habens pœnæ Damni condignitatem, sicque adeò *realiter identicè* ipse pœnæ Damni reatus. Cum igitur peccatum originale *formaliter* consistat in gratiæ sanctificantis privatione, qua per Adæ peccatum capitali voluntate nobis appropriatum causatâ, ista verò privatio *materialiter identicè* importet ipsum pœnæ reatum; consequens est, illam Sancti Augustini sententiam optimè posse conciliari cum nostrâ sententiâ.

13. Ad *n. 6.* oppositum Respondetur. Vi peccati Originalis esse animam a Deo Ultimo Fine aversam *privative* per Gratiæ sanctificantis seu Primæ Habitualis ad Deum Ultimum Finem conversionis privationem, non autem *formaliter positive* per formam *positivè* aversivam à Deo. Ex illa autem privativâ à Deo aversione resultare per modum effectûs concupiscentiam, quæ portioni quidem sensitivæ inexistens per hujus cum parte rationali sympathiam *indirectè objective* sit *habitualiter* conversiva, seu potiùs inclinativa animæ in bonum creatum. Hac tamen inclinatione non obstante, manere naturalem animæ intelligentiam sub primorum moralium principiorum repræsentatione intelligibili Numinis infinitæ animæ capacitati commensurati, & ut sic satiativi expressivam, cui etiam in voluntate respondeat innata quædam propensio habitualis tum ad Bonum creatum, tum ad Numen increatum conversio, cui non opus sit, adstruere aliquem ex peccato Adami impressum habitum per modum Habitualis ad Bonum creatum conversionis animæ inclinativum, & ut sic peccati Originalis *formaliter* constitutivum. Quare hujus peccati formalem, ac essentialem rationem eatenus subsistere in gratiæ sanctificantis, seu primævæ Originalis Justitiæ privatione, ut actualium peccatorum, quibus pars inferior in statu innocentiæ Justitia Originali subdita, privatio se habeat ad culpam Originalem solum *consecutivè* per modum effectus; sitque adeo per Baptismum non nisi in tempore reparabilis, nec nisi in cælesti Beatitudine plena ipsius fiat restitutio. Et hinc, si peccatum Originale non sumatur secundùm sui primariam præcisè quidditatem *Essentialiter*, sed *integraliter* quoad suos etiam effectus, rectè dicimus cum Sancto Thomâ *1. 2. q. 82. a. 3.* peccatum Originale esse quidem *formaliter* defectum Originalis Justitiæ, formale tamen, id est Essentialem peccato Originali esse privationem illius duntaxat Originalis Justitiæ, Gratiæ nimirum Habitualis, per quam voluntas *radicaliter* scilicet subdebatur Deo, privatione subjectionis inferiorum virium ad rationem se habente per modum proprietatis ex Originali peccato promanantis; uti eleganter expressit Sanctus Thomas *in Opusc. 3. cap. 192.* taliter disserens. *Quia dicti status* (Justitiæ scilicet Originalis) *tam ordinata integritas tota* *causabatur ex subjectione humanæ voluntatis ad Deum, consequens fuit, ut subducta humana voluntate à subjectione Divina, deperiret illa perfecta subjectio inferiorum virium ad rationem, & corporis ad animam. Unde consecutum est, ut homo sentiret in inferiore appetitu sensibili, concupiscentiæ & iræ, & cœterarum passionum inordinatos motus non secundum ordinem rationis, sed magis ei repugnantes, & eam plerumque obnubilantes, & quasi perturbantes & hæc est repugnantia carnis ad spiritum. Consecutum est etiam* (pergit Sanctus Doctor *seq. cap.*) *ut in corpore sentiretur corruptionis defectus, ac per hoc homo incurreret necessitatem moriendi, quasi anima jam non valente corpus in perpetuum continere, vitam ei præbendo, unde homo factus est passibilis & mortalis, non solum quasi potens pati, & mori ut antea, sed quasi necessitatem habens ad patiendum, & moriendum.*

❊❊❊❊❊❊❊❊❊)(❊❊❊❊❊❊❊❊

CONTROVERSIA III.

An fieri posset, quòd peccatum Originale esset conjunctum cum solo Veniali?

Istius controversiæ difficultas ad duplicem statum reduci potest. Primò, *An ex hypothesi non de facto positâ, sed possibili, dum stetisset Adamo Innocentiæ statum durantis conservantis suos seu liberi, an isti in tali statu venialiter peccare potuissent & eo tali veniali culpâ, ubi Adamus postea peccasset, contrahere Originale peccatum*? Secundò. *An de facto fieri possit, ut puer ad usum rationis perveniens peccato Originali adhuc perseverante, possit venialiter peccare*?

Referuntur Sententiæ.

Circa primum difficultatis statum Scotus in *2. dist. 21. q. 1. n. 3.* asserit, potuisse hominem in statu Innocentiæ peccare venialiter. Fundamentum *ibi* deductum est. Quia homo in statu Innocentiæ potuit non tantum exercere actum deordinatum contra præceptum, sed etiam contra consilium tantum, ut non faciendo maximè expedienda: vel faciendo aliqua retardativa, licèt non faceret *directè* contra præceptum necessarium ad salutem. Imò ab istis retardativis liberè abstinendo merebatur. Fuit ergo ipsi libertas ad peccatum veniale contrahendum, dum ejusmodi retardativa fuisset facturus.

Econtrario negat Suarez *tract. de Peccat. disp. 2. sect. 7.* Ioannes Baptista Gonet *disp. 9. de peccat. art. 5.* Fundamentum à Suarezio *citato n. 1. & 7.* insinuatum est. Quia in statu Innocentiæ erat singulare Divini præsidij privilegium, ut quamdiu homo non peccaret mortaliter, per gratiæ auxilia præservaretur ab omni prorsus culpâ veniali.

Fundamentum à Gonetio *art. 5. concl. 1. & 2.* deductum est. Nihil enim pœnale potuit esse in statu Innocentiæ. At si homo in illo statu potuisset committere peccatum veniale, tune manente Innocentiæ seu Justitiæ Originalis statu, extitisset eo ipso aliquid pœnale, reatus scilicet pœnæ etiam sensûs respondentis tali culpæ. Non potuit ergo homo in statu Innocentiæ venialiter peccare, antequam peccasset mortaliter. Hæc 14.

autem

autem impotentia secundum Divum Thomam *1. 2. q. 89. a. 3.* erat ob [illegible] firmitatem, quâ [illegible] portio continebatur sub superiore. At [illegible] inferioris portionis non solum [illegible] Doctor appetitum [illegible] rationem inferiorem, [illegible] ea, quæ [illegible] ad finem, ut sic enim inferior est quodammodo seipsâ, quatenus respicit finem. Sicut igitur ob perfectam subordinationem appetitûs sensitivi ad rationem, quam Donum integritatis præstabat in statu Innocentiæ, huic statui ab intrinseco repugnabat peccata venialia ex subreptione appetitus, aut ex indeliberatione: (hæc enim non contingunt, nisi cum appetitus sensitivus antevertit rationem, & ejus judicium perturbat) ita ob perfectam subordinationem rationis inferioris media respicientis ad superiorem Finis considerativam rationem, cujusmodi subordinatio statui Innocentiæ conveniebat vi doni integritatis. Idcirco tali statui, in quo omnia inferiora superioribus erant subjecta, repugnabant peccata etiam ex parvitate materiæ venialia.

5\. Circa secundum difficultatis statum Amicus *præf. disp. 21. sect. 9. n. 275* ex mente aliorum Doctorum affirmat, posse fieri, ut solum veniale brevi tempore in cum peccato Originali. Fundamentum est. Nam si hoc repugnet hujus repugnantiæ est ratio, quod [illegible] in primo usu rationis instanti habeat præceptum se [illegible] convertendi ad Deum, ut consequenter vel vi [illegible] tollendum Originale peccatum, vel illo præcepto non servato, incurratur culpa mortalis. At illa ratio non subsistit. Probatur ista minor. Vel enim illud se ad Deum convertendi in primo usûs rationis instanti præceptum non est, vel esto sit, non ita obligat, quin possit homo ante illius impletionem venialiter peccare: imò stante illo præcepto, posset ejus obligationi satisfieri per actum conversionis ad Deum insufficientem ad justificationem. Ergo ex post facto posset originali peccato necdum extincto peccari venialiter. Unde posito casu, quòd aliquis de veniali ac Originali peccato simul reus moreretur, arbitratur Amicus [illegible], relegandum esse in limbum, & ibi præter pœnam [illegible] Originali peccato respondentem [illegible] ratione culpæ venialis levem [illegible] in sensu æternò duraturam ob culpæ [illegible] statu irremissibilitatem, sicuti etiam [illegible] cum mortali actuali conjunctum in inferno secundum Thomistas puniatur in æternum.

6\. Per contra Divus Thomas *1. 2. q. 89. a. 6.* disertis verbis negat, fieri posse, ut peccatum veniale in aliquo sit cum solo originali absque mortali. Fundamentum ab ipsomet sancto Doctore *ibi* deductum est. Quia antequam ad annos discretionis perveniat puer, defectus ætatis prohibens usum rationis, excusat eum a mortali; ergo etiam a veniali. At verò, cum usum rationis habere inceperit, tunc primum, quod homini cogitandum occurrit, est deliberare de seipso, &, si [illegible] dem seipsum ordinaverit ad debitum finem, per gratiam consequetur remissionem peccati originalis. Si verò non ordinet seipsum ad debitum finem, secundum quod in illâ ætate est capax discretionis, peccabit mortaliter, non faciens, quod in se est, & ex tunc non erit in eo peccatum veniale sine mortali, nisi postquam totum fuerit sibi per gratiam remissum.

7\. Huic Angelici [illegible] Doctoris rat[ioni] [illegible] *cit. disp. 9. a. 6. § 4.* cum Salmanticensibus [illegible] asserit; ante usum rationis perfectum in puero esse quidem admittendam [illegible] imperfectam, & incompletam, quæ [illegible] solùm ad operandum indifferenter *physicè*. non autem *moraliter*. Fundamentum est. Quia ob imperfectum lumen non potest ante perfectum rationis usum cognoscere consonantiam, vel dissonantiam suorum actuum a lege. Ergo est incapax omnis moralitatis, quæ in subjectione actûs ad regulas morum consistit. At verò ad peccandum venialiter requiritur libertas ad operandum indifferenter non solùm *physicè*, sed etiam *moraliter*. Ergo puer ante primum instans morale usûs rationis non potest venialiter peccare, sicut tunc non potest moraliter bene operari ac mereri.

8\. Author [illegible] *in resp. ad ult. objectionem* superaddit, puero Divinum in primo morali usûs rationis instanti se ad Deum convertendi præceptum adimplenti per actum etiam naturalis implicitæ duntaxat ad Deum conversionis infallibiliter à Deo conferri gratiam, & charitatem, per quam justificetur. Fundamentum est. Cum enim efficax in Deum Ultimum [illegible] naturalem conversio sit incompossibilis [illegible] ne ab ipso Deo, ut Fine supernaturali, [illegible] quit, ut puer [illegible], avèrsio ab illo fine, [illegible] nisi simul, ac [illegible] ab originali culpa [illegible] tur, atque [illegible] gratia, & charitas [illegible] concurrant saltem ut removentes [illegible] aversionem prohibentem istius conversionis.

CONCLUSIO.

IN statu Innocentiæ non posset homo peccare venialiter, nec adeo ex hypothesi *n. 1.* positâ stare posset Originale cum solo veniali.

9\. Probatur. Integritatis enim Donū in statu Innocentiæ exigeret ab intrinseco talem inferioris portionis rationis circa ea, quæ sunt ad finē versantis subordinationem ad superiorem rationis Finem repræsentantis portionem, ut consequenter objecta moralia non repræsentarentur tunc voluntati nisi sub cujusdam ex fine *virtualiter* derivatæ ac Finalizatæ Bonitatis formalitate. Hinc autem fiebat, quòd participata Finibus intermedijs inexistens Honestas objectiva pro illo statu non esset voluntati proportionata ad istam *Finaliter* movendam, nisi dependenter ab Ultimi Finis concursu & influxu Finalizativo. Ex hoc verò erat consequens, quòd nulla in objectis *moraliter* malis esset pro illo statu repræsentabilis objectiva malitia sub ratione moralis cum Finis duntaxat intermedij Honestate participatâ dissonantiæ, sed ille integritatis perfectam inferioris Finium intermediorū repræsentativæ portionis cum superiore Finis Ultimi, Divinæque adeò Majestatis Juris expressivâ ratione subordinationem importans status exigebat, ut sub illius dissonantiæ cum virtutum moralium objectis seu finibus intermedijs repugnantis formalitate simul

te simul reluceret moralis cum Ultimo Fine, ejusque in primâ Majestate radicato jure oppositio. At per se notum est, quòd malitia objectiva moralem cum Ultimi Finis ac Primæ Majestatis jure dissonantiam importans sit gravis. Ergo in statu Innocentiæ ex ipsomet integritatis Dono intrinseco erat, ut ob perfectam inferioris portionis cum ratione superiore subordinationem non potuerit taliter repræsentari objectum morale, ut ratione parvitatis materiæ posset circa id peccari duntaxat venialiter. In quem adeò sensum Divus Thomas *præs. q. 89. a. 3.* eleganter disserit in hæc verba. *Quòd humanus animus inordinetur circa ea, quæ sunt ad finem, servato debito ordine ad finem* (veluti accidit in objecto ratione parvitatis materiæ venialiter peccaminoso) *provenit ex hoc, quòd ea, quæ sunt ad finem, non ordinantur infallibiliter sub fine, qui tenet summum locum, quasi principium in appetibilibus.*

Conclusio II.

Secundùm genuinā Divi Thomæ doctrinā omnino negandum est, posse peccatum Originale juxta statum divinitùs ordinatum de facto stare in aliquo homine cum solo veniali.

10. Probatur. Nam licèt vi peccati Originalis non sit ademptum naturale super nos signatum lumē Habituale, seu potētiale Honestatis moralis naturalis ipsius etiam Finis Ultimi sub quâdam Numinis voluntatis nostræ satiativi ratione expressivum, ut tamen istud Habituale, seu potentiale lumen exeat in actum, opus est excitatione Dei unicè potentis movere & intellectum & voluntatem nostram. Hæc vero actualis excitatio vi peccati originalis eatenus indebita est, ut eâ immissâ, fiat quædam de peccati originalis reatu gratuita remissio. Unde illa excitatio actualis eatenus adscribenda est Verbo Divino Incarnato, quatenus est illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum. Hæc igitur prima per actualem luminis super nos ad Honestatem moralem in nobis exprimendam signati excitationem illuminatio est primum instans morale usûs rationis à Deo intellectui nostro post infantiæ annos immissum. At per se manifestum est, ante primum usûs rationis instans morale principij, seu luminis moralis actualem in nobis excitationem importans nullam subsistere moralem libertatem ad peccandum requisitam, licet fortè potuerit priùs quædam physica circa objecta purè naturalia, non autem quà moralia esse libertas. Consequens proinde est, ante illud primum usûs rationis instans morale, non posse ullum etiam Veniale peccatum esse commissum. At eo ipso, quòd illud primum morale instans sit divinitùs ex gratuitâ illâ de omni homine in hunc mundum veniente illuminando voluntate, Christique in nos liberalitate immissum, oportet, esse perfectum, atque adeò non tantùm continere plenam rationis advertentiam, sed sub deliberatione perfectâ esse expressivum primi moralis principij, ipsiusque adeò Dei sub [illegible] Numinis voluntatis nostræ satiativi ratione super omnia diligendi. Illi primæ [illegible] expressione intellectuali stante, voluntas per suam jam perfectam libertatem vel se convertit ad Deum Finem Ultimum, vel non? At si hoc posterius accidat, tunc peccat mortaliter, atque adeò primum peccatum erit eo ipso mortale non prius expiabile, nisi & originalis culpæ per gratiæ sanctificantis infusionem simul fiat remissio. Si verò prius accidat, tunc licèt vi naturalis ad Deum conversionis nequeat originale peccatum esse extinctum, attamen cum ipsâ *concomitanter* stabit supernaturalis ad Deum conversio, vi cujus conferatur ex meritis Christi Iustificationis gratia.

Probatur istud assumptum. Quamvis enim naturalis ad Deum conversio libera ex seipsâ nullam possit habere vim promerendi gratiæ actualis auxilium præsertim efficax ad supernaturalem voluntatis nostræ in Deum conversione; attamen, positâ illâ naturali conversione, non ponitur obex gratiæ actuali Divinitus intuitu meritorum Christi pro primo illo usûs rationis instanti morali præfinitæ. Hæc autem gratia in eo se tenet, quòd, licèt vi peccati Originalis insit Adæ posteris Habitualis a Deo Ultimo Fine tum naturali, tum supernaturali aversio, ista tamen ex parte tollatur *formaliter* per ipsammet naturalem moralem in Deum conversionem. Ista verò etiam naturalis conversio est gratia ex Christo omnem hominem, qui *formaliter* ut homo, id est, ut perfectè rationalis in primo illo rationis instanti morali in hunc mundum venit, illuminante. At Christus venit in hunc mundū ad originalis peccati maculā quà aversionē Dei Ultimi Finis non naturalis duntaxat, sed maximè supernaturalis privativā eluendā. Dum igitur illa ex Christo secundùm efficacem in Deum UltimūFinē motionē illuminatio fit per Dilectionis Dei quà Ultimi Finis naturalis super omnia appretiativæ actū, tunc non quidem ex vi vel meriti etiam congrui, vel aliqualis intrinsecæ connexionis, sed merè *concomitanter* & attento illo naturalis dilectionis actu mere *per accidens* intuitu meritorum Christi ex vi Divinæ originalem non quà naturalis duntaxat, sed etiā supernaturalis Finis privativā maculam eluere præfinientis liberalitatis immittitur efficax gratiæ auxiliū ad supernaturalem ad Deum conversionem. At eo ipso, quòd ista conversio ex Christi meritis proficiscens sit primū Dei opus donatū pro illo conversionis scilicet ad Deum naturalis instanti, in quo Deus suam contra originalis peccati debitum per illam etiam naturalem conversionem ex aliquâ sui parte eluendum vult conferre gratiam, oporteat autem primum Dei quà ad originalis culpæ debitum qualitercunque tollendum procedentis opus, dum ex parte nostrâ non ponitur obex, esse perfectum; consequens est, stante illâ naturali ad Deum conversione, atque adeò nullo per peccatum actuale ex parte nostrâ obice tunc posito, Deum ex vi suæ perfectæ super meritis Christi fundatæ liberalitatis immittere gratiæ actualis auxilium perfectæ ad se conversionis, dependenter tamen à libertate nostrâ, vi cujus adeò perfectæ Dei super omnia appretiativæ dilectionis ponatur dispositio proxima ad justificationis gratiam peccati originalis *formaliter* extinctivam infallibiliter consequendam. Constat igitur, in illo, quo nulla etiam venialis culpa moralis prior esse potest, primo usûs rationis morali divinitùs immisso instanti, vel, dum scilicet naturalis a Deo per luminis super nos signati excitationem 11.

rationem

tationem nobis naturaliter præceptæ ad Ultimum Finem conversio omittitur, peccari mortaliter, vel, dum Deus, remoto per istam naturalem conversionem peccati actualis alioquin contrahendi obice, gratuitâ suâ voluntate ex Christi meritis efficax supernaturalis Dei super omnia appretiativæ dilectionis auxilium immittit, fieri peccati Originalis remissionem. Consequens igitur est, nullum esse ponibile peccatum veniale, quod cum solo originali absque mortali actuali peccato in aliquo homine componi queat.

Responsio ad opposita Fundamenta primæ difficultatis.

11. AD *n. 2.* oppositum Respondetur. Eo ipso, quòd mediorum in Deum Ultimum Finem ordinabilitas non secundùm sui præcisam ex Ultimo Fine *virtualiter* participatam ac finalizatam rationem objectivam in statu originalis Justitiæ sit repræsentabilis, quin status illius secundùm perfectam inferioris partis sub portione rationis superiore subordinationem perfectio exigeret illam medij ordinabilitatem *formaliter* repræsentari Ultimi sub in Primâ Dei Majestatis radicati Finis jure. Idcirco quamlibet moralem mendacij v. g. qualitercunque debitam materiam esse pro illo statu gravem ratione illius in Ultimo Fine radicati Juris, *actualiter* afficientis talem materiam, ex se licet, abstrahendo ab istâ ad Ultimum Finem actuali coordinatione, in genere morali levem.

13. Ad *n. 3. & 4.* oppositum respondetur. Non subsistere, quòd illa ad venialiter peccandum in statu Innocentiæ impotentia in solum Dei præsidium extrinsecum referenda foret, sed radicari in ipso integritatis statui illi *intrinsecè* competentis, & ut sic inferiorem circa media rationem superiori portioni perfectè subordinantis Dono. Cujus equidem rationem eleganter deducit à Sancto Thomâ *q. 7. de Malo. art. 7.* taliter differente; *Cum enim potentiæ distinguantur secundum objecta, oportet, secundum ordinem objectorum esse etiam ordinem potentiarum. Contingit autem & in objectis rationis esse ordinem superioris & inferioris tam in speculativis, quàm in practicis. Sicuti autem principium indemonstrabile est principium primum in speculandis, ita finis se habet in operabilibus. Unde quamdiu superior ratio hominis bene se habuisset circa finem, nullo modo deficere potuisset circa ea, quæ sunt ad Finem, propter indefectibilem ordinem inferiorum ad superiora, secundum conditionem illius status. Manifestum est autem, quòd peccatum mortale est per aversionem à fine, peccatum autem veniale est inordinatio quædam circa ea, quæ sunt ad finem; Unde impossibile erat, hominem in statu Innocentiæ peccare prius venialiter, quam mortaliter.*

Responsio ad opposita fundamenta secundæ difficultatis.

14. AD *n. 5.* oppositum respondetur 1. Falsò ibi supponi, quòd nullum extet in primo usûs rationis instanti præceptum se convertendi ad Deum, cujus equidem legis vim *alibi*, præsertim in materia de charitate à nobis discutiendam esse. 2. Falsum etiam esse, quòd ante illius præcepti obligationem peccari possit venialiter, cùm enim potentia etiam venialiter peccandi supponat aliquam libertatem moralem, hæc autem primò incipiat esse per Divini super nos signati luminis excitationem, ista verò *immediatè* ex Deo procedens excitatio pro primo illo instanti debeat esse eo ipso perfecta, falsum omnino est, pro aliquo instanti præcepti illius obligationem antecedente posse venialiter peccari. 3. Licèt verum esset, quòd illa conversionis ad Deum in primo usûs rationis instanti morali obligatoria lex non ad supernaturalem Dei super omnia dilectionem attingeret, de quo *alibi*, possetque adeò per actum pro Iustificatione insufficientem impleri, hoc tamen etiam posito, fore in eo, qui talem obligationem adimplendo, non poneret obicem, *concomitanter* ex vi Divinæ super Christi meritis fundatæ liberalitatis efficax gratiæ auxilium, ad Dei super omnia dilectionem supernaturalem, ut sic peccati Originalis ex seipsâ *dispositivè*, vi autem gratiæ sanctificantis secum ex Divinâ promissione connexæ *formaliter* extinctivam. Hinc 4. falsum etiam esse, quòd in limbo detur punitio non pœnæ damni duntaxat, sed etiam sensûs in perpetuum, præsertim ob peccatum veniale cum Originali junctum inflictivæ. Hoc enim expressè adversari Divo Thomæ *in 3. dist. 22. q. 2. a. 1. quæstium. 2.* (sic differenti: *Quadruplex est infernus: Unus, in quo sunt tenebræ, & quantum ad carentiam Divinæ visionis, & quantum ad carentiam gratiæ, & est ibi pœna sensibilis, & hic infernus est locus damnatorum. Alius est infernus supra istum, in quo sunt tenebræ, & propter carentiam Divinæ visionis, & propter carentiam gratiæ, sed non est ibi pœna sensibilis, & dicitur limbus puerorum. Alius supra hunc est, in quo sunt tenebræ, quantum ad carentiam Divinæ visionis, sed non quantum ad carentiam gratiæ, sed est ibi pœna sensus, & dicitur purgatorium. Altius magis supra est, in quo est tenebra, quantum ad carentiam Divinæ visionis, sed non quantum ad carentiam gratiæ, neque est ibi pœna sensibilis, & hic est infernus sanctorum Patrum.*

Vides igitur, in nullo præter purgatorium, ac locum Damnatorum inferno esse pœnam sensibilem. Si proinde possit dari peccatum Originale cum solo veniali actuali conjunctum, sequeretur, posse dari statum, cui in altero sæculo nullus respondere posset locus. Negandus igitur est talis status, uti rectè probant argumenta *à n. 6. & 7.* deducta. 15.

❋❋❋❋❋❋❋❋❋❋(❋)❋❋❋❋❋❋❋❋❋

CONTROVERSIA IV.

Quænam Pœnæ respondeant Originali peccato?

GRegorius Ariminensis apud Amicum *cit. disp. 25. n. 128.* censuit, pueros propter solum originale peccatum non modò privandos esse clarâ Dei visione, sed positivâ ignis pœnâ puniendos. Fundamentum est. Quia omnes in extremo die Judicij recipient vel sententiam 1.

tentiam Beatitudinis istis verbis: *Venite Benedicti, percipite regnum.* Vel Damnationis hisce verbis. *Discedite maledicti in ignem æternum.* Unde dicitur *Apocal. 20. Vidi thronum magnum candidum, & sedentem super eum, & vidi mortuos & magnos & pusillos, stantes in conspectu throni, & libri aperti sunt, & apertus est liber vitæ, & qui non est inventus in illo, missus est in stagnum ignis.* At pueri sine Baptismo mortui non sunt in libro vitæ. Ergo mittuntur in stagnum ignis. Unde Sanctus Fulgentius *lib. de Incarn. cap. penult. Et de Fide ad Petrum. cap. 27. Firmissimè*, inquit, *tene, non statim homines jam ratione utentes, verum etiam parvulos, qui sive in in uteris matrum vivere incipiunt, & ibi moriuntur, sive cùm de matribus nati sine sacramento sancti Baptismi de hoc sæculo transeunt, ignis æterni sempiterno supplicio puniendos.*

2\. Aureolus *in 2. dist. 33. a. 2.* Abulensis *super cap. 25. Matth. q. 666. & 671.* Bellarmin. *lib. 6. de statu peccati. cap. 6.* existimant, parvulos sine Baptismo mortuos non quidem pœnâ ignis torquendos, aliquâ tamen ob Beatitudinem deperditam tristitiâ afficiendos esse. Fundamentum est. Quia ex apprehensione privationis felicitatis æternæ, cujus parvuli in suo saltem capite Adamo erant capaces, naturaliter resultat tristitia. Atqui infantes sine Baptismo decedentes norunt, se privatos æternâ felicitate.

3\. Catharinus, & alij à Gonetio *cit. disp. 7. a. 7. §. 1.* relati existimant, illos parvulos in pœnam Originalis peccati privandos quidem esse supernaturali intuitivæ Dei visionis beatitudine, non tamen naturali Dei ut authoris naturæ cognitionem & dilectionem importante felicitate. Imò post diem Judicij super faciem terræ, velut in paradiso quodam terrestri habitaturos, plenos sapientiâ, & virtutibus moralibus instructos, Angelorum etiam consortio ac visitationibus non absque magno solatio fruituros. Fundamentum est. Nam *Danielis 12.* sic habetur. *Multi de his, qui dormiunt in terræ pulvere, evigilabunt alij in vitam æternam, & alij in opprobrium.* At quia Propheta non usus est particulâ distributivâ *Omnes*, sed *Tò multi*, videtur insinuare voluisse, quòd aliqui in terræ pulveribus dormientes sint, qui nec in vitam, nec in opprobrium æternum sint excitandi. Isti proinde sunt infantes sine Baptismo decedentes, felicitate naturali potituri. Et quia erit *cœlum novum, & terra nova. Apocalyp. 21.* in hanc ceu locum statui suo congruum sunt introducendi.

4\. Magister *in 2. dist 33.* Divus Bonaventura *ibi. q. 1. & 2.* Sanctus Thomas *eâd. dist. q. 2. a. 5. & q. 5. de Malo. a. 1. & 3.* ac Theologi comuniter tenent; infantes absque Baptismate mortuos pœnâ quidem damni & supernaturalis & naturalis Beatitudinis privationem importante puniendos, nullâ tamen pœna sensûs, aut interiore tristitiâ ex carentiâ tanti Boni amissi afficiendos esse. Fundamentum desumitur *ex Can. Majorem. de Baptis. & ejus effectu.* ubi Innocentius III ait: *Quod pœna Originalis peccati sit carentia visionis Dei, actualis vero pœna sit gehenna perpetua cruciatus.* Deinde

5\. Gregorius Nazianzenus *Orat 40. in sanctum Lavacrum* ait; *Parvulos decedentes sine Baptismo nec gloriam, nec supplicia habituros.* Et Gregorius Nyssenus *Orat. de Infantibus. Immatura mors*, inquit, *infantium demonstrat, neque in doloribus, & mæstitiâ futuros esse eos, qui sic vivere desierunt.*

Cujus rationem Divus Thomas *in 2. dist. 33. q. 2. a. 2.* sic deducit. Ex hoc, quòd caret aliquis eo, quod suam proportionem excedit, non affligitur, si sit rectæ rationis, sed tantum ex eo, quod caret eo, ad quod aliquo modo proportionatus fuit. Quia ergo omnis homo usum liberi arbitrij habens proportionatus est ad vitam æternam consequendam; siquidem possit se ad gratiam præparare, per quam mereatur vitam æternam. Idcirco, si ab hoc deficiat, maximus erit dolor, quia amittet illud, quod suum esse, possibile fuit. At vero pueri nunquam fuerunt proportionati ad hoc, quòd vitam æternam haberent, quia neque eis debebatur ex prinpijs naturæ, cùm omnem facultatem naturæ excedat, nec actus proprios habere potuerunt, quibus tantum bonum consequerentur. Ideo nihil omnino dolebunt de carentia visionis Divinæ; imò magis gaudebunt de hoc, quòd participabunt multum de divina Bonitate, & perfectionibus naturalibus.

Conclusio.

Originalis culpæ pœna in infantibus absque Baptismo decedentibus est pœna duntaxat Damni nullam inferens tristitiam.

Probatur ratione Divi Thomæ *q. 5. de Malo. a. 2.* Unusquisque enim per seipsum *immediatè* ordinatur ad ea, quæ naturæ suæ sunt propria, non verò ad ea, quæ sunt supra ipsius naturam. Unde nihil est absurdi, si patiatur detrimentum in his, quæ sunt supra naturam propter peccatum non suâ personali culpâ, sed alienâ Capitis moralis voluntate commissum. At minùs videretur Iustitiæ consentaneum, si propter peccatum non personali suâ voluntate, sed morali voluntaris suæ in alienam voluntatem translatione contractum pateretur damnum in his, quæ naturæ suæ propria sunt. Est autem gratia & visio Dei supra naturam humanam, bona autem dispositio & habitudo naturæ est quid connaturale. Ergo licet justum & rationabile sit, Adæ posteros privari gratiâ & visione beatificâ in pœnam originalis alienâ Capitis moralis voluntate contracti peccati: non tamen congruebat, ipsos ratione talis peccati puniri combustione ignis æterni integritati naturæ, ejusque bonæ dispositioni repugnante, vel affici tristitiâ quâdam naturæ afflictivâ: maximè cùm tormenta, & luctus respondeant culpæ, prout quandam propriam à peccatore affectatam glorificationem seu delectationem importat, *juxta illud Apocal. 18 Quantum glorificavit se, & in delicijs fuit, tantum date illi tormentum & luctum.* Cùm proinde in peccato Originali neque sit propria sui ipsius glorificatio inordinata, neque delectatio; luctus, seu tristitia, & tormenta, seu pœna sensûs non congruunt Originali, sed personali duntaxat peccato. Unde Eugenius *IV. in cit. union. Græcorum definit. Illorum animas, qui in actuali mortali peccato, vel solo Originali decedunt, descendere mox in infernum, pœnis tamen disparibus puniendos.* Quæ verò sit illa pœnarum disparitas, declaratur ex Innocentio III. *in cap. Majorem. de Baptismo & ejus effectu.* ubi dicitur. quòd *pœna Originalis peccati sit carentia visionis Dei, actualis vero* 6

actualis verò peccati pœna sit gehennæ perpetuæ cruciatus.

7. Ex quibus [illegible] elucet 1. falsam esse sententiam Catharini [illegible] *supra* docentis; parvulos cum Originali peccato decedentes post diem judicij non solum carituros omni tum interno, tum externo dolore, sed fore naturali beatitudine felices ac beatos in quodam veluti terrestri paradiso collocandos plenos sapientia, & virtutibus, Deum toto corde diligentes, & laudantes, Angelorum consortio quandoque fruentes. Ratio nostræ assertionis est. Quia ex Concilio Tridentino *ubi supra* habemus, infantes in peccato Originali decedentes descendere in infernum. At ubicunque ceciderit lignum sive ad Austrum, sive ad Aquilonem (id est, exponente sancto Hieronymo, in quocunque statu quis ex hac vitâ decesserit) *ibi erit.* Manebunt igitur illi infantes in limbo in perpetuum, nec adeò in terram, seu quasi terrestrem paradisum erunt transferendi; siquidem Divus Anselmus *lib. de Conceptu Virg. cap. 22. circa finem* attestetur: *Quod post diem Judicij nullus sit futurus Angelus, aut homo, nisi aut in regno Dei, aut in inferno.*

8. Nihilominùs 2. Ex eo, quòd illi parvuli maneant in æternum alligati limbo, nullum concipient dolorem, sicut econtra accidit in dæmonibus, & hominibus damnatis gravem cruciatum ferentibus ex sui ad internum alligatione. ex Gonetio *art. 6. §. 5. ad 3. object.* Cujus ratio desumitur ex sancto Thoma *q. 26. de Verit. a. 1. ad 3. & 11.* Tum quia iste dæmonum ex sui ad infernum alligatione cruciatus est per alligatione ad ignem, ut *activè* detinentem illos, & occupantem *contrariè.* Econtra verò parvulorum animæ detinentur in limbo, ut *formaliter* locante, non ut *contrariè* occupante, ne videant Deum, nec *activè* detinente. Non ergo ad instar Dæmonum animæ in limbo patiuntur pœnam sensûs ad sui ad talem locum alligationem. Tum quia animæ in limbo detentæ non apprehendunt istum locum ut sibi disconvenientem, & nocivum; sicuti econtra animæ Damnatorum alligationem ad infernum utpote *contrariè* & *activè* ipsos occupantem apprehendunt, ut valde nocivam, & disconvenientem. Ergo istæ ex sui ad infernum alligatione, non illæ ex sui ad limbum alligatione contristantur; maximè cum suas habeant delectationes, ex quibus plurimum recreentur, Divo Thomâ *in 2. dist. 33. q. 2. a. 2. ad 5.* attestante; *Pueros non baptizatos, quamvis sint separati à Deo, quantum ad illam conjunctionem, quæ est per gloriam, ipsos tamen conjungi per participationem naturalium bonorum, & ita de ipso gaudere posse naturali cognitione & dilectione.*

9. Neque tamen 3. hinc evincitur, tales pueros fore beatos naturali beatitudine, utpote consistente in Dei abstractiva contemplatione & dilectione. Etenim ad statum naturalis beatitudinis non sufficit quælibet Dei abstractiva cognitio, & dilectio naturalis; sed illam oportet, *dispositivè* & *effectivè* fundari in quadam mentis puritate, excludente immunditiam tum actualis, tum habitualis à Deo ceu objecto unicè Beatificativo aversionis; *formaliter* autem importat Dei abstractivam contemplationem ex se natam excitare non quamlibet, sed amicabilem participativæ suavitatis Deum super omnia appretiantis dilectionem, Divinitatis sub puriori quâdam intelligibili menti repræsentatione efficaciter, & taliter appretiatâ, ut [illegible] naturaliter incompossibilis cum habituali [illegible] etiam à Deo qua Primo in [illegible], Efficiendo ac Exemplando principio aversione. Quare illa cognitio Dei abstractiva, ac inde consequens dilectio inferior est puritate contemplationis, ac perfectione dilectionis, in qua sita est naturalis beatitudo: quamvis enim cognitio & dilectio Dei in animabus limbo inclusis nata sit excitare gaudium & exultationem. Cui prærogativæ animarum ejusmodi accedet 4. tum quòd sint impeccabiles non 10.
quidem ab intrinseco, sed ex Dei providentiâ, ad omne materiale peccati rationi statûs in termino se habentis subtrahente concursum. ex Divo Thomâ *q. 5. de Malo. art. 3. in corp.* Tum quòd habituræ sint plurium objectorum naturalium species à Deo infusas animæ in statu separationis à corpore convenientes, utique mansuras etiam in statu reunionis cum corpore. ex sancto Doctore *in 2. dist. 33. q. 2. a. 2. in corp.* Tum quod in die Judicij recepturæ sint corpora integra nullis perfectionibus connaturaliter debitis carentia, eâque magnitudine & staturâ prædita, quæ ipsis congruisset, si ad ætatem adultam pervenissent. Erunt insuper, teste Doctore Angelico *q. 5. de Malo art. 3.* corpora in resurrectione illis animabus reunita immortalia & incorruptibilia, ac impassibilia non quidem ab intrinseco, sed partim ex providentiâ Divinâ ad æternam Damni pœnam totum parvuli sine Baptismo decedentis suppositum ordinante, partim ex defectu agentis, dum post resurrectionem nullum corpus aget in alterum, nisi hoc fiat ad puniendum ex ordinatione Divinæ Justitiæ, cujusmodi tamen punitionem seu pœnam sensûs non habere locum in hominibus limbo detentis, *supra* probatum est.

Responsio ad opposita fundamenta.

AD *n. 1.* oppositum Respondetur 1. Pueros ante perfectam ætatem decedentes in Judicio 11.
comparituros, non ut judicentur, sed ut videant gloriam Judicis. ex sancto Thomâ *in 4. dist. 47. q. 1. a. 3. ad 2.* Unde illa verba: *Ite maledicti in ignem æternum*, tangere illos duntaxat, qui bonorum operum erant capaces, juxta sacrum contextum mox subjectum. *Esurivi enim, & non dedistis mihi manducare.* Quod ipsum clare etiam docet ex allegato *Apocalyp.* textu, ubi apertè dicuntur *mortui esse judicati ex his, quæ scripta erant in libris, secundum opera ipsorum.* Unde manifestum est, sub illis pusillis mortuis juxta magnos missis in stagnum ignis, non intelligi parvulos sine Baptismate decedentes, utpote non secundùm opera judicandos, sed ex ignis gradu & dignitate, ut Cornelius à Lapide illum locum exponit. Quòd si tamen quis contendat, parvulos in Judicio Extremo comparituros ad excipiendam judicij contra se à Christo ferendi sententiam, uti Doctor Angelicus *2. ad Corinth. 5. lect. 1. supra illa verba Apostoli: Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi,* insinuare videtur.

Respondeo 2. Ne positâ quidem illâ hypothesi, illa verba: *Ite maledicti in ignem æternum;* 12.
spectare ad parvulos sine Baptismo decedentes, nisi quatenus ignis sumatur *metaphoricè* pro

quâlibet pœnâ, *juxta illud Psal. 65. Transivimus per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium.* Etenim per ignem intelligi quamlibet pœnâ, docet Sanctus Augustinus *q. 9. in Iosue.* adstipulaturque sanctus Thomas *q. 5. de Malo. a. 2. ad 1.* & *in 2. dist. 33. q. 2. a. 1. ad 1.* Sub nomine ignis intelligens pœnam Damni. In quo adeò sensu accipiendus est etiam sanctus Fulgentius, uti habet Glossa *in cap. Nulla. de Consecrat. dist. 4.* Quare sententiæ contra parvulos in die extremi judicij à Christo ferendæ non poterit alius esse sensus ab illâ, quam Christus tulit *Joan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aquâ & Spiritu sancto, non potest introire in regnum cœlorum.* Unde sanctus etiam Augustinus *lib. de lib. arbit. cap. 13.* ait; *Non enim metuendum est, ne vita esse potuerit media inter rectè factum & peccatum, & Judicis sententia media esse non possit inter præmium & supplicium.*

13. Ad *n. 2.* oppositum Respondetur. Non ex cujuslibet privationis felicitatis æternæ apprehensione in animâ nullis obvolutâ passionibus, sed sapientiæ & prudentiæ rationibus firmatâ sequi tristitiam, nisi per ipsammet, ejusque libertatem steterit talis amissio. Cujus rationem eleganter sanctus Thomas *in 2. dist. 33. q. 2. a. 2. in 2. arg. sed contra.* deducit his verbis: *Recta ratio non patitur, ut aliquis perturbetur de eo, quod in ipso non fuit, ut vitaretur: propter quod Seneca probat, perturbationem non cadere in virum sapientem. Sed in pueris in peccati Originalis statu decedentibus est recta ratio nullo peccato actuali obliquata. Ergo non turbabuntur de hoc, quòd talem pœnam* (carentiam scilicet visionis Dei) *sustinent, quam vitare nullo modo potuerunt.*

14. Ad *n. 3.* oppositum Respondetur. In illo prophetico Danielis effato particulam *Tò multi* perinde intelligendam esse ac vocem *ly omnes*, velut *ibi* exponunt S. Augustinus & Theodorus. Quare parvulos cum peccato Originali decedentes in die Judicij evigilaturos in opprobrium non quidem positivæ, sed privativæ damnationis quoad pœnam damni. Et licèt sit futura tunc terra nova, non opus fore aliquo habitatore, sicuti nec aër volatilibus, nec aqua piscibus replebitur, nec adeò oportere, illos infantes super terram novam tunc inducere; uti *supra* probatum est.

COROLLARIUM I.

De Causâ tum morali, tum physicâ Peccati Originalis.

15. Ex dictis quidem constat, culpæ Originalis causam esse Adami quà omnium posterorum in se tanquam Caput voluntates *moraliter* transfusas habentis actuale peccatum. Verùm superest hic decidendum 1. *An quodlibet primum Adami à pomi vetiti comestione diversum peccatum esset inductivum culpæ Originalis?* 2. *Qualiter Originale peccatum carnali propagatione traducatur ex Adamo?*

Infertur 1. Probabile esse, quòd ex vi Divinæ legis, & pacti cum Adamo initi, nullum aliud peccatum potuisset ad nos ex Adamo derivari, præter peccatum comedendi de ligno vetito, etiamsi hoc non fuisset primum, quòdque adeò peccati Originalis causalitas illi peccato non quà primo, sed quà talis speciei scilicet gulæ, alligata fuerit. Ex Suarez *de opere sex dierum. lib. 6. cap. 13. n. 8.* Mæratio *disp. 14. de peccat. sect. 4. & 5.* Ratio est. Quia solùm illud peccatum Adami derivaretur ad posteros, quod esset ab ipso commissum ut morali Capite totius humani generis. Hoc autem conveniebat Adamo ex vi pacti, quo fuit à Deo constitutus Caput morale suorum posterorum. Illud verò pactum continetur illis Dei verbis *Gen. 2. De ligno scientiæ boni, & mali ne comedas: in quocunque enim die comederis ex eo, morte morieris.* Sicut ergo ista comminatio solùm respiciebat illius præcepti positivi ceu pacti Adamum in Caput morale hominum evehens transgressionem, sic originalis culpa non videtur nisi ex illius legis violatione transfundenda fuisse in Adæ posteros.

Infertur tamen 2. propter express[illegible]m Divi Thomæ *in 2. dist. 33. in fine exposit. litt. ad 2. diffi. ult.* Doctrinâ videri verisimilius, quòd primum Adami peccatum, cujuscunque esset speci[illegible] futurum fuisset causa traductionis culpæ Originalis, quodque adeò illa Divini de ligno scientiæ boni & mali non comedendo præcepti transgressio non quà hujus speciei, sed quà primum erat, causa fuerit peccati Originalis in nos transfundendi. Ratio est. Eo ipso enim, quòd Justitia Originalis fuerit primitùs data Adamo, ut quoddam donum in posteros transfundendum, in primâ statim ejus infusione erat repræsentatum pactum Dei, de illâ, si eam servâsset, in posteros derivandâ; vel econtra, si culpâ suâ ipsam amisisset, toti humano generi deinceps denegandâ. 16.

Unde illud de Justitiâ originali in posteros, si servaretur, trasfundendâ, vel si violaretur, denegandâ, pactum per se non erat alligatum pomi vetiti abstinentiæ, sed cujuscumque præcepti transgressioni, ita ut quævis prima præcepti violatio redundaret in pacti illius transgressionem. Hinc autem fit consequens, quòd in primâ cujuscumque Divini præcepti violatione jam fuisset contractum debitum in toto humano genere carendi Dono Iustitiæ, atque adeò gratiæ sanctificantis. Hoc autem debitum est proximum Originalis cuique inexistentis peccati causa. Ergo ex quovis primo peccato Adami transfusa esset in ejus posteros culpa originalis.

Confirmatur. Nam licèt in illo pomû scientiæ & mali non comedendi præcepto fuerit contentum illud Dei pactum, hujus tamen pacti vis in eo se tenebat, quòd Adamus transgrediendo legem reus fieret de Justitiâ Originali non sibi duntaxat, sed omnibus ejus posteris perditâ. At ista ratio militabat de transgressione cujuscunque pro illo statu impositi præcepto. Ergo qualiscunque tunc fuisset præcepti Divini transgressio, fuisset peccati Originalis macula derivanda in posteros, eo ipso, quòd non in illâ duntaxat pomi scientiæ boni & mali comestionem prohibente lege, sed in quocunque præcepto Divino Adami quà moralis Capitis nostri obligatorio involveretur illud pactum. Quæ proinde ratio est, cur ipsius, non autem Evæ, vel ipso in statu Innocentiæ perseverante aliorum parentum, teste Divo Thomâ *q. 5. de Malo. a. 4. ad 8.* primum peccatum fuerit causa in descendentes transfundendi originalem Culpam.

Infertur

18. Infertur 3. Certum quidem esse, quòd peccatum Originale ex Adamo traducatur in posteros per generationem & seminalem propagationem. Verùm difficultatem se tenere in modo, quo fiat ista Originalis culpæ per seminalem propagationem traductio. Nam Gonetius *cit. disp. 7. a. 1.* cum Doctoribus à se relatis ad mentem Divi Thomæ *q. 4. de Malo. a. 1. ad 9.* docet, cum Adamo data fuerit Iustitia Originalis non pro se tantùm, sed sub eo pacto, ut, si in Innocentiâ permaneret, in omnes posteros per seminalem propagationem ab eo descendentes per ipsum generationis actum illam propagaret, consequenter in ejus semine fuisse virtutem instrumentariam Iustitiæ originalis causativam. Unde cùm Adamus peccando Iustitiâ originali fuerit privatus, consequenter in semen ex ipso descendens fuisse inductam privationem illius instrumentariæ virtutis. Ex hac autem virtutis Iustitiam originalem causantis privatione factum esse, ut consequenter semen humanum ut primordialiter ab Adamo descendens, & ut sic prædicto vigore Iustitiæ originalis *instrumentarie* productivo carens non quidem *positivè*, sed *negativè* sit causa peccati Originalis non in aliquo positivo, sed privativo duntaxat consistentis. Ex vi cujus equidem causandi ratione posse semen, ex quo singulorum Adæ posterorum fit generatio, dici causam instrumentalem physicam peccati Originalis. Hæc equidem eâ intentione Lectori relinquimus expendenda, uti Divi Thomæ authoritati omninò deferamus, nostro tamen judicio, ubi divinandi potiùs, quàm demonstrandi ratio tenere potest, nullo Divinæ authoritatis argumento circa tale ex unico Dei consilio pendens factum nobis illucente, supersedendum censeamus.

COROLLARIUM II.

De Subjecto Originalis Peccati.

Hic ex instituto locus esset, sanctissimæ Deiparæ à peccato originali Immunitatem defendendi, nisi hoc ex instituto præstaremus *in tomo 4. de incarnatione.* Quare superest duntaxat, ut breviter expendamus 1. *An in substantiâ, vel potentijs animæ subjectetur originale peccatum?* 2. *Ex quo fundamento solidè probetur, sanctissima Deiparæ à peccato Originali immunitas.*

19. Infertur 1. Peccatum Originale *formaliter* quoad essentiam in substantiâ animæ, *causaliter* (ex probabili, semini ab Adamo descendenti instrumentariam negativam vi peccati Originalis causatricem vim tribuente opinione) in semine, *Effectivè* denique in animæ tum intellectivâ, tum volitivâ, tum sensitivâ, imò & vegetativâ potentiâ subjectari. Ratio est. Quia peccati originalis quidditas est gratiæ sanctificantis non nisi in ipso animæ fundo seu substantiâ subjectatæ privatio: ejus verò effectus se extendunt ad omnes partes, & potentias, veluti *seq. Coroll.* dicetur.

20. Infertur 2. Sanctissimæ Deiparæ ex peccato originali Puritatem efficaciter probari ex illo sacro textu. *Tota pulchra es, & macula non est in te.* Ratio est. Nam hic sacer textus in sensu litterali accipiendus est de Sanctissimâ Deiparâ. Ergo efficaciter probat ejus immunitatem ab omni etiam originali maculâ. Antecedens probatur. Nam locus sacræ Scripturæ, in quo fundatur articulus, qui vel sit de Fide, vel Fidei proximus; debet continere litteralem talis articuli sensum. ex Divo Thomâ *1. p. q. 1. art. 10. ad 1.* At Doctor Angelicus *3. p. q. 27. a. 4.* super illo sacro textu ait fundatam Veritatem, (quæ sit vel de Fide, uti docet Suarez, vel Fidei saltem proxima) de Sanctissimæ Deiparæ immunitate ab omni actuali etiam veniali peccato, ex Concil. Trident. Hic ipse verò sacer textus, tum ex universitate verborum, tum ex negatione maculam simpliciter, ac universaliter removente à Sanctissimâ Deiparâ, non minus habet efficaciæ ad probandam ejus immunitatem à peccato originali. Sicut igitur Sanctissimæ Deiparæ ab omni actuali peccato immunitas fundatur super illo sacro textu, sic ex isto æquè probatur efficaciter immunitas ipsius ab originali culpâ. Unde quando prætactus Doctor Angelicus *1. 2. q. 81 a. 3. & alibi.* posuit, omnes homines, unico Christo excepto, contraxisse originale peccatum, id accipi debet *ex vi Legis ordinariæ, ac secluso privilegio*, ita ut Sanctus Doctor non intenderet Sanctissimæ Deiparæ Privilegium speciale negare, sed dicere duntaxat, quid ex vi Legis ordinariæ, nisi tale privilegium intervenisset, futurum fuisset. veluti cum Ferrariensi & alijs exponit Joannes a sancto Thomâ *in approbat. Doctrina D. Tho. a. 2.*

COROLLARIUM III.

De Effectibus Peccati Originalis.

De Pœnis ceu effectibus peccato Originali respondentibus egimus *supra cont. 4.* restat verò dicendum 1. *Qualiter inclinatio naturalis ad Bonum in homine vi peccati originalis sit diminuta?* 2. *Qualiter morbi, mors, aliaque humana miseria sint effectus peccati Originalis?*

21. Infertur 1. Naturalem inclinationem ad Bonum honestum non esse vi peccati Originalis totaliter sublatam, esse tamen minutam, non quidem *intrinsecè*, sed *extrinsecè*: ex Divo Thomâ *prat. q. 85. a. 1. & 2.* Ratio est. Quia naturæ rationali quà rationali per modum proprietatis naturalis inest inclinatio ad Bonum Honestum. Unde sicuti peccatum originale non destruit gradum rationalitatis, sic nec proprietates, nec adeò innatam ad bonum honestum inclinationem in rationalitate radicatam. Unde etiam fit, quòd talis inclinatio vi peccati originalis ne diminuta quidem sit *intrinsecè* quoad suam entitatem, sed *extrinsecè* duntaxat. Probatur istud assumptum. Tum quia per peccatum originale homo aversus est à Deo Ultimo Fine. Hic verò se habet in operabilibus sicut primum indemonstrabile principium in speculabilibus. At intellectus carens actuali principiorum in se expressione non tam promptus est ad assensum veritati conclusionis præstandum. Ex eo igitur, quòd per peccatum originale sit homo aversus à Deo Ultimo fine, voluntas ipsius non tam prompta est ad Boni honesti prosecutionẽ. Tum quia peccatum originale auferendo Justitiam Originalem, cujus fræno potentiæ inferiores à

res à motibus inordinatis compescebantur, *indirectè negativè*, removendo virtutem ejusmodi motuum impeditivam causa est, ut tales potentiæ effrænatæ effluant in motus illicitos, maneantque debilitatæ, & minùs habiles ad bonum honestum, ex Divo Thomâ *1. 2. q. 82. a. 1. ad 3.* & *q. 85. a. 3.* Hinc autem fit consequens, quòd peccatum originale *indirectè* saltem *negativè* minuat naturalem hominis inclinationem ad Bonum honestum rationi consonum.

32. Infertur 2. Mortem etiam, aliasque hujus vitæ ærumnas esse effectus peccati Originalis, *ex Sapient. 2. cap. Ecclesiast. 25. & ad Roman. 5.* definiturque in Concil. Trident. *sess. 5. de peccato Originali*, quòd primus scilicet parens peccando in se, & in omnem suam posteritatem invexerit mortem, & necessitatem moriendi. Ratio est. Quia licèt mors, morbi, & aliæ miseriæ corporales homini naturaliter accidant ex pugnâ, præsertim elementarium primarum qualitatum cuique humano corpori ex naturâ inexistentium. Nihilominus Justitia originalis perfectè subordinans corpus animæ, defectus illos impediebat. Ergò quia peccatum originale est privativum Justitiæ originalis, ex consequenti est causa *negative* indirecta illorum malorum. Nec tamen hinc infertur, etiam parvulos sine baptismo decedentes fore ratione peccati Originalis obnoxios illis malis; cùm enim ista ex peccato originali sequantur solùm *indirectè*, nec adeò *positivè* in vindictam illius culpæ infligantur à Deo in hac vitâ, sed destructâ originali Justitiâ tanquam causâ eorum impeditiva, sequantur ex causarum naturalium influxu & concursu, non erat disconveniens, ut idcirco stante omnimodâ ejus maculâ præpedirentur in illis parvulis ex vi specialis providentiæ divinæ, uti *supra* dictum est.

QUÆTIO DECIMA QUINTA

DE

DE LEGE TUM IN COMMUNI, TUM IN SPECIE DE LEGE DIVINA.

1. Avis est legis, ut quoddã quasi pondus ad operandum, vel omittendum actum aliquem *Moraliter* imprimat Creaturæ rationali, sub quâ proinde ponderis à naturâ inditi analogiâ dicitur *Proverb. 8.* Deus posuisse *legem* aquis, ne transirent Fines suos. Et quia Concupiscentia Carnis quoddam quasi pondus infigit rationi & voluntati ad sui sequelam, dicitur etiam *Analogicè lex*, juxta illud *ad Rom. 7. Sentio aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ.*

2. Verum hisce analogicis legis acceptionibus missis, legem propriè ex Sancto Thomâ *1. 2. q. 90. art. 4.* definimus; quòd sit ordinatio rationis ad Bonum Commune ab eo, qui Curam Communitatis habet, promulgata. Hinc lex differt à præcepto, quòd istud ordinetur ad particulare alicujus Bonum: illa verò referatur ad publicum Communitatis Bonum: adeò ut leges etiam Minorum, pupillorum, militum, & nobilium, licet particulare Personarum genus respiciant, non aliter tamen sortiantur rationem legis, nisi quatenus sub particulari istarum Personarum Bono intenditur & curatur publica Reipublicæ salus, seu Bonum Commune.

3. Unde etiam fit, quòd lex debeat esse lata ab eo, qui Communitatis regimen politicum, seu potestatem Jurisdictionis, non ab eo, qui merè œconomicam, & Dominativam, qualis est paterfamilias, curam habet: siquidem illa ad privatum duntaxat familiæ commodum tendat, illa verò pro fine habeat universale Reipublicæ Bonum. Ex quâ ratione lex debeat tanquam publica Boni Moralis Regula esse promulgata. Veluti hæc omnia patent ex præallegatâ Divi Thomæ definitione.

ARTICULUS I.

Quid, & quotuplex sit Lex?

Suppositâ legis definitione, superest hic decidendum: *An lex Essentialiter consistat in actu Intellectûs, vel Voluntatis?* Quo decisò, Legis divisionem trademus, viam exinde facturi ad singula Legum genera singillatim explicanda.

CONTROVERSIA I.

In quo Actu Intellectus scilicet vel Voluntatis consistat Essentia Legis?

1. Divus Bonaventura *in 1. dist. 45. art. 1. q. 1. ad penult.* Scotus *in 2. dist. 44. q. 1. art. 2.* Ocham *in 3. q. 12. art. 4.* Alphonsus de Castro de *potest. legis pœn. lib. 1. cap. 1.* & alij affirmant: Legem esse actum voluntatis legislatoris.

2. Quibus adstipulatur Suarez *lib. 1. de leg. cap. 6. 24. & 26.* asserendo, si rem ipsam spectemus, melius intelligi & facilius defendi, quòd lex mentalis sit actus

actus voluntatis Legislatoris, quo vult inferiorem obligare ad hoc, vel illud faciendum.

Fundamenta sunt *primò* ab Authoritate Sacrarũ Litterarum Legem divinam sub actu voluntatis exprimentium. *Psal. 32. Notas fecit vias suas Moysi, filiis Israel voluntates suas.* Unde ipse Regius Psaltes custodiam Mandatorum Dei efflagitando, oravit *Psal. 142. Doce me facere voluntates tuas.* Et Christus pro divinorum Mandatorum observantiâ nos docens orare, istam præscripsit formulam. *Fiat voluntas tua. Secundò.* Ex eo, quòd Le-
3. gis proprietates magis conveniant actui voluntatis, quam intellectûs. Nam prima Legis proprietas est, esse regulam & mensuram. At hoc maximè convenit Divinæ voluntati. ex Divo Thomâ 1. 2. q. 4. art. 4. & q. 19. art. 9. & 2. 2. q. 26. art. ult. Secunda legis proprietas est, quòd Lex illuminet & dirigat subditum. At vis *Objectivè* ac *Effectivè* illuminandi convenit actui voluntatis superioris, juxta illud Sancti Anselmi *lib. de volunt. Dei. Voluntas Dei est Magistra Humanæ voluntatis.* Quamvis proinde ratio *Formaliter* illuminans sit actus intellectûs, ut sic tamen importat voluntatem superioris, tanquam Legis impressionem intelligibilem. Tertia est, ordinare. Hoc autem propriissimè convenit actui voluntatis. Quarta est, movere & applicare subditum ad exercendam actionem. At voluntatis proprium est, movere *ad Exercitium*; intellectûs autem *quoad Specificationem* duntaxat. Quinta est, habere vim obligandi: quæ ut sic propria est actui voluntatis necessitatem imponentis, non intellectûs necessitatem moralem duntaxat demonstrantis. Sexta est, esse actum Iurisdictionis, atque adeò Dominij voluntatis proprij. Septima est, esse actum Justitiæ Legalis, seu virtutis voluntati inexistentis.

4. Divus Thomas 1. 2. q. 90. art. 1. Cajetanus, Serra, & alij Thomistæ *ibi*. Sotus *lib. 1. de Justitiâ. q. 1. art. 1.* Alensis 3. p. q. 26. Richardus *in 3. dist. 33. art. 2. quæst. 6. ad 3.* Vasquez 1. 2. *disp. 150. cap. 3.* Azorio 1. l. 5. c. 2. q. 1. & alij tenent, Legem *Essentialiter* consistere in actu intellectûs, importareque (veluti Serra *citatu conti. 21.* explicat) quoddã Dictamen, aut verbũ practicum actûs imperij; sive propositionem præceptivam. Fundamenta sunt *Primò* ab Authoritate. Nam *Proverb. 8.* ait sapientia, *Per me Legum conditores justa decernunt.* Unde Clemens Alexand. 1. *Stromat circa finem.* legem dicit, esse opinionem bonam, bonam autem esse, quæ vera est. Et sanctus Basilius *in cap. 8. Isaiæ* inquit, quod lex sit Doctrix & Magistra.

5. *Secundò* ratione. Tum quia Lex quædam Regula est, & mensura actuum. At regula & mensura Humanorum actuum est Ratio: veluti argumentatur Divus Thomas *cit. art. 1.* Tum quia lex dicitur à ligando, eò quod obliget ad agendum. At Sancto Doctore *q. 23. de verit. art. 8. ad 3.* arguente, non tenetur subditus facere, aut velle quidquid scit, prælatum velle, quod faciat, nisi hoc expressè præcipiat. Oportet igitur, legem esse quid subsequens actum voluntatis, consistereque in rationis imperio. Tum quia lex est quædam ordinatio in finem, seu Bonum commune. At rationis est, ordinare in finem, voluntas autem, quamvis moveat in finem, non tamen in illum ordinat, seu dirigit propriè, sed hoc proprium est cognoscentis. Ergo lex non est actus voluntatis, sed rationis, veluti probant fundamenta *à n. 3.* deducta.

CONCLUSIO.

LEx *Præsuppositivè* ac *Originativè* importat actum voluntatis, *Formaliter* autem ac *Essentialiter* consistit in actu intellectûs.

Probatur. Nam in statuendis regulis humanorum actionum ad Bonum Commune ordinatis eo proceditur ordine, ut *primò* fiat Consiliatio, quam subsequatur resolutorium de regulæ alicujus ad Bonum publicum congruitate judicium; dein secundo loco in principe seu Magistratu Boni publici curam habente succedit præconsiliatæ ordinationis Electio, cum voluntate per jurisdictionis suæ Authoritatem subditos ad eam obligandi: ac denique tertio loco sequitur imperium regulæ cum obligandi voluntate jam præelectæ ordinativum ad subditos. In quo quidem imperio eatenus est vis obligatoria, ut ista tamen transfusa sit ex Authoritate jurisdictionis publicâ materiei in Bonum publicum ordinatrice, per prævium actum voluntatis, habentem ut sic efficaciam imperij illius excitativam, nec non moralis activæ obligationis in id diffusivam. In quo proinde actu voluntatis efficacia Legis obligatoria consistit *Originativè* & *Causaliter*; ipsa verò Legis substantia *Essentialiter* consistit in illo actu imperij *formaliter* spectante ad intellectum.

Responsio ad opposita Fundamenta.

AD Authoritates *n. 2.* oppositas Respondetur. Aliud esse, si loquamur de lege *quasi exercite*, in ordine ad exercitam Mandatorum Divinorum observantiã. Aliud verò esse, si sermo sit de lege *quasi signate*, quoad Essentiam ac primam ejus quidditatem. Sub priori autem ratione ad legem Divinam attendi, dum pro gratiâ ad ejus observantiã necessariâ Deum oramus. Ut sic autem convenienter peti nostram de Divinâ voluntate instructionem, ac executionem actualem, quatenus illa divinæ voluntatis observantia eo ipso importat Divini ex efficaci Dei voluntate subsistentis imperij adimpletionem. At sub posteriori legis consideratione non posse hujus quidditatem ac Essentiam intelligi, nisi sub formali imperij Divini actu, *Formaliter* spectante ad intellectũ, *Præsuppositivè* autem ac *Motivè* importante actum voluntatis Divinæ, veluti *in 1. 10. q. 8. a. 2. cont. 3.* demonstravimus.

Ad *n. 3.* oppositum Fundamentum Respondetur. Legem *activè* sumptam debere considerari, quòd sit Regula *Formaliter* quidem residens in mente legislatoris, per sui tamen promulgationem in subditorum mentes effluens, seu transiens, ut sic actionum moralium ab hisce eliciendarum sub moralis obligationis debito *Idealiter* Directiva. Ejusmodi verò regulam, licèt quoad obligationis moralis efficaciam sit radicata in voluntatis actu, seu Originativo talis obligationis quasi Principio, *Formaliter* tamen esse actum intellectûs, maximè cum per modum ideæ actionum moralĩũ *Exemplativè* sit illuminativa, & actuum in finem Boni publici taliter ordina-

dinativa; ut importet *Formaliter* actum Collativum intellectûs proprium. Et hinc legem habere quidem vim non *quoad Specificationem* duntaxat, sed etiam *quoad Exercitium* movendi & obligandi: istam tamẽ vim eatenus esse *Originativè* ex impressione prævij voluntatis actûs, ut ipsum quoque intellectûs actum, seu imperium Legis *Formaliter* constitutivum importet vel *identicè formaliter*, velut in lege Divinâ immanente; vel *Causaliter effectivè*, velut in lege Humanâ contingit. Unde etiam legem esse Dominij voluntatis proprij, nec non legalis voluntati inexistentis Justitiæ actum, non quidem *Elicitive Immediate*, sed *Imperative* ac *mediate*, seu *Originative* ac *Præsuppositivè*.

✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻

CONTROVERSIA II.

Quotuplex sit Lex?

1. VUlgata & communis est Divisio Legis, in Æternam, Naturalem, Divinam Positivam, & Humanam. De quâ divisione moveri potest difficultas, *Utrum sit univoci in univocata, vel Analogi in Analogata?*

CONCLUSIO.

ILla divisio est Analogi in Analogata duntaxat.

2. Probatur. Nam lex *Essentialiter* ac *Quidditative* est Regula & mensura, *Formaliter* residens in mente Legislatoris, per sui tamen promulgationem in subditorum mentes effluens seu transiens, ut sic actionum moralium ab hisce eliciendarum sub moralis obligationis debito Directiva. At ista ratio legis *absolutè* ac *simpliciter* convenit soli legi æternæ, omnimodi moralis debiti
3. in mentibus creatis præfinitivæ ac effectivæ. Minor ista probatur. Quia Lex æterna est *virtualiter* duplex. Altera spectans ad Divinam simplicis intelligentiæ scientiam, estque omnimodæ moralis rectitudinis per judicium affirmativum; malitiæ autem moralis per judicium negativum sub statu possibilitatis expressiva. Ut sic autem neque *Formaliter*, neque *Virtualiter* est actu transiens in mentes creatas, nec adeò habere potest tam Legis, quam primæ omnem in se Legem exemplantis Ideæ ratione. Altera proinde lex æterna est perinens ad Divinam visionis scientiã, specificatam ex Divino debiti moralis seu intelligibilis de tali debito expressionis mentibus creatis imprimente præfinitivo decreto. Ex hujus vero decreti præfinitivi efficaciâ scientia visionis vim habet, illius de morali circa determinatas moralium virtutum actiones debito intelligibilis repræsentationis effectricem. Et hinc eatenus habet rationem mensuræ activæ, moralis circa actiones humanas debiti expressivæ, ut in se ipsâ *Virtualiter*, mediante autem illâ in mentibus creatis per se causatâ intelligibili formatione *formaliter* sit effluens, seu transiens in universas sibi subditas mentes creatas, tanquam actionum moralium ab hisce faciendarum, seu omit-
4. tendarum regula. Hinc proinde ad Divinam visionis scientiam spectanti Legi æternæ *Primariò* & *simpliciter* convenit quidditativa & adæquata Legis ratio, cùm econtra Legi naturali, & positivæ Divinæ, nec non Humanæ conveniat sub aliquâ dũtaxat ad illam Legem æternam Analogiâ. Probatur istud assumptum. Quia lex Na- 5.
turalis tanquam Effectus ex Lege æternâ *efficienter* causatus est obligationis, seu moralis debiti per Divinum efficax Decretum præfiniti, ac per Divinam visionis scientiam expressi quædam in mente creatâ expressio intelligibilis. Hæc ipsa verò intelligibilis expressio habet quidem vim obligandi ex ipsâ Naturæ qua rationalis intrinsecâ exigentia, atque adeo ad rationalitatis specificum gradum se habet per modũ proprietatis connaturalis. Hic tamen rationalitatis gradus non eâ ratione potest in se fundare illam moralem obligationem, quasi habeat vim alicujus Jurisdictionis ac legislativæ in Bonum commune *Authoritative* ordinatricis potestatis, sed quatenus per Essentialem rationalitatis, quâ participatæ erga Deum subjectionem, & per Mentis Divinæ ideam, Debitique moralis exemplativam Legem est *intrinsecè* ordinabilis. Hinc autem fit, quod illa Debiti moralis in mente creatâ Expressio intelligibilis, seu lex naturalis non aliter sit obligatoria, nisi quatenus est repræsentativa obligationis per legem Æternam in mente Divinâ formatæ. Ex hoc autem sequitur, quod lex naturalis (idem est de lege Divinâ positivâ) non nisi dependenter à lege æternâ sit obligatoria, seu debiti alicujus moralis in mentem creatam impressiva. Ergo non nisi sub quâdam depentenciæ ad legem æternam Analogiâ sortitur formalem legis qua obligatoriæ rationem. De- 6.
inde sicuti Causæ secundæ non nisi sub essentiali ad Causam primam subordinatione habent vim Effectuum suorum naturalium effectricem; sic potestas legislativa Humana, non nisi sub Essentiali ad legem æternam dependentiâ vim habet moralis cujusdam obligationis determinativam. Hinc autem fit, quod, sicut Causarum secundarum effectio nequit subsistere absque Divinæ Causalitatis motione, non tantùm antecedente, sed concomitante ipsummet etiam actualem Causæ secundæ influxum; sic lex humana, ejusque obligatio non possit stare sine actuali *inseparabiliter* ac *Essentialiter* secum connexâ legis æternæ obligatione. Constat proinde, quòd lex etiam Humana sub Essentialis à lege æternâ dependentiæ Analogiâ duntaxat possit habere vim obligatoriam, sive debiti alicuius moralis determinativam. Ergo Lex Humana in comparatione Legis æternæ nequit nisi *Analogicè* participare Legis rationem Essentialem ac quidditativam.

Confirmatur. Quia secundùm Divum Thomã *præs. q. 90. art. 1.* Itẽ *q. 101. art. 2. & 6. Lex essentialiter* 7.
invenitur in regulante & mensurante participative autem in eo, quod mensuratur & regulatur. Atqui sola lex æterna est in Deo, ut purè Regulante ac mensurante: Lex autem creata naturalis, & Divina Positiva est in mẽte creatâ, non qua per potestatem aliquã legislativam mensurante, sed qua regulabili ac mensurabili secundùm quandam moralis rectitudinis ac obligationis expressionem intelligibilem ex lege æternâ participatam, nec nisi in vi legis æternæ per se repræsentatæ obligatoriam. Unde Divus Thomas *cit. art. 2.* ait, quod Lex

naturalis nihil aliud sit, quàm participatio Legis æternæ in rationali Creaturâ.

Deinde Lex Humana eatenus quidem est in mente legislatoris creati, quà mensurantis ac regulantis, ut hæc ipsa tamen legislatoris creati vis regulativa ac mensurativa dicat Essentialem ex lege æterna dependentiam, atque adeò sub ipsâ mensurantis ac regulantis ratione importet *Transcendentaliter* intrinsecam quandam ex lege æternâ mensurabilitatis ac regulabilitatis dependentiam. Unde Sanctus Augustinus. *lib. 1. de libero arbit. cap. 6.* ait. *In illa temporali Lege nihil esse justum, atque legitimum, quod non ex hac æternâ Lege sibi homines derivaverint.* Consequens proinde est, quòd lex tam Divina naturalis, & positiva, quàm Humana non sint Leges nisi secundum quandam participationem legis æternæ, ac Essentialem ex hâc dependentiam.

ARTICULUS II.

De Lege Æternâ, & Divinâ Naturali.

1\. EX dictis *præc. art. cont. 2.* præsertim *n. 3.* constat; Legem æternam *strictè loquendo* nihil aliud esse, nisi Rationem Divinam ex Divino Debiti moralis, seu intelligibilis de tali debito expressionis mentibus creatis imprimendæ præfinitivo Decreto specificatam.

2\. Verum *Latius loquendo*, potest Lex æterna ex Divo Thomâ *præs. q. 93. art. 1.* describi, *ratio Divinæ sapientiæ, secundum quod est Directiva omnium actuum & motuum.* Cuius equidem Definitionis ratio est. Sicut enim Ratio rerum faciendarum per artem vocatur Exemplar: sic ratio gubernativa actuum seu motionum subditorum rationem Legis obtinet. Atqui Deus est per suam sapientiam Conditor universarum rerum, ad quas comparatur sicut Artifex ad artefacta. Est etiam gubernator omnium actuum, & motionum per eandem sapientiam quà singularum Creaturarum motricem & ordinatricem in suos fines. Quemadmodum igitur ratio Divinæ sapientiæ, in quantum per eam cuncta creata sunt, rationem habet Artis, vel Exemplaris seu ideæ: sic ratio Divinæ sapientiæ moventis omnia in Finem obtinet rationem Legis æternæ.

3\. De quâ proinde lege æternâ *latè* sumpta *primam* instituemus Controversiam. *Quænam sint ejus quasi proprietates?* Exinde de lege naturali, *secundo loco* quæsituri, *Quid sit, & qualiter differat à Jure gentium? Tertio. An de mente hominis tolli, vel aliqualiter mutari seu dispensari possit? Quarto. Quænam sit obligatio Legis naturalis?*

IESUS

CONTROVERSIA I.

Quænam sint Legis æternæ quasi Proprietates?

CONCLUSIO.

QUamvis Legem æternã, prout est in se ipsâ, & in mente Divinâ, solus Deus & Beati Deum per Essentiã videntes cognoscant; omnes tamen Rationis participes cũ circa agibilia moralia veritatis aliquid, seu primorum saltem naturalium principiorum notitiam habeant, etiam Legis æternæ aliquam Notitiam habere censentur, ex Divo Thomâ *1. 2. q. 93. art. 2.*

Probatur Ratione Sancti Doctoris. Dupliciter enim potest aliquid cognosci: uno modo in seipso, alio modo in suo effectu, in quo ipsius similitudo invenitur: Veluti solem non videns in suâ substantia, potest eum agnoscere in suâ irradiatione. Etsi proinde Legem æternam, secundum quod est in se ipsâ, nullus cognoscere possit nisi solus Deus, ac Beatorũ Lumine gloriæ illustratus intellectus. Attamen omnis creatura rationalis ipsam cognoscit secundum aliquã vel majorem, vel minorem ejus irradiationem. 1. Probatur istud subsumptum. Omnis enim cognitio veritatis est quædam irradiatio & participatio Legis æternæ, quæ est veritas incommutabilis, uti dicit S. Augustinus *lib. de verâ Relig. cap. 18. circa init. & cap. 31.* At veritatem omnes aliqualiter cognoscunt, saltem quoad Principia communia Legis Naturalis. Ergo in omnibus est quædam irradiatio & participatio Legis æternæ, eodem S. Augustino *lib. 1. de libero arbit. cap. 6. circa finem* attestante, *quod æternæ Legis notio omnibus impressa sit.* 2.

CONCLUSIO II.

EX Lege æternâ derivatur omnis Lex Creata sive Naturalis, sive Positiva tam Divina, quàm Humana. ex Sancto Thomâ *cit. q. 93. art. 3.*

Probatur. Nam Ratio Divina, atque adeò Lex æterna Creaturæ præsertim intellectualis in suos fines Directiva est *Virtualiter* duplex: Altera pertinens ad scientiam simplicis intelligentiæ, altera verò spectans ad scientiam visionis. 3. At prior ratio Divina est repræsentativa non tantùm finis Ultimi, sed intermediorum, in quos creatura intellectualis per media Naturæ suæ congrua, est ordinabilis: posterior autem est expressiva tum Finium, tum mediorum cuique Creatæ intelligentiæ divinitus præfinitorum. Inter hæc autem media sunt omnes ac singulæ Leges, ac præcepta tam positiva, quàm naturalia. Sicut ergo ratio divinæ sapientiæ quà spectans ad simplicis intelligentiæ scientiam est directiva voluntatis divinæ, creatas cuique Leges prædestinantis: sic ratio Divina pertinens ad scientiam visionis est *Effectivè* causatrix omnis

per voluntatem Dei præfinitæ, à Creato etiam Legislatore ferendæ Legis; imò eatenus est hujus prima Idealis ratio, ut non nisi per hujus participationem Analogicam sortiatur rationem Honestatis, ac vim moralis erga Rectitudinem naturæ quà rationali congruam Debiti inductivam, uti *prac. art. conl. 2.* ostensum est.

Conclusio III.

Omnis res creata subditur æternæ Legi *latè* sumptæ, ex Divo Thomâ *cit. q. 93. art. 4. 5. & 6.*

4. Probatur. Tum quia nihil est creatæ formalitatis, quod ex Divinæ Rationis causalitate non ordinetur in aliquem Finem: adeò ut licèt formale peccati non possit à Deo *Efficienter* procedere, ejus tamen permissio ex Divinæ Causalitatis ordinatione dirigatur in Bonum aliquem finem. Constat proinde, omnia esse subdita Legi æternæ *latè* sumptæ pro Ratione Divinâ cujusque formalitatis creatæ ordinatrice in finem.

5. Tum quia Lex æterna *Strictius* sumitur pro ratione Divinâ expressivâ omnium mediorum, quibus creatura intellectualis est ordinabilis in Finem Naturæ suæ quà rationali convenientem. Ut sic autem Legis æternæ (si præsertim *Strictissimè* sumatur pro ratione Divinâ moralium ad actus aliquos obligationum efficaciter præfinitarum expressivâ, & in mentibus creatis factivâ) causalitas comprehendit Fines, & actus intelligentiarum duntaxat vi dominativæ & arbitrio libero subjectos.

Conclusio IV.

Lex æterna omnimodæ moralis actionis eatenus est mensura, ut nullum peccatum etiam *intrinsecè* malû sub qualicunq; malitiei moralis Formalitate sit intelligibile, nisi ex oppositione ad legé æternam; ex Divo Thomâ *in 4. dist. 7. q. 3. art. 2.* & *1. 2. q. 71. art. 6. ad 4.*

6. Probatur. Nam *Primò* sicuti Bonitas moralis quoad primá sui Essentiam derivatur ex Divinâ simplicis intelligentiæ scientiâ, quà per Iudicium affirmativû expressivâ moralis creatarum intelligentiarum in Deum tanquam Finem Ultimum ordinabilitatis: Sic malitia moralis quoad primam Quidditatem constituitur per hoc, quòd Divina simplicis intelligentiæ scientia aliquarum moralium Creaturæ intellectualis actionum & omissionum in Deum tanquam Ultimum Finem Deordinabilitatem repræsentet per Judicium negativum. At sicuti illa per Iudicium affirmativû Bonitatis moralis repræsentativa Ratio est Lex æterna præceptiva; sic malitiæ moralis per Judicium negativum expressiva Ratio Divina est Lex æterna prohibitiva. Constat proinde, omnem malitiam moralem in peccatis *Formaliter* malis præsupponere Legem æternam prohibitivam, tanquam Primam sui mensuram & Regulam. Unde Commune illud Axioma: *Quædam mala sunt, non quia prohibita; sed quia mala, sunt prohibita*; non habet locum respectu Legis, quà spectantis ad Divinam simplicis intelligentiæ scientiam, benè tamen respectu Legis naturalis menti creatæ impressæ.

7. *Secundò* licèt hâc Dei æternâ prohibitivâ Lege suppositâ, fieri posset per absolutam Dei potentiam, ut creando intellectualem creaturam, nollet huic infundere species malitiæ moralis per prætactû simplicis suæ intelligentiæ Negativum Judicium expressæ repræsentativas: In hoc tamen casu Creatura rationalis eatenus careret lege naturali, ut defectu quidem *deliberata* ad malitiam advertentiæ faceret actum moralem non quidem *formaliter*, attamen *in genere Moris Materialiter* malum. Hæc ipsa verò materialis *in genere moris* malitia importaret oppositionem cum Lege illâ æternâ.

8. *Tertiò* posset malitia moralis cadere in aliquam mentis creatæ Fini intermedio oppositam actionem, quin exprimeretur Directa cum fine Ultimo, hujus *Affectivè* & *moraliter* destructiva oppositio. In tali autem Casu turpitudo ejusmodi haberet malitiam moralem Naturæ quà Rationali oppositam, quin Juris Divini in Ultimi Finis ratione, ejusque supremâ Majestate radicati fieret moralis & affectiva læsio. Unde cùm Theologica culpa mortalis *Formaliter* importet offensam Divini in supremæ Majestatis & Ultimi Finis ratione fundati Juris *Affectivè* & *moraliter* destructivam; foret consequens, tale peccatum non habiturum quidem formalem Culpæ Theologicæ malitiam, attamen *Philosophicè loquendo*, fore adhuc peccatum ex oppositione cum Naturâ rationali. Hæc ipsa verò oppositio reduci deberet adhuc in Legis æternæ Judicium Negativum seu prohibitivum. Constat igitur, nihil malitiæ moralis esse intelligibile sine oppositione ad Legem æternam, seu primam omnimodæ moralitatis mensuram ac Regulam.

***********)(**********

CONTROVERSIA II.

Quid sit Lex Naturalis, & qualiter differat à Jure Gentium?

1. Vasquez 1. 2. *disp. 150. cap. 3.* existimat, Legem Naturalem *Primariò* esse ipsam Naturam rationalem, quà rationalem, & primam Boni ac mali Regulam. Fundamentum est. Quia Lex, sive Ius est illud, cui æquandæ ac mensurandæ sunt actiones, ut sic rectæ ac Justæ sint. Hoc autem est aliquid antecedens Judicium etiam Increatum Dei, siquidem aliqua ita sint *Intrinsecè* ac *Essentialiter* mala, ut non ideo sint talia, quia taliter judicentur; sed ideo talia judicentur, quòd in re ipsâ secundùm Essentiam ita se habeant. At verò antecedenter ad Judicium, & voluntatem Dei nulla est intelligibilis Regula, penes quam aliqua sint bona, alia verò mala, nisi Natura Rationalis possibilis. Hæc igitur, ut prima omnis Moralis Rectitudinis & obliquitatis Regula, est ipsummet Jus naturale.

2. Alensis *3. par. sum. q. 27. n. 2.* arbitratur, Legem Naturalem esse habitum, seu lumen rationis *in actu* primo manifestativum Rectitudinis ac Turpitudinis moralis.

Funda-

Fundamentum est. Quia est illud Lumen Divini vultûs super nos signatum, juxta illud *Psal.4. Signatum est super nos lumen vultûs tui Domine.* Hoc ipsum verò lumen est per modum permanentis, non autem transeuntis formæ, mentibus nostris insculptæ & inscriptæ; juxta illud *Rom. 2. Ostendunt opus Legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis Conscientiâ ipsorum.* Ejusmodi autem forma mentibus nostris permanenter inscripta non se habet ut actus præcisè, sed ut habitus.

3. Ocham *in 2. q.19.* Ariminensis *in 2. dist. 35. q.1. art.1.* Gabriel *ibi.* Suarez *lib.2. de Legib. cap.6.* Serra *1.2. q.94. art.1.* Amicus *Tomo 5. disp. 3. de Legib. n.15.* tenent: legem Naturalem essentialiter consistere in actu, & quidem in Dictamine rationis *practicè* judicantis medium necessariò cum fine connexum. Fundamentum est. Quia consistit in præceptis, quæ habitus synteresеos continet tanquàm prima Principia operum Humanorum. Hæc autem præcepta sunt quædam Dictamina rationis, quæ rationem Legis naturalis habent, quatenus sunt quædam participationes Divini Dictaminis, quod in Deo est Lex æterna.

Conclusio I.

Lex naturalis est actus ab habitu Synteresеos elicitus, consistens *Formaliter* in Dictamine Rationis *Practicè* judicantis medium necessitate morali connexum cum Fine naturæ quà rationali consentaneo. ex Divo Thomâ *q.94. art.1.*

4. Probatur. Nam Synteresis est habitus primorum moralium Principiorum, importans lumen partim intellectivum, partim intelligibile situm in speciebus cum infusione Animæ impressis, & primorum Honestatis moralis Principiorum in actu primo repræsentativis. Ex quo proinde duplici intellectivo ac intelligibili lumine procedit Dictamen Rationis *Practicè* judicantis tum Finem naturæ quà rationali secundùm pura etiam naturalia consideratæ debitum, tum consequenter media necessariò connexa cum Fine ejusmodi. In quo adeò rationis Dictamine consistit Lex naturalis ex hoc distincta à Conscientiâ, quòd ista operationis hic & nunc faciendæ cum principijs moralibus collationem discursivam præsupponens *Remotè* oriatur ab Habitu Synteresеos, *Proximè* autem procedat à Prudentiâ.

Conclusio II.

Jus gentium *proximè* quidem radicatur in Jure naturali, *Formaliter* tamen est positivum estque adeò medium inter Jus naturale ac Civile. Bannes *2. 2. q.57. art.3.* Suarez *lib.2. de legib. cap.18. 19. & 20.* Salas *de Legibus. disp.2. sect.3. n.21.* Molina *de Just. tract.1. disp.3. & 5.* Castropalaus *to.1. tract.3. de Legibus. disp.1. punc.3.*

5. Probatur. Jus enim gentium dicitur, quod introductum est usu & consuetudine omnium ferè gentium. Ejusmodi verò est tum distinctio gentium & divisio Regnorum. *ex lege. Hoc jure. ff. De Justitiâ & jure.* Tum Bella, Contractus, servitutes, Legatorum admissio, paces, fœdera & similia relata. *in cap. Jus gentium. dist. 1. &* ab Isidoro *lib.5. Etymolog. cap. 4. & 6.* At in hisce Communis omnium gentium consensus arguit, esse *proximè saltem* fundata in Jure naturali, juxta illud Jurisconsulti. *Leg. omnes populi. ff. De Justitia & jure. Quod,* inquientis, *naturalis Ratio inter omnes homines constituit, id apud omnes gentes peræque custoditur, vocaturque* Jus gentium. Nihilominùs illa 6.
ipsa Communi gentium usu introducta Jura, Naturæ rationali, suppositâ etiam humanâ Societate & Communicatione politicâ, non ita sunt necessaria, quin Jure naturali stante, potuissent omnia esse Communia, ac sepositis bellorum, fœderum & commerciorum inter diversas nationes celebrandorum juribus, potuisset alia adhuc via institui ad gubernandos homines, & ad providendum necessitati Humanæ, uti expendit Suarez *lib. 2. de Legibus. cap. 19. à n. 7.* At verò naturale est, quòd suppositâ saltem Societate & Communicatione Politicâ est cuilibet insitum à Naturâ: cujusmodi sunt v. g. quòd servus debeat Domino obedientiam, à promittente reddatur promissum, atque contrahens non defraudetur in contractu. Cùm igitur Jus gentium non sit simpliciter à Naturâ constitutum, oportet, mediante aliquâ consequentiâ *proximâ* tamen, & omnibus gentibus notâ, & perviâ, esse constitutum communi gentium consensu. At ex hoc ipso planum est, quòd Jus gentium *Formaliter* sit positivum; insinuante idipsum etiã Imperatore, *Ius gentium. vers. Instit. De jure naturali, gentium & Civili.* ubi sic habet. 7.
Ius gentium omni humano generi Commune est: nam usu exigente, & humanis necessitatibus, gentes Humanæ Jura quædam sibi constituerunt. Patet proinde, Jus gentium licèt *proximè* sit radicatum in jure naturali, esse tamen *formaliter* positivum, hominum usu & consuetudine constitutum; uti clarè innuit Divus Thomas *1. 2. q. 95. art. 4. Legem Humanam ut à Lege Naturæ derivatã dividens in jus gentium, & jus Civile, ita ut ad jus gentium pertineant ea, quæ derivantur ex lege Naturæ sicut conclusiones ex principijs; ad jus verò Civile spectent, quæ derivantur à Lege naturæ per modum particularis determinationis.*

Responsio ad opposita Fundamenta.

Ad *n.1.* oppositum Respondetur. Regulam, 8.
cui actiones nostræ morales commensurandæ, ac æquandæ sunt, aliam esse primariam & originariam; aliam verò secundariam & participativam. Illam verò esse Legem æternam, quam prout spectat ad Divinam simplicis intelligentiæ scientiam, eatenus esse priorem Naturâ rationali secundùm possibilitatis etiam ac Essentiæ statum consideratâ, ut sit *Intelligibiliter* ac *Idealiter* formatrix, tum Essentiæ, tum omnium proprietatum Naturæ rationalis, omnisque adeò moralis rectitudinis, & ad hanc oppositæ turpitudinis, ejusdemq; Debiti moralis. Unde falsum esse, quòd aliquod objectum *Essentialiter* malum possit intelligi antecedenter ad illud Increatum Dei Judicium, sed potiùs dicendum esse, omnimodi mali moralis *Formaliter* spectati essentiam pendere ex illo Divinæ simplicis intelligentiæ, seu Legis æternæ Judicio nega-

9. tivo. Aliam proindè moralium actionum nostrarum commensurationem esse secundariam, & participatam. Ejusmodi verò esse ipsummet Jus naturale menti creatæ divinitùs impressum. Respectu cujus adeò verum quidem esse, quod objecta *intrinsecè* mala, antecedenter ad talis Legis impressionem intelligantur ex Essentiâ suâ habere moralem objectivam malitiam: nec tamen opus esse, ut Regula secundaria sit prior; sed sufficere, quòd Regula primaria & originaria in lege æternâ cōsistens sit talis malitiæ quidditate prior.

Ad *n.* 2. oppositum Respondetur. Legem
10. Naturalem dupliciter accipi posse. *Primo* quasi *Virtualiter*; *Secundò Formaliter*. Et priori quidem modo importare habitum Syntereseos: modo autem posteriori dicere hujus actum. Nihilominùs istum dici posse permanentem & stabilem tum *quoad specificationem Formaliter*, siquidem per modum speciheæ secundùm rei naturam definitæ Essentiæ sit omninò invariabilis: tum *quoad Exercitium virtualiter*; quatenùs ejus proximum Principium non tantùm est indelebile, sed intellectui pro quâlibet occasione taliter irradians, ut nullus fieri possit actus moralis, quin de tali super nos signato Lumine aliqua fiat irradiatio ad Bonum incitativa, & à malo morali retractiva.

CONTROVERSIA III.

Utrùm de Mente Hominum tolli, vel aliqualiter mutari, aut dispensari possit Lex Naturalis?

1. TRipliciter intelligi potest, fieri Legis menti inexistentis mutationem. *Primò quoad Exercitium*, dum scilicet tolli ipsa de mente ejus notitia. Quod equidem duobus modis accidere potest, tum *negative*, quando scilicet Juris alicujus naturalis habetur ignorantia, seu inadvertentia, v.g. propter mentis ad alia distractionem, nimis habituatam invincibilis: Tum *positive*, quando nimirum Juris naturalis veritas adhuc in *abstracto*, & in *actu signato* subsistit *speculative*, dum tamen sub concretione aliquâ particulari, ex aliquo per falsam persuasionem repræsentato motivo, Jus ejusmodi non est applicatum. v.g. Jus naturale, Homicidij turpitudinem repræsentans vix potest esse ita abditum ac deletum ex alicujus mente rationali, quin talis turpitudo saltem *abstractè* ac *signatè* adhuc illucescat cuivis ratione utenti. Attamen inter Germanos, teste Divo Thomâ *q. 74. art. 5. in fine*, censebatur olim homicidium licitum, ex eâ fortassis persuasione, quòd, cum homines continuâ de Bonis temporalibus ac Dominijs pugnâ inter se concertarent, nec Juris decisioni ob temporum iniquitatem tunc locus esset, falsò haberent sibi fortassis persuasum, ex titulo Belli id licere: sicut etiam ex motivo Boni Communis promovendi posset quis falsâ persuasione credere, mendacium hic & nunc licitum esse.

Secundo intelligi potest, Juris naturalis mu-
2. tationem fieri posse *Quoad specificationem*, quatenus ex Jure naturali illicitum potest per Divinam Potentiam *absolute* licitum fieri. Atque tunc diceretur, Jus naturale *simpliciter* mutari *Quoad suam Essentiam*, cùm in Casu priori mutaretur *Quoad statum actualis expressionis* ac *Existentia* duntaxat, dum vera ejus repræsentatio vel est quasi sopita in mente rationali, vel per falsam aliquam persuasionem *quodammodo* obruta & impedita.

Quòd si *tertio* fieri posset, ut objectum de jure
Naturæ illicitum, redderetur licitū pro casu ali- 3.
quo particulari; tunc mutatio ejusmodi dicenda foret dispensatio.

Circa primam proinde Legis naturalis mu-
tationem egimus *in præf. to. 2. q. 4. art. 4. conc. 1.* pro- 4.
bando, quòd Jus naturale ex nullius Hominis ratione utentis mente tolli possit, vel invincibiliter ignorari, quoad prima principia moralia: benè tamen quoad secundaria seu particularia moralia Principia virtutum, ac vitiorum illis oppositorum, in specie Directiva. Unde Lectorem eò remittimus, non nisi pauca in *prima conclusione* superadd.turi.

Circa Secundam Juris naturalis variationem
procedunt Difficultates per Divum Thomam 5.
præf. q. 94. art. 5. discussæ. Tum quòd, licet occisio innocentis, nec non adulterium & furtum sint contra Jus Naturale, ista tamen videantur esse mutata à Deo, dum *Genes. 22.* præcepit Abrahæ, ut immolaret seu occideret Filium suum Isaac: sicut etiam præcepit Judæis *Exodi 11.* ut mutuata Ægyptiorum vasa surriperent: *Oseæ 1.* præcepit huic Prophetæ, ut Uxorem fornicariam acciperet. Tum quòd communis omnium possessio, & libertas sint Juris Naturalis: quæ tamen sunt mutata per leges.

Circa Tertium denique Juris Naturalis va- 6.
riationem Major extat Doctorum Controversia mox discutienda.

Referuntur Sententiæ.

OCham *in 2. q. 19. ad 3. dub.* affirmat, Deum in 7.
omnibus præceptis Decalogi, licet naturalibus dispensare posse. Fundamentum est. Quia odium Dei, Furtum, Adulterium & similia ideò sunt peccata, quia sunt prohibita Dei voluntate. Sicut ergo voluntate suâ liberâ potuit Deus ista peccata prohibere, sic potuit ea nolle prohibere, vel aliquem ab obligatione præcepti eximere, atque adeò dispensare.

Scotus *in 3. dist. 37. quæst. un. n. 3.* Lycherus *ibi.* 8.
& alij negant quidem, præcepta Decalogi primæ tabulæ, duo præsertim priora esse à Deo dispensabilia; affirmant tamen, fieri posse dispensationem præceptorum secundæ tabulæ. Fundamentum est. Nam alioquin necessitaretur ad volendum alia à se. Probatur ista sequela. Quia voluntas Dei necessariò conformatur naturali Dictamini Increatæ suæ rationis. At naturale Dictamen Dei necessario cōformatur objecto secundùm se spectato. Si proinde præcepta Decalogi secundæ tabulæ antecedenter ad omnem voluntatem & prohibitionem Dei continerent bonitatem, aut malitiam, voluntas Dei necessariò ferretur in illa.

Divus Thomas *1. 2. q. 94. art. 5. & q. 100. a. 8.* 9.
Cajetanus *ibid.* Serra *eodem art. 8.* Amicus *præf. disp. 4. sect. 3. n. 74.* & alij absolutè negant, posse Deum dispensare in lege naturæ, atque adeò in Decalogi secundæ tabulæ præceptis secundùm substantiam spectatis. Fundamentum est. Quia quod-

quodcunque præceptum Legis naturæ in ipsâ
Naturâ habet fundamentum, & aliquid eatenus
est legis naturæ, quatenùs rationali Naturæ est
debitum & conveniens. At quamdiu Natura
non mutatur, non potest non esse eâdem ratione
debitum, nec aliâ habitudine Naturam respice-
re. Cùm igitur Deus non possit hominis natu-
ram mutare, hominemque aliâ Naturâ præditum
facere, non poterit facere, ut quod erat Juris
Naturæ, deinceps non sit.

Conclusio I.

Lex Naturæ *radicaliter* & *habitualiter*
spectata non potest ex mente homi-
nis aboleri, neq; *Formaliter* considerata po-
test quoad prima moralia principia pro ca-
su perfectæ deliberationis etiã *negativè* esse
suppressa: Quoad principia tamen secun-
daria potest tum *negativè* esse sopita, tum
secundùm Concretionem aliquam ma-
terialem etiam *positivè* & *contrariè* oppres-
sa.

10. Probatur, Tum quia Lex naturalis *Radicali-
ter* est ipsa Natura qua rationalis, *habitualiter* au-
tem est Habitus synteresêos, importans ipsum-
met Lumen intellectuale, a potentiâ intellectrice
realiter indistinctum, nec non species intelligibi-
les quà primi moralis principij, sub signati qui-
dam Numinis, voluntatem unicè satiantis, ex-
pressione intelligibili *Confuse saltem*, nec non
Honestatis ut sic, accommodæ moralium vir-
tutum specificativæ puritatis, *sub abstractione signati*
in Finem mentis rationalis satiativum ordina-
bilitatis intelligibilitate repræsentativas. At ve-
rò istæ species intelligibiles Habitûs synteresêos
perfectivæ sunt *Connaturaliter* concreatæ cum ip-
somet lumine intellectuali, sicuti sensibus inter-
nis brutorum congenitæ sunt species insensatæ
ad Naturæ conservationem necessariæ.

11. Tum quia *in to. 1. q. 1. a. 2. cont. 4.* ostendimus,
non posse plenum rationis lumen pro culpâ
mortali sufficientium moralibus stare, quin illu-
ceat primarium morale principium Ultimi finis,
sub confusâ saltem Numinis voluntatem unicè
satiare potentis ratione expressivum. Ipsamet
etiam experientia docet, nullum Hominem ra-
tione utentem in tantum posse malitiâ volunta-
tis obrui, & tenebris involvi, quin puritas vitæ
sub illâ formali expressione aliquod pondus ha-
beat ad eam in alijs etiam hominibus laudan-
dam. Sicuti autem Honestas ut sic *generice* spe-
ctata est in lineâ morali principium *simpliciter in
genere moralitatis* primum, sic puritas Honestatem
moralium virtutum specificativam importans
signatè & *abstractè* sumpta est ad instar primi in
certo tamen genere, moralis principij. Patet
proinde, quòd ejusmodi prima Moralia princi-
pia ne quidem *Negativè* possint esse suppressa in
homine, secundùm rationem plene deliberatam
operante.

Tum deniq; Quia Honestates moraliũ virtutũ
12. specificativæ non *signatè & abstractè*, sed *secundum
[illegible]* ad actus specificos sive virtuosos, sive
[illegible] tos vitiosos *concretionem* intelligibili-
ter [illegible], habent rationem secundarij agibi-
lium Moralium principij. Ut sic autem posse
ignorantiæ, vel Erroris tenebris eatenus involvi,

ut nõ tantùm *Negativè*, sed etiam *Positivè* sint sup-
pressæ, patet ex prætactâ *cont. 1. to. [illegible] q. 4. art. 4.*

Conclusio II.

Lex Naturæ *Formaliter* sumpta non
potest à Deo mutari, vel dispensari;
benè tamen *materialiter* spectata.

Prior pars probatur. Lex enim Naturæ *For-
13. maliter* spectatur secundùm illam formalitatem,
sub quâ objectum oppositum per Divinam sim-
plicis intelligentiæ scientiam Naturæ intelle-
ctualis, ejusque proprietatum in suâ Essentiâ
expressivam, repræsentatur ex intrinsecâ quid-
ditate illicitum, ac inhonestum. At per se
notum est, formalitatem quamlibet à Divinâ
intelligentiæ scientia expressam non aliter se
posse habere.

14. Posterior pars probatur. Jus enim Naturæ
sumitur *Materialiter* secundùm aliam, quam ex
objecti mutatione superinduit, formalitatem, nõ
subsistentem sub jure naturali, cujus sit mutatio
materialis: veluti voluntas Abrahami de occi-
dendo Isaaco proficiscebatur ex Dominio vi-
tæ filij sub concesso à Deo: at Israelitarum ab
Ægyptijs vasa aurea & argentea a[illegible] vo-
luntas honestabatur ex Dominio per [illegible] il-
los translato: sicut Oseæ quoque [illegible] for-
nicatio Honestatem accipiebat ex Dominij in
Mulierem fornicariam à Deo sibi factâ translata-
tione. In quibus proinde casibus [illegible]
de se jure naturæ prohibiti mutatione materiali,
superinducebatur formalitas objecti cohonesta-
tiva.

Quemadmodùm etiam libertas, & com-
15. munis omnium possessio erat quidem jure Na-
turæ licita, eo ipso tamen, quòd vitalis Juris sub
præcepto non esset definita, [illegible] habebat
respectu Potestatis Legislativæ in Communita-
te *Originariè* jure naturali residentis, subordina-
tionem: vi cujus adeo potestatis poterat deinde
Jus proprietatis Bonorum, ac servitutis homi-
num, ut consequenter illud naturale libertatis ac
Communitatis Bonorum Jus fuerit *Materialiter*,
non autem *Formaliter* mutatum. Et hinc patet
Responsio ad Argumenta *n. 5.* deducta.

Responsio ad fundamenta *à n. 7.* opposita.

Ad *n. 7.* oppositum Respondetur. Peccata
16. *intrinsecè* mala esse talia, quòd per æternam
simplicis Divinæ intelligentiæ scientiam, non
verò per voluntatem Dei sint prohibita. Unde
sicuti voluntas Divina non potest non esse con-
formis cum Divinâ simplicis intelligentiæ in se
omnino immutabili scientiâ, sic ratione hujus
immobilitatis non posse peccata *intrinsecè* mala
sub illâ, sub quâ Divinæ æternæ legi prohibitivæ
subsunt, formalitate per voluntatem Dei licita
fieri.

17. Ad *n. 8.* oppositum Respondetur. Eo ipso,
quòd voluntas Dei necessario conformetur Di-
ctamini Increatæ suæ rationis, sequitur voluntatem
Dei saltem *quoad specificationem* necessitari ad ne-
cessario volendum eo modo objecta creata, quo
modo per Divinum æternæ Legis Dictamen
sunt intelligibiliter expressa. Hanc vero Divinæ

 ratio-

rationis necessitatem non esse ex vi Bonitatis creatæ, ejusque propriæ finalizativæ virtutis, sed ex vi Divinæ Essentiæ per sui ad extra imitabilitatem habentis necessariam sub ratione ideæ cum Essentijs creatis connexionem; ratione cujus adeò connexionis Essentialis fieri, ut Deus saltem quoad specificationem sit omninò determinatus ad alia à se volendum eo modo, quo per Divinam simplicis intelligentiæ scientiam sunt determinata.

CONTROVERSIA IV.

Quænam sit obligatio Legis Naturalis.

1. Supponendum *primò*, Legi naturali esse omninò vim sub peccato lethali obligatoriam, juxta illud ad *Rom. 2. Quicunque sine lege peccarunt, sine lege peribunt.*

Cujus ratio est. Quia Deus sub ipso etiam Ultimi Finis ac primæ Majestatis jure est per legem naturalem exigens tum Cultum latriæ sibi soli exhibendum, tum moralium actionum puritatem dispositivam ad Dei Ultimi Finis adeptionem. Nihilominùs illa obligatio non tenet respectu omnimodæ moralis jure etiam naturali debitæ materiæ; veluti patet in mendacio de se & ex objecto importante culpâ venialem duntaxat.

2. *Secundò.* Quamvis negativa juris naturalis præcepta per solam rei prohibitæ omissionem absque ullo etiam interiore voluntatis actu servari possint; attamen præcepta affirmativa ad sui observationẽ exigere necessariò actum positivũ, utpote vi talis Legis *Directè* ac *Expressè* impositum. Et quia Lex afficit Hominem quà *moraliter* operantem, exigitur etiam necessariò, ut actus ejusmodi sit liber, adeò ut coactè præstitus nõ satisfaciat legi; secus verò est, si fiat ex metu, utpote non tollente liberum & voluntarium.

3. Verùm *Tertiò.* Utrùm exigatur, actum fieri sub intentione saltem indirectâ legis adimplendæ, ita ut actûs præcepti substantiâ positâ, non sit legi in *actu exercito* satisfactum, dum Legis habetur ignorantia? infra dicemus, ubi de Lege Humanâ agetur. Quare superest duntaxat hic decidenda Difficultas: *An talis modus virtutis in opere præcepto sit de substantiâ legis, ut, si actus præceptus, ex fine v.g. vanæ Gloriæ extrahatur à bonitate morali virtutis, nequeat per ipsum satisfieri præcepto?*

Referuntur Sententiæ.

4. Suarez *lib.2.de Legib. cap.21 concl.3.* tenet, Naturalem legem etiam obligare ad modum virtutis. Fundamentum est. Nam sub modo virtutis comprehenditur, quidquid necessarium est, ut actus sit honestus & simpliciter bonus *moraliter.* Ad hoc autem necesse est, ut sit non solùm de objecto bono quasi materiali, sed etiam Formali, id est propter Honestum Motivum. At Divus Thomas *1.2.q.100.art.9.* in hoc distinguit naturalem legem à positivâ, quòd illa, non ista obliget ad talem virtutis modum, ut actus honestè, sive ob Motivum Honestum fiat.

5. Amicus *præf. disp. 4. sect. 2. n. 41.* tenet, quòd Lex naturalis non semper obliget ad substantiam virtutis, nisi modus sit de intrinsecâ virtutis substantiâ. Fundamentũ est. Qui enim alienum restituit, vel Eleemosynâ largitur etiã ex pravo fine, satisfacit præcepto naturali Justitiæ, & Misericordiæ, de restituẽdo alieno, & sublevandâ pauperis inopiâ per solam actûs præcepti substantiam, esto simul violet aliud Naturale præceptum, cujus motivum cum observatione præcepti Justitiæ, & Misericordiæ transgreditur.

CONCLUSIO.

Si præceptum *directè* ac *per se* respiciat actum internum, tunc modus virtutis actui ejusmodi specifico essentialiter inexistens necessariò cadit sub talem Legem: si verò præceptum *directè* ac *per se* respiciat actum duntaxat externum, nec nisi *Indirectè* ac *per accidens* se extendat ad actum internum, tunc modus virtutis non cadit sub illâ specificâ lege, benè tamen sub transcendentalem de omnibus nostris moralibus operibus in Dei Gloriam referendis legem cadit tunc modus Honestatis *Transcendentaliter*, non autem *Specificè* spectatæ.

6. Probatur. Nam *primò* aliquæ virtutes v.g. Theologales, imò etiam naturalis Dei super omnia appretiativa Charitas, sunt hominis *per se* ac *directè* obligatoriæ, non eo duntaxat modo, ne per actum contrarium violentur, sed ut ipsarum aliquis actus positivus aliquandò exhibeatur, atque adeò non violentur etiam *negativè*, aut *privativè* per actûs pro tunc præcepti omissionem. Unde cùm Bonitas Moralis virtutis *primariò* ita resideat in interiori voluntatis actu, ut ex isto derivetur in actum exteriorem, consequens est, tunc actum virtutis sub formali Honestatis ratione ac Essentiali virtutis modo specifico cadere *Directè* ac *per se* in præceptum. At ex quâcunque vitiosâ circumstantiâ, vel pravi Finis intentione ruere omnimodam Formalis Honestatis puritatem, ostendimus supra *q. 8. a. 3. cont. 2.* Ergo modus specificus virtutis in illo casu cadit sub Legem.

7. *Secundò.* Aliquæ sunt virtutes, quæ in objectis suis *Essentialiter* quidem respiciunt puritatem aliquam moralem, seu Honestatem objectivam; attamen Leges earum obligatoriæ intendunt *per se* ac *Directè* aliquem v.g. attemperatæ ad sanitatem conservandam comestionis, actum de Naturâ suâ extrinsecum, vel politicam inter homines secundùm Justitiæ Leges Communicationem. At verò respectu ejusmodi Legum tota actuum, quatenus *per se* ac *Directè* cadunt sub Legem, substantia manet, licèt fiant ex intentione interioris Bonitatis, atque adeò virtuosæ formalis in actum etiam externum alioquin derivandæ Honestatis in objecto destructivâ. Tũc igitur modus virtutis specificæ non cadit sub legem saltem specificam.

8. Nihilominùs *Tertiò.* Cum extet præceptum *Transcendentaliter* obligans ad omnes actiones nostra morales in Dei Gloriam referendas, oportet, modum virtutis Religionis quà *Transcendentaliter* per omnia virtutum motiva & actus se diffundentis, vi illius transcendentalis obligationis in semper respectu hominis quà mora-

moraliter operantis ſtare ſub lege naturali, uti ſupra. *q. 7. a. 2. cont.* 1. oſtenſum eſt. Et hinc facilè patet Reſponſio ad fundamenta *n. 4. & 5.* deducta. Verum enim eſt, quòd Lex humana utpote *per ſe* ac *Directè* non cadens ſuper interiores voluntatis actus, de ſe non ſit obligans ad modum virtutis, quamvis econtra Lex Divina & Naturalis ſaltem *Tranſcendentalis* ſemper ac pro ſemper obliget ad modum virtutis. Neque aliud intendit Sanctus Thomas *ſupra* citatus: verum eſt enim, legis humanæ & Divinæ differentiam in eo eſſe conſtituendam, quòd Lex Divina, non autem humana actus interiores per ſe dijudicando, reſpiciat ad virtutis modum ex tranſcendentali ſaltem de omnibus in Dei Gloriam referendis obligatione debitum.

ARTICULUS III.

DE

Jure Divino Poſitivo Veteris ac Novi Teſtamenti.

1\. Quatuor Humani generis ad ſupernaturalia Gratiæ Myſteria elevati ſtatus diſtinguuntur. Primus erat Innocentiæ: in quo præter fidei, ſpei, Charitatis, Religionis, aliarumque ſupernaturalium virtutum leges fuerat primis parentibus impoſitum præceptum Divinum Poſitivum abſtinendi à ligno vetito, cum pacto gratiæ ſanctificantis, ſi id ſervaſſent, in poſteros primo ſtatim Conceptionis inſtanti transferendæ: ſin minùs, Parentes cum totâ ſobole in peccato naſciturâ deſtituendi tali gratiâ.

2\. Secundus ſtatus erat legis non ſcriptæ, præcepta tamen etiam ſupernaturalia Fidei ac pœnitentiæ per Divinæ traditionis illibatam propagationem continens. In quo etiam ſtatu per Chriſtum Humani generis Reparatorem, ejuſquè merita reſtituto erat verum Sacramentum contra originale parvulorum peccatum, etſi pro adultis nullum eſſet inſtitutum Sacramentum, ſed vi pœnitentiæ & contritionis charitate perfectæ poterant duntaxat à peccatis expiari. Cujus adeò ſtatûs Præcepta ita vigebant etiam tempore Moſaicæ legis, ut tamen, quatenus inſtituebant ad fidem & gratiam, ac remiſſionem peccatorum, reduci deberent ad legem Chriſti: *velut infra* dicetur.

3\. Tertius proinde ſtatus erat legis ſcriptæ Moſaicæ, qui à lege Evangelicâ diſcrepabat, quòd hæc contineat, & conferat gratiam, illa verò hujus duntaxat figuram. Undè Quartus legis Evangelicæ ſtatus, ſi ſpectetur in ſuo quaſi fundamento, reduci debet in Chriſtum, ejuſque merita & ſanguinis pro nobis effuſi pretium. Si verò conſideretur quoad ſuam efficaciam, continet Sacramenta habentia vim *ex opere operato* conferendi gratiam Sanctificantem. De quo proinde duplici poſteriori legis Divinæ tum Moſaicæ, tum Evangelicæ ſtatu hic diſſeremus, legis non Scriptæ ſtatum ad ipſius etiam Chriſti Novum Teſtamentum reducturi. Et primò quidè quæſituri ſumus; *Quotuplex fuerit Dei cum Humano genere Teſtamentum, & qualiter differat Novum Teſtamento Veteri?*

Secundò, *Quænam extiterint Præcepta in lege Moſaicâ?* Tertiò, *Qualiter iſta ſint abrogata?* Quartò, *Quo tempore inceperit Lex Evangelica?* Quintò, *Quales vigeant leges in lege Evangelicâ, item quomodò obligent?* Sextò, *An Jus Divinum poſſit à Papâ diſpenſari?*

CONTROVERSIA I.

Quotuplex fuerit Dei cum genere Humano Teſtamentum, & qualiter Novum differat à Teſtamento Veteri?

CONCLUSIO I.

Teſtamentum Dei Communitati Humanæ ſub quodam Ritu ſenſibili, ac certis legibus aggregativum præcipuè duplex conſtitui debet.

Explicatur & probatur. Nomine enim Teſtamenti inprimis venit pollicitatio ſeu pactio quædam Dei ad homines. At Pactum quoddam Deus fecerat in ſtatu Innocentiæ: ut ſi Adamus ſtetiſſet, omnes homines in Sanctitate & gratiâ concepti fuiſſent, ſub alicujus ſacrificij Ritu in unum quoddam Corpus ſervato Innocentiæ ſtatu coadunandi. Quo proinde Divino Pacto per Adami transgreſſionem ſoluto opus erat reparatione per Chriſtum ceu ſecundum Adamum. In cujus adeò Sanguine fundatur Teſtamentum, ſub quo Eccleſia Dei per Fidei unitatem aggregata & nunquàm interrupta ſemper ſtabit in aliquibus hominibus. Hujus verò Eccleſiæ ſanctæ ſtatus poſt deperditam Innocentiam erat præſertim triplex, nempe legis ſcriptæ Moſaicæ, ac legis Evangelicæ. In horum autem ſtatuum conſideratione in ordine ad ponderandum Novum & Antiquum Teſtamentum, id, quod ſe habet ut formale, verè maximè diſcernendum eſt ab eo, quod *quaſi concomitanter* duntaxat interveniebat. At verò in lege non ſcriptâ variæ ad ſanctos Patriarchas fiebant pollicitationes & Pactiones Dei; veluti cum Noemo de terrâ per Diluvium non ampliùs diſſipandâ intuitu fœderis, quod cum ipſo & univerſo humano genere Deus pepigerat; *Gen. 9.* Item cum Abrahamo, Iſaac & Jacobo, de terrâ Chanaan ſemini ipſorum concedendâ, nec non de Chriſto ex ipſis progignendo, & omnibus gentibus in ipſorum ſemine Chriſto ſcilicet benedicendis. Hæc proinde eatenùs ſpectabant ad tempus legis non ſcriptæ, ut ſub illâ tamen formalitate, ſub quâ hominum fidelium in unum Eccleſiæ Corpus ſub certis ritibus ac legibus fiebat aggregatio, reduci deberent tum ad Novum Evangelicæ legis, tum ad Vetus Moſaicæ legis *formaliter* ſpectatæ Teſtamentum.

Probatur iſtud aſſumptum. Nam ab inſtanti violati Teſtamenti, ſeu pacti Divini ſtatui innocentiæ connexi, Eccleſiæ univerſæ eatenus erat per Divinam prædeſtinationem facta

relatio

relatio ad Christum, ut sub nullo unquàm statu subsisteret, nisi per ordinem ad Christum. Hic verò ordo erat tum per modum figuræ, tum per modum veritatis. Ista autem veritas non *purè Signatè*, sed *Exercitè* exhibita dicit actualem ex Christi meritis Fidei & gratiæ collationem. Eo ipso autem, quòd teste Apostolo gratia & veritas per Jesum Christum facta sit, idcircò omnis gratia post Adami lapsum quovis tempore hominibus concessa, omnisque adeò vis ex opere operato Justificatrix, ut sic pertinet ad legem Christi: Divo Thomâ. *1. 2. q. 106. art. 1. ad 3.* sic differente. *Nullus unquam habuit gratiam Spiritûs Sancti, nisi per fidem Christi explicitam, vel implicitam. Per fidem autem Christi pertinet homo ad novum Testamentum. Unde quibuscunque fuit lex gratiæ indita, secundum hoc ad novum Testamentum*
8. *pertinebant.* Hinc autem rursùs fit consequens, quod Novum Testamentum statim à lapsu Adami ex vi Divinæ de Christo Salvatore & gratiâ ex meritis ipsius quovis tempore concedendâ Prædestinationis semper in Ecclesiâ Dei *saltem virtualiter* extiterit. Unde lex non scripta non constituebat speciale Testamentum Dei, sed quatenus importabat originalis peccati in parvulis remedium, seu Sacramentum reconciliationis, nec non legem fidei ac Pœnitentiæ supernaturalis per gratiæ Auxilium eliciendæ, cum vi gratiæ justificantis ex opere operantis de congruo impetrativâ, ut sic spectabat ad novum Testamentum.

9. Nihilominùs quia in hâc ipsâ etiam lege non scriptâ erant figuræ Christi venturi & gratiarum per ipsum mediantibus legis Novæ Sacramentis concedendarum Divinitus repromissivæ; ut sic reducenda etiam erat ad Testamentum vetus, quod ut sic *Formaliter* spectatum erat purè figurativum gratiæ futuræ, non autem gratiæ *actualiter* de se præsentis causativum. Constat proinde, Testamentum Dei per omnes à lapsu Adami, Ecclesiæ status *Formaliter* loquendo non fuisse nisi duplex, Novum scilicet & Antiquum [illegible] & Christi venturi, gratiæq; per [illegible] repromissivū; ac veritatis gratiæque [illegible], nec non *actualiter* seu de præsenti [illegible]: quæ tamen duo Testamenta ita se habebant, ut Testamentum Christi Novum *Virtualiter* sub quasi vel infantia, vel adolescentiâ, licet in statu etiam legis non scriptæ, ac scriptæ Mosaicæ; cum econtra in statu legis Evangelicæ impletis jam figuris antiqui Testamenti, hoc penitùs evacuato, non subsistat modo nisi purum gratiæ & veritatis Testamentum Novum.

CONCLUSIO II.

NOvum & Antiquum Testamentum differunt, tum *Formaliter* quoad substantiam, tum *Virtualiter* quoad efficaciam gratiæ Causatricem, tum *Extensivè* quoad majorem, vel minorem temporis Durationem, seu ad majus tempus extensionem.

10. Explicatur & probatur. *Primò*, Nam Testamētum Novum *Formaliter* spectatum est Pactum Christi Hominis cum Deo Patre in ipso ingressu Mundi initum, & morte Crucis consummatum. Vi cujus Pacti ex parte Dei facta est pollicitatio de remittendis hominum peccatis, eisque Justificandis & glorificandis, ex parte autem Christi erat facta voluntaria oblatio sui in mortem pro hominum redemptione. Cujus adeò Pacti ratio explicatur, tum *Isaia 53.* tum *Heb. 10. veluti videre licebit ex dicendis in materia de Incarnat.*

Econtra Testamentum Antiquum *Formaliter* importabat Promissiones Divinas Patriarchis Sanctis, præsertim Abrahæ, ejusque Nepotibus factas de Christo ex semine ipsorum propagando, & gentibus in hoc ipsorum semine benedicendis, nec non de Terrâ Palæstinâ, & frugum, aliorumque Bonorum temporalium abundantiâ ipsis concedendâ.

Hinc *Secundò*, quia Sacramenta & Sacrificia, 11.
Præcepta Cæremonialia, imò & moralia quoad pœnarum ac præmiorum ipsis respondentium conditionem Divinitus instituta sunt, tum in signa Divinarum repromissionum, tum in causas effectuum vi Divini Testamenti promissorum: Idcircò ex illâ formali Novi ac Veteris Testamenti differentia oritur in ipsis etiam Sacramentis & sacrificijs, nec non præceptis cuique Divino Testamento proprijs differentia Essentialis. Hæc autem in eo se tenet, quod Sacramenta legis Novæ eatenus sint Christi meritorum, sub quibus stat Novi Testamenti consummatio *Formaliter moraliter* contentiva, ut ex horum *opere operato* conferant gratiam sanctificantem *digne* ea suscipientibus: sicuti etiam sacrificium novæ legis vim habet ex Christi meritorum *opere operato* satisfaciendi pro peccatis. Quinimò opera Nostra supernaturalia per gratiam ex meritis Christi concessam efficienda eatenus sunt reducta in pactum Christi, Novi testamenti constitutivum, ut pœnitentia perfecta ad satisfactionem, & actus supernaturales in statu gratiæ eliciti ad meritum augmenti gratiæ & gloriæ intuitu Christi meritorum sint Divinitùs acceptata.

Econtrario verò Antiquæ legis Sacramenta 12.
& sacrificia *Formaliter* spectata non habebant vim justificandi, seu concedendi gratiam & Remissionem peccatorum, sed umbræ tantùm erant, ac figuræ gratiæ, ac gloriæ Bonorum ex Christi meritis benè ac supernaturaliter operantibus, seu legis Evangelicæ Sacramenta aliquando suscipientibus conferendorum: uti Paulus Apostolus *in Epist. ad Romanos, ad Galatas,* & *ad Hebræos* nervosè expendit. Et quia observantia Mandatorum ad salutem proficua haberi non potest, nisi viribus gratiæ non nisi per Christum dandæ, eatenus in vi Testamenti Antiqui erant statuta certa præcepta etiam moralia, ut tamen ex habitudine ad istud Testamentum subsisterent præcisè tanquam Regulæ, Boni moralis ostensivæ, absque ullâ vi & efficaciâ cum ordine ad Justificationem & gloriam, salubriter ea servandi; Unde leges ejusmodi sub 13.
illo ad Testamentum Antiquum ordine stabant solum in Cortice litteræ, non autem in spiritu per gratiam vivificante. Et hinc etiam fiebat, quòd cum Præmium vitæ æternæ non respondeat operibus bonis, nisi quatenus in & ex gratiâ Christi fiunt, observantiæ Mandatorum vi Veteris Testamenti non esset repromissum præmium Bonorum æternorum, sed temporalium duntaxat. Ex quibus adeò patet, Testamentum

Novum

Novum & Antiquum *virtualiter* contenta in sa-
cramentis & sacrificijs, nec non præceptis cu-
jusque Testamenti statui annexis differre vel
maximè quoad Efficaciam causatricem gratiæ.
12. Unde licèt tempore legis Mosaicæ duraret ad-
huc remedium legis Naturæ, habens vim delen-
di peccatum originale, atque adeò conferendi
gratiam Justificantem: quod equidem Reme-
dium per ipsammet etiam Circumcisionem quà
protestativam fidei in Christum venturum ap-
plicari poterat: imò licet actus contritionis in
lege etiam veteri ex opere operantis justificave-
rit, nec non actus supernaturales Sanctorum in
in gratiæ statu eliciti vim æternæ gloriæ & gra-
tiæ augmentum de condigno merendi, habue-
rint. Nihilominus, quia interioris sanctitatis
& gratiæ collatio nullo unquam post Adami
peccatum tempore facta est, nisi per merita Chri-
sti, & in vi Pacti Christum hominem inter ac
Deum initi, ceu actualis meritorum Christi effi-
caciæ fundamenti; Consequens est, omnes illos
effectus tempore Mosaicæ quoque legis datos
ad Christum, ejusque adeò legem Evangelicam
Divo Thomâ *cit. q. 106. art. 1. ad 3.* clare id testan-
te; reduci debere; Mosaicâ lege per propriam
sui à Christi lege distinctivam rationem præfe-
rente umbram duntaxat futurorum gratiæ &
gloriæ Bonorum: ut adeò non *Formaliter* ex vir-
tute suâ propriâ, sed *Concomitanter* ex Divinâ le-
gem in Christi meritis, ejusque Testamento ac
Pacto Christum hominem inter ac Deum ini-
to fundatam respiciente ordinatione, Circum-
cisionis Sacramentum Parvulis *ex opere operato*,
nec non contritio perfecta *ex opere operantis de con-
gruo*, & actus supernaturales in statu gratiæ eli-
citi *de condigno* valuerint tum ad Justificationem
ac remissionem peccatorum, tum ad gratiæ
augmentum.

13. Hinc *tertiò* oportet, Antiquæ ac Novæ legis
Testamenta *Extrinsece* quoad majorem vel mino-
rem durationis quantitatem eatenus esse distin-
cta, quatenus Novum Christi Testamentum in
virtute aliquâ gratiæ Sanctificantis ex *opere ope-
rato* per modum Sacramenti Parvulis saltem ap-
plicabilis, vel in vi gratiæ Actualis ad pœni-
tentiam Excitativà & ut sic ex *opere operantis* ad
Justificationem dispositivà, nec non in ejus-
dem gratiæ ad supernaturales in Justitiæ statu
eliciendos actus, Gloriæ & gratiæ, augmenti
de condigno meritorios efficiendos virtute à
tempore lapsûs Adami semper perseveraret in
Ecclesiâ, atque in hâc immobiliter sit substiturum
usque ad finem Mundi: Nec non in effectu glo-
riæ per totam æternitatem sic *virtualiter* ac *Effe-
ctive* duraturum.

14. Econtra verò Testamentum Antiquum, tan-
quàm Christi venturi, & per mortem Testa-
mentum Sanctum suum consummaturi, & Bo-
norum gratiæ & gloriæ hinc conferendorum
umbra & figura exspiravit per Christi mortem,
velut in sequentibus fusiùs ostendetur.

Constat igitur, Novum Testamentum dif-
ferre ab Antiquo tùm *Formaliter* quoad substan-
tiam, tum *Virtualiter* quoad efficaciàm seu
virtutem gratiæ causatricem, tum
Extensive quoad Durationis
extensionem.

(MARIA)

CONTROVERSIA II.

Quænam extiterint Præcepta in Lege Mosaicâ?

LEgem Mosaicam fuisse *Formaliter* Divi- 1.
nam, evincitur ex definitione Concilij
Tridentini *sess. 4. post init.* decernentis,
eundem fuisse novi & veteris Testamenti Au-
thorem Deum. Et hinc Christus Dominus
Math. 15. Judæos, quibus erat lex vetus data,
redarguens ait, *Irritum fecistis Dei manda-
tum propter traditiones vestras.* Quare vocatur 2.
Mosaica non ex principali suo Authore, sed
Mediatore duntaxat instrumentario, Moyse,
cui Deus non quidem *per se immediatè*, sed in
personâ Angeli loquebatur, ac veteris Testamen-
ti legem tradebat Iudaico populo promulgan-
dam, juxta illud *Act. 7. Accepistis legem in dispositio-
ne Angelorum.* Et ad Galat 3. *Lex propter transgres-
siones posita est, donec veniret semen, cui promiserat,
ordinata per Angelos in manu mediatoris, scilicet Moy-
sis.* Quæ porrò Lex Divina continebat tria ge-
nera præceptorum, *Moralium*, scilicet *Cæremo- 3.
nialium*, & *Iudicialium*. Moralia erant Directiva
interioris moralis Israelitarum Bonitatis. Cæ-
remonialia exteriorum ad Cultum Divinum
pertinentium actionum, sacrificiorum scilicet
& Sacramentorum erant regulariva. Iudicialia
denique præscribebant actiones, sub quibus ser-
varetur inter Iudæos Societas politica & vita ci-
vilis. De quo adeo triplici præceptorum genere
hic discutienda veniunt. 1. *Qualiter præcepta mo- 4.
ralia Decalogi specialiter spectarint ad legem Mosaicam?
2. Quænam veteris Testamenti propria fuerint Cæremo-
nialia? 3. Qualiter populo Israelitico fuerint propria Iu-
diciales leges?*

CONCLUSIO.

OMnia Moralia præcepta, quibus si-
ve ex Iure Naturæ, sive ex lege gra- 5.
tiæ, sive ex speciali Mosaicæ legis ratio-
ne Judæi in veteri Testamento afficieban-
tur, vel *Formaliter*, vel *Virtualiter* contine-
bantur intra Decalogum, ex substantiâ
quidem suâ Juri etiam Naturali conveni-
entem, sub quâdam tamen peculiari for-
malitate Antiquo Testamento proprium.

Probatur. Nam *primò* Divina interioris 6.
moralis tum naturalis, tum supernaturalis Ho-
nestatis & Sanctitatis Directiva præcepta in
Decalogo *Formaliter* non expressa alia se habent
ut principia magis nota, & universalia. Ut sic
autem continentur *virtualiter* in Decalogi præ-
ceptis tanquam Principia in conclusionibus. Et
hinc Præceptum diligendi Deum ac proximum,
licèt in Decalogo non sit expressum, eo ipso *vir-
tualiter* continetur in illo, quòd omnis lex fun-
detur in Charitate Dei & proximi, adeò ut Di-
vo Gregorio *Hom. 27. in Evang.* attestante, præ-
cepta Dominica sint quidem multa per diver-
sitatem operis, sint tamen unum in radice Di-
lectionis. Alia proinde præcepta Divina in 7.
Aaa Decalo-

Decalogo *Formaliter* non expressa se habent ad ista tanquàm regulæ magis particulares moralium actionum sub specificis formalitatibus Directivæ. Ut sic autẽ *virtualiter* cõtinentur in Decalogi Præceptis tanquã conclusiones in suis principijs. Unde quævis Temperantiæ & Justitiæ specificæ leges, sicuti etiam Divina mediorũ salutis determinativa, atq; adeo sacramentorũ præscriptiva præcepta sub Formalitate tũ Divini cultûs, tum interioris nostræ puritatis sive naturalis sive supernaturalis, tum necessitatis medij ad salutem sunt quoad obligationis suæ efficaciam adj instar conclusionum *virtualiter* inclusa in aliquo Decalogi præcepto.

8. Nihilominus *secundò* in his ipsis sive *Formaliter*, sive *Virtualiter* intra Decalogum contentis præceptis variæ sunt adhuc considerabiles formalitates. Alia enim est per modum innatæ per Divini super nos signati vultûs Lumen expressæ determinationis, seu necessitatis moralis. Alia verò est per modum infusæ ac supernaturalis per Divinum Fidei lumen revelatæ in æternæ gloriæ finem ordinabilitatis. At sub priori formalitate præceptum qualecunque spectat ad legem Naturalem, sub formalitate autem posteriore adhuc distinguenda venit illa in finem supernaturalem ordinabilitas, ita ut alia sit merè figurata per modum signi nostræ per gratiam in æternæ gloriæ finem ordinabilitatis *speculativè* figurativi. Alia verò sit realis, ipsamnet gratiam sanctificantem ceu formam respectu æternæ gloriæ *Condignè* dispositivam, nec non vim hujus, vel ex *opere operato* per Sacramenta, vel ex *opere operantis* per actus supernaturales *efficienter Meritoriè* saltem, seu *moraliter* Causativam. Secundum quam proinde duplicem supernaturalis in æternæ gloriæ finem ordinabilitatis Formalitatem distinguuntur Duo Testa-
9. menta. Unde Lex Mosaica *formaliter* spectata tempore Antiqui Testamenti non ita substiterat solitariè, quin tum legis naturalis, tum Evangelicæ quoad efficaciam & virtutem gratiæ ex Christi meritis causatricem legis concomitantiam [illegible] habuerit. Quare oportet, in ipso Decalogo, ejusque observantiâ distinguere, tum vires naturæ [illegible] luminis, hincque adeo Naturali propensioni [illegible]: tum vires gratiæ per Christum tempore etiam Mosaicæ legis Sanctis datæ, sub [illegible] tualis per supernaturales e[illegible] Decalogi Præceptorum observantia gratiæ & gloriæ meritoria reduci debebat in legem Christi Evangelicam; tum denique verborum legis in tabulis lapideis exarationem, nec non sub Bonorum temporalium promissionibus, ad præcepta ejusmodi observanda incitationem, populique Judaici, mediante talis observantiæ puritate, ad Christum in ac ex se nasciturum ordinatione ac dispositione. Sub quâ proinde postremâ formalitate Decalogus unà cum præceptis Cæremonialibus ac Judicialibus erat proprius Judaici populi. Divo Thomâ 1. 2. q. 98. a. 4. attestante: *Soli Judæorum Populo legem veterem dari debuisse, quod, cum promissiones de Christo Judæorum Patribus factæ sint, decuerit eum populum, ex quo Christus nasciturus erat, quadam speciali præ reliquis* [illegible] *sanctitate pollere.* In quem [illegible] locutus est Apostolus Paulus ad *Rom. 3.* [illegible], inquiens, *amplius Judæo? Multum per omnem modum: Primùm quidem,*
quia credita sunt illis eloquia Dei. Constat igitur, 10.
quòd Decalogi præcepta eatenus [illegible] tiam Naturali, & quoad salutarem respectu Gloriæ observationem legi etiam supernaturali, ut sub speciali tamen formalitate [illegible] quodammodò propria legis Mosaicæ partim quoad sui in tabulis lapideis exarationem, & solennem Israelitico populo ab ipsomet Deo factam promulgationem, partim quoad Divinas temporalium ex eorundem observatione conferendorum Bonorum promissiones, partim quoad populi Judaici mediante talium præceptorum observantiâ & puritate, ordinationem ac dispositionem ad Christum ex se nasciturum.

CONCLUSIO II.

ANtiquo Testamento congruebat 11.
vel maximè pluralitas Cæremonialium præceptorum convenienter reducibilium ad quatuor genera, nimirum Sacrificia, Sacra, Sacramenta, & Observationes Cæremoniales. ex Divo Thomâ q. 101. & q. 102.

Probatur. Nam *primò* sicut Judicialia sunt præceptorum Moralium determinativa in ordine ad proximum, seu politicum convictum, & pacem publicam, sic Cæremonialia sunt determinativa moralium Decalogi præceptorum in ordine ad Deum, ejusque cultum. Ejusmodi vero cultûs Divini determinativa præcepta Judaico Populo sub frequentiori [illegible] numero vel maximè congruebant, ut & in malis Idololatriæ servitus, ad quam Judæi proclives omnino erant, reprimeretur, & in bonis Dei Amor incrementa susciperet, dum mens eorum frequentius in Deum referretur. Ita arguit S. Doctor *cit. q. 101. a. 3.* Qui proinde veteris Testamenti Cæremoniarum numerus frequentior ad quatuor genera reducitur, nempe ad Sacrificia, Sacramenta, Sacra, & Observationes. Cu-
jus equidem numeri ratio convenienter reddi- 12.
tur ab Angelico Doctore *cit. q. 101. a. 3.* Nam Cæremonialia præcepta ordinabantur ad Dei Cultum. In hoc autem considerari possunt & ipse cultus, & Colentes, & instrumenta colendi. At ipse cultus specialiter consistit in Sacrificijs, utpote quæ in Dei Reverentiam referantur. Instrumenta verò colendi Deum pertinent ad Sacra, veluti in veteri Testamento erant tabernaculum, Vasa, & similia. Ex parte au-
tem colentium possunt spectari tum illorum ad 13.
cultum Divinum institutio, quod fit perquandam consecrationem vel populi, vel Ministrorum, tum eorum singularis conversatio ab his, qui Deum non colunt, distinctiva. At ista complectebatur observationes in cibis & vestimentis & alijs hujusmodi rebus, illa verò ad cultum Divinum Deputatio comprehendebat Sacramenta. Patet igitur ille quaternarius Cæremoniarum in Veteri Testamento numerus. *Secundò* Sacrificij genus in Veteri Testamento erat adhuc triplex, Holocaustum scilicet, Sacrificium pro peccatis, & Hostia pacifica. ex Sancto Thomâ *præs. q. 102. a. 3. in Corp. & ad 8.* Cujus
ratio est, Etenim sacrificium in Veteri Testamen- 14.

triplex

ti duplex erat ratio: Una singularis, quatenus erant præfigurativa voluntariæ Passionis, & immolationis Christi: Altera litteralis, quatenus erant repræsentativa mentalis in Deum ordinationis debitæ, ad quam excitandi vim habebant sacrificia. Ad ejusmodi vero rectam in Deum mentis ordinationem pertinebant, ut omnia, quæ homo habet, recognosceret à Deo tanquam Primo Principio, omniaque sua referret in Deum, tanquàm Ultimum Finem, ut sic dicere posset illud Davidis, *Paral. 29. Tua sunt omnia, & quæ de manu tuâ accepimus, dedimus tibi.* At verò ista mentis in Deum ordinationis repræsentatio, quandoque fiebat per talem victimæ oblationem, ut tota combureretur. Ut sic autem erat Holocaustum, quasi totum incensum. Hujusmodi enim sacrificium offerebatur Deo specialiter ad reverentiam Majestatis ipsius, & Amorem Bonitatis ejus, conveniebatque perfectionis statui in impletione Consiliorum constituto. Et hinc totum comburebatur, ut sicut totum animal resolvebatur in vaporem, ita significaretur, totum hominem, & omnia, quæ ipsius sunt, Dei Dominio esse subjecta, eique offerenda.

15. Deinde Sacrificium pro peccato erat distinctum ab Holocausto, tum *Formaliter*, tum quandoque etiam *Materialiter*. Etsi enim in sacrificijs etiam pro peccato aliquando debuerit totum comburi, dum scilicet sacrificium fiebat pro peccato populi, vel specialiter pro peccato Sacerdotis. Ejusmodi tamen sacrificij ab Holocausto distinctio formalis se tenebat ex parte significationis, quatenus Holocaustum ordinationis in Deum, quæ ex Divinæ Majestatis & Reverentiæ jure ac Dominio supremo debitæ erat repræsentativum. Sacrificium vero legalem quandam a peccato expiationem exhibendo, in Deum ordinabat, non quidem per internam sanctitatis peccati *Formaliter* expiativæ collationem, sed per externam reconciliationis Deo debitæ significationem figuralem. Quòd si fiebat sacrificium pro peccato singulorum, tunc una

16. quidem pars comburebatur, altera vero cedebat in usum Sacerdotum ad significandum, quòd peccatorum expiatio fiat a Deo per Ministerium Sacerdotum. In quo proinde casu sacrificium pro peccato, pœnitentium statui respondens, non *Formaliter* duntaxat, sed etiam *Materialiter* erat distinctum ab Holocausto.

17. Denique Hostia pacifica ab Holocausto & sacrificio pro peccatis distinguebatur, tam *Formaliter*, quam *Materialiter*. Nam Hostia pacifica statui in mandatorum impletione proficientium conveniens, *Formaliter* erat ex debito beneficij vel accepti, vel accipiendi facta in gratiarum actionem, vel in salutem & prosperitatem offerentium.

18. Et quia salus hominis procedit à Deo, dirigente hos ministris Dei, ipsisque hominibus cooperantibus, idcirco Hostiæ pacificæ dividebantur in tres partes, quarum una ad Dei honorem incendebatur, alia verò in usum Sacerdotum, & alia in usum offerentium cedere debebat. Et hinc Hostiæ Pacificæ ab Holocausto & sacrificio pro peccatis distinctio se tenebat etiam ex parte materiæ.

19. In hujusmodi tamen sacrificijs generaliter observandum erat, ne sanguis veniret in usum vel Sacerdotum, vel offerentium, sed sanguinem oportebat in honorem Dei effundi ad crepidinem Altaris, adipem verò aduri in igne, per quod singulariter erat præfigurata effusio Sanguinis Christi, & pinguedo Charitatis ejus, per quam se obtulit Deo pro nobis. In Hostijs autem pacificis singulariter in usum Sacerdotis cedere debebat pectusculum & armus dexter, per quod significabatur, Sacerdoti necessariam esse tum pro instruendo populo sapientiam, pectore ceu Cordis tegumento significatam, tum pro defectibus populi sustentandis fortitudinem armo dextero significatam.

Insuper ut in sacrificijs provisum etiam esset paupertati offerentium, erat cautum, ut qui non posset habere animal quadrupes, saltem offerret avem. Et, si hanc non posset habere, saltem offerret panem. Quod si istum habere non valeret, saltem offerret farinam, vel spicas. Cujus equidem ratio & causa figuralis erat, quod panis significet Christum, utpote Panem vivum *Joan. 6.* Hic autem erat, velut in spicâ pro statu Legis Naturæ in fide Patrum: erat autem sicut simila in Doctrina Legis, & Prophetarum: erat demum panis, formatus post Humanitatem assumptam, tum igne coctus, id est formatus Spiritu Sancto in Clibano uteri virginalis, tum coctus etiam sartagine per labores, quos in mundo sustinebat, tum in Cruce tandem quasi in craticulâ adustus. ex Sancto Thomâ *cit. ar.* [illegible] *ad 12.*

Tertiò sub genere sacrorum in veteri lege veniebant templum, tabernaculum, & vasa ad cultum Divinum specialiter deputata, nec non certa festiva tempora. Nam *primò* licet templum tempore Salomonis primum, ubi populus Israeliticus in statum quietissimum est positus, ædificatum fuerit, attamen locus, in quo illud templum erat extruendum, jam ab Abraham ex Divinâ demonstratione fuit designatus. ex S. Thomâ *cit. q. 102. ar. 4. ad 2.* Cujus ratio desumitur ex *Gen. 22.* ubi cum præcepisset Abrahæ ut offerret filium suum in Holocaustum super unum montium, quem ipsemet Deus erat monstraturus; postea subditur, quod Abraham illum locum nominaverit *Dominus videt.* At per hoc datur intelligi, quòd secundùm Dei prævisionem fuerit locus ille quasi electus ad cultum Divinum. Unde *Deuteron. 12.* erat quoque prædictum. *Ad locum, quem elegerit Dominus Deus vester, venietis, & offeretis Holocausta, & victimas vestras.*

Deinde Tabernaculum erat distinctum in duas partes, quarũ una vocabatur *Sancta Sanctorum* eratq; occidentalis; altera vocabatur *Sancta*, erat que ad orientem: eratque insuper *Atrium ante Tabernaculum.* Cujus equidem distinctionis ratio per Divum Thomam *citatum ad 4.* desumitur ex Figuratione tum Cultus Divini, tum Christi venturi. Etenim pars illa quæ dicitur *Sancta Sanctorum*, figurabat sæculum altius, quod est spiritualium substantiarum: Pars verò illa, quæ dicitur *Sancta*, exprimebat Mundum Corporalem. Et hinc Sancta à *Sanctis Sanctorum* discernebantur quodã velo distincto quatuor coloribus, quaternarium elementorum numerum: bysso quidem ceu materiâ terrestri Terram, purpura ex cochis maris hausta Aquam, Hyacintho colorem aereum præseferente aerem, & Coccobi[...]

co bis tincto ignem ſignificantibus. Per ejuſmodi adeò ſignificationem innuebatur, impedimento rerum Corporalium, ſeu Elementorum eatenus velari nobis ſubſtantias incorporales, ut in Tabernaculum interius, id eſt *in Sancta Sanctorum* ſolus ſummus ſacerdos, idque ſemel tantùm in Anno introiret ad deſignandum, finalem perfectionem hominis non niſi remoto temporalium rerum impedimento, eſſe conſequibilem. Imò neque in exterius Tabernaculum, id eſt *in Sancta* introire licebat, niſi ſacerdotibus, non autem populo, ſed manere oportebat hunc in atrio, ex quo dabatur intelligi, populum percipere quidem Corporalia, attamen ad interiores eorum rationes penetrare ſolos ſapientes, ſeu ſacerdotes.

23. Inſuper in Tabernaculo interiori, ſeu *Sanctis Sanctorum* altius ſpiritualium ſubſtantiarum ſæculum ſignificantibus continebatur Arca Teſtamenti, in quâ erat vrna aurea habens Manna; item virga Aaron, quæ fronduerat, & tabulæ in quibus erant ſcripta Decem præcepta. Hæc autem Arca ſita erat inter Duos Cherubin, mutuis vultibus ſe ſe reſpicientes, eratquè ſuper Arcam tabula lapidea, Propitiatorium dicta, alis Cherubinorum innixa, quæ repræſentabat ſedem Dei, ita, ut de hoc Propitiatorio Deus ad preces ſummi ſacerdotis populo propitiaretur. Quorum Myſticam ſignificationem eleganter deſcribit Sanctus Thomas *cit. art. 4. ad 6.*

24. In exteriori porro Tabernaculo, quo præſens ſæculum ſignificabatur, tria etiam continebantur, Altare ſcilicet Thymiamatis directè poſitum contra Arcam, Menſa Propoſitionis ex parte Aquilonari poſita, & Candelabrum ex parte Auſtri collocatum. In hoc autem tanquam ſigno ſenſibili deſignabatur ſapientia, quæ intelligibilibus verbis exprimebatur in tabulis: per Altare verò in quo incendebatur Thymiama boni odoris, Sanctorum Iuſtificationes ſignificans, figurabatur officium ſacerdotis, in eo ſe tenens, ut populum mediante ſanctitate Deo acceptabili reduceret ad Deum: Cujuſmodi ſacerdotalis Dignitas ſignificabatur etiam per virgam in Arcâ incluſam. Quorum latiores expoſitiones videre licet apud *præcitatum* Sanctum Doctorem.

25. Adhæc inter Sacra Veteris Teſtamenti cenſebantur etiam vaſa per Conſecrationem ſanctificata: per quorum, & Tabernaculi Sanctificationem ſignificabatur ſpiritualis ſanctificatio fidelium, tanquam vaſorum Divinæ gratiæ, & viventis Tabernaculi, Eccleſiæ ſcilicet ex ipſis conſtructæ.

26. Deniquè in Teſtamenti Antiqui Sacris numerabantur ſeptem ſolennitates & vna continua. Hæc vero in eo ſe tenebat, quòd ſingulis diebus mane ac veſpere fuerit immolatus Agnus: per cujuſmodi ſacrificij continuationem ſignificabatur Divinæ Beatitudinis perpetuitas. At Feſtorum Temporalium numerus ſeptenarius complectebatur, tum ſolennitatem *Sabbati* in memoriam creationis rerum ſingulis ſeptimanis celebrandi, tum *Neomeniæ* Feſtivitas ad Divinæ Gubernationis opus rememorandum ſingulis menſibus: tum Feſtum *Phaſe* primo, anni menſe in memoriâ liberationis ex Ægypto, tum Feſtum *Pentecoſtes* poſt quinquaginta dies ad beneficium legis [illegible] recolendum, tum Feſtum *Tubarum* in memoriam liberationis Iſaac primâ die menſis ſeptimi, tum Altera *Tubarum* Feſtivitas, in memoriam illius beneficij, quo Deus propter adorationem vituli iratus populo, ad preces Moyſis fuit propitiatus decimo die menſis ſeptimi, tum Feſtum *Scenopegiæ* ad Divinæ protectionis & deductionis per deſertum beneficium commemorandum ſeptem diebus celebrandum. Cui Octavâ die ſuccedebat Feſtum *Collectæ*, in quo colligebantur a populo, quæ ad Divini Cultûs expenſas erant neceſſaria, ſignificabaturque adunatio populi & pax præſtita in terrâ promiſſionis. De quorum proinde Feſtivitatum figurali ſignificatione videri poteſt Divus Thomas citatus *ad 10.*

Quartò Sacramentorum Veteris Teſtamenti erant etiam tria genera. *Primum* erat per modum cujuſdam Ritûs, quo inſtituebantur Iſraelitæ in ſtatu colendi Deum. Hoc vero, quantum ad omnes, fiebat per Circumciſionem ceu unicam ad legalia januam, cujus equidem literalis Ratio principalis fuit ad proteſtationem fidei unius Dei: Ratio autem figuralis fuit ſignificatio, quâ figurabatur ablatio Corruptionis per Chriſtum, in Octavâ ſcilicet Reſurrectionis die facienda. At vero inſtitutio in ſtatu colendi Deum ſacerdotibus propria fiebat per horum conſecrationem. ex Divo Thomâ *cit q. 102. art. 5* *Secundum* Sacramentorum genus conſiſtebat in uſu eorum, quæ ad Divinum cultum pertinebant. Ejuſmodi verò, quantum ad omnes, erat Eſus Paſchalis convivij, ad quem nullus incircumciſus admittebatur; Cujus equidem convivij Ratio litteralis erat Comemoratio Beneficij, quo Deus Iſraelitas duxit de Ægypto: figuralis autem ratio erat ſignificatio immolationis Chriſti, uti fuſius exponit Sanctus Doctor *citatus ad 2.* Verum uſus rerum ad Divinum cultum pertinentium ſacerdotibus proprius erat oblatio victimarum, & Eſus panum Propoſitionis, aliarumque rerum ſacerdotalibus uſibus deputatarum. 27 28

Tertium denique Sacramentorum genus ſitum erat in quâdam legalium a Divino legis Moſaicæ proprio cultu arcentium maculorum remotione. Et ſic quantum ad populum univerſum erant inſtitutæ quædam Purificationes ab exterioribus quibuſdam immunditijs; nec non Expiationes à peccatis. Verum quoad ſacerdotes & Levitas erat inſtituta ablutio manuum & pedum, nec non pilorum raſio. De quorum omnium rationibus tum litteralibus, tum figuralibus videri poteſt Divus Thomas *cit. art. 5. per totum.* 29

Quinto ſub genere obſervantiarum in lege Veteri veniebant ſigna quædam Judæorum a cæteris nationibus quoad converſationem publicam diſtinctiva, ſub quibus ſcilicet in converſatione, præcipuè ſacerdotes ſignificabantur ſpecialiter deputati ad unius veri Dei cultum. Sicut enim aliæ res, quæ applicantur ad Cultum Divinum, ex ſingulari ad Divini cultûs Honorificentiam reſpectu habent aliquam ſpecialitatem, ſic quia populus Judæorum & inter ipſos ſpecialiter ſacerdotes erant deputati ad Cultum Divinum: idcircò etiam in converſatione illius populi, & præcipue ſacerdotum debebant eſſe aliqua ſpecialia ad Cultum Divinum, vel ſpiritualem, vel corporalem congruentia. Et quia Cultus legis figurabat Myſterium Chriſti, adeò ut om- 30 31

ut omnia Judæorum secundum legem gesta figurarent ea, quæ ad Christum pertinebant, juxta illud *1. Corinth. 10. Omnia in figurâ contingebant illis.* Idcircò legales observantiæ eatenus erant secundum quandam Cultûs Divini congruentiam, ut aliquo etiam modo figuraretur aliquid circa Christianorum vitam. ex sancto Thoma *cit. q. 102.*
32. *a. 6.* Caeterum inter observantias legales generaliter prohibitus erat Esus Carnis illorum animalium, quæ vel habent ungulam continuam, sive non fissam, vel habent multas fissuras in pedibus, cum econtra in Esum concessa fuerint animalia ruminantia & findentia ungulas. Cujus ratio figuralis per Divum Thomam *cit. q. 102. a. 6. ad 1.* deducta est. Quia fissio ungulæ significabat distinctionem tum duorum Testamentorum, tum Patris & Filij, tum duarum naturarum in Christo, tum Boni & mali discretionem. Ruminatio autem significabat meditationem scripturarum, & earum sanum intellectum. Unde animal, quod ruminat & dividit ungulam, erat significatione mundum, cum econtra carens vel ruminatione, vel fissione ungulæ, esset spiritualiter immundum. Deinde inter pisces illi duntaxat erant concessi in Esum, qui habent squa-
33. mas & pennulas. Cujus Ratio figularis per sanctum Doctorem *citatum* exposita est. Quia per pennulas significabatur vita sublimis, vel contemplatio; per squamas autem significabatur aspera vita. Unde cum hoc utrumque sit necessarium ad munditiam spiritualem: idcircò illi duntaxat pisces, qui haberent squamas & pennulas, significatione mundi erant. Porrò inter aves specialia quædam genera prohibebantur.
34. In Aquila enim altè volante prohibebatur superbia, & in Gryphe potentum crudelitas. In Hallaceto autem minutis avibus pasci solito significabantur illi, qui sunt pauperibus molesti: in Milvo insidijs utente fraudulenti. In Vulture, cujus est sequi exercitum ad cadavera occisorum comedenda, designabantur illi, qui hominum mortes ac seditiones affectabant, ut inde lucrentur: in animalibus autem Corvini generis illi, qui sunt voluptatibus denigrati, vel expertes bonæ affectionis: corvus enim semel emissus ab Arcâ non est reversus. De quibus plura videre licet apud Divum Thomam *cit. art. 6. ad 1.* ubi *circa finem* addit, ex volatilibus & quadrupedibus illa duntaxat fuisse Judæis concessa, quæ crura posteriora habent longiora, ut salire possint; ea verò, quæ terræ magis adhærent, fuisse prohibita; ut vel hinc significaretur, immundos reputandos esse, qui taliter abutuntur Doctrinâ Evangelistarum Quatuor, ut per
35. eam in altum non sublevêntur. Adhæc generaliter prohibitus erat Judæis Esus sangvinis, & adipis, nec non nervorum: tum quia in sangvine, adipe, & nervo intelligebatur crudelitas potentum, & voluptas ac fortitudo ad peccandum: tum quia *Gen. 32.* habetur, filios Israel non comedere nervos, eo quòd Angelus *tetigerit nervum femoris Jacob, & obstupuerit.*
36. Insuper erat specialiter probitum Judæis, ne coquerent hædum in lacte matris suæ. Cujus ratio figuralis ex præfato sancto Doctore *ad 4.* desumpta est. Quia præfigurabatur partim, quòd Christus, qui propter similitudinem carnis peccati erat hædus, non esset à Judæis occidendus in lacte Matris, id est in tempore infantiæ, partim quòd peccator veluti hædus non esset in lacte matris, id est blanditijs coquendus, seu deliniendus. Similiter *Levitici 19.* tale latum fuit præceptum. *Quando ingressi fueritis terram, &c. plantaveritis in ea ligna pomifera, auferetis præputia eorum*, id est prima germina: *& immunda erunt vobis, nec edetis ex eis.* Vi cujus adeò legis Poma quarti anni primum offerebantur, Deo tanquam primitiæ mundorum fructuum, quinto autem anno & deinceps comedebantur, cujus secundum Divum Thomam erat ratio figuralis. Quia per hoc significabatur, tum quòd post tres status legis (quorum primus fuerat ab Abraham ad David, secundus usq; ad Transmigrationē Babylonis, tertius usq; ad Christum) erat Christus Deo offeredus ceu fructus legis: tum quòd primordia nostrorum operum debeant nobis esse suspecta propter imperfectionem. Pariter 37.
circa vestiméta erant Judæis certæ statutæ leges. *Levit. 19. Vestem, quæ ex duobus texta est, non induetis.* Et *Deut. 22. Non induetur mulier veste virili, & vir non induetur veste fæminea.* Et infra. *Non indueris vestimento, quod ex lanâ, linoque contextum est.* Ratio figuralis est ex sancto Thomâ *ad 6.* Tum quia in vestimento contexto ex lanâ & lino interdicitur Conjunctio simplicitatis ac Innocentiæ, quæ figurabatur per lanam, cum subtilitate ac malitiâ, quæ figurabatur per linum. Tum quia per hoc, quòd mulieri veste virili, ac viro veste fæmineâ non uti liceret, figuratè prohibebatur, ne mulier usurparet sibi doctrinā, vel alia officia virorū, neve vir inclinaret ad mollities mulierum.
Præterea fuit præceptum *Deut. 6.* ut Judæi ligarent præcepta Dei quasi signum in manu suâ, scriberentque in limine ostiorum, & per angulos palliorum facerent fimbrias, in quibus ponerent vittas Hyacinthinas in memoriam mandatorum Dei. *Num. 15.* Cujus rationem Divus Thomas *ad 7.* deducit. Quia Dominus jussit, ut in quatuor angulis palliorum Hyacinthinas fimbrias facerent, ad dignoscendum populum Israel ab alijs populis. Unde per hoc Judæos se profitebantur, ac per hujus signi aspectum inducebantur in memoriam suæ legis. Quod autē erat dictum, ut ligarent præcepta in manu, essentque semper ante oculos ipsorum, Pharisæi malè interpretabantur, scribentes in membranis Decalogum Moysi, ac ligantes in fronte quasi Coronam, ut ante oculos moveretur: cum tamen intentio Domini solum fuerit, ut ligarentur in manu, id est in operatione, & essent ante oculos, id est in meditatione. In Hyacinthinis verò vittis, quæ inserebantur pallijs, significabatur cælestis intentio, quæ omnibus operibus nostris præfigenda est. 38.
Insuper præceptum erat *Deut 22. Si ambulaveris per viam & inveneris nidum avis, non tenebis Matrem cum filiis.* & *Deut 25. Non alligabis os bovis triturantis.* Et *Levit. 19. Jumenta tua non facies coire cum alterius generis animalibus.* Cujus ratio figuralis ex præcitato Doctore *ad 8.* desumpta est. Quia per hoc, quòd Matrem cum Filijs tenere non deberent Judæi, significabatur, in quibusdam sacris textibus dimittendam esse literalem observantiam quasi Matrem, ac retinendos esse sensus spirituales quasi filios, sicut in omnibus legis Mosaicæ cæremonijs in lege Evangelicâ jam abolitis. Bovi autem trituranti os claudendum non erat, ad significandum, quòd Prædicatori 39.

 deferen-

deferenti segetes Doctrinæ, non sint necessaria victûs subtrahenda, uti habet Apostolus *1. Corinth. 9.* Prohibebatur etiam coitus animalium diversi generis, ad significandum populares homines Christianos non debere societatem & conjunctione habere cū infidelibus Judæis ac gentilibus.

40. A simili ratione prohibebatur *Levit. 19. Agrum non seres diverso semine, & non arabis in bove & asino.* Quarum ratio figuralis sibi supra *ad 9* explicata est. Quia Ecclesiæ ager nec alienæ doctrinæ semine, nec diversis Hæreticorum & Heterodoxorum Dogmatum seminibus est seminanda, nec etiam arandum est simul in bove & asino; quia in prædicatione non est associandus fatuus, ne unus impediat alium.

41. Denique summo sacerdoti, qui semper debebat esse paratus ad ministerium Sanctuarij, prohibebatur totaliter accessus ad mortuos quantumcunque propinquos, cùm reliquis tamen sacerdotibus id permissum duntaxat fuerit in mortibus valdè propinquorum, scilicet patris

42. & Matris & similium. Præceptum etiam erat sacerdotibus Antiqui Testamenti, ne ducerent uxorum meretricem ac repudiatam, sed virginem duntaxat. Neve raderent caput, neque barbam, nec in carnibus suis facerent incisuram. Cujus equidem ratio litteralis erat ad removendum Idololatriæ cultum, dum sacerdotes gentiles illis ritibus ad cultum Idololatricum usi fuerant: attamen figuralis suberat ratio, ut significaretur: tum quòd sacerdotes debeant omnino esse immunes ab operibus mortuis peccati: tum quòd puritas Conjugij erga Ecclesiam sponsam suam virginem sit tenenda, tum quòd neque sapientiam seu caput, neque sapientiæ perfectionem seu barbam, radere seu deponere debeant: tum quòd cavere ipsos oporteat, ne scissuram vestium, aut incisionem carnis, vitium schismatis incurrendo, *Mysticè* faciant.

Conclusio IV.

43. Præceptorum quoque Judicialium quadruplex genus extiterat: primum erat eorum, quibus constituebatur certus ordo inter Principem & populum. Secundum inter ipsos populares constituebat certum ordinem. Tertium inter populum & extraneos. Quartum inter Domesticos ejusdem familiæ, ut inter Maritum & uxorem, parentes ac filios, Dominum ac servum. ex Sancto Thomâ *præs. q. 104. art. 4.*

Probatur. *Primò* enim dantur quædam præcepta de institutione principum, & officio eorum, nec non de reverentiâ eis exhibendâ. At in populo Israelitico erat Principatus institutus secundum genus tam Monarchicum, quam Aristocraticum & aliquo modo etiam Democraticum; uti Divus Thomas *[illegible]* advertit.

44. Etenim Moyses & ejus successores gubernabant populum quasi singulariter omnibus principantes. Hoc autem erat quædam species regni, seu Monarchiæ. Deinde eligebantur septuaginta duo seniores [illegible], juxta illud *Deut. 1. [illegible], & constitui eos Principes.* Et *Deut. [illegible] & Magistros constitues in omnibus portis tuis, ut judicent populum justo judicio.* Hoc autem regimen erat Aristocraticum. Intervenerat etiam aliquid de regimine Democratico, quòd isti viri sapientes eligerentur de populo, imò ipsemet populus ipsos eligeret, juxta illud *Deut. 1. Date ex vobis viros sapientes.* Denique provisum erat *Deut. 17.* qualiter se habere deberet Rex, si populus Israeliticus

45. Regem sibi constituere vellet. Quibus adeò taliter constitutis, Deus quoque instituit judicium inter Israelitas Judicij ordinem *Deut. 1. Quod justum est judicate, sive Civis ille sit, sive peregrinus, nulla erit personarum distinctio.* Ad cujus proinde Justitiæ conservationem Deus prohibuit Judicibus acceptationem munerum. *Exodi 23. &* statuit etiam certas pœnas, easque diversas, *pœnam* quidem *mortis* adversus illos, qui contra Deum peccassent, seu homicidium, furtum hominis, irreverentiam adversus parentes, adulterium & incestum commisissent. *Pœnam* verò *Damni* in furtis aliarum rerum; *pœnam Talionis* in percussuris & mutilationibus, & in peccato falsi Testimonij: pro alijs autem minoribus culpis *pœnam flagellationis, vel ignominiæ.* uti patet pas- 46.
sim *ex Levit. & Deut. Secundò* extabant etiam præcepta pertinentia ad Concives populi Israelitici inter se coordinatos. Hinc enim erat facta divisio possessionum, juxta illud *Num. 34. Ego dedi vobis terram in possessionem, quam sorte dividetis.* Quia verò per possessionum inæqualitatem teste *Philos. 2. Polit. cap. 7.* plures Civitates destruuntur: ideò circa possessiones triplex adhibebatur remedium, unum *43. Num.* expressum his verbis: *Pluribus dabitis latiorem, & paucioribus angustiorem.* Alte- 47.
rum ideo se tenebat, ne possessiones in perpetuum alienarentur, sed certo, Jubilæi scilicet tempore reverterentur ad suos possessores, & sic possessionum sortes non confunderentur *Levit. 25.* Postremum denique ad possessionum confusionem tollendam erat remedium, quo præscribebatur modus successionis, ita ut primo gradu Filius, secundo filia, tertio Fratres, quarto patrui, quinto quicumque propinqui succederent in hæreditate, specialiter insuper ad sortium distinctionem servandam erat statutum, ut mulieres, quæ essent Hæredes, suæ tribûs hominibus nuberent. *Num. 36.*

48. Deinde pro isto concivium convictu suaviter servando constitutum erat, ut esset quædam Communicatio beneficiorum. Hinc enim *Deut. 22.* præceptum erat. *Non videbis bovem & ovem fratris tui errantem, & præteribis, sed reduces fratri tuo, & similiter de alijs.* Concedebatur etiam, ut, si quis ingressus esset vineam amici, licitè comedere posset, dum tamen ad extra non deferret, ac speciàliter de pauperibus erat provisum, ut eis relinquerentur manipuli obliti, & fructus, atque racemi remanentes. *Levit. 19. & Deut. 22.* Communia etiam erant, quæ nascebantur in septimo anno. *Exod. 23. & Levit. 25.* Denique circa contractus Venditionis, Emptionis, Mutui, Locationis, Conductionis & Depositi specialiter ac sufficienter provisum fuisse, constat ex præallegatis sacræ scripturæ libris.

49. *Tertiò* extiterant in lege Veteri etiam præcepta, quibus Judæi ordinabantur ad Peregrinos. Hæc enim ordinatio est partim secundum pacificam quandam, partim secundum Hostilem cum extraneis communicationem.

Et quæ-

Et quidem circa [illegible] erat statutum. *Advenam non contristabis [illegible] Peregrino molestus non eris.* Circa [illegible] vero communicationem *Deut. 20.* [illegible] Israelitis, quòd, cùm accederent ad expugnandam Civitatem, offerrent eis primò pacem, ubi tamen bellum cœptum erat, id fortiter prosequerentur, habentes de Deo fiduciam. Quod vero istud melius procederet, cautum erat, ut sacerdos, imminente prælio, ipsos confortaret, Dei auxilium promittendo: domumque remitterentur, qui possent impedimenta præstare, tandemque victoriâ moderate uterentur, parcendo mulieribus & parvulis, ac regionis ligna fructifera non incidendo.

50. Quartò denique fuerunt divinitus factæ ordinationes nonnullæ, quibus Domestici ejusdem familiæ benè inter se coordinarentur. Hinc erga servos erat præceptum, ut eos modestè tractarent, nevè nimiis laboribus eos affligerent, impositâ etiam pœnâ mutilatoribus servorum, ut ipsos liberos dimitterent. Mandatum insuper erat, ut, qui erant ex populo Dei, septimo anno liberi dimitterentur cum omnibus, quæ apportaverunt, etiam vestimentis, imo concesso etiam viatico. *Exod. 21. Levit. 11.*

51. Deinde quoad uxores statutum erat, ut Judæi ducerent uxores suæ tribus, ne scilicet Tribuum sortes confunderentur. Mandatum etiam erat *Deut. 25.* ut quis in uxorem ducat uxorem fratris defuncti sine liberis, ut ille, qui non potuit habere successores secundum carnis originem, saltem haberet per quandam adoptionem, & memoria defuncti non totaliter deleretur.

52. Prohibitum quoque fuit, ne propter periculum seductionis in uxores ducerentur alienigenæ. Cautum insuper erat, ne uxores leviter infamarentur, ita ut juberetur *Deut. 22.* puniri, qui uxori falsum crimen imposuisset. Et [illegible] durius affligeretur uxor, quam quis odiret, [illegible] erat, ut scripto libello repudij, [illegible] *Deut. 24.*

53. [illegible] erga filios erat præceptum, [illegible] in fide ac Religione, [illegible] *Deut. [illegible]. [illegible] dixerint vobis filij [illegible] : [illegible]* Tum in moribus, ita ut contumax ac protervus esset à parente tradendus ad portam Judicij, dicendo: *Monita nostra audire contemnit, commessationibus vacat, & luxuriæ, atque conviviis. Deut. 21.*

CONTROVERSIA III.

Qualiter leges Veteris Testamenti sint abrogatæ?

1. SAnctus Hieronymus in *Epist. Fratres omnes, & in Epist. Petro scripta.* circa legalium observantiam duo duntaxat distinguebat tempora, unum ante passionem Christi, in quo legalia non erant taliter mortua, ut non haberent vim obligatoriam, & pro suo modo [illegible]. Alterum prorsus tempus incepisse, [illegible], statim post Passionem Christi, ita ut tunc legalia non tantum essent mortua, id est non haberent vim [illegible] obligationem, sed etiam mortifera, adeo, ut peccarent mortaliter, qui ea observarent. Unde Apostolos inquiebat citatus Sanctus Ecclesiæ Doctor, nunquàm legalia post passionem observasse secundùm veritatem, sed pià duntaxat simulatione, ne scilicet scandalizarent Judæos, eorumque impedirent conversionem. Quam tamen simulationem non esse taliter intelligendam, quasi Apostoli non fecissent actus secundum rei veritatem, sed quia eos non fecerint, tanquam observantes Cæremoniarum legis.

2. Verum Sanctus Thomas *præf. q. 1. 3. art. 4. ad 1.* arbitratur, dedecuisse Apostolos, ut, quæ ad veritatem vitæ ac Doctrinæ pertinent, propter scandalum dicantur occultasse, usosque fuisse simulatione in his, quæ ad salutem fidelium pertinent. Unde inferet, Sanctum Augustinum [illegible] *ad Hieron. 19.* convenientius tria tempora distinxisse. Primum quidem ante Christi passionem, in quo legalia neque erant mortua, neque mortifera: Secundum à passione Christi usque ad divulgationem Evangelij, in quo legalia fuerunt quidem mortua, ita ut nullam amplius haberent vim obligandi, non tamen fuerunt mortifera.

Tertium denique à tempore divulgati Evangelij, in quo legalia fuerunt mortua & mortifera.

3. Fundamentum illius intermedij temporis est. Tum quia pro illo tempore poterant Judæi, qui conversi erant ad Christum, legalia licitè observare, dummodo non sic ponerent in eis spem, ut ea reputarent sibi necessaria ad salutem, quasi sine legalibus fides Christi justificare non posset. Et hinc Paulus Timotheum, qui ex matre Judæâ genitus erat, circumcidit. Econtra verò quia hi, qui ex gentilitate conversi fuerant ad Christum, nulla obligatione tenebantur servandi legalia, inerat [illegible] Titum ex Gentilibus genitum noluit circumcidere. Tum quia Spiritus Sanctus ideo noluit his, qui ex Judæis convertebantur ad Christum, statim à tempore Passionis Christi inhibere observationem legalium, sicut econtra ritus Gentilium [illegible] conversis statim erat prohibitus; ut hac [illegible] ratione significaretur, Gentilitatis Ritus reputari tanquam omnino illicitos, & à Deo semper prohibitos, cùm econtrario ritus legis cessaret tanquàm impletus per Passionem Christi, utpote à Deo in figuram Christi institutus.

4. Fundamentum tertij à tempore divulgati Evangelij prohibitionem legalium subinferentis asserti ex Doctore Angelico *ut. art. 4. in Corp.* desumptum est. Quia omnes Cæremoniæ sunt quædam protestationes fidei, in qua consistit interior Dei cultus. At sicuti verbis, sic & factis potest homo interiorem fidem protestari. In utràque autem protestatione, si homo falsum aliquid protestetur, peccat mortaliter. At licèt eadem sit fides, quam habemus de Christo, & quam habuerunt Patres antiqui, attamen quia ipsi præcesserunt Christum, nos autem sequimur; ideirco hæc [illegible], diversis verbis significatur, nam ab Antiquis dicebatur *[illegible]*: quæ verba sunt futuri temporis; nos autem idem repræsentamus per verba præsenti temporis, dicentes

dicentes: *Quòd conceperit ac pepererit.* Unde legis quoque Cæremoniæ significabant Christum ut nasciturum, & passurum: nostra autem Sacramenta significant ipsum, ut natum & passum. Sicut igitur peccaret mortaliter, qui nunc suam fidem protestando, diceret Christum nasciturum, quod antiqui tamen piè ac veraciter dicebant: sic peccaret etiam mortaliter, si quis nunc Cæremonias observaret, quas Antiqui piè ac fideliter observabant. In quem proinde sensum Divus Augustinus *contra Faustum lib. 19.* ait; *Iam non promittitur nasciturus, Passurus, resurrecturus, quod illa Sacramenta quodammodo personabant; sed annuntiatur, quod Natus sit, resurrexerit, quod hæc Sacramenta, quæ à Christianis aguntur, jam personant.*

5. Idem Doctor Angelicus *q. 104. art. 3.* tenet; Judicialia legis veteris præcepta non ad instar Cæremonialium esse post Evangelium promulgatum mortifera, sed mortua duntaxat. Fundamentum est. Quia Cæremonialia Præcepta erant figuralia *primò*, ac *per se*, tanquàm instituta *principaliter* ad figuranda Christi Mysteria ut futura. Unde ipsorum observatio præjudicat nunc fidei veritati, secundùm quam confitemur, illa Mysteria esse completa. Econtra Judicialia non erant instituta ad figurandum, sed ad disponendum statum illius Populi, qui ordinabatur ad Christum. Unde mutato illius Populi statu, judicialia Præcepta suam quidem obligationem amiserunt, cum lex fuerit Pædagogus ducens ad Christum, *ad Galat. 3.* Nihilominùs quia Judicialia ejusmodi non ordinabantur ad figurandum, sed ad aliquid faciendum, ideò ipsorum observatio absolutè non præjudicat fidei veritati, sed intentio observandi tanquam ex obligatione legis, quia per hoc haberetur, ac si status prioris Populi adhuc duraret, & Christus nondum venisset. Quare si Princeps aliquis ordinaret, in suo Regno illa Judicialia observari, non peccaret, nisi fortè hoc modo observarentur, vel observari mandarentur, tanquam habentia vim obligandi ex veteris legis institutione.

CONCLUSIO I.

6. Hoc discriminis est inter Moralia, Cæremonialia, & Judicialia veteris legis præcepta, ut moralia quoad substantiam* sint mortua, & à tempore Evangelij promulgati etiam mortifera: Judicialia verò sint quoad substantiam mortua, non autem mortifera.

* adhuc vigeant, Cæremonialia verò quoad substantiam

Probatur. Quia substantia in moralibus Decalogi Præceptis est juris naturalis, nec nisi quoad aliquam Cultûs scilicet Divini per Diei Sabbatini observantiam specialiter exhibendi circumstantiam, continebat aliquid Cæremoniale, legi veteri proprium. Quamvis ergò Decalogi Præceptum quoad istam Circumstantiam cessarit, manet tamen in suâ substantiâ de Cultu aliquo publico erga Deum in Ecclesia exhibendo.

7. Deinde substantia in Cæremonialibus veteris legis Præceptis erat significatio Christi venturi, seu passuri, ac resurrecturi protestativa. Hæc verò per Mysteriorum ejusmodi adimpletionem eatenus est evacuata, ut ... Cæremonialium ... jam signi ... Fidei veritati contrarium. Hæc ... verò evacuatio & Figuræ in statum veritatis translatio à tempore Evangelij promulgati, universo jam orbi eatenus ... publicata, et consequenter illa falsitas signi ... jam per se loquendo latere. Ergo ipsa Cæremonialium veteris legis substantia à tempore promulgati Evangelij eatenus est evacuata, ... etiam observantia sit per se loquendo mortifera.

Denique Præceptorum Judicialium substantia consistebat in vi Directiva & obligatoria actuum, quatenus sub illis fiebat bona convictûs publici in Judæis coordinatio. Hæc autem connexa erat statui Populi ad Christum *figuratè* ordinati. Unde hoc statu per veritatem legis Evangelicæ cessante, consequenter cessavit etiam obligatio Præceptorum. Nihilominùs tamen tota illa ad Bonum commune ordinabilitatis formalitas est in sua substantia adhuc intelligibilis tanquam *moraliter* bona. Ergò ex cessatione legis veteris non est facta mortifera, quin Princeps sub ipsismet talium Præceptorum substantiâ posset materiam lege Judiciali Mosaicâ olim præceptam sua Authoritate præcipere. Quare *quoad Circumstantiam* duntaxat *figuralis* in Christum venturum *ordinabilitatis*, ex parte Populi, cui præcepta illa fuerant lata se tenentem, non verò *quoad ipsasmet* materiæ præceptæ etiam *formaliter* spectatæ, *substantiam* possunt pro statu Evangelicæ veritatis Judicialia veteris legis præcepta esse mortifera. 8.

Dices. Sicuti Judicalia veteris legis Præcepta non quidem sub formalitate figurativæ in Christum venturum ordinabilitatis, sed sub substantiâ actûs ad Bonum publicum conducibilis, authoritate alicujus Principis possunt præcipi, sic sublata illâ præfigurativæ in Christum venturum ordinabilitatis significatione, posse sub legem humanam cadere materiam etiam Cæremonialium veteris legis præceptorum. Probatur illud assumptum. Tum quia *Actorum 15.* leguntur Apostoli post Christi mortem imperasse fidelibus, ut abstinerent a suffocatis, quæ tamen olim erat Cæremonia legalis. Tum quia in Decreto Gratiani *dist. 30. cap. 14.* legitur, simile præceptum fuisse in Synodo Tangrensi reiteratum. Et apud Baronium. *to. 9. ad annum Christi 801. n. 18.* Item *to. 10. ad annum Christi 845. n. 38.* legitur, quædam mediante Carolo Magno, & Ludovico Pio statuta, & à summo Pontifice approbata fuisse Capitula, quibus statuebatur observatio quorundam legalium: ne v. g. quis gerat vestem ex lanâ & lino contextam, nevè quis invento nido Matrem simul cum pullis detineret, neve vineam sereret diverso semine, neve araret in bove & asino. At vero istorum statutorum non aliam fuisse rationem, nisi quòd Judæi & Saraceni, quorum ingens turba tunc extiterat in Germania, Gallia, & Hispaniâ, faciliùs ad Christianam fidem converterentur, & conversi constantiùs in eâ persisterent, dum ipsis indulgerentur aliquæ de Mosaicâ lege observantiæ Cæremoniales. Consequens proinde videtur, Judicialia non magis, quam Cæremonialia posse in aliquo Regno authoritate Principis vel Politici, vel Ecclesiastici institui. 9. 10.

Contra.

11\. Contra. Nam aliter consideranda est materia legis *materialiter*, aliter autem *formaliter* spectata, sub illâ nimirum formalitate, sub quâ *primò* ac *per se* cadit sub legem. At in Praeceptis Caeremonialibus formalitas, sub quâ materia praecepta erat capax obligationis, fuit praefigurativa Christi venturi, ejusque Mysteriorum significatio, in praeceptis autem Judicialibus legis Veteris *primo* ac *per se* intendebatur statûs politici in Bonum publicum ordinabilitas, Christi venturi significatione praefigurativâ se habente ad materiam legis *solum secundario* & *concomitanter* ex parte subiecti, seu Populi, cui lex illa data fuit; non verò ex parte illius materiae quà praeceptae. Quia ergò veritate legis Evangelicae umbris, ac figuris Mosaicis succedente, evacuata, imò mortifera facta est praefigurativa Christi quà venturi seu passuri significatio, non autem in Bonum Publicum congrua Judicialibus legis Mosaicae praeceptis *per se primo* intenta ordinabilitas, idcircò possunt quidem Caeremonialia Veteris legis praecepta *pure materialiter*, non autem *formaliter*, nec adeò *quoad substantiam* spectata intuitu Authoritate Principis vel politici, vel Ecclesiastici, attamen praecepta Judicialia *formaliter quoad substantiam*, non autem *quoad illam* praefigurativae significationis *circumstantiam*, possunt humanâ legislativâ potestate obtinere vim legis & obligationis, uti eleganter probat Divi Thomae argumentum *supra* deductum.

CONCLUSIO II.

12\. INter Passionis Christi, ac promulgati Evangelij tempora adstrui debet tempus intermedium, in quo Caeremonialia legis Mosaicę pręcepta erant quidem mortua, necdum tamen mortifera.

Probatur. Quia veritate Mysteriorum Christi succedente umbris ac figuris futurorum, eo ipso quidem resultabat praeceptum sub radicali quadam obligatione abstinendi à praefigurativâ, utpote fidei veritati repugnante mysteriorum Christi significatione. At legis latae obligatio quasi radicalis non reducitur in formalem obligationem, seu vim actualiter obligatoriam, nisi ab illo instanti, in quo legis ejusmodi sufficiens facta est promulgatio. Eo ipso autem, quòd Christi per Veterem legem praefigurata Mysteria fuerint quidem jam instituta, ac per mortem Christi confirmata, non tamen sufficienter promulgata, sequitur, quod neque veteris legis abrogatae fuerit pro tunc statim sufficiens facta promulgatio: siquidem figurae seu umbrae alicujus evacuatio non prius innotescere possit, quam habeatur notitia succedentis veritatis: neque Mysteriorum Christi veritas per scientiam publicam obligationis praeceptivae de se inductivam haberi possit, priusquàm ejus fiat competens promulgatio publica. Cùm igitur veteris legis abrogatio quoad vim ab illâ se abstinendi obligatoriam, non prius tenere potuerit, quàm lex Evangelica fuit promulgata, haec verò promulgatio non statim à tempore passionis Christi facta fuerit, *uti sequen. cont. ducetur*, consequens est, oportere, inter Passionem Christi ac Evangelium promulgatum statuere tempus aliquod intermedium, in quo Lex Mosaica eatenus erat mortua, ut necdum tamen esset mortifera.

CONTROVERSIA IV.

A quo tempore inceperit Lex Evangelica?

NOnnulli olim arbitrati sunt; Legem Evangelicam ante mortem Christi obligare incepisse saltem ad ea, quae tunc Christus instituerat v. g. quoad Baptismum. Fundamentum est. Quia hunc ut necessarium jam proposuerat dicens: *Nisi quis renatus fuerit ex Aquâ & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum caelorum.* Unde Divus Augustinus *lib. 1. de orig. animae cap. 9.* ait, *Ex quo illud à Christo dictum est, nemo fit membrum Christi sine Baptismo aquae, vel Sanguinis.*

Alij existimabant, Legem novam incepisse obligare in puncto mortis Christi. Fundamentum est. Quia tunc fuit Testamentum novum consummatum, ac plenè confirmatum. *ad Heb. 9.* At quodlibet pactum sufficienter consummatum statim obligat, & Testamentum morte confirmatum statim inducit obligationem, quam de se potest inducere. Ergo Testamentum novum in puncto mortis Christi habuit vim obligandi, & consequenter statim obligare incepit, maximè cùm lex vetus tunc mortua fuerit, cui successit Evangelica. Unde Divus quoque Thomas *in 4. dist. 2. q. 1. art. 4. quaestiunc. 3.* dicit; Sacramenta Legis novae quoad utilitatem diversis temporibus fuisse instituta, quoad necessitatem verò omnia simul in passione.

Suarez *lib. 10. de Legib. cap. 4. à n. 12.* existimat, *primò* legem novam non prius incepisse obligare, quàm in Pentecostes. *Secundo*, ex hoc tamen die non simul obligasse Judaeos existentes, sed incepisse tunc obligare, & postea successu temporis obligationem fuisse diffusam per totam Judaeam, Samariam, & alias Provincias. *Tertio*, ex illo primum tempore, quo facta est Petro revelatio *Act. 10.* descripta, coepisse per hanc legem obligari, non tamen fuisse statim obligatum totum terrarum orbem, sed successive, prout Evangelium promulgabatur. Fundamentum primi est. Quia Christus recessurus ex hoc Mundo dixit Apostolis: *Euntes docete omnes Gentes, praedicate Evangelium omni Creaturae.* At hoc ipsum Tempus praedicandi, seu promulgandi Evangelium ex singulari Divinâ revelatione erat reservatum in Diem Pentecostes, veluti colligitur ex illis Christi verbis. *Sedete in Civitate, donec induamini virtute ex alto.* Ergo solennis Legis Evangelicae promulgatio, & consequenter ex hac necessariò dependens obligatio primùm incepit in die Pentecostes, ubi, cum ad praedicationem Petri quidam compuncti corde interrogarent, *quid faciemus viri fratres. Act. 2.* Respondit Petrus, *poenitentiam agite, & Baptizetur unusquisque vestrum in Nomine IESU in remissionem peccatorum vestrorum.* Fundamentum secundi est. Quamvis enim promulgatio Novae Legis Hyerosolimae facta in die Pentecostes fuerit suffi-

 cien-

ciens pro illo loco, non tamen pro omnibus, in quibus Judæi habitabant: Vel certè, licèt in promulgationis ratione dicatur sufficiens simpliciter. Nihilominùs non potuit habere virtutem ad promulgandum statim in loca dissita, cùm non potuerit simul humano modo ad omnia deferri & applicari. Necessarium igitur fuit tempus, ut obligatio successivè diffunderetur.

6. Fundamentum tertij est. Quamvis enim Apostoli scirent, legem gratiæ esse universalem pro omnibus etiam Gentibus. Christus enim dixerat ipsis: *Euntes docete omnes gentes, Baptizantes eos &c.* Nihilominus ex Divinâ ordinatione noverant statutum, ut Evangelium *primo* Judæis, *secundò* Samariæ, & *ultimo* tandem *loco* Gentibus prædicarent. Hinc enim Paulus & Barnabas dixerant Judæis *Act. 13. Vobis oportebat primum loqui verbum Dei, sed quoniam repellitis illud, & indignos vos judicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes, sic enim præcepit nobis Dominus, posui te in lucem gentium.* Unde etiam *Act. 1.* refertur verbum Christi. *Eritis mihi testes in Hierusalem, & in omni Judæâ, & Samariâ usque ad ultimum terræ.* Ex quo adeò patet, prædicationem Evangelij ex ordinatione Divinâ fieri debuisse quodam ordine, ita ut primum fieret in Judæâ, deinde in Samariâ, ac denique in gentibus. Hujus igitur Divinæ de Evangelio gentibus prædicando ordinationis tempus Petro fuit revelatum, *Act. 10.* Ex hoc igitur tempore cæpit Gentibus primùm fieri Evangelicæ legis promulgatio, non quidem simul per omnes nationes, sed successivè. Cum igitur promulgatio sit de substantiâ Legis, vel hujus obligationis, consequenter ab illo primum tempore, quo illa revelatio *Act. 10.* fuit Petro facta, incepit Evangelium gentes obligare, fuitque deinceps successu temporis hæc obligatio in totum terrarum orbem diffusa.

Conclusio I.

Pro Legis Christi obligatione inchoanda, non potest statui unum indivisibile tempus, sed pro diversitate præceptorum ad istam legem spectantium diversa obligationis inceptæ sunt constituenda tempora.

7. Probatur. Nam Lex Christi seu gratiæ importat quandam præceptorum gratiam ex Christi meritis dandam respicientium, & à tempore Lapsûs Adami in Ecclesiâ continuatorum universitatem. In hâc proinde collectione seu universitate semper extabat præceptũ fidei ac pœnitentiæ, ita ut per Divinam revelationem, ac exinde secutam traditionem istæ leges semper vigerent in hominibus. Illud ipsum vero fidei præceptum, licèt quoad essentiam ex unitate Motivi formalis semper esset unum, ex parte tamen objectorum materialium, seu rerum credendarum diversas successu temporis admittebat extensiones. Quare tum [illegible] fidei præceptum, tam pœnitentiæ, ac D[illegible]nis Divinæ [illegible] per internam ex Christi [illegible] collatam illustrationem statim à tempore lapsûs Adami

8. vigebat in [illegible] hominum. Et quidem quoad unius Dei & Christi venturi Mysteria facta est ab illo statim tempore sufficiens promulgatio, actualem credendi obligationem inferens; At quoad alia Mysteria successu temporis per Patriarchas & Prophetas, novissimè autem per filium Dei revelata, successu temporis fuerunt in Ecclesiâ quædam incrementa, quorum adeò non privata duntaxat, sed publica universalem quendam Ecclesiæ statum comprehendens obligatio ex tunc incipiebat, quando sufficiens credibilitatis evidentia per signa seu miracula exhibebatur. Unde Lex fidei adrecendum Christum Filium Dei, aliaque per ipsum revelata mysteria, actualiter obligabat ante Christi Passionem, quam primùm Mysteriorum ejusmodi revelatio Divina per signa & miracula Christi patefacta fuit.

Deinde sub illam præceptorum ad Christi seu gratiæ legem spectantium universitatem reduci quoque debet remedium legis Naturæ. Sicuti moralia quoque Decalogi præcepta, qua sub gratiæ viribus ad gloriam promerendam conducibilia. Etsi enim leges ejusmodi non descenderint ex Christo homine qua legislatore; attamen sub alicujus ad gratiam & gloriam conducibilitatis formalitate respiciebant Christum, qua mediante sanguinis sui pretio Humani generis Redemptorem & sanctificatorem, & glorificatorem. Sub quo proinde ordine illa in statu etiam Naturæ, nec non & legis scriptæ Mosaicæ continuata, ad legem Christi novam ut sic spectantia præcepta habebant suam vim statim à tempore lapsûs Adami, utpote cui tanquam Humani generis principi in redemptionem peccatorum eatenus erat Christus subrogatus, ut ista subrogatio Divina quamprimum facta revelatione innotesceret etiam primo Parenti, & per hujus traditionem ejus posteris. Vi cujus adeò promulgationis illud legis Naturæ remedium omni tempore per se loquendo obligabat parentes, ut illud filijs suis applicarent.

Denique si Lex Evangelica *strictè* sumatur non pro totâ illâ præceptorum gratiam per Christum reparatam respicientium collectione, sed pro legum Ecclesiæ statum in sacrificij Eucharistici, ac Novæ legis sacramentorum institutione consummatum universitate, tunc diversa sunt quidem tempora institutionis: siquidem Baptismum longè ante passionem, Eucharistiam verò morti proximus, pœnitentiæ verò Sacramentum post resurrectionem primùm instituerit. Ex vi cujus adeò institutionis ab illo statim tempore habebant vim gratiæ *ex opere operato* causatricem; attamen quoad obligationem, non videntur tenuisse ante solennem in die Pentecostes à Petro Apostolorum Principe factam promulgationem. 9. 10.

Probatur istud subsumptum. Nam Deus etiam in suis legibus Ecclesiæ [illegible] Sanctæ, seu hujus statui alicui ferendis eum servat morem, ut obligationem eorum velit [illegible] ex promulgatione quadam solenni, ut patet ex lege veteri Mosaica, quæ ut videre est *Exodi 19.* [illegible] cum solennitate sua divinitus promulgata Israelitico populo. At vero Apostoli ante diem Pentecostes ita se continebant [illegible] parietes, utpote ex Christi Domini præcepto jussi sedere in Civitate, quousque [illegible] essent virtute ex alto: Ut in ipsa tamen Pentecostes die Spiritu Sancto de Cælo misso, excitatus Petrus, Evangelicæ Legis faceret publicam promulgationem. 11.

circa Trinitatis & Incarnationis fidem explicitam positivo præcepto seposito, difficile videtur comprehensu, qualiter Mysteria ejusmodi non tantùm *quoad specificationem*, sed *quoad* actualis fidei assensûs *Exercitium* sint de necessitate præcepti. At re verâ oportet in lege Evangelicâ adstruere obligationem fidei circa illa Mysteria, non tantùm *Specificationis*, ita ut non liceat illis dissentire, sed etiam *Exercitij*, ita ut teneamur actualem
10. fidei assensum de illis *Explicitè* habere. Deinde sicuti de Deo quà Trino, sic de Deo etiam quà Omnipotente, Sapiente, Bono &c. habemus expressam revelationem. At ex naturâ istius de singulis Divinis attributis revelationis non resultat obligatio *Exercitij*, sed *Specificationis* duntaxat, in ordine ad amorem circa illa attributa habendum. Nisi ergo Positivum Divinum præceptum de tribus Divinis Personis *Explicitè* amandis extet, non videtur qualiter hujus *quoad Exercitium* possit esse obligatio.

11. Denique licet ex Divinis nostræ salutis non nisi per Christum, ejusque Sacramenta obtinendæ, promissionibus resultet obligatio spei *quoad specificationem*, obligatio tamen *quoad positivum* actuū spei formandorum *exercitium actuale* secundùm ipsam rei Naturam, sub talibus promissionibus habendum *explicitè*, vix evincitur ex præcisâ rei Naturâ, nisi accedat Dei voluntas authoritativa per positivum præceptum insinuata. Quæ proinde hic paucis disputationis gratiâ volumus insinuata, singula quæque suis locis singillatim discussuri.

Conclusio II.

12. IN lege Evangelicâ specialiter extat præceptum Divinum, tum transcédens de omnibus actionibus nostris moralibus in Gloriam Dei referendis, tum specificum, de quibuslibet interioribus virtutum præsertim Theologalium, nec non pœnitentiæ actibus quandoque eliciendis in suâ essentiali ratione *Formaliter* importantibus rectitudinem moralem supernaturalem.

Probatur. Nam licet de operibus morali-
13. bus non nisi sub virtuali saltem in Dei Gloriam ordinabilitate eliciendis præceptum sit naturale, homini eatenùs congenitum, ut in puræ etiam Naturæ, imò & Naturæ lapsæ per Christum non reparatæ statu esset obligatorium: attamen istius præcepti observantia ex actuali, naturali tamen gratiâ Dei dependens eatenus jam subest Christo Humani generis Redemptori, quatenus nulla etiam naturalis ordinis gratia jam datur nisi per Christum. Ex hoc igitur respectu Christus præceptum illud naturale sui quoque Juris fecit, adeo ut in sancto Evangelio suo id singulariter voluerit expressum.

14. Tum quia in lege Evangelicâ, prout *virtualiter* se extendebat ad omnem Ecclesiæ, à tempore lapsûs Adami secundùm divinæ præfinitionis ordinationem, non nisi per Christum subsistentis statum, semper extabant Divina præcepta fidei, Spei, Charitatis, ac pœnitentiæ etiam supernaturalis. At sicuti istarum virtutum supernaturales actus *Essentialiter* important Bonitatem moralem, quam impossibile est subsistere cum aliquâ malitiei commixtione & coinquinatione: sic illorum præceptorum observantia stare non poterat nisi sub specificis illarum virtutum modis essentialibus.

15. Tum quia in moderno Evangelicæ legis jam *Ultimatè* per Christum consummatæ statu, omnia illa supernaturalia præcepta sunt elevata ad modum quendã altiorem, ex majore ad plura Divina Mysteria revelata *Explicitè* jam credenda, & debito amore ac honore prosequenda extensione resultantem. Hæc autem major extensio sub actibus fidei, spei, & Charitatis subsistens, puram omnimodæ malitiæ moralis à se *Formaliter* exclusivam supernaturalem Honestatem *Essentialiter* importat. Constat igitur, sub lege Evangelicâ partim quà *virtualiter* ad omnem Ecclesiæ post Adami lapsum ex Christi meritis unicè restauratæ statum se extendente, partim quà Ecclesiæ à Christi morte *Ultimatè* consummatum statum importante, stare obligationem non tantùm transcendentalem de omnibus moralibus operibus in Dei Gloriam referendis, sed specificam de supernaturalibus virtutum præsertim Theologalium, actibus non nisi sub formali suo specifico virtutis modo operabilibus, quandoque eliciendis.

CONTROVERSIA VI.

An Ius Divinum possit à Papâ dispensari?

AFfirmant quàmplures Canonistæ, speciatim Abbas *in Cap. Proposuit. n. 20. de concess. prabend.* Felinus *in Cap. Ecclesiarum. n. 19. & 20. de Constit.* Decius *ibi n. 13.* & alij, quos refert ac sequitur Thomas Sanchez *lib. 8. de Matrim. disp. 6. n. 5.* Fundamentum desumi potest ex illis verbis Christi Domini *Math. 16. Quodcumque solveris super terram, erit solutum & in Cælis.* Ex his enim verbis colligimus, Papæ esse facultatem ac potestatem dispensandi in Juramentis & votis & in Matrimonio Rato. Et hinc in talibus relaxationibus Pontifex utitur verbo dispensandi, quo manifeste insinuatur, non per solam declarationem, sed per dispensationem tolli vincula ejusmodi. Similiter spirituale Matrimonium inter Episcopum & Ecclesiam suam sponsam esse Juris Divini, authoritate tamen pontificiâ relaxabile, seu dispensabile, consta: *ex Cap. inter Corporalia. De Translat. Episc.* At Pontificem solvendo istud vinculum non uti potestate Humanâ, sed Divinâ, id est Divinitùs concessa, patet ex eodem canone. Agnoscenda igitur est in Pontifice potestas quædam Divina, vi cujus possit relaxare Jus Divinum, non quidem in omnibus, sed
in aliquibus præceptis, uti advertit Sanchez *cit. n. 6.* pro hoc dignoscendo talem statuens regulam; quòd aliqua sint præcepta Divina, quorum relaxatio in nullo excogitabili casu possit expediens esse, cujusmodi sunt de non fornicando, de honorandis parentibus, de servandis formis Sacramentorum divinitùs institutis: Econtra verò alia sint præcepta Divina, quæ licèt in universum expediant, in aliquo tamen particulari 2.

Decalogo *Formaliter* non expressa se habent ad ista tanquàm regulæ magis particulares moralium actionum sub specificis formalitatibus Directivæ. Ut sic auté *virtualiter* cōtinentur in Decalogi Præceptis tanquā conclusiones in suis principijs. Undequævis Temperantiæ & Justitiæ specificæ leges, sicuti etiam Divina mediorū salutis determinativa, atq; adeò sacramentorū præscriptiva præcepta sub Formalitate tū Divini cultûs, tum interioris nostræ puritatis sive naturalis sive supernaturalis, tum necessitatis medij ad salutem sunt quoad obligationis suæ efficaciam adj instar conclusionum *virtualiter* inclusa in aliquo Decalogi præcepto.

8. Nihilominus *secundo* in his ipsis sive *Formaliter*, sive *Virtualiter* intra Decalogum contentis præceptis variæ sunt adhuc considerabiles formalitates. Alia enim est per modum innatæ per Divini super nos signati vultûs Lumen expressæ determinationis, seu necessitatis moralis. Alia verò est per modum infusæ ac supernaturalis per Divinum Fidei lumen revelatæ in æternæ gloriæ finem ordinabilitatis. At sub priori formalitate præceptum qualecunque spectat ad legem Naturalem, sub formalitate autem posteriore adhuc distinguenda venit illa in finem supernaturalem ordinabilitas, ita ut alia sit merè figurata per modum signi nostræ per gratiam in æternæ gloriæ finem ordinabilitatis *speculativè* figurativi. Alia verò sit realis, ipsam met gratiam sanctificantem ceu formam respectu æternæ gloriæ *Condignè* dispositivam, nec non vim hujus, vel ex *opere operato* per Sacramenta, vel ex *opere operantis* per actus supernaturales *efficienter Meritoriè* saltem, seu *moraliter* Causativam. Secundum quam proinde duplicem supernaturalis in æternæ gloriæ finem ordinabilitatis Formalitatem [illegible] Duo Testa-

9. menta. Unde Lex Mosaica [illegible] spectata tempore Antiqui Testamenti [illegible] substiterat solitarie, [illegible] legis naturalis, tum Evangelicæ [illegible] efficaciam & virtutem gratiæ ex Christi [illegible] legis conco[illegible]. Quare oportet, in ipso Decalogo, [illegible] distinguere, tum [illegible] lumini [illegible] adeo Naturali [illegible] gratiæ per Christum [illegible] Mosaicæ legis Sanctis datæ, sub [illegible] per supernaturales e[illegible] Decalogi Præceptorum observantia gratiæ & gloriæ meritoria reduci debebat in legem Christi Evangelicam; tum denique verborum legis in tabulis lapideis exarationem, nec non sub Bonorum temporalium promissionibus, ad præcepta ejusmodi observanda incitationem, populique Iudaici, mediante talis observantiæ puritate, ad Christum in ac ex se nasciturum ordinatione ac dispositione. Sub quâ proinde postremâ formalitate Decalogus unà cum præceptis Cæremonialibus ac Judicialibus erat proprius Judaici populi, Divo Thomâ 1. 2. q. 98. a. 4. attestante: *Soli Iudæorum Populo legem* [illegible] *dari debuisse, quod, cùm promissiones de Christo* [illegible] *Patribus factæ sint, deceret eum populum,* [illegible] *Christus nasciturus erat, quidem speciali præ reliquis* [illegible] *sanctitate pollere.* In quem [illegible] locutus est Apostolus Paulus ad *Rom.* 3. [illegible] ergo, inquiens, *amplius Iudæo? Multum* [illegible] *per omnem modum: Primùm quidem, quia credita sunt illis eloquia Dei.* Constat igitur, 10.
quòd Decalogi præcepta eatenus [illegible] etiam Naturali, & quoad salutarem [illegible] Gloriæ observationem legi etiam supernaturali, ut sub speciali tamen formalitate [illegible] quodammodò propria legis Mosaicæ partim quoad sui in tabulis lapideis exarationem, & solennem Israelitico populo ab ipsomet Deo factam promulgationem, partim quoad Divinas temporalium ex eorundem observatione conferendorum Bonorum promissiones, partim quoad populi Judaici mediante talium præceptorum observantia & puritate, ordinationem ac dispositionem ad Christum ex se nasciturum.

CONCLUSIO II.

11. ANtiquo Testamento congruebat vel maximè pluralitas Cæremonialium præceptorum convenienter reducibilium ad quatuor genera, nimirum Sacrificia, Sacra, Sacramenta, & Observationes Cæremoniales, ex Divo Thomâ *q. 101. & q. 102.*

Probatur. Nam *primò* sicut Judicialia sunt præceptorum Moralium determinativa in ordine ad proximum, seu [illegible] convictum, & pacem publicam, sic Cæremonialia sunt determinativa moralium Decalogi præceptorum in ordine ad Deum, ejusque cultum. Ejusmodi vero cultus Divini [illegible] præcepta Judaico Populo sub [illegible] numero vel maximè congruebant, ut & in malis Idololatriæ servitus, ad quam Judæi proclives omnino erant, reprimeretur, & in bonis Dei Amor incrementa susciperet, [illegible] eorum frequentius in Deum [illegible]. Ubi arguit S. Doctor *cit. q. 101. a. 3.* Qui proinde veteris Testamenti Cæremoniarum numerus frequentior ad quatuor genera reducitur, nempe ad Sacrificia, Sacramenta, Sacra, & Observationes. Cujus equidem numeri ratio convenienter reddi-

12. tur ab Angelico Doctore *cit. q. 101. a. 3.* Nam Cæremonialia præcepta ordinantur ad Dei Cultum. In hoc autem considerari possunt & ipse cultus, & Colentes, & instrumenta colendi. At ipse cultus specialiter consistit in Sacrificijs, utpote quæ in Dei Reverentiam referuntur. Instrumenta verò colendi Deum pertinent ad Sacra, veluti in veteri Testamento erant tabernaculum, Vasa, & similia. Ex parte au-

13. tem colentium possunt spectari tum illorum ad cultum Divinum institutio, quod fit perquandam consecrationem vel populi, vel Ministrorum, tum eorum singularis conversatio ab his, qui Deum non colunt, distinctiva. Atilla complectebatur observationes in cibis & vestimentis & alijs hujusmodi rebus, illa vero ad cultum Divinum Deputatio comprehendebat Sacramenta. Patet igitur ille quaternarius Cæremoniarum in Veteri Testamento numerus. *Secundo* Sacrificij genus in Veteri Testamento erat adhuc triplex, Holocaustum scilicet, Sacrificium pro peccatis, & Hostia pacifica. ex Sancto Thomâ *præs. q. 102. a.* [illegible] *ad 8.* Cujus

14. ratio est, Etenim sacrificium [illegible] Veteris Testamenti duplex

ti duplex erat ratio: Una singularis, quatenus erant præfigurativa vel ... Passionis, & immolationis Christi: Altera litteralis, quatenus erant repræsentativa mentalis in Deum ordinationis debitæ, ad quam excitandi vim habebant sacrificia. Ad ejusmodi vero rectam in Deum mentis ordinationem pertinebant, ut omnia, quæ homo habet, recognosceret à Deo tanquam Primo Principio, omniaque sua referret in Deum, tanquàm Ultimum Finem, ut sic dicere posset illud Davidis, *Paral. 29. Tua sunt omnia, & quæ de manu tuâ accepimus, dedimus tibi.* At verò ista mentis in Deum ordinationis repræsentatio, quandoque fiebat per talem victimæ oblationem, ut tota combureretur. Ut sic autem erat Holocaustum, quasi totum incensum. Hujusmodi enim sacrificium offerebatur Deo specialiter ad reverentiam Majestatis ipsius, & Amorem Bonitatis ejus, conveniebatque perfectionis statui in impletione Consiliorum constituto. Et hinc totum comburebatur, ut sicut totum animal resolvebatur in vaporem, ita significaretur, totum hominem, & omnia, quæ ipsius sunt, Dei Dominio esse subjecta, eique offerenda.

15. Deinde Sacrificium pro peccato erat distinctum ab Holocausto, tum *Formaliter*, tum quandoque etiam *Materialiter*. Etsi enim in sacrificijs etiam pro peccato aliquando debuerit totum comburi, dum scilicet sacrificium fiebat pro peccato populi, vel specialiter pro peccato Sacerdotis. Ejusmodi tamen sacrificij ab Holocaustis distinctio formalis se tenebat ex parte significationis, quatenus Holocaustum ordinationis in Deum, qua ex Divinæ Majestatis & Reverentiæ jure ac Dominio supremo debitæ erat repræsentativum. Sacrificium vero legalem quandam a peccato expiationem exhibendo, in Deum ordinabat, non quidem per internam sanctitatis peccati *Formaliter* expiativæ collationem, sed per externam reconciliationis Deo debitæ significationem legalem. Quòd si fiebat sacrificium pro peccato singulorum, tunc una quidem pars comburebatur, altera verò cedebat in usum Sacerdotum ad significandum, quòd peccatorum expiatio fiat a Deo per Ministerium Sacerdotum. In quo proinde casu sacrificium pro peccato, pœnitentium statui respondens, non *Formaliter* duntaxat, sed etiam *Materialiter* erat distinctum ab Holocausto.

17. Denique Hostia pacifica ab Holocausto & sacrificio pro peccatis distinguebatur, tam *Formaliter*, quàm *Materialiter*. Nam Hostia pacifica statui in mandatorum impletione proficientium conveniens, *Formaliter* erat ex debito beneficij vel accepti, vel accipiendi facta in gratiarum actionem, vel in salutem & prosperitatem offerentium.

18. Et quia salus hominis procedit a Deo, dirigentibus ministris Dei, ipsisque hominibus cooperantibus, idcirco Hostiæ pacificæ dividebantur in tres partes, quarum una ad Dei honorem incendebatur, alia vero in usum Sacerdotum, & alia in usum offerentium cedere debebat. Et hinc Hostiæ Pacificæ ab Holocausto & sacrificio pro peccatis distinctio se tenebat etiam ex parte materiæ.

19. In ejusmodi tamen sacrificijs generaliter observandum erat, ne sanguis veniret in usum vel Sacerdotum, vel offerentium, sed sanguinem oportebat in honorem Dei effundi ad crepidinem Altaris, adipem verò adoleri in igne, per quod singulariter erat præfigurata effusio Sanguinis Christi, & pinguedo Charitatis ejus, per quam se obtulit Deo pro nobis. In Hostijs autem pacificis singulariter in usum Sacerdotis cedere debebat pectusculum & armus dexter, per quod significabatur, Sacerdoti necessariam esse tum pro instruendo populo sapientiam, pectore ceu Cordis tegumento significatam, tum pro defectibus populi sustentandis fortitudinem, armo dextero significatam.

Insuper ut in sacrificiis provisum etiam esset paupertati offerentium, erat cautum, ut qui non posset habere animal quadrupes, saltem offerret avem. Et, si hanc non posset habere, saltem offerret panem. Quòd si istum habere non valeret, saltem offerret farinam, vel spicas. Cujus equidem ratio & causa figuralis erat, quòd panis significet Christum, ut panem vivum *Joan. 6.* Hic autem erat, velut in spicâ pro statu Legis Naturæ in fide Patrum: erat autem sicut simila in Doctrina Legis, & Prophetarum, erat demum panis, formatus post Humanitatem assumptam, tum igne coctus, id est formatus Spiritu Sancto in Clibano uteri virginalis, tum coctus etiam sartagine per labores, quos in mundo sustinebat, tum in Cruce tandem quasi in craticula adustus, ex Sancto Thomâ *cit. ar. 3. ad 12.* 20.

Tertiò sub genere sacrorum in veteri lege veniebant templum, tabernaculum, & vasa ad cultum Divinum specialiter deputata, nec non certa festiva tempora. Nam *primò* licet templum tempore Salomonis primum, ubi populus Israeliticus in statum quietis omnimodæ est positus, ædificatum fuerit, attamen locus, in quo istud templum erat extruendum, jam ab Abrahamo ex Divinâ demonstratione ... ex S. Thoma *cit. q. 102. ar. 4. ad ..* Cujus modo declaratur, ex *Gen. 22.* ubi cum præcepisset Abrahæ, ut offerret filium suum in Holocaustum super unum montium, quem ipse ostensurus erat monstraturus; postea subditur, quòd Abraham illum locum nominaverit *Dominus videt.* At per hoc datur intelligi, quòd secundum Dei prævisionem fuerit locus ille quasi electus ad cultum Divinum. Unde *Deuteron. 12.* erat quoque prædictum. *Ad locum, quem elegerit Dominus Deus vester, venietis, & offeretis Holocausta, & victimas vestras.* 21.

Deinde Tabernaculum erat distinctum in duas partes, quarū una vocabatur *Sancta Sanctorum*, eratq; occidentalis; altera vocabatur *Sancta*, eratque ad orientem: eratque insuper *Atrium ante Tabernaculum.* Cujus equidem distinctionis ratio per Divum Thomam *citatum ad 4.* desumitur ex Figuratione tum Cultus Divini, tum Christi venturi. Etenim pars illa quæ dicitur *Sancta Sanctorum*, figurabat sæculum altius, quod est spiritualium substantiarum: Pars vero illa, quæ dicitur *Sancta*, exprimebat Mundum Corporalem. Et hinc Sancta à *Sanctis Sanctorum* discernebantur quodā velo distincto quatuor coloribus, quaternarium elementorum numerum, bysso quidem ceu materiâ terrestri Terram, purpurâ ex cochlis maris fieri solitâ aquam, Hyacintho colorem aereum præferente aerem, & Coc- 22.

co bis tincto ignem significantibus. Per ejusmodi adeò significationem innuebatur, impedimento rerum Corporalium, seu Elementorum eatenus velari nobis substantias incorporales, ut in Tabernaculum interius, id est *in Sancta Sanctorum* solus summus sacerdos, idque semel tantùm in Anno introiret ad designandum, finalem perfectionem hominis non nisi remoto temporalium rerum impedimento, esse consequibilem. Imò neque in exterius Tabernaculum, id est *in Sancta* introire licebat, nisi sacerdotibus non autem populo, sed manere oportebat hunc in atrio, ex quo dabatur intelligi, populum percipere quidem Corporalia, attamen ad interiores eorum rationes penetrare solos sapientes, seu sacerdotes.

23. Insuper in Tabernaculo interiori, seu *Sanctis Sanctorum* altius spiritualium substantiarum sæculum significantibus continebatur Arca Testamenti, in quâ erat vrna aurea habens Manna; item virga Aaron, quæ fronduerat, & tabulæ in quibus erant scripta Decem præcepta. Hæc autem Arca sita erat inter Duos Cherubin, mutuis vultibus se se respicientes; eratque super Arcam tabula lapidea, Propitiatorium dicta, alis Cherubinorum innixa, quæ repræsentabat sedem Dei, ita, ut de hoc Propitiatorio Deus ad preces summi sacerdotis populo propitiaretur. Quorum Mysticam significationem eleganter describit Sanctus Thomas *cit. art. 4. ad 6.*

24. In exteriori porò Tabernaculo, quo præsens sæculum significabatur, tria etiam continebantur, Altare scilicet Thymiamatis directè positum contra Arcam, Mensa Propositionis ex parte Aquilonari posita, & Candelabrum ex parte Austri collocatum. In hoc autem tanquam in signo sensibili designabatur sapientia, quæ intelligibilibus verbis exprimebatur in tabulis: per Altare verò, in quo incendebatur Thymiama boni odoris, Sanctorum Justificationes significans, figurabatur officium sacerdotis, in eo se tenens, ut populum mediante sanctitate Deo acceptabili reduceret ad Deum: Cujusmodi sacerdotalis Dignitas significabatur etiam per virgam in Arcâ inclusam. Quorum latiores expositiones videre licet apud *præcitatum* Sanctum Doctorem.

25. Adhæc inter Sacra Veteris Testamenti censebantur etiam vasa per Consecrationem sanctificata: per quorum, & Tabernaculi Sanctificationem significabatur spiritualis sanctificatio fidelium, tanquam vasorum Divinæ gratiæ, & viventis Tabernaculi, Ecclesiæ scilicet ex ipsis constructæ.

26. Denique in Testamenti Antiqui Sacris numerabantur septem solennitates & vna continua. Hæc verò in eo se tenebat, quòd singulis diebus manè ac vespere fuerit immolatus Agnus: per cujusmodi sacrificij continuationem significabatur Divinæ Beatitudinis perpetuitas. At Festorum Temporalium numerus septenarius complectebatur, tum solennitatem *Sabbati* in memoriam creationis rerum singulis septimanis celebrandi, tum *Neomeniæ* Festivitas ad Divinæ Gubernationis opus rememorandum singulis mensibus, tum Festum *Phase* primo anni mense, in memoria liberationis ex Ægypto, tum Festum *Pentecostes* post quinquaginta dies ad beneficium legis datæ recolendum, tum Festum *Tubarum* in memoriam liberationis Isaac primâ die mensis septimi, tum Altera *Tubarum* Festivitas, in memoriam illius beneficij, quo Deus propter adorationem vituli iratus populo, ad preces Moysis fuit propitiatus decimo die mensis septimi, tum Festum *Scenopegiæ* ad Divinæ protectionis & deductionis per desertum beneficium commemorandum septem diebus celebrandum. Cui Octavâ die succedebat Festum *Collectæ*, in quo colligebantur a populo, quæ ad Divini Cultûs expensas erant necessaria, significabaturque adunatio populi & pax præstita in terrâ promissionis. De quorum proinde Festivitatum figurali significatione videri potest Divus Thomas citatus *ad 10.*

Quartò Sacramentorum Veteris Testamenti 27.
erant etiam tria genera. *Primum* erat per modum cujusdam Ritus, quo instituebantur Israelitæ in statu colendi Deum. Hoc vero, quantum ad omnes, fiebat per Circumcisionem ceu unicam ad legalia januam, cuius equidem literalis Ratio principalis fuit ad protestationem fidei unius Dei: Ratio autem figuralis fuit significatio, qua figurabatur ablatio Corruptionis per Christum, in Octava scilicet Resurrectionis die facienda. At verò institutio in statu colendi Deum sacerdotibus propria fiebat per horum consecrationem, ex Divo Thomâ *cit q. 102. art. 5.* *Secundum* 28.
Sacramentorum genus consistebat in usu eorum, quæ ad Divinum cultum pertinebant. Ejusmodi verò, quantum ad omnes, erat Esus Paschalis convivij; ad quem nullus incircumcisus admittebatur; Cujus equidem convivij Ratio litteralis erat Commemoratio Beneficij, quo Deus Israelitas duxit de Ægypto: figuralis autem ratio erat significatio immolationis Christi, uti fusius exponit Sanctus Doctor *citatus ad 2.* Verum usus rerum ad Divinum cultum pertinentium sacerdotibus proprius erat oblatio victimarum, & Esus panum Propositionis, aliarumque rerum sacerdotalibus usibus deputatarum.

Tertium denique Sacramentorum genus situm erat in quadam legalium à Divino legis Mosaicæ proprio cultu arcentium maculārum remotione. Et sic quantum ad populum universum erant institutæ quædam Purificationes ab exterioribus quibusdam immunditijs; nec non Expiationes à peccatis. Verùm quoad sacerdotes & Levitas erat instituta ablutio manuum & pedum, nec non pilorum rasio. De quorum omnium rationibus tum litteralibus, tum figuralibus videri potest Divus Thomas *cit. art. 5. per totum.* 29.

Quintò sub genere observantiarum in lege Veteri veniebant signa quædam Judæorum a cæteris nationibus quoad conversationem publicam distinctiva, sub quibus scilicet in conversatione, præcipuè sacerdotes significabantur specialiter deputati ad unius veri Dei cultum. Sicut enim aliæ res, quæ applicantur ad Cultum Divinum, ex singulari ad Divini cultûs Honorificentiam respectu habent aliquam specialitatem, sic quia populus Judæorum, & inter ipsos specialiter sacerdotes erant deputati ad Cultum Divinum: idcircò etiam in conversatione illius populi, & præcipuè sacerdotum debebant esse aliqua specialia ad Cultum Divinum, vel spiritualem, vel corporalem convenientia. Et quia 30.
Cultus legis figurabat Mysterium Christi, adeo 31.
ut om-

ut omnia Judæorum secundum legem gesta figurarent ea, quæ ad Christum pertinebant, juxta illud *1. Corint. 10. Omnia in figurâ contingebant illis.* Idcircò legales observantiæ eatenus erant secundùm quandam Cultus Divini congruentiam, ut aliquo etiam modo figurarent aliquid circa Christianorum vitam, ex sancto Thomâ *cit. q. 102.*
32. *a. 6.* Cæterum inter observantias legales generaliter prohibitus erat Esus Carnis illorum animalium, quæ vel habent ungulam continuam, sive non fissam, vel habent multas fissuras in pedibus, cùm econtra in Esum concessa fuerint animalia ruminantia & findentia ungulas. Cujus ratio figuralis per Divum Thomam *cit. q. 102. a. 6. ad 1.* deducta est. Quia fissio ungulæ significabat distinctionem tum duorum Testamentorum, tum Patris & Filij, tum duarum naturarum in Christo, tum Boni & mali discretionem. Ruminatio autem significabat meditationem scripturarum, & earum sanum intellectum. Unde animal, quod ruminat & dividit ungulam, erat significatione mundum, cum econtra carens vel ruminatione, vel fissione ungulæ, esset spiritualiter immundum. Deinde inter pisces illi duntaxat erant concessi in Esum, qui habent squa-
33. mas & pennulas. Cujus Ratio figularis per sanctum Doctorem *citatum* exposita est. Quia per pennulas figurabatur vita sublimis, vel contemplativa; per squamas autem significabatur aspera vita. Unde cum hoc utrumque sit necessarium ad munditiam spiritualem: idcircò illi duntaxat pisces, qui haberent squamas & pennulas, significatione munde erant. Porrò inter aves specialia quædam genera prohibebantur.
34. In Aquila enim altiùs volante prohibebatur superbia, & in Gryphe potentum crudelitas. In Haliaceto autem minutis avibus pasci solito significabantur illi, qui sunt pauperibus molesti; in Milvo insidijs utente fraudulenti. In Vulture, cujus est sequi exercitum ad cadavera occisorum comedenda, designabantur illi, qui hominum mortes ac seditiones affectabant, ut inde lucrentur: in animalibus autem Corvini generis illi, qui sunt voluptatibus denigrati, vel expertes boni affectionis: corvus enim semel emissus ab Arcâ non est reversus. De quibus plura videre licet apud Divum Thomam *cit. art. 6. ad 1.* ubi *circa finem* addit, ex volatilibus & quadrupedibus illa duntaxat fuisse Judæis concessa, quæ crura posteriora habent longiora, ut salire possint; ea verò, quæ terræ magis adhærent, fuisse prohibita; ut vel hinc significaretur, immundos reputandos esse, qui taliter abutuntur Doctrinâ Evangelistarum Quatuor, ut per
35. eam in altum non sublevent ur. Adhæc generaliter prohibitus erat Judæis Esus sangvinis, & adipis, nec non nervorum: tum quia in sangvine, adipe, & nervo intelligebatur crudelitas potentum, & voluptas ac fortitudo ad peccandum: tum quia *Gen. 32.* habetur, filios Israel non comedere nervos, eo quòd Angelus *tetigerit nervum femoris Iacob, & obstupuerit.*

36. Insuper erat specialiter probitum Judæis, ne coquerent hædum in lacte matris suæ. Cujus ratio figuralis ex præfato sancto Doctore *ad 4.* desumpta est. Quia præfigurabatur partim, quòd Christus, qui propter similitudinem carnis peccati erat hædus, non esset à Judæis occidendus in lacte Matris, id est in tempore infantiæ, partim quòd peccator veluti hædus non esset in lacte matris, id est blandimentis coquendus, seu deliniendus. Similiter *Levitici 19.* tale latum fuit præceptum. *Quando ingressi fueritis terram, & c. plantaveritis in eâ ligna pomifera auferetis præputia eorum,* id est prima germina; *& immunda erunt vobis, nec edetis ex eis.* Verùm adeò legis Poma quarti anni primum offerebantur, Deo tanquam primitiæ mundorum fructuum, quinto autem anno & deinceps comedebantur, cujus secundum Divum Thomam erat ratio figuralis. Quia per hoc significabatur, tum quod post tres status legis (quorum primus fuerat ab Abraham ad David, secundus usq; ad Transmigratione Babylonis, tertius usq; ad Christum) erat Christus Deo offeredus ceu fructus legis: tum quòd primordia nostrorum operum debeát nobis esse suspecta propter imperfectionem. 37. Pariter circa vestimeta erant Judæis certæ statutæ leges. *Levit. 19. Vestem, quæ ex duobus texta est, non indueris.* *Et Deut. 22. Non induetur mulier veste virili, & vir non induetur veste fæminea.* Et infra. *Non indueris vestimento, quod ex lanâ, linoque contextum est.* Ratio figuralis est ex sancto Thomâ *ad 6.* Tum quia in vestimento contexto ex lanâ & lino interdicitur Conjunctio simplicitatis ac Innocentiæ, quæ figurabatur per lanam, cum subtilitate ac malitiâ, quæ figurabatur per linum. Tum quia per hoc, quòd mulieri veste virili, ac viro veste fæmineâ non uti liceret, figurare prohibebatur, ne mulier usurparet sibi doctrinâ, vel alia officia virorum, neve vir inclinaret ad mollities mulierum.

Præterea fuit præceptum *Deut. 6.* ut Judæi ligarent præcepta Dei, quasi signum in manu suâ, scriberentque in limine ostiorum, & per angulos palliorum facerent fimbrias, in quibus ponerent vittas Hyacinthinas in memoriam mandatorum Dei. *Num. 15.* Cujus rationem Divus Thomas *ad 7.* deducit. Quia Dominus jussit, ut in quatuor angulis palliorum Hyacinthinas fimbrias facerent, ad dignoscendum populum Israel ab alijs populis. Unde per hoc Judæos se profitebantur, ac per hujus signi aspectum inducebantur in memoriam suæ legis. Quod autem erat dictum, ut ligarent præcepta in manu, essentque semper ante oculos ipsorum, Pharisæi male interpretabantur, scribentes in membranis Decalogum Moysi, ac ligantes in fronte quasi Coronam, ut ante oculos moveretur: cum tamen intentio Domini solùm fuerit, ut ligarentur in manu, id est in operatione, & essent ante oculos, id est in meditatione. In Hyacinthinis verò vittis, quæ inserebantur pallijs, significabatur cælestis intentio, quæ omnibus operibus nostris præfigenda est. 38.

Insuper præceptum erat *Deut. 22. Si ambulaveris per viam & inveneris nidum avis, non tenebis Matrem cum filijs.* & *Deut. 25. Non alligabis os bovis triturantis.* Et *Levit. 19. Iumenta tua non facies coire cum alterius generis animalibus.* Cujus ratio figuralis ex præcitato Doctore *ad 8.* desumpta est. Quia per hoc, quòd Matrem cum Filijs tenere non deberent Judæi, significabatur, in quibusdam sacris textibus dimittendam esse literalem observantiam quasi Matrem, ac retinendos esse sensus spirituales quasi filios, sicut in omnibus legis Mosaicæ cæremonijs in lege Evangelicâ jam abolitis. Bovi autem trituranti os claudendum non erat, ad significandum, quòd Prædicatoribus 39.

 deberen-

deferenti segetes Doctrinæ, non sint necessaria victûs subtrahenda, uti habet Apostolus 1. *Corinth.* 9. Prohibebatur etiam coitus animalium diversi generis, ad significandum populares homines Christianos non debere societatem & conjunctione habere cū infidelibus Judæis ac gentilibus.

40. A simili ratione prohibebatur *Levit.* 19. *Agrum non seres diverso semine, & non arabis in bove & asino.* Quarum ratio figuralis ubi supra *ad* 9 explicata est. Quia Ecclesiæ ager nec alienæ doctrinæ semine, nec diversis Hæreticorum & Heterodoxorum Dogmatum seminibus est seminanda, nec etiam arandum est simul in bove & asino; quia in prædicatione non est allegandus fatuus, ne unus impediat alium.

41. Denique summo sacerdoti, qui semper debebat esse paratus ad ministerium Sanctuarii, prohibebatur totaliter accessus ad mortuos quantumcunque propinquos, cum reliquis tamen sacerdotibus id permissum duntaxat fuerit in mortibus valdè propinquorum, scilicet patris
42. & Matris & similium. Præceptum etiam erat sacerdotibus Antiqui Testamenti, ne ducerent uxorum meretricem ac repudiatam, sed virginem duntaxat. Neve raderent caput, neque barbam, nec in carnibus suis facerent incisuram. Cujus equidem ratio litteralis erat ad removendum Idololatriæ cultum, dum sacerdotes gentiles illis ritibus ad cultum Idololatricum usi fuerant: attamen figuralis liberat ratio, ut significaretur: tum quòd sacerdotes debeant omnino esse immunes ab operibus mortuis peccati: tum quòd puritas Conjugij erga Ecclesiam sponsam suam virginem sit tenenda, tum quòd neque sapientiam ceu caput, neque sapientiæ perfectionem ceu barbam, radere seu deponere debeant: tum quod cavere ipsos oporteat, ne scissuras vestium, aut incisionem carnis, vitium schismatis incurrendo, alii faciant.

CONCLUSIO IV.

43. PRæceptorum quoque Judicialium quadruplex genus extiterat: primum erat eorum, quibus constituebatur certus ordo inter Principem & populum. Secundum inter ipsos populares constituebat certum ordinem. Tertium inter populum & extraneos. Quartum inter Domesticos ejusdem familiæ, ut inter Maritum & uxorem, parentes ac filios, Dominum ac servum. ex Sancto Thomâ *præs. q.* 104. *art.* 4.

Probatur. *Primo* enim dantur quædam præcepta de institutione principum, & officio eorum, nec non de reverentiâ eis exhibendâ. At in populo Israëlitico erat Principatus institutus secundum genus tam Monarchicum, quam Aristocraticum & aliquo modo etiam Democraticum, uti Divus Thomas *q.* 105. *a.* 1. advertit.
44. Etenim Moyses & ejus successores gubernabant populum quasi singulariter, omnibus principantes. Hoc autem erat quædam species regni, seu Monarchiæ. Deinde eligebantur septuaginta duo seniores secundum virtutem, juxta illud *Deut.* 1. *Tulide vobis viros sapientes & nobiles, & constitui eos Principes.* Et *Deut.* 16. *Iudices & Magistros constitues in omnibus portis tuis, ut judicent populum justo judicio.* Hoc autem regimen erat Aristocraticum. Intervenerat etiam aliquid de regimine Democratico, quod isti viri sapientes eligerentur de populo, imo ipsemet populus ipsos eligeret, juxta illud *Deut.* 1. *Date ex vobis viros sapientes.* Denique provisum erat *Deut.* 17. qualiter se habere deberet Rex, si populus Israeliticus Regem sibi constituere vellet. Quibus a- 45.
deo taliter constitutis, Deus quoque instituit Judicium inter Israëlitas Judæos ordinem *Deut.* 1. *Quod justum est judicate, sive Civis ille sit, sive peregrinus, nulla erit personarum distinctio.* Ad cujus proinde Justitiæ conservationem Deus prohibuit Judicibus acceptationem munerum. *Exodi* 23. & instituit etiam certas pœnas, easque diversas, *pœnam quidem mortis* adversus illos, qui contra Deum peccassent, seu homicidium, furtum hominis, irreverentiam adversus parentes, adulterium & incestum commisissent. *Pœnam* verò *Damni* in furtis aliarum rerum; *pœnam Talionis* in percussuris & mutilationibus, & in peccato falsi Testimonij: pro alijs autem minoribus culpis *pœnam flagellationis, vel ignominiæ.* uti patet pas- 46.
sim ex *Levit.* & *Deut.* *Secundo* extabant etiam præcepta pertinentia ad Concives populi Israëlitici inter se coordinatos. Hinc enim erat facta divisio possessionum, juxta illud *Num.* 34. *Ecce dedi vobis terram in possessionem, quam sorte dividetis.* Quia verò per possessionum inæqualitatem, teste *Arist.* 2. *Polit. cap.* 7. plures Civitates destruuntur, ideò circa possessiones triplex adhibebatur remedium, unum 41. *Num.* expressum hisce verbis: *Pluribus dabitis latiorem, & paucioribus angustiorem.* Alte- 47.
rum in eo se tenebat, ne possessiones in perpetuum alienarentur, sed certo, Jubilæi scilicet tempore reverterentur ad suos possessores, & sic possessionum sortes non confunderentur *Levit.* 25. Postremum denique ad possessionum confusionem tollendam erat remedium, quo præscribebatur modus successionis, ita ut primo gradu Filius, secundo filia, tertio Fratres, quarto patrui, quinto quicumque propinqui succederent in hæreditate, specialiter insuper ad sortium distinctionem servandam erat statutum, ut mulieres, quæ essent Hæredes, suæ tribûs hominibus nuberent. *Num.* 36.

Deinde pro isto concivium convictu sua- 48.
viter servando constitutum erat, ut esset quædam Communicatio beneficiorum. Hinc enim *Deut.* 22. præceptum erat. *Non videbis bovem & ovem fratris tui errantem, & præteribis, sed reduces fratri tuo, & similiter de alijs.* Concedebatur etiam, ut, si quis ingressus esset vineam amici, licitè comedere posset, dum tamen ad extra non deferret, ac specialiter de pauperibus erat provisum, ut eis relinquerentur manipuli obliti, & fructus, atque racemi remanentes. *Levit.* 19. & *Deut.* 24. Communia etiam erant, quæ nascebantur in septimo anno. *Exod.* 23. & *Levit.* 25. Denique circa contractus Venditionis, Emptionis, Mutui, Locationis, Conductionis & Depositi specialiter ac sufficienter provisum fuisse, constat ex præallegatis sacræ scripturæ libris.

Tertio extiterant in lege Veteri etiam præ- 49.
cepta, quibus Judæi ordinabantur ad Peregrinos. Hæc enim ordinatio est partim secundum pacificam quandam, partim secundùm Hostilem cum extraneis communicationem.

Et qui-

Et quidem circa [illegible] statutum. *Advenam non contristabis, Exod. 22. neque fœneratur molestus non eris.* Circa [illegible] vero communicationem *Deut. 20.* mandavit Deus Israëlitis, quòd, cùm accederent ad expugnandam Civitatem, offerrent ei primò pacem, ubi tamen bellum cœptum erat, id fortiter prosequerentur, habentes de Deo fiduciam. Quò vero istud melius procederet, cautum erat, ut sacerdos, imminente prælio, ipsos confortaret, Dei auxilium promittendo: domumque remitterentur, qui possent impedimenta præstare, tandemque victoria moderate uterentur, parcendo mulieribus & parvulis, ac regionis ligna [illegible] non incidendo.

50\. Quartò denique fuerunt divinitus factæ ordinationes nonnullæ, quibus Domestici ejusdem familiæ bene inter se coordinarentur. Hinc erga servos erat præceptum, ut [illegible] modeste tractarent, neve [illegible] laboribus eos affligerent, imposita etiam pœnâ mutilantibus servorum, ut ipsos liberos dimitterent. Mandatum insuper erat, ut, qui erant ex populo Dei, septimo anno liberi dimitterentur cum omnibus, quæ apportaverunt, etiam vestimentis, imò concesso etiam viatico. *Exod. 21. Deut. 15.*

51\. Deinde quoad uxores statutum erat, ut Judæi ducerent uxores suæ tribûs, ne scilicet Tribuum sortes confunderentur. Mandatum etiam erat *Deut. 25.* ut quis in uxorem duceret uxorem fratris defuncti sine liberis, ut ille, qui non potuit habere successores secundum carnis originem, saltem haberet per quandam adoptionem, & memoria defuncti non totaliter deleretur.

52\. Prohibitum quoque fuit, ne propter periculum seductionis in uxores ducerentur alienigenæ. Cautum insuper erat, ne uxores leviter infamarentur, ita ut juberetur *Deut. 22.* puniri, qui uxori falsum crimen imposuisset. Et hinc ne durius affligeretur uxor, quam quis odisset, statutum erat, ut scripto libello repudij, eam [illegible], *Deut. 24.*

53\. Denique [illegible] erga filios erat præceptum [illegible] in fide ac Religione, [illegible]. *Cum dixerint vobis filij [illegible] : Victima transitus Domini est.* Tum in moribus, ita ut contumax ac protervus esset à parente tradendus ad portam Judicij, dicendo: *Monita nostra audire contemnit, [illegible] vacat, & luxuriæ, atque conviviis. Deut. 21.*

CONTROVERSIA III.

Qualiter leges Veteris Testamenti sint abrogatæ?

1\. SAnctus Hieronymus in *Epist. Fratres omnes. & in Epist. Petro reprob.* circa legalium observantiam duo duntaxat distinguebat tempora: unum ante passionem Christi, in quo legalia [illegible] non erant taliter mortua, ut non haberent [illegible] obligatoriam, & pro suo modo [illegible]. Alterum proximè tempus incepisse, ajebat, statim post Passionem Christi, ita ut tunc legalia non tantùm essent mortua, id est non haberent virtutem & obligationem, sed etiam mortifera, adeò, ut peccarent mortaliter, qui ea observarent. Unde Apostolos inquiebat citatus Sanctus Ecclesiæ Doctor, nunquam legalia post passionem observasse secundùm veritatem, sed piâ duntaxat simulatione, ne scilicet scandalizarent Judæos, eorumque impedirent conversionem. Quam tamen simulationem non esse taliter intelligendam, quasi Apostoli non fecissent actus secundùm rei veritatem, sed quia eos non fecerint, tanquam observantes Cæremoniarum legis.

Verùm Sanctus Thomas *præs. q. 103. art. 4. ad 1.* arbitratur, dedecuisse Apostolos, ut, quæ ad veritatem vitæ ac Doctrinæ pertinent, propter scandalum dicantur occultasse, usosque fuisse simulatione in his, quæ ad salutem fidelium pertinent. Unde mavult, Sanctum Augustinum *Epist. ad Hieron. 19.* convenientius tria tempora distinxisse. Primum quidem ante Christi passionem, in quo legalia neque erant mortua, neque mortifera: Secundum à passione Christi usque ad divulgationem Evangelij, in quo legalia fuerunt quidem mortua, ità ut nullam ampliùs haberent vim obligandi, non tamen fuerint mortifera. 2.

Tertium denique à tempore divulgati Evangelij, in quo legalia fuerint mortua & mortifera.

Fundamentum illius intermedij temporis est. Tum quia pro illo tempore poterant Judæi, qui conversi erant ad Christum, legalia licitè observare, dummodò non sic ponerent in eis spem, ut ea reputarent sibi necessaria ad salutem, quasi sine legalibus fides Christi justificare non posset. Et hinc Paulus Timotheum, qui ex matre Judæa genitus erat, circumcidit. Econtra vero quia his, qui ex gentilitate conversi fuerant ad Christum, nulla observandi legalia inerat causa, ideò Titum ex Gentilibus genitum noluit circumcidere. Tum quia Spiritus Sanctus ideo noluit his, qui ex Judæis convertebantur ad Christum, statim à tempore Passionis Christi inhibere observationem legalium, sicut econtra ritus Gentilitatis ex hac conversis statim erat prohibitus; ut hac ratione significaretur, Gentilitatis Ritus repudiari tanquam omninò illicitos, & à Deo semper prohibitos, cum econtrario ritus legis cessaret tanquàm impletus per Passionem Christi, utpote à Deo in figuram Christi institutus. 3.

Fundamentum tertij à tempore divulgati Evangelij prohibitionem legalium subinferentis asserti ex Doctore Angelico *cit. art. 4. in Corp.* desumptum est. Quia omnes Cæremoniæ sunt quædam protestationes fidei, in qua consistit interior Dei cultus. At sicut verbis, sic & factis potest homo internam fidem protestari. In utrâque autem protestatione, si homo falsum aliquid protestetur, peccat mortaliter. At licet eadem sit fides, quam habemus de Christo, & quam habuerunt Patres antiqui, attamen quia ipsi præcesserunt Christum, nos autem sequimur; ideirco fides [illegible] eadem, diversis verbis significatur, nam ab Antiquis dicebatur: *Ecce Virgo concipiet & pariet filium*: quæ verba sunt futuri temporis: nos autem idem repræsentamus per verba præsentis temporis, 4.

dicentes;

dicentes: *Quòd conceperit ac pepererit.* Unde legis quoque Cæremoniæ significabant Christum ut nasciturum, & passurum: nostra autem Sacramenta significant ipsum, ut natum & passum. Sicut igitur peccaret mortaliter, qui nunc suam fidem protestando, diceret Christum nasciturum, quod antiqui tamen piè ac veraciter dicebant: sic peccaret etiam mortaliter, si quis nunc Cæremonias observaret, quas Antiqui piè ac fideliter observabant. In quem proindè sensum Divus Augustinus *contra Faustum lib. 19.* ait; *Iam non promittitur nasciturus, passurus, resurrecturus, quod illa Sacramenta quodammodo personabant; sed annuntiatur, quod Natus sit, resurrexerit, quod hæc Sacramenta, quæ à Christianis aguntur, jam personant.*

5. Idem Doctor Angelicus *q. 104. art. 3.* tenet; Judicialia legis veteris præcepta non ad instar Cæremonialium esse post Evangelium promulgatum mortifera, sed mortua duntaxat. Fundamentum est. Quia Cæremonialia Præcepta erant figuralia *primo*, ac *per se*, tanquàm instituta *principaliter* ad figuranda Christi Mysteria ut futura. Unde ipsorum observatio præjudicat nunc fidei veritati, secundùm quam confitemur, illa Mysteria esse completa. Econtra Judicialia non erant instituta ad figurandum, sed ad disponendum statum illius Populi, qui ordinabatur ad Christum. Unde mutato illius Populi statu, judicialia Præcepta suam quidem obligationem amiserunt, cum lex fuerit Pædagogus ducens ad Christum, *ad Galat. 3.* Nihilominus quia Judicialia ejusmodi non ordinabantur ad figurandum, sed ad aliquid faciendum, ideò ipsorum observatio absolutè non præjudicat fidei veritati, sed intentio observandi tanquam ex obligatione legis, quia per hoc haberetur, ac si status prioris Populi adhuc duraret, & Christus nondum venisset. Quare si Princeps aliquis ordinaret, in suo Regno illa Judicialia observari, non peccaret, nisi fortè hoc modo observarentur, vel observari mandarentur, tanquam habentia vim obligandi ex veteris legis institutione.

CONCLUSIO I.

6. HOc discriminis est inter Moralia, Cæremonialia, & Judicialia veteris legis præcepta, ut moralia quoad substantiam* sint mortua, & à tempore Evangelij promulgati etiam mortifera: Judicialia verò sint quoad substantiam mortua, non autem mortifera.

* adhuc vigeant, Cæremonialia verò quoad substantiam

Probatur. Quia substantia in moralibus Decalogi Præceptis est juris naturalis, nec nisi quoad aliquam Cultûs scilicet Divini per Diei Sabbatini observantiam specialiter exhibendi circumstantiam, continebat aliquid Cæremoniale, legi veteri proprium. Quamvis ergò Decalogi Præceptum quoad istam Circumstantiam cessarit, manet tamen in suâ substantiâ de Cultu aliquo publico erga Deum in Ecclesiâ exhibendo.

7. Deinde substantia in Cæremonialibus veteris legis Præceptis erat significatio Christi venturi, seu passuri, ac resurrecturi protestativa. Hæc verò per Mysteriorum ejusmodi adimpletionem eatenus est evacuata, ut nullum Cæremonialium amplius jam significaret aliquid Fidei veritati contrarium. Hæc ipsa enim evacuatio & Figuræ in statum veritatis translatio à tempore Evangelij promulgati, universo jam orbi eatenus est publicata, ut consequenter illa falsitas significationis nemini jam possit per se loquendo latere. Ergo ipsa Cæremonialium veteris legis substantia à tempore promulgati Evangelij eatenus est evacuata, ut earumdem etiam observantia sit per se loquendo mortifera.

8. Denique Præceptorum Judicialium substantia consistebat in vi Directiva & obligatoriâ actuum, quatenus sub illis fiebat bona convictûs publici in Judæis coordinatio. Hæc autem connexa erat statui Populi ad Christum *figuratè* ordinati. Unde hoc statu per veritatem legis Evangelicæ cessante, consequenter cessavit etiam obligatio Præceptorum. Nihilominùs tamen tota illa ad Bonum commune ordinabilitatis formalitas est in sua substantia adhuc intelligibilis tanquam *moraliter* bona. Ergo ex cessatione legis veteris non est facta mortifera, quin Princeps sub ipsamet talium Præceptorum substantiâ posset materiam lege Judiciali Mosaicâ olim præceptam suâ Authoritate præcipere. Quare *quoad Circumstantiam* duntaxat *figuralis* in Christum venturum *ordinabilitatis*, ex parte Populi, cui præcepta illa fuerunt lata se tenentem, non verò *quoad ipsammet* materiæ præceptæ etiam *formaliter* spectatæ, *substantiam* possunt pro statu Evangelicæ veritatis Judicialia veteris legis præcepta esse mortifera.

9. Dices. Sicuti Judicialia veteris legis Præcepta non quidem sub formalitate figurativæ in Christum venturum ordinabilitatis, sed sub substantiâ actûs ad Bonum publicum conducibilis, authoritate alicujus Principis possunt præcipi, sic sublatâ illâ præfiguratione in Christum venturum ordinabilitatis significatione, posse sub legem humanam cadere materiam Cæremonialium veteris legis præceptorum. Probatur istud assumptum.

10. Tum quia *Actorum 15.* leguntur Apostoli post Christi mortem imperasse fidelibus, ut abstinerent à suffocatis, quæ tamen olim erat Cæremonia legalis. Tum quia in Decreto Gratiani *dist. 30. cap. 13.* legitur, simile præceptum fuisse in Synodo Tangrensi reiteratum. Et apud Baronium. *to. 9. ad annum Christi 801. n. 18.* Item *to. 10. ad annum Christi 845. n. 38.* legitur; quædam mediante Carolo Magno, & Ludovico Pio statuta, & à summo Pontifice approbata fuisse Capitula, quibus statuebatur observatio quorundam legalium: ne v. g. quis gerat vestem ex lanâ & lino contextam, nevè quis invento nido Matrem simul cum pullis detineret; nevè vineam sereret diverso semine, nevè araret in bove & asino. At verò istorum statutorum non aliam fuisse rationem, nisi quòd Judæi & Saraceni, quorum ingens turba tunc extiterat in Germaniâ, Galliâ, & Hispaniâ, faciliùs ad Christianam fidem converterentur, & conversi constantius in eâ persisterent, dum ipsis indulgerentur aliquæ de Mosaicâ lege observantiæ Cæremoniales. Consequens proindè videtur, Judicialia non magis, quam Cæremonialia posse in aliquo Regno authoritate Principis vel Politici, vel Ecclesiastici institui.

Contra.

11. Contra. Nam aliter consideranda est materia legis *materialiter*, aliter autem *formaliter* spectata, sub illâ nimirum formalitate, sub quâ *primò* ac *per se* cadit sub legem. At in Praeceptis Cæremonialibus formalitas, sub quâ materia præcepta erat capax obligationis, fuit præfigurativa Christi venturi, ejusque Mysteriorum significatio, in præceptis autem Judicialibus legis Veteris *primo* ac *per se* intendebatur status politici in Bonum publicum ordinabilitas, Christi venturi significatione præfigurativâ se habente ad materiam legis *solum secundariò* & *concomitanter* ex parte subiecti, seu Populi, cui lex illa data fuit; non verò ex parte illius materiæ quà præceptæ. Quia ergò veritate legis Evangelicæ umbris, ac figuris Mosaicis succedente, evacuata, imò mortifera facta est præfigurativa Christi quà venturi seu passuri significatio, non autem in Bonum Publicum congrua Judicialibus legis Mosaicæ præceptis *per se primo* intenta ordinabilitas, idcircò possunt quidem Cæremonialia Veteris legis præcepta *pure materialiter*, non autem *formaliter*, nec adeò *quoad substantiam* spectata initiui Authoritate Principis vel politici, vel Ecclesiastici, attamen præcepta Judicialia *formaliter quoad substantiam*, non autem *quoad illam* præfigurativæ significationis *circumstantiam*, possunt humanâ legislativâ potestate obtinere vim legis & obligationis, uti eleganter probat Divi Thomæ argumentum *supra* deductum.

Conclusio II.

12. Inter Passionis Christi, ac promulgati Evangelij tempora adstrui debet tempus intermedium, in quo Cæremonialia legis Mosaicę pręcepta erant quidem mortua, needum tamen mortifera.

Probatur. Quia veritate Mysteriorum Christi succedente umbris ac figuris futurorum, eo ipso quidem resultabat præceptum sub radicali quadam obligatione abstinendi à præfigurativâ, utpote fidei veritati repugnante mysteriorum Christi significatione. At legis latæ obligatio quasi radicalis non reducitur in formalem obligationem, seu vim actualiter obligatoriam, nisi ab illo instanti, in quo legis ejusmodi sufficiens facta est promulgatio. Eo ipso autem, quòd Christi per Veterem legem præfigurata Mysteria fuerint quidem jam instituta, ac per mortem Christi confirmata, non tamen sufficienter promulgata, sequitur, quod neque veteris legis abrogatæ fuerit pro tunc statim sufficiens facta promulgatio: siquidem figuræ seu umbræ alicujus evacuatio non prius innotescere possit, quam habeatur notitia succedentis veritatis: neque Mysteriorum Christi veritas per scientiam publicam obligationis præceptivæ de se inductivam haberi possit, priusquàm ejus fiat competens promulgatio publica. Cum igitur veteris legis abrogatio quoad vim abillâ se abstinendi obligatoriam, non prius tenere potuerit, quàm lex Evangelica fuit promulgata, hæc verò promulgatio non statim à tempore passionis Christi facta fuerit, *uti sequen. contr. ducetur*, consequens est oportere, inter Passionem Christi ac Evangelium promulgatum statuere tempus aliquod intermedium, in quo Lex Mosaica eatenus erat mortua, ut needum tamen esset mortifera.

CONTROVERSIA IV.

A quo tempore inceperit Lex Evangelica?

Nonnulli olim arbitrati sunt: Legem Evangelicam ante mortem Christi obligare incepisse saltem ad ea, quæ tunc Christus instituerat v. g. quoad Baptismum. Fundamentum est. Quia hunc ut necessarium jam proposuerat dicens: *Nisi quis renatus fuerit ex Aquâ & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum cælorum.* Unde Divus Augustinus *lib. 1. de orig. animæ cap. 9.* ait, *Ex quo illud à Christo dictum est, nemo fit membrum Christi sine Baptismo aquæ, vel Sanguinis.* 1.

Alij existimabant, Legem novam incepisse obligare in puncto mortis Christi. Fundamentum est. Quia tunc fuit Testamentum novum consummatum, ac plenè confirmatum. *ad Heb. 9.* At quodlibet statutum sufficienter consummatum statim obligat, & Testamentum morte confirmatum statim inducit obligationem, quam de se potest inducere. Ergo Testamentum novum in puncto mortis Christi habuit vim obligandi, & consequenter statim obligare incepit, maximè cùm lex vetus tunc mortua fuerit, cui successit Evangelica. Unde Divus quoque Thomas *in 4. dist. 2. q. 1. art. 4. quæstiunc. 3.* dicit; Sacramenta Legis novæ quoad utilitatem diversis temporibus fuisse instituta, quoad necessitatem verò omnia simul in passione. 2.

Suarez *lib. 10. de Legib. cap. 4. à n. 12.* existimat, *primò* legem novam non prius incepisse obligare, quam in Pentecostes. *Secundo*, ex hoc tamen die non simul obligasse Judæos existentes, sed incepisse tunc obligare, & postea successu temporis obligationem fuisse diffusam per totam Judæam, Samariam, & alias Provincias. *Tertio*, ex illo primum tempore, quo facta est Petro revelatio *Act. 10.* descripta, cæpisse per hanc legem obligari, non tamen fuisse statim obligatum totum terrarum orbem, sed successivè, prout Evangelium promulgabatur. Fundamentum primi est. Quia Christus recessurus ex hoc Mundo dixit Apostolis: *Euntes docete omnes Gentes, prædicate Evangelium omni Creaturæ.* At hoc ipsum Tempus prædicandi, seu promulgandi Evangelium ex singulari Divinâ revelatione erat reservatum in Diem Pentecostes, veluti colligitur ex illis Christi verbis. *Sedete in Civitate, donec induamini virtute ex alto.* Ergo solennis Legis Evangelicæ promulgatio, & consequenter ex hac necessario dependens obligatio primum incepit in die Pentecostes, ubi, cùm ad prædicationem Petri quidam compuncti corde interrogarent, *quid faciemus viri fratres. Act. 2.* Respondit Petrus, *pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum in Nomine JESU in remissionem peccatorum vestrorum.* Fundamentum secundi est, Quamvis enim promulgatio Novæ Legis Hyerosolimæ facta in die Pentecostes fuerit sufficiens 3. 4. 5.

ciens pro illo loco, non tamen pro omnibus, in quibus Judæi habitabant: Vel certè, licet in promulgationis ratione dicatur sufficiens simpliciter. Nihilominùs non potuit habere virtutem ad promulgandum statim in loca dissita, cùm non potuerit simul humano modo ad omnia deferri & applicari. Necessarium igitur fuit tempus, ut obligatio successive diffunderetur.

6. Fundamentum tertij est. Quamvis enim Apostoli scirent, legem gratiæ esse universalem pro omnibus etiam Gentibus. Christus enim dixerat ipsis: *Euntes docete omnes gentes, Baptizantes eos &c.* Nihilominus ex Divinâ ordinatione noverant statutum, ut Evangelium *primo* Judæis, *secundò* Samariæ, & *ultimo* tandem *loco* Gentibus prædicarent. Hinc enim Paulus & Barnabas dixerant Judæis *Act. 13. Vobis oportebat primum loqui verbum Dei, sed quoniam repellitis illud, & indignos vos judicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes, sic enim præcepit nobis Dominus, posui te in lucem gentium.* Unde etiam *Act. 1.* refertur verbum Christi. *Eritis mihi testes in Hierusalem, & in omni Judæâ, & Samariâ usque ad ultimum terræ.* Ex quo adeò patet, prædicationem Evangelij ex ordinatione Divinâ fieri debuisse quodam ordine, ita ut primùm fieret in Judæâ, deinde in Samariâ, ac denique in gentibus. Hujus igitur Divinæ de Evangelio gentibus prædicando ordinationis tempus Petro fuit revelatum, *Act. 10.* Ex hoc igitur tempore cæpit Gentibus primùm fieri Evangelicæ legis promulgatio, non quidem simul per omnes nationes, sed successivè. Cum igitur promulgatio sit de substantiâ Legis, vel hujus obligationis, consequenter ab illo primum tempore, quo illa revelatio *Act. 10.* fuit Petro facta, incepit Evangelium gentes obligare, fuitque deinceps successu temporis hæc obligatio in totum terrarum orbem diffusa.

CONCLUSIO I.

PRo Legis Christi obligatione inchoanda, non potest statui unum indivisibile tempus, sed pro diversitate præceptorum ad istam legem spectantium diversa obligationis inceptæ sunt constituenda tempora.

7. Probatur. Nam Lex Christi seu gratiæ importat quandam præceptorum gratiam ex Christi meritis dandam respicientium, & à tempore Lapsûs Adami in Ecclesiâ continuatorum universitatem. In hâc proinde collectione seu universitate semper extabat præceptũ fidei ac pœnitentiæ, ita ut per Divinam revelationem, ac exinde secutam traditionem istæ leges semper vigerent in hominibus. Illud ipsum vero fidei præceptum, licet quoad essentiam ex unitate Motivi formalis semper esset unum, ex parte tamen objectorum materialium, seu rerum credendarum diversis successu temporis admittebat extensiones. Quare tum illud fidei præceptum, tum pœnitentiæ, ac Dilectionis Divinæ lex per internam ex Christi meritis collatam illustrationem statim à tempore lapsûs Adami vigebat in cordibus hominum. Et quidem

8. quoad unius Dei & Christi venturi Mysteria facta est ab illo statim tempore sufficiens promulgatio, actualem credendi obligationem inferens; At quoad alia Mysteria successu temporis per Patriarchas & Prophetas, novissimè autem per filium Dei revelata, successu temporis fuerunt in Ecclesiâ quædam incrementa, quorum adeò non privata duntaxat, sed publica universalem quendam Ecclesiæ statum comprehendens obligatio ex tunc incipiebat, quando sufficiens credibilitatis evidentia per signa seu miracula exhibebatur. Unde Lex fidei adredendum Christum Filium Dei, aliaque per ipsum revelata mysteria, actualiter obligabat ante Christi Passionem, quam primùm Mysteriorum ejusmodi revelatio Divina per signa & miracula Christi patefacta fuit.

Deinde sub illam præceptorum ad Christi seu gratiæ legem spectantium universitatem reduci quoque debet remedium legis Naturæ. Sicuti moralia quoque Decalogi præcepta, qua sub gratiæ viribus ad gloriam promerendam conducibilia. Etsi enim leges ejusmodi non descenderint ex Christo homine qua legislatore, attamen sub alicujus ad gratiam & gloriam conducibilitatis formalitate respiciebant Christum, qua mediante sanguinis sui pretio Humani generis Redemptorem & sanctificatorem, & glorificatorem. Sub quo proinde ordine illa in statu etiam Naturæ, nec non & legis scriptæ Mosaicæ continuata, ad legem Christi novam ut sic spectantia præcepta habebant suam vim statim à tempore lapsûs Adami, utpote cui tanquam Humani generis principi in redemptionem peccatorum eatenus erat Christus subrogatus, ut ista subrogatio Divina quamprimum facta revelatione innotesceret etiam primo Parenti, & per hujus traditionem ejus posteris. Vi cujus adeo promulgationis illud legis Naturæ remedium omni tempore per se loquendo obligabat parentes, ut illud filijs suis applicarent.

Denique si Lex Evangelica *strictè* sumatur non pro totâ illâ præceptorum gratiam, per Christum reparatam respicientium collectione, sed pro legum Ecclesiæ statum in sacrificij Eucharistici, ac Novæ legis sacramentorum institutione consummatum universitate, tunc diversa sunt quidem tempora institutionis: siquidem Baptismum longè ante passionem, Eucharistiam verò morti proximus, pœnitentiæ verò Sacramentum post resurrectionem primum instituerit. Ex vi cujus adeò institutionis ab illo statim tempore habebant vim gratiæ *ex opere operato* causatricem: attamen quoad obligationem non videntur tenuisse ante solennem in die Pentecostes à Petro Apostolorum Principe factam promulgationem. 10.

Probatur istud subsumptum. Nam Deus etiam in suis legibus Ecclesiæ suæ Sanctæ, seu hujus statui alicui ferendis eum servat morem, ut obligationem eorum velit oriri ex promulgatione quâdam solenni, ut patet ex lege veteri Mosaica, quæ ut videre est *Exodi 19.* maxima cum solennitate fuit divinitus promulgata Israelitico populo. At vero Apostoli ante diem Pentecostes ita se continebant intra parietes, utpote ex Christi Domini præcepto jussi sedere in Civitate, quoadusque induerentur virtute ex alto: Ut in ipso tamen Pentecostes die Spiritu Sancto de Cœlis misso, excitatus Petrus Evangelicæ Legis faceret publicam promulgationem. 11.

circa Trinitatis & Incarnationis fidem explicitam positivo præcepto seposito, difficile videtur comprehensu, qualiter Mysteria ejusmodi non tantùm *quoad specificationem*, sed *quoad* actualis fidei assensûs *Exercitium* sint de necessitate præcepti. At re verâ oportet in lege Euangelicâ adstruere obligationem fidei circa illa Mysteria, non tantùm *Specificationis*, ita ut non liceat illis dissentire, sed etiam *Exercitij*, ita ut teneamur actualem
10. fidei assensum de illis *Explicitè* habere. Deinde sicuti de Deo quà Trino, sic de Deo etiam quà Omnipotente, Sapiente, Bono &c. habemus expressam revelationem. At ex naturâ istius de singulis Divinis attributis revelationis non resultat obligatio *Exercitij*, sed *Specificationis* duntaxat, in ordine ad amorem circa illa attributa habendum. Nisi ergo Positivum Divinum præceptum de tribus Divinis Personis *Explicitè* amandis extet, non videtur qualiter hujus *quoad Exercitium* possit esse obligatio.

11. Denique licet ex Divinis nostræ salutis non nisi per Christum, ejusque Sacramenta obtinendæ, promissionibus resultet obligatio spei *quoad specificationem*, obligatio tamen *quoad positivum* actuù spei formandæ rum *exercitium actuale* secundùm ipsam rei Naturam, sub talibus promissionibus habendum *explicitè*, vix evincitur ex præcisâ rei Naturâ, nisi accedat Dei voluntas authoritativa per positivum præceptum insinuata. Quæ proinde hîc paucis disputationis gratiâ volumus insinuata, singula quæque suis locis singillatim discussuri.

CONCLUSIO II.

12. IN lege Evangelicâ specialiter extat præceptum Divinum, tum transcédens de omnibus actionibus nostris moralibus in Gloriam Dei referendis, tum specificum, de quibuslibet interioribus virtutum præsertim Theologalium, nec non pœnitentiæ actibus quandoque eliciendis in suâ essentiali ratione *Formaliter* importantibus rectitudinem moralem supernaturalem.

Probatur. Nam licèt de operibus morali-
13. bus non nisi sub virtuali saltem in Dei Gloriam ordinabilitate eliciendis præceptum sit naturale, homini eatenus congenitum, ut in puræ etiam Naturæ, imò & Naturæ lapsæ per Christum non reparatæ statu esset obligatorium: attamen istius præcepti observantia ex actuali, naturali tamen gratiâ Dei dependens eatenus jam subest Christo Humani generis Redemptori, quatenus nulla etiam naturalis ordinis gratia jam datur nisi per Christum. Ex hoc igitur respectu Christus præceptum illud naturale sui quoque Juris fecit, adeo ut in sancto Evangelio suo id singulariter voluerit expressum.

14. Tum quia in lege Evangelicâ, prout *virtualiter* se extendebat ad omnem Ecclesiæ, à tempore lapsus Adami secundum divinæ præfinitionis ordinationem, non nisi per Christum subsistentis statum, semper extabant Divina præcepta fidei, Spei, Charitatis, ac pœnitentiæ etiam supernaturalis. At sicuti istarum virtutum supernaturales actus *Essentialiter* importabant Bonitatem moralem, quam impossibile est subsistere cum aliquâ malitiei commixtione & coinquinatione: sic illorum præceptorum observantia stare non poterat nisi sub specificis illarum virtutum modis essentialibus.

Tum quia in moderno Evangelicæ legis jam 15.
Ultimatè per Christum consummatæ statu, omnia illa supernaturalia præcepta sunt elevata ad modum quendā altiorem, ex majore ad plura Divina Mysteria revelata *Explicitè* jam credenda, & debito amore ac honore prosequenda extensione resultantem. Hæc autem major extensio sub actibus fidei, spei, & Charitatis subsistens, puram omnimodæ malitiæ moralis à se *Formaliter* exclusivam supernaturalem Honestatem *Essentialiter* importat. Constat igitur, sub lege Evangelicâ partim quà *virtualiter* ad omnem Ecclesiæ post Adami lapsum ex Christi meritis unicè restauratæ statum se extendente, partim quà Ecclesiæ à Christi morte *Ultimatè* consummatum statum importante, stare obligationem non tantùm transcendentalem de omnibus moralibus operibus in Dei Gloriam referendis, sed specificam de supernaturalibus virtutum præsertim Theologalium, actibus non nisi sub formali suo specifico virtutis modo operabilibus, quandoque eliciendis.

❊❊❊❊❊❊❊❊❊❊❊❊❊❊❊❊❊❊

CONTROVERSIA VI.

An Ius Divinum possit à Papâ dispensari?

AFfirmant quàmplures Canonistæ, spe- 1.
ciatim Abbas *in Cap. Proposuit. n. 20. de concess. præbend.* Felinus *in Cap. Ecclesiarum. n. 19. & 20. de Constit.* Decius *ibi n. 13.* & alij, quos refert ac sequitur Thomas Sanchez *lib. 8. de Matrim. disp. 6. n. 5.* Fundamentum desumi potest ex illis verbis Christi Domini *Math. 16. Quodcunque solveris super terram, erit solutum & in Cælis.* Ex his enim verbis colligimus, Papæ esse facultatem ac potestatem dispensandi in Juramentis & votis & in Matrimonio Rato. Et hinc in talibus relaxationibus Pontifex utitur verbo dispensandi, quo manifestè insinuatur, non per solam declarationem, sed per dispensationem tolli vincula ejusmodi. Similiter spirituale Matrimonium inter Episcopum & Ecclesiam suam sponsam esse Juris Divini, authoritate tamen pontificiâ relaxabile, seu dispensabile, constat *ex Cap. inter Corporalia. De Translat. Episc.* At Pontificem solvendo istud vinculum non uti potestate Humanâ, sed Divinâ, id est Divinitùs concessa, patet ex eodem canone. Agnoscenda igitur est in Pontifice potestas quædam Divina, vi cujus possit relaxare Jus Divinum, non quidem in omnibus, sed
in aliquibus præceptis, uti advertit Sanchez *cit.* 2.
n. 6. pro hoc dignoscendo talem statuens regulam; quòd aliqua sint præcepta Divina, quorum relaxatio in nullo excogitabili casu possit expediens esse, cujusmodi sunt de non fornicando, de honorandis parentibus, de servandis formis Sacramentorum divinitus institutis: Econtra verò alia sint præcepta Divina, quæ licèt in universum expediant, in aliquo tamen particulari

casu possint non expedire, & sic admittere dispensationem: velut in juramentis, votis, Matrimonio rato, & similibus.

3. Econtrario Pontificem in Jure Divino saltem propriè dispensare posse, negant Divus Thomas *Quodli. 4. art. 3. in corp. & ad 1.* item *1. 2. q. 97. art. 4. ad 3.* Sotus *de just. lib. 1. q. ult. a. ult.* Suarez *cit. lib. 10. de leg. cap. 6.* Covarruvias *de sponsalib. p. 2. cap. 6. §. 9. n. 4.* Barbosa *lib. 1. juris Ecclesiast. cap. 2. n. 119.* & alij plures ab hoc, & a Sanche *citato n. 4.* relati.

Fundamentum est. Quia Dispensatio ab inferiore circa legem superioris facta justam causam necessariò exigit, ut valeat. At in lege Divinâ non potest dari justa causa, ob quam dispensatio fiat. Minor ista probatur. Quia cùm Deus Optimus Maximus omnes viderit casus & causas, qui sub lege Divinâ cadere debebant, & Divina voluntas, à quâ humana Lex proficiscitur, sit omnino immutabilis; ideò planè sequitur; tum quòd, si aliquo casu voluit legis præceptum manere, justissimum sit, ut maneat, & justum esse non possit, ut auferatur ab inferiore. Tum quòd, si econtra nolit Deus, ut Lex pro aliquo casu particulari teneat, nequeat intelligi ejus relaxatio per Pontificem facienda. Consequens igitur est, dispensationem propriam, quæ legis vinculum tollat, circa præcepta Divinæ legis a summo Pontifice fieri non posse.

4. Nonnulli distinguunt in jure Divino, ita ut aliud sit absolutum, ex Divino arbitrio derivatum; aliud sit à voluntate humanâ ortum, & ex ejus suppositione duntaxat obligans: uti votum & Juramentum. Et de hoc posteriore jure Divino fieri posse veram propriè dictâ dispensationé seu relaxationem, tenent Richardus *in 4. dist. 38. à q. 9. in corp. & ad 1.* Hostiensis *Cap. Non est. n. 1. De voto* Henriquez *lib. 8. de Euch. cap 13. n. 2.* & alij.

5. Econtra verò, ne in hoc quidem jure Divino fieri propriâ dispensationem, sed declarationem duntaxat, tenent Divus Bonaventura *in 4. dist. 38. art. 2. q. 3.* Glossa *cit. Cap. Non est. ver. Authoritate* & alij ab Henrique *citato* relati.

6. Verùm in jure Divino absoluto, sive legis Gratiæ præceptis positivis, sive in institutione Ecclesiasticâ factâ *immediatè* ab ipso Christo, jureque suo stabilitâ, ne quidem interpretationem per modum Epikeiæ habere locum, probat Suarez *cit. cap. 6. n. 19.* eò quòd institutio per Christum definita tum circa materiam & formam Sacramentorum, tum circa Hierarchicum Ecclesiæ ordinem, vi cujus debeant omnes esse sub uno capite, nec non potestatis tam ordinis, quàm jurisdictionis subordinatio, consistat omninò in indivisibili, nec adeò mediante Epikeiâ admittat in substantialibus variationem aliquam.

CONCLUSIO.

7. NUllum prorsus Jus Divinum potest *Formaliter* relaxari per dispensationem summi Pontificis, quamvis huic erga Jus Divinum ex suppositione voluntatis Humanæ obligans, sit potestas indirecta, vi cujus non *Formaliter* in se ipso, sed *Materialiter* ex parte materiæ solvatur juris Divini obligatio.

Probatur ex illis verbis Christi Domini *Matth. 16. Quodcunque solveris super terram, erit solutum & in Cœlis.* Ex his enim verbis constat, duplicem vinculi per claves Pontificias solubilis assignari formalitatem, ita ut altera sit super terram, in ipsis scilicet hominibus Papæ Universali Jurisdictioni subjectis; Altera verò sit in Cœlis, in ipsâ scilicet voluntate Divinâ, suâ tum Physicæ causalitatis, tum Moralis Dominij efficaciâ obligationem in homines inducente. Hoc autem fit quandoque ex absolutâ Divini Dominij potestate, quandoque verò ex Hypothesi prævia alicujus à voluntate humanâ liberè positæ actionis, velut actus peccaminosus est Divini adversus peccatorem odij concitativus, ex vi cujus odij divini fit homo obnoxius privationi gratiæ sanctificantis ac præmiorum; cujusmodi proinde reatus catenus est ex jure Divino, id est Divinæ voluntatis, ejusque Dominij efficaciâ de se omninò immobili, ut tamen sit supponens voluntariam hominis actionem. Similiter Jus Divinum ex voto & Jura- 8
mento ortum *formaliter* nihil aliud importat, quàm voluntatis Divinæ spontaneam vi voti, seu Juramenti Deo oblatam promissionem & obligationem, ex sui tum Dominij, tum primæ per Juramentum interpositæ veritatis motivo acceptam & firmâ habentis efficacia. Ex quâ proindè voluntatis Divinæ immobili efficacia oritur morale de voto reddendo, ac re juratâ verificandâ debitum, ut sic *formaliter* importans obligationem, tum Divini per Voti redditionem Dominij recognoscendi, tum Divinæ per Juramentum adductæ Veritatis reverendæ. In ejusmodi proinde, ad reatum ex peccato contractum subeundum, nec non ad Divinum Dominium ex voto recognoscendum, & ad Primam Veritatem ex vi Juramenti debite reverendam Juribus Divinis *Formaliter*, prout Deo inexistunt, nihil *per se loquendo* habet Potestatis Pontifex summus. Nihilominus ista Jura Divina
non ex absoluto Dei Dominio, sed ex peccati, 9
seu voti, vel juramenti suppositione, actionis, vel passionis alicujus exactiva fundantur super materiâ, quæ est sub clavibus summi Pontificis. Probatur istud Assumptum. Quia materia Divinæ Justitiæ vindicativæ subjecta, ipsiusque adeo hominis sub Divino vindicationis judicio, ac Juris constitutiva sunt peccata *moraliter* perseverantia. Hæc autem Potestatis Pontificiæ per Jurisdictionem vi sacramentalis absolutionis exercitam *directè* ea auferre potentis clavibus esse subjecta, constat ex fide. Eo ipso autem quod materia, super quâ Divinæ vindicationis Jus est fundatum, sit ablata, ut sic cessat istud Jus Divinum, non quidem in se *Formaliter*, sed *effectivè*, quoad effectus scilicet vindicationis. Quare Ecclesia super istud Jus Divinum non quidem habet *per se* ac *directè* potestatem ullam, potest tamen istud *Effectivè* spectatum tollere *indirectè* per materiæ huic Juri subjectæ subtractionem; Christo Domino insinuante, si Pontifex solverit vinculum, quod est super terram, peccati scilicet *moraliter* perseverantis reatum, ex consequenti quasi fore so-
lutum & in Cœlis. Deinde materia, super quâ 10
Jus Divinum ex voto, seu Juramento quasi partum fundatur, est actio quædam voluntatis nostræ liberè obligatoria. Eo ipso autem, quòd homo baptizatus quoad actiones suas morales sit sub Jurisdictione Papæ, oportet, actio-

nes voli

nem. Ex hâc igitur videntur *primùm* incœpisse Legis Evangelicæ consummato hujus statui connexa præcepta.

Conclusio II.

12 Diversitas Sententiarum, diversa pro Legis Evangelicæ obligatione introductâ tempora statuentium videtur taliter decidenda; ut in morte Christi Legem Evangelicam consummantis, ea haberet vim legis, & obligationis Radicalis, in die vero Pentecostes per sui promulgationem obtineret vim formalis obligationis, de se universum orbem afficientis; & tandem per Authoritativam sub congruis credibilitatis signis intimationem acciperet robur obligandi *in actu* etiam *exercito*.

Probatur. Nam Lex per voluntatē & authoritatem Legislatoris definita est ad instar fœtûs adhuc intra uterum clausi, editur autē in lucem per sui promulgationem. Quâ peractâ, *per se* vim habet omnes obligandi, ita ut non nisi *per accidens* per ignorantiam legis invincibilem excusentur.
13 At verò per mortem Christi fuit consummatum Testamentum seu fœdus Christi cum Patre æterno initum, in vi cujus Testamenti definitæ erant etiam leges, sub quibus status Ecclesiæ consummatus esset constituendus. Vi cujus adeò Testamenti per Christi mortem consummati, Leges Ecclesiæ statui per hoc Testamentum consummando annexæ eatenus subsistebant, ut tamen ad universalem Ecclesiam necdum essent editæ, sed manebant in utero, seu Christi & Patris æterni pectore conclusæ. Quia verò hæ ipsæ leges eatenus habebant vim legum ad universam Ecclesiam, imò totum terrarum orbem sub unitate fidei aggregandum ferendarum, ut simul tamen vim haberent præcepti singulos etiam divisim spectatos afficientis; consequenter dicendum est, quòd, ut in vi non tam legis universalis, quàm in vi præcepti particularis formalem eorum obligationem quis contraheret, sufficiebat particularis sub congruâ credibilitatis evidentiâ intimatio, uti probant argumenta *n.* 2. exposita, & non obscurè insinuat Divus Thomas *in 4. cit. dist. 3. q. 1. ar. 5. quæstiunc. 3.* dicens: *Baptismum fuisse obligatorium post Passionem, quantum ad quos potuit institutio pervenire.* Et hinc etiam ante mortem Christi poterat aliquod Christi præceptum fideles aliquos privatim obligare, ut non quidem statim, sed suo tempore deberent id executioni demandare, uti probat Argumentum *n. 1.* explicatum.
14 Verùm quia de legis *strictè* sumptæ ut sic ad universitatem ordinatæ substantia est, quòd mediante publicâ promulgatione debeat eatenus esse in lucem edita, ut ejus notitia ex vi talis publicationis possit ad omnes ac singulos subditos devenire; ideò Lex Evangelica in vi Legis universalis non habebat formalem obligandi virtutem, nisi à tempore solennis in Pentecoste factæ promulgationis. Et hinc ne, dum Baptismi necessitas esset solenniter publicata, deesset pro parvulis Justificationis remedium, etiam post Passionem Christi aliquantulo adhuc tempore viguisse remedium legis Naturæ, cum alijs docet Suarez 15
cit. cap. 4. n. 15. circa finem. Quæ proinde solennis in die Pentecostes promulgatio, de se ad universum terrarum orbem informandum non minùs erat sufficiens, quàm legis pro universo Christiano orbe instruendo latæ promulgatio Romæ facta sufficiens esse possit. Unde promulgatione illâ solenni peractâ, Lex Evangelica omninò stabat sub vi de se omnium hominum obligatoriâ. Nihilominus ut ista vis *exercitè* posset ligare, oportebat, non tantùm in se perfectam esse, sed mediante suâ notitiâ debitè esse applicatam. Defectu cujus adeò applicatio- 16
nis per ignorantiam invincibilem, non potest quidem enervari illa vis de se obligatoria, nequit tamen in subjectum tali ignorantiâ affectum imprimere actualem obligationis effectum. Et hinc stante illâ etiam solenni promulgatione, opus erat ulteriori per singulas Provincias & Nationes prædicatione, quam ex speciali Divinâ ordinatione fuisse successive propagatam, constat ex fundamentis *n. 4. ac seq.* deductis.

❀❀❀❀❀❀❀❀❀)(❀❀❀❀❀❀❀❀❀

CONTROVERSIA V.

Qualia vigeant Præcepta in Lege Evangelicâ & quomodo obligent?

Commune Theologorum Axioma est, 1
quòd in Lege Nova nulla sint Præcepta, nisi fidei & Sacramentorum. Cui consonat Divus Thomas *quodl. 4. a. 14.* docens, *Legem novam esse contentam præceptis moralibus Naturalis Legis, & articulis fidei & Sacramentorum.* Hinc Suarezius *cit. lib. 10. de legibus. cap. 2. n. 2.* Legis Novæ Præcepta dividit in moralia, & Cæremonialia. De quo equidem posteriore Sacramenta, & hisce annexa præcepta continente genere sigillatim dicemus, ubi de Sacramentis agemus. De priori autem Moralium, fidei etiam præcepta continentium, novæ legis mandatorum genere duæ hîc occurrunt difficultates. Altera, *Utrum Christus in materiâ morali addiderit præceptum aliquod positivum super omnia præcepta Moralia Juris naturalis, sive consentanea rationali naturæ tam purè sumptæ, quàm elevatæ per gratiam, seu Connaturalis ipsi gratiæ?*

Altera difficultas est, *Utrum vi Legis Evangelicæ extet aliquod præceptum morale ad ipsummet virtutis modum, sive formalem Honestatis Bonitatem moralem obligans?*

Referuntur Sententiæ.

Suarez *citatus n. 5.* docet, in lege gratiæ nul- 2
lum esse additum à Christo præceptum positivum Morale *strictè* sumptum, distinctum à præcepto ad actus Fidei, Charitatis, Religionis, aliarumque virtutum obligatorio, ut sic condistincto à Cæremonialibus Sacramenta complectentibus Præceptis, quæ latè duntaxat dici possunt moralia, quatenus eorum materia ad moralem Religionis virtutem spectat.

Probatur inductione. Nam *primò* circa præ-

 ceptum

ceptum fidei duo ſunt diſtinguenda, ſcilicet revelatio cum ſufficiente propoſitione credendorum, & obligatio ad credendum ea, quæ revelata & propoſita ſunt. At utrumque iſtud repertum eſt in omni lege Divinâ, ſemperque fuit neceſſarium ad ſalutem. Differentia autē inter gratiæ & antiquiores leges in eo duntaxat ſe tenet, quòd tempore legis gratiæ expreſſior, & de pluribus Myſterijs facta ſit revelatio, quàm in lege veteri, vel naturali, ac inde ſit in Lege Chriſti obligatio credendi *explicitè* plura Myſteria ſupernaturalia, quàm antea. Ex quo adeò capite dicunt Theologi, legem novam addidiſſe aliquid præceptis fidei. Hæc ipſa tamen additio probabiliter dici poteſt complecti Præceptum non merè poſitivum, ſed quòd ſit de lege connaturali interiori gratiæ, Divinæque illuminationi ac revelationi. Quamvis enim revelatio, vel prædicatio talis Doctrinæ fuerit ex voluntariâ diſpoſitione Dei, poſſitque ut ſic dici Juris poſitivi, pertinentis ad novam Eccleſiæ ſingulari modò luce ac cognitione Divinâ illuſtratæ inſtitutionem: attamen obligatio credendi, quæ inde ſequitur, non eſt merè poſitiva, ſiquidem myſteria fidei ſufficienter propoſita *intrinſecè* & *ex Naturâ rei* conſequatur talis obligatio. Unde licèt illud novum credendi Præceptum *præſuppoſitivè*, quatenus revelationem ex Jure Naturæ non neceſſariam ſupponit, dici poſſit poſitivum, attamen *formaliter* & *in ſe* eſt quaſi naturale reſpectu gratiæ exiſtentis in tali ſtatu & perfectione.

3. *Secundò*. Licèt uſus ſpei multò perfectior in Lege Evangelicâ, quàm antea poſtuletur, tum quoad modum ſperandi gloriam, tum quoad multa ſupernaturalia, remiſſionis ſcilicet peccatorum per Baptiſmum, & abſolutionem Sacramentalem, nec non gratiæ augmenti per alia Sacramenta obtinendi, media: tum etiam quoad modum ſperandi per Chriſtum & per ſpeciales promiſſiones per ipſum factas. Nihilominus neceſse non eſt, ut propter has & ſimiles perfectiones in Lege Evangelicâ debuerint exiſtere ſpecialia circa ſpei materiam poſitiva præcepta, eò quòd tota hæc perfectio & obligatio ad illam ex *Naturâ rei* ſequatur, ſuppoſitâ perfectione fidei per Chriſtum & Redemptionem ejus, & ſuppoſitâ tali Sacramentorum inſtitutione: Sicuti etiam ſuppoſitâ fide Incarnationis, & inſtitutione Euchariſtiæ, ac fide ejus, naſcitur in lege Evangelicâ obligatio, cultu Latriæ adorandi Chriſtum, tam in ſe, quàm in Euchariſtiâ: quæ tamen obligatio non eſt Juris Divini poſitivi, ſed Juris Divini Naturalis ſeu connaturalis talibus Myſterijs.

4. *Tertiò*, Quamvis modò in lege novâ obligatio ſit diligendi Deum Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, qui eſt perfectior diligendi modus. Iſta tamen perfectio & obligatio ad illam non oritur ex præcepto poſitivo, ſed ex ipsâ Naturâ Charitatis, ſuppoſitâ tali Dei cognitione: Sicuti etiam tenemur colere tres perſonas Divinas, non ex poſitivo Jure Divino, ſed quia earum Excellentiam cognoſcimus.

5. *Quartò*. Licèt inter Chriſtianos ſpecialis poſtuletur dilectio, hoc tamen oritur ex intrinſeco & connaturali ordine Charitatis. Nam Charitas ex ſe & naturâ ſuâ inclinat ad magis propinquos & conjunctos *cæteris paribus* magis diligendum in rebus & bonis conjunctioni proportionatis. Eo ipſo autem, quòd fideles ſint membra Chriſti & Eccleſiæ, habent inter ſe ſpecialem conjunctionem, & ideò Charitas ex ipsâ naturâ ſuâ magis inclinat & obligat ad illos diligendos.

Quintò denique, ſtatuendo indiſſolubilitatem Matrimonij ac Beneficentiæ erga inimicos, Chriſtus non præcepit, quod non eſſet de Jure Naturæ, ſicuti etiam in præcepto non jurandi nihil prohibuit, quod de Jure Naturæ non eſſet prohibitum, nec quidquam præceptis Decalogi ſuperaddidit, ſed in ſuis Iuris naturalis terminis eorum obligationem reliquit. Conſtat igitur, nullum ex moralibus præcepris in Lege novâ eſſe à Chriſto latum, quod eſſet *formaliter* poſitivum, ſed omnia eſſe Iuris Naturalis. 6.

Idem Author *n.* 18. probat, ipſum etiam virtutis modum, ſeu interiorem Honeſtatis moralis puritatem contineri ſub Divinis Legis Evangelicæ præceptis. Fundamentum eſt. Tum quia Lex Evangelica præcipuè verſatur circa actus, in quibus interna Juſtitia conſiſtit, vel ſine quibus eſſe non poteſt. Illam enim maximè Chriſtus intendit *Math.* 5. dicens, *Niſi abundaverit Iuſtitia veſtra plus, quam Scribarum & Pharisæorum non intrabitis in Regnum Cælorum.* At in actibus internis *principaliter* conſiſtit rectitudo ad Deum. Conſequens igitur eſt, ſub legem Evangelicam cadere actus etiam internos, idque dupliciter; Uno quidem modo *directè* ac *per ſe* in præceptis Theologalium virtutum actus, necnon interiorem pro Iuſtitiâ ſeu gratiâ juſtificante obtinendâ diſpoſitivam pœnitentiam præcipientibus. Altero modo *indirectè*, quatenus actus interni ſunt neceſſarij ad actus externos divinitus præceptos: Veluti ex mandato ſuſcipiendi Sacramenta exigitur intentio. 7.

8. Tum quia Lex Chriſti non ſolùm præcipit operationem, ſed modum quoque operandi, dum inprimis præcipit rectitudinem in intentione Ultimi Finis, imò jubet in quolibet opere haberi intentionem bonam, prohibetque contrariam, velut *ex Math.* 5. colligitur. Unde licèt unum aliudve legis Evangelicæ præceptum impleri poſſit ſine rectâ intentione, ſeu ſine honeſto modo operandi, nequit tamen tota Lex Chriſti in ullo opere eſſe integrè ſervata, niſi honeſto modo fiat, ſicuti de lege quoque naturali tenendum eſt.

Conclusio I.

Videtur valde difficile, quòd in lege Evangelicâ dicatur, nullum extare præceptum Divinum morale, *Formaliter* poſitivum, ſed naturale duntaxat.

9. Probatur. Nam eſto, quòd ſuppoſitâ revelatione Myſteriorum Sanctiſſimæ Trinitatis & Incarnationis Divinæ, ex ipsâ rei Naturâ ſit conſequens obligatio, eatenus captivandi intellectum in obſequium fidei, quatenus debeat *quoad ſpecificationem* Myſteriorum ejuſmodi veritati omninò eſſe conformis: attamen ſicuti aliorum fidei Articulorum divinitùs revelatorum ſub uno licèt, eodemque Veritatis Primæ motivo ſubſiſtentium reverentia de jure Naturæ non exigit fidei aſſenſum *quoad Exercitium*: ſic omni divino

tres voti & Juramenti, non quidem *Physicè*, sed *Moraliter*, atque adeò quoad moralem sui perseverantiam esse subjectas Pontificiæ Potestati: Quare Papæ est potestas solvendi illas morales voti & Juramenti actiones, earumque moralem perseverantiam. Hæc ipsa vero solutio, quæ non potest fieri absque rationabili causâ, in eo se tenet, quod per motivi altioris sub ipsâmet obedientia Pontifici debitâ commendandi applicationem, materia voti, seu Juramenti reddatur eo ipso inepta, quod sub tali, partim secundum rei naturam, partim secundum congruam obedientiæ Pontifici debitæ subjectionem, perfectioris virtutis motivo materia ejusmodi non jam sit de meliori bono. Unde ipsamet voti & Juramenti materia tunc per Pontificis potestatem eatenus solvitur super terram, ut consequenter, per *indirectum* in cælis etiam, in ipsâmet voluntate Divina, non intelligatur amplius stare acceptatio materiæ per votum oblatæ, tanquam melioris boni. Constat igitur, qualiter Jus Divinum ex suppositione liberæ hominis actionis resultans non quidem *formaliter* sit dispensabile per Pontificem, *materialiter* tamen ex parte materiæ eatenus sit subjectum hujus Potestati, ut *consequenter*, ac *per indirectum* mediante Pontificia potestate intelligatur, non quidem *Formaliter* in se ipso, sed *Effective* tolli Jus Divinum. Unde etiam fit, quod, cum Juris Divini absoluti obligatio etiam passiva non radicetur in homine, sed difundatur præcise ex Divinæ voluntatis absoluto Dominio, neque Papa adversus istud Dominium, ejusque causalitatem, atque adeò effectum, ex hâc præcisè, non verò hominis voluntate promanantem habeat aliquid Potestatis, non possit etiam *materialiter* dispensare in Jure Divino absoluto. Et hinc patet etiam Responsio ad fundamentum *n. 1.* oppositum. Verùm de illâ Papæ ad vota dispensanda, potestate, *An, & quomodo se extendat ad votum solemne Religionis*, alibi ex instituto discutiemus.

COROLLARIUM.

Infertur. Qualiter legi Evangelicæ proprium sit, habere vim justificandi? Nam ista proprietas non tam est *in quarto*, quam *in secundo modo*, ita ut conveniat quidem soli legi Evangelicæ, non tamen omni.

Ratio est. Nam vis justificandi est duplex, *ex opere scilicet operato* & *ex opere operantis*. At prior Justificandi virtus respectu adultorum non habebat locum in ullo Ecclesiæ statu, nisi in hoc ultimo per Christum consummato. siquidem in prioribus Ecclesiæ statibus, seu lege naturæ ac Mosaicâ, non extiterint ulla pro adultis sacramenta vim gratiæ *ex opere operato* causativam habentia, sed Naturæ duntaxat remedium contra originale peccatum, quod tamen pro solis parvulis usu rationis adhuc carentibus erat institutum, ut sic pertinens ad ipsam Christi legem Evangelicam, *virtualiter* tunc existentem in virtute Christi meritorum, ex quibus à tempore Adami lapsi unica tunc fuerat Justificationis spes. 1

Deinde licet in adultis tempore legis Naturæ ac Mosaicæ vigerent etiam præcepta fidei, spei, & Charitatis, quarum adeò virtutum actibus poterat homo peccator disponi ad gratiam justificantem, *ex opere operantis de congruo* promerendam, nec non homo Justus *de condigno* mereri gratiæ ac Gloriæ augmentum: Hæc tota tamen Divinarum gratiarum & actuum supernaturalium non nisi ex meritis Christi fluentium series reducenda erat in Novum Christi Testamentum, cum Patre æterno initi & in Cruce consummati fœderis. 2

Denique in novâ etiam lege extant Præcepta Decalogi, quorum plerumque adimpleri in fieri potest per actus *moraliter* bonos ordinis Naturalis: quippe tamen actus non fiunt sine gratiæ naturalis auxilio per ipsummet etiam Christum qua Naturæ Instauratorem collato. Unde ut sic Præcepta Decalogi pertinent etiam ad legem Evangelicam, & tamen non habent vim justificandi, vel etiam augendi gratiam. Constat proinde, quod legi alicui etiam qua Evangelicæ, id est per Christi gratiam naturalem tamen adimplendæ non conveniat vis justificandi. Quamvis proindè ista vis justificandi soli legi Evangelicæ sit conveniens, non tamen omni, estque adeò hujus propria non *in Quarto*, sed *in secundo* duntaxat *proprietatis modo*. 3

QUÆ-

QUÆSTIO DECIMA SEXTA
DE
LEGE HVMANA.

TRibus articulis constabit præsens quæstio. In primo elucidabitur. *Quibus, & qualiter hominibus competat legislativa potestas?* In 2. *Quænam sint Essentialia requisita ad legem humanam?* In 3. *Quænam sit obligatio legis humanæ, & quos afficiat?*

ARTICULUS I.
DE
Humanâ Legislativâ potestate.

1. OMnis quidem legislativa potestas est *Effectivè*, imò & *Formaliter participativè* Divina, juxta illud ad *Rom. 13. Non est potestas nisi à Deo, & qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit.* Nihilominùs aliqua legis ferendæ facultas & authoritas dicitur Humana *subjectivè*, quatenus sub intelligibili quâdam Divinitùs impressâ formatione super homines signatum est lumen, vi cujus agnoscant, in omni Communitate opus esse authoritativâ ad regendum populum potestate, cùm, ubi non est Gubernator, populum corruere, sit necessum. *Prov. 11. cap.*
2. Quia verò humanum genus non subsistit intra limites rationis naturalis, sed ad gratiæ supernaturalem non nisi Divinæ naturæ vires omnimodè excedente lumine dirigibilem statum est elevatus, indè sicuti duplex inter homines est communitas, Politica nimirum, & Ecclesiastica; sic oportet duplicem dari Humanam Legislativam potestatem, Temporalem nimirum ac spiritualem.
3. Et quidem ex fide Divinâ alibi exponendâ constat, Ecclesiasticam legislativam potestatem esse *immediatè* ex Deo, seu Christo penes Summum Pontificem. Verum politicam & Civilem Jurisdictionem esse Divinitùs concessam *immediatè* Communitati, & ex hujus voluntariâ Translatione derivatam in Principem aliquem, sive Imperatorem, aut Regem, deciditur *Leg. 1. ff. De constitutionibus Principum. & leg. 3. §. Novissimè ff. De Origine Juris.* Item *Can. Per venerabilem Qui filij sint legitimi.* De quâ proinde duplici altera Ecclesiasticâ, alterâ Politicâ legislativâ potestate quatuor hîc controversijs disseremus. 4. In 1. quæsituri. *An, & qualiter pro omni statu Ecclesiæ fuerit aliqua spiritualis legislativa potestas?* In 2. *Qualis, & quomodo alijs Papâ inferioribus in Ecclesiâ competat ista authoritas?* In 3. *Utrùm Imperatori, vel etiam Papæ sit de jure facultas ferendi leges Civiles pro toto orbe?* In 4. denique *Qualiter alijs Imperatore inferioribus conveniat ista potestas?*

CONTROVERSIA I.
Utrùm pro omni statu Ecclesiæ fuerit aliqua spiritualis legislativa potestas?

COntroversia procedit etiam de lege naturæ. 1. Cujus equidem duplex est habenda ratio, una scilicet intra pura naturalia limitationis, altera elevationis per Gratiam. Et quidem juxta priorem considerationem, abstrahendo ab omni etiam supernaturali elevatione, adeò erat hominibus ingenitum lumen Sacerdotij, ut in omni natione falsos etiam Deos colente præter regiam potestatem esset potestas Sacerdotalis. Ex quo non infirmum videbitur desumi argumentum, quòd homines in puræ etiam naturæ statu constituti si naturali vultus Divini super se signato lumine ad veri Dei agnitionem, & Cultum servandum usi fuissent, ex ratiocinatione naturali habuissent agnitam necessitatem alicujus Sacerdotalis, ea, quæ ad Divinum spectarent cultum, curantis potestatis. Quæ proinde ad instar Civilis authoritatis *Originativè* resideret in Communitate, ex hâc in unam, vel plures personas, imò in ipsum Regem, seu Communitatis Re- 2. ctorem politicum transferenda. Cujus equidem ratio elegans insinuatur per Divum Thomam *1. 2. q. 99. a. 3.* Quia Regiæ potestatis Finis est pax communis & Gubernatio politica. At ex eo vel maximè, quod [illegible] eorum, quæ ad Religionem spectant, [illegible] sit præcipuum medium conservandi rempublicam, ejusque pacem & Gubernationem politicam, conveniebat Regiæ etiam Potestati Cura eorum,

quæ

quæ erant Religionis. Quando igitur potestas Sacerdotalis, cujus est, ea, quæ Religionis sunt, curare, non supergressa fuisset puræ naturæ, per naturale super nos signatum Divini Vultûs lumen in Deum authorem, ac Finem suum reducibilis limites, congruum fuisset, potestatem Sacerdotalem unà cum Regiâ authoritate conjungere in unâ personâ, vel huic eam subordinare, uti testantur historiæ factum in
3. urbe ac Imperio Romano. Verum quia in præsenti non de hac puræ naturæ congruâ Sacerdotali potestate, sed elevatiore ac Diviniore supernaturalis Gratiæ elevationi respondente authoritate soliciti sumus. Ideo tum de lege naturæ supernaturaliter elevatæ ad Moysis usque tempora durante, tum de statu Mosaicæ legis, tum denique de Ecclesiæ per Christi institutionem jam consummatæ statu difficultas hic movetur. *Qualiter in omnibus hisce statibus extiterit non tantum Sacerdotium, sed authoritativa legum spiritualium ferendarum potestas?*

CONCLUSIO I.

4. NOn improbabiliter dici potest, quòd tempore legis naturæ ad Moysis usque tempora fuerit in Ecclesia potestas supernaturalis legislativa, per ipsius supernaturalis luminis intuitionem derivata in populum fidelem, & ex hoc catenus derivabilis in unam, vel plures personas, ut singulæ reipublicæ communitates supernaturalia Fidei Mysteria agnoscentes possent singulos pro tali communitate supremos instituere Sacerdotes, cum authoritativâ legum spiritualium ferendarum potestate. ex Suarezio *lib. 4. de legib. cap. 2. n. 8.*

5. Probatur. Quia Ecclesia in illo statu non habebat tam perfectam unitatem, quam nunc habet per Christum; sed habebat duntaxat unitatem fidei, & habitudinis ad eundem Finem supernaturalem, eundemque Mediatorem Christum. Quare tunc deficiebat unitas conformitatis in externis signis Sacramentorum, aliarumque Cæremoniarum, nec non unitas subjectionis ac obedientiæ ad unum Caput in terris, adeò ut non esset una & eadem numero, ac suprema potestas in Ecclesiâ. Et hinc quia unaquæque communitas, independens ab aliâ in subjectione politicâ, esset ab eâdem independens in subjectione etiam Ecclesiasticâ, poterat in quâvis republicâ perfectâ & Totali veram Mysteriorum supernaturalium fidem tenente esse suprema potestas in Cultûs Divini ordine, adeò ut ex cujuslibet talis communitatis determinatione penderet, in quem, vel quos transferretur illa potestas.

CONCLUSIO II.

6. IN statu legis Mosaicæ erat divinitùs institutum supremum pro populo Israëlitico Sacerdotium, cui eatenus erat potestas Gubernandi ea, quæ spectabant ad res sacras, & dubiorum circa legem, & Causarum judicia occurrentium declarationem, ut tamen huic Sacerdotio non esset necessariò annexa authoritas ferendi leges Ecclesiasticas, sed ista potestas poterat residere vel in populo nullum adhuc Regem habente, vel tandem in ipsomet Rege. ex Suarezio *cit. cap. 2. n. 6. ac sequentibus.*

Probatur. Nam 1. ex libro *Levitici*, & totâ ad *Hebræos* Pauli Epistolâ constat, in lege Mosaicâ Divinitus institutum fuisse Sacerdotium à Dignitate Regali distinctum. Hoc ipsum verò sacerdotium a legis quoque naturæ Sacerdotio dignoscitur fuisse diversum, eo vel maximè, quòd non fuerit universale pro totâ Ecclesiâ, quæ ex Judæis simul ac gentibus veri Dei fidem tenentibus constare poterat, sed pro Synagogâ duntaxat. At verò de hoc ipso Sacerdotio dicitur *Deut. 17. Qui superbierit, nolens* (in iis scilicet, quæ ad res sacras, & dubiorum in Causarum judicio occurrentium declarationes spectabant) *obedire Sacerdotis imperio, morietur.* Unde oportuit, Sacerdotio pro illis causis fuisse potestatem obligandi suo imperio, cum alioquin pœna tam gravis transgressoribus imposita non subsisteret. Et hinc etiam Christus *Matth. 23.* dicebat. *Super Cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi, quæcunque dixerint vobis, servate, & facite.* 2. In populo Israelitico erat quidem potestas legislativa Ecclesiastica, non tamen opus est, asserere, quod ista super universum populum authoritas ex vi Pontificatûs, & solius Divini Juris fuerit penes Sacerdotem Leviticum & Summum. Ratio prioris desumitur ex illo ad *Galat. 1. Abundantius æmulator existens paternarum mearum traditionum.* Sub his enim traditionibus Divus Thomas *2. & 3. lect. in cit. ad Gal. cap.* intelligit leges humanas ritè latas in eo populo. Unde & Christus Dominus *Matth. 15.* reprehendit Judæos, quòd irritum fecissent mandatum Dei propter traditiones suas. Ratio posterioris est. Quia *Deut. 17.* solùm conceditûr Sacerdoti summo cum consilio aliorum potestas in decisione dubiorum insurgentium in causis, vel circa interpretationem legis. At potestas legislativa est alia, longè diversa. Unde Suarez *citatus n. 9.* existimat, probabile, quòd ante tempora Regum, vel illis (in quos alioquin translata erat) deficientibus, fuerit illa potestas in populo: Siquidem *ex 9. cap. Esther* constet, totum populum Rege tunc destitutum communi consensu tradidisse legem de solennitate alicujus diei. Sicut *1. Mach. 4. v. 59.* legitur etiam, quòd *Judas & Fratres ejus, universaque Ecclesia Israël statuerit, ut ageretur dies Dedicationis altaris in temporibus suis ab anno in annum.* 7. 8. 9.

CONCLUSIO III.

IN statu legis Evangelicæ indubitatum; ac de fide certum est, existere in summo Pontifice potestatem legislativam erga universam Ecclesiam.

Probatur ex illis Christi Domini verbis: *Quodcunque ligaveris super terram; erit ligatum & in Cælis.* 10.

dicentes: *Quòd conceperit ac pepererit.* Unde legis quoque Cæremoniæ significabant Christum ut nasciturum, & passurum: nostra autem Sacramenta significant ipsum, ut natum & passum. Sicut igitur peccaret mortaliter, qui nunc suam fidem protestando, diceret Christum nasciturum, quod antiqui tamen piè ac veraciter dicebant: sic peccaret etiam mortaliter, si quis nunc Cæremonias observaret, quas Antiqui piè ac fideliter observabant. In quem proinde sensum Divus Augustinus *contra Faustum lib. 19.* ait; *Iam non promittitur nasciturus, Passurus, resurrecturus, quod illa Sacramenta quodammodo personabant; sed annuntiatur, quod Natus sit, resurrexerit, quod hæc Sacramenta, quæ à Christianis aguntur, jam personant.*

5. Idem Doctor Angelicus *q. 104. art. 3.* tenet; Judicialia legis veteris præcepta non ad instar Cæremonialium esse post Evangelium promulgatum mortifera, sed mortua duntaxat. Fundamentum est. Quia Cæremonialia Præcepta erant figuralia *primò*, ac *per se*, tanquàm instituta *principaliter* ad figuranda Christi Mysteria ut futura. Unde ipsorum observatio præjudicat nunc fidei veritati, secundum quam confitemur, illa Mysteria esse completa. Econtra Judicialia non erant instituta ad figurandum, sed ad disponendum statum illius Populi, qui ordinabatur ad Christum. Unde mutato illius Populi statu, judicialia Præcepta suam quidem obligationem amiserunt, cum lex fuerit Pædagogus ducens ad Christum, *ad Galat. 3.* Nihilominus quia Judicialia ejusmodi non ordinabantur ad figurandum, sed ad aliquid faciendum, ideò ipsorum observatio absolutè non præjudicat fidei veritati, sed intentio observandi tanquam ex obligatione legis, quia per hoc haberetur, ac si status prioris Populi adhuc duraret, & Christus nondum venisset. Quare si Princeps aliquis ordinaret, in suo Regno illa Judicialia observari, non peccaret, nisi fortè hoc modo observarentur, vel observari mandarentur, tanquam habentia vim obligandi ex veteris legis institutione.

Conclusio I.

6. HOc discriminis est inter Moralia, Cæremonialia, & Judicialia veteris legis præcepta, ut moralia quoad substantiam* sint mortua, & à tempore Evangelij promulgati etiam mortifera: Judicialia verò sint quoad substantiam mortua, non autem mortifera.

* adhuc vigeant, Cæremonialia verò quoad substantiam

Probatur. Quia substantia in moralibus Decalogi Præceptis est juris naturalis, nec nisi quoad aliquam Cultûs scilicet Divini per Diei Sabbatini observantiam specialiter exhibendi circumstantiam, continebat aliquid Cæremoniale, legi veteri proprium. Quamvis ergò Decalogi Præceptum quoad istam Circumstantiam cessarit, manet tamen in suâ substantiâ de Cultu aliquo publico erga Deum in Ecclesia exhibendo.

7. Deinde substantia in Cæremonialibus veteris legis Præceptis erat significatio Christi venturi, seu passuri, ac resurrecturi protestativa. Hæc verò per Mysteriorum ejusmodi adimpletionem eatenus est e[illegible] [illegible] Cæremonialium exhibitio jam [illegible] Fidei veritati con[illegible]. [illegible] evacuatio & Fi[illegible] in statum [illegible] à tempore Evangelij promulgati, [illegible] orbi eatenus est publicata, ut consequenter illa falsitas [illegible] per se loquendo latere. Ergo ipsa Cæremonialium veteris legis substantia à tempore promulgati Evangelij eatenus est evacuata, ut [illegible] etiam observantia sit per se loquendo mortifera.

Denique Præceptorum Judicialium substantia consistebat in vi Directivâ & o[illegible]oria actuum, quatenus sub illis fiebat bona convictûs publici in Judæis coordinatio. Hæc autem connexa erat statui Populi ad Christum *figuratè* ordinati. Unde hoc statu per veritatem legis Evangelicæ cessante, consequenter cessavit etiam obligatio Præceptorum. Nihilominùs tamen tota illa ad Bonum commune ordinabilitatis formalitas est in suâ substantiâ adhuc intelligibilis tanquam *moraliter* bona. Ergo ex cessatione legis veteris non est facta mortifera, quin Princeps sub ipsamet talium Præceptorum substantiâ posset materiam lege Judiciali Mosaicâ olim præceptam suâ Authoritate præcipere. Quare *quoad Circumstantiam* duntaxat *figuratis* in Christum venturum *ordinabilitatis*, ex parte Populi, cui præcepta illa fuerunt lata se tenentem, non verò *quoad ipsammet* materiæ præceptæ etiam *formaliter* spectatæ, *substantiam* possunt pro statu Evangelicæ veritatis Judicialia veteris legis præcepta esse mortifera. 8.

Dices. Sicuti Judicialia veteris legis Præcepta non quidem sub formalitate figurativæ in Christum venturum ordinabilitatis, sed sub substantiâ actûs ad Bonum publicum conducibilis, authoritate alicujus Principis possunt præcipi, sic sublata illâ præfigurativæ in Christum venturum ordinabilitatis significatione, posse sub legem humanam cadere materiam Cæremonialium veteris legis præceptorum. Probatur istud assumptum. Tum quia *Actorum 15.* leguntur Apostoli post Christi mortem imperasse fidelibus, ut abstinerent à suffocatis, quæ tamen olim erat Cæremonia legalis. Tum quia in Decreto Gratiani *dist. 30. cap. 13.* legitur, simile præceptum fuisse in Synodo Tangrensi reiteratum. Et apud Baronium. *to. 9. ad annum Christi 801. n. 18.* Item *to. 10. ad annum Christi 845. n. 38.* legitur, quædam mediante Carolo Magno, & Ludovico Pio statuta, & à summo Pontifice approbata fuisse Capitula, quibus statuebatur observatio quorundam legalium: ne v. g. quis gerat vestem ex lanâ & lino contextam, nevè quis invento nido Matrem simul cum pullis detineret; nevè vineam sereret diverso semine, nevè araret in bove & asino. At verò istorum statutorum non aliam fuisse rationem, nisi quòd Judæi & Saraceni, quorum ingens turba tunc extiterat in Germania, Gallia, & Hispaniâ, faciliùs ad Christianam fidem converterentur, & conversi constantius in eâ perseverent, dum ipsis indulgerentur aliquæ de Mosaicâ lege observantiæ Cæremoniales. Consequens proindè videtur, Judicialia non magis, quam Cæremonialia posse in aliquo Regno authoritate Principis vel Politici, vel Ecclesiastici institui. 9. 10.

Contra.

11. Contra. Nam aliter consideranda est materia legis *materialiter*, aliter autem *formaliter* spectata, sub illâ nimirum formalitate, sub quâ *primò* ac *per se* cadit sub legem. At in Præceptis Cæremonialibus formalitas, sub quâ materia præcepta erat capax obligationis, fuit præfigurativa Christi venturi, ejusque Mysteriorum significatio, in præceptis autem Judicialibus legis Veteris *primo* ac *per se* intendebatur status politici in Bonum publicum ordinabilitas, Christi venturi significatione præfigurativâ se habente ad materiam legis *solum secundario* & *concomitanter* ex parte subjecti, seu Populi, cui lex illa data fuit; non verò ex parte illius materiæ quà præceptæ. Quia ergò veritate legis Evangelicæ umbris, ac figuris Mosaicis succedente, evacuata, imò mortifera facta est præfigurativa Christi quà venturi seu passuri significatio, non autem in Bonum Publicum congrua Judicialibus legis Mosaicæ præceptis *per se primo* intenta ordinabilitas, idcircò possunt quidem Cæremonialia Veteris legis præcepta *pure materialiter*, non autem *formaliter*, nec adeò *quoad substantiam* spectata institui Authoritate Principis vel politici, vel Ecclesiastici, attamen præcepta Judicialia *formaliter quoad substantiam*, non autem *quoad illam* præfigurativæ significationis *circumstantiam*, possunt humanâ legislativâ potestate obtinere vim legis & obligationis, uti eleganter probat Divi Thomæ argumentum *supra* deductum.

Conclusio II.

12. INter Passionis Christi, ac promulgati Evangelij tempora adstrui debet tempus intermedium, in quo Cæremonialia legis Mosaicę pręcepta erant quidem mortua, necdum tamen mortifera.

Probatur. Quia veritate Mysteriorum Christi succedente umbris ac figuris futurorum, eo ipso quidem resultabat præceptum sub radicali quadam obligatione abstinendi à præfigurativâ, utpote fidei veritati repugnante mysteriorum Christi significatione. At legis latæ obligatio quasi radicalis non reducitur in formalem obligationem, seu vim actualiter obligatoriam, nisi ab illo instanti, in quo legis ejusmodi sufficiens facta est promulgatio. Eo ipso autem, quòd Christi per Veterem legem præfigurata Mysteria fuerint quidem jam instituta, ac per mortem Christi confirmata, non tamen sufficienter promulgata, sequitur, quod neque veteris legis abrogatæ fuerit pro tunc statim sufficiens facta promulgatio: siquidem figuræ seu umbræ alicujus evacuatio non prius innotescere potest, quam habeatur notitia succedentis veritatis: neque Mysteriorum Christi veritas per scientiam publicam obligationis præceptivæ de se inductivam haberi potest, priusquam ejus fiat competens promulgatio publica. Cùm igitur veteris legis abrogatio quoad vim ab illâ se abstinendi obligatoriam, non prius tenere potuerit, quam lex Evangelica fuit promulgata, hæc verò promulgatio non statim à tempore passionis Christi facta fuerit, *uti sequen. cont. ducetur*, consequens est oportere, inter Passionem Christi ac Evangelium promulgatum statuere tempus aliquod intermedium, in quo Lex Mosaica eatenus erat mortua, ut necdum tamen esset mortifera.

CONTROVERSIA IV.

A quo tempore inceperit Lex Evangelica?

NOnnulli olim arbitrati sunt; Legem Evangelicam ante mortem Christi obligare incepisse saltem ad ea, quæ tunc Christus instituerat v. g. quoad Baptismum. 1.
Fundamentum est. Quia hunc ut necessarium jam proposuerat dicens: *Nisi quis renatus fuerit ex Aquâ & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum cælorum.* Unde Divus Augustinus *lib. 1. de orig. animæ cap. 9.* ait, *Ex quo illud à Christo dictum est, nemo fit membrum Christi sine Baptismo aquæ, vel Sanguinis.*

Alij existimabant, Legem novam incepisse obligare in puncto mortis Christi. Fundamentum est. Quia tunc fuit Testamentum novum consummatum, ac plenè confirmatum. *ad Heb. 9.* At quodlibet pactum sufficienter consummatum statim obligat, & Testamentum morte confirmatum statim inducit obligationem, quam de se potest inducere. Ergo Testamentum novum in puncto mortis Christi habuit vim obligandi, & consequenter statim obligare incepit, maximè cùm lex vetus tunc mortua fuerit, cui successit Evangelica. Unde Divus quoque Thomas *in 4. dist. 2. q. 1. Art. 4. quæstiunc. 3.* dicit; Sacramenta Legis novæ quoad utilitatem diversis temporibus fuisse instituta, quoad necessitatem verò omnia simul in passione. 2.

Suarez *lib. 10. de Legib. cap. 4. à n. 12.* existimat, *primò* legem novam non prius incepisse obligare, quàm in Pentecostes. *Secundo*, ex hoc tamen die non simul obligasse Judæos existentes, sed incepisse tunc obligare, & postea successu temporis obligationem fuisse diffusam per totam Judæam, Samariam, & alias Provincias. *Tertio*, ex illo primum tempore, quo facta est Petro revelatio *Act. 10.* descripta, cœpisse per hanc legem obligari, non tamen fuisse statim obligatum totum terrarum orbem, sed successivè, prout Evangelium promulgabatur. Fundamentum primi est. Quia Christus recessurus ex hoc Mundo dixit Apostolis: *Euntes docete omnes Gentes, prædicate Evangelium omni Creaturæ.* At hoc ipsum Tempus prædicandi, seu promulgandi Evangelium ex singulari Divinâ revelatione erat reservatum in Diem Pentecostes, veluti colligitur ex illis Christi verbis. *Sedete in Civitate, donec induamini virtute ex alto.* Ergo solennis Legis Evangelicæ promulgatio, & consequenter ex hac necessario dependens obligatio primum incepit in die Pentecostes, ubi, cùm ad prædicationem Petri quidam compuncti corde interrogarent, *quid faciemus viri fratres. Act. 2.* Respondit Petrus, *pœnitentiam agite, & Baptizetur unusquisque vestrum in Nomine JESU in remissionem peccatorum vestrorum.* Fundamentum secundi est. 3. 4. 5.
Quamvis enim promulgatio Novæ Legis Hyerosolimæ facta in die Pentecostes fuerit suffi-

circa Trinitatis & Incarnationis fidem explicitam positivo præcepto seposito, difficile videtur comprehensu, qualiter Mysteria ejusmodi non tantùm *quoad specificationem*, sed *quoad* actualis fidei assensûs *Exercitium* sint de necessitate præcepti. At re verâ oportet in lege Euangelicâ adstruere obligationem fidei circa illa Mysteria, non tantùm *Specificationis*, ita ut non liceat illis dissentire, sed etiam *Exercitij*, ita ut teneamur actualem
10. fidei assensum de illis *Explicitè* habere. Deinde sicuti de Deo quà Trino, sic de Deo etiam quà Omnipotente, Sapiente, Bono &c. habemus expressam revelationem. At ex naturâ istius de singulis Divinis attributis revelationis non resultat obligatio *Exercitij*, sed *Specificationis* duntaxat, in ordine ad amorem circa illa attributa habendum. Nisi ergo Positivum Divinum præceptum de tribus Divinis Personis *Explicitè* amandis extet, non videtur qualiter hujus *quoad Exercitium* possit esse obligatio.

11. Denique licet ex Divinis nostræ salutis non nisi per Christum, ejusque Sacramenta obtinendæ promissionibus resultet obligatio spei *quoad specificationem*, obligatio tamen *quoad positivum* actuũ spei formandorum *exercitium actuale* secundùm ipsam rei Naturam, sub talibus promissionibus habendum *explicitè*, vix evincitur ex præcisâ rei Naturâ, nisi accedat Dei voluntas authoritativa per positivum præceptum insinuata. Quæ proinde hîc paucis disputationis gratiâ volumus insinuata, singula quæque suis locis singillatim discussuri.

CONCLUSIO II.

12. IN lege Evangelicâ specialiter extat præceptum Divinum, tum transcẽdens de omnibus actionibus nostris moralibus in Gloriam Dei referendis, tum specificum, de quibuslibet interioribus virtutum præsertim Theologalium, nec non pœnitentiæ actibus quandoque eliciendis in suâ essentiali ratione *Formaliter* importantibus rectitudinem moralem supernaturalem.

13. Probatur. Nam licèt de operibus moralibus non nisi sub virtuali saltem in Dei Gloriam ordinabilitate eliciendis præceptum sit naturale, homini eatenus congenitum, ut in puræ etiam Naturæ, imò & Naturæ lapsæ per Christum non reparatæ statu esset obligatorium: attamen istius præcepti observantia ex actuali, naturali tamen gratiâ Dei dependens eatenus jam subest Christo Humani generis Redemptori, quatenus nulla etiam naturalis ordinis gratia jam datur nisi per Christum. Ex hoc igitur respectu Christus præceptum illud naturale sui quoque Juris fecit, adeò ut in sancto Evangelio suo id singulariter voluerit expressum.

14. Tum quia in lege Evangelicâ, prout *virtualiter* se extendebat ad omnem Ecclesiæ, a tempore lapsus Adami secundùm divinæ præfinitionis ordinationem, non nisi per Christum subsistentis statum, semper extabant Divina præcepta fidei, Spei, Charitatis, ac pœnitentiæ etiam supernaturalis. At [illegible] illarum virtutum supernaturales actus *Essentialiter* important Bonitatem moralem, quam impossibile est subsistere cum aliquâ malitiei commixtione & coinquinatione: sic illorum præceptorum observantia stare non poterat nisi sub specificis illarum virtutum modis essentialibus.

Tum quia in moderno Evangelicæ legis jam *Ultimatè* per Christum consummatæ statu, omnia illa supernaturalia præcepta sunt elevata ad modum quendã altiorem, ex majore ad plura Divina Mysteria revelata *Explicitè* jam credenda, & debito amore ac honore prosequenda extensione resultantem. Hæc autem major extensio sub actibus fidei, spei, & Charitatis subsistens, puram omnimodæ malitiæ moralis à se *Formaliter* exclusivam supernaturalem Honestatem *Essentialiter* importat. Constat igitur, sub lege Evangelicâ partim quà *virtualiter* ad omnem Ecclesiæ post Adami lapsum ex Christi meritis unicè restauratæ statum se extendente, partim quà Ecclesiæ à Christi morte *Ultimatè* consummatum statum importante, stare obligationem non tantùm transcendentalem de omnibus moralibus operibus in Dei Gloriam referendis, sed specificam de supernaturalibus virtutum præsertim Theologalium, actibus non nisi sub formali suo specifico virtutis modo operabilibus, quandoque eliciendis. 15.

✱✱✱✱✱✱✱✱✱✱✱✱✱✱✱✱✱✱✱✱

CONTROVERSIA VI.

An Ius Divinum possit à Papâ dispensari?

AFfirmant quàmplures Canonistæ, speciatim Abbas *in Cap. Proponit. n. 20. de concess. prabend.* Felinus *in Cap. Ecclesiarum. n. 19. & 20. de Constit.* Decius *ibi n. 13.* & alii, quos refert ac sequitur Thomas Sanchez *lib. 8. de Matrim. disp. 6. n. 5.* Fundamentum desumi potest ex illis verbis Christi Domini *Math. 16. Quodcunque solveris super terram, erit solutum & in Cælis.* Ex his enim verbis colligimus, Papæ esse facultatem ac potestatem dispensandi in Juramentis & votis & in Matrimonio Rato. Et hinc in talibus relaxationibus Pontifex utitur verbo dispensandi, quo manifestè insinuatur, non per solam declarationem, sed per dispensationem tolli vincula ejusmodi. Similiter spirituale Matrimonium inter Episcopum & Ecclesiam suam sponsam esse Juris Divini, authoritate tamen pontificiâ relaxabile, seu dispensabile, constat *ex Cap. inter Corporalia. De Translat. Episc.* At Pontificem solvendo istud vinculum non uti potestate Humanâ, sed Divinâ, id est Divinitùs concessa, patet ex eodem canone. Agnoscenda igitur est in Pontifice potestas quædam Divina, vi cujus possit relaxare Jus Divinum, non quidem in omnibus, sed 1.
in aliquibus præceptis, uti advertit Sanchez *cit. n. 6.* pro hoc dignoscendo talem statuens regulam; quòd aliqua sint præcepta Divina, quorum relaxatio in nullo excogitabili casu possit expediens esse, cujusmodi sunt de non fornicando, de honorandis parentibus, de servandis formis Sacramentorum divinitùs institutis: Econtra verò alia sint præcepta Divina, quæ licèt in universum expediant, in aliquo tamen particulari 2.

casu possint non expedire, & sic admittere dispensationem: velut in juramentis, votis, Matrimonio rato, & similibus.

3. Econtrario Pontificem in Jure Divino saltem propriè dispensare posse, negant Divus Thomas *Quodlib. 4. art. 3. in corp. & ad 1.* item *1. 2. q. 97. art. 4. ad 3.* Sotus *de just. lib. 1. q. ult. a. ult.* Suarez *cit. lib. 10. de leg. cap. 6.* Covarruvias *de sponsalib. p. 2. cap. 6. §. 9. n. 4.* Barbosa *lib. 1. juris Ecclesiast. cap. 2. n. 119.* & alij plures ab hoc, & a Sanche *citato n. 4.* relati.

Fundamentum est. Quia Dispensatio ab inferiore circa legem superioris facta justam causam necessariò exigit, ut valeat. At in lege Divinâ non potest dari justa causa, ob quam dispensatio fiat. Minor ista probatur. Quia cum Deus Optimus Maximus omnes viderit casus & causas, qui sub lege Divinâ cadere debebant, & Divina voluntas, à quâ humana Lex proficiscitur, sit omnino immutabilis; ideò planè sequitur; tum quòd, si aliquo casu voluit legis præceptum manere, justissimum sit, ut maneat, & justum esse non possit, ut auferatur ab inferiore. Tum quòd, si econtra nolit Deus, ut Lex pro aliquo casu particulari teneat, nequeat intelligi ejus relaxatio per Pontificem facienda. Consequens igitur est, dispensationem propriam, quæ legis vinculum tollat, circa præcepta Divinæ legis à summo Pontifice fieri non posse.

4. Nonnulli distinguunt in jure Divino, ita ut aliud sit absolutum, ex Divino arbitrio derivatum; aliud sit à voluntate humanâ ortum, & ex ejus suppositione duntaxat obligans: uti votum & Juramentum. Et de hoc posteriore jure Divino fieri posse veram propriè dictâ dispensationẽ seu relaxationem, tenent Richardus *in 4. dist. 38. à q. 9. in corp. & ad 1.* Hostiensis *Cap. Non est. n. 1. De voto* Henriquez *lib. 8. de Euch. cap 13. n. 2.* & alij.

5. Econtra verò, ne in hoc quidem jure Divino fieri propriâ dispensationem, sed declarationem duntaxat, tenent Divus Bonaventura *in 4. dist. 38. art. 2. q. 3.* Glossa *cit. Cap. Non est. ver. Authoritate* & alij ab Henrique *citato* relati.

6. Verùm in jure Divino absoluto, sive legis Gratiæ præceptis positivis, sive in institutione Ecclesiasticâ factâ *immediatè* ab ipso Christo, jureque suo stabilitâ, ne quidem interpretationem per modum Epikeiæ habere locum, probat Suarez *cit. cap. 6. n. 19.* eò quòd institutio per Christum definita tum circa materiam & formam Sacramentorum, tum circa Hierarchicum Ecclesiæ ordinem, vi cujus debeant omnes esse sub uno capite, nec non potestatis tam ordinis, quàm jurisdictionis subordinatio, consistat omninò in indivisibili, nec adeò mediante Epikeiâ admittat in substantialibus variationem aliquam.

CONCLUSIO.

7. NUllum prorsus Jus Divinum potest *Formaliter* relaxari per dispensationem summi Pontificis, quamvis huic erga Jus Divinum ex suppositione voluntatis Humanæ obligans, sit potestas indirecta, vi cujus non *Formaliter* in se ipso, sed *Materialiter* ex parte materiæ solvatur juris Divini obligatio.

Probatur ex illis verbis Christi Domini *Matth. 16. Quodcunque solveris super terram, erit solutum & in Cælis.* Ex his enim verbis constat, duplicem vinculi per claves Pontificias solubilis assignari formalitatem, ita ut altera sit super terram, in ipsis scilicet hominibus Papæ Universali Jurisdictioni subjectis; Altera verò sit in Cælis, in ipsâ scilicet voluntate Divinâ, suâ tum Physicæ causalitatis, tum Moralis Dominij efficaciâ obligationem in homines inducente. Hoc autem fit quandoque ex absolutâ Divini Dominij potestate, quandoque vero ex Hypothesi præviæ alicujus à voluntate humanâ liberè positæ actionis, velut âctus peccaminosus est Divini adversus peccatorem odij concitativus, ex vi cujus odij divini fit homo obnoxius privationi gratiæ sanctificantis ac præmiorum; cujusmodi proinde reatus eatenus est ex jure Divino, id est Divinæ voluntatis, ejusque Dominij efficaciâ de se omninò immobili, ut tamen sit supponens voluntariam hominis actionem. 8. Similiter Jus Divinum ex voto & Juramento ortum *formaliter* nihil aliud importat, quàm voluntatis Divinæ spontaneam vi voti, seu Juramenti Deo oblatam promissionem & obligationem, ex sui tum Dominij, tum primæ per Juramentum interpositæ veritatis motivo acceptam & firmâ habentis efficaciâ: Ex quâ proindè voluntatis Divinæ immobili efficaciâ oritur morale de voto reddendo, ac re juratâ verificandâ debitum, ut sic *formaliter* importans obligationem, tum Divini per Voti redditionem Dominij recognoscendi, tum Divinæ per Juramentum adductæ Veritatis reverendæ. In ejusmodi proinde, ad reatum ex peccato contractum subeundum, nec non ad Divinum Dominium ex voto recognoscendum, & ad Primam Veritatem ex vi Juramenti debite reverendam Juribus Divinis *Formaliter*, prout Deo inexistunt, nihil *per se loquendo* habet Potestatis Pontifex summus. Nihilominus ista Jura Divina 9. non ex absoluto Dei Dominio, sed ex peccati, seu voti, vel juramenti suppositione, actionis, vel passionis alicujus exactiva fundantur super materiâ, quæ est sub clavibus summi Pontificis. Probatur istud Assumptum. Quia materia Divinæ Justitiæ vindicativæ subjecta, ipsiusque adeò hominis sub Divino vindicationis judicio, ac Juris constitutiva sunt peccata *moraliter* perseverantia. Hæc autem Potestatis Pontificiæ per Jurisdictionem vi sacramentalis absolutionis exercitam *directe* ea auferre potentis clavibus esse subjecta, constat ex fide. Eo ipso autem quod materia, super quâ Divinæ vindicationis Jus est fundatum, sit ablata, ut sic cesset istud Jus Divinum, non quidem in se *formaliter*, sed *effectivè*, quoad effectus scilicet vindicationis. Quare Ecclesia super istud Jus Divinum non quidem habet *per se* ac *directe* potestatem ullam, potest tamen istud *Effective* spectatum tollere *indirectè* per materiæ huic Juri subjectæ subtractionem; Christo Domino insinuante, si Pontifex solverit vinculum, quod est super terram, peccati scilicet *moraliter* perseverantis reatum, ex consequenti quasi fore solutum & in Cælis. 10. Deinde materia, super quâ Jus Divinum ex voto, seu Juramento quasi partum fundatur, est actio quædam voluntatis nostræ libere obligatoria. Eo ipso autem, quòd homo baptizatus quoad actiones suas morales sit sub Jurisdictione Papæ, oportet, actiones voti

tionem. Ex hac igitur videntur *primùm* incœpisse Legis Evangelicæ consummato hujus statui connexa præcepta.

CONCLUSIO II.

12 Diversitas Sententiarum, diversa pro Legis Evangelicæ obligatione introductâ tempora statuentium videtur taliter decidenda; ut in morte Christi Legem Evangelicam consummantis, ea haberet vim legis, & obligationis Radicalis, in die verò Pentecostes per sui promulgationem obtineret vim formalis obligationis, de se universum orbem afficientis; & tandem per Authoritativam sub congruis credibilitatis signis intimationem acciperet robur obligandi *in actu* etiam *exercito*.

Probatur. Nam Lex per voluntatē & authoritatem Legislatoris definita est ad instar fœtûs adhuc intra uterum clausi, editur autē in lucem per sui promulgationem. Quâ peractâ, *per se* vim habet omnes obligandi, ita ut non nisi *per accidens* per ignorantiam legis invincibilem excusentur.
13 At verò per mortem Christi fuit consummatum Testamentum seu fœdus Christi cum Patre æterno initum, in vi cujus Testamenti definitæ erant etiam leges, sub quibus status Ecclesiæ consummatus esset constituendus. Vi cujus adeò Testamenti per Christi mortem consummati, Leges Ecclesiæ statui per hoc Testamentum consummando annexæ eatenus subsistebant, ut tamen ad universalem Ecclesiam necdum essent editæ, sed manebant in utero, seu Christi & Patris æterni pectore conclusæ. Quia verò hæ ipsæ leges eatenus habebant vim legum ad universam Ecclesiam, imò totum terrarum orbem sub unitate fidei aggregandum ferendarum, ut simul tamen vim haberent præcepti singulos etiam divisim spectatos afficientis; consequenter dicendum est, quòd, ut in vi non tam legis universalis, quàm in vi præcepti particularis formalem eorum obligationem quis contraheret, sufficiebat particularis sub congrua credibilitatis evidentiâ intimatio, uti probant argumenta *n. 2.* exposita, & non obscurè insinuat Divus Thomas *in 4. cit. dist. 3. q. 1. ar. 5. quæstiunc. 3.* dicens: *Baptismum fuisse obligatorium post Passionem, quantum ad quos potuit institutio pervenire.* Et hinc etiam ante mortem Christi poterat aliquod Christi præceptum fideles aliquos privatim obligare, ut non quidem statim, sed suo tempore deberent id executioni demandare, uti probat Argumentum
14 *n. 1.* explicatum. Verùm quia de legis *strictè* sumptæ ut sic ad universitatem ordinatæ substantia est, quòd mediante publicâ promulgatione debeat eatenus esse in lucem edita, ut ejus notitia ex vi talis publicationis possit ad omnes ac singulos subditos devenire; ideò Lex Evangelica in vi Legis universalis non habebat formalem obligandi virtutem, nisi à tempore solennis in Pentecoste factæ promulgationis. Et hinc ne, dum Baptismi necessitas esset solenniter publicata, deesset pro parvulis Justificationis remedium, etiam post Passionem Christi aliquantulo adhuc tempore viguisse remedium legis Naturæ, cum alijs docet Suarez *cit. cap. 4. n. 15. circa finem.* 15
Quæ proinde solennis in die Pentecostes promulgatio, de se ad universum terrarum orbem informandum non minùs erat sufficiens, quàm legis pro universo Christiano orbe instruendo latæ promulgatio Romæ facta sufficiens esse possit. Unde promulgatione illâ solenni peractâ, Lex Evangelica omninò stabat sub vi de se omnium hominum obligatoriâ. Nihilominùs ut ista vis *exercitè* posset ligare, oportebat, non tantùm in se perfectam esse, sed mediante suâ notitiâ debitè esse applicatam. Defectu cujus adeò applicatio- 16
nis per ignorantiam invincibilem, non potest quidem enervari illa vis de se obligatoria, nequit tamen in subjectum tali ignorantiâ affectum imprimere actualem obligationis effectum. Et hinc stante illâ etiam solenni promulgatione, opus erat ulteriori per singulas Provincias & Nationes prædicatione, quam ex speciali Divinâ ordinatione fuisse successivè propagatam, constat ex fundamentis *n. 4. ac seq.* deductis.

✻✻✻✻✻✻✻✻✻)(✻✻✻✻✻✻✻✻✻

CONTROVERSIA V.

Qualia vigeant Præcepta in Lege Evangelicâ, & quomodò obligent?

1 Commune Theologorum Axioma est, quod in Lege Nova nulla sint Præcepta, nisi fidei & Sacramentorum. Cui consonat Divus Thomas *quodl. 4. a. 14.* docens, *Legem novam esse contentam præceptis moralibus Naturalis Legis, & articulis fidei & Sacramentorum.* Hinc Suarezius *cit. lib. 10. de legibus. cap. 2. n. 2.* Legis Novæ Præcepta dividit in moralia, & Cæremonialia. De quo equidem posteriore Sacramenta, & hisce annexa præcepta continente genere sigillatim dicemus, ubi de Sacramentis agemus. De priori autem Moralium, fidei etiam præcepta continentium, novæ legis mandatorum genere duæ hic occurrunt difficultates. Altera, *Utrum Christus in materiâ morali addiderit præceptum aliquod positivum super omnia præcepta Moralia Juris naturalis, sive consentanea rationali naturæ tam purè sumptæ, quàm elevatæ per gratiam, seu Connaturalis ipsi gratiæ?*

Altera difficultas est, *Utrum vi Legis Evangelicæ extet aliquod præceptum morale ad ipsummet virtutis modum, sive formalem Honestatis Bonitatem moralem obligans?*

Referuntur Sententiæ.

2 Suarez *citatus n. 5.* docet, in lege gratiæ nullum esse additum a Christo præceptum positivum Morale *strictè* sumptum, distinctum à præcepto ad actus Fidei, Charitatis, Religionis, aliarumque virtutum, obligatorio, ut sic condistincto à Cæremonialibus Sacramenta complectentibus Præceptis, quæ latè duntaxat dici possunt moralia, quatenus eorum materia ad moralem Religionis virtutem spectat.

Probatur inductione. Nam *primò* circa præ-

tes voti & Juramenti, non quidem *Physicè*, sed *Moraliter*, atque adeò quoad moralem sui perseverantiam esse subjectas Pontificiæ Potestati: Quare Papæ est potestas solvendi illas morales voti & Juramenti actiones, earumque moralem perseverantiam. Hæc ipsa vero solutio, quæ non potest fieri absque rationabili causâ, in eo se tenet, quod per motivi altioris sub ipsâmet obedientia Pontifici debita consummandi applicationem, materia voti, seu Juramenti reddatur eo ipso inepta; quod sub tali, partim secundum rei naturam, partim secundum congruam obedientiæ Pontifici debitæ subjectionem, perfectioris virtutis motivo materia ejusmodi non jam sit de meliori bono. Unde de ipsâmet voti & Juramenti materia tunc per Pontificis potestatem ea eius solvitur super terram, ut consequenter, per *indirectum* in cælis etiam, in ipsâmet voluntate Divina, non intelligatur amplius stare acceptatio materiæ per votum oblatæ, tanquam melioris boni. Constat igitur, qualiter Jus Divinum ex suppositione liberæ hominis actionis resultans non quidem *formaliter* sit dispensabile per Pontificem, *materialiter* tamen ex parte materiæ eatenus sit subjectum hujus Potestati, ut *consequenter*, ac *per indirectum* mediante Pontificia potestate intelligatur, non quidem *Formaliter* in se ipso, sed *Effective* tolli Jus Divinum. Unde etiam fit, quod, cum Juris Divini absoluti obligatio etiam passiva non radicetur in homine, sed diffundatur præcise ex Divinæ voluntatis absoluto Dominio, neque Papa adversus istud Dominium, ejusque causalitatem, atque adeò effectum, ex hâc præcisè, non vero hominis voluntate promanantem habeat aliquid Potestatis, non possit etiam *materialiter* dispensare in Jure Divino absoluto. Et hinc patet etiam Responsio ad fundamentum *n. 1.* oppositum. Verùm de illâ Papæ ad vota dispensanda, potestate, *An, & quomodo se extendat ad votum solemne Religionis*, alibi ex instituto discutiemus.

COROLLARIUM.

INfertur. Qualiter legi Evangelicæ proprium sit, habere vim justificandi? Nam ista proprietas non tam est *in quarto*, quàm *in secundo modo*, ita ut conveniat quidem soli legi Evangelicæ, non tamen omni.

Ratio est. Nam vis justificandi est duplex, *ex opere scilicet operato* & *ex opere operantis*. At prior Justificandi virtus respectu adultorum non habebat locum in ullo Ecclesiæ statu, nisi in hoc ultimo per Christum consummato: siquidem in prioribus Ecclesiæ statibus, seu lege naturæ ac Mosaicâ, non extiterint ulla pro adultis sacramenta vim gratiæ *ex opere operato* causatricem habentia, sed Naturæ duntaxat remedium contra originale peccatum, quod tamen pro solis parvulis usu rationis adhuc carentibus erat institutum, ut sic pertinens ad ipsam Christi legem Evangelicam, *virtualiter* tunc existentem in virtute Christi meritorum, ex quibus à tempore Adami lapsi unica tunc fuerat Justificationis spes. 2.

Deinde licèt in adultis tempore legis Naturæ ac Mosaicæ vigerent etiam præcepta fidei, spei, & Charitatis, quarum adeò virtutum actibus poterat homo peccator disponi ad gratiam justificantem, *ex opere operantis de congruo* promerendam, nec non homo Justus *de condigno* mereri gratiæ ac Gloriæ augmentum. Hæc tota tamen Divinarum gratiarum & actuum supernaturalium non nisi ex meritis Christi fluentium series reducenda erat in Novum Christi Testamentum, cum Patre æterno initi & in Cruce consummati fœderis. 3.

Denique in novâ etiam lege extant Præcepta Decalogi, quorum plerumque adimpletio fieri potest per actus *moraliter* bonos ordinis Naturalis: qui ipsi tamen actus non fiunt sine gratiæ naturalis auxilio per ipsummet etiam Christum quà Naturæ Instauratorem collato. Unde ut sic Præcepta Decalogi pertinent etiam ad legem Evangelicam, & tamen non habent vim justificandi, vel etiam augendi gratiam. Constat proinde, quòd legi alicui etiam quà Evangelicæ, id est per Christi gratiam naturalem tamen adimplendæ non conveniat vis justificandi. Quamvis proindè ista vis justificandi soli legi Evangelicæ sit conveniens, non tamen omni, estque adeò hujus propria non *in Quarto*, sed *in secundo* duntaxat *proprietatis modo*. 4.

QUÆ-



QUÆSTIO DECIMA SEXTA
DE
LEGE HUMANA.

Ribus articulis constabit præsens quæstio. In primo elucidabitur. *Quibus, & qualiter hominibus competat legislativa potestas?* In 2. *Quænam sint Essentialia requisita ad legem humanam?* In 3. *Quænam sit obligatio legis humanæ, & quos afficiat?*



ARTICULUS I.
DE
Humanâ Legislativâ potestate.

1. OMnis quidem legislativa potestas est *Effectivè*, imò & *Formaliter participativè* Divina, juxta illud ad *Rom. 13.* *Non est potestas nisi à Deo, & qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit.* Nihilominùs aliqua legis ferendæ facultas & authoritas dicitur Humana *subjectivè*, quatenus sub intelligibili quâdam Divinitùs impressâ formatione super homines signatum est lumen, vi cujus agnoscant, in omni Communitate opus esse authoritativâ ad regendum populum potestate, cùm, ubi non est Gubernator, populum corruere, sit neces-
2. sum. *Prov. 11. cap.* Quia verò humanum genus non subsistit intra limites rationis naturalis, sed ad gratiæ supernaturalem non nisi Divinæ naturæ vires omni modò excedente lumine dirigibilem statum est elevatus, inde sicuti duplex inter homines est communitas, Politica nimirum, & Ecclesiastica; sic oportet duplicem dari Humanam Legislativam potestatem, Tem-
3. poralem nimirum ac spiritualem. Et quidem ex fide Divina alibi exponenda constat, Ecclesiasticam legislativam potestatem esse *immediatè* ex Deo, seu Christo penes summum Pontificem. Verum politicam & Civilem Jurisdictionem esse Divinitus concessam *immediatè* Communitati, & ex hujus voluntariâ Translatione derivatam in Principem aliquem, sive Imperatorem, aut Regem, deciditur *Leg. 1. ff. De constitutionibus Principum. & leg. 3. §. Novissime? ff. De Origine Juris.* Item *Can. Per venerabilem Qui filij sint legitimi.* De quâ proinde duplici alterâ Ecclesiasticâ, alterâ Politicâ legislativâ potestate quatuor hic controversijs differemus. In 4.
1. quæsituri. *An, & qualiter pro omni statu Ecclesiæ fuerit aliqua spiritualis legislativa potestas?* In 2. *Qualis, & quomodo alijs Papâ inferioribus in Ecclesiâ competat ista authoritas?* In 3. *Utrùm Imperatori, vel etiam Papæ sit de jure facultas ferendi leges Civiles pro toto orbe?* In 4. denique *Qualiter alijs Imperatore inferioribus conveniat ista potestas?*



CONTROVERSIA I.
Utrum pro omni statu Ecclesiæ fuerit aliqua spiritualis legislativa potestas?

CONtroversia procedit etiam de lege naturæ. Cujus equidem duplex est habenda ratio, una scilicet intra pura naturalia limitationis, altera elevationis per Gratiam. Et quidem juxta priorem considerationem, abstrahendo ab omni etiam supernaturali elevatione, adeò erat hominibus ingenitum lumen Sacerdotij, ut in omni natione falsos etiam Deos colente præter regiam potestatem esset potestas Sacerdotalis. Ex quo non infirmum videbitur desumi argumentum, quòd homines in puræ etiam naturæ statu constituti, si naturali vultus Divini super se signato lumine ad veri Dei agnitionem, & Cultum servandum usi fuissent, ex ratiocinatione naturali habuissent agnitam necessitatem alicujus Sacerdotalis, ea, quæ ad Divinum spectarent cultum, curantis potestatis. Quæ proinde ad instar Civilis authoritatis *Originativè* resideret in Communitate, ex hâc in unam, vel plures personas, imò in ipsum Regem, seu Communitatis Rectorem politicum transferenda. Cujus equidem ratio elegans insinuatur per Divum Thomam *1. 2. q. 99 a. 3.* Quia Regiæ potestatis Finis est pax communis & Gubernatio politica. At ex eo vel maximè, quod cura eorum, quæ ad Religionem spectant, dispositio sit præcipuum medium conservandi rempublicam, ejusque pacem & Gubernationem politicam, conveniebat Regiæ etiam Potestati Cura eorum, quæ

quæ erant Religionis. Quando igitur potestas Sacerdotalis, cujus est, ea, quæ Religionis sunt, curare, non supergressa fuisset puræ naturæ, per naturale super nos signatum Divini Vultûs lumen in Deum authorem, ac Finem suum reducibilis limites, congruum fuisset, potestatem Sacerdotalem unà cum Regiâ authoritate conjungere in unâ personâ, vel huic eam subordinare, uti testantur historiæ factum in
3. urbe ac Imperio Romano. Verum quia in præsenti non de hac puræ naturæ congruâ Sacerdotali potestate, sed elevatiore ac Diviniore supernaturalis Gratiæ elevationi respondente authoritate soliciti sumus. Ideo tum de lege naturæ supernaturaliter elevatæ ad Moysis usque tempora durante, tum de statu Mosaicæ legis, tum denique de Ecclesiæ per Christi institutionem jam consummatæ statu difficultas hic movetur. *Qualiter in omnibus hisce statibus extiterit non tantùm Sacerdotium, sed authoritativa legum spiritualium ferendarum potestas?*

CONCLUSIO I.

4. NOn improbabiliter dici potest, quòd tempore legis naturæ ad Moysis usque tempora fuerit in Ecclesia potestas supernaturalis legislativa, per ipsius supernaturalis luminis infusionem derivata in populum fidelem, & ex hoc eatenus derivabilis in unam, vel plures personas, ut singulæ reipublicæ communitates supernaturalia Fidei Mysteria agnoscentes possent singulos pro tali communitate supremos instituere Sacerdotes, cum authoritativâ legum spiritualium ferendarum potestate. ex Suarezio *lib. 4. de legib. cap. 2. n. 8.*

5. Probatur. Quia Ecclesia in illo statu non habebat tam perfectam unitatem, quam nunc habet per Christum; sed habebat duntaxat unitatem fidei, & habitudinis ad eundem Finem supernaturalem, eundemque Mediatorem Christum. Quare tunc deficiebat unitas conformitatis in externis signis Sacramentorum, aliarumque Cæremoniarum, nec non unitas subjectionis ac obedientiæ ad unum Caput in terris, adeò ut non esset una & eadem numero, ac suprema potestas in Ecclesiâ. Et hinc quia unaquæque communitas, independens ab aliâ in subjectione politicâ, esset ab eâdem independens in subjectione etiam Ecclesiasticâ, poterat in quâvis republicâ perfectâ & Totali veram Mysteriorum supernaturalium fidem tenente esse suprema potestas in Cultûs Divini ordine, adeò ut ex cujuslibet talis communitatis determinatione penderet, in quem, vel quos transferretur illa potestas.

CONCLUSIO II.

6. IN statu legis Mosaicæ erat divinitùs institutum supremum pro populo Israelitico Sacerdotium, cui eatenus erat potestas Gubernandi ea, quæ spectabant ad res sacras, & dubiorum circa legem, & Causarum judicia occurrentium declarationem, ut tamen huic Sacerdotio non esset necessariò annexa authoritas ferendi leges Ecclesiasticas, sed ista potestas poterat residere vel in populo nullum adhuc Regem habente, vel tandem in ipsomet Rege. ex Suarezio *cit. cap. 2. n. 6. ac sequentibus.*

Probatur. Nam 1. ex libro *Levitici*, & totâ ad *Hebræos* Pauli Epistolâ constat, in lege Mosaicâ Divinitùs institutum fuisse Sacerdotium à Dignitate Regali distinctum. Hoc ipsum verò sacerdotium a legis quoque naturæ Sacerdotio dignoscitur fuisse diversum, eo vel maximè, quòd non fuerit universale pro totâ Ecclesiâ, quæ ex Judæis simul ac gentibus veri Dei fidem tenentibus constare poterat, sed pro Synagogâ duntaxat. At verò de hoc ipso Sacerdotio dicitur *Deut. 17. Qui superbierit, nolens* (in iis scilicet, quæ ad res sacras, & dubiorum in Causarum judicio occurrentium declarationes spectabant) *obedire Sacerdotis imperio, moriatur.* Unde oportuit, Sacerdotio pro illis causis fuisse potestatem obligandi suo imperio, cum alioquin pœna tam gravis transgressoribus imposita non subsisteret. Et hinc etiam Christus *Matth. 23.* dicebat. *Super Cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi, quæcumque dixerint vobis, servate, & facite.* 2. In populo Israelitico erat quidem potestas legislativa Ecclesiastica, non tamen opus est, asserere, quod ista super universum populum authoritas ex vi Pontificatûs, & solius Divini Juris fuerit penes Sacerdotem Leviticum & Summum. Ratio prioris desumitur ex illo ad *Galat. 1. Abundantiùs æmulator existens paternarum mearum traditionum.* Sub his enim traditionibus Divus Thomas *2. & 3. lect. in cit. ad Gal. cap.* intelligit leges humanas justè latas in eo populo. Unde & Christus Dominus *Matth. 15.* reprehendit Judæos, quod irritum fecissent mandatum Dei propter traditiones suas. Ratio posterioris est. Quia *Deut. 17.* solùm conceditur Sacerdoti summo cum consilio aliorum potestas in decisione dubiorum insurgentium in causis, vel circa interpretationem legis. At potestas legislativa est alia, longè diversa. Unde Suarez *citatus n. 9.* existimat, probabile, quòd ante tempora Regum, vel illis (in quos alioquin translata erat) deficientibus, fuerit illa potestas in populo: Siquidem *ex 9. cap. Esther* constet, totum populum Rege tunc destitutum communi consensu tradidisse legem de solennitate alicujus diei. Sicut *1. Mach. 4. v. 59.* legitur etiam, quòd *Judas & Fratres ejus, universaque Ecclesia Israël statuerit, ut ageretur dies Dedicationis altaris in temporibus suis ab anno in annum.*

7.

8.

9.

CONCLUSIO III.

IN statu legis Evangelicæ indubitatum, ac de fide certum est, existere in summo Pontifice potestatem legislativam erga universam Ecclesiam.

Probatur ex illis Christi Domini verbis. *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in Cælis.* 10.

Cœlis. At hiſce verbis promiſerat Chriſtus Petro poteſtatem Pontificiam, quam ipſi actualiter contulit, dicendo *Ioan.* 21 *Paſce oves meas.* Illa verò verba poteſtatem ad ligandum conferentia, cùm ſint omnino indefinita, illam vel maximè poteſtatem inferunt, quæ eſt maximè neceſſaria ad gubernandum & paſcendum Oves Chriſti, ſeu Eccleſiam, ejuſque concives fideles: Ejuſmodi autem vel maximè eſt poteſtas legislativa. At eo ipſo, quod poteſtas illa ſit ordinaria, non erat annexa perſonæ, ſed officio. Hoc autem Officium eſt *Moraliter* unum in ſucceſſoribus, & hinc dicitur perpetuum, quod nunquam mori poteſt. Illis ipſis igitur Chriſti verbis univerſalem gubernandi Eccleſiam, atque adeò leges ferendi erga fideles poteſtatem paſtorali Petri Officio annectentibus, fuit in omnes ejus ſucceſſores eo jam tempore *Virtualiter* translata illa authoritas; ita ut Pontifex ſummus illam paſtoralem dignitatem, ac Univerſaliſſimam erga fideles legislativam poteſtatem ab ipſomet Chriſto *immediatè* accipiat ſtatim, ac per Electionem eſt legitimè deſignatus Pontifex, ita ut hæc Electio nihil Juriſdictionis conferat, ſed perſonam duntaxat Petro ſuccedentē deſignet, Chriſto ex vi illorum verborum transferente in ipſum illam officio Papali de ſe perpetuo annexam jurisdictionem.

11. Unde etiam fit, quòd Pontifex in uſu ſuæ poteſtatis non dependeat à conſilio, ſeu conſenſu Cardinalium, imò neque univerſalis Concilij: uti rectè expendit Bellarminus *to.* 2. *de Concil.* 14. & Suarezius *cit. lib.* 4. *cap.* 3. *n.* 14. deciditurq; *Cap. Cuncta.* 9. *q.* 3. ubi ſic habetur, *Apoſtolica ſedes ſine ulla Synodo præcedente ſolvendi, & damnandi habuit poteſtatem.*

12. Cujus ratio eſt. Quia Papæ à Concilij ſeu Cardinalium conſilio in ferendis legibus dependentia nullibi eſt inſinuata, quin potius abſolutam Chriſtus dederit Petro, ejuſque adeò ſucceſſori poteſtatem, imò ſuper ipſum ceu Petram fundatam voluerit Eccleſiam ſuam, juxta illud: *Super hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam.* Et hinc non ex neceſſitate, ſed ex convenientiâ ſolitos eſſe Pontifices in ferendis legibus conſulere Cardinales, rectè probant Abbas *in Cap.* 2. *de Clericis non reſidentibus n.* 4. Felinus *in Rub. de Conſtit. n.* 2. & Canoniſtæ *communiter.*

CONTROVERSIA II.

Qualis, & quomodo aliis Papâ inferioribus in Eccleſiâ competat legislativa Eccleſiaſtica Authoritas?

1. De quibus hîc eſt difficultas, ſunt cæteri præter Petrum Apoſtoli, Archiepiſcopi, Patriarchæ, Legati ſeu Nuntij Apoſtolici, Epiſcopi, Concilia, præſertim Generalia, Abbates & Abbatiſſæ, Congregationes Cardinalium, Capitula Eccleſiarum præcipuè Cathedralium, aliaque Collegia.

Conclusio I.

2. Cæteris præter Petrum Apoſtolis etiam *immediatè* à Chriſto fuit commiſſa Apoſtolica authoritas, ſeu Generalis erga univerſalem Eccleſiam Juriſdictio Extraordinaria tamen, & poteſtati Petri quodammodò ſubordinata. Divus Antoninus *tract. de Schiſmat. q.* 45. Bellarminus *lib.* 4. *de Rom. Pontifice. cap.* 23. Sotus *in* 4. *diſt.* 20. *q.* 1. *a.* 21. Suarez *cit. lib.* 14. *cap.* 3. *n.* 4.

Probatur ex illis Chriſti Domini ad Apoſtolos prolatis verbis *Matth.* 18. *Quæcumque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlo, & quæcumque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlo.* Hæc enim verba ſunt Generalia, atque adeò comprehendunt omnem ligandi modum. In his autem eſt unus ligandi modus per præceptum ſeu legem, juxta illud *Matth.* 23. *Alligant onera gravia.* Illis igitur Chriſti verbis, ſi non actualiter collata, ſaltem promiſſa fuit poteſtas, quam Chriſtus Dominus poſtea dedit Apoſtolis *Ioan.* 20. dicens, *Sicut me miſit vivens Pater, & ego mitto vos.* Nam hiſce 3.
verbis ſecundùm Patres ſignificatur Legatio Apoſtolis commiſſa, de quâ Paulus Apoſtolus ait, pro *Chriſto Legatione fungimur.* Quam porrò Legationem fuiſſe reſpectu totius orbis, patet ex illo *Matth. ult. Euntes docete omnes gentes.* Quia ergo per Legationē ejuſmodi fuit data Generalis ligandi *cit. Matth.* 18. inſinuata poteſtas, importans ut ſic Jurisdictionem legislativam, illa ipſa verò Legatio fuit ad omnes Gentes, conſequens eſt, Apoſtolis fuiſſe poteſtatem legislativam in univerſum orbem Eccleſiæ tamen Chriſti coadunatum. *Quid enim,* ait Apoſtolus, *nobis, de iis, qui foris ſunt?* Unde & Paulus hanc legislativam poteſtatem à ſe exercitam profitetur 1. *ad Theſſalon.* 4. *Scitis,* inquiens, *quæ præcepta dederim vobis.* Confirmatur. Nam ipſi quoque Apoſtoli in locum 4.
prævaricatoris Judæ non authoritate ſuâ, ſed Divinâ duntaxat uſi ſunt ſubſtituere alium, *Act.* 1. ac ipſemet Paulus non ab alio, quàm à Chriſto *immediatè* accepit Apoſtolatum, uti docet ad *Gal.* 1. habeturque *in Capit. Quamvis. diſt.* 21. & *Cap. Fundamenta. De Elect. in* 6. Vi autem hujus Apoſtolatus Paulum accepiſſe plenitudinem poteſtatis, habetur *in Canone per Venerabilem. Qui ſint Filij legitimi,* ubi hoc eruitur ex illo Pauli 1. *Corinth.* 6. *Neſcitis, quia & Angelos judicabimus, quantò magis ſæcularia.* Conſtat igitur, omnes Apoſtolos cum poteſtatis plenitudine pro toto terrarum orbe ſeu univerſâ Chriſti Eccleſiâ ab ipſomet Chriſto *immediatè* inſtitutos fuiſſe.

Quam nihilominùs poteſtatis plenitudinem 5.
in Apoſtolis fuiſſe duntaxat Extraordinariam, per modum cujuſdam Legationis perſonalis, conſtat ex eo, quòd nullus cum Univerſali in orbem univerſum Jurisdictione ſucceſſerit Apoſtolis, excepto Petro, cui ſemper ſucceſſit Paſtor univerſalis, eò vel maxime, quòd, cùm ſuper Petri authoritate Divinitus conceſſâ ceu Petrâ eſſet fundanda Eccleſia in perpetuum duratura, oporteret, conſequenter illam quoque Authoritatem eſſe perpetuam. E contra verò licèt 6.
alij etiam Apoſtoli per ſuæ poteſtatis plenitudinem erexerint Eccleſias, veluti de ſancto Ioanne Evangeliſtâ teſtatur Divus Hieronymus de *Scriptoribus Eccleſiaſticis.* totius Aſiæ fundaſſe, ac rexiſſe Eccleſias, in ejs, teſte Tertulliano *lib.* 4. *contra Marcionem,* etiam conſtituendo Epiſcopos, nullam

lum tamen istorum, vel Apostoli alicujus successorum functos esse universali authoritate Apostolicâ, sed Ecclesiæ Romanæ subjectos, & ab hac post Legationis alijs Apostolis Divinitùs commissæ, mediante ipsorum morte exspirationem institutos seu confirmatos fuisse, constat partim ex Traditione, partim ex sacris Canonibus, & scriptoribus Ecclesiasticis, insinuatq; Irenæus *lib. 3. cap. 3. Ad Romanã*, inquiens, *Ecclesiam propter principaliorem principalitatem necesse esse, omnes convenire Ecclesias, hoc est, omnes undique fideles.*

7. Quinimò ex eo, quòd Petro universarum Christi ovium Pastoralis cura Divinitus sit concessa, evincitur, in ipsos etiam Apostolos fuisse potestatem suis ipsos legibus obligandi; earumque leges revocandi. Et hinc, licèt Apostoli non *quoad ordinem* duntaxat, sed etiam *quoad universalitatem jurisdictionis* fuerint Petro pares, hujus tamen jurisdictio illis, utpote sibi subordinatis supereminebat, uti pluribus docet Suarez *cit. cap. 3. n. 9.*

Conclusio II.

8. NE quidem Concilio Generali convenit potestas condendi leges saltem perpetuas, nisi dependenter à summo Pontifice, ex Bellarmino *lib. 2. de Concil. cap. 14.*

Probatur. Nam Concilium universale in triplici statu considerari potest, 1. tanquam Acephalum, vivente etiam Pontifice, absque ejus authoritate & consensu congregatum. Ut sic autem nullam omninò habet potestatem condendi leges obligantes Ecclesiam, siquidem ista authoritas legatur Petro, ejusque successoribus, non autem universitati Prælatorum Ecclesiasticorum data, quin potiùs istis etiam congregatis tanquàm membris non aliter competat, nisi per derivationem ex concessione Pontificiâ. Eo ipso autem, quòd Concilium absque Pontificis authoritate sit congregatum, deficit Capite, ex cujus influxu participare possit Jurisdictionem.

9. 2. Potest Concilium esse congregatum authoritate Pontificiâ, atque tunc controvertitur inter Doctores, an vi Convocationis eo ipso habeat à Pontifice potestatem ferendi leges, quæ antecedenter ad Pontificis approbationem ligarent Ecclesiam. Affirmant enim Bonacina *disp. 1. q. 1. p. 3. n. 13.* Victoria *in relect. de potestate Papæ q. 1. n. 6.* Econtra Cajetanus *opusc. de comparat. Papæ & Concilij.* Navarrus *lib. Conf. tit. de Concil. cons. 1. n. 2.* Castropalaus *de Legibus. punc. 23. n. 15.* & alij arbitrantur; ex vi illius authoritativæ Convocationis summum Pontificem potestatis suæ de universali Ecclesiâ per leges obligandâ delegationem non in tantum facere, quin pro tali obligatione introducendâ opus adhuc sit approbatione Pontificiâ, eò vel maximè, quòd omnia Concilia Generalia soleant à summo Pontifice postulare Decretorum suorum Confirmationem, veluti à Concilio quoque Tridentino *sess. 25.* in fine factum constat. Unde videtur evinci, quòd ipsamet etiam Concilia Generalia judicent, leges suas ad obligationem toti Ecclesiæ inducendam indigere adhuc approbatione Pontificiâ.

10. 3. De Concilio authoritate Papæ congregato posset moveri difficultas; *An ipsi per summum Pontificem posset fieri talis delegatio jurisdictionis suæ Pontificiæ, ut vi talis delegationis leges quæcunque statutæ eo ipso absque ulteriori Pontificis approbatione ligarent universalem Ecclesiam?* In quo equidem affirmat Salas *de Legib. disp. 8. sect. 19. n. 92.* Econtra negat Suarez *cit. lib. 4. cap. 6. in fine*, eò quòd leges Canonicæ obligantes totam Ecclesiam, proficisci debeant à potestate, quæ in rebus ad mores pertinentibus errare non possit. Hæc autem potestas pendens à speciali Spiritûs sancti directione Pontifici promissâ, æquè non est delegabilis, atque potestas articulos fidei definiendi delegari non possit.

Verùm Castropalaus *cit. punc. 23. n. 30.* videtur optimè distinxisse. Aliæ enim sunt leges, quæ non tam sunt positivæ constitutiones, quàm definitiones fidei, & conclusiones ex principijs tum revelatis, tum naturalibus deductæ: cujusmodi censetur esse lex prohibens Matrimonia Eunuchorum, Bigamiam, Coitum vagum, mutuum dare sub usuris, & fortè præscriptionem rei malâ fide possessæ. At eo ipso, quòd assistentia Spiritûs Sancti ad ejusmodi leges requisita delegari nequeat, sequitur, neque potestatem leges ejusmodi ferendi esse à Pontifice delegabilem. Aliæ proinde leges sunt per modum positivæ constitutionis, non nisi remotè ad salutem pertinentes, utpote quibus etiam non existentibus, salus obtineri posset, cujusmodi v. g. sunt leges statuentes peculiaria quædam jejunia, seu beneficia acquirendi modum, vel accidentarias missæ sacrificij Cæremonias. In his autem, cùm non sit opus infallibili Spiritûs Sancti assistentiâ, videtur omninò, potestatem legislativam esse delegabilem. 11.

4. Denique Concilium generale potest esse congregatum vel deficiente summo Pontifice, utpote in hæresin lapso, atque adeò authoritate suâ, (quæ non nisi Capiti, atque adeò membro Ecclesiæ per Christum concessa est) destituto, vel Schismate, ratione cujus de legitimo Papâ dubitatur, interveniente. In quibus adeò casibus ex ipso jure naturali, ne scilicet Ecclesia omni remedio videatur destituta, posse Concilium taliter congregatum condere leges Ecclesiæ gubernationi pro illo statu necessarias, non tamen perpetuò, nisi postea per summum Pontificem approbentur, pro universali Ecclesiâ duraturas, Suarez *citatus n. 4.* & ex ipso Castropalaus *n. 16.* probant ex eo, quòd non alia tunc sit Concilio potestas, nisi quæ ex jure Divino naturali in quolibet Corpore Mystico consequitur, ut supremo capite deficiente, possit se gubernare, ac tueri per particulares in unum Corpus unitos principes: ejusmodi verò potestas sit restricta ad talem necessitatis statum. 12.

Conclusio III.

COncilia Nationalia, Provincialia, & Diœcesana non aliam habent vim legislativam, nisi quæ vel Episcopis in unum congregatis respectu suarum Diœcesum, vel Ordinario præsidenti pro suo Territorio est competens, ex Castropalao *cit. punc. 23. n. 18.*

Probatur. Quia Nationale Concilium est, quando omnes Episcopi & Archiepiscopi alicujus Nationis, sub uno Primate seu Patriarcha congregantur, Provinciale verò Concilium est, 13.

eſt, dum ſub uno Archiepiſcopo Epiſcopi Suffraganei conveniunt. Diœceſanum denique Cōcilium ſeu Synodus Diœceſana eſt, ubi omnes Rectores Eccleſiarum, Abbates & Priores junguntur cum ſuo Epiſcopo. At eo ipſo, quòd quilibet Prælatus ſeorſim à ſuo Clero poſſit leges ferre, poterit id multo magis ex ejus conſenſu; uti colligitur *ex Cap. Catholica 11. diſt. & Cap. Concilia. diſt. 17. Cap. Regula. diſt. 3. & Cap. Placuit. 12. q. 2.* Nihilominus quia leges in hiſce Concilijs ſtatutæ non habent authoritatem niſi à poteſtate tum Epiſcopis, tum Archiepiſcopo, aut Primati competente, nequeunt iſtorum territoria excedere, niſi per ſummum Pontificem canonizentur ac extendantur ad univerſam Eccleſiam.

14. An verò iſta Canonizatio locum habeat in Decretis particularium Conciliorum, aliarumque authoritatum Decreto Gratiani inſertarum, non omninò convenit in Doctores. Affirmat enim Felinus cum Canoniſtis à ſe relatis *Cap. 2. de Reſcriptis. n. 45.* propter longam operis obſervantiam & conſuetudinem. Econtra negant Gloſſa *Cap. 1. de rebus Eccleſiarum alienandis. verbo Tractatus* Decius *cit. cap. 2. de Reſcriptis.* Suarez *cit. lib. 4. cap. 5. n. 7.* Caſtropalaus *ſupra n. 13.* Cujus ratio eſt, quod neque Gratianus habuerit poteſtatem dandi vim legis, neque Pontifex pro legibus omnia in illo Decreto contenta approbarit, & alias conſuetudo in contrarium allegata non videatur ſtipata conditionibus ad legem ex conſuetudine inducendam requiſitis. Unde licèt contenta in illo Decreto, Doctoribus proximè *citatis* atteſtantibus, magnam habeant authoritatem, ratione cujus ſequenda ſint ex æquitate, attamen ex præciſâ in illud Decretum inſertione & obſervantiâ vim legis non habent.

Conclusio IV.

Indubitatum eſt, Epiſcopis eſſe poteſtatem pro ſuo Epiſcopatu ferendi leges: quæ tamen authoritas ipſis non competit *immediatè* à Chriſto, ſed ex conceſſione Papæ.

15. Prior pars expreſsè habetur *in Can. 2. de Majorit. & Obed.* Item *Can. 2. de Conſtit. in 6.* Poſterior autem pars traditur à Bellarmino *lib. 2. de Rom. Pont. cap. 15. & lib. 4. cap. 14.* Soto *in 4. diſt. 20. a. 4.* Cajetano *to. 1. Opuſc. tract. 1. cap. 19.* Antonino *3. par. tit. 22. cap. 4. §. 1. verb. ſeptima.* Suarezio *cit. lib. 4. cap. 4. à n. 6.* Salâ *de legib. diſp. 8. ſect. 3.* Caſtropalao *cit. punc. 23. n. 4. & alijs* contra Vaſquezium *1. 2. diſp. 152. cap. 2.* exiſtimantem, omnes Epiſcopos *immediatè* à Chriſto Domino accepiſſe poteſtatem Jurisdictionis dependenter tamen à Pontifice quoad Materiæ & ſubditorum aſſignationem.

16. Noſtra ſententia probatur. Quia ſoli Petro, ejuſque ſucceſſoribus dictum eſt, *paſce oves meas.* Hoc ipſum verò paſtoralis muneris officium *Formaliter* importat Juriſdictionem ad regendum Chriſti fideles. Ex vi autem hujus de gubernandâ Eccleſiâ paſtoralis commiſſionis fuit Petro etiam impoſitum præceptum, quòd, cùm ſolus univerſæ Eccleſiæ regendæ non ſufficeret, inſtitueret Hierarchicum Eccleſiæ ordinem, vi cujus partem ſuæ ſolicitudinis alijs etiam mandaret, creando ſcilicet Epiſcopos, ac inſtituendo Epiſcopatus. Quamvis ergo juris Divini ſit, quòd Epiſcopi ſint in Eccleſiâ, non tantùm cum poteſtate Ordinis, ſed etiam Juriſdictionis, hoc tamen Jus Divinum non eſt *immediatè* Epiſcopis collativum alicujus Juriſdictionis, ſed præceptivū Papæ, ut inſtitueret Epiſcopos & Epiſcopatus, certos Juriſdictionis Epiſcopalis limites deſignādo. Et hinc licèt etiā cæteri Apoſtoli inſtituerint Epiſcopatus ex plenitudine poteſtatis Apoſtolicæ, quia tamen iſta Juriſdictio erat extraordinaria per modum legationis perſonalis, ideò cùm Apoſtolorum perſonis eatenus fuit extincta, ut poſt iſtorum mortem Epiſcopi inſtitui & confirmari poſſent per ſolum Papam, vel ex ejus mandato. Unde Leo Papa *in Cap. Ita Dominus diſt. 19.* ait: *Poteſtatem Petri fuiſſe à Chriſto Domino illi donatam, ut ab ipſo, quaſi à quodam capite, dona ſua velut in omne corpus diffunderet.*

Et Gregorius *in Cap. Decreto. 2. q. 6.* ita decernit: *Romana Eccleſia vices ſuas ita alijs impertivit Eccleſijs, ut in partem ſint vocatæ ſolicitudinis, non in plenitudinem poteſtatis.*

Neque obſtat 1. quòd Epiſcopi videantur 17.
eſſe ſucceſſores Apoſtolorum, quibus data eſt poteſtas Juriſdictionis *immediatè* à Chriſto, utpote non ad Petrum duntaxat, ſed ad omnes Apoſtolos aſſerente: *Quæcumque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlis, & quæcumque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlis.* Nam falſum eſt, quòd Epiſcopi in Apoſtolatu ac in Juriſdictione ad univerſum etiam orbem ſe extendente ſucceſſerint etiam quoad partem Juriſdictionis, licèt quoad ordinem Conſecrationis dici poſſint eorundem ſucceſſores, vi cujus Conſecrationis eatenus habeant poteſtatem Ordinis, ut indigeant tamen Juriſdictione derivandâ ex ſolius Papæ conceſſione. veluti Divus Thomas *4. contra Gent. cap. 74. rat. 41.* clarè inſinuat, ubi ait; ideò Chriſtum ſpecialiter promiſiſſe Petro. *Tibi dabo claves regni cœlorum, ut oſtenderetur, poteſtas clavium per eum ad alios derivanda ad conſervandam Eccleſiæ unitatem.* Idem habet *in 2. diſt. 44. in fine circa expoſit. litt.* Et *in 4. diſt. 20. q. un. a. 4. quæſtiunc. 3.* loquens de poteſtate concedendi Indulgentias ſic ait. Papa habet plenitudinem poteſtatis Pontificalis, quaſi rex in regno: Epiſcopi verò aſſumuntur in partem ſolicitudinis quaſi Iudices ſingulis civitatibus præpoſiti. Neque obſtat 2. quòd Paulus *Act. 20.* dicat, Epiſcopos eſſe poſitos à ſpiritu Sancto regere Eccleſiam. Unde videtur evinci, ab ipſomet Spiritu Sancto, adeòque divinitùs convenire Epiſcopis poteſtatem gubernativam in Eccleſiâ. Nam illud Pauli taliter accipiendum, quatenus in ipſâmet Apoſtolicæ poteſtatis quà ordinariæ in ſucceſſores transferibilis non niſi Petro conceſſæ collatione ac inſtitutione ſubeat Præceptum Divinum de ordine Hierarchico Eccleſiæ inſtituendo, atque adeò creandis Epiſcopis. Qui proinde ex vi inſtitutionis *in actu quaſi ſignato* ſpectatæ, ſive præceptæ, ſunt divinitùs à Spiritu Sancto poſiti ad regendam Eccleſiam Dei, licet in viâ executionis quoad actualem poteſtatis in Eccleſiâ Gubernativæ *exercitæ* factam collationem eatenus dependeant à Papa, ut non niſi ex iſto ſecundum viam poteſtatis ordinariæ, ex cæteris au-

tem

tem Apostolis secundùm viam Extraordinariæ & quasi personalis à Christo sibi commissæ legationis possit in quemquam Episcopum esse vel fuisse derivata aliqua Iurisdictio.

18. Hinc fit 1. Quòd, cùm ista Episcopalis Jurisdictio non competat ex vi Ordinis, possit à Papâ concedi etiam non Episcopo: imò ex Juris dispositione competere Episcopo Confirmato, necdum licèt Consecrato, ut possit pro suo Episcopatu convenientes condere leges, eruitur *ex Can. 2. de Majorit. & obedient & Can. 2. de*
19. *Constit. in 6.* Neque 2. Episcopum in suâ leges ferendi potestate dependere à consensu Capituli, nullibi enim invenitur potestas illa concessa cum tali dependentiâ, nisi quòd pro festis statuendis requiratur consensus Cleri, aut etiam populi. *Cap. ult. de ferijs.* & pro alienandis rebus Ecclesiæ consensus Capituli. *Cap. Vestra. de Locat. Cap. Novit. Cap. Quanto. de his, quæ fiunt à Prælato sine consensu Capituli.* Ex quibus non posse argumentum desumi ad alios casus, arguit Panor-
20. mit. *Cap. ult. de Officio Delegati.* 3. Posse tamen Episcoporum legislativam potestatem ac Jurisdictionem restringi à Papâ, utpote ex cujus voluntate sit necessariò dependens. Cujusmodi adeò restrictio intelligitur esse facta in omnibus ijs, quæ Papa sibi soli reservavit: Uti sunt 1. Erectio Ecclesiæ in Cathedralem, ut ne quidem Archiepiscopus id facere possit. *Cap. Præcipimus. 16. q. 1.* 2: Episcopatûs divisio. *Glossa verb. Divisio. in cap. 1. dist. 10.* & Canonistæ communiter. 3. Episcoporum translationes ac sedium mutationes. *Cap. Frater noster. 16. q. 1. Cap. Nisi. de Officio legati. Cap. 1. de Jurejurando.* 4. Admissio renuntiationis Episcoporum. *Glossa verb. Causatio. vers. ipse solus. in Cap. Præceptis. dist. 12.* 5. Judicare Episcopum. *dicta Glossa. vers. solus enim Papa.* 6. Restitutio Episcopi. *Glossa citata. Vers. solus Papa restituit.* 7. Dare coadjutorem Episcopo. *Cap. 1. de Clerico ægrotante* 8. Concessio Coadjutoriæ quorumcunque beneficiorum cum futurâ successione. *Concil. Trident. sess. 25. de Reform. cap. 7.* 9. Unio duorum Episcopatuum; *Cap. Sicut unire. de Excessibus Prælatorum.* 10. Creatio novarum Dignitatum in Ecclesiâ Cathedrali, vel Collegiatâ. *Glossa verb. Concessimus. in cap. Cum olim. de Consuet.* 11. Duorum Episcoporum in uno Episcopatu collocatio. *Cap. Quoniam. de Officio Ordinarij.* 12. Dare administratorem Ecclesiæ Cathedrali. *Cap. Is cui. de Elect. in 6.* 13. Dare Visitatorem Ecclesiæ Cathedrali vacanti. *Cap. ult. de supplendâ neglig. Prælat.* 14. Duos Episcopatus uni conferre. *Cap. Is cui. 42. de Elect. in 6.* 15. Restitutio Degradati. *Glossa in Cap. Ideo. 2. q. 6.* 16. Conferre beneficium ad tempus, & sub conditione etiam de futuro. *Cap. Gratiosè. de Rescriptis in 6.* 17. Concedere jus ad vacatura beneficia. *Cap. 2. de Præbendis in 6.* 18. Tradere laicis Decimas. *Cap. Cum Apostolica. de his, quæ fiunt à Prælatis.* 19. Causam Clericorum, seu Beneficiorum collationem committere laico. *Cap. Mennam 2. q. 4. Et Cap. Ad minus 63. dist.* 20. Reconciliationem Ecclesiæ consecratæ simplici sacerdoti committere. *Gloss. in cap. Quanto. de Consuetud.* 21. Exemptionem à Jure & potestate Episcoporum concedere. *Cap. Nullâ ratione. 92. dist.* 22. Canonizare sanctos *Cap. 1. de Relig. & Venerat. Sanctorum.* Quibus, advertente Castropalao *cit. n. 8.* accenseri debet definitio alicujus veritatis fidei, sacerdotum continentia, revocatio consuetudinis ac Privilegij Universalis, & communis, aliæque causæ graviores. De quibus plura videre licet apud Barbosam *lib. 1. Juris Ecclesiastici Univers. cap. 2. à n. 139.*

Conclusio V.

Archiepiscopus, Patriarcha, & Primas in potestate legislativâ circa suam Diœcesin æquiparatur Episcopo; nec potest ampliùs aliquid vel intra, vel extra Diœcesin, nisi speciali jure, aut præscriptâ consuetudine, sive Privilegio sit ipsi concessum. *Cap. 4. ac seq. 9. q. 3. & Cap. Duo simul. de Officio Ordin.* Verùm respectu totius Provinciæ non potest Archiepiscopus seu Primas condere leges, nisi in Provinciali, vel Nationali Concilio cum consensu Comprovincialium.

Probatur. Nam *Cap. Nullus Primas 9. q. 3. cap. 7.* statuitur in hæc verba: *Nullus Primas, vel Metropolitanus Diœcesani Ecclesiam, vel Parochiam, aut aliquem de ejus Parochiâ præsumat excommunicare, vel judicare, vel aliquid agere absque ejus consilio, & judicio.* Et *infra. Si quis Metropolitanus Episcopus sine consilio & voluntate omnium Comprovincialium Episcoporum aliquid agere tentaverit, gradûs sui periculo subjacebit, & quod egerit, irritum habeatur & vacuum.* 21.

Circa quod tamen venit notandum, quòd Archiepiscopo etiam in causâ appellationis ad se delatæ, nec non super partes, earumque causas, & in visitatione super Diœcesin, earumque Ecclesias, quas visitat, nec non extra visitationem etiam super Episcopos Suffraganeos sit Jurisdictio. De cujus vi, ampliatione, restrictione, nec non Primatum, & Patriarcharum prærogativis videri potest Barbosa *cit. lib. 1 Juris Eccles. cap. 6. & 7.* 22.

Conclusio VI.

Legato, seu Nuntio Apostolico est potestas ferendi leges obligantes totam provinciam non solùm tempore legationis, sed illo etiam finito, donec à Pontifice, vel alio Legato revocentur, *ex Cap. ult. de Officio Delegati.* 23.

Probatur. Quia legati Papæ habent Jurisdictionem Ordinariam in provinciâ sibi decretâ, in quâ æquiparantur proconsulibus, & Præsidibus. *Cap. 2. de Offic. Legati in 6.* Insuper in Jurisdictione sunt majoris Jurisdictionis, quàm Episcopi. *Glossa in cit. cap. ult.* At proconsules & præsides possunt condere leges, & statuta perpetuò mansura. *Lege Formam. de Officio Præfect. Prætor. Orient. & leg. prima. §. fin. ff. de Officio Præfecti Urbis.* Similiter Episcopi possunt facere in suâ Diœcesi constitutiones. *Cap. Si quis. de Majorit. & obedient.* quæ sint perpetuæ, nisi expressè per successorem revocentur. *Glossa in Cap. A nobis. de sentent. Excommun.* Ergo idem & multò magis debet posse Legatus Papæ, sive sit de Latere, sive Missus, sive Natus. *Glossa in cit. cap. Finale. de Officio Legati. & cap. 2. eod. tit. in 6.*

24. Cæterùm Legati de Latere dicuntur soli Cardinales pro aliquâ legatione à Papâ missi, taliter dicti, quòd Papæ lateri semper quasi assistant. *Cap. Decreto. Cap. si quis Episcopus 2.q.6. Glossa verb. Legationes. in Cap.1. de Offic. Legati.* Legati autem missi sunt Nuntij Apostolici non Cardinales, quorum fit mentio *in Cap. Volentes. de Officio Legati.* Præter quos sunt Legati Nati, qui eatenus nascuntur cum privilegio Legationis, quatenus datur ipsis aliqua dignitas, cui tale legationis officium sit annexum; cujusmodi est Archiepiscopus Cantuariensis in Angliâ, Rhemensis in Franciâ, & Salisburgensis in Germaniâ. De quâ triplici Legatorum specie videri potest Barbosa *lib. 1. Juris Ecclesiast. Univers. cap. 5. à n. 3.* Ubi *n. 24.* specialiter advertit, legatum de Latere posse in suâ Provinciâ, quidquid Episcopi in suis Diœcesibus; aliorum verò legatorum potestatem vel maximè ex litteris & mandato ipsis concesso desumendam esse. Quòd si tamen quis cum potestate Legati à Latere dirigatur, eandem authoritatem, quæ de Jure communi Legatis de Latere competit, talibus concessam intelligi, veluti etiam tradunt Mandos. *reg. 13. Cancell. q. 5. n. 3. & 4.* Thomas Sanchez *lib. 6. Cons. Moral. cap. 9. dub. 1. n. 15.* allegatis Deio, Paris.

Conclusio VII.

Neque Cardinales, neque Concilium, seu Congregationes Cardinalium habent potestatem condendi leges obligantes extra sua Territoria. Suarez *lib. 4. de legib. cap. 5. n. 5.* Salas *disp. 8. sect. 8 n. 45.* Castropalao *cit. punc. 23. n. 12. & 19.* Sebastianus Medices *de legib. p. 1. q. 10. &* plures alij.

25. Probatur. Nam Cardinales in suis duntaxat Ecclesijs, quarum sunt Tutelares, & in alijs eorum Titulis subjectis habent Jurisdictionem Episcopalem. *Cap. His quæ. de Majorit. & obedient. & Cap. Quædam. de Elect.*

Deinde vacante Sede, Collegio Cardinalium est quidem concessum, ut ea statuat, quæ pro Electione summi Pontificis, & pro Ecclesiæ defensione, periculorumque occurrentium remotione fuerint visa expedire. *Cap. Ubi periculum. de Elect. in 6.* Nihilominùs est quoque provisum, ne in alijs negotijs se intromittant; decerniturq; irritum & inane, quidquid aliud fecerint. *Clement. Ne Romani. de Elect. in 6.* Denique de Decretis Congregationum Cardinalium Sanchez *to. 3. de Matrim. lib. 8. disp. 2. n. 10.* Pontius *lib. 5. de Matrim. cap. 13. §. 2. n. 7.* Chassaing *de Privil. regul. cap. 1. prop. 3.* Diana *p. 1. loc. com. de Legib. resol. 29.* & alij existimant, esse tantùm doctrinalia, nec ullam imponere obligationem, etsi alioquin magnæ sint authoritatis: eò quòd authoritate Pontificis per legem non accedente, potestas illarum Congregationum videatur esse duntaxat Directiva. De Cardinalium prærogativis ac potestate plura videri possunt apud Barbosam *cit. lib. 1. Univ. Juris, cap. 4.*

IESUS

Conclusio VIII.

Abbatibus, non autem Abbatissis competit Jurisdictio propriè legislativa. Ita contra Salam *de Legib. disp. 8. sect. 19. n. 95.* & Castropalaum *cit. punc. 23. n. 28.* Abbatissis non tantùm facultatem ex voto præcipiendi, sed etiam Jurisdictionem erga Moniales, seu Ecclesiasticam potestatem concedentes, tradunt Divus Thomas *in 4. dist. 19. q. 1. a. 1. quæstiunc. 3. ad 4.* Et *dist. 25. q. 2. a. 1. quæstiunc. 1. ad 2.* Paludanus *dist. 19. q. 2. a. 3.* Sylvester *verb. Abbatissa. §. 3.* Sotus *in 4. dist. 20. q. 1. a. 4. §. sed de fœminis.* Emanuel Rodriquez *to. 1. quæst. regul. q. 12. a 2. &* alij.

Probatur. Non enim fœminæ extra dele- 26.
gationis secundùm potestatis plenitudinem à Papâ factæ casum, ac de Jure Ordinario sunt capaces Jurisdictionis spiritualis & Ecclesiasticæ. Unde etiam concludit Emanuel Rodriquez *citatus, & in Compend. Verb. Abbatissa,* quòd Abbatissa non dicatur Prælata, nec possit suis monialibus præcepta spiritualia imponere, ut Prælati Religiosorum, sed tantùm civilia, sicut Matresfamilias. Verùm Abbates venire in sacris Canonibus appellatione Prælatorum, patet *ex Can. Decernimus. de Judic. Can. Præsenti. de Offic. Ordin. in 6. Et Can. Ut Apostolicæ. de Privileg. eod. lib.* De quibus proinde Barbosa *citatus cap. 7. n. 72.* asserit, Abbatum authoritatem & potestatem in monachos esse ferè tantam, quanta est Episcoporum in subditos, præsertim verò in absolutionibus & dispensationibus. Quinimò in Eccle- 27.
sijs sibi subjectis Abbatem dici Ordinarium, ideoque posse Judicem esse in causis Ecclesiarum sibi subjectarum, & in bonorum ad tales Ecclesias spectantium ad instar Episcopi suam authoritatem interponere, probat idem Barbosa *n. 10.* cum Doctoribus *ibi* allegatis. Quæ vel maximè locum habent in Exemptis, siquidem ista non habeat virtutem duntaxat extinctivam Jurisdictionis in Episcopo erga personas & loca exempta, sed Translativam ejusdem Jurisdictionis in caput Ecclesiæ exemptæ: uti evincitur tum *ex Glossâ in Clement. 1. verb. Proprij. de rebus Ecclesiæ non alienandis;* tum argumento, & ratione. Quòd alioquin Ecclesia à Jurisdictione Episcopi exēpta fore Acephala & sine Capite. Verùm de tali exemptionis Jure *alibi* ex instituto Deo volēte, differemus. Interea de prærogativis & Juribus Abbatum præter alios videri potest Barbosa *cit. cap. 17.*

Conclusio IX.

Capitulum Ecclesiæ Cathedrale potest, sede vacante, leges ferre obligantes totam Diœcesin, quousque à Pontifice, vel Episcopo successore revocentur; quantum verò hac in parte possit, vivente Episcopo, ex consuetudine cujusque Ecclesiæ dijudicandum est.

Prior pars contra Salam *cit. disp. 8. de Legib.* 28.
sect. 16. n. 86. traditur à Panormitano *Cap. Cum*

olim. de Majorit. & obedient. n.24. Felino *Cap. Cum omnes. de Constit. n. 9.* Suarezio *cit. lib.4. cap.6. n.4.* Castropalao *cit. punc. 23. n.22.* probatur. Quia Capitulum, sede vacante, succedit Episcopo in administratione temporalium & spiritualium rerum totius Diœcesis. *Cap. Cum olim. de Majorit. & obed. cap. Un. eod. tit. in 6. Cap. si Episcopus. & Cap. Ult. de supplendâ neglig. Prælatorum in 6.* At administratio stare non potest sine Jurisdictione. Hæc autem importat etiam potestatem legislativam eo vel maximè casu, quo generaliter concessa est administratio diœcesis, atque adeò in hanc Jurisdictio. Ergo Capitulum succedit etiam in potestate legislativâ.

29. Posterior pars probatur. Quia communis usus per Doctores passim traditus in Ecclesijs præsertim cathedralibus obtinuit, ut absque interventu Episcopi Capitula facere possint leges & statuta obligantia suos capitulares in his, quæ pertinent ad rectam gubernationem Ecclesiæ. Quinimò quodlibet Collegium posse statuta facere super his, quæ ad se spectant, habetur in *leg. 1. §. 2. ff. Quòd cujusque Univers.* & Vivianus *in Rat. Jur. Cap. Cum omnes. de Constit. in 6* Et hinc Felinus, atque Panormitanus *in cit. Cap. Cum omnes. & Cap. Cum accessissent. de Constitut.* Sylvester *Verb. Lex. q.5.* Sala *sect. disp.8. sect.17. n.89.* illam in rebus minus tamen gravibus, quæ ad se spectant, legislativam vim extendunt ad Ecclesias Collegiatas, Universitates, Societates, & quævis Collegia. Verum Suarez *cit cap.6. n. 119.* negat ipsis hanc potestatem, nisi fortè talem facultatem habeant ex usu & consuetudine, veluti Castropalaus *cit. n.26.* advertit cum Doctoribus præallegatis, addens, posse ex vi quâdâ Dominativâ, vel quâdâ quasi conventionali, sive per promissionem, sive per Juramentū firmatâ potestate facere ordinationes tam Dispositivas, quam Pœnales sub culpâ etiā obligatorias, in rebus tamen minoris momenti, cùm ne Cathedralis quidem Ecclesiæ Capitulum in rebus gravibus ad se alioquin spectantibus, abrogatione v. g. aliquorum statutorum, alienationibus, possit statuere absque consensu Episcopi, & ipsius quandoque summi Pontificis. *ex Cap. cit. Cum accessissent. de Constit.* Panormitano *in Cap. Cum omnes. eod. tit. n. 4.* Felino *ibid. n. 8. &* alijs, quos refert ac sequitur Castropalaus *n. 25.* Et hinc in particulari decernere, quid, & quantum Ecclesiæ Cathedralis Capitulum statuere possit, vivente Episcopo, vix decidi poterit, nisi ex consuetudine cujusque Ecclesiæ.

CONTROVERSIA III.

Quibus sit potestas condendi leges Civiles?

Difficultas procedere potest de Pontifice, Imperatore, Regibus, Principibus, Rebuspublicis, seu Communitatibus, Capite aliquius familiæ præsertim illustris. De quibus singulatim disseremus.

CONCLUSIO I.

Summo Pontifici est potestas condendi leges Civiles in statu Ecclesiastico sibi temporaliter subjecto, nō autē respectū totius orbis etiam Christiani. Ex communi sententiâ Doctorum, speciatim Bellarmini *lib. 5. de Pontif. cap. 3. ac seq.* Navarri *cap. Novit. de judicijs, Notab. 3. n.19.* Suarezij *lib. 3. de legib. cap. 6. n.3.*

Probatur. Nam Pontifex ut Pontifex ex jurisdictione à Christo acceptâ non habet aliam potestatem, quàm clavium regi cælestis. Hæc autem *per se* ac *directè* est in ordine ad Bonum purè spirituale. At leges Civiles sunt, quæ per se *Directè* respiciunt Bonum Politicum communitatis. Quare potestas ferendi leges civiles se habet omnino disparatè ad jurisdictionem Pontificiam. Et hinc Papa sub duobus respectibus *disparatè* se ad invicem habentibus considerari les est tum ut Princeps Ecclesiasticus, & ut sic habet illimitatam potestatem respectu totius Ecclesiæ, ac orbis Christiani; tum ut princeps Temporalis, & ut sic habet potestatem coarctatam ad terras Romanæ Ecclesiæ subjectas ex vi Donationis per Imperatorem Constantinum factæ, aliorumque legitimorum titulorum.

Neq; obstat, quòd Pontifex quandoq; disponat de integris etiam regnis: sic enim Zacharias Papa Ludovicum Francorum regem deposuit, eique Pipinum substituit. *ex Cap. Alius. 15. q. 6.* Sic Stephanus III. Romanum imperium ab Oriente transtulit in Carolum Magnum a Leone III. coronatum; *Glossa in Cap. Venerabilem. 34. verb. Transtulit. de Electione.* Sic denique potestas eligendi Imperatorem ad certos Germaniæ principes translata est per Papam, *ex cit. Cap. Venerabilem. de Elect.* Etenim Papa licèt *directè* ex vi suæ potestatis pontificiæ nō possit statuere de regnis temporalibus, quia tamen ista sunt subordinata Ecclesiæ, potest ob hujus bonum ac necessitates *indirectè* de illis disponere. *ex cit. Cap. Alius. 15. q. 6. Cap. Duo sunt. 96. & Cap. Ad Apostolicam. de re judicatâ. in 6.* Sicuti Pontifex sæpe etiam derogat leges Imperatoris, seu Regum, quatenus saluti animarum, sunt contrariæ; veluti patet *ex Can. Vigilante. & Can. fin. de Præscript. & Cap. Possessor. de reg. juris in 6.* Ubi Pontifex abrogavit legem Civilem permittentem præscriptionem cum malâ fide. Et in *Can. Cùm haberet. de eo, qui duxit in Matrimonium.* mandat, ut filijs illegitimis præbeantur alimenta, quæ legibus civilibus negata erant. In quibus proinde casibus, cum Pontifex abrogando leges civiles attenderit ad motivūm salutis animarum, quæ ex vi legum Civilium juri Divino & naturali adversantium poterant periclitari, non dicendus est, usurpasse potestatem Civilem, sed purè Ecclesiasticam: quemadmodum etiam Papa videns principes sæculares negligentes in ijs, quæ saluti animarum & conscientijs, ac toti fortè Ecclesiæ officiunt, poterit medijs opportunis præcavere, ex vi potestatis Pontificæ regiam & Imperatoriam authoritatem sibi subordinatam tenentis. Et hinc Bonifacius VIII. *in Extrav. Unam sanctam. de major. & obedient.* dixit: *Oportere gladium esse sub gladio*, id est, temporalem Principum Jurisdictionem sub spirituali Pontificis potestate.

CONCLU-

CONCLUSIO II.

4. IMperatoris potestas legislativa *per se ac directè* non se extendit ultra limites Imperij. Molina *tract. 1. de Just. disp.* 24. 29. & 30. Suarez *cit. lib. 3. de legib. cap. 7. n. 8.* Vasquez 1. 2. *disp. 153. cap. 2.* Castropalaus *pras punc. 22. §. 1. n. 5.*

Probatur. Quia extra Territorium jus dicenti non paretur impunè. Est autem Territorium Imperatoris non tantùm illud, quod ipsius jurisdictioni est *immediatè* subjectum, sed quod etiam sub titulo Feudi ipsum recognoscit. In cujusmodi adeò provincijs leges Imperatoris vim & obligationem habent, quamvis non solæ, cùm possint alias quoque leges à suis principibus latas habere, uti advertunt Suarez *cap. 8. n. 2.*
5. & Vasquez *cap. 2. n. 24.* Neque obstat, quòd in alijs Imperio nequidem sub titulo Feudi subjectis regnis soleant (proprijs istorum legibus deficientibus) causæ decidi secũdùm leges Imperatorias: Unde videtur evinci, potestatem legislativam Imperatoriam extendere se ad universum orbem.
6. Etenim Suarez *citatus n. 3.* rectè observat Canone *1. de operis novi nuntiatione*, cautum quidem esse, ut deficiente Jure canonico, servetur Jus Civile: hoc tamen ita accipiendum esse, ut non in vi legis Cæsareæ, sed in vi ordinationis per Pontificem statutæ id teneat: Et quidem intra terras Pontifici subjectas procedere illam ordinationem in causis etiam Civilibus ac Temporalibus, extra verò istud territorium pro universo orbe Christiano vi illius Canonis in tantum canonizari Jus civile in ordine ad decisione causarum Ecclesiasticarũ, ut deficiente Jure Canonico, sit inhærendum legibus civilibus, non jam vi Imperatoriæ constitutionis, sed ordinationis Pon-
7. tificiæ. Deinde in regno etiam Lusitaniæ est statutum, ut proprijs regni legibus deficientibus, causæ decidantur secundùm leges Imperatorias, hoc tamen non est in vi talium legum, sed in vi ordinationis propriæ, uti videre est apud Ca-
8. stropalaum *cit. n. 7.* In alijs denique regnis, seu provincijs Imperio non subjectis, ubi pro aliquâ causâ non militant leges propriæ, sequendum esse jus civile non quidem in vi legis per se obligantis, sed in vi rationis & directionis justæ, cum Juristis ac Theologis à se allegatis, probat Castropalaus *citatus à n. 9.* eò vel maximè, quòd, cùm judex Jus expressum non habet in causis decidendis, debeat æquitate causam dirimere *Cap. fin. de Transact. & ex leg. Quod si Ephesi. in fine. ff. de eo, quod certo loco.* At ista æquitas vel maximè haberi potest ex dictamine legum imperialium: dum alioquin, causas ex proprio cerebro, prætermissis Juris Civilis sanctionibus, decidere volens, non levi errandi periculo sit expositus. *arg. leg. §. 2. Mirabile. Cod. de veteri jure enucleando.*

CONCLUSIO III.

REgibus, Principibus, ac Rebuspublicis nullum superiorem recognoscentibus indubitanter convenit jurisdictio legislativa in suis regnis, principatibus, seu territorijs.

Probatur ex eo, quòd potestas gubernativa subsistere non possit sine authoritate legislativâ, 9.
ex Bart. *in leg. ult. Cod. de legib.* Baldo *Cap. 1. de constitut.* Et hinc juxta diversitatem regiminum quatuor legum genera distinguuntur à Divo Thomâ *1. 2. q. 95. a. 4.* Et in primo quidem genere sunt constitutiones Principum, regimen Monarchicum in uno residens tenentium: in secundo genere sunt responsa prudentum, sive senatúsconsulta emanantia ex regimine Aristocratico, quod est principatus optimorum, sive optimatum: in tertio genere est jus Prætorium seu Honorarium procedens ex regimine Oligarchico, quod est principatus paucorum divitum & potentum: in quarto denique genere sunt Plebiscita, emanantia ex Democratico, id est regimine populi.

Cæterùm in modo ferendi leges, cujusque 10.
regni, seu regiminis speciales constitutiones atque consuetudines tenendæ sunt, cum ipsimet etiam reges (veluti teste Castropalao *cit. punc. 22. §. 2. n. 2.* dicitur de rege Aragoniæ,) non possint quandoq; leges ferre absq; consensu statuum, seu regni, utpote quod sub tali conditione se gubernandum regi tradiderit, neque potestatem legislativam in communitate *originativè* residentem aliter transtulerit in regem. Et hinc à 11.
fortiori quoad Duces superiorem recognoscentes attendendus est modus, sub quo potestas ferendi leges ipsis fuit concessa; an scilicet illam obtinuerint dependenter, vel independenter à supremo Principe. ex Suarez *cit. lib. 3. cap. 9. n. 3.* Imò in regnis aliquibus, veluti de Hispaniâ testatur Castropalaus *cit. §. 2. n. 1. in fine.* Duces nullam habent facultatem legislativam. Neque civitates Principi alicui subjectæ condere possunt leges nisi vel ex privilegio principis, vel usu & consuetudine. De cujusmodi consuetudine condendi leges, Municipales dictas, habetur *in §. constat. inst. de Jure Natur.* colligiturque ex *leg. leges. Cod. de legibus.* Ex vi cujus tamen consuetudinis negat Suarez *cit. cap. 9. n. 11.* posse populum seu civitatem, quæ superiorem recognoscit, facere statuta, quæ strictam legis rationem habeant, sed quæ sint vel ad instar conventionum, quibus in vi contractûs pro bono sui Municipij cives inter se obligentur, vel ad instar præceptorũ à principe revocabilium, & ferè talium, qualia etiam paterfamilias pro suâ domo imponere possit. Econtra tamen Bartolus *in leg. Omnes populi. ff. de just. & jure.* arbitratur, illas civitates eo ipso, quòd habeant aliquam potestatem gubernativam, habere saltem proportionaliter facultatem ferendi leges civiles ad rectam & politicam gubernationem spectantes. Denique de reginâ, 12.
quæ est regni Domina, multis probat Castropalaus *citatus à n. 5.* etiamsi Matrimonio sit juncta, eatenus transferre regni non quidem proprietatem, sed administrationem in maritum, ut tamen ex vi Dominij penes se retenti possit omninò condere leges.

COROLLARIUM.

De Potestatis Dominativæ ac Jurisdictionis differentiâ.

INfertur. Has potestates inter se vel maximè 13.
distingui, tum quod ista respiciat communitatem

tem perfectam non unâ duntaxat, sed plurimis familijs constantem, ejusque gubernationem politicâ, cùm econtra potestas Dominativa respiciat imperfectam duntaxat communitatem, ejusque gubernationem œconomicam: tum quòd in ipsâ etiam œconomicâ & politicâ gubernatione subsit discrimen, quatenus ista Bonum publicum, illa verò bonum privatum imperantis respicit: tum denique, quòd potestas politica habeat perfectam vim coercitivam scelera puniendi pœnâ etiam sanguinis; econtra vero potestas Dominativa non nisi moderatum supplicium inferre possit.

14. Et hinc licèt paterfamilias habens respectu suæ familiæ potestatem Dominativam possit facere præcepta uxorem, filios, ac servos obligantia, non tamen posse ferre leges propriè dictas, eò quòd istæ emanent a potestate Jurisdictionis, quæ respiciunt publicum communitatis publicæ bonum, nequeat autem paterfamilias obligare, nisi pro bono œconomici sibi competentis regiminis ac Dominij, veluti ex Juristis & Canonistis probat Castropalaus *citatus n. 8. & 9.*

ARTICULUS II.

DE

Legis Humanæ requisitis substantialibus.

1. LEx Humana præsertim Ecclesiastica diversas sortitur appellationes *Dogmatis* scilicet, *mādati, interdicti, Sanctionis, Canonis, Decreti, & Epistolæ Decretalis, motus proprij, Pragmaticæ Sanctionis* importantes differentiam non tam essentialem in substantiali legis ratione, quam secundum Materiam seu modum aliquem legi accidentarium. Si enim *Dogma* dicitur constitutio aliquid statuens, quod ad fidem pertinet. *Cap. quod Episcopus dist. 3. Mandatum* est constitutio circa Mores. *Cap. Hi igitur. dist. 14. Interdictum*, in quo nulla pœna adjicitur. *Cap. interdixi. dist. 32. Sanctio*, ubi pœna adjicitur. *leg. Sanctio. ff. de pœnis. Canon* dicitur constitutio facta in Concilio sive Universali, sive Provinciali. *cap. Nonnulli. de rescriptis. Decretum* est constitutio ad nullius consultationem emanans à Papâ cum Consilio Cardinalium, & in scriptum redacta. *ex cap. Generali Decreto. 25. q. 1. Decretalis* denique *Epistola* dicitur, quæ ad alicujus consultationem sive a solo Papâ, sive una cum Cardinalibus emanavit. *ex Can. Bonæ memoriæ. de Elect. Motus proprius* vocatur, quando Papa, vel princeps nullius interveniente suasu, vel petitione, aliquid decernit. *Pragmatica Sanctio est*, quod Imperator, vel Rex de consilio Procerum statuit ad instantiam alicujus regni, seu communitatis. *ex leg. fin. Cod. de rescriptis. & Glossâ ibidem.*

Quibus adeò circa legum appellationes suppositis, restant sequentes controversiæ hic decidendæ: *1. Quænam possit ac debeat esse Materia legis humanæ? 2. Qualis requiratur forma ad legem humanam legitimè statuendam? 3. Quali opus sit promulgatione legis? 4. denique, utrùm, & quomodo legis valor seu obligatio sit dependens à populi acceptatione?*

CONTROVERSIA I.

Quænam possit ac debeat esse Materia legis Humanæ?

ISta Controversia complectitur tres *in 1. 2. q. 96. a. 2. & 3.* item *q. 100. a. 9.* per Divum Thomam propositas difficultate. Prima est; *Utrùm omnes, vel etiam soli virtutum actus possint esse materia legis præceptivæ.* Secunda, *Utrùm lex humana possit cohibere omnia vitia?* Tertia est. *Utrum, & qualiter actiones internæ cadere possint sub legem humanam?* 2.

Circa primam difficultatem 1. tradetur ex communi Theologorum sententiâ, quòd omnis humanæ legis materia debeat esse honesta, atque adeò virtuosa. Fundamentum est Tum quòd omnis lex debeat rationi conformis esse. Ex Isidoro *lib. 5. Etym. cap. 2.* Refertur que *in Cap. Omnis lex. dist. 3.* Tum quòd finis legis sit, cives facere bonos. ex Divo Thomâ *1. 2. q. 95. a. 3.* Hoc autem obtineri non potest, nisi lex fuerit de objecto honesto ac virtuoso. Tum quòd materia de se indifferens non possit cadere sub legem, nisi ex respectu ad finem honestum. Ut sic autem induit formalitatem virtutis ac honestatis, ad cujus finem ordinatur. Tum denique, quòd leges, quibus prohibetur actio adversus defraudantem infra dimidium justi pretij, ac permittuntur meretrices, impunéque toleratur maritus occidens uxorem in adulterio deprehensam; ejusmodi, inquam, leges, licèt videantur non esse de objecto Honesto, attamen ex respectu Boni communis, & Majoris publici damni evitandi, pacisque & tranquillitatis in republicâ servandæ, eatenus potest permissio mali cohonestari, ut vel inde *formaliter*, quatenus respicitur à lege, spectata subeat rationem virtutis. 3.

2. Docetur à Doctore Angelico *cit. q. 96. a. 3.* Non quoscunque virtutum actus posse præcipi lege humanâ, sed illos duntaxat, per quos homo ad Bonum commune ordinatur. Fundamentum ex *præcitato* Sancto Doctore petitum est. Quia omnium virtutum objecta sunt referibilia tum ad Bonum privatum alicujus Personæ, tum ad Bonum Commune multitudinis: sicuti ea, quæ sunt fortitudinis, potest quis exequi propter conservationem civitatis, vel ad conservandum jus amici. At lex ordinatur ad Bonum commune. Quamvis proinde nulla sit virtus, de cujus actibus non possit præcipere lex humana, nequit tamen disponere de omnibus quarumlibet virtutum actibus, sed de illis duntaxat, qui sunt ordinabiles ad Bonum Commune, vel *immediatè*, sicut cùm aliqua *directè* fiat propter Bonum commune, vel saltem *mediate*, sicut cùm aliqua ordinantur a legislatore pertinentia ad bonam disciplinam, quâ mediante conservetur bonum Justitiæ & pacis. 4.

Circa secundam difficultatem Divus Thomas *cit. q. 96. a. 2.* docet. Eo ipso, quòd secundum Sapientis dictum, qui nimiùm emungit, Sanguinem elicit, Humanam legem, quæ promiscuæ multitudini plerosque imperfectos habenti proponitur, non posse omnia vitia cohibere, sed graviora tantum, sine quorum prohibitione Humana societas servari non posset. Fun- 5.

 damentum

damentum est. Quia lex ponitur ut quædam regula & mensura humanorum actuum. At mensura debet esse homogenea mensurato. Unde oportet, leges imponi hominibus secundùm eorum conditionem: eò vel maximè, quòd secundùm Isidorum oporteat, legem esse possibilem, & secundùm naturam & consuetudinem patriæ. At potestas, sive facultas operandi ex interiori habitu procedit: non enim ei, qui non habet habitum virtutis, idem perinde est possibile ac virtuoso; sicut etiam non est idem possibile puero & viro perfecto: nec adeò eadem lex ponitur pueris & adultis, sed multa permittuntur pueris, quæ in adultis lege puniuntur. Pari proinde ratione multa sunt permittenda hominibus non perfectis, quæ toleranda non essent in virtuosis. At lex humana ponitur multitudini, in quâ major est hominum non perfectorum pars. Non ergo congruebat, lege humanâ prohiberi omnia vitia, a quibus virtuosi abstinent; sed solùm graviora, à quibus possibile est, majorem partem multitudinis abstinere: & præcipuè quæ in aliorum nocumentum tendunt, sine quorum prohibitione societas humana conservari non posset.

6. Circa tertiam de actibus internis difficultatem variæ extant Doctorum sententiæ. *Prima Glossæ in cap. Cogitationes. de Pœnit. dist. 1. & in Clement. 1. de Hereticis. §. Verùm. verb. de eo ipso.* Adriani *Quodlib. 8. a. 1. & in 4. de Confess. q. de Orat.* Alberti Pighij *lib. 6. Eccles. Hierarchiæ. cap. 26.* Rosellæ *in sum. verbo. Heresis.* affirmat; legem Humanam versari posse circa actus etiam internos. Fundamentum est 1. Quia ad Ecclesiam pertinet, suis legibus dirigere homines in vitam æternam. Atqui ad hunc finem magis necessarium est, ordinare actus internos, quàm externos. 2. Quia
7. Ecclesia confert Indulgentias pro actu quoque interno v. g. pro oratione mentali, dispensatque in votis etiam purè internis. Ergo potest etiam
8. præcipere actum internum. 3. Omnes Hæretici excommunicantur *in Can. Noverit. de sent. Excommun.* Item excommunicantur Inquisitores Hæreticæ pravitatis, si ex odio, vel amore turpis lucri procedant contra aliquem in causâ fidei. *in Clement. 1. §. Si verum. de Hereticis.* Excommunicantur etiam Monachi Benedictini ex animo accusandi Prælatum accedentes ad Curiam. *ex Clement. 1. de statu Monachorum.* Denique *in Can. Dolentes. de Celebrat. Missarum.* præcipitur Clericis, ut *Divinum officiū stud. ose celei: rent pariter & devote.* At hæresis de se est peccatum mentis, subjiciturque excommunicationi, licèt foras non erumpat. Amor etiam ac odium, nec non accusandi animus dicunt actus internos, sicut & devotio est actus interior. Ergo actus interni de facto subsunt Ecclesiæ præceptis.

9. Secunda sententia Durandi *in 4. dist. 25. q. 12. & dist. 1[illegible]. q. 8.* Paludani *ibidem. q. 7.* Vasquis *1. 2. disp. 160. a cap. 3.* Amici *de Legib. disp. 5. n. 126.* negat; actus internos, nisi illos, qui externorum quoad Esse materiale & physicum sunt per se principia, posse cadere sub legem humanam. Fundamentum ab Amico *citato* deductum est. Nulla enim potestas humana habet Jus puniendi actus internos, nisi sint per se causa externorum etiam *physice* spectatorum: siquidem juridica punitio sit sententia de pœnâ proportionatâ culpæ, ejusmodi verò sententia prærequirat culpæ notitiam, Atqui actus interni merè *concomitanter* se habentes ad Esse physicum actûs exterioris, quantum ad humanam cognoscibilitatem, eodem modo se habent ac cæteri actus purè interni; Et hinc Amicus *præallegatus n. 132. & 133.* infert, ob solam hæresin internam, nisi signo aliquo per se internæ hæresis manifestativo exprimatur, non incurri excommunicationem. Neque contrahi pœnas *in Cap. Omnis utriusque sexus. de pœnit. & remiss.* semel in anno non confitentibus constitutas, qui scienter, vel sine attritione internâ, vel non omnia occulta peccata confessus fuerit.

Tertia Divi Thomæ *1. 2. q. 91. a. 4.* Et *q. 100. a.* 10.
9. Cajetani *ibidem.* Et *in 2. 2. q. 11. a. 3. & q. 85. a. 13. in fine.* Soti *lib. 10. de Iust. q. [illegible]. a. 5.* Sylvestri *verb. Excommunicatio. & verb. Hora q. 11.* Scoti *1. 2. q. [illegible]. a. 3. concl. 2.* Navarri *in summa lib. 2. n. 105.* Suarez *lib. 4. de legib. cap. 13.* Salæ *disp. 9. de legibus sect. 1* Castropalai *præf. disp. 1. punc. 6. n. 3.* & aliorum sententia tenet; legem humanam posse præcipere ac prohibere actum internum, quatenus est causa actûs exterioris non tantùm quoad esse physicum, sed etiam quoad Esse virtutis, aut vitij moraale etiam non *necessariò* ac *per se*, sed *accidentariò* emanans ex illo. Fundamentum à Castropalao *præf. disp. 1. punc. 6. n. 3.* deductum est. Quia actus exteriores non tantùm quoad Esse physicum, sed etiam morale sunt necessarij vel ad humanam, & politicam gubernationem, vel ad Religiosum cultum Deo debitum, quis enim negare potest, obesse reipublicæ, contractus [illegible] & fraudulentos esse? Et quis negabit, ad cultum religiosum pertinere, veras orationes fundere, & non fictas? Et Sacramentorum confectionem veram esse, & non illusoriam? Ergo cum ad hæc omnia quoad Esse morale spectantia actus [illegible] sit necessarius, videtur iste ex [illegible] esse præceptus. Unde concludit Castropalaus *citatus*, actum interiorem posse præcipi lege humanâ, quoties ad Esse vel physicum, vel morale actûs externi est necessarius, non verò si hujus Esse etiam morale sit independens ab illo, sed per accidens cum illo conjungatur. Et hinc Ecclesiam nunquam præcipere, ut fideles in oratione pro necessitatibus fundendâ, hanc vel illam intentionem habeant, cum hoc esset, præcipere *Directè* actum internum.

Conclusio I.

Etsi omnis Lex etiam Humana ex parte sui motivi respicere debeat Honestatem alicujus virtutis, inter leges tamen Civiles, & Canonicas hoc discriminis est, quod Canonicæ *primo* & *per se* virtutem respiciant, leges autem Civiles spectent virtutis honestatem, quatenus ad rectam & convenientem gubernationem politicam conducunt.

Probatur. Nam legis Civilis materia est 11.
Temporalis, materia vero legis Canonicæ est spiritualis. *ex Cap. Solitæ. de Major. & obed. Cap. Bene quidem. Cap. Si Imperator. & aliis [illegible]. 96.* At fieri potest, quòd leges Civiles & Canonicæ eandem respiciant materiam, [illegible] Matrimonia clandestina, Juramenta, [illegible], incestus, & alia sunt utràque lege prohibita. Quòd ergo [illegible]

riæ ejusmodi ex parte legis Civilis dicantur Temporales, ex parte autem legis Canonicæ dicantur spirituales, non est desumendum ex materiarum illarum consideratione Materiali, sed Formali, prout substat motivo *primo* ac *per se* intento. At verò lex Civilis non prohibet illa, quatenus impediunt homines à fine supernaturali consequendo, veluti fit per legem Canonicam, sed quatenus impediunt pacem, & rectam reipublicæ gubernationem. Ex vi cujus adeo motivi subeunt rationem materiæ temporalis. Consequenter proinde est, legem Civilem & Canonicam *formaliter* differre ex parte motivi *per se primò* intenti, ita ut lex Canonica *per se primò* respiciat motivum virtutis conducibilis ad animarum salutem, Civilis vero respiciat *per se primò* pacem Publicam, & gubernationem politicam. Et hinc fieri potest, quòd in materiâ concurrant lex Civilis & Canonica, sed tamen differant penes motiva. Sic enim Judices Ecclesiastici in litibus definiendis ac pœnis imponendis, dum non habent leges proprias Canonicas, secundum quas possint judicare, uti debent legibus Civilibus, veluti habetur *in Can. 1. de operis novi nunciatione.* taliter statuente. *Sicut leges non dedignantur sacros canones imitari: ita & Sacrorum statuta Canonum Principum constitutionibus adjuvantur.* Et paulò inferius. *Secundum legum, & canonum statuta negotium non differas terminare.* Unde etiam fit, quòd, cum leges propriæ alicujus regni seu provinciæ in judicando sint præferendæ legibus Imperialibus, in causis etiam Ecclesiasticis, ubi Canones deficiunt, sint de necessitate præferendæ Imperialibus legibus, veluti ex Salzedo *in pract. crim. cap. 14.* probat Castropalaus *præs. punct. 5. in fine.* contra Suarezium *lib. 4. de legibus. cap. 11. n. 14.* existimantem, illud esse de consilio tantùm, non de præcepto. In ejusmodi tamen casibus obligatio secundùm leges Civiles in foro Ecclesiastico judicandi, non est ex vi legum, sed ex vi Sacrorum Canonum, per quos leges Civiles sunt pro illis casibus canonizatæ, ita ut sint *materialiter* quidem Civiles, *formaliter* tamen ex vi motivi virtutem *per se* ac *directe* spectantis sint per Pontificem jam factæ Canonicæ. Uti contingit etiam *in Can. 1. & 2. de Possess. & Propriet.*

CONCLUSIO II.

LEx Humana potest *Distributivè* secundùm suppositionem præsertim pro generibus singulorum, non tamen *collectivè* omnes virtutum actus præcipere, omniaque vitia cohibere.

12. Probatur. Nam potestas humana legislativa potest vel considerari secundùm suæ facultatis proportionem ad materias præceptibiles *in actu quasi signato* spectatas. Ut sic autem nulla est virtus sive moralis, sive Theologica, cujus actus aliquis non subsit potestati Ecclesiasticæ, licet forte in virtutibus præsertim Theologicis actus aliqui purè interni non possent cadere sub legem humanâ, velut *concl. seq.* dicetur. Unde evincitur, posse omnium virtutum actus (idem est de vitijs respectu prohibitionis) secundùm suppositionem distributionis pro generibus singulorum, non autem pro singulis generum cadere sub præceptum Ecclesiæ. Vel potest humanæ legislativæ potestatis proportio considerari in ordine ad materias præceptibiles *in actu exercito* consideratas. Ut sic autem actus virtutum non spectantur præcisè in se ipsis, sed sub circumstantijs individualibus hic & nunc in exercitio occurrentibus. Eo ipso autem, quod lex sit actus prudentiæ, cujus est, ordinem inferioribus sub omnimodâ circumstantiarum congerie consideratis imponere, oportet, legem ita esse proportionatam capacitati subditorum, ut istâ non observatâ, ob quandam moralem impossibilitatem lex non benè procedat. Ejusmodi vero impossibilitas moralis resultaret, si vel nimis perfecta rudibus imponerentur præcepta, vel multitudo præceptorum in vitijs cohibendis nimium incresceret.

Et hinc Divus Thomas *1. 2. q. 96. a. 2. ad 2.* monet, quòd lex humana intendat homines inducere ad virtutem non subitò, sed gradatim, nec adeò multitudini imperfectorum debeat statim imponere, quæ sunt jam virtuosorum, ut scilicet ab omnibus malis abstineant; cum alioquin imperfecti hujusmodi præcepta ferre non valentes in deteriora mala prorumperent: Christo Domino *Matth. 9.* adhortante; quod, si *vinum novum* (id est præcepta perfectæ vitæ) *mittatur in utres veteres* (id est, in homines imperfectos) *utres rumpantur & vinum effundatur*, id est, præcepta contemnantur, & homines ex contemptu ad pejora mala prorumpant. Ex cujusmodi adeo consideratione fit, quod non omnia vitia *collectivè* sumpta secundùm prudentiam humanam, atque adeò juxta legislativæ potestatis humanæ proportionem possint promiscue pleni prohiberi, nec omnes virtutū actus præsertim collectivè spectati præcipi, et vel maximè, quod lex humana suos transgressores pœnis temporalibus afficere soleat ac debeat; cujusmodi pœnarum nimia frequentia in odium, & tandem in contemptum erumpens facile concitat animas ad frænum debitæ subjectionis excutiendum. 13.

CONCLUSIO III.

EO ipso, quod actus interni per actum exteriorem ex ipso quomodolibet prodeuntem constituantur intra sphæram noscibilitatis humanæ, subsunt Jurisdictioni humanæ præsertim Ecclesiasticæ ad statuendam de actibus ejusmodi, si boni sint, præcipiendis, si vero mali sint, prohibendis legem aliquam.

Probatur. Duo enim consideranda sunt in jurisdictione humanâ; alterum est vis ordinativa moralium in subditis operationum ad finem jurisdictioni ejusmodi competentem; alterum est vis taliter coactiva, ut ordinatio alicujus sit efficaciæ. At inprimis jurisdictio Civilis est coarctata ad bonum gubernationis politicæ, ad quam *per se ac directe* non conducunt actus interiores, sed *indirectè* duntaxat, quatenus sunt causa actuum externorum, quibus turbari potest pax & tranquillitas publica, societatisque politicæ bonum violari. Unde non nisi *indirectè* cadere possunt sub legem Civilem actus interni, prout sunt causa externorum non quorumcunque, sed pro publicæ politicæ gubernationis bono conduci- 14.

Ddd 2 bilium,

bilium. Econtra verò jurisdictio Ecclesiastica ex parte suæ vis in finem sibi congruum ordinativæ, habens pro fine salutem animarum, directè respicit interiorem sanctitatem ac honestatem, sub quâ unicè obtineri potest salus animarum. Nihilominus ex parte vis coactivæ aliquam [illegible] humanorum cognoscibilitatem humanæ perspicacitati commensuratam supponentis exigitur, actus interiores vestiri aliquâ exteriorum actûs sensibilitate. Quâ [illegible] subsistente, [illegible] interius subest Ecclesiasticæ legislativæ potestati secundùm vim etiam coactivam & privativam consideratæ; uti satis insinuat Divus Thomas *1.2.q.91.a.4.& q.100.a.9.*

Responsio ad Fundamenta ex parte tertiæ difficultatis opposita.

15. AD 1. sententiæ primum *n. 6.* oppositum fundamentum Respondetur. Illo quidem probari quòd actus etiam interiores *per se* ac *directè* subsint Ecclesiasticæ jurisdictioni quoad vim Directivam & ordinativam, non autem Coactivam.

16. Ad ejusdem sententiæ *n. 7.* oppositum Respondetur. In collatione Indulgentiæ pro oratione mentali, nec non dispensatione voti purè interni non opus esse vi coactivâ, sed jurisdictione [illegible] voluntariâ quâ medij ad vitam æternam conducibilis ordinatrice, seu *moraliter effectrice*, cujusmodi respectu actuum etiam internorum non esse extra sphæram Ecclesiasticæ potestatis, veluti patet ex dictis.

17. Ad prætactæ primæ sententiæ *n. 8.* oppositum Respondetur. Tum quòd excommunicationes [illegible] expositæ, utpote vi Coactivæ Ecclesiæ suppositæ non incurrantur, nisi peccata, sub quæ [illegible] aliquam, quantumvis alioquin [illegible] sibi ipsâ saltem (uti Azorius *1. n. 17.* advertit) [illegible] ejusmodi confessione etiam Sacramentali factam sensibilitatem sibi [illegible] sub quâ possint existere intra sphæram coactivæ Ecclesiasticæ Jurisdictionis. Tum quòd Ecclesia præcipiat sub horis Canonicis devotionem non [illegible], sed conjunctam orationi vocali.

18. Ad secundæ sententiæ *n. 9.* oppositum fundamentum Respondetur. Negandam majorem, quod scilicet Ecclesia nō habeat jus puniendi actus internos, nisi sint per se actuum [illegible] externorum etiam *Phylar* spectatorum. Etenim actus interiores ex *se primò* in salutem animarum ordinabiles, esse *Directè* ac *per se* subjectos Jurisdictioni Ecclesiasticæ, quà mediorum in salutem animarum Directivæ, constat ex dictis. Hæc vero salutis animarum ac mediorum huic conducibilium ordinatrix [illegible] est hoc ipso munita [illegible] coactivam, quando materia taliter ordinabilis est [illegible] cognoscibilitati humanæ. Hoc vero [illegible], cùm materia ejusmodi sit [illegible] sensibilis. Ad [illegible]tur, ut actus interiores subsint legi humanæ Ecclesiasticæ, [illegible] interiorum actuum [illegible] humanæ sphæram [illegible] physicum esse causam [illegible], sed quomodocumque secundùm [illegible] moralem ad illos se habentem, aliquam [illegible] sensibilitatem, subsunt Ecclesiasticæ Coactivæ potestati.

[illegible]

CONTROVERSIA II.

Qualis requiratur forma ad legem humanam legitimè ferendam?

SUb istâ controversiâ veniunt decidendæ difficultates. 1. *Utrum* [illegible] *in scriptis?* 2. *Sub* [illegible] *pidicatur Lex?* 3. *An* [illegible] *à principe lata intelligatur* [illegible] *causis decidendis?* 4. *Utrum* [illegible] *princeps adhibere consiliatores* [illegible]

CONCLUSIO I.

AD legem constituendam non est necessaria scriptura. Est [illegible] *de Constit.* Suarezio *lib. 1 de legibus cap.* [illegible] & communi Canonistarum atque Theologorum sententia contra Turrecrematam *in cap. Lex* [illegible] & alios ab ipso relatos.

19. Probatur. Quia in *Cap. Consuetudo* [illegible] habetur. [illegible] *quæ ratio legem commendat.* Et [illegible] *dicitur Institutionis nostræ* [illegible] *cernimus, sive quæ in nostra* [illegible] *posita,* [illegible] *ex quibus* [illegible] Et *in §. Sed & quod constitutum* [illegible] *tur.* [illegible] habetur. [illegible] *perator per* [illegible] *constituit, vel* [illegible] *ve. edicto præcepit, legem* [illegible]

Neque obstat, quòd Lex dividatur in scriptam & non scriptam *§.* [illegible] nomine legis non scriptæ venit Consuetudo, juxta *§. sine scripto*, ubi sic habetur: *sine scripto jus venit, quod usus approbavit*; Unde contrà nomine legis scriptæ venit Lex seu constitutio principis, juxta *cap. Lex est* & *Cap. Jus Generale dist. 1.* ubi dicitur. *Lex* [illegible] *scripta.* Etenim ista procedunt secundùm id, quod frequentius ac convenientius fit, non autem de necessitate, eò vel maximè, quòd in Ecclesiâ extent præcepta à Christo Domino, vel ab Apostolis lata sine scripturâ & per traditionem ad nos usque derivata.

CONCLUSIO II.

20. AD legem ferendam necessaria sunt verba, quæ sufficienter sint expressiva obligationis per legislatorem intentæ, ex communi sententia.

Probatur. Quia in pœnis, seu odiosis, dum est dubium, semper benignior interpretatio est facienda. *L. g. Interpretatione* [illegible] *In pœnis.* Item *cap. In pœnis. de reg. juris in 6.* Unde si verba legislatoris sint ambigua, an Consilium, seu exhortationē, vel præceptum proferant, reputanda sunt in rei Consilij, non legis, ex Sanchez *lib. 4. in Decal. cap. 4. n.* [illegible] Similiter si verba legis intelligi possint de obligatione veniali, non debent extendi ad mortale. [illegible] Sanchez *citato* & Navarro [illegible] *n.* [illegible]

21. Ceterùm verba præceptum seu legem importantia

portantia sunt *præcipio, jubeo, impero, mando.* Item *prohibeo, inhibeo, veto, interdico.* Suarez *lib. 3. de legib. cap. 1. n. 6.* Vasquez *1. 2. disp. 158. cap. 3. n. 12.* & plures alij à Thoma Sanchez *cit. cap. 4. n. 32.* relati, constatque ex *cap. Ex his. De verb. signif.* & Clement. *Exivi de paradiso. De verb. signif.* His æquipollere ista, *teneantur omnes, obligentur universi, nemini liceat, nemo præsumat*, & quæcumque necessitatem importantia verba [illegible] Suarez *citatus*, Sanchez *cit. [illegible]* Vasquez *cit. cap. 3. n. 21.* [illegible] contra aliquos, verbum [illegible] *Debeo* proprie significare necessitatem imperij, non autem verbum *Oportet*, ut potè honestatem seu convenientiam rei, non autem imperij obligationem ex se indicans. Verum illa verba; *Volumus, Decernimus, [illegible], mandamus, sancimus, [illegible]*, esse indifferentia præcepto & adhortationi, probant authores præallegati. Cujusmodi tamen [illegible] ex aliis adjunctis quandoque determinari ad [illegible]ndum præceptum, dum v. g. dicitur: *[illegible], in virtute Sanctæ obedientiæ, [illegible] in virtute Spiritus Sancti, [illegible] maledictionis æternæ, vel Gehennæ, vel [illegible] Apostolorum*, probat cum alijs Castropalaus *[illegible] disp. 1. punc. 9. n. 4.* Similiter verba imperativi modi, *Facite, Caveto, solvite, [illegible] omnes, nemo audeat,* absolutè prolata non continere præceptum, existimant Castro *lib. 1. de lege pœn. cap. 5. docum. 4.* Cajetanus *2. 2. q. 186. a. 9. circa finem. ad 2.* At Castropalaus *[illegible] disp. 1. punc. 9. n. 3.* cum alijs Doctoribus censet, attendendam esse materiæ gravitatem & necessitatem; quæ si magna sit, & gravitate a lege imposita, debere illa verba haberi pro præceptivis, quippè quæ pro talibus ferè semper accipiantur in Decretis Conciliorum & Pontificum, [illegible] constat ex Clem. *[illegible]. De verb. signif.* Cujus [illegible] exemplum author *præcitatus* adducit ex Decreto Tridentini *sess. 13. cap. 5. & 3.* nec non Clementis VIII. *[illegible]* Addit eandem C[illegible] *supra.* [illegible] Communi Re[illegible] constare, quòd de rigore, verba [illegible] quomodocunque [illegible] nunquam contineant præceptum, nisi eis addatur *in virtute Sanctæ Obedientiæ*, vel *in virtute Spiritûs Sancti*, vel *in Nomine JESU Christi*, sive *[illegible] excommunicationis*, vel *maledictione æternâ*.

Conclusio III.

Sententia à Principe lata, si sit legis declarativa, non autem, si litis sit decisiva, habet vim legis.

22. Prior pars est communis inter Doctores, atque probatur ex eo, quòd talis declaratio sit quædam legitima de lege sensûs expositio, ut sic [illegible] & obligationem legis non tam extendens, quàm pro casu proposito explicans.

23. Posterior pars est contra Felinum *in Rub. [illegible] de rescriptis.* Gomezium *in proœmio ad reg. Cancellariæ.* Jasonem *leg. 1. n. 1. ff. De constit. princ. &* *[illegible] leg. 1. n. 23. & 24. ff. De Ferijs.* Glossam *leg. [illegible]* & Juristas communiter existimantes, [illegible] decisivam litis cum cognitione causæ [illegible] partes, constituere legem ad decidendas [illegible] causas; favetque *Lex ult. Cod. De legibus.* ubi decidit[illegible], *quòd sententia inter partes data cum cognitione causæ pro lege sit habenda.* Nostra verò 24. sententia traditur à Covarruvia *in 4. Decret. 2. p. cap. 7. §. 4. n. 15.* Suarezio *lib. 3. de legibus. cap. 15. n. 16.* Castropalao *cit. disp. 1. punc. [illegible] n. 5.* Probaturque ex eo, quòd sententia decisiva non respiciat Bonum commune, sed privatum Jus inter partes præexistens, sitque applicativa Juris uni parti potiùs, quàm alteri competentis, non autem alicujus obligationis in populo constitutiva. Verùm hæc nostra sententia aliquibus limitationibus, sub quibus fortassis non discrepat à priori Juristarum opinione, coarctari debet. 1. enim sententia litis decisiva habet vim legis, si simul sit declarativa; uti patet ex præallegatâ *lege ult. Cod. de Legibus.* 2. Si Princeps alio signo sufficienter manifestat, quòd sententia decisiva constituatur in legem, veluti dum mandaret sententiam ejusmodi corpori Juris inseri, aliâve solenni formâ publicari: Sic enim leges Juris Canonici ex sententijs causarum decisivis præcipue constituuntur. Unde dicitur etiam *in Can. Causas. de re judicat.* quòd *in similibus causis teneantur cæteri similiter judicare.*

Hinc 3. Epistolæ ac rescripta principis vim legis obtinent, dum legum sunt declaratoriæ juxta *leg. 1. ff. de constit. princip.* ubi sic habetur: *Quodcunque Imperator per Epistolam constituit, vel edicto præcepit, legem esse constat.* Quòd si tamen 4. Princeps ex opinione sua propria interpretando Jus Divinum vel naturale respondeat consultationi sibi propositæ, non [illegible] vim legis, nisi aliquo signo id sufficienter manifestet, tradit Castropalaus *citatus n. 6.* maximè quando tale responsum adversatur juri communi, tunc enim principem præsumendum esse, quòd non voluerit [illegible] legem [illegible] privilegium concedere, [illegible] dispensare: veluti colligitur ex *Cap. [illegible]. De fide Instrum.*

Conclusio IV.

Consultatio Principis cum proceribus de lege aliqua statuendâ, non est, nisi de hoc pro aliquo regno seu provinciâ extet speciale statutum seu consuetudo, necessitatis, sed Decentiæ duntaxat. ex Suarez *lib. 3. de legibus. cap. 15. n. 3.* Bartolo *in leg. Omnes populi. ff. De legibus.* Castropalao *cit. disp. 1. punc. 8. n. 5.*

Probatur. Nam licèt *in leg. Humanum. Cod. De legibus.* sit provisum, si in posterum nova lex statuatur, ab omnibus proceribus tractari debere, & si universis placuerit, tunc dictari, & collectis omnibus [illegible], omnibusque consentientibus in Consistorio Imperatorio recitari. Nihilominus illa lex non potest Imperatoriæ potestatis super omnes leges à se latas catenus superemmenentis, ut eas derogare possit, esse obligatoria, 25.

CONTROVERSIA III.

Quæ, & qualis Promulgatio in Legibus tam Civilibus, quàm Canonicis requiratur ad inducendam obligationem?

TRia hîc moventur: Primum, *An Promulgatio legis adeò sit necessaria, ut antecedenter ad istam non sit obligatoria?* Secundum est, *Qualis solennitas promulgationis exigatur in legibus Civilibus?* Tertium, *Quæ solennitas publicationis requiratur in legibus Canonicis.*

1. Circa primum allegari solet *Can. 1. de Postul. Prælat.* ubi dicitur legem *obligare, si solenniter edi- tur, aut publicè promulgatur.* Ex quo Panormitanus *ibi.* & Reginaldus *lib. 13. n. 155.* concludunt, ad legis obligationem sufficere, si solenniter sit edita, nec opus esse promulgatione publicâ. Verùm ex contrario stant Doctores communiter, nominatim Innocentius *in cit. cap. 1. n. 6. De Postul. Prælat.* Hostiensis *ibi. n. 21. & 22.* Suarez *lib. 3. de legib. cap. 16. n. 2.* Salas *præs. disp. 12. sect. 1. n. 6.* Bonacina *disp. 1. q. 1. punc. 4. n. 10.* Castropalaus *cit. disp. 1. punc. 10.* quorum aliqui ex istis existimant, verba præallegati canonis, vi cujus ad legis obligationem exigitur solennis editio, aut publica promulgatio, esse accipienda in sensu copulativo, ita ut editio solennis simul & promulgatio sit necessaria ad legis obligationem; Suarez verò *citatus* arbitratur, idem significari per solennem editionem & promulgationem. Nam licèt Lex sit edita in regio Concilio, ibique omnium ore prolata, vel eorum authoritate scripta, imò & typis mandata, nondum tamen est lex, donec aliquo modo sit communitati proposita: cujusmodi propositio vocatur promulgatio. Si verò solennis editio legis sit facta in conspectu totius populi, uti Panormitanus loqui videtur, tunc solennis editio includit promulgationem: atque adeò immeritò distinguuntur.

2. Circa secundum oritur difficultas ex Authenticâ: *Ut factæ novæ constitutiones collat. 5.* ubi in Rubricâ sic statuitur, *ut factæ novæ constitutiones post insinuationes earum, post duos menses valeant.* Et *in cap. 1.* illius Authenticæ ita habetur. *Sancimus igitur ex illo nostras constitutiones, quæ pro Testamentis sunt, valere, ex quo in communi factæ sunt manifestæ, in Provinciis autem, ex quo directè per metropolitas sunt palam factæ.*

3. Ex quo adeò patet, istam constitutionem esse restrictam ad leges Testamentarias. At rubricam per leges subscriptas, si claræ sint, explicandam & limitandam esse, probat Menochius *lib. 6 Præsumpt. præsumat. 1. per totam.* Unde Vasquez *1. 2. disp. 156. cap. 3. n. 23.* concludit, post promulgationem in Curiâ nullum aliud requiri tempus, nisi pro legibus Testamentorum, in Provinciis Imperij, ut lex habeat ex se vim obligandi, requiri tamen in singulis aliquod tempus, usquequo sciatur, ut re ipsâ ligent. Verùm in legibus Imperij multis regnis & Provinciis constantis promulgationem in Curiâ factam sufficere pro [illegible] duntaxat provinciâ, in quâ existit talis curia, pro cæteris autem provinciis necessarium esse, fieri publicationem solennem in singulis earum capitibus, tenent Glossa *in præcit. auth. verbo. Hujusmodi lex.* Bartholus *ibidem.* Baldus *in leg. Leges Sacratissimæ. Cod. de legibus.* Panormit. *cap. 2. n. 7. de constit.* Felinus *ibi. n. 7.* Navarrus *lib. 1. cons. 1. de constit. q. 4. n. 19.* Suarez *lib. 3. de legibus. cap. 16. n. 10.* Castropalaus *cit. disp. punc. 11. n. 3.* & plures alij.

4. Circa tertium difficultas est, utrùm eadem solennitas, quæ in civilibus jure communi servanda est, teneat etiam in legibus Canonicis, ita ut istæ, dum Pontifex aliud expressè in aliquâ lege non declarat, non obligent, nisi post duorum mensium à die publicationis terminum, debeatque promulgatio fieri in singulis provinciis seu Diœcesibus? In quo affirmant Panormit. *in cap. Cognoscentes n. 7. in fine. De Constit.* Felin. *ibi. n. 7.* Medina *1. 2. q. 9[illegible]. ar. 4. vers. sed quæritur.* & alij. Ratio est. Sicut enim leges non dedignantur sacros Canones imitari; ita sacrorum Canonum statuta constitutionibus principum adjuvantur. *Can. 1. De novi operis nuntiat.* Cum igitur canones tempus obligationis in legibus Ecclesiasticis non determinent, quoad hoc erit standum determinationi Juris Civilis.

5. E contrario negant Suarez *cit. lib. 4. cap. 15. n. 3.* Vasquez *disp. 156. cap. 2. n. 12.* Sylvester *verbo lex. q. 6.* Farinacius *Fragment. 1. p. v[illegible]r. constitutio n. 653. & 663.* Menochius *de arbit. lib. 2. cap. 2. casu 182. n. 19. & 185. n. 8.* Panormitanus mutans sententiam *in cap. Noverint in fine. de [illegible].* Gomez *in proœm. ad reg. cancellar. q. [illegible].* Card. *in proœmio Clement. §. Universitatis n. 4.* Fundamentum est. Quia promulgatio Romæ facta sufficit ex naturâ rei ad inducendam obligationem. Neque verò Pontifex illam authenticam acceptavit, suamque fecit: quin imò Decreta Pontificum tam in corpore Iuris, quàm Extravagantis, nec non Concilij Tridentini, ac speciatim Bulla Cœnæ Domini, sicuti etiam Regulæ Cancellariæ promulganda sunt solùm Romæ, & tamen juxta illa proceditur in Iudicijs; uti videre est apud Gometium *citatum*, servatque praxis. Hoc autem foret injustum, si leges Pontificiæ ex illâ Romæ præcisè factâ promulgatione non obligarent. Unde Azor *to. 1. lib. 5. cap. 3. q. 3. circa medium.* existimat, probabilitate carere, quòd Decreta Pontificis oporteat in Episcopatu publicare.

CONCLUSIO I.

AD formam legis *Essentialiter* requiritur promulgatio.

6. Probatur. Quia Lex *Essentialiter* est regula ad omnes in Communitate existentes lata, cujus adeo forma exigit intimationem quâ possit omnibus patere. Unde *Cap. 3. dist. 4.* dicitur: *Leges instituuntur, cum promulgantur, firmantur autem, quando moribus utentium approbantur.* Et *in Leg. leges sacratissimæ. Cod. de legib.* sic habetur. *Leges sacratissimæ intelligi ab omnibus debent, ut universi, præscripto earum manifestiùs intellecto, prohibita declinent & [illegible] præcepta.* Ex quibus juxta ea, quæ *n. 1. & 2.* deducta sunt, etiam patet, ex hoc præcisè, quòd lex sit statuta in Concilio seu Consistorio, nisi ex hoc jam possit sufficienter devenire in notitiam Communitatis, necdum intelligi legem institutam cum vi obligatoria, eo quòd ista institutio

pœnam

primum habeat obligandi vires, ubi sit promulgatio, non quidem tali, vi cujus singulis juridicè intimetur. *ex Can. 1 De Post. l. Prælatorum*, sed ut ex vi promulgationis possit legis notitia devenire ad omnes. Ex tunc enim Lex in actu primo habet obligandi vires, licet in actu secundo per accidens ratione ignorantiæ possit aliquos non ligare, cùm econtra lex a Principe statuta antecedenter ad promulgationé ex ipsa rei naturà per se non sit obligatoria. Qualis autem debeat esse ista promulgatio secundum rei naturam non determinatur, sed quovis congruo notitiam legis ad Communitatem transfundente modo per vocem præconis, seu scripturæ affixionem fieri potest. Hinc infertur 1.
7. *Quid dicendum sit de illo, qui versans in palatio Regis ac sciens Pragmaticam de frumento vilius vendendo, ante hujus publicationem cariori pretio triticum vendit?* Etenim fraudis talem redarguit Felinus *cit. n. 7. limit. 2. circa finem.* cum Bartolo & Baldo *ibi citatis* asserens, teneri Emptori ad interesse. Verùm Castropalaus *cit. p. n. 10. n. 2.* & Menochius *lib. 2. de arb. casu 185. n. 22.* & alij existimant, talem excusandum, utpote Iure suo utentem. Cujus ratio esse potest. Quia lex in illo statu nondum est obligatoria, nec adeo vires habet in taxando tritico. Unde pretium antiquum est justum, estque adeò per accidens, quòd alter patiatur damnum non intentum à venditore, utpote quærente damnificationem ex intentione tritici sibi accrescentem avertere.

8. Infertur 2. *Quatenus Regulæ Cancellariæ publicæ non promulgatæ possint ligare?* Etenim Castropalaus *citatus n. 6.* existimat, obligare omnes in vi consuetudinis seu styli curialis, ad hoc tamen requiri tempus præscriptioni, vel consuetudini inducendæ necessarium, posse insuper in vi præcepti ante publicationem afficere Officiales Cancellariæ: attamen in vi legis scriptæ non posse obligare, nisi promulgentur.

Conclusio II.

IN Legibus Civilibus requiritur, ut solemnis fiat promulgatio in qualibet Imperij provincia, nec illarum obligatio tenet, nisi post duos menses à die præfatæ publicationis computando.

9. Probatur. Nam licet prææ llegata Authentica: *ut factæ novæ constitutiones* videatur solùm disponere de legibus Testamentarijs, attamen verba Rubricæ sunt universalia, proceduntque de omni lege. At Rubrica habens perfectum sensum secundum facultas obtinet textûs authoritatem in his, in quibus nigro non repugnat. Et hinc si lex strictius loquatur, extendendam esse juxta generalitatem Rubricæ, dum non est repugnantia, vel absurdum aliquod, docet *Gloss. in dict. auth. & in leg. 1. Cod. de Capital. civium.* Antonius de Butrio *in proœm. Decret.* Jason & Decius *in leg. 1. ff. Si certum petatur.* & alij. Et hinc facile patet responsio ad fundamentum *n. 3.* appositum.

10. Hinc Suarez *cit. lib. 3. cap. 16. n. 5.* cum Doctoribus à se relatis infert 1. Si aliquis ante bimestre tempus elapsum sciat, legem esse in curià Imperatoris, vel in Metropoli solemniter promulgatam, non peccare contra illam agendo. Est contra Bart. *in leg. omnes populi. ff. de Iust. & Jure q. 5. n. 37.* Sylvestrum *verb. Lex. q. 6. dictio 3. in fine.* & alios existimantes, talem in conscientià obligari lege, & male agere, illam non servando, licet per Ius Civile non puniatur. Ratio Suarezij est. Quia illud spatium duorum mensium non assignatur solùm pro foro externo, sed ad suspendendam, obligationem legis.

Infertur 2. Illud Duorum mensium spatium non tenere in legibus municipalibus, seu statutis civitatis alicujus, cùm de his non loquatur illa authentica, sed de legibus duntaxat Imperatorijs, ut illæ adeò statim ab ipsà publicatione ligent omnes, in quorum notitiam devenire possunt. ex Hostiensi *in summâ. tit. de Constitut. §. Quando.* Menochio *de arbitrarijs. cit. casu. 185. n. 5.* Farinacio *Fragm. crim. 1. p. verb. Constitutio. n. 659.* & alijs, quos refert, ac sequitur Suarez *cit. lib. 3. cap. 18. n. 9.* 11.

Infertur 3, Cum Imperator Jure Civili derogare possit legem ab ipso latam cum expressâ voluntate, quòd ante bimestre elapsum obligare debeat, omninò tenere. Et hinc, si in lege aliquâ Imperatoriâ sit positum, ut lex *Ex hinc*, vel *statim*, obliget, obligare statim, probat Suarezius *citatus n. 3.* 12.

Infertur 4. In legibus Regum, qui legibus Imperialibus subjecti non sunt, sufficere quamcunque promulgationem de jure naturæ sufficientem, in Regiâ v.g. solummodò factam. ex Castropalao, & Doctoribus *ibi relatis.* In ejusmodi tamen casu Suarez *citatus cap. 17. n. 8.* existimat, tantum temporis ad obligationem legis inducendam præfigi debere, quantum *moraliter* sufficiens est, ut lex promulgata in Curiâ possit devenire in notitiam communitatis, neque enim lex in regiâ, sive in Comitijs regni publicata secundùm jus naturæ obligaret in toto regno, sed post sufficiens tempus, juxta quod in singulis provincijs sciri potest. 13.

Verum quod hoc videtur necessaria distinctio: aliud enim est obligatio in actu quasi primo ad essentialem legis constitutionem requisita, aliud verò est obligatio in actu quasi secundo se habens ad legem per modum effectûs. At prior meo judicio statim à die publicationis solemnis in Curiâ solummodò factæ videtur subsistere; siquidem pro tunc sit lex quoad essentiam omnino perfecta, nequeat autem legis perfectio substantialis intelligi absque vi obligatoriâ. Posterior autem pendet ex notitiâ legis. Et hinc ante tempus, quo prudenter arbitrari licet, potuisse legis notitiam ad alios etiam remotiores devenire, nequidem pro foro externo secundùm præsumptionem Juris potest legis ignorantia reputari vincibilis, atque adeò pro tali casu in foro externo non potest præsumi legis obligatio in actu secundo.

Conclusio III.

OMnino tenendum est, Constitutiones Pontificias Romæ promulgatas statim habere vim obligandi in tota Ecclesia absque ulteriori publicatione, nisi aliud caveatur.

Probatur. Tum quia licèt leges civiles à sacris 14.

sacris Canonibus sint receptæ ad causarum, quæ nullo sacro Canone definitæ sunt, decisiones *Juridicè* faciendas: attamen quoad leges ferendas nullo sacro Canone cautum est, ut servari debeat modus in Jure imperatorio præscriptus, quin potius praxis stet in contrarium. Et hinc patet responsio ad fundamentum *n. 4.* oppositum. Tum quia Pontifex *in Cap. 1. post init. de Concessione Prabendarum.* extra casum Privilegij, Indulgentiarum, seu concessionum specialium videtur approbare, quod lex, seu constitutio, & mandatum nullos adstringunt, nisi postquam ad notitiam pervenerint eorundem, aut nisi post tempus, intra quod ignorare minime debuissent. Ex quo patet, duos esse terminos obligationis actualiter constringentis à Pontifice positos; alterum scilicet habitæ notitiæ, alterum verò temporis, infra quod lex ignorari non debuisset. At verò iste posterior terminus est secundum præsumptionem Juris, utpote legis ignorantiam non præsumentis, prior verò est secundum ipsam rei naturam, non quidem respectu obligationis in actu primo, sed in actu secundo inducendæ. Videtur proinde, constitutiones Pontificias, nisi aliud in ijs exprimatur, non exigere promulgationem, nisi quæ de Jure naturali necessaria sit, cujusmodi est sufficiens, si fiat in Curiâ Romanâ.

15. Ex quo fit 1. Inter ignorantes legem, & illos, ad quorum notitiam lex ob distantiam loci needum potuit pervenire, hoc esse discriminis, quòd utrinque quidem non sit legis obligatio in actu secundo; in priori tamen casu legis obligatio sit tantùm per accidens sublata ex impedimento legis, mediante cognitione applicationem pro obligatione actuali inducendâ necessariam solùm *accidentaliè* impediente; in casu autem posteriori sit secundum ipsam rei naturam defectus debitæ pro legis obligatione actuali contrahendâ applicationis. Unde pro tunc ex parte subjecti ne quidem radicalis tenet legis obligatio, quamvis ex parte ipsius legis jam exter vis, quantum est de se, omnes obligandi, actualemque obligationem inducendi in ijs, ad quorum notitiam pervenerit, vel ex parte quorum ex injuriâ steterit, ne ad ipsos deveneit. Et hinc verum tenet, quòd Suarez *cit. lib. 4. cap. 16. in fine.* ait; quod leges Pontificiæ Romæ promulgatæ statim obligare incipiant, diffundant autem obligationem suam scilicet actualem *successivè*, ita ut, cùm legis in Romanâ Curiâ promulgatæ notitia in uno Episcopatu intra mensem, in alio autem nó nisi post tres menses moraliter haberi póssit, obligatio ejusmodi Romæ à primo statim publicationis die, alibi autem pro distantiâ locorum serius, aut citiùs constringat in actu secundo, vi tamen obligandi in actu quasi primo spectatâ, legibus essentiali mox à primo promulgationis instanti universam Ecclesiam afficiente, nisi aliud caveatur ex speciali voluntate seu benignitate Pontificis.

16. Nam 2. fit quandoque, ut alicui legi Canonicæ præfigatur peculiaris pro obligatione inducendâ terminus, ac modus promulgationis; veluti Pius IV. in Bullâ Concilij Tridentini promulgatoriâ trium mensium spatium assignavit. Et Decretum Matrimonia absque præsentia Parochi ac Testium contracta irritans ex constitutione Concilij Tridentini *sess. 24. de Reform. cap. 1.* non nisi post promulgationem in singulis Parochijs sortitur effectum.

❊❊❊❊❊❊❊❊❊)(❊❊❊❊❊❊❊❊❊

CONTROVERSIA IV.

Utrùm, & quomodo legis valor seu obligatio sit dependens à Populi acceptatione?

1. TAm certum est, Pontificem independenter à consensu & acceptatione populi, posse suis legibus obligare, ut Suarez *cit. lib. 4. cap. 16. n. 2.* dicat, negari non posse, salvâ fide Divinâ. Ratio est. Quia potestas legislativa est *immediatè* à Christo data Pontifici, non autem Ecclesiæ. Ergo independenter ab illâ, sive à populi fidelis consensu & acceptatione potest efficaciter & validè obligari in ferendis legibus; eo vel maximè, quòd illa legislativa potestas sit penes Pontificem vi illorum verborum ad Petrum, ejusque adeo successores prolatorum. *Quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis.* Item *Pasce oves meas.* Cujusmodi verba absolute ad Petrum qua Pontificem prolata, constat, nullam legislativæ Pontificiæ potestatis dependentiam à populo, nec ullam ibi appositam esse conditionem consensûs populi pro legibus validè & efficaciter statuendis.

2. Hinc consequenter cum alijs Doctoribus infert Castropalaus *cit. disp. 1. punct. 4.* Episcopos, & Legatos, aliosque inferiores Prælatos posse ferendo leges ad illarum observantiam obligare subditos, ipsis licet contradicentibus. Ratio est. Quia potestas legislativa in hos est *immediatè* derivata à Papâ. Ergo sicut istius, sic illorum authoritas in ferendis legibus est independens à populo.

Quibus adeò positis, duæ hic restant difficultates. Altera, *Utrum de benignitate Pontificis præsumi saltem possit, quod populi consensus, & acceptatio exspectetur, priusquam lex vim & obligationem sortiatur?* Altera. *Utrum princeps seu Magistratus secularis secundum ipsam etiam rei naturam in legibus validè ac efficaciter ferendis sit dependens à populi acceptatione?*

Referuntur Sententiæ.

3. CIrca 1. difficultatem affirmant Glossa *in Cap. 1. verb. Frangere. de Treugâ & pace.* Covarruvias *lib. 1. variar. quæst. cap. 16. à n. 6.* & alij relati à Salâ *disp. 13. de legibus. sect. 1. §. secundam partem illius dicti.* Fundamentum desumitur *ex Cap. 3. §. leges. dist. 4.* ubi sic habetur. *Leges constituuntur, cum promulgantur, firmantur, cum moribus utentium approbantur.* Ex quo videtur evinci, quòd leges firmitatem non habeant independenter ab usu, seu acceptatione populi, ut adeò Pontifex non præsumatur velle suis legibus obligare, si populus contradicat, cum hoc ad suave regimen Ecclesiæ pertinere videatur. Et hinc multæ constitutiones Ecclesiasticæ non tenent, imò ne ab initio quidem obligâsse creduntur non aliam ob causam, nisi quod non essent receptæ.

E contra-

4. Econtrario Suarez *citatus n. 4. & 8.* Serra *l. 1. q. 95. a. 3. dub. un.* Castropalaus *præs. punc. 13. n. 3.* cum Bellarmino, Cordubâ, & alijs docent; instante observandæ legis justæ à Pontifice, vel Episcopo latæ tempore, nemini licitum esse, illam violare sub prætextu, quòd populus adhuc non consenserit, ita ut non careant culpâ, qui incipiunt illam non observare post sufficientem promulgationem. Fundamentum est. Quia si lex non solùm justa, sed moderata & facilis sit, tunc nullâ cõjecturâ rationabili præsumi potest, quòd legislator præsertim Ecclesiasticus nolit obligare, contradicente populo. Imò etiamsi lex difficilior ac rigidior sit, re ipsâ tamen justa, secundum Cordubam *in quæst. lib. 4. q. 7.* locum habere debet illud *in Cap. In Memoriam. 19. dist.* relatum. *Licèt vix ferendum ab illâ sanctâ Sede imponatur jugum, tamen feramus, & piâ devotione toleremus.*

5. Verùm Suarezius *cit. n. 4. in fine* hoc posterius per se, & ex vi potestatis Canonicæ, quæ major est Civili, eatenus verum censet, ut oporteat tamen etiam de voluntate legislatoris satis constare tum ex verbis legis & modo præcipiendi, tum etiam ex alijs indicijs & circumstantijs legis. Si enim verisimile sit, legislatorem, rei pro tali loco, vel tempore, aliâve occasione difficultatem ignorasse, credi etiam posse, quòd noluerit cum tanto rigore obligare. Cui conformiter Castropalaus *præcitatus n. 4.* asserit, in legibus, quæ difficilis sunt observationis, vel quæ adversantur consuetudini receptæ, ex benignâ legislatoris interpretatione quemlibet excusari a legis observatione, quousque Pontifex informetur de difficultate, vel receptâ consuetudine, cùm prudenter præsumi possit, legem processisse ex ignorantiâ difficultatis, quæ in illius observatione invenitur, vel ex ignorantiâ consuetudinis in contrarium receptæ. In cujusmodi tamen casu difficultatem non esse metiendam ex proprio cujusque cerebro, sed ex consilio prudentum, vel timoratorum facto; si enim quis videat plures tractare de interponendâ supplicatione, argumentum esse, quòd difficultas non levis subsit, quam Pontifex credatur ignorasse.

6. Circa secundam difficultatem videtur affirmare Abbas *cum Glossâ finali.* Goffred. & Innocent. *in cap. 1. n. 4. de Treugâ & pace.* Cui accedunt Covarruvias *lib. 1. variar. qq. cap. 16. n. 6.* Navarrus *lib. 1. Cons. de Constit. cons. 1. q. 5. & 6.* Azor *to. 1. lib. 5. cap. 4. q. 5.* alijque relati à Suarezio *lib. 3. de Legibus cap. 19. in princ.* Fundamentum desumi potest tum *ex lege. De quibus. ff. de Legibus,* ubi sic statuitur. *Nam cum ipsæ leges nullâ aliâ ex causâ nos teneant, quam quòd judicio populi receptæ sunt.* Tum ex sequenti ratione. Quia legislator sæcularis quicumque potestatem legis ferendæ, sive *mediatè*, sive *immediatè* accepit à populo. Ergo credibile est, authoritatem ejusmodi habere cum dependentiâ à populo.

7. E contrario Zabarella *in proœm. Clement. ver. Universitati, q. 2.* Castro *lib. 1. de leg. pœn. cap. 1.* Medina *Cod. de restit. q. 36. ad 6.* Suarez *l. 3. de Legib. cap. 19.* Serra *ubi supra.* Vasquez *1. 2. disp. 156. cap. 1.* Castropalaus *cit. punc. 13. n. 11.* & alij tenent; acceptationem populi non esse necessariam ad legis obligationem, vel perfectam institutionem; sed legem potiùs obligare ad sui acceptationem, adeo ut post legem sufficienter promulgatam peccent subditi, qui illam non observant, ex eo solùm, quòd eam acceptare nolint. Fundamentum à Suarezio *citato n. 7.* deductum est. Ubicumque enim regimen non est Democraticum, populus transtulit supremam potestatem in principem, sive ille sit unâ persona, ut in Monarchiâ, sive sit consilium Procerum, ut in Aristocratiâ, sive sit mixtum ex utroque, uti est Dux cum senatu, vel rex cum Comitijs regni. Ergo in his omnibus is, qui de facto supremam potestatem habet ad ferendam legem, habet etiam potestatem ad obligandum omnes de regno, ut illã acceptent; tum quòd omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit; tum quòd alias inefficax valde esset illa potestas & planè inutilis, si non posset cogere subditos ad acceptandam, & observandam legem; tum quòd usu constet, Reges statim ac lex sufficienter est constituta, promulgata & proposita, punire transgressores, nullâ populi acceptatione spectatâ; imò cogere ad observandam & acceptandam legem. Unde quando aliquâ ex parte regimen reipublicæ est Democraticum, erat populi utpote legem condentis consensus quidem necessarius: translatâ tamen potestate in unum Monarcham, non est talis consensus populi necessarius, nec consequenter ejus acceptatio.

CONCLUSIO I.

LEX Ecclesiastica quoad obligationem inducendam eatenus est independens ab acceptatione, ut ex hujus defectu præcisè non excusentur illam transgredientes.

Probatur. Quia ex fide divinâ certum est, 8
legislativam Ecclesiasticam potestatem Papæ *immediatè* à Christo, inferioribus autem Prælatis à summo Pontifice collatam non pendere à populo. Nisi ergo præsumi possit de voluntate Papæ nolentis suâ lege pro casu aliquo obligare, nemo excusatur transgrediendo ejus legem debito modo promulgatam. Hic verò Papæ consensus præsumptus generatim duplex est, legalis scilicet, qui fundatur in sacrorum Canonum constitutionibus; & personalis, qui est per tolerantiam scientis & tolerantis non observationem alicujus à se latæ legis. Quare 1. 9
legis obligatio usu non recepta ex legali Papæ consensu cessat per desuetudinem legitimè præscriptam. ex Suarezio *ubi supra n. 9.* & Castropalao *citato n. 5.* Ratio est. Quia consuetudo legi contraria post lapsum temporis præscriptioni necessarium tollere potest legem usu jam receptam. *ex Can. Ult. de Consuetud.* Ergo à fortiori desuetudo, seu non usus legis potest impedire obligationem legis nondum receptæ. Ad hoc tamen requiruntur duæ conditiones, quarum altera est, ut iste non usus sit introductus à totâ communitate, vel saltem majori ejus parte. Hic autem nomine communitatis non tantùm venit universa Ecclesia, pro quâ latæ sunt leges Pontificiæ, sed quælibet etiam particularis communitas seu civitas aliqua. Altera autem conditio est, ut legislatore non sciente, legem à se latam non servari, interveniat tempus pro præscriptione necessarium. Et quamvis pro

legibus Canonicis per non usum, nesciente Papâ, abrogandis exigatur, *velut infra de Consuetudine dicitur*, tempus 40. annorum: hoc tamen accipi debet de legibus jam receptis, non vero de legibus in usum nunquam deductis, ad has enim abrogandas sufficere decennium, ex communi ex sententiâ, nominatim Cardinalis & Jasonis probat Suarez *cit. lib. 4. cap. 16. n. 11.* Cujus ratio est. Quia ut lex censeatur absolute non acceptata, & per non usum abrogata, sufficit consuetudo longi temporis. ex Panormit. *in Cap. Cum olim. n. 4. de Cleric. conjug.* At tempus Decennij sufficit, ut dicatur consuetudo seu præscriptio longi temporis, juxta *Gloss. in Cap. ult. de Consuet. in 6.*

10. Quòd si 2. Legis non observantia fiat sciente legislatore, nullum certum tempus necessarium esse pro legis abrogatione, sed sufficere tot actus contrarios majoris partis communitatis, qui moralem conjecturam de tolerantiâ legislatoris efficere valeant, docet Suarez *citatus n. 10.* Ratio est. Quia tunc abrogatio legis fit per tacitum legislatoris consensum personalem, pro quo præsumendo nullum tempus est Jure præscriptum, sed prudenti arbitrio definiendum est, quando legislatore statuti à se lati nō observantiâ tolerante, possit rationabiliter præsumi tacitus ipsius de ulteriùs nō obligando consensus. In quo adeò casu, licèt illi, qui legem ejusmodi non observare incœperunt, omnino peccarint, ex subsequente tamen Principis per tolerantiam ipsius præsumpto consensu, eatenus cessat, vel suspenditur legis obligatio, ut citra culpam possit non servari.

11. Ex simili præsumptâ legislatoris voluntate, dum lex pro aliquâ provinciâ seu communitate est difficilis observationis, vel adversatur consuetudini receptæ, excusari quempiam ab ejus observatione, saltem quousque Papa, seu Princeps informetur de difficultate, seu receptâ consuetudine, tenent partim Suarezius *cit. cap. 16. n. 4. in fine.* Item *n. 7. & 8.* partim Castropalaus *cit. punc. 13. n. 4.* & Serra *cit. dub. un. circa finem* addens; cùm talis interposita est supplicatio, legem eatenus esse suspensam, ut, si legislator auditâ supplicatione populi nihil respondeat, sed taceat, censeatur consentire, & legis obligationem tacitè auferre. Ratio est. Tum quia locorum specialium & personarum singularium consuetudines & statuta, cùm sint facti & in facto consistant, eatenus potest Papa probabiliter ignorare, ut ipsis, dum rationabilia sunt, per constitutionem à se noviter editam (nisi expresè caveatur in ipsâ) non intelligatur in aliquo derogare. *ex Can. 1. de Constitut. in 6.* Tum quia *in Can. Si quando 5. de Rescriptis.* ita habetur: *Si quando aliqua tuæ Fraternitati dirigimus, quæ animum tuum exasperare videntur, turbari non debes. Qualitatem negotij, pro quo tibi scribitur, diligenter considerans, aut mandatum nostrum reverenter adimpleas, aut per literas tuas, quare adimplere non possis, rationabilem causam prætendas. Quia patienter sustinebimus, si non feceris, quod pravâ nobis fuerit insinuatione suggestum.*

12. 4. Denique Serra *in fine cit. dubij* refert aliquos existimantes, etiam in casu dubij, utrum lex sit usu recepta, vel per non usum præscripta, licere in foro conscientiæ sequi sententiam, quæ negat, usu receptam esse. Et hinc, cum aliqui dubitant, an Bulla Clementis VIII. de largitione munerum sit usu recepta, illos, qui stante tali dubitatione, contra illam aliquid efficerent, non incurfuros pœnas latas adversùs contravenientes. Idem esse etiam de *Extravagante. Ambitiosæ* Pauli II. contra alienantes Bona Ecclesiastica: aliquos enim putare, quoad pœnas dictam Bullam non esse receptam. Verum qualiter legis possessio ac præsumptio in casu talis dubij prævalere debeat, *nos supra q. 9. a. 3. coroll. 3. illat. 2. & 3.* diximus.

Conclusio II.

Neque Civilis Legislativa potestas quoad actualem legum obligationem inducendam est dependens à populi acceptatione.

Probatur. Quia lex per Essentiam suam est actus prudentialis. At si legis firmitas quoad obligationem inducendam non subsisteret nisi dependenter à consensu populi, tunc, quia iste post Jurisdictionis sibi a naturâ concessæ in principem translationem non potest convenire in Comitijs pro consultationibus faciendis, nisi ad nutum principis, sive ad privilegium ab isto sibi datum. Ideo non posset jam populi consensus præstari cum consilio & prudentiâ; quin potius aliquorum protervia, vel dissolutior legibus minus assueta licentia foveretur, dum populo liceret legi alicui pro libitu resistere. Unde contra naturam legis esset, quòd populo absque ulla inter se consultatione esset reservata licentia potius ad resistendum legi, sive ad non acceptandam legem, atque hanc solâ suâ sive studiosè affectatâ resistentiâ, sive fortuitâ & inconsultâ non observantiâ eatenus enervandi, ut nullam posset introducere obligationem. Quare potius dicendum, Justitiam legalem eatenus *architectonice* & *principaliter* esse vel in Principe, vel in communitate regiminis politici claves tenente, ut in subditis sit merè *Executivè*, atque adeò legem seu præcipue Justitiæ legalis actum ad hos aliter non spectare, nisi ut promptâ obedientiâ illi se subjiciant, teneanturque adeò eam acceptare, peccentque proinde non acceptando, & non observando, nisi ubi Principis consensus de non obligando sive expressus, sive tacitus, vel legalis, vel personalis intervenerit; veluti *præced. conclus.* dictum est, cùm præallegatæ *a n. 3.* deductæ exceptiones æque, imò magis locum habeant in legibus Civilibus, quam Canonicis. Quibus superaddi possunt duæ adhuc exceptiones, quas Suarezius *cit. lib. 3. cap. 19. a n. 12.* exponit. 13.

Quarum 1. in eo se tenet, quòd, si lex sit quidem justa, attamen nimis dura & gravis, atque talis a republicâ communiter judicetur, verisimiliter videatur non obligare populum ad acceptandum, nec peccare eos, qui inceperint eam non servare. Ratio est. Quia tunc verisimiliter præsumitur, non esse latam legem illam a principe cum intentione absolutè obligandi, seu solum experiendi, quomodo talis lex à populo recipiatur. Unde etiam subditi videntur posse simili intentione non servare legem, sed expectare, in quam partem communitas inclinet. Nihilominus tamen sustineri non posse videtur, hanc exceptionem, licet probabilem, in rigore tamen 14.

15.

re tamen juris minùs subsistere, juxta illud Ulpiani *in leg. Prospexit. ff. Qui, & a quibus. Quod quidem perquàm durum est, sed ita lex scripta est*; adstipulante Glossâ *in Cap. Ex parte. de officio Delegati.* ubi dicitur: *Licèt durum sit, superioris mandato obediendum esse.* Unde cõcludit, in hujusmodi casu consultius fore, instare coram Principe, ut legem auferat, vel moderetur, interim servando illam, si tempus urgeat. Quòd si verò Princeps in sententiâ persistat, servandam esse, & acceptandam, dum non est injusta.

16. Altera exceptio in eo se tenet, ut, si major pars populi legem non servet, tunc, licèt illi fortè peccaverint, qui incœperunt, ac primùm secuti sunt; ubi tamen à majori parte non amplius seruatur, possint alij sine peccato conformari majori parti. Ratio est. Quia observantia privata talis legis jam non pertinet ad bonum commune, nec videtur velle Princeps obligare unum, vel alium, quando communitas non observat. In quò tamen author *præcitatus n. 8.* monet, multâ etiam moderatione opus esse, cùm alioquin leges humanæ, quas plerique de communitate non servant, non obligarent timoratos & justos. Quare locum duntaxat habere, quando non solùm nõ servatur lex à majori parte, sed ejus etiam observantia perturbationem generat in republicâ, cum periculo seditionis & scandali: tunc enim meritò excusari particulares personas, eò quòd talis observantia jam non esset utilis communi bono, & princeps ipse teneatur tunc legem tollere saltem propter majora pericula vitanda, imò per consensum tacitum principis talem resistentiam scientis & tolerantis post aliquot actus contrarios à communitate factos, eo ipso sublatam esse, constat ex dictis *præced. concl.* cùm alioquin, Principe legis suæ non observatiam ignorante, non nisi per Desuetudinem Decennio præscriptam de Jure auferatur. *ex cit. concl.*

Responsio ad opposita Fundamenta.

17. AD Fundamentum ex parte primæ difficultatis *n. 4.* oppositum Respondetur. Leges firmari moribus & approbatione utentium, non *positivè*, quoad firmitatem essentialem, sed quasi *negativè*, quoad sui conservationem. Eo ipso enim, quòd Desuetudine in contrarium præscriptâ, vel tacitâ Principis actus contra legem factos scientis tolerantiâ leges tollantur, sequitur, eas *Negativè* loquendo eatenus firmari & conservari moribus utentium, quatenus per non usum earum obligatio alioquin auferretur: quamvis leges præsertim Ecclesiasticæ quoad firmitatem substantialem *positivè* non dependeant, nisi ex legislatoris voluntate, non verò ex acceptatione populi; cùm istud non tam suavi Ecclesiæ regimini congrueret, quàm authoritati à Christo derivatæ derogaret.

18. Ad fundamentum ex parte secundæ difficultatis *n. 7.* oppositum Respondetur 1. Ad hoc, ut leges dicantur tenere, requiri earum permanentẽ subsistentiam. At istam ex nullâ aliâ causâ pendere, nisi ex receptione populi; utpote hâc non subsistente, per principis vel legalem, vel tacitum præsumptum consensum tollantur leges. In quem [illegible] sum ex citatâ lege, *Quibus subjicitur.* rec[illegible] esse: *Quòd leges non solum suffragio legislatoris, sed etiam tacito consensu hominum per desuetudinem derogentur.* Quamvis proinde leges non teneant, id est, permanentem subsistentiam non habeant, nisi receptæ; quoad primam tamen suam institutionem, & valorem essentialem non pendent ex populi receptione.

Respondetur 2. Falsum esse, quòd Jurisdictio Civilis à populo in principem translata sit cum dependentiâ à populo; cùm istud neque Bono communi expediret, neque lex ex tumultuario populi consensu absque ullâ prævià consultatione dependens se habere posset tanquàm actus prudentiæ, quod tamen est de substantiâ legis. 19.

ARTICULUS III.

DE

Obligatione Legis Humanæ.

COnstabit articulus præsens octo Controversijs; Prima erit, *An, & qualiter in Conscientiâ etiam sub cujuscunque gravis nocumenti periculo obligare possit lex Humana?* Secunda. *Utrum Regula Religiosorum, nominatim S. Benedicti in Conscientia sub aliquâ Culpâ obligent?* Tertia. *Utrum & quomodo legislator teneatur suis legibus?* Quarta. *Utrum, leges a Principe latæ obligent subditos extra territorium?* Sexta. *Quomodo Peregrini forenses, & vagi teneantur legibus loci, quâ transeunt?* Septima. *Quomodò personæ Ecclesiasticæ legibus civilibus obligentur?* Octava. *Qualiter satisfiat legis Humanæ obligationi?*

CONTROVERSIA I.

An, & qualiter in Conscientiâ etiam sub cujuscumque gravis nocumenti discrimine obligare possit lex Humana?

DE fide definitũ est circa legem Ecclesiasticam, quòd sub culpâ obligare possit, necessitatemque in Conscientiâ imponere: Christo Domino *Matth. 18.* comminante. *Quod si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus.* Eò vel maximè, quòd, cùm Prælati Ecclesiastici habeant potestatem vel *immediatè* à Christo; veluti Papa, vel à summo Pontifice Christi Vicario, ad ipsos spectet illud *Lucæ 10. Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit.* Unde Concilium Tridentinum *sess. 7. Can. 8.* definit in hæc verba. *Si quis dixerit, baptizatos liberos ab omnibus sanctæ Ecclesiæ præceptis, quæ vel scripta, vel tradita sunt, ita ut ea observare non teneantur, anathema sit.* Quibus adeò suppositis, restat Controversia, tum de legibus Civilibus, tum de modo gravis ex lege humanâ etiam Ecclesiasticâ inducendæ obligationis. 1.

Referuntur Sententiæ.

PRima sententia Almaino *de potestate Ecclesiæ cap. 12.* tributa, negat de potestate Civili, 2.

 quod

quod legibus suis possit obligare in Conscientiâ.

Fundamentum esse potest. Quia potestas Civilis respicit duntaxat Bonum publicum reipublicæ. Atqui ad hoc non videtur necessaria obligatio Conscientiæ, quæ est interior, & bonum cujusque proprium.

3. *Secunda* Navarri *sum. cap. 23. a n. 55.* adductis Imolâ & Felino tenet, probabileque putat Valentia *2. 2. disp. 7. q. 5. p. 6.* & Salon *2. 2. q.* [illegible] *art. 1. cont. 3. §. hac opinio*; quòd nulla lex sive Civilis, sive Canonica (exceptis canonibus censuram, non nisi ex peccato mortali de Naturâ suâ contrahendam intentantibus) pœnam temporalem transgressoribus imponens obliget ad culpam mortalem, nisi id expresserit legislator, quantumcunque verbis præceptivis procedat. Videtur aliqualiter saltem consentire Bonacina *disp. 1. de Legibus. q. 1. punc. 7. §. 2. n. 2.* affirmans, legem, quæ sub pœnis vetat venationem, & piscationem, quatenùs possent alias fieri sine præjudicio proximi, delationem quarumdam vestium, armorum nocturno tempore, ad culpam mortalem non obligare.

Fundamentum est. Quia potestas legislativa Humana est de se indifferens, ut obliget vel ad culpam, vel ad pœnam duntaxat temporalem. At, qui de duobus propositis unum affirmat, negare videtur alterum. Ergo imponendo pœnam temporalem, non videtur legislator Humanus velle obligare ad culpam, eò vel maximè, quòd, dum non constat de mente legislatoris, judicare debeamus legem esse minùs gravem & onerosam.

4. *Tertia* è diametro opposita Covarruviæ *reg. Peccatum. 2. §. 5. n. 2. & 3.* Soti *lib. 1. de Just. q. 6. art. 5.* Bonacinæ *disp. 1. supra citati.* Sylvestri *ver. Gabella 3. q. 8. §. 22.* Thomæ Sanchis *lib. 6. in Decal. cap. 4. n. 59.* & aliorum ab ipso allegatorum sententia affirmat, omnem legem pœnalem sive Ecclesiasticam, sive Civilem obligare subditos ad culpam & pœnam. Fundamentum est. *Omnis enim pœna, si justa est, peccati pœna est, & supplicium nominatur.* Ex Divo Thomâ 2. 2. *q.* [illegible] *art. 4.* colligiturque *ex Cap. 2. de Constit. in 6.* Et hinc lex primis parentibus sub pœnâ mortis *Gen. 2.* imposita obligabat eo ipso sub culpâ: sicuti si Rex præcipiat militi sub pœnâ capitis, ne stationem suam deserat, absque dubio peccat mortaliter, istud præceptum transgrediendo.

5. *Quarta* inter Theologos communis opinio de lege non pœnali asserit quidem, obligare semper ad culpam vel mortalem, vel venialem; nonnulli tamen a Serrâ *præs. q. 96. art. 4.* Suarezio *lib. 3. de leg. cap. 25. n. 3.* allegati existimant, ex voluntate legislatoris pendere, ut obliget ad culpam lethalem. Fundamentum est. Tum quia in Religionibus ponuntur præcepta obedientiæ etiam sub excommunicatione de rebus minimis. Tum quia Deus Adæ imposuit leve præceptum sub obligatione æterni reatûs.

Quinta Cajetani 1. 2. *q. 96. art. 4.* opinio est, leges Humanas justas, semper etiam cum dispendio vitæ servandas esse.

6. Fundamentum [illegible] est ex Divo Thomâ inferius citando. *Cùm enim* [illegible] *homo sit pars multitudinis,* [illegible] *homo hoc* [illegible] *quod est & quod habet, est multitudinis, sicut & quælibet pars, id quod est, totius est. Unde & natura* [illegible] *quod detrimentum infert parti, ut salvet totum.* Cùm igitur omnis lex Humana respiciat bonum Commune Multitudinis, potest hujus intuitu obligare singulos etiam cum dispendio vitæ. Et hinc *ex cap. De his, quæ vi metusve causa fiunt,* constat, non licere communicare cum excommunicato, quamvis metus mortis interveniat.

CONCLUSIO I.

OMninò & pro certo tenendum est, potestatem quoque Civilem posse suis legibus obligare in Conscientiâ sub culpâ etiam mortali. Ex communi sententiâ Theologorum, nominatim Divi Thomæ *1. 2. q. 96. art. 4.* Navarri *cap. 11. n. 34.* Suarezij *cit. lib. 3. cap. 21. n. 6 & lib. 4. cap. 1.* Vasquezij *1. 2. disp. 158. cap. 2. & 4.* Amici *præs. disp. 5. sect. 9.* Soti *lib. 1. de Just. q. 6. art. 4.* Serræ *cit. q. 96. art. 4. dub. un.* Castropalai *præs. punc.* [illegible] *n. 2.*

Probatur. Sicut enim causæ secundæ in causando & *physicè* movendo se habent ad Causam primam: sic leges Humanæ in obligando & *Moraliter* movendo se habent ad legem æternam. 7.
At illæ non tantùm habent vim causandi ex efficientia Causæ primæ, sed ab hujus & cooperatione & prævia motione *continuò* dependent in causando, ita ut nihil valeant efficere, nisi sub actuali influxu Causæ primæ tam concomitante, quam præoperante. Pari ergo ratione, dum leges Humanæ sunt justæ, non tantùm pendent ex potestate legislativa Divinitus collatâ, versanturque in materiâ consentaneâ legi æternæ, sed insuper inducendo vim obligatoriam ipsis se [illegible] lex æterna, limitatem obligationis conscientiam [illegible] imprimendo, juxta illud *Proverb. 8. Per me* (scilicet sapientiam increatam, atque adeò legem æternam, *Reges regnant & legum conditores justa decernunt.* Unde Divus Thomas *citatus* infert, leges humanas, si justæ sunt, habere vim obligandi in Conscientiâ à lege æterna, à quâ derivantur. 8.
Et hinc, quia Tyranno, qui injustè quidem, sed pacificè possidet Regnum, respublica ad illum expellendum impotens, pro pluribus evitandis incommodis, tollendisque confusionibus & perturbationibus alias oborituris, præsumitur dare potestatem ferendi leges & sententias, hisce omninò parendum quoque esse tradunt cum aliis à se relatis Salas *disp. 10. de legib. sect. 3. n. 14.* Lessius *lib. 2. de Just. cap. 29. dub. 9. n.* [illegible]. Castropalaus *cit. punc. 14. n. 10.* Quod si verò 9.
lex injusta sit ex parte materiæ, Doctor Angelicus *citatus* distinguit, ita ut quando injustitia est secundùm quandam cum Jure Divino contrarietatem, non liceat illi obedire, juxta illud *Act. 4. Obedire Deo oportet magis, quam hominibus.* Et hinc si matrimonium [illegible] contractum impedimento dirimente præpedibili, etiamsi sub excommunicationis pœnâ [illegible] ad debitum uxori putativæ petenti reddendum non tenetur, imò nec obedire potest *ex Cap.* [illegible] *Cap. Is qui. De sent.* [illegible] *& Cap.* [illegible] *De sententia Excomm.* Quando autem injustitia est 10.
parte [illegible] præcepti [illegible] absolutè spectata non contrariatur legi Divinæ, ne tum

quidem

quidem ait Sanctus Doctor, legem ejusmodi obligare in foro conscientiæ, nisi alioquin sit periculum scandali, vel turbationis inde in Republicâ secuturæ, siquidem ad ista reipublicæ mala evitanda debeat homo juri suo cedere, secundùm illud *Matth.* 5. *Qui angariaverit te mille passus, vade cum eo alia duo; & qui abstulerit tibi tunicam, dimitte ei & pallium.*

11. Ex quo fit: *primò.* Si quis per falsos testes convictus de debito ergà alterum contracto, per sententiam compellatur solvere, in Conscientiâ non teneri ad solutionem, & dum istam declinare non valet, uti posse compensatione occultâ, quòd, licet sententia *formaliter* ex parte Judicis secundùm allegata & probata judicantis sit justa, *materialiter* tamen sit injusta, falsæ innitens præsumptioni. ex Vasque *1. 2. disp. 1 3. cap. 2. & 3.* Sanchez *lib. 4. in Decalog. cap. 15. &* alijs.

12. *Secundò.* Per sententiam ex crimine falsò, per testes tamen probato, à Judice legitime etiam latam privatum aliquo officio, non teneri in Conscientiâ hujus functionibus abstinere, nisi scandali, seu publicæ turbationis periculum subsit. ex Rodrique *to. 1. reg. quæst. 67. art. 3. vers. ex dictis.* Castropalao *citato n. 12. circa finem*, cum alijs à se relatis, addente, illum, qui non confecto inventario, adijt hæreditatem debita excedentem, & hinc per sententiam condemnatus fuit ad debitorum ejusmodi solutionem, ultra vires hæreditatis probabiliter non obligari in Conscientiâ, eò quòd sententia illa fundetur in præsumptione falsâ, quòd scilicet occultata fuerint aliqua de bonis defuncti, hæreditasque foret de se sufficiens ad omnia debita solvenda.

13. *Tertiò.* Si injustitia se tenet ex parte formæ, dùm scilicet onera ad Bonum aliquod Commune ordinata inæqualiter distribuuntur in multitudine, neque tunc esse obligationem in conscientiâ, ex Divo Thomâ *ubi supra.* Et hinc quando in impositione tributorum, vel vectigalium sine justâ & rationabili causa, (quod tamen de facili judicandum non est, sed in dubio semper de causâ rationabili est præsumendum) alij præ alijs gravantur, posse illâ in parte ab observatione legis excusari, cum alijs à se relatis docet Castropalaus *citatus n. 14.*

Conclusio II.

14. Verum quidem est, posse dari legem purè pœnalem, sub nullâ culpâ obligatoriam Conscientiæ nisi ad Solutionem pœnæ pro delicto perpetrato: falsum tamen est, quòd ex adjectione pœnæ temporalis præcisè spectatâ præsumi possit de lege, esse merè pœnalem. ex Suarezio *lib. 5. de legib. cap. 4. n. 6. & cap. 14. n. 2.* Serra *cit. q. 96. art. 4. dub. 2. &* pluribus alijs Doctoribus à Suarez *citato* & Castropalao *præs. punc. 11. n. 8.* allegatis.

15. Probatur. Nam de substantiâ quidem legis est obligare, atque adeò debitum quoddam morale imponere conscientiæ. Hæc tamen Conscientiæ obligatio alia est directa & immediata, cadens super ipsum actum & præceptum, alia verò est indirecta & mediata, non afficiens ipsum actum, sed acceptationem pœnæ, factâ legis transgressione. Cùm igitur sub utraque ista obligatione possit subsistere legis substantia, omninò secundùm placitum legislatoris stare potest lex, cujus obligatio non afficiat ipsum actum, sed acceptationem pœnæ, diciturque lex purè pœnalis. Potest insuper dari lex, nullam taxans pœnam, sed morale actûs faciendi debitum imponens, sortiturque legis naturam *simpliciter.* Alia denique lex utramque simul obligationem injungit, diciturque lex mixta. Undè infertur, ex verbis legis conijciendum esse, utrùm lex pœnalis sit pura, vel mixta? Nam *primò.* Si verba præceptiva, vel præcepto æquipollentia ipsum actum afficiant, tunc ex pœnæ adjectione non potest præsumi, quòd lex sit purè pœnalis, sed mixta. ex Suarezio *citato, &* Sanchez *lib. 6. in Decalog. cap. 4. n. 6.* 16.

Hinc enim lex Ecclesiastica pensionarijs sub onere restituendi fructus, imponens recitationem Officij parvi B. Virginis, obligat in conscientiâ, non obstante appositione pœnæ: Sicut etiam Obligatio recitandi horas Canonicas in Conscientiâ tenet Beneficiarios, licèt adjunctam habeat pœnam restitutionis fructuum. *Secundò.* 17.

Si lex imponens pœnam non utatur verbis, quæ respectu actûs expressum contineant præceptum, sed potiùs indifferentia sint, erit merè pœnalis, nisi Consuetudo, ceu optima legum interpres, vel alia quædam evidens ratio suadeat contrarium. ex Sanchez *citato, &* Azore *to. 1. lib. 5. cap. 6. q. 5.* Et hinc Castropalaus *ubi supra n. 9. in fine,* observat, dum lex dicit. v. g. *Ordinamus, ne aliquis è Regno pecunias, vestes, & arma extrahat sub illorum amissione*; Extractionem armorum, vestium, pecuniarum &c. nō subdi rigoroso præcepto, seu legi, sed transgressores illius subdi pœnæ infligendæ, ita ut vi & armis resistere ei non possint. 18.

Econtra verò lex sub quibuscunque verbis taxans pretia rerum, quantamcunque imponat pœnam, in Conscientiâ obligat, eò quòd constituat medium in Justitiâ; & sic per rei quasi Naturam inferat Conscientiæ obligationem. Unde à pari contra Navarrum *cap. 23. [illegible] n. 60.* & Angelum *in verbo.* [illegible] affirmantes, *vectigalia etiam justa non deberi in Conscientiâ, si lex pœnam imponat non solventibus*; infert Castropalaus *cit. punc. 10. n. 13. in fine cum* Vasquez *disp. 159. cap. 2. n. 15.* & alijs, talia vectigalia sub verbis expressè licet non præceptivis, sed indifferentibus imposita omninò solvenda esse, non in vi legis humanæ, sed in vi legis naturalis determinatæ illo principis Decreto. Ratio est. Quia de Jure naturali tenentur subditi concurrere ad Principis sustentationem, Princeps autem illo suo Decreto determinat, quomodo debeant concurrere. Quare sicuti vendenti merces, debetur pretium à lege taxatum, ita ut salvâ Justitiâ, & Jure naturali, neque majus accipi, neque minus reddi possit, sic factâ illâ assignatione debentur Principi vectigalia. 19.

Tertiò. Etsi Covarruvias *regul. Peccatum. 2. par. §. 5. n. 3.* Vasquez *disp. 159. cap. 3. n. 23.* Suarez. *lib. 5. cap. 4. n. 11.* Sanchez *6. in Decalog. cap. 4. n. 64.* cum alijs existiment, pœnas partim mortis, & mutilationis; partim etiam exilij perpetui, flagellationis, infamiæ, Carceris diuturni, & similium arguere obligationem legis sub gravi Conscientiæ reatu & culpâ: attamen Castropalaus *n. 12.* cum Navarro & Reginaldo à se relatis arbitratur, nullam pœnam 20.

 tempo-

temporalem esse sufficiens indicium obligationis mortalis ad actum. Unde nisi verba legis indicent præceptum respectu ipsius actûs, non esset culpæ lethalis arguendus transgressor legis mortem comminantis, nisi per accidens, ob violatum naturale de vitâ conservandâ præcep-
21. tum. Secus autem *Quartò* dicendum est de pœnis Spiritualibus. Si enim Excommunicatio duntaxat minor contrahatur ex transgressione alicujus legis, tunc arguitur ejus obligatio sub culpâ, non quidem semper mortali, sed veniali: si verò excommunicatio major ipso jure lata imponatur per legem, obligat ista indubiè sub mortali, ex Suare *lib. 4. de legibus cap. 18. n. 4. & lib. 5. cap. 3. n. 2.* Sanche *cit. lib. 6. cap. 4. n. 48. & 49.* & alijs. Idem tenendum esse de pœnis Depositionis & Degradationis, nec non privationis sepulturæ
22. Ecclesiasticæ, præter alios censet Vasquez *disp. 159. cap. 3. n. 22.* At ex pœnis suspensionis, interdicti & irregularitatis, censet Navarrus *cap. 23. n. 55.* non statim argui obligationem sub lethali culpâ, cum interdicta & irregularitas imponi aliquando possint absque culpâ. Verùm, si istæ pœnæ imponantur in vi Censuræ, ac sint latæ sententiæ, semper esse signum mortalis obligationis, tenent Suarez ubi *supra n. 14.* & Sanchez *n. 54.* nisi fortè suspensio, seu interdictum essent levia, v. g. respectu unius temporalis actûs duntaxat. Imò Castropalaus *n. 5.* cum alijs à se adductis existimat; Censuram Majoris etiam Excommunicationis, si ferendæ sit sententiæ, non statim esse signum obligationis sub mortali, eò quòd, licèt non contrahatur nisi per culpam lethalem, opus tamen sit aliâ adhuc monitione, culpæ lethalis, scilicèt contumaciæ & inobedientiæ reatum in transgressore inferente, antequàm actu incurratur.

Conclusio III.

23. Obligatio legis sub culpâ lethali non pendet solùm ex intentione legislatoris, sed etiam ex gravitate materiæ. adeò ut in materiâ levi non possit ulla lex obligare sub mortali. ex communi sententiâ, nominatim Suarezij *lib. 3. cap. 25.* Serræ *cit. q. 96. a. 4. dub. 2. concl. 1.* Amici *cit. disp. 5. sect. 8. n. 19.*

Probatur. Quia lex humana non obligat in Conscientiâ, nisi sub concursu ac dependentiâ à lege æternâ. Ex hâc autem eatenus sunt definitæ materiæ morales ad societatem Humanam & politicam pro diversorum statuum differentijs convenientes, ut partim se habeant per modum finis saltem intermedij, partim per modum mediorum pro fine ejusmodi consequendo proportionatorum. Sicuti ergò Deus
24. suâ lege æternâ sub Dominio suæ Primæ Majestatis ac Ultimi finis Jure, atque adeò sub reatu culpæ mortalis non exigit à creaturis intellectualibus actiones morales, nisi vel sub ratione finis per naturam qua rationalem per se expetibilis, sive sub ratione medij ad finem ejusmodi conducibilis, habeant in se pondus, seu mensuram moralis cujusdam gravitatis, ex ipsâ lege æternâ determinatæ: sic consequenter nequit vi legis humanæ subsistere obligatio sub mortali, nisi talis materiæ gravitas interveniat. Undè etiam patet *primò*, materiæ moralis gravitatem in legibus ex duplici principio pendere. Alterum est finis legis, in quo attendere oportet, an pro Bono Communitatis sit valde necessarius? Alterum est conducibilitas ad finem Reipublicæ necessarium: velut justitiæ virtus ad pacem publicam est valde necessaria, nec tamen magnum pro publico Bono habet pondus, nec adeò dissolvit graviter amicitiam inter homines, si non sit in materiâ notabili.
Secundò. Hanc tamen respectu finis Reipublicæ 25.
necessarij conducibilitatem non *absolutè* in se ipsâ, sed etiam *respectivè* ex circumstantijs ponderandam esse: sic enim potest aliqua materia in se *Absolutè* spectata in genere Iustitiæ esse levis, quæ tamen *Comparativè* respectu pauperis, cui aufertur, sit gravis.
Tertiò. Pro gravitate materiæ moralis pen- 26.
sandâ debere istam non tantum *materialiter*, sed *formaliter* considerari, sub illâ scilicet formalitate, quæ in præcepto intenditur. Etsi enim abstinentia à Pomo primis nostris parentibus præcepta ex se *materialiter* spectata videri potuisset levis, sub formalitate tamen Homagij Deo per ejusmodi abstinentiam præstandi, per illud præceptum intentâ erat materia gravis. Hinc legislator etiam humanus sub tali Homagij titulo præcipiens rem de se levem, induceret obligationem gravem sub culpâ lethali. Quod si autem nudè exigeret obedientiam in levi materiâ, non adjiciendo novum titulum, seu fundamentum novæ obligationis, non posset inducere reatum sub culpâ lethali, uti notat Amicus *cit. disp. 5. n. 199.* Verum de hoc, unde materiæ moralis gravitas in præceptis desumenda sit? plura disseruimus supra *q. 1. ar. 2. cont. 3.*

Conclusio IV.

Lex Humana potest quidem obligare cum vitæ Dispendio, dum Boni Cō- 27.
munis necessitas id exigit; extra hunc tamen casum non subsistit legis humanæ obligatio cum mortis discrimine: ex Serrâ *q. 96. art. 4.* & Castropalao *cit. disp. 1. punc. 16.*
Probatur. Nam ista propositio, quâ dici- 28.
tur, legem humanam obligare cum vitæ etiam discrimine, potest accipi vel *in sensu composito*, vel *in sensu diviso*. At *in sensu composito* verum quidem est, potius esse mortem subeundam, quàm legem infringendam, dum scilicet sub tali periculo adhuc subsisteret legis obligatio. Quia verò hoc ipsum periculum dissolvere quandoque potest legis humanæ obligationem, idcirco *in sensu diviso* verificatur, legem non semper esse servandam cum vitæ dispen-
dio. Ad quod proinde discernendum, sequen- 29.
tes per Serram etiam *ubi supra* insinuatas oportet servare regulas. *Prima* est, quòd imminente mortis periculo, maneat obligatio legis Humanæ, quando hujus observatio est majus bonum, majoris ponderis, & erga communitatem majoris utilitatis, quam vitæ hominis privati conservatio: veluti est præceptum ab Episcopo datum sacerdoti, ut tempore pestis maneat in oppido ad ministranda Sacramenta infirmis, nec non

præce-

præceptum à Duce militi impositum, ut stationem suam sub mortis licèt discrimino non deserat, aut hostem aggrediatur.

30. Ejusmodi obligatio sub vitæ etiam dispendio urget in legibus humanis, quoties vel in odium fidei seu Religionis, aut Ecclesiasticæ potestatis fit comminatio mortis, ni frangatur jejunij v.g. lex. Tunc enim exemplo Eleazari & Machabæorum fratrum *Machab. 6.* potius toleranda est mors, quàm legis violatio, cùm virtutis, aut Ecclesiasticæ potestatis ac authoritatis defensio tunc omnino necessaria sit majus Bonum, quàm propriæ vitæ conservatio; uti pluribus tradit Castropalaus *disp. 1. de peccatis. punc. 9. §. 3. & præf. disp. 1. punct. 16. n. 3.* Pari ex ratione observatio sacri sigilli, consecratio sub utrâque specie, nec non Eucharistiæ intra Ecclesiam latinam confectio in pane Azimo, ac Celebratio missæ in vestibus Sacris, mixtio aquæ cum vino & similia, licèt sint Juris tantùm positivi partim Divini, partim humani, pluris faciendæ sunt, quàm conservatio vitæ, nec adeo illorum omissio ob vitæ discrimen potest licite fieri, eò quòd ejusmodi observatio pertineat ad bonum Commune Religionis, quod præferendum est cuilibet bono temporali.

31. Secunda Regula est. Si legis Humanæ observatio sit minus Bonum, ac minoris momenti, sive erga Bonum commune utilitatis, quàm vitæ humanæ custodia, tunc imminente mortis periculo, non manet legis humanæ obligatio, imo nec posset legislator humanus obligare: iniquum enim foret ac crudele, cum jacturâ majoris boni, vitæ scilicet humanæ, obligare velle pro minori bono. Et hinc Castropalaus *citatus* ait, si leges positivæ sint ita speciales, ut singulos respiciant, non obligare cum gravi detrimento vitæ, imò neque honoris, aut rei familiaris; non enim teneri quempiam cum gravi horum detrimento jejunare, missam audire, solvere decimas, communicare in Paschate. Secùs verò esse, si leges speciales sint Juris naturalis, eo ipso enim, quod res sit intrinsecè mala, non potest timore mortis honestari, & ideò non licere mentiri, fornicari, occidere, etsi oporteat mortem propterea subire.

32. Tertia Regula est. Si legis humanæ observatio sit *moraliter* æquale bonum cum vitæ hominis conservatione, posse, non tamen teneri cum vitæ dispendio legem servare. Ejusmodi verò Serra *ubi supra* existimat, esse Carthusianorum à carnibus abstinentiam, ad quam censet etiam Victoria *relect. de temperantiâ n. 8. ac sequentibus*, Carthusianum in extremâ ægritudinis necessitate constitutum non teneri, posse tamen abstinere ex motivo virtutis, ut disciplinæ scilicet severitas illibata maneat: etsi, cùm hujus ex illâ abstinentiâ ob vitæ periculum non servatâ non fiat gravis jactura, nequeat stare ejus obligatio cum vitæ ex medicorum judicio certè alioquin periclitantis discrimine.

Responsio ad opposita fundamenta.

33. AD Fundamentum ex parte primæ Sententiæ *n. 2.* oppositum Respondetur. Potestatem Civilem non posse obligare ad Bonum publicum Reipublicæ, nisi quatenus ex vi legis æternæ ad certam virtutis speciem est determinatum. Et hinc ex hujùs æternæ legis ad humanam legem concursu fieri consequens, quòd ista obliget etiam in Conscientiâ, imò necessaria sit ista conscientiæ obligatio, ac debitum morale, ita ut hoc non subsistente, ordinatio Principis non posset habere rationem legis.

Ad secundæ Sententiæ *n. 3.* oppositum fundamentum Respondetur. Verum esse, quod potestas legislativa humana sit de se indifferens ad obligandum vel sub culpâ, vel sub pœnâ duntaxat, vel sub utrâque. Quare tum ex verbis legis, tum ex naturâ pœnarum judicandum esse, an intentio legislatoris ad alterutrum, vel utrumque se extendat? prout patet ex dictis *supra concl. 2.* 34

Ad Tertiæ Sententiæ *n. 4.* oppositum Respondetur. Pœnam temporalem non tam supponere culpam Theologicam, quàm Civilem, & juridicam, seu Politicam, prout est quædam Boni ad communem Reipublicæ utilitatem à superiore sub pœnæ reatu facta determinatio, vel deordinatio. Unde æquitatem pœnæ ex causâ legitimâ culpæ præsertim *Civilis*, Bono publico adversantis omninò subsistere posse, absque Theologico moralem Conscientiæ obligationem supponente peccato, juxta *regul. 23. De regulis Juris in 6. Sine culpa, nisi subsit causa, non est aliquis puniendus.* 35

Ad Quartæ Sententiæ *n. 5* oppositum Respondetur. Gravitatem materiæ ponderandam esse in moralibus ex objecto præcepti, non *Materialiter*, sed *Formaliter* secundum formalitatem vi præcepti intentam, considerato. Ut sic autem abstinentiam a pomo primis Parentibus impositam ex vi præstandi erga Deum quasi Homagij & fidelitatis fuisse *Formaliter* gravem. Deinde gravitatem moralem materiæ perpendendam esse etiam ex circumstantijs: quomodo præcepta obedientiæ in Religionibus, licèt sint de materiâ, quæ absolutè videatur esse levis, versantur tamen *respectivè* in materiâ gravi, veluti de præcepto ingressum cellæ alterius Religiosi prohibente, testantur Basilius de Leone *lib. 5. de matrim. cap. 5. n. 11.* & Castropalaus *præf. punc. 14. n. 15. in fine.* 36

Ad Quintæ Sententiæ *n. 6.* oppositum Respondetur. Eo ipso, quòd secundum Divum Thomam *ibi* citatum leges mensurandæ sint ex Bono Communi, ad quod quilibet etiam homo ex integro ordinatur, oportere, bona privata tum vitæ, tum Honoris subditorum in ordine ad Bonum commune eatenùs attemperare, ut legis obligatio adversùs ea omnino debeat prævalere, si Boni communis necessitas id exigat: alioquin autem, cùm illa ipsa etiam privata Bona congruant Bono publico, hujus necessitate non exigente ipsorum jacturam, non fore æquum, ut vi legis adstringantur ad eorumdem detrimentum subeundum, uti *concl. 4.* fusiùs expositum est. 37

CONTRO-

CONTROVERSIA II.

Utrùm Regulæ Religionum, ſpeciatim Sanctiſſimi Patris Noſtri Benedicti, ſint purè pœnales, vel in Conſcientiâ obligent ſub aliquâ Culpâ?

1. DE Regulâ Patrum Dominicanorum tenantur Cajetanus *2. 2. q. 186. a. 9.* & Sotus *lib. 6. de juſt. q. 6. art. 4.* non obligare ſub culpâ, ſed eſſe purè pœnalem. Idem de Regulis Societatis Ieſu, quod ſub nullâ culpâ ad ſui obſervantiam obligent, eſſe deciſum *in 6. parte conſtit. cap. 5.* atteſtatur Amicus *praſ. diſp. 5. ſect. 7. in init.*

Quid verò de Regulâ Sanctiſſimi Benedicti ſentiendum ſit, operæpretium hîc duximus decidere, eo vel maximè, quòd jam olim hâc de re Ioañes de Turrecremata conſultus reſponſionem tergiverſationibus plenam dederit.

Referuntur Sententiæ.

2. BEnedictus Hæftenus *lib. diſquiſit. monaſt. tractatu. 8. diſq. 1. propoſ. 2.* docet; ordinationes & ſtatuta, ſive etiam præcepta Regulæ SS. Benedicti, quæ non concernunt vel vota eſſentialia Religionis, vel Materiam alio præcepto ad mortale obligāte injunctam, probabiliter obligare ad culpam venialem. Adſtipulatur cum alijs Canoniſtis Abbas *in Can. Relatum. n. 6. & 7. Ne Clerici, vel Monachi.* & Bernardus Cardin. *Abbas Caſſinenſis in ſpec. Monach. par. 1, cap. 10.*

Fundamentum deſumitur *primò* ab Authoritate Divi Thomæ *2. 2. q. 186. art. 9.* aſſerentis; tranſgreſſionem, vel omiſſionem eorum, quæ ſunt de Regulâ aliarum Religionum (præter ſubſtantialia vota) non obligare ad mortale. Ergo tacitè inſinuatur, ſubeſſe obligationem ſub veniali in Regulis aliorum ordinum, quàm Prædicatorum, eò vel maximè, quòd ſanctus Doctor *citatus ad 2.* de hoc duntaxat Ordine dicat, tranſgreſſiones, vel omiſſiones ſtatutorum Regularium non obligare ad culpam, ſive mortalē, ſive venialem, ſed ſolùm ad pœnam taxatam ſuſtinendam. Unde dum idem Angelicus Doctor *Quodl. 1. art. 20.* ait, *Abſtinere à carnibus non poni in Regulâ ſancti Benedicti, ut præceptum ſed ut ſtatutum quoddam*, non omnē excludit culpam, ſed tantùm mortalē.

3. *Secundò.* Quia verba Regulæ ſunt præceptiva, vel ordinativa. Ergo vi ſuâ inducunt aliquam obligationem, maximè, cùm intentio Legiſlatoris præſumatur eſſe conformis ſignificationi verborum. At ex nullâ conjecturâ evincitur, quòd obligatio illa ſit ſub mortali, cùm minor obligatio conſentanea ſit fini Regulæ & Jnſtitutoris eius.

4. E contrario Antonius Perez. *in prol. reg. Diviſ. 1. n. 122. & 125.* Caramuel *in Reg. S. Benedicti. diſp. 7. art. 2.* tenent, Regulam eſſe legem merè pœnalem, ita ut eius violatio, extra crimen læſæ Majeſtatis, qualē Perez *citatus* aſſerit, eſſe votorum ſolennium, ſimilemque tranſgreſſionem, obliget ad pœnam duntaxat temporalem, non autem ſpiritualem, nec adeò per ſe loquendo ad culpam etiam venialem. Adſtipulantur partim *expreſſè*, partim *implicitè*, ſive argumento à ſimili, vel à pari ſanctus Antoninus *3. par. tit. 16. cap. 1. §. 3.* Sylveſter *verb. Religio. 1. q. 12. dicto. 1.* Sanchez *lib. 6. in Decalog. cap. 4. n. 1.*

Fundamentum primum à præallegato Divò Antonino deductum, eſt. Quia S. Pater Benedictus in principio ſuæ Regulæ dicit. *Auſculta ô fili præcepta Magiſtri, admonitionem pij Patris libenter excipe.* Ubi non dicit ſimpliciter *præcepta*, ſed addit, *& admonitiones*, ut intelligatur non omnia eſſe præcepta, ſed quædam: alia verò eſſe admonitiones, & ſimplices ordinationes. At verò quæ ſint præcepta, & quæ admonitiones ſimplices, ex formâ verborū Regulæ haberi non poteſt. Unde ſicuti, ubi Sacra ſcriptura ita uniformiter loquitur in veteri & novâ lege, ut ex proprietate & formâ verborum ipſius non poſſit benè diſcerni, quæ ibi ſint præcepta, & quæ ſimplicia monita; per rationem & Doctrinam docetur iſta deſtinctio; ſic dicendum eſt, de Regulâ Beati Benedicti. At per rationem cognoſcitur, tales obſervantias non eſſe ſub præcepto, ſed ſolum ſubſtātialia Religionis, ſcilicet expropriationem, Caſtitatē, obedientiā. Probatur iſtud aſſumptum.

5. Tum quia non eſt veriſimile, quòd vir ſapiens & expertus humanam fragilitatem, plenus ſpiritu Dei voluerit filios ſuos oneribus importabilibus gravare: hoc enim non eſſet Regulam tradere, & compendioſam viam facere ad Regnum cæleſte, ſed mijcere laqueos profeſſoribus, & deijcere in profundum. Unde quæ pietas eſſet tanti Patris? Cùm tamen dicat, ut pij Patris admonitiones libenter excipiant. Tum quia Sanctus Gregorius *in lib. Dialogorum* dixit de B. Benedicto, quòd edidit regulam diſcretione præcipuam. At quæ diſcretio eſſet, ut ad omnia cæremonialia tenerentur ſub præcepto? Idem Eccleſiæ Doctor in moralibus aſſimilat religionem portui tranquillo, & ſæcularem vitam mari propter pericula. At majora pericula tranſgreſſionis & damnationis eſſent in Religione, quàm in ſæculo, ſi omnia ordinata Regulæ eſſent ſub præcepto. Et hinc teſtatur ſanctus Antoninus *præcitatus*, Doctores in Theologiâ, & Canoniſtas approbatos hoc dicere, quòd ſcilicet obſervantia Regulæ, ut abſtinentia à carnibus & ſilentium, non ſint præcepta, nec de ſe obligent ad mortale

6. horum tranſgreſſorem. Secundum Fundamentū ex præcedente deductum eſt; Si enim ſub aliquâ culpâ obligarent ſtatuta Regulæ ſanctiſſimi Patris Benedicti, tunc in materiâ gravi eſſet obligatio ſub mortali. At ex prætactis patet, Regulam Sanctiſſimi Patris extra ſubſtantialia vota non obligare ſub mortali. Et hinc Ioannes Andreas *in Cap. Relatum Ne Clerici, vel Monachi.* ſuper Gloſſâ aſſerente, *Regulam eſſe in præcepto.* ſic ait; *Quod intellige indiſtinctè quoad tria ſubſtantialia vota: alia autem non credo, eſſe in præcepto, alias vnus de mille Monachis non ſalvaretur.* Unde etiam *in Cap. ad Monaſterium. de ſtatu Monach.* prohibetur in virtute obedientiæ ſtrictiſſimè, quòd nullus Monachus habeat proprium, quia hoc eſt contra paupertatis votum, quod eſt eſſentiale Religioni: alia vero, ut abſtinentia ab uſu lineorum, eſu carnium, ſilentium in dormitorio, in refectorio, oratorio, & clauſtro, non præcipiuntur eodem modo, ſed injunguntur, vel ſimpliciter ſtatuuntur, ex ſancto Antonino *citato.*

Concli-

CONCLUSIO.

Regula Sanctissimi Patris Benedicti ex vi suâ ac *per se* loquendo, neque sub mortali, neque probabiliter sub veniali culpâ obligat, sed habet rationem Legis merè pœnalis.

7. Probatur. Si enim subsisteret ista sub aliquâ culpâ conscientiæ obligatio, tunc oriretur vel ex Jurisdictione Legislatoris, vel votis Religionis. At primum non subsistere apud Suarezium *to. 4. de Relig. cap. 3. n. 5.* probatur ex eo, quod Regula facta fuerit à S. Benedicto, priusquam propriam Jurisdictionem Ecclesiasticam haberet. Et licèt summi Pontifices talem Regulam postea approbaverint, non ideò addiderunt vim præcepti, sed solùm confirmarunt illius statuta, tanquam observationes regulares, aptas ad consequendam perfectionem, velut in simili notat Navarrus *Comment. 4. de Regularib. n. 2. & seq.*

8. Neque verò secundum subsistere, probatur ex Divo Thomâ *Quodl. 1. art. 20.* Etenim Beatus Benedictus statuit, ut Monachus profitendo, se obligaret non ad ipsam Regulam observandam, sed ad Conversionem morum suorum secundum Regulam. Hoc verò perinde est dicere, ut secundùm Regulam dirigat mores suos. Unde contra suam Professionem facit, si vel ea, quæ sunt præcepta in Regulâ, transgrediatur, vel etiam contemnat regulam, secundum eam dirigere actus suos recusans. At non omnia, quæ continentur Regulâ, sunt præcepta: quædam enim sunt monitiones, sive Consilia: quædam verò ordinationes, sive statuta, v. g. ut post Completoriũ nemo loquatur. Ejusmodi autem statuta, quæ in regulâ continentur, non habent vim præcepti; sicut nec Prælatus, qui est quasi Regula animata, statuens aliquid, intendit semper ad peccatum mortale obligare. Unde stultum esset, putare, quòd Monachus frangens silentium post Completorium, peccaret mortaliter, nisi fortè faceret hoc contra præceptum Prælati, vel ex contemptu Regulæ. At verò abstinere à carnibus non ponitur in Regulâ Beati Benedicti ut præceptum, sed ut statutum quoddam. Unde Monachus comedens carnem non ex hoc ipso peccat mortaliter, nisi in casu propter inobedientiam, vel contemptum.

9. Dices. Ex præallegato Divi Thomæ discursu duo veniunt hic apprimè notanda. Alterum esse, quod asserat, fieri contra votum Conversionis morum, si præcepta, quæ in Regulâ continentur, Monachus transgrediatur. Oportere igitur, præter statuta non sub mortali obligantia esse in Regulâ sanctissimi Patris Benedicti aliqua præcepta. Alterum verò observatu dignum esse, quòd idem sanctus Doctor transgressionem Regulæ quoad statuta excuset quidem à mortali, non tamen à veniali.

10. Contra. Nam singula statuta Regulæ S. Patris Benedicti considerari possunt vel secundum suam præcisè naturam, vel prout directè, seu indirectè subduntur alicui Professionis voto. At sub istâ posteriore duntaxat formalitate possunt aliqua Regulæ S. Patris Benedicti statuta induere rationem præcepti. Probatur istud assumptum.

11. Quia teste Divo Thomâ *in init. prællegati art. 20.* Nihil est peccatum mortale Monacho, vel Religioso cuicumque, per se loquendo, quod non sit peccatum mortale contrarium ei, ad quod se obligavit voto Professionis. Atqui præceptum in materiâ gravi est obligatorium sub culpâ mortali. Ergo ex illâ Divi Thomæ doctrinâ licet inferre, nullum in Regulâ S. Patris Benedicti extare præceptum, nisi vi voti in illâ materiâ, ad quam Professionis voto se obligavit. Sicut igitur in materiâ gravi non lethaliter, sic in materiâ levi ne quidem venialiter peccatur *per se loquendo*, per transgressionem Regulæ, nisi quatenus ista transgressio saltem *indirectè* cōtrariatur voto Professionis. At eo ipso, quòd Religiosus ordinis S. Benedicti profiteatur conversionem Morum *secundum Regulam*, exinde vi voti obstringitur, vivere secundùm Regulam, id est, tendere ad hoc, ut informet mores suos secundùm Regulam, sicut secundùm quoddam exemplar. Ex Divo Thomâ *2. 2. q. 186. art. 9. ad 1.* Hæc autem morum cum sacrâ regulâ conformabilitas quoad effectum *moraliter simpliciter* tollitur in Religioso per contemptum. ex S. Doctore *citato.* Talis verò contemptus accidit, quando voluntas Religiosi renuit subjici ordinationi Regulæ, & ex hâc procedit ad faciendum contra Regulam. *ex cit. art. 9. ad 3.* Unde in tali casu mortaliter peccat Religiosus contra votum Conversionis morum, sive contra statum suum Religiosum, tametsi nullus adhuc præsumendus sit contemptus, si propter aliquam causam particularem, puta propter concupiscentiam, vel iram inducitur quis ad Regulæ transgressionem: sicuti etiam frequentia talis transgressionis ex se non infert contemptum, sed ad hunc *dispositivè* tantùm inducit. *ex loco proximè citato.*

Deinde extra casum contemptûs Regularium statutorum transgressio *indirectè* adversatur voto præsertim Conversionis Morum, quatenus statuta ejusmodi sunt dispositiones ad principalia vota. ex Divo Thomâ *cit. art. 9. ad 1.* Et hinc transgressiones Regulæ frequentiores inducere *dispositivè* ad contemptum voto Conversionis morum *directè* oppositum, eruitur ex eodem *art. ad 3. in fine.* At verò ejusmodi dispositiones non sunt proximæ, sed remotæ duntaxat. Eo ipso autem, quod peccata venialia quantumvis frequentata ad mortale disponant solùm *remotè*, non inducunt rationem Culpæ lethalis. 12.

Cùm igitur exercitia Regulæ conformia sint quædam ad vota principalia dispositiones, sequitur, Religiosum in illorum omissionibus, nisi ex altiori virtutis fine secundùm rectæ hic & nunc occurrentis rationis dictamen cohonestentur, juxta Divum Thomam *cit. art. 9 ad 1.* non minùs arguendum esse culpæ venialis, quàm opera quævis moralia nullam Honestatis rationem *positivè* participantia in homine etiam Laico reatum peccati venialis ex hoc etiam mereantur, quòd transcendentali Religionis ad nullum opus morale, nisi sub ordinabilitatis in Ultimum Finem formalitate faciendum obligantis, legi naturali adversantia, sint eo ipso dispositiones ad peccatum mortale. Patet igitur, transgressiones statutorum regularium, nisi ex altiori virtutis motivo secundùm prudentiale quoddam dictamen in aliquo casu excusentur, semper continere aliquam culpam venialem, non in vi Regulæ secundùm se præcisè spectatæ, sed in vi voti Conversionis Morum, non quidem *directè*, sed

 indirectè

indirectè ad Regulam eatenus obligantis, ut conformitatem vitæ cum sacrâ Regulâ oporteat *studiosè* curare, ita ut in hujus neglectu etiam citra formalem contemptum possit incurri peccatum mortale ex frequenti statutorum regularium transgressione, veluti supra *q. 9. art. 2. contr. 2. n. 1.* diximus.

13. Instabis. *In Cap. Relatum. Ne Clerici, vel Monachi.* mandare Pontificem, ut Monachi sæculariter viventes, appellatione remotâ, compellantur ad observationem Regulæ, & si resistant, ejiciantur è Monasterio. At ex hoc argui obligationem ad observantiam Regulæ. Deinde in *Cap. Carnem. de Consec. dist. 5.* statui, quòd Monachus comedens carnes debeat incarcerari. At gravitatem hujus pœnæ arguere culpam lethalem.

14. Contra. Nam aliud est Monachum *directè* vi vel præcepti, vel voti esse subjectum regulæ, aliud verò est, huic esse subjectum *indirectè* seu *mediate*. At prius eatenus negamus, ut tamen omninò affirmemus, Monachum subdi regularibus observantijs ex obligatione etiam gravi, *indirectè* ac *mediatè*, tum ratione voti Conversionis Morum, uti *superius expositum est*, tum ratione voti obedientiæ, interveniente superioris præcepto circa materiam gravem obligante sub culpâ etiam lethali. Et hinc Divus Thomas *cit. quodl. 1. art. 20. prætitatum Capitulum Carnem.* ait; ita accipi debere, ut Incarcerationis pœna Monacho contumaciter & inobedienter carnes comedenti sit infligenda. Et Divus Antoninus *ubi supra* cum Ioanne Andreâ præallegatum Canonem *Relatum* ita exponit, quòd Regula, ad cujus observantiam illi Monachi sæculariter viventes, & alios suo exemplo corrumpentes compellendi erant, in præcepto erat quoad substantialia vota, non autem quoad alia statuta regularia.

15. Quare ex præallegatis Canonibus solùm evincitur, quòd tum *indirectè* ratione voti Conversionis Morum modo prætacto, tum mediante præcepto superioris, possit esse obligatio sub culpâ lethali, ad quam vis statuta regularia observanda. Quod equidem videtur etiam unicè intendisse S. Bernardus *lib. de præcepto & dispensat. cap. 12.* sic disserens. *Universorum, quæ per se, aut propter se nec bona, nec mala sunt, aut Divina institutione, aut propriâ cujusque professione fixa non sunt, non jussa quidem haud utrumlibet vel admittitur vel omittitur; jussa vero sine culpâ non negliguntur, sine crimine non contemnuntur.* Cæterùm sub quâ verborum formalitate censeatur induci præceptum superioris regularis, sub culpâ præsertim lethali obligans, diximus superiùs.

16. Et hinc facilè patet Responsio ad Fundamenta *à n. 1.* opposita. Tum quòd ex primo solùm evincatur, regularium statutorum violationem esse venialem, quatenus indirectam seu remotam habent cum voto Conversionis Morum repugnantiam, sicuti econtra, si fiat ex contemptu, est mortalis, quatenus cum tali voto tunc proximam & directam habet contrarietatem. Tum quòd verba sacræ Regulæ sint quidem ordinativa, non tamen *strictè*, sed *latè* duntaxat præceptiva; uti patet ex sancto Antonino *citato*, eò vel maxime, quòd, ne superiorum regularium quidem præcepta obligent sub culpâ, nisi eis addatur *in virtute obedientiæ*, vel *spiritus sancti*, vel sub *excommunicatione*, seu *interminatione maledictionis æternæ*, ac *similium*: prout Castropalaus *præs. disp. 1. punct. 17. n. 9. & alibi tradit.*

CONTROVERSIA III.

Qualiter satisfiat legis Humanæ obligationi?

TRia hîc veniunt decidenda. Primum, *Qualis requiratur intentio, ut sati fiat Præcepto?* Secundum. *Utrum actu per accidens malo possit satisfieri legi?* Tertium, *An unico actu satisfieri possit pluribus præceptis?* 1.

Conclusio I.

AD satisfaciendum Præcepto affirmativo, exigitur aliqua intentio, vi cujus actus constituatur in esse morali seu libero, non verò expressa & Formalis voluntas satisfaciendi.

Prior pars à Doctoribus communiter, speciatim Vasquezio *1. 2. q. 100. in exposit. art. 9.* Soto *lib. 2. de Just. q. 3. art. 9. ad 3.* Paludano *in 4. dist. 15. q. 5. art. 2. n. 24.* Medinâ *1. 2. q. 100. ar. 9. circa princ.* tradita probatur. Quia non satisfit præcepto nisi per positionem actûs sub illâ substantiâ & quidditate, sub quâ cadit sub præceptum. At leges & præcepta feruntur ad homines quà tales, atque adeo in ordine ad actus quà *Formaliter* humanos, sive liberos & morales. Ut sic autem opus est, actum fieri cum libertate, ita ut actio, v. g. oratio aliqua ex voto, seu præcepto debita, si fiat in ebrietate, seu somno, non satisfaciat hujus obligationi, velut docent Suarez *lib. de legibus cap. 29. n. 42. & 43.* Sanchez *lib. 1. in Decal. cap. 13. n. 5.* Salas *de legib. disp. 9. sect. 4. n. 32.* Undè infertur *primò*, Qui omninò *inadvertenter* ac *involuntariè* interest sacro, non satisfacere præcepto audiendi missam. Ex Molinâ *tract. 5. de Justit. disp. 96. à n. 2.* Azore *to. 1. lib. 7. cap. 2. q. 6.* Secùs est, si hoc fiat tantum ex metu, utpotè voluntarium simpliciter, seu libertatem non auferente, sed diminuente, veluti cum præallegatis Doctoribus tenet Castropalaus *præs. punc. 17. n. 5.* 2. 3.

Secundò moderandam esse sententiam Sanchezij *cit. cap. 13. n. 3.* docentis, eum, qui accessit ad Ecclesiam animo meditandi res Divinas, non satisfacere præcepto audiendi missam, si sacerdos interim adeat Altare, eò quòd intentio non extendat se etiam *virtualiter* ac *implicitè* ad objectum auditionis sacræ, sed restricta sit ad meditationem rerum divinarum. Hanc, inquam, sententiam cum Castropalao *cit. punc. 17. n. 7.* moderandam esse: potest enim fieri, ut advertendo Sacerdotem altari assistentem, incipiat suam attentionem applicare etiam ad Sacrum, vi cujus attentionis totam de missâ audiendâ præcepti substantiam liberè exerceat. 4.

Tertiò Illam intentionis necessitatem tenere pro præceptis duntaxat affirmativis, non autem negativis. ex Castropalao *citato n. 4. in fine.* Ratio est. Hoc enim discriminis est inter præcepta affirmativa & negativa, quòd ista nullam pro sui adimpletione exigant actionem: Sicut illa requirunt actum moralem, seu liberum. Et hinc præceptum non jejunandi per solam cibi abstinentiam absque actu positivo intentionis, 5.

quoad

quoad effectum externum, sive quoad substantiam eatenus adimpletur, ut, licet coacte jejunando, *moraliter* coram Deo non adimpleat præceptum, sed vi voluntatis contrariæ de non jejunando, si posset, ulterius peccet; exterius tamen non transgrediatur præceptum, & liberetur deinceps a Debito, utpote materiâ præcepti jam sublatâ, uti Suarez *cit. cap.* [illegible] *n.* [illegible] deducit.

6 Posterior Conclusionis pars a Vasque *cit. q.* [illegible] *9. art. n.* [illegible]. Henriquez *lib. 9. de* [illegible] *cap.* [illegible]. Valentiâ *2. 2. disp.* [illegible] *q. 2. punc. ult. in fine.* [illegible] *n. 9.* & aliis ab [illegible] tradita probatur. Nam lex [illegible] præcipit executionem rei præceptæ. Hæc autem *exercitè* poni potest absque formali de adimplendo præcepto intentione. Verum, [illegible] non omnimode convenit inter Doctores [illegible] Sylvestro *verb. Lora. q.* [illegible] eo quod is, qui tenetur centum aureos ob bona male parta impendere in pauperes, hujus sui debiti [illegible] tot idem in Eleemosynas erogando, debitum [illegible] non extingueret. E-contra Sanchez [illegible] *n.* 11. & Castropalaus *præf. punc.* [illegible] *n.* 10. cum aliis arbitrantur; Justitiæ obligationi hoc speciale esse, ut non extinguatur sine obligationis cognitione, eo quod actus ex obligatione Justitiæ exequendus sit solutio, non donatio; solutio autem necessario supponat notitiam obligationis, debeatque procedere ex voluntate saltem virtuali ac generali satisfaciendi. Secus verò esse in aliis præceptis, utpote quæ requirant non formalem, sed materialem obedientiam, quæ secundum substantiam salvari possit in rei præceptæ, missæ v. g. auditionis positione, absque ulla satisfactionis intentione, imò ne præcepti quidem cognitione.

7 Quinimò Thomas Sanchez *cit. cap. 13. n. 13.* Castropalaus *præf. n. 12.* cum Vasque & Valentiâ *ubi supra* & aliis contra Navarrum *Cap. quando. de Consecrat. dist. 1. n. 73.* & Azorem *lib. 10. cap.* [illegible] *cap. 12. q. 5.* existimant, illum, qui sub expressa etiam non satisfaciendi intentione ponit actum præceptum, satisfacere quoad substantiam, eo quod voluntas illa de non Satisfaciendo sit eo ipso inefficax, dum ponitur libere actus præceptus, missæ v. g. auditio. Unde Sanchez *n. 26.* contra Navarrum *præcitatum* concludit, eum, qui incepit horas Canonicas, sed, quia non est devotione, qua vult, recitat, eam interrumpit, animo iterum incipiendi, posse illam continuare, satisfacereque præcepto quoad illam etiam partem, quam sine animo satisfaciendi persolvit.

8 Nec obstat illud commune axioma: *Quod actus non operantur ultra intentionem agentis. ex leg.* [illegible] *§. si certum petatur. leg. in arru.* [illegible]. Etenim dum quis ponit actum præceptum cum legis ignorantiâ vel cum voluntate non satisfaciendi, ex suæ voluntatis ponit *Exercitè* totam substantiam rei præceptæ. Ergo vi talis intentionis non satisfacit quidem *Formaliter,* sed *Materialiter.* At lex non exigit formalem satisfactionem, imò nec virtualem, sed contenta est satisfactione materiali, nisi vel subsit formalis obedientiæ obligatio, vel Justitiæ Debitum.

CONCLUSIO II.

Legi humanæ potest quoad substantiam satisfieri per actum ex fine aliove Circumstantiis moraliter malum. 9 Sotus *lib. 2. de Just. q. 3. art. 9. conclus. 2. & lib. 10. q.* [illegible] *art.* [illegible] *ad finem*: Navarrus *Sum. cap. 21. n 7.* Suarez *cit. cap.* [illegible] *n. 6.* Azor *to. 1. lib. 7. cap.* [illegible] *q.* [illegible] Sanchez *cit. lib.* [illegible] *n. 1.* Castropalaus *punc.* [illegible] *n.* [illegible] & plures alii, contra Sanctum Antoninum [illegible] *tit. 9. cap. 10. §. 2.* Majorem [illegible] *n. 1.* existimantes, non satisfacere præcepto, qui missæ interest ob vanam gloriam, vel ob mulierem concupiscendam; sed debere accedere Ecclesiam ad orandum.

10 Nostra Conclusio probatur argumento *præf. 10. 2. q.* [illegible] *art. 3.* [illegible] deducto. Nam ut præcepto satisfiat, præcedere debet illa formalitas, sub qua materia est præcepta. At in legibus quidem Divinis actuum præsertim supernaturalium internorum, fidei, spei, Charitatis, aut religionis præceptivis intenditur *per se* ac *immediatè* intrinseca mentis Rectitudo ac puritas, unde eo ipso, quod illa puritas sit *in actu interno* sublata, dum objecti [illegible] in [illegible] pravum vanæ gloriæ [illegible]; substantiam actûs præcepti tunc non [illegible]. 11 Secus verò est in legibus Humanis [illegible] mentis puritatem [illegible] *per se* [illegible], sed cultum Dei externum, ac [illegible] gubernationem: Sub qua proinde formalitate tota substantia actûs sub præcisa ad objectum secundum [illegible] & ut sic legis [illegible] relatione subsistit, quamvis quoad substantiam inficiatur aliquâ malitiâ. Quamvis igitur verum sit, quod omnis lex intendat actum virtutis, hoc tamen eo discrimine accipiendum est, ut leges humanæ ad Effectum externum præcise obligatoriæ requirant actum non [illegible] *exercitè ac individualiter*, sed *specificè & in actu signato* Honestum, ita ut secundum præcisam ad objectum relationem debeat esse virtuosus; cum econtra leges Divinæ ad rectitudinem internam obligatoriæ exigant actum etiam *exercitè ac individualiter* rectum seu virtuosum. Veluti hoc inter divinas & Humanas leges discrimen non obscure indicat Divus Thomas *1. 2. q. 100. art. 9.* 12 Et hinc patet qualiter accipiendum sit illud axioma. *Is in legem delinquit qui verba legis amplectens, contra legis nititur voluntatem & intentionem. ex leg. Non dubium.* [illegible] *& leg. Contra legem eo* [illegible]. Nam [illegible] finis dicitur *operis*, [illegible] objecti, alius [illegible] objectum legis [illegible]. [illegible] oportet, substantiam actûs quoad [illegible] ad objectum relationem [illegible] *& [illegible] liter saltem* intentam, [illegible] conformitas cum fine [illegible] per legislatorem intento. Etsi proinde [illegible] Humanarum ex parte *operantis* sit, [illegible] bonos ac Deo obsequentes, qui sint [illegible] actus ex circumstantiis vitiosis; [illegible] *operantis* non cadit sub [illegible] commune axioma, quo dicitur: [illegible] *sub legem.* Quia ad legis [illegible]

nem sufficit, ut teneatur finis ex parte operis se tenens, ac *Formaliter* importans actum *specifice*, & *in actu signato* ex sui ad objectum relatione Honestum. Undè cùm iste ex parte *operis* se tenens finis quoad substantiam ac speciem maneat integer, dum actus solum ex intentione vanæ gloriæ, aliâve circumstantiâ est vitiosus, consequens est, per talem actum satisfieri legi humanæ.

Conclusio III.

13. HOc discriminis est inter realia Justitiæ commutativæ, & legalia voti, legis, ac similium debita, ut his, non verò illis licèt diversis possit unico actu satisfieri. ex Medinâ *Cod. De satisfactione. q. 4. vers. Corollariè sequitur*, cui adstipulantur Sanchez *cit. cap. 14. n. 5. &* Castropalaus *punc. 19.*

Probatur ratione Medinæ. Quia in realibus Justitiæ commutativæ debitis attenditur æqualitas rei ad rem. At una satisfactio nequit adæquare plura ejusmodi realia debita. Econtra debita legalia in votis, legibus ac pœnitentijs mensurantur secundùm intentionem legislatoris. Intentio autem legis, voti, ac pœnitentiæ possunt ferri in unum idemque opus morale. Quare ad discernendum in praxi, quando diversa legalia debita de facto respiciant unum, vel plures distinctos actus, decidendum

14. est sequentibus regulis. 1. Intentio legum regulariter & ut plurimùm fertur super unum actum, quando præcepta diversa pro eodem die determinatè imponuntur: velut si festum in Dominicam incidat, tunc, licet utrâque ratione teneantur fideles audire sacrum, utrique obligationi satisfaciunt unius sacri auditione, ex Sanche *citato.* Sicuti etiam obligatus in Quadragesimâ ad jejunandum ex voto & præcepto Ecclesiæ, item obstrictus ex voto simul ac Justitiæ debito ad restituendum, sive ex præcepto misericordiæ ac Juramento ad dandam eleemosynam, unico actu satisfacit duplici obligationi. Ex Castropalao *cit. punc. 19. n. 2.*

15. 2. Si dubium sit, an diversitas obligationum cadat super actus distinctos; nec oppositum ex circumstantijs determinari possit, præsumendum est, non posse duplici obligationi satisfieri unico actu, eò quòd intentio legislatoris sit communiter de obligando ad actum aliàs indebitum, in dubijs autem debeat interpretatio fieri ex communiter contingentibus. ex Sanche & Castropalao *citatis.* Et hinc quia Confessarius imponendo pœnitentiam, præsumitur habere intentionem obligandi ad actum aliàs indebitum; non satisfit, si in satisfactionem sacramentalem injunctâ recitatione unius calculi Virginei, is, qui ex voto obligatur ad talem quotidie recitandum, vellet unâ tali calculi recitatione aliquo die eluere utramque obligationem: vel [illegible] in pœnitentiam jejunio, [illegible] tunc satisfacere per jejunium ex præcepto, vel voto [illegible]. ex Navarro *cap. [illegible] n. 2[illegible].* A[illegible] *to. 1. lib. 11. cap. 14. q. 1. in fine.* & alijs. Quòd si vero con[illegible] injungeret auditionem [illegible] integro mense singulis diebus

peragendam, tunc ob talem circumstantiam ex benignâ interpretatione sufficere, quod in die festo audiatur una missa, tenet Castropalaus *ubi supra.* Unde à fortiori, si quis tum ex voto seu pœnitent à sacramentali, tum ratione debitorum incertorum teneatur ad eleemosynas, non potest huic obligationi, simul & voto ac pœnitentiæ satisfacere. ex Sanche *citato.*

3. Tandem infertur, posse multò magis per plures actus eodē tempore v. g. per missæ auditionem, ac horarum sub hâc recitationem, exercitos satisfieri duplici de missâ audiendâ, & horis Canonicis recitandis præcepto, cùm tota materiarum præceptarum ponatur substantia, nec in præceptis compossibilibus quoad executionem exigatur diversitas temporum. ex Soto *in 4. dist. 19. q. 2. a. 1.* Cajetano *in sum. verb. Festorum violatio.* Navarro *sum. cap. 21. n. 8.* Sanche *cit. cap. 14. n. 11.* & alijs. 16.

❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀(❀)❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀

CONTROVERSIA IV.

Utrùm, & quomodo Legislator teneatur suis legibus?

NOn procedit controversia de Legibus quoad substantiam Divinis, seu Naturalibus, & solum quoad determinationem aliquam Humanis. Sic enim facta per principem circa frumentum pretij taxatione, tenetur stare tali taxæ ex jure naturali, quo cavetur, ne quis pluris vendat, quàm res communiter valeant. Unde cùm ipse valor subsistat per Principis taxationem, [illegible] retur æqualitas justitiæ, si illam transgrediatur; sicuti si inter contrahendum cum alio nollet stare legibus à se latis contractuum æqualitatem ac æquitatem moderantibus, reus foret injustitiæ. Sic etiam Pontifex, ubi Jus Divinum sacræ Communionis præceptivum determinavit ad tempus Paschatis, tenetur huic legi stare, utpote substantialiter Divinæ. 1.

Insuper Theologos inter ac Juristas communiter convenit, legislatorem tam Ecclesiasticum, quàm Sæcularem in conscientiâ obligari ad servandas suas leges. Hinc enim *in leg. Digna vox. Cod. de Legib.* dicitur: *Digna vox majestate regnantis, legibus alligatum se Principem profiteri.* Et *in lege. Princeps. ff. eod. tit. Pareto legi, quisquis legem sanxeris.* In Jure porro Canonico *in Cap. Cum omnes. de Constit.* ita habetur. *Cum igitur, quod quisque juris in alterum statuit, ipse debeat uti eo, & sapientis dicat authoritas: Patere legem, quam ipse tuleris; mandamus &c.* Et *in cap. Justum. [illegible] 9. Justum est, Principem legibus obtemperare suis. Tunc enim Jura sua ab omnibus custodienda existimet, quando & ipse illis reverentiam præbet.* Ne verò videri possit istud consilij tantum causâ dictum esse, subjungitur: *Principes legibus teneri suis, nec in se posse damnare jura, quæ in subjectis constituunt, justa est enim [illegible] authoritas eorum, si quod populis prohibent, sibi licere non patiantur.* Quibus [illegible] positis, restat difficultas [illegible] *Quæ sit radix [illegible] obligationis, an ex ipsâ lege per Principem [illegible] vel ex jure naturali proveniat? 2. An [illegible], [illegible]?* 2.

Respondeo

Referuntur Sententiæ.

3 Circa primum variæ extant ſententiæ apud Amicum *præſ. diſp. 5. ſect. 14. à n. 294.* alijs exiſtimantibus, obligationem illam oriri ex tacito pacto & conventione cum republicâ, à quâ Princeps poteſtatem legislativam ſub conditione leges a ſe latas ſervandi acceperit: Cui tamen ſententiæ obſtat, quod non poſſit procedere de poteſtate Pontificiâ immediatè à Chriſto, non à populo fideli acceptâ. Alijs arbitrantibus, illam obligationem eſſe ratione ſcandali in populo ſecuturi ſi legem alijs impoſitam in ſe ipſo non ſervaret. Verum iſti ſententiæ obeſt, quòd obligatio ſervandi leges à ſe latas non per ſe, ſed per accidens tantum afficeret principem. Alijs opinantibus, obligationem prætactam vim ſuam habere ex Deo non aliter poteſtatem legislativam hominibus tanquam ſuis miniſtris conferente, niſi ſub conditione, ut in obligatione humanarum legum etiam illi comprehenderentur. Attamen cum de iſtius conditionis impoſitione Divinâ non conſtet, videri poteſt gratis conficta.

4 Quare Amicus *præcitatus n. 3..* cum Cajetano *1. 2. q. .. a. 5. in expoſit. reſp. ad 3.* Soto *lib. 1. de Juſt. q. 6. a. 7.* Vaſque *1. 2. diſp. 167. cap. 2.* Sylvio *1. 2. q. .. a. . q. 2.* Serra *eod. art. 5. concl. 1.* arbitratur, illam obligationem in Principe eſſe per legem naturalem ex lege æterna derivatam, & dictantem, quod poſita lege poſitivâ totam rempublicam obligante, Princeps tanquam ejuſdem myſtici corporis Caput ad eam ſervandam obligetur; eo quod non minùs contra rationem ſit, Caput diſcordare à membris, & totum à parte, quàm membra à Capite, & partem à toto. Unde cum princeps ſit Caput reipublicæ, & Totum poteſtativum ſeu Politicum; ſubditi verò membra, & partes ſub eodem capite in unâ republicâ: non minùs pugnare cum ratione, ut Princeps diſcordet à reliquâ communitate, ſub quâ comprehenditur, quàm communitas à ſuo Principe, tanquàm Capite. Unde Serra *citatus* cum Divo Thomâ *præſ. q. 96 a. 5. ad 3.* concludit, obligationem legis à ſe latæ afficere Principem quoad vim duntaxat Directivam, non autem Coactivam, eo quòd vis Directiva reſpiciat ipſos actus licitos & illicitos, ſecundum quos debeat adeò Princeps ex Jure naturali ceu Caput conformari reliquo myſtico corpori: econtra verò vis coactiva pœnæ ſit inductiva ad legis obſervantiam, nequeat autem Imperator illi pœnæ Civili, & Papa pœnæ Canonicæ ſubjectus eſſe. Unde ortum habere illud commune dictum: *Princeps ſolutus eſt legibus*, quoad vim ſcilicet coactivam.

5 Circa ſecundum Leſſius *lib. 2. de Juſt. cap. 3. dub. 5.* Azor *lib. 5. cap. 1. q. .* Salas *de legibus. diſp. 14. à n. 17. & diſp. 20. ſect. 2. n. 104.* Caſtropalaus *præſ. diſp. 1. §. 1. n. 5.* tenent, transgreſſionem legum à ſe latarum, ſecluſo ſcandalo, aliâve ratione extrinſecâ, in Principe eſſe peccatum duntaxat veniale. Fundamentum eſt. Quia non videtur gravis deordinatio, legislatorem in uno alterove actu ſubditis non ſe conformare: ſiquidem ex tali deformitate non ſequatur perturbatio in republicâ, aliudve grave incommodum. At tota ratio obligationis in legislatore inde oritur, nec materiæ gravitas ſecundùm ſe attendenda eſt, ſed in ordine ad regimen reipublicæ rectum, & pacem in illâ conſervandam. Cum igitur iſte finis non graviter lædatur in principe per unam, alteramve legis à ſe latæ tranſgreſſionem, evidenter ſequitur, hanc non eſſe gravem ſeu mortalem.

Econtra illam obligationem gravem aſſerunt Covarruvias *in cap. Alma mater. 1. p n. 5. & 7.* Sylveſter *verb. Lex. q. 14.* Vaſquez *1. 2. diſp. 167. cap. 7.* cum alijs a ſe relatis. Fundamentum eſt. Quia legislator miſſam v. g. à ſe generaliter præceptam omittens, peccat adverſus illam ipſam virtutem, adversùs quam peccant etiam ſubditi; veluti Suarez *lib. 3. de legib. cap. 35. n. 8.* cum alijs, nominatim Divo Thomâ probat: At ſubditi, materiam gravem alicujus virtutis præcepto ſubjectam omittendo, peccant eo ipſò graviter. Ergo & Princeps. 6

Conclusio.

Obligatio legum à Principe latarum ex efficacia legis æternæ quoad vim Directivam, non autem Coactivam afficit Principem ſub illo ipſo virtutis motivo, quod per legem quâ ſubditorum obligatoriam eſt intentum.

Probatur. Nam Humana legislativa poteſtas per ſui à lege æternâ dependentiam eſſentialem non poteſt imponere aliquam obligationem, niſi ipſamet lege æternâ ad illam actualiter concurrente, veluti ſuperius oſtendimus. Ex hoc autem actuali legis æternæ concurſu accipit lex humana vim in conſcientiæ etiam foro ſub culpâ mortali & pœnâ æterna obligatoriam. At verò ſicuti lex humana eſſentialiter debet eſſe ordinativa in Bonum communitatis, ſic conſequenter lex æterna legi humanæ ſe inſinuans, eique in conſcientiâ obligandi vim & efficaciam conferens, efficit omnes illos, quorum tanquàm unius corporis Politici ac Myſtici membrorum eſt *executivè* curare Bonum publicum vi legis intentum. At verò Principis, utpote reipublicæ principalis membri eſt, non tantùm *gubernativè & directivè*, ſed *executivè* & quoad viam executionis *exemplativè* procurare Bonum publicum. Ergo lex æterna legi humanæ vim, & efficaciam in conſcientia obligatoriam imprimens ut ſic afficit ipſum etiam Principem. At quatenus lex æterna efficaciam conſcientiæ obligatoriam imprimit legi humanæ, ut ſic iſta habet *formaliter* vim obligatoriam conſcientiæ ſub illo ipſo virtutis motivo, quod per legem eſt *per ſe immediatè* intentum ac definitum. Ergo ſub hoc etiam motivo, & non tantum ſub generali alicujus cum republicâ conformabilitatis ratione lex à principe lata obligat ipſum in conſcientiâ. Hinc autem fit manifeſtum, quòd ſi materia ſub tali virtutis motivo ſit gravis, illa obligatio teneat ſub mortali. Sicut ergo ſubditi, ſic princeps in materiâ ſecundùm ſe gravi v. g auditionis miſſæ, jejunij &c. obligatur ſub mortali ad legis a ſe latæ obſervantiam. Eo ipſo autem, quòd talis obligatio ſit præciſè ex legis æternæ legi humanæ ſemper ſe inſinuantis concurſu ac efficaciâ, non autem ex lege quâ 7

formaliter emanante à Principe, oportet, ipsam teneri solummodò quoad vim Directivam fori conscientiæ propriam, non autem quoad vim Coactivam foro externo eatenus convenientem, ut respiciat legem humanam, prout est *formaliter* emanans à legislatore Humano. Constat igitur, obligationem legum à Principe latarum ex vi legis æternæ in materiâ de se gravi obligare suum legislatorem in foro dumtaxat conscientiæ, atque adeo secundùm vim Directivam, non Coactivam. Et hinc Imperator *§. ult. Instit. Quibus modis testamenta infirmentur*, ait; *Licet legibus solutus simus*, in foro scilicet externo; *attamen*
8. *legibus vivimus*, in foro scilicet conscientiæ. Quo proinde beneficio exemptionis à lege quoad vim scilicet coactivam & secundùm forum externum gaudere etiam uxorem legislatoris, evincitur *ex lege. Princeps. ff. de legibus.* traditurque à Suare *cit. lib. 1. cap. 11. n. 21.* Unde etiam quoad leges, præsertim irritantes contractum, vel testamentum potest Princeps eatenus secum dispensare, ut, si condat Testamentum sine solemnitate legibus requisitâ, eo ipso censeatur quasi dispensasse, teneatque proinde tale testamentum; uti cum aliis observat Castropalaus *cit. §. 1. n. 1.* eruitque ex *lege. Ex imperfecto. Cod. de Testam.*

9. Ex quibus à fortiori infertur, Principem ne quidem quoad vim Directivam in foro conscientiæ teneri legibus municipalibus, seu alicujus provinciæ propriis, eo quod respectu illius separatim spectata non se habeat ut membrum, sed respectu totius regni tanquam integri Corporis Politici. Unde legis æternæ efficacia se insinuando ejusmodi legibus municipalibus, cùm non afficiat nisi illos, qui communitatis illius particularis membra sunt, per se loquendo non extendit se ad principem, bene tamen per accidens quandoque ratione scandali, vel æqualitatis Justitiæ in contractu aliquo servandæ, ex Suare *citato n. 14.* Felino *Can. 1. n. 21. de Constitut.* & Tiraquello *de retract. lib. 1. Glossa 1. §. 3. n. 38.* Amico *citat. n. 315.* Unde patet etiam responsio ad fundamentum *n. 1.* oppositum. Falsum enim est, quòd Principis ad servandam suam legem obligatio sit ex præcisâ cum republicâ conformabilitatis ratione, sed ex vi legis æternæ in ordine ad materiam præceptam afficit ipsum sub illo ipso virtutis per legem *primo* intentæ motivo, sub quo subditi etiam sunt obligati, uti rectè tradit fundamentum *n. 6.* deductum.

CONTROVERSIA V.

Qualiter infideles, pueri, ebrij, ignorantes, & amentes teneantur legibus?

1. HIc venit apprimè notanda distinctio inter obligationem Radicalem seu in actu primo, legum sic Essentialem, & Actualem, sive in actu secundo, se habentem ad legem [illegible] substantiali legis obligationi. Cujus equidem distinctionis ratio patet tum ex eo, quod ebrij, amentes, ac invincibiliter ignorantes legem, teneantur hujus obligatione substantiali, atque adeo obligentur in actu primo, licet per accidens ratione notitiæ seu advertentiæ illis impedimentis præpeditæ excusentur, nec adeo teneantur in actu quasi secundo, ita ut ipsam transgrediendo contrahant reatum culpæ; tum ex eo, quod infideles necdum Baptizati neque [illegible] Radicali seu substantiali legum Ecclesiasticarum obligationi sint subjecti, utpote extra Ecclesiæ Jurisdictionem existentes. *ex Cap. Gaudemus, de Divortiis.* Quod tamen certum est, subdi legibus naturalibus & Divinis etiam positivis, iis saltem, qui Characterem Baptismalem non supponunt. At verò teneantur etiam Divino Eucharistiæ præcepto, ita ut neglectâ Baptismatis susceptione ejus constituantur rei? dicetur *in mat. de Euch.* Cujusmodi tamen legum Divinarum præsertim positivarum obligatione substantiali respectu infidelium etiam subsistente, fieri adhuc potest, ut earundem obligatio in actu secundo ex ignorantiâ invincibili ipsos non afficiat. Quâ proinde Radicalis & Actualis obligationis in legibus distinctione supposita, superest difficultas circa pueros. *In quâ ætate incipiat ipsos tenere substantialis & Radicalis legum præsertim Ecclesiasticarum obligatio?*

Referuntur Sententiæ.

2. SOtus *lib. 2. de Iust. q. 3. a. 9. ad 4.* Medina *1. 2. q. 95. a. 1. conclus. 1.* Suarez *to. 3. in 3. part. disp. 40. sect. 2 vers. Et juxta hanc.* Sanchez *lib. 1. in Decal. cap. 12. n. 7.* & Doctores communiter negant: Pueros ante usum rationis, qui regulariter advenit completo septennio, teneri legibus Ecclesiasticis; Et hinc asserunt, ipsos licitè vesci carnibus tempore Quadragesimæ, ingredi monasterium clausuram, &c. Ratio est. Quia harum obligationum fundamentum est usus rationis.

3. Henriquez *lib. 8. de Euch. cap. 42. n. 5. in init.* censet, pueros non [illegible], ac usum rationis habentes, Ecclesiæ præceptis teneri. Et hinc *lib. 13. de Excom. cap. 29. n. 2. in comment. litt. N.* ait, illis licitè [illegible] in diebus jejunij carnes aliquot post usum rationis tempore, quantum autem hoc sit, non determinat. Divus etiam Antoninus *2. p. tit. 9. c. 10. §. 2.* putat, Pueros non teneri ad confessionem usque ad decimum & dimidiatum annum.

4. Verum communis è contrario sententia, nominatim Soti *in 4. dist. 12. q. 1. art. 3. ad finem corp.* Paludani *in 4. dist. [illegible] a. 1. n. 7.* Sylvestri *verb. Missa. 2. q. 1.* [illegible] *in summ. cap. 21. n. 33.* Suarezij *to. 4. in 3. p. disp. 36. sect. 2. n. 3.* Sanchezij *ub[i]* [illegible] Castropalai *cit. punc. 24. §. 2. n. 5.* [illegible] tenet; Pueros, cùm ad usum rationis regulariter septennio completo adveniant [illegible] obligari omnibus [illegible] Ecclesiæ, præsertim jejunij & Eucharistiæ præcepto, [illegible]. Fundamentum est. [illegible] incipit usus rationis, [illegible] est obligatio legum Ecclesiasticarum. Ergo nisi in aliqua lege Ecclesia quid [illegible] disponeret, censeri debet [illegible] utroque [illegible] atque in omnibus ad omnes [illegible] obligationem efficere pueros.

Conclu-

Conclusio I.

Leges Divinæ negativæ præsertim naturales quoad obligationem Radicalem & substantialem afficiunt pueros etiam ante usum rationis.

5 Probatur. Quia lex naturalis cum ipsâ naturâ rationis capaci per modum proprietatis connaturaliter genitæ, & lex Divina characteri Baptismatis annexa, cum hujus per Baptisma impressione ortum habet. Unde illius obligatio hominem in puris naturalibus etiam spectatum, istius verò obligatio radicalis hominem quà vi Characteris Baptismatis Christianum per se afficit, adeò ut defectus rationis causet quidem excusationem à peccato, non tamen possit tollere ejus obligationem substantialem. Et hinc infertur peccare Mortaliter, qui pueros usu rationis carentes (idem est respectu amentium, dormientium, ac ebriorum) inducunt ad actum intrinsecè malum v. g. venereum, vel ad actum statui Christiano per se contrarium: eò quod talium actuum prohibitio substantialiter considerata per se afficiat etiam usu rationis privatos, licet per accidens excusentur à peccato. Quæ proinde excusatio potest quidem relevare pueros usu rationis carentes, non autem illos, qui ad talium præceptorum transgressiones respectu ipsorum *objectivè* malas inducunt.

Conclusio II.

Leges Ecclesiasticæ nullam etiam in actu primo, seu radicalem imponunt obligationem ante completum septennium.

6 Probatur. Quia leges humanæ positivæ ex intentione legislatorum respiciunt tempus usûs rationis. Hic autem non præsumitur communiter accidere ante completum septennium. At leges positivæ attendunt ad ea, quæ communiter contingunt. *Leg. Non ad ea. ff. De legibus.* Ergo licet usus rationis alicui ante septennium ex accidenti proveniret, non obinde obligaretur legibus positivis humanis, v. g. ad abstinendum à carnibus in diebus jejunij, ad audiendum sacrũ.

7 Ex quo infertur. Quænam sit ratio, Cur ebrijs, usu rationis destitutis, nec non jejunij diem invincibiliter ignorantibus nequeant absque peccato subministrari, vel consuli cibi vetiti, bene tamen pueris septennium necdum explentibus? Hujus enim discriminis ratio alia non est, nisi quòd istos ne radicalis quidem obligatio legis afficiat, bene tamen illos, utpote tantùm per accidens excusatos, ut adeò inducens illos ad legis ejusmodi (idem est de ingressu in claustrum monialium, aliorumque præceptorum Ecclesiasticorum violatione) transgressionem, ex hac suâ actione contrahat reatum malitiæ tali præcepto adversantis, veluti præter alios censent Sanchez *citatus* & Castropalaus *n.* 11. & 12. qui addunt: licere tamen carnes in diebus jejunij subministrare amentibus, non quidem ex defectu rationis sint exempti à legis obligatione radicali, sed quòd propter amentiam ceu infirmitatem subsit ratio, non ipsos tantùm, sed alios insuper, qui carnes tali modo subministrant, excusans à malitiâ.

CONTROVERSIA VI.

Utrùm Leges à Principe latæ obligent subditos extra Territorium?

Commune est axioma *ex Can. ut animarum. De constit. in 6.* petitum, quòd 1
extra Territorium jus dicenti impunè non paretur. Ex quo Doctores communiter, nominatim Covarruv. 4. *Variarqq. cap. 2. n. 8.* Lessius *lib. 4. de Iust. cap. 2. dub. 8. n. 4.* Emanuel Sa *in sum. verb. Festum. n. 9.* Rebellus *de Iust. p. 2. lib. 2. q. 7. sect. 3. n. 15.* Suarez *to. 1. de relig. lib. 2. cap. 13. n. 2. & cap. 14. n. 25.* Sanchez *in Decal. cit. lib. 1. cap. 12. n. 27.* Castropalaus *cit. punc. 24. §. 5. n. 1.* concludunt, neminem extra Territorium adstringi legibus illius, etiamsi leges sint juris Communis. Et hinc Germanus veniens Mediolanum primis Quadragesimæ diebus, ubi jejunium non servatur, potest vesci carnibus, ex Castropalao *præs. punc. 24. §. 5. n. 2* & Doctoribus ibi relatis. Hinc tamen nonnullæ in præ-
senti discutiendæ difficultates excitantur. 1. *An* 2
si quis animo eximendi se ab obligatione, exit è suo Territorio, possit hoc Privilegio deobligationis licitè uti? In quo negant Rebellus *citatus. sect. 3. n. 16.* Ledesma *de Matrimon. q. 41. art. 5. p. 3. dub. ult. concl. 1.* & alij. Fundamentum est. Quia fraus & dolus nemini patrocinari debet. *Cap. Sedes. & Cap. Ex tenore. De rescriptis.* At dum quis ad obligationem proprij territorij declinandam pro-
ficiscitur, fraudem ac dolum committit. 2. *An* 3
qui, Quadragesima jam peracta, & Communionis Paschalis præcepto expleto, in Territorio, ubi prius habitabat, Domicilium mutat, migrando ad locum, ubi Calendario Gregoriano necdum vigente, jejunium Quadragesimæ adhuc tenet, obligetur secluso scandalo, ad jejunium, & Communionem Paschalem? Circa quod Basilius de Leone *lib. de Matrim. cap. 8. in fine.* Quoad obligationes jejunij, ac Festorum, non autem quoad Communionem Paschalem affirmativè respondet. Fundamentum est. Quia leges jejunij ac Festorum obligant cum ordine ad Territorium.
3. *An, & qualiter constitutus extra Territorium incurrat* 4
pœnam vi legis in tali Territorio vigentis impositam, si delictum saltem interpretativè in illo Territorio commiserit? In quo negat *citatus* Basilius de Leone *cap. 7. n. 20.* ex præallegato principio: quòd extra Territorium Jus dicenti impunè non pareatur.

Conclusio I.

Hoc discriminis est inter legem ac præceptum, ut istud, non illa obligare possit subditos extra Territorium existentes; ita communis Juristarum & Theologorum sententia adversùs Castropalaum *cit. punc. 24. §. 5. n. 21.*

Probatur. Nam lex procedit à Jurisdictio- 5
ne, prout ista respicit Territorium, estque adeò limitata ad Territorium. Et hinc quia Episcopus non habet Jurisdictionem extra suum Territorium *Cap. Si quisquam. 11. q. 1.* & *Glossa fin. Cap. Novit. De officio. legati;* & *ibi* Glossa ad declarans

clarans de Jurisdictione contentiosâ, cujusmodi esse legislativam, probat Vivianus *in Cap. Ut animarum. 2. de Constit. in 6.* Idcirco statuta & sententiæ Episcoporum latæ contra illos, qui sunt extra ipsorum Diœcesin, non ligant. *ex cit. Can. Ut animarum.* Econtra præceptum fertur in personam, adeòque sequitur hanc ubicumque positam, uti tradit Innocentius ad *Canonem A nobis. De sent. Excom.* & Glossa *in Can. Romana. §. Caveant. v. futuris. De sent. Excom. in 6.* Hinc oritur dubium; An locus exemptus, etiamsi sit intra Diœcesin, quoad prætactum deobligationis à legibus effectum censeatur extra Territorium? Ad quod affirmativè respondent Sanctus Antoninus *3. par. tit. 24. cap. 75. §. 1.* Paludanus *in 4. dist. 18. q. 2. in 2. part. art. 2.* Suarez *præs. lib. 3. cap. 32. n. 9.* allegans Canonistas *in Cap. Cum Episcopus. de Offic. Ordin. in 6. & in Clement. Archiepiscopo. De Privilegijs.* Bonacina *disp. 1. q. 1. punc. 6. n. 65.* Azor *to. 1. lib. 5. cap. 25. q. 4.* Salas *de Legibus. disp. 14. sect. 6. n. 85.* cum pluribus ibi relatis & Castropalaus *cit. punc. 24. §. 5. n. 20.* Ratio est. Quia eo ipso, quod locus sit exemptus, manet ibi extincta Jurisdictio Episcopi. Ergo non potest ibi exercere Jurisdictionem contentiosam, nisi in casibus Jure expressis. Limitant tamen Salas *citatus* & Suarez docens *disp. 5. sect. 4. n. 10.* Si ipsa loca, non autem Personæ loci sint exemptę; veluti accidit communiter in Monasterijs monialium, & Conventibus Religiosorum: tunc enim Diœcesani illud accedentes non obinde sunt deobli-
7. gati à statutis, seu legibus Diœcesis. Verùm quia ista Exemptionis materia varios admittit gradus, & juxta hos parit effectus longè diversos, cogitamus de istâ *in to. de Jure & Justitiâ* ex instituto agere, ibi in materiâ de Dominio instituendo quæstionem de Jure Exemptionis.

Conclusio II.

NOn est statim arguendus de dolo, seu fraude, sed licitè agit, qui animo laborandi, vel non jejunandi ex suâ parochiâ, ubi viget præceptum jejunij seu Festi, exit ad alium locum, ubi non tenent istæ leges. Suarez *cit. cap. 11. n. 6.* Lessius *cit. dub. 8. n. 55.* Sanchez *cit. cap. 12. n. 15.* & alij *ibi* relati.

8. Probatur. Nam qui jure suo utitur, non possit dici fraudem committere, ut eâ ratione effectus impediatur. *ex reg. Nullus videtur. 55. ff. De reg. juris.* Cui conformiter *in leg. 3. post. init. vers. Is tamen. ff. De lib. hom. exhib.* dicitur, quòd dolum malum non videatur habere, qui jure suo utitur. Unde, cùm præceptum jejunij, seu festi non interdicat exitum è propriâ Parochiâ, extra autem non obliget, uti suppono, loci incolas, consequens est, eatenus licere ad finem laborandi, vel non jejunandi exire è loco Domicilij, ubi præceptum ejusmodi viget, ut hujus obligatione non teneatur, qui tali animo egressus est.

9. In quo tamen casu dubitatur 1. *Utrum egressurus teneatur prius audire sacrum?* Et quidem communis Doctorum sententia apud Castropalaum *cit. punc. 24. §. 5. n. 6.* tenet, talem non teneri exspectare tempus, quo sacrum est peragendum: obligari tamen interesse, si, dum adhuc moratur, in loco Domicilij, jam inceptum sit sacrum, quod unicum illâ die est ibi celebrandum. Quòd si verò plures successivè à mane ad duodecimam usque sint celebrandæ missæ, Sanchez *supra n. 32.* & Castropalaus *n. 8.* cum alijs arbitrantur, non teneri audire sacrum prius, quàm exeat, eò quòd, dum adest in loco, ubi plures adhuc sunt celebrandæ missæ, necdum urgeat præcepti obligatio, neque præceptum obliget ad non egrediendum de loco Domicilij, possitque adeò jure suo uti in exeundo, & exinde exemptum se facere ab obligatione. Ve- 10.
rùm opposita sententia à Suare *lib. 2. de Festis. cap. 5. circa finem. n. 9. & 10.* Basilio de Leone *lib. 5. de Matrim. cap. 8. n. 6.* tradita, uti tutior, ita & verisimilior videtur, dum enim erat in suâ Parochiâ, afficiebatur obligatione audiendi missam. Hac verò obligatione contractâ, non licet illam excutere pro libitu, dum potest eam servare. Nec obstat, quòd dicatur, ista obligatio non urgere, si aliæ adhuc restent missæ; quas, si non egrederetur, audire posset. Nam obligatio ejusmodi est quidem indeterminata ad hanc, vel illam, eo ipso tamen determinatur ad unam præsentem, si prævideatur impedimentum, ratione cujus alia subsequens audiri non possit. Unde, nisi ille certus sit de missâ extra Parochiam audiendâ, fit eo ipso reus de violato præcepto, quòd pro illo tempore, in quo præceptum audiendi missam determinatè urgebat pro præsente sacro, istud negligat.

11. 2. *An, qui de loco sui Domicilij, in quo jejunium obligat, est emigraturus ad locum nullâ jejunij lege obstrictum, teneatur, antequam exeat, de mane abstinere?* Et quidem teste Castropalao *n. 9.* convenit inter Doctores, talem non posse in loco Domicilij de mane vesci carnibus, eò quòd ista obligatio stet pro singulis diei momentis, sitque affixa Territorio. Nihilominùs posse sumere jentaculum, cum alijs censet Suarez *n. 34.* Cujus ratio est. Quia materia jejunij est indivisibilis. Ergo cùm de nocte non sit obligaturum jejunium, nec de mane obligabit. E contrario negat Castropalaus *n. 10.* eò quòd nullus possit excusari à præcepto ob moralem Dispensationis supervenientis certitudinem. Cùm igitur existens in loco Domicilij, ubi præceptum jejunij viget, hoc teneatur, nequit excusari ob spem existentiæ in loco Privilegiato postea futuræ.

Conclusio III.

QUi in loco prioris Domicilij jam implevit præcepta Jejunij Quadragesimalis & Communionis Paschalis, non tenetur his legibus, si Domicilium ponat in loco, ubi Calendario Gregoriano non recepto, adhuc teneat illa præcepta. Lessius *lib. 4. de Iust. cap. 2. dub. 7. n. 52.* Sanchez *cit. cap. 12. n. 22.* Salas *cit. disp. 14. sect. 4. in princ.* Castropalaus *cit. §. 5. n. 14.* & alij.

Probatur. Quia licèt leges obligent cum or- 12.
dine ad Territorium: quia tamen de se sunt universales totam Ecclesiam afficientes, non nisi per accidens habent istam difformitatem, ut in loco Gregorianum Calendarium observante jam expletæ

pletæ, sint in alijs autem locis sint adhuc obligatoriæ: Ex quo proinde accidente non mutant naturam suam ex voluntate Pontificis definitam, vi cujus non tenent ad sui observantiam nisi semel adimplendam. Quare istâ jam expletâ, non est, cur secluso scandalo, quis obligetur ad iteratam observantiam.

Conclusio IV.

A B illo, qui *realiter* & *Materialiter* existit extra Territorium, potest aliquod delictum *Interpretativè* ac *Moraliter* intelligi commissum in ipso Territorio: atque adeò subditus extra Territorium existens tenetur tunc ad pœnam vi legis in prætacto Territorio vigentis impositam. ex Covarruviâ *in Cap. Alma Mater. 1. p. §. 10. n. 3.* Suarezio *cit. lib. 3. cap. 32. n. 8.* Angelo *verbo Excommunicatio. n. 10.* Ugolino *de cens. tab. 1. cap. 9. §. 3. in fine*, Sala *de Legibus. disp. 14. sect. 5. à n. 71.* Castropalao *cit. §. 5. n. 13.*

13. Probatur. Nam si vel res, vel operatio, in quâ delinquitur, sit intra Territorium, tunc *Moraliter* ac *interpretativè* censetur subditus esse in Territorio, uti cum Sylvestro *verbo Excommunicatio. 2. n. 8.* & Angelo *citato* insinuat Suarez *ubi supra*. In cujusmodi adeò casibus ligatur legibus Territorij, eo vel maximè, quòd si Dominus Territorij non haberet jus taliter delinquentes puniendi, non posset satis providere Bono publico sui Territorij. Et hinc 1. si extra Territo-

14. rium existens mediante sagittâ emissâ occidat hominem in Territorio constitutum, tenetur ad pœnam sui Domicilij: eò quòd leges imponentes pœnam, intelligendæ sint cum effectu; illius verò actionis effectus sit consummatus in loco proprij Domicilij. Unde talis delicti punitio non tam ad Iudicem loci, in quo delictum est inchoatum, quàm ad Dominum Territorij, ubi est consummatum, remitti debet, uti magis patebit etiã ex dicendis *seq. cont.* Unde Castropalaus *ubi supra* concludit, si Excomunicatio sit lata adversùs occidentes in Ecclesiâ, quispiam autem existens extra Ecclesiã emitteret sagittam, quâ occideret constitutum in Ecclesiâ, tunc fore excommunicatum, eò quòd delictum sit plenè factum

15. in Ecclesiâ, licèt sit extra inchoatum. 2. Si sub pœnâ Excommunicationis in aliquâ Diœcesi obligentur Beneficiarij residere in suâ Ecclesiâ, tunc absentes etiam extra Diœcesin ligantur istâ censurâ; ita authores præcitati. Ratio est. Ibi enim censetur omittere, ubi deberet esse præsens. *Leg. Qui non facit. ff. de reg. Juris.* ubi dicitur, eum, qui non facit, quod facere debet, videri facere adversùs ea, quæ non facit. colligiturque ex *Cap. 1. De usuris in 6. junctâ Glossâ. &*

16. *Cap. 1. Ut lite non contestatâ.* 3. Si statutum prohibeat extractionem armorum, vel frumenti ex aliquo regno, seu Provinciâ, tunc deliquentes adversùs talem lege[m] erunt rei pœnæ huic annexæ. *ex leg. Nemo 2. Cod. Quæ res exportari non debeant. & leg. fin. Cod. de pœnis.* Ratio est. Quia licèt actiones materiales & physicæ consummentur extra Territorium, attamen quia Damnum & injuria ipsimet Territorio irrogatur, *Moraliter* ac *Interpretativè* censentur actiones hujusmodi intra istud consummari. 4. Statutum, ne res ali- 17.
qua, domus, vel ager intra Territorium existens à subditis vendatur, nisi sub certâ formâ & solennitate, ligat vendentes etiam extra Territorium constituros. *ex leg. 1. ff. De fundo Dotali.* Ratio est. Tum quia si secus fiat, damnum redundat in Territorium, in quo sita est res vendita. Tum quia ratione rei sitæ sortitur quis forum. *ex Cap. Fin. De Foro Competente. & Cap. Romana. §. Contrahentes. eod. tit.*

❊❊❊❊❊❊❊❊):(❊❊❊❊❊❊❊❊❊❊

CONTROVERSIA VII.

Quomodo Forenses, Peregrini & Vagi teneantur legibus loci, in quo Transeunter solum commorantur?

N On procedit Controversia 1. casu, quo aliquis extra Patriam commigrat animo perpetuò ibi manendi: de hoc e- 18.
nim certum est, ex illo statim tempore obligari legibus loci, in quo fixit suam habitationẽ, ex communi Doctorum sententiâ. Ratio est. Nam ex quo tempore quis acquisivit Domicilium in alio loco, manet ex tunc subditus ratione Domicilij, tanquàm incola, non ut peregrinus ac Forensis. At Domicilium acquiritur eo ipso, quo quis incipit habitare aliquem locum animo ibi perpetuò manendi. *ex leg. Domicilium. ff. ad Municipalem.* & *Glossa ibidem.* Nec opus est decennio habitare, sed statim ac quis incipit habitare animo perpetuo ibi manendi, acquirit Domicilium. *ex Hostiensi in sum. tit. de Parochijs. §. penult. n. 7.* Felino *Cap. Dilectus. n. 12. De rescriptis.* Thomâ Sanche *lib. 3. de Matrim. disp. 23. n. 2.* ac pluribus ab ipso relatis Doctoribus. Cujusmodi proinde Habitationis Domicilium in ordine ad cõtrahendas legum loco seu Territorio propriarum obligationes, est validius Domicilio Originis: siquidem isto relicto, Forum ibi amittatur. *Leg. Facto. ff. De hæredib. instituendis*, econtra verò quis sortiatur Forum in loco habitationis perpetuæ, sive ibi reperiatur, sive non. *ex lege. Dies ff. De Damno infecto.* Sunt autem paria Forum sortiri & legibus loci alligari *Can. Licèt ratione. junctâ Glossâ. De foro competente.* Est igitur indubitatum, peregrinantes ex loco originis ad alium locum, constituendo ibi Domicilium cum animo perpetuæ habitationis, ex illo statim tempore teneri hujus loci legibus, utpotè jam subjectos & incolas.

Neque 2. procedit controversia, si qui ex- 19.
tra Patriam in alio loco commorantur, veluti studiosi in universitatibus, sollicitatores in Curiâ per majorem anni partem, etiam absque animo perpetuæ habitationis; de quibus convenit etiam intra Doctores, quòd teneantur legibus loci, in quo morantur. Ratio est. Quia talis consequitur ibi quasi Domicilium. *ex leg. Cives. Cod. de incolis.* Et hinc quoad actus ibi factos, scilicet contractus & delicta potest conveniri. *ex leg. 2. §. assiduè versatur. Cod. ubi senatores & alij Clarissimi viri.* Et *leg. Hæres absens. §. proinde in fine. ff. De Judicijs. & leg. 2. & Glossâ ibi verb. elegit. Cod. ubi de*

 Crimine

crimine agi oportet. Cùm igitur sint paria, sortiri Forum & subjici legibus loci, uti *supra* dictum, consequenter, talis subditur legibus loci in quo moratur. Controversia igitur movetur 1. de ijs, qui verè peregrini loco sui Domicilij ad breve tempus relicto, sunt Transeunter commorantes in alieno territorio. 2. De Vagabundis.

Referuntur Sententiæ.

3. Circa primã difficultatem Navarrus *in summã cap. 23. n. 120.* Suarez *lib. 3. de Legibus. cap. 33. n. 5.* Sylvius *1. 2. q. 96. a. 5. q. 4.* Serra *præs. q. 96. a. 5. dub. un. concl. 4.* Lessius *lib. 4. de just. cap. 2. dub. 8.* Covarruvias *lib. 4. variar. qq. cap. 20. n. 8.* & plures alij affirmant; probabiliusque existimat Castropalaus *cit. punc. 24. §. 3. n.* Fundamentum est. Quia conformari consuetudinibus & legibus loci omnes, qui ibi resident, dum præsentes sunt & commorantur, convenientissimum est, & rectæ gubernationi, paci & tranquillitati reipublicæ maximè necessarium. Ergo debet aliquis agnosci, qui omnibus obligationem inducat ad servandam hanc uniformitatem. At nullus alius esse potest præter Gubernatorem loci. Ergo Gubernator loci ex ipso jure naturali, vel Gentium habet potestatem obligandi omnes in suo Territorio existentes, dum ibi existunt, atque adeò leges loci oportet servari etiam à peregrinantibus, sive solùm transeunter in loco aliquo commorantibus. Et hinc Divus Ambrosius consulenti, an Mediolani existens deberet sabbato jejunare, *in Epist. sancti Augustini* 118. & *in Cap. Illa. dist. 12.* refertur respondisse in hæc verba: *Cùm Romam venio, jejuno Sabbato; cùm Mediolani sum, non jejuno. Sic & tu ad quamcunque fortè Ecclesiam veneris, ejus morem serva, si cuiquam non vis esse scandalo, nec quemquam tibi.* Hinc etiam *in Cap. Quæ contra. dist. 8.* dicitur: *Quæ contra mores hominum sunt flagitia, pro morum diversitate sunt vitanda, ut pactum inter se, civitatis, aut gentis, consuetudine, vel, lege firmatum, nullâ Civis*
4. *aut peregrini libidine violetur.* Ex quo Castropalaus *citatus à n. 13.* cum Doctoribus à se relatis infert. 1. Si quæ pœna transgredientibus legem sit imposita, affici illâ etiam advenas transgressores. Cùm enim in tali transgressione committant delictum, debent ibi puniri, cùm ratione delicti superiori illius loci subdantur. *ex Authent. Qua in provincia. Cod. Ubi de crimine agi oportet. & Can. fin. de foro compet.* 2. Peregrinos incurrere quoque excommunicationem latam adversus ferentes arma, vel colloquentes cum Monialibus sine licentiâ, vel furtum committentes; nisi pro aliquo casu Excommunicatio vel in vi præcepti duntaxat personalis, vel in vi legis ad solos incolas restrictæ, non extendatur ad peregrinos seu advenas, uti habetur *in Cap. A nobis 1. de sent. Excomm.* ubi interrogatus Pontifex, an Forenses comprehenderentur in excommunicatione latâ ab Episcopo pro futuris delictis? respondet, solos subditos teneri.

5. Heinriquez *lib. 9. de Missæ sacrif. cap. 25. n. 2.* Fagundez *de præcept. Eccles. lib. 1. cap. 8. n. 20.* negant, obligari legibus loci, qui ibi commorantur solùm in transitu & per modum hospitij, prandendo, aut cœnando ac pernoctando, statim discessuri: secus esse, quando commorantur ibi per duos, aut tres dies. Fundamentum est. Quia talis mora sufficiens non est, ut tales sint, aut verè dicantur subditi superioris illius loci. At obligatio ad leges servãdas fundatur in subjectione inferioris erga superiorem. Ergo non obligantur illius loci consuetudinibus, aut legibus.

Glossa *in Cap. Quæ contra. ver. Aut Peregrini.* Ioannes Medina *Cod. de jejunio. q. 10.* Lessius *lib. 4. de just. cap. 2. dub. 7. n. 49.* Azor *to. 1. lib. 7. cap. 30. q. ult.* Toletus *lib. 6. sum. cap. 5. n. ult.* Sanchez *lib. 3. de Matrim. disp. 18. n. 6. & lib. 1. in Decal. cap. 12. n. 38.* cum alijs pluribus à se relatis, absolutè negant, advenas, seu peregrinos teneri legibus & consuetudinibus loci, per quem transeunt, etiamsi per aliquod tempus ibi morentur. Cui sententiæ tanquam probabiliori etiam Amicus *præs. disp. 5. sect. 15. n. 356.* adstipulatur ex sequenti fundamento. Cùm enim finis legis sit recta gubernatio suorum subditorum, lex non censetur obligare, nisi partes & membra ejusdem communitatis. At peregrini transeuntes non sunt partes & membra ejus loci & communitatis, per quam transeunt. Siquidem peregrinus nequeat fieri pars, aut membrum communitatis, nisi per Domicilium, vel quasi Domicilium; is verò, qui solùm transit per locum communitatis, non dicatur moraliter ibi habere suum Domicilium, vel quasi Domicilium, eò quòd istud pendeat tum ex intentione inhabitantis, tum ex morâ temporis, quâ quis locum incolit. Et hinc viatores hujusmodi non sortiuntur forum loci, per quem transeunt. *ex leg. Hæres absens. ff. de Judicijs.* neque Episcopi cum eis dispensare possunt; quod est signum, nullam in eos Jurisdictionem acquirere, quæ tamen necessaria est, ut quis loci legibus subjiciatur. 6.

Circa secundam difficultatem Lessius *cit. dub. 7. n. 49.* Sayrus *in Clavi regiâ. lib. 3. cap. 4. n. 8.* Ioannes Sanchez *in suis selectis disp. 54. n. 34.* tenent, idem dicendum esse de vagis, ac de Peregrinis & viatoribus. Econtrario hos teneri legibus omnium locorum, in quibus successivè reperiuntur, affirmant Thomas Sanchez *lib. 3. de Matrim. disp. 18. n. 15. & in Decalogum lib. 1. cap. 12. n. 23.* Suarez *to. 1. de relig. lib. 2. cap. 14. n. 10.* Salas *disp. 14. de Legibus. sect. 4. n. 55.* Amicus *cit. sect. 16. n. 356. in fine.* Castropalaus *cit. punc. 24. §. 4. n. 3.* & Doctores communiter. Fundamentum est. Cùm enim nullum habeant in aliquâ communitate Domicilium, cujus legibus astringantur, debent saltem legibus loci, per quem transeunt, adstringi; quòd alioquin liberi essent ab omnibus legibus. 7.

Conclusio I.

Non absolutè, sed in certis duntaxat casibus probabiliùs verificatur, quòd peregrini & viatores teneantur legibus loci, in quo transeunter duntaxat commorantur.

Probatur argumento Glossæ *in Cap. Illa. in verb. Veneris. dist. 12.* Hæc enim Glossa, cùm ex unâ parte proposuisset Argumentum *cit. Cap. Illa.* necnon *Cap. Quæ contra. dist. 8.* quibus videtur evinci, quòd viatores teneantur sequi consuetudinem loci, ad quem veniunt; ex alterâ verò parte posuisset legem *Hæres absens. ff. de Judicijs*, ex quâ evincitur, quòd viatores non sortiantur forum loci, per quem transeunt: tandem 8.

dem sequentem adfert solutionem : *Quòd ad pr[illegible] obligationis legum loci per quem transeunt, contrahenda in[illegible]tutum referat, an viatores sint moraturi, vel citò recessuri.* Cui conformiter Glossa *in præcitatum Cap. Contra ea. ver. Aut peregrini d[illegible] 9.* negat, quòd viatores utpote Domicilium seu quasi Domicilium non contrahentes,

6. sortiantur forum loci, per quem transeunt. Nec obstat Fundamentum *sup. n. 3.* oppositum. Nam omnium etiam peregrinorum in loco aliquo commorantium interest, ut observent leges tum paci & tranquillitati reipublicæ convenientes, tum disponentes de materijs, quæ commercia publica concernunt, vel in quibus, ut etiam à viatoribus observentur, specialiter refert reipublicæ : attamen pro publico Bono Civitatis, seu Communitatis parum facit, etiamsi quoad leges aliquas viatores non se habeant uniformiter cum incolis. In quibus proinde legum materijs non videtur facienda extensio ad peregrinos, licet in alijs materijs illi omninò teneantur legibus loci, per quem transeunt. Et hinc verum quidem est, in Gubernatore loci esse Jurisdictionem etiam erga peregrinos, hanc tamen non exercere, nec leges ab illâ emanantes tenere viatores, nisi ubi specialis ratio, seu publici Boni exigentia id suadeat. Dicendum etiam est, Capitula *ex Decreto n. 4.* allegata esse partim consilij, partim respicere illos, qui *moraliter*, adeòque tempore nonnihil diuturniore commorantur in loco aliquo, partim disponere in materiis, quarum, ut à peregrinis etiam serventur, Boni publici interest.

10. Et hinc 1. Suarez *in 3. p. to. 3. disp. 44. sec. 3. §. Illud verò.* fine probat, sacerdotem Græcum, si transeat per Ecclesiam latinam, non teneri ad celebrandum in Azymo, sed posse celebrare in

11. Fermentato. 2. Amicus *citatus n. 358.* infert, illum, qui transit per locum, ubi jejunatur, vel festa celebrantur, non teneri ad jejunia, seu festa ejusmodi celebranda, nisi tales leges, vel consuetudines in suâ etiam patriâ serventur, aut sit periculum scandali. 3. Idem [illegible] hor *n. [illegible]9.* probat,

12. [illegible] Germanum iter facientem, si absit scandalum, tempore [illegible] intra Italiam comedere ova, & lacticinia [illegible] Mediolanensem, ubi diebus quatuor ante Dominicam Quadragesimæ jejunatur, non jejunare, & Castellanum iter facientem per Lusitaniam, animalis extremitates, & intestina die sabbati comedere. Verùm cum Sanche, & alijs hoc improbat Castropalaus *cit. § 3. n. 8. in fine*, eò quòd Jure communi sit obligatio abstinendi, & ex consuetudine tantùm subsistat illa licentia tum Castellæ die sabbati vescendi intestinis animalium, tum Mediolani a die quartâ Cinerum

13. non jejunandi. Etenim 4. communis Doctorum, nominatim Navarri *summæ cap. 23. n. 120.* Sanchis *lib. 1. in Decal. cap. 12. n. 29.* Suarezij *to. 1. de relig. lib. 2. cap. 14. n. 27. & 28.* sententia tenet: viatores obligari legibus loci, quà transeunt, si Juris sint communis : nec obstare inquit Sanchez & Castropalaus *citati*, quòd in loco, ubi illorum peregrinorum Domicilium est, vigorem non habeat; siquidem consuetudo oppidi, quæ peregrinantem domi excusabat, territorium nõ excedat, utpote se habens per modum privilegij lo-

14. calis, non autem personalis. 5. Suarez *to. 1. de relig. lib. 2. cap. 14. n. 15.* Salas *disp. 14. sect. 4. n. 40.* Sanchez *lib. 4. in Decal. cap. 12. n. 21.* & Doctores communiter probant, viatorem teneri etiam legibus loci, in quo est transeunter, si tales leges obligent etiam in loco Domicilij ipsius. Ratio est. Tunc enim ex receptâ consuetudine fit concurrentia legum, & loci Domicilij, & loci pere-

grinationis ad inducendã obligationem. 6. Convenit etiam inter Doctores, leges, quibus prohibetur, ne merces extra Civitatem seu regionem aliquam extrahantur, neve peregrini ultra certos dies commorentur in aliquo loco, ac similes, quas, ut etiam peregrini servent, specialiter interest reipublicæ, ligare quoslibet etiam peregrinos. Ex Suare *lib. 3. de legib. cap. 32. n. 8.* Sanche *cit. cap. 12. in Decal. n. 36.* & alijs. Ratio est: Quia Magistratui locorum esse potestatem communitati providendi legibus adversus etiam peregrinos, atque istos suis legibus ligandi, constat ex Fundamento *supra [illegible]* deducto: Etsi verò, dum mere transeuntes sunt, non intersit reipublicæ, quàslibet loci leges ab istis servari : attamen in illis legibus refert, vel maximè, ne violentur a peregrinis. 7. Denique tenentur peregrini ratione contractuum ad servandas leges, quibus certæ solennitates, & conditiones pro celebrandis contractibus præscribuntur. *ex Cap. Dilecti. & Cap. [illegible]ual. de Foro competenti. Leg. Quod si nolit. §. Quia assidua. ff. de ædilit. edicto. leg. & hæres absens. §. Si quis tutelas. ff. de Judic.* Ratio est. Quia ex titulo contractus vel quasi contractus sortitur quis forum. Ex præallegatis Canonibus, ac legibus. Unde in loco contractus conveniri potest, dum tamen ibi reperiatur. *ex Can. Romana. verb. Contrahentes. de Foro competenti.* Et hinc nõ tenet Matrimonij contractus absque Parocho ac Testium præsentiâ in loco, ubi Concilium Tridentinum non est receptum, uti præter alios tradit Amicus *citatus n. 361.* Addens econtra cum Sanche, validum fore Matrimonium clandestinum in loco, ubi Tridentinum non servatur, celebratum à viatore, licèt in hujus Parochiâ præ-

tacti sacri Concilij Decretum sit in vigore. Quòd si tamen sit conventum inter partes solutione alibi præstanda, tunc locus destinatæ solutionis censetur locus quasi cõtractûs, ubi proinde e[illegible] autẽ in loco cõtractûs secundum leges municipales solutio præstanda est. *ex lege. Contraxisse. ff. de oblig. at.* ubi dicitur: *Quod unusquisque eo loco contraxisse intelligatur, in quo, ut solveret, se obligavit.* Qua de causâ Dotem, soluto Matrimonio, non in loco, ubi pacta Dotalia confecta sunt, sed in Domicilio mariti repetendam esse, constat ex *lege. Exigere. ff. de Judicijs.* Parem ob rationem, dum incola alicujus loci contraxit cum advena, quem scit statim discessurum, conveniri debet in loco Domicilij; siquidem ibi ad solutionem intenderit se obligare : cum durum esset, quot locis quis inter faciens delatus est, tot locis se defendere. *ex leg. Absens hæres. 19. §. proinde. de Judicijs.*

CONCLUSIO II.

VAgabundi in omnibus locis, in quibus reperiuntur, sortiuntur Forum atq; adeò tenentur particularibus etiam locorum, ubi transeunter existunt, legibus. Sotus *in 4. dist. 18. q. 4. a. 2. col. 9. vers. Est hic tamen annotandum.* Suarez *to. 1. de relig. lib. 2. cap. 14. n. 20.* Zosymus *in Can. fin. n. 57. de Foro compet.* Sanchez *lib. 3. Matrim. cap. 18. n. 15. &*

15. & in Decalog. lib. 1. cap. 2. n. 23. Salas disp. 14. de Leg. sect. 4. n. 66. Amicus cit. disp. 5. n. 350. in fine Castropalaus cit. pun. 24. §. 4.

18. Probatur. Quia Vagus dicitur, qui, licèt habeat Domicilium Originis, nullum tamen habet certum Domicilium habitationis. Et hinc vagabundus quis censetur, quàmprimum exit à Domicilio Originis animo non redeundi, sed alibi figendi Domicilium; uti præter alios probat Thomas Sanchez lib 3. de Matrim. cap. 25. a n. 1. & Farinacius lib. 1. prax. Crimin. q. 7. n. 15. Ne proinde tale hominum genus dici debeat omninò exemptum à legibus particularibus, debet sortiri forum ex quàvis præsentaneà habitatione.

19. Et hinc puniri possunt à Judice loci, in quo capiuntur, ob delictum etiam alibi commissum. Ex Glossâ in leg. 1. Cod. Ubi de crimine agi oportet. & Farinacio cit. q. 7. n. 13. qui cum alijs à se relatis existimat, etiam instante Judice loci, in quo delictum est commissum, non debere à Judice remitti talem Vagabundum a se captum, dum tales judices sunt sub diversis Principibus, secus esse, sint sub uno principe; Verum contrarium tenent Covarruvias pract. quæst. cap. 11. n. 7. Iulius Clarus lib. 5. recept. sent. in pract. Crim. q. 39. n. 7 & cum ipsis Castropalaus citatus in fine. Ratio est. Quia punitio intenditur in exemplum & reparationem scandali. Hoc autem datum est, ubi delictum fuit commissum. Ergo ibi est puniendum crimen, sive Domicilium acquirat reus, sive non. Et hinc Judici loci, in quo delictum non est commissum, non videtur subjectus reus, nisi in defectum Judicis loci, in quo facinus est perpetratum, ut adeò, illo petente, debeat ad ipsum remitti reus captus, eo vel maximè, quòd in loco delicti facilior sit habenda ratio probationum. ex Novellâ. Ut nulli judicum. ff. Si quis. & leg. 1. de Custodia reorum. Item lege Capitalium. §. penult. ff. de pœnis.

❊❊❊❊❊❊❊❊❊)(❊❊❊❊❊❊❊❊

CONTROVERSIA VIII.

An, & quomodo Clerici legibus Civilibus teneantur?

1. Clericos in ijs, quæ ad spiritualem Ecclesiasticam gubernationem, vel directionem spectant, Jure Divino exemptos esse a potestate sæculari, evincitur ex Cap. Certum. Cap. Imperium. cap. Quoniam dist. 10. & Cap. Si Imperator. dist. 96. Cujus ratio est. Quia Ecclesiastica gubernatio per Christum est immediatè collata Pontifici in omnes fideles, ipsosque adeò Principes. Ergo isti non ut superiores, sed ut subditi se habent quoad regimen Ecclesiasticum. In quem sensum Felix Papa in cit. Cap. Certum. relatus sic decidit. *Certum est, hoc rebus vestris esse salutare, ut, cùm de causis Dei agitur, juxta ipsius constitutionem, regiam voluntatem sacerdotibus Christi studeatis subdere, non præferre, & sacrosancta per eorum Præsules potius discere, quam docere. Ecclesiasticam formam sequi, non huic humanis sequenda jura præfigere, neque ejus sanctionibus velle dominari, cujus clementiæ Deus tuæ pia devotionis colla submittere, ne, dum mensura cœlestis dispositionis exceditur, eatur in contumeliam disponentis.*

Verùm quoad rerum temporalium, Causas tam Civiles, quam Criminales Clericos à laicâ potestate esse exemptos jure duntaxat positivo sacrorum Canonum, consentientibus jure quoque Civili & Principibus Christianis, evincitur tum ex eo, quod in primitiis à Ecclesiæ fuerint subditi Jurisdictioni sæculari, tum quòd ista exemptio in Clericis Primæ tonsuræ sit aliqualiter attemperata in Concilio Trident. sess. 23. cap. 6. Quâ proinde Clericorum exemptione per sacros Canones speciatim in Cap. Quamquam. de Censibus in 6. Cap. Quæ in Ecclesiarum. de Constit. Cap. Noverit. de sent. Excommun. Cap. Ult. de immunit. Eccles. ar. in 6. Cap. Diligenti. Cap Si diligenti de Foro compet. & in Concil. Trident. sess. 25. de Reform. cap. 2. definitâ, certum est, leges a laicâ potestate in Clericos, earumque bona directè ac speciatim latas, utpote immunitati Ecclesiasticæ contrarias & injustas non tenere. 2.

Quare difficultas solummodò superest *de legibus, quæ Clericalem statum non dedecent, suntque communes Clericis & laicis, rectæque gubernationi Civitatis convenientes.*

Referuntur Sententiæ

3. NAvarrus lib. 1. Cons. de Constitut. cons. 3. tenet, Clericos ab istis etiam sæcularium Principum legibus esse exemptos, ita ut lex sæcularis etiam favorabilis & generaliter loquens secundum receptiorem sententiam non includat Clericos, si prohibendo, vel præcipiendo loquatur, uti post alios tradit Decius in Cap. Ecclesia Sanctæ Mariæ n. 27. de Constit. Et hinc statutum prohibens alienare in non subditum, non includere Clericum, tradit Ioannes Andreas in Cap. Fin. de Eccles. Immunit. in 6. esseque communiter receptum, probat Felinus in cit. Cap. Ecclesia [illegible] n. 9.

4. Econtrario a prædictis legibus exemptos, negant Panormitanus in cit. Cap. Ecclesia. n. 13. Felinus ibidem [illegible] vincere licet, citatus pro parte opposita. Covarruvias in pract. quæst. cap. 31. & Canonistæ communiter in præalleg. Can. Ecclesia. Medina 1. 2. q. 96. a. 5. Sotus lib. 1. de just. q. 6. art. [illegible] & in 4. dist. 25. q. 2. art. 2. in fine. Vasquez 1. 2. disp. 164. Bellarminus lib. 1. de Clericis. cap. 28. Suarez lib. 3. de Legibus. cap. 34. n. 6. Salas disp. 14. sect. 8. n. 94. Molina to. 1. de just. tract. 2. disp. 31. concl. 6. & Theologi communiter. Fundamentũ Suarezio [illegible] deductum, licèt nõ simpliciter approbatum, est. Quia lex civilis quamvis per se non obliget Clericos etiam quoad vim Directivam ex defectu scilicet potestatis: Nihilominus, positâ lege Civili, oritur obligatio id servandi, quod illâ lege præscriptum est, ex vi rationis naturalis dictantis, partem non debere discordare à Toto. Probatur istud assumptum. Quia membra reipublicæ ratione naturali obligantur ad ea servanda, quæ ad convenientem ordinem & pacem reipublicæ sunt necessaria. At Clerici sunt membra reipublicæ Civilis, sunt enim Cives, uti late probat Felinus in dicto Cap. Ecclesia. n. 69. ipsi enim indigent etiam communitate Civili, & Politicâ ad hujus vitæ necessaria, atque hunc in finem uniuntur cum laicis in uno corpore politico. Ergo & ipsi tenentur Jure naturæ ad ea, quæ communi [illegible] corporis necessaria sunt. At verò [illegible] publico Bono convenientium observatio etiam in Clericis est neces-

est necessaria ad finem ejusmodi, siquidem uniformitas in omnibus membris ac civibus sit necessaria ad bonam gubernationem, pacem, imò & justitiæ æquitatem. Consequens igitur est, Clericos etiam teneri talibus legibus v. g. taxantibus rerum pretia, irritantibus Testamenta minus solemnia, extra pia tamen legata.

5. Verum ex quâ ratione, & quantâ obligatione personæ Ecclesiasticæ sint subjectæ illis legibus Civilibus, non convenit inter Doctores: Vasque *cit. disp.* 1*7. cap. 4. & Serrâ præf. q. 96. a. 6. dub. un. concl.* 2. arbitrantibus, prætactam Clericorum per leges Civiles obligationem esse ex solâ æquitate naturali, ratione conformitatis cum alijs hominibus, non ex vi & efficacitate legum. Fundamentum est. Quia nullus ex vi & efficacitate legum tenetur legibus ejus, qui in ipsum non habet Jurisdictionem. At potestati civili nulla competit Jurisdictio in personas Ecclesiasticas. *ex Can. Ecclesia sancta Maria. de Constitut. Can. Decernimus. de Iudicijs, Can. Sæculares. de Foro Compet. in. 6.* Et hinc Bonacina *disp. 1. de Legibus. q. 1. punct. 6. n. 33.* censet, Clericos talium legum, utpote *indirectè* solum obligantium transgressores non peccare mortaliter, sed venialiter tantum.

6. Castropalau *præf. disp. 1. punct. 24. § 6. n. 6.* probabilius censet, leges ejusmodi civiles *per se ac directè* obligare Clericos sub culpâ Mortali. Fundamentum est. Cum enim Clerici sint cives & præcipua pars Civilis reipublicæ, debent ejusdem Gubernatori politico esse subjecti. Hic verò non est Pontifex, sed Rex. Ergo huic, ejusque legibus tam statui ipsorum, quam reipublicæ convenientibus sunt subjecti; eò vel maximè, quod de Jure Divino sit subjectio, juxta illud *Roman. 13. Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita est*; junctâ expositione Divi Chrysostomi *hom. 23. ad Roman.* verba illa extendentis etiam ad Clericos. Neque vero constat, personas Ecclesiasticas exemptas esse a Jurisdictione laicorum, nisi quoad vim Coercitivam & punitivam, & quoad vim Directivam in rebus duntaxat spiritualibus, ad eorumque immunitatem spectantibus. ex Castropal. *loc. citato.*

7. Suarez *cit. lib. 3. cap. 34. n. 13.* Amicus *præf. disp. 5. sect. 15. n. 3??.* cum alijs existimant, rationem, propter quam personæ Ecclesiasticæ ad leges Civiles pro omnibus latas Immunitati Ecclesiasticæ non repugnantes obligatæ existunt, esse ex eo, quod leges ejusmodi sint acceptatæ, & approbatæ vel à sacris Canonibus, vel à Prælatis Ecclesiasticis, ita ut, dum talis lex per potestatem civilem est sufficienter promulgata, & à majori parte populi acceptata, censeatur etiam acceptata & approbata à summo Pontifice pro personis Ecclesiasticis quoad vim Directivam duntaxat. ex Decio *in Cap. Ecclesiæ sanctæ Mariæ. de Constit.* Marantâ *disp. 8. n. 17. & 47.* Rebusso *in Comment. ad constit. Gall. t. 10. 1. in Proœmio Glossa 1. n. 62.* Fundamentum desumitur 1. ex *Can. 1. de Novi operis nuntiatione.* Ibi enim deciditur casus ex dispositione legis Civilis non per singularem, seu novam approbationem ac extensionem legis, cùm alioquin non decideretur per eam casus præteritus. Quare in eo sensu supponitur, tales leges approbari à Jure Canonico eo ipso, quod non reprobentur, ac de se utiles sint & convenientes Ecclesiæ, aut Clericis; uti Decius idem ait, efficaciter colligi ex alijs juribus. 2. Ex *Cap. Innotuit. de Arbit.* ubi non solùm causa Canonica secundum leges deciditur, sed etiam prior sententia ab Ecclesiasticis Judicibus non secundum leges lata pronuntiatur nulla. Ergò supponitur, leges Civiles personas Ecclesiasticas etiam in eo casu obligasse. 3. *in Cap. de Capitulis. dist. 10.* Leo Papa IV. scribit ad Imperatorem, se effecturum, ut constitutiones ejus serventur. Et *in Cap. 1. ejusdem dist.* Nicolaus Papa, cum dixisset, legibus Imperatorũ non in omnibus Ecclesiasticis controversijs utendum esse: subjungit sequentia. *Non quod Imperatorum leges, quibus sæpe Ecclesia utitur, dicamus, penitùs renuendas, sed quòd eas Evangelicis, Apostolicis, atque Canonicis Decretis, quibus postponenda sunt, nullum posse inferre præjudicium asserimus.*

CONCLUSIO.

Naturalis æquitatis, & publicæ pacis, ac universalis Clericorum tanquam Civium unum corpus Politicum constituentium conformitatis ratio est quasi fundamentum Clericorum per leges Civiles obligationis: hæc autem *formaliter* est ex vi legis Pontificiæ per Canones, & tacitum Pontificis consensum introducta.

Probatur. Tum quia is, qui relicto Domicilio Originis alibi fixit locum habitationis, non manet subditus Jurisdictioni ac legibus suæ civitatis, & tamen est civis, estque adhuc capax munerum, & honorum, atque adeò onerum etiam personalium illius. Ergo a fortiori, licet Clerici sint cives communitatis politicæ ac sæcularis, non sequitur, esse quoad leges non speciatim pro Clericis, sed generaliter ferendas Jurisdictioni laicali *Directè* subjectos. Tum quia, licet Jus Civitatis & muncipij juncto Habitationis domicilio per se ac de jure communi secundùm ipsam rei quasi naturam fundet subjectionem respectu potestatis sæcularis. Ex quo etiam fit, quòd, dum ex institutione potestatis Pontificiæ, ac hinc ortæ Ecclesiasticæ Hierarchiæ vi Juris Divini non intelligatur facta Clericorum a Jurisdictione laicâ exemptio, nisi quoad regimen Ecclesiasticum; nihilominus potestas papalis, quatenus ad Ecclesiæ Bonum ac Decorem, & animarum salutem spectat, habet sibi subditam ipsammet etiam Imperatoriam legislativam potestatem, uti eleganter dicitur in *præallegato Cap. Certum. dist. 10.* Ac vero vi hujus Pontificiæ Imperatoriam dignitatem ac Regiam voluntatem sibi subjectam tenentis potestatis de facto subsistere Clericorum exemptionem à Constitutionibus Principum & Imperatorum non quoad vim duntaxat Coercitivam, sed etiam Directivam non tantùm in spiritualibus, sed quibuslibet rebus, constat ex universalitate Canonis. *Ecclesia sancta Mariæ. de Constitut.* ubi sic habetur; *Nos attendentes, quod laicis super Ecclesijs & personis Ecclesiasticis nulla sit attributa facultas: quos obsequendi manet necessitas, non imperandi* (ecce vim Directivam absolute positam) *authoritas: à quibus, si quid motu proprio statutum fuerit, quod Ecclesiarum etiam respiciat commodum & favorem, nullius firmitatis existit, nisi ab Ecclesiâ fuerit approbatum.*

9. Tum quia licèt Bonum publicæ pacis, exigendo in omnibus civibus aliquam quoad leges servandas conformitatem, sit quoddam quasi fundamentum, super quo vi æquitatis naturalis omnes unius reipublicæ municipes sint obstricti iisdem legibus. Ista tamen conformitatis ac æquitatis naturalis ratio subjecta adhuc manet altiori Principis præsertim supremi, ipsiusque adeò Papæ omnem Humanam potestatem ex sublimiori Ecclesiastici pro bono animarum regiminis fine sibi subditam tenentis jurisdictioni, vi cujus possit aliquod hominum genus inter ipsos etiam cives ex speciali privilegio esse exemptum non tantum à legibus, sed etiam Jurisdictione potestatis Civilis. At verò tale privilegium respectu Jurisdictionis laicalis simpliciter absque ullâ limitatione quoad vim etiam directivam competere Clericis, constat *ex præallegatis sacrorum Canonum textibus*. Quare omninò dicendum, leges Imperatorias seu Regias nullatenus posse obligare Clericos, nisi quatenus ab Ecclesia fuerint approbatæ: cujusmodi tamen approbationem quoad leges, quæ nihil in particulari disponunt circa res ac personas Ecclesiasticas, sed in communi loquuntur de statuto reipublicæ utili ac necessario, subsistere constat, partim ex tacito consensu Pontificis, vel inde noto, quòd omnibus tam Juristis, quàm Theologis talem in Clericis legum Civilium obligationem agnoscentibus non contradicat; partim ex præadductis sacris Canonibus supra *n. 4.* deductis.

10. Unde infertur 1. Non teneri Ecclesiasticum subire pœnam lege Civili taxatam, nisi vel teneatur ex lege Justitiæ, quatenus v. g. triticum ultra pretium taxatum vendendo, dignoscitur injustè detinere pretij excessum; vel per Judicis Ecclesiastici sententiam condemnetur ad pœnæ ejusmodi solutionem. Neque verò Ecclesiasticum Clerico legis Civilis transgressori teneri imponere pœnam à Civili lege taxatam, sed posse aliam pro suo arbitrio imponere, ut vel hâc ratione ostendat, Clericos à laicali præsertim Coercitivâ Jurisdictione ac foro exemptos esse. *ex Can. At si Clerici. Can. Clerici. Can. Qualiter. de Judicijs. & Can. Seculares. de Foro competente.* Et hinc si legem civitatis, *ne quis in civitate noctu arma ferat*, Clericus transgrediatur, non posse Judicem sæcularem ab ipso tollere arma, neque si vectigalia pro reparatione viarum non solvat, posse pro recompensatione Damni per Judicem laicũ ab ipso repeti pecunias, sed esse coram Judice Ecclesiastico conveniendum, cum alijs à se relatis probat Castropalaus *citatus n. 9.*

COROLLARIUM.

Qualiter Religiosi Exempti teneantur se accommodare statutis Synodalibus?

VAsquez *1. 2. q. 167. cap. 4. n. 4.* arbitratur, religiosos etiam exemptos teneri legibus synodalibus Episcoporum, ratione scilicet conformitatis cum tota Diœcesi seu civitate, non autem ratione obedientiæ. Econtra Suarez *l. 4. de Legib. cap. 20. n. 10.* Salas *tract. 14. de legib. d. 14. sect. 4. n. 43.* Amicus *cit. disp. 5. n. 343.* & plures alij negant, religiosos exemptos in conscientiâ obligari ad leges synodales Episcoporum servandas, nisi ex quâdam decentiâ, vel ratione scandali, exceptis solummodo ijs legibus de censuris, & festis de quibus Concil. Trident. *sess. 25. cap. 20. de Regularibus.* statuit in hæc verba. *Censura & interdicta, nedum à Sede Apostolicâ emanata, sed etiam ab Ordinarijs promulgata, mandante Episcopo, a regularibus in eorum Ecclesijs publicentur, atque serventur dies etiam festi, quos in Diœcesi suâ servandos idem Episcopus præceperit, ab exemptis omnibus etiam regularibus serventur.*

11. Infertur 1. Religiosos omnes esse de Jure communi exemptos à lege Diœcesanâ, non autem à lege Jurisdictionis. Ex *Capit. 1. causâ 11. q. 1. & Cap. inter alia. 10. q. 3.* Explicatur. Nam lex Diœcesana licet *largè* sumatur pro toto Jure Episcopali. *ex cap. Auditur. de Præscript.* attamen *strictè* sumitur pro Jure Episcopi, quod habet ad Cathedraticum, Quartam, Decimationem, Mortuaria &c. de quibus *in cap. Consequente. de Offic. Ordin.* Ut sic proinde distinguitur à lege Jurisdictionis importante jus Episcopi ad gubernandam suam Diœcesin ac subditos suos, inter quos indubitatum est, comprehendi etiam religiosos non exemptos.

12. Infertur 2. Per se loquendo, ac secluso scandalo, religiosos exemptos etiam ratione conformitatis, non teneri in conscientiâ ad statuta synodalia, seu Episcopalia, nisi in casibus à Concilio Trident. *ubi supra* expressis. Ratio per Amicum *præcitatum* deducta est. Quia, cùm status religionis sit longe diversus à statu sæcularium propter modum vivendi quasi separatum, non potest lex naturalis religiosos obligare ad conformandum se legibus sæcularium, cum altiori modo ac jure ex vi suarum regularum ad Bonum reipublicæ Christianæ conservandum, promovendumque ipsi dirigantur: quibus sanè perdifficile foret, si præter jejunia proprij instituti obligati essent ad jejunia synodalia Diœcesis. Plura de his videri possunt apud Suarezium *cit. cap. 20.* Nos enim, quid, & quantum operetur Jus exemptionis, ex Instituto tractabimus *in to. de Jure & Justitiâ.*

QUÆ-

QUÆSTIO DECIMA SEPTIMA DE CESSATIONE AC DISPENSATIONE LEGUM HUMANARUM.

LEgis cessatio fieri potest vel universaliter, vel pro casu duntaxat particulari. Priori autem modo accidit tum per cessationem causæ finalis, tum per legis abrogationem; posteriori autem modo fieri potest partim per Epikeiam, seu interpretationem, partim per dispensationem. De quibus proinde legis obligationem tollendi modis disseremus per duos articulos.

ARTICULUS I.

DE *Cessatione legis per desitionem causæ finalis, abrogationem; & Epikeiam seu interpretationem.*

TRibus præsens articulus expedietur Controversijs. Quarum prima erit. *Qualiter ex cessatione finis cesset obligatio legis?* Secunda. *Qualiter cesset lex per abrogationem?* Tertia. *Qualiter Epikeia excusare à legis obligatione possit?*

CONTROVERSIA I.

Qualiter ex cessatione finis cesset obligatio legis?

1. COmmune Juristarum axioma est, quòd cessante fine, cesset dispositio legis. Quia tamen finis legis alius est extrinsecus, sive distinctus à materiâ præceptâ; alius intrinsecus, qui in rei præceptæ ratione importatur. Insuper quia finis cessare potest vel *negativè*, dum ratio legis ulteriùs non militat, vel *positivè* seu *contrariè*, dum materia legis ex aliquâ superveniente circumstantiâ redditur illicita. Quia denique finis per cessationem etiam negativam potest desinere vel *adæquatè*, vel tantum *inadæquatè*.

Idcirco juxta has distinctiones oritur hîc difficultas. *Qualiter cessante fine legis, non tantum in universali, sed etiam in particulari casu cesset hujus obligatio?*

Referuntur Sententiæ.

COmmunis Theologorum & Juristarum, speciatim Thomistarum in Angelici sui Doctoris 1. 2. *quæst.* 96. *a.* 6. Cajetani 2. 2. *q.* 47. *a.* 5. Victoriæ *relect. de potest. civ. n.* 22. Suarezij *lib.* 6. *de legib. cap.* 9. *n.* 10. Amici *præs. disp.* 7. *n.* 28. Azoris *to.* 1. *lib.* 5. *cap.* 16. *q.* 15. Castropalai *præs. disp.* 5. *punct.* 1. *n.* 4. Panormitani *in Cap. Quia plerique. de immunit. Ecclesiast.* Covarruviæ *in* 4. *decret. parte.* 2. *§.* 1. *n.* 9. & in *Cap. Esse. n.* 9. *de testam.* sententia affirmat, cessante ratione finis adæquatâ, generaliter respectu totius Comunitatis, cessare legis obligationem. Fundamentum est. Quia lex in tantum obligare potest, in quantum materia ipsius judicatur à legislatore expediens bono Communi. At cessante causâ, propter quam legis materia judicata fuit expediens bono publico, cessat tale Legislatoris judicium. Ergo & lex: sicuti etiam voti (v.g. de non ingrediendo domum ob periculum puellæ ibi commorantis) obligatio cessat, si cesset illius causa, puellæ scilicet periculum. 2.

Sotus *lib.* 1. *de just. q.* 6. *a.* 8. limitat illam doctrinam, ita ut procedat interveniente declaratione Principis, vel consuetudine in contrarium, non verò ante illam. 3.

Fundamentum ab isto authore *lib.* 4. *de just. q.* 4. *art.* 5. *ad* 1. insinuatum, est. Nam licèt fine legis simpliciter cessante, incumbat Principi illam mutare, subditis tamen non licet contra illam facere, quamdiu non repugnat juri naturali.

Verùm illam limitationem reijciunt Suarez *citatus n.* 6. & Castropalaus *ubi supra n.* 6. Fundamentũ desumitur ex *Cap. Cùm cessante. de Appellat.* ubi prævia per Principem faciendæ declarationis mentione factâ, absolutè dicitur, quòd cessante 4.

cessante causâ, cesset effectus, atque adeò legis obligatio.

Cajetanus *to. 1. Opusc. tract. 12. de Matrim. cap. 17. quæst. 2.* Abbas *in Cap. Quoniam. n. 6. de probat.* Diana *tract. de Legib. resol. 28.* & alij affirmant; legis obligationem cessare, causâ finali cessante, in casu etiam particulari, versante circa personam singularem.

Fundamentum est. Ita enim se habet lex in universali ad causam generalem respectu omnium, sicut lex in particulari se habet ad causam specialem respectu personæ singularis. At quando causa legis cessat universaliter respectu omniũ, cessat obligatio legis respectu omniũ. Ergo quando cessat causa legis in particulari, cessat obligatio legis respectu talis personæ particularis. Et hinc, quando in particulari cessat spes utilitatis correctionis, cujusmodi utilitas est finis correctionis fraternæ, hoc ipso cessat obligatio præcepti de correctione fraternâ.

5. E contrario Salas *disp. 11. de legibus sec. 3. n. 31.* Sanchez *lib. 3. in Decal. disp. 3. n. 39.* Amicus *cit. disp. 7. n. 30.* & Castropalaus *supra n. 10.* negant; ob præcisam negativam causæ finalis cessationem, in aliquo speciali casu, circa aliquam, vel aliquas particulares personas cessare obligationem legis, si causa finalis in universali perseveret.

Fundamentum à Castropalao deductum est. Tum quia lex & generale præceptum non respicit casus speciales, sed ea, quæ communiter contingunt, *Leg. Ea quæ rarò. ff. de Leg. juris.* Non enim lex de armis noctu nõ ferendis est ob vitandam hujus, vel illius rixam, sed ob vitandas rixas communiter contingentes. Ergo dum communiter contingere possunt, quilibet est censendus obligatus, utpote comprehensus sub fine legis. Tum quia ex oppositâ sententiâ daretur occasio violandi leges etiam naturales, dum in fornicatione ob malam prolis educationem prohibitâ quis posset apponere media malæ prolis educationis certò impeditiva, possetque adeò tunc dicere, cessante fine legis, cessare & obligationem legis de non fornicando.

CONCLUSIO I.

Legis causâ finali adæquatâ & intrinsecâ universaliter cessante, certum est, cessare legis obligationem.

6. Probatur & explicatur. Nam duplex potest esse materia præcepti. Alia est de se indifferens, & non nisi ex habitudine seu relatione ad extrinsecum à Legislatore intentum finem induens rationem honestatis ac virtutis, cujusmodi in præcepto de armis noctu non ferendis est periculum jurgiorum. Quòd si proinde in tali casu finis legis extrinsecus *adæquatè* cesset, consequenter cessabit etiam legis obligatio, juxta *Cap. Statuimus. verb. Causa. 61. dist.* Et *cap. Quod pro remedio. 1. q. 7. Cap. post translationem. de renunciat. & cap. cum cessante. de appellat.*

7. Unde lex primitivæ Ecclesiæ præcipiens abstinere ab immolatis, sanguine, & suffocatis, cessante jam causâ finali, teste Divo Thomâ *1. 2. q. 103. a. 4. ad 3.* omnino cessavit; quia legis ejusmodi causa erat, ut faciliùs Judæi à similibus maximè abhorrentes, cum Gentibus fide & moribus jungerentur. Hæc autem ratio cessavit procedente tempore, dum interim fuit manifestata quoque Evangelicæ doctrinæ veritas, quâ Dominus *Math. 15.* dicit, *Nihil quod per os intrat, coinquinare hominem.* Et Apostolus *1. ad Timoth. 4. Nihil esse rejiciendum, quod cum gratiarum*
actione percipitur. Alia proinde legis materia v. 8.
g. Jejunij ex se ipsâ rationem habet virtutis: In cujusmodi adeo lege intervenire potest finis tum intrinsecus à re præceptâ sive istius honestate indistinctus, tum extrinsecus, cujusmodi respectu jejunij potest esse pœnitentia. Quare in tali casu licèt finis extrinsecus omnimodè cesset, dum tamen intrinsecus perseverat, legis obligatio non cessat, eo ipso, quod materiæ præceptæ honestas adhuc subsistat. Et hinc lex jejunij ob finem pœnitentiæ lata teneret etiam illum, qui nullo peccati reatu obstrictus esset. Cujus ratio est. Quòd ipsa præcepti materia qua virtuosa sit de se conducens ad bonum commune, sitque ex se ipsâ capax obligationis legis. Ergo censetur intentio legislatoris super ipsam ferri, eique necessitatem moralem imponere, etiamsi ratio, ex quâ movebatur *inadæquatè* quoad finem extrinsecum, sit sublata. Quòd si verò in-
trinsecus legis finis cesset vel *contrariè*, vel eti- 9.
am *purè negativè*, tunc distinguendum est. Nam hujusmodi causa finalis intrinseca potest *adæquatè* respectu totius communitatis cessare vel *absolutè*, vel *pro determinato aliquo casu.* At in priori casu eatenus cessat legis obligatio, ut tamen Suarez *cit. cap. 9. n. 12.* requirat, causam illius cessationis esse cognitam tali communitati, vel majori saltem parti, eò quod singuli excusari non possint à legis obligatione, priusquam tota communitas, pro quâ *primario, & consequenter* pro singulis lex est lata, excusetur; nequeat autem communitas dici excusata, dum illius causæ
notitia non est publica. Econtra autem Castro- 10.
palaus *cit. n. 8.* negat, illam publicam communitati factam causæ a lege excusantis notitiam esse necessariam, quin potius posse ante adversus legem procedere, secluso scandalo, ij, quibus constat, finem à legislatore latum integrè cessasse, eò quòd à puncto cessationis causæ inceperit communitas esse deobligata, sitque per accidens, quòd istam causam à legis obligatione excusan-
tem non habeat perspectam. Verùm in casu 11.
posteriori, dum intrinsecus finis legis non *absolutè*, sed *pro casu duntaxat determinato* cessat, non desinit lex, sed hujus obligatio duntaxat suspenditur pro tempore, pro quo materia præcepta judicatur inutilis. ex Suare *cit. cap. 9. n. 18.* ubi superaddit, casu, quo lex aliqua contineat plura divisibilia membra, & respectu unius partis facta sit inutilis, respectu verò alterius partis maneret proficua, cessare quidem ex illâ parte, secundum quam est nociva vel inutilis: attamen respectu aliarum partium adhuc tenere ejus obligationem.

CONCLUSIO II.

SI legis ratio cesset *contrariè* seu *positivè*, 12.
certum est, in casu etiam particulari respectu personæ singularis cessare legem; si verò finis legis solùm *negativè* cesset pro aliquâ particulari duntaxat personâ,

ſonâ, probabilius eſt, non ceſſare legis obligationem.

Prior pars probatur. Quia legis ratio ceſſat *poſitivè*, ſive objectum legis mutatur *contrariè*; quando id propter mutationem materiæ, vel rerum ſeu circumſtantiarum ſit iniquum, vel impoſſibile, aut ſaltem ita difficile & arduum, ut moraliter judicetur impoſſibile reſpectu totius comunitatis; vel denique ſi fiat inutile & vanum reſpectu Boni communis. At eo ipſo, quòd lex, ſi ſit de re iniquâ, vel impoſſibili, vel ad bonum commune non conducibili ſit injuſta, ſeu nulla, ſequitur, objecto legis præfatis modis *con-*
trarie mutato, ceſſare legis obligationem. Et
13. hinc ubi redditio depoſiti prævidetur ceſſura in damnum alicujus innocentis, non tantum non deberet, ſed neque poſſet reſtitui; ſicuti lex quoque de portis civitatis noctu non aperiendis, ſervari non poſſet, ſi ceſſura eſſet in perniciem quorundam civium, quos hoſtes perſequuntur.

14. Poſterior pars probatur. Cùm enim lex ſit pro bono publico vel promovendo, vel conſervando; præſumi debet Legislatorem velle per ipſam obligare, quamdiu poteſt eſſe medium conducibile ad Bonum commune. Atqui boni publici intereſt, ut ſi ratio legis pro caſu duntaxat particulari in unâ ſingulari perſonâ ceſſat, iſta non ſe ſubtrahat legis obſervationi; tum ut inter cives major exinde ſit legis veneratio & obedientia promptior, tum ne quilibet facile arripiat occaſionem non ſervandi legem ſub prætextu, quod ejus cauſa ceſſet reſpectu ſui pro iſto particulari caſu, tum denique quia ipſa legis materia, utpote virtutis alicujus objectum, ex ſe conducibilis eſt ad Bonum publicum, cujus vel maximè intereſt, ut cives exerceantur
15. in virtutum actibus. Quas proinde ob cauſas non ſubſiſtit fundamentum *n. 4.* deductum, ſiquidem lex reſpectu perſonæ etiam ſingularis quoad ſuam obligationem non ſit metienda ex utilitate privatâ, ſed ex bono publico. Hoc autem reſpectu omnium adhuc tenet, deficiente licèt ratione legis in ordine ad unam, vel
16. alteram perſonam. Et hinc verum quidem eſt, non obligare præceptum correctionis fraternæ, ubi nulla ex correptione ſperatur utilitas; hoc tamen non eſt ex eo, quòd legis de correctione fraternâ obligatio tunc ceſſet propter ceſſationem finis, ſed quòd præceptum ejuſmodi, utpote affirmativum non pro ſemper obligans, non ſit coarctatum ad tempus, in quo nullus ſperatur adhortationis fructus, ſicuti præceptum etiam eleemoſynæ, dum pauper prævidetur eleemoſynâ male uſurus, non eſt obligatorium, non quidem propter ceſſationem cauſæ finalis, ſed per naturam ſuam non coarctatam ad iſtud tempus, veluti ex Ledeſmâ obſervat Suarez *cit. cap. 9. n. 15.*

❊❊❊❊❊❊❊❊❊❊❊(❊)❊❊❊❊❊❊❊❊❊❊

CONTROVERSIA II.

Qualiter ceſſet Lex per Abrogationem?

1. INdubitatum eſt, quin Lex etiam Iuſta, utpote ex voluntate legislatoris dependens, validè abrogari poſſit, tum ab illo, qui eam tulit, tum ab hujus ſucceſſore, utpote eandem habente poteſtatem cum Legislatore. ex Divo Tho. *q. 97. a. 1.* Item *leg. 1. ac. 2. ff. de Conſtit. principum*, nec non *Cap. Alma mater. de ſent. Excom. in 6.* Nihilominus ut iſta abrogatio abſq; notâ abuſûs poteſtatis & juriſdictionis, vi cujus eſt obligatio curandi publicam utilitatē, licitè fiat, neceſſaria eſt cauſa rationabilis, reſpiciens bonum commune. *ex cit. leg. 1. ff. de Conſtit. princ. & Can. Non debet. de*
conſanguinitate & affinitate. Quibus adeò tanquam 2.
certis ſuppoſitis, quatuor hîc veniunt decidenda. Primum. *Qualis requiratur publicatio abrogationis, ut cenſeatur Lex abrogata?* Secundum. *Qualiter lex poſterior abroget priorem?* Tertium. *Utrum inferior poſſit ſaltem indirectè abrogare legem ſuperioris, condendo pro ſuo territorio legem huic contrariam?* Quartum. *An Epiſcopus poſſit abrogare leges factas in Synodo Diœceſanâ?*

Referuntur ſententiæ oppoſitæ.

CIrca primum Vaſquez *1. 2. diſp. 156. cap. 4.* 3.
n. 25. tenet, revocationem legis prioris æquè requirere promulgationem, ac ipſam legem. Fundamentum eſt. Cum enim lex prior habeat rationem mandati, non poteſt revocari niſi alio præcepto, aut voluntate ſuperioris inſinuatâ, quia quouſque voluntas revocatoria inſinuetur, exterior promulgatio legis vim habet præcepti & regulæ apud homines, voluntas autem & præceptum nondum inſinuatum non poteſt habere rationem regulæ apud homines.

Circa ſecundum Azor *1. parte. lib. 5. cap. 16.* 4.
q. 6. Caſtropalaus *præs. diſp. 5. punc. 2. §. 1. n. 8.* tenet, legem poſteriorem non poſſe abrogatoriam eſſe prioris juramento firmatæ, niſi hujus fiat mentio. Fundamentum eſt. Quia non eſt præſumendum, Principem habuiſſe memoriam legis prioris juramento firmatæ. Ergo lex revocatoria prioris legis, procedit tunc ex ignorantiâ. Ergo non habet effectum.

Circa tertium difficultas paritur ex ijs, quæ 5.
refert Azor *lib. 5. Inſtit. cap. 25. q. 11. & 14.* de ſtatutis municipalibus juri Communi quandoque contrarijs. Hæc enim non obſtante illâ contrarietate ſunt valida. Et hinc Jaſon *in l. Omnes populi. ff. de juſt. & jure.* Abbas *Can. fin. n. 9. de Conſuetudine.* Felinus *Can. Quod ſuper his. 9. n. 2. de majorit. & obedientiâ.* concludunt: Poteſtatem in inferiore per ſtatutum pro ſuo territorio latum derogandi legem ſuperioris, ſubſiſtere quoad forum juris civilis, non autem quoad forum juris canonici. *ex Cap. Inſtitutionis. Cap. Eccleſiaſticæ. & alijs. 25. q. 2.* Et *Clement. Ne Romani. de*
elect. Verùm Caſtropalaus *cit. punc. 2. §. 2. n.* 6.
5. hoc reprobat reſpectu legum etiam civilium; ſiquidem inferior, ſi haberet poteſtatem derogandi legem ſuperioris, jam non eſſet inferior, ſed potius ſuperior.

Circa quartum Vega *1. tom. ſum. cap. 88. caſ.* 7.
2. in fine & alij negant, Epiſcopum abrogare poſſe conſtitutiones factas in ſynodo Diœceſanâ, niſi hæc conſentiat. Fundamentum eſt. Cùm enim omnes Clerici ibi congregati habeant Votum deciſivum, ex Imola *Cap. Grave n. 22 de Præbend.* conſequenter ſtatuta ſic facta vim habent à totâ ſynodo. Ergo ſine hujus conſenſu abrogari non poſſunt, eò vel maximè, quòd ipſe e-

ff. de accept. Et leg. fin. Cod. de indictâ viduitate. Hinc enim Canon De illis. de sponsalibus disponens, quòd, si sponsus sine licentiâ sponsæ sit absens, dissolvantur sponsalia, procedit etiam de casu, quo sponsa abesset absque sponsi licentiâ. ex Sanche lib. 9. de Matrim. disp. 14. n. 16. Hinc etiam statutum determinans, ut maritus succedat in bonis uxoris, debere extendi, ut uxor succedat in bonis mariti, tradit Salas cit. disp. 21. sect. 5. n. 12. vers. tertia regula. cum Baldo in Leg. liberorum. ff. de his, qui not. infam.

18. 4. Extensio legis etiam locum habet in æquiparatis, ita ut dispositum in uno, censeatur dispositum etiam in alio, in quantum sunt æquiparata. ex Glossâ & Bartolo in Leg. Quod verò. ff. de legib. & leg. Si quis servo. Cod. de furtis.

Et hinc, quia Falcidia & Trebellianica æquiparantur in jure. ex Leg. Marcellus. §. quod autem. ff. ad Trebellianum, fit, quòd dispositum in Falcidiâ sit etiam dispositum in Trebellianicâ. Insuper quia postulatio, provisio, præsentatio & electio in jure parificantur, dispositum in uno, censetur ob connexionem dispositum in alijs. ex Glossa in Cap. Si postquam. verb. Provisio. de Elect. in 6.

19. 5. Extensio legis procedit in connexis inter se, seu contentis. Et hinc constitutio de Vicario Episcopi extenditur ad Vicarium Capituli, sede vacante. Item statutum ordinans de gradibus consanguinitatis, procedit de publicâ honestate & affinitate. Deniq; dispositio excludens filiam à successione excludit nepté, quæ sub filiæ nomine late sumpto comprehenditur. ex Lege. Secundum liberorum. ff. de verb. signif. Castropalao cit. punc. 3. §. 4. n. 11. & alijs ab eo relatis.

20. 6. Judex in judicando ob similitudinem rationis eatenus extendere potest legem, ut, cùm pro aliquo casu decidendo non est certa lex, à similis casûs decisione peti debeat ejus decisio. ex Leg. Nam. ff. de Legibus. Glossa ibi. & Felino in Cap. Translato à n. 10. de Constit.

CONCLUSIO IV.

21. Lex per se ac *formaliter* non extenditur ad præterita, sed per accidens quandoque, ac *materialiter* duntaxat. ex Can. 2. & ult. de Constit. Item ex Authent. Ut factæ novæ constitutiones.

Explicatur & probatur. Nam *primò* lex *Formaliter* spectatur ut præceptiva. At non potest præcipi id, quod jam est factum, sed quod est faciendum. Et hinc in Leg. Leges. Cod. de legib. dicitur, *Leges & constitutiones futuris dare formam negotiis, non ad facta præterita revocari, nisi nominatim, & de præterito tempore & adhuc pendentibus negotiis cautum sit.* Et hinc

22. *secundò* lex actum prohibens, non extenditur ad actum inchoatum ante illam legem, si ille actus perfectus sit. Secus verò, si sit imperfectus, uti probat Castropalaus cit. punc. 3. §. 5. ex Glossâ in Cap. 2. verb. commiserint. de Constit. in 6. Et Cap. Un. de Clericis non resident. Un-

23. de fit 3. Si lex statuat testamentis certam solennitatem, sub ipsâ non comprehendi testamenta jam priùs facta, licèt post illam succedat mors testatoris. Farinacius 2. part. frag. verbo. Lex. n. 30. Mascardus de Interpret. statut. conf. 13. n. 11. ac sequentibus. Castropalaus cit. punc. 3. §. 5. n. 8. addens tamen, hoc non procedere, si testamentum nondum sit subscriptum, vel à Notario signatum, siquidem istud tanquàm imperfectum accipiat suum complementum substantiale post legem promulgatam, atque adeò tanquam futurum sub istâ comprehendatur. 4. Similis est ratio de contractibus, ita ut lex præstituens ipsis 24.
formam, si hos inveniat jam perfectos, executioni licèt necdum demandatos, illos non comprehendat, bene tamen inchoatos, & ante legis constitutionem nondum perfectos in suo esse. ex Leg. Contractus. Cod. de fide instrum. Farinacio cit. n. 33. & alijs. Pari ex causâ 5. statutum pœnam imponens delicto, non extenditur ad delictum 25.
commissum ante legem promulgatam, si hæc ipso jure & facto inferat pœnam, eò quòd ista tunc contrahatur ex tempore commissi delicti, quod utpote antecedens legem non potest sub istâ comprehendi. ex Felino in Cap. Quoniam. n. 14. vers. Secundò intellige. de Constit. Nihilominus 6. 26.
si pœna non ipso facto incurratur, sed infligenda sit per sententiam Judicis, potest lex pœnalis extendi ad delicta etiam ante legem latam commissa, eò quòd in pœnæ impositione attendatur regulariter ad tempus sententiæ. ex Leg. Penult. ff. Si ex noxali causâ agatur. & Bartolo in l. Omnes populi. n. 5. ff. de just. & jure. Quòd si 7. sta- 27.
tutum concedat remissionem pœnæ delinquentibus infligendæ, non ad futuros delinquentes, ne ipsis detur occasio peccandi, sed ad præteritos duntaxat extenditur. ex Leg. Cùm lex. ff. de Legib. Farinac. 2. par. frag. verbo. Lex. n. 38. Suare lib. 6. cap. 4. in fine. In quo tamen casu id, quod per se cadit sub legem, est quid futurum, scilicet remissio reatûs contracti. 8. Etiamsi lex nomi- 28.
natim disponat de præteritis, non trahitur tamen ad casus jam decisos. ex Leg. Causas. Cod. de Transact. Felino in Cap. fin. n. 3. vers. Hanc Fallentiam. de Constit. Imò probabiliter nec ad pendentia in judicio, nisi de hoc specialis fiat mentio, uti cum Baldo & Bartolo probat Castropalaus cit. n. 18. apud quem, & Doctores ab ipso relatos plura videri possunt.

CONCLUSIO V.

Interpretatio legis per Epikeiam licita est non solùm in casu, quo res præcepta ob speciales circumstantias redditur 29.
iniqua, sed etiam in casu, quo ejus observantia est valde difficilis propter grave damnum emergens. ex Suare. lib. 6. de legib. cap. 7. n. 9. ac seq. Castropalao cit. punc. 3. §. 2. n. 5.

Probatur. Quia Epikeia secundùm Divum Thomam 2. 2. q. 120. a. 1. & 2. idem sonat ac æquitas. Unde Epikeia locum habet, quoties prudentia secundùm quandam æquitatis rationem suadet legis observantiam hîc & nunc non esse tenendam. Hoc autem triplici modo accidere potest.

Primò. Si legis observantia ex concurrentiâ 30.
altioris præsertim Divini & naturalis præcepti foret iniqua. *Secundò.* Si ob speciales occurrentes circumstantias reddatur tam ardua, ut justa sit legis non observandæ ratio & excusatio. Sic enim homo, qui per se obligatur ad confessionem integram peccatorum, excusatur ab alicujus peccati confessione, quando illud aperire non

poteſt ſine gravi periculo infamiæ. Sic damnatus ad juſtam mortem famis, non tenetur abſtinere à cibo, ſi copiam illius habeat, quamvis licitè poſſit abſtinere. Sic jejunia Eccleſiaſtica interpretamur, non obligare illum, qui ægritudine laborat. Neque præceptum audiendi Miſſam cenſemus arctare, quando grave damnum honoris, vitæ, aut rei familiaris inde ſumitur. Et quia lucrum ceſſans juſtum & grave damno moraliter æquiparatur. *ex leg. Un in fin. Cod. de Sententijs, quæ pro eo, quod intereſt, proferuntur.* Idcirco grave damnum in rebus non ſolùm acquiſitis, ſed etiam acquirendis excuſare poteſt à legis obſervantiâ; veluti cum Suare *citato* tradit Caſtropalaus *ubi ſupra*, exemplificans in lege de obſervando feſto, utpote à cujus obſervatione ceſſare liceat, ſi ex ejus obſervatione foret amittenda occaſio magni lucri.

31. *Tertiò* denique prudentia per quandam æquitatis rationem, ſive Epikeiam excuſat à legis obſervatione, quoties ex conjecturis prudenter concludi poteſt, legislatoris intentionem non extendi ad talem caſum. Pro cujuſmodi indicio formando inſervire poſſunt regulæ *ſupra concl. 3.* traditæ.

ARTICULUS II.

De

Diſpenſatione legis Humanæ.

1. Diſpenſatio, quam Divus Auguſtinus *in Cap. Si qui. 1. q. 7.* vulnus contra integritatem ſeveritatis appellat, à Gloſsâ *in Cap. Requiſitis. §. Niſi rigor. eâdem q. 7.* definitur relaxatio juris communis cum cauſæ cognitione facta ab eo, qui poteſtatem habet relaxandi. Quæ equidem definitio ſuſtineri poteſt reſpectu diſpenſationis non tantùm validè citra cauſam quandoque, ſed licitè non niſi ex causâ faciendæ, ſi tamen ſub nomine juris cōmunis ſubintelligatur jus etiam municipale, ac Synodale, quod non *abſolutè*, ſed *reſpectivè* in ordine ad determinatum Territorium ſeu Diœceſin aliquam dici poteſt commune.

2. Cæterùm jus naturale eſſe indiſpenſabile *ſupra q. 15. a. 1. conl. 3.* probavimus. De jure autem divino poſitivo, an, & qualiter poteſtate pontificiâ à Chriſto acceptâ deſpenſari poſſit, diſſeruimus *cit. q. 15. a. 3. conl. 6.* Quare supereſt duntaxat indagare de diſpenſatione juris humani. Neque verò dubium eſt, quin legislatori, & conſequenter ſucceſſori, (utpote qui cum illo reputetur una perſona) ac Superiori competat facultas diſpenſandi in legibus ab illo latis, utpote ab ejus voluntate dependentibus. Et hinc
3. certum eſt *primò*, Pontificem poſſe diſpenſare in legibus etiam Concilij Generalis, nec non Canonibus Apoſtolorum, v. g. in lege jejunij Quadrageſimæ, obſervationis diei Dominicæ, ac in Bigamo non ordinando: ſiquidem Papa ceu Petri ſucceſſor in juriſdictione non ſit Apoſtolis inferior. Veluti de his conſtat ex dictis *præſ. q. 17. art. 1. conl. 1.*

4. *Secundò* certum etiam eſt, Epiſcopum poſſe diſpenſare non tantùm in legibus à ſe ſolo, ſed etiam à Synodo Diœceſanâ latis, niſi vel tranſierent in contractum, vel confirmatæ fuerint à ſuperiore, vel juramento roboratæ, veluti de his *præced. art. conl. 2.* diximus, quamvis Sanchez *lib. 8. de Matrim. diſp. 17. n. 31.* Caſtropalaus *diſp. 6. de legib. punc. 4. n. 4.* & alij hanc ultimam limitationem reijciant, eò quòd juramentum ſemper habeat ſubintellectam conditionem æquitatis, niſi ſcilicet juſta diſpenſandi cauſa intervenerit.

Quibus adeò tanquàm certioribus ſuppoſitis, ſequentes ſuperſunt decidendæ controverſiæ. 5. Prima. *An inferior Prælatus ex officio ſuo in legibus ſuperioris poſſit eo ipſo diſpenſare, quòd iſta diſpenſatio non ſit reſervata?* Secunda. *Circa quos fieri poſſit diſpenſatio?* Tertia. *Qualiter requiratur cauſa ad diſpenſandum?* Quarta. *Quæ forma ſervanda ſit in diſpenſando pro foro externo?* Quinta. *Quæ conditiones ſint ſervandæ in diſpenſationibus pro foro interno?*

CONTROVERSIA I.

An Prælatus inferior ex officio ſuo poſſit in Legibus ſuperioris diſpenſare, ſi talis diſpenſatio non ſit reſervata?

Prima ſentētia affirmat, Prælatū inferiorē poſſe in legibus ſuperioris diſpenſare, 1.
quoties iſta diſpenſatio non eſt reſervata, ſeu interdicta. ex Gloſsâ *in Cap. Di quibuſdam. verb. Diſpenſatum. de Cler. excom.* Archidiacono *in Cap. Licet Canon. de elect. in 6.* Abbas *in Cap. Et ſi Clerici. § de Adulterijs. de Judicijs.* Sotus *in 4. diſt. 27. q. 1. a. 4. §. At quò tandem.* & quàmplures alij relati a Barbosâ *par. 2. de offic. & poteſt Epiſc. 33. n. 27.*

Fundamentum eſt. Quia in his, quæ ſunt de genere permiſſorum, poteſt Epiſcopus ex rei naturâ intra propriam Diœceſin ea omnia, quæ ſummus Pontifex poteſt in Eccleſiâ univerſali ſuper totum orbem Chriſtianum, niſi per ſacros Canones, aut per ſummum Pontificem prohibeatur, veluti evinci videtur *ex Cap. Nuper. 29. junctâ Gloſsâ verb. Non retinuit. de ſententiâ excommun.* Quando igitur juriſdictio Epiſcopi non limitatur, extendere ſe poteſt ad omnes caſus etiam Papales.

Secunda ſententia negat, poſſe Epiſcopum in lege Canonicâ, aliumve inferiorem Prælatum 2.
in lege ſuperioris diſpenſare, niſi *expreſſè*, vel *tacitè* ſit ipſi conceſſa talis poteſtas. ex Gloſsâ *in Cap. Cupientes. verb. Suſpenſos. de Elect. in 6. in Cap. Cum ſinguli. §. fin. verb. Canonici. de Præbend. in 6.* Cardinali *in Cap. Cum dilecti. in princ. de temp. ordinat.* Suarezio *cit. lib. 6. cap. 14. n. 4.* Sanche *lib. 8. de Matrim. diſp. 5. n. 9.* Caſtropalao *cit. punc. 4. n. 8.* Rebuffo *in praxi lib. de diſpenſ. n. 27.* Mandosâ *Reg. 13. Cancellariæ. q. 6. n. 6.* Barbosâ *ſupra n. 18.* ubi pluribus alijs relatis, dicit, hanc hodie magis eſſe communem & receptam ſententiam, licèt olim contraria magis fuerit communis. Fundamentum deſumitur ex ſacris Canonibus, ſpeciatim *ex Canone. Cùm inferior. de maiorit. & obedientiâ.* & Clementinâ. *Ne Romani. de Elect.* Ubi habetur, inferiores non poſſe tollere jus ſuperioris. Et *ex Canone. Dilecti. verb. Diſpenſatio a Canone minimè permiſſa ſit. De temp. ordinat.* ſatis evincitur; Epiſcopum, vel Archi-

rium & contrarium legi æternæ, eò vel maximè, quòd per illud læderetur lex, seu jus Papæ, cujus potestas est *immediate* à Christo.

CONCLUSIO IV.

17. VErisimilius est, Episcopum posse inconsultâ Synodo, abrogare constitutiones Synodales, si videatur expedire. ex Navarro *in Man. cap. 25. n. 74.* Sanchez *lib. 8. de Matrim. disp. 17. n. 3.* Castropalao *cit. punc. 2. §. 2. n. 10.* Barbosa *de offic. & pot. st. Episc. pa. 2. alleg. 34. n. 3.* & alijs ab eo relatis.

Probatur. Quia solus Episcopus in Synodo Diœcesanâ suffragium habet decisivum, cæteri autem, qui communiter sunt Parochi & Clerici, nullâ statuendi facultate gaudentes assident illi, ut consilium præbeant. ex Barbosâ & Doctoribus *citatis.* Et hinc hujusmodi Synodales constitutiones ad instar legum a solo Episcopo emanantium non ligant ipsum, nec ejus successorem, qui im possit aliter constituere. ex Abbate *lib. 2 cons. 25. n. 5.* & Rotâ *decis. 240. n. 1. parte 2. recen.* Azedo *de præcellent. Episc. dignit. part. 2. cap. 1. n. 54.* Suar. *de legib. lib. 6. cap.*
18. *15. n. 8.* & alijs. Et hinc etiam fit, quòd leges ejusmodi Synodales non transeant in contractum, siquidem statutum de consensu aliorum factum non obtineat vim contractûs, nisi iste consensus expostuletur ut necessarius, & consentientes aliquid tribuant statuenti. ex Rotâ *to. 3. decis. noviss. apud* Farieacium *decis. 34. à n. 3.* Hoc autem non accidit regulariter in statutis Synodalibus, respectu quorum consensus Clericorum non est necessarius, nec isti tribuunt aliquid Episcopo, vel recipiunt ab ipso, sed solùm se habent ad instar Consiliariorum. ex Castropalao *§. 2. in fine.* Nisi ergo constitutiones ejusmodi sint authoritate Pontificiâ confirmatæ, ita ut vi hujus confirmationis gaudeant authoritate Papæ, & ad instar legum ab ipso emanatarum censeantur, atque adeò, uti Barbosa *n. 7.* cum Doctoribus *ibi* adductis observat, Episcopali potestate sint superiores, possunt omninò per Episcopum dispensari & abrogari.

❁❁❁❁❁❁❁❁❁❁❁❁❁❁❁❁❁❁❁❁

CONTROVERSIA III.

Qualiter facere liceat legis interpretationem; & quomodo hac mediante per Epikeiam possit quis excusari à legis obligatione?

1. ALia legis interpretatio est *authoritativa,* seu *authentica*: alia verò *doctrinalis.* Prima secundùm viam ordinariam fieri potest à solo legislatore, illiusvè superiore, aut successore: *Nam leges interpretari solo dignum imperio esse oportet. ex leg. fin. Cod. de leg.* eruiturque *ex Can. Inter alia de sent. excom. & Cap. Sicut. 11. q. 1.* Item *leg. in Prætorys. ff. De præt. stipulat.* Nihilominùs secundùm quandam quasi delegationem posse judices inferiores in rebus parvi momenti, præsertim in judicio litis inter partes decisorio facere authenticam legis declarationem, cum alijs à se relatis Doctoribus, probat Castropal. *cit. disp. 5. punc. 3. §. 1. n. 7.* Secunda doctrinalis duntaxat interpretatio legis fieri potest a quolibet, non ex proprio quidem cerebro, sed ex ratione & authoritate Doctorum. Cùm enim legis significatio sit quandoquè ambigua, neque legislator plerumque possit de facili consuli; oportuit Doctoribus concedi facultatem interpretandi leges. *ex leg. Un. Cod. de professoribus. leg. 1. ff. de origine juris. l. 1. ff. Si certum. leg. Si negotium. ff. de Privileg. creditorum.* Colligiturque *ex Can. 2. de privil. in 6.* In hac doctrinali interpretatione subinde locus est Epikeiæ. Hoc verò nomen Græcum nihil aliud sonat, quàm æquitatem seu summi juris moderationem. Cùm enim actus humani, de quibus leges dantur, in singularibus contingentibus consistant, quæ infinitis modis variari possunt, non fuit possibile, aliquam regulam legis institui, quæ in nullo casu deficeret, siquidem legislatores attendendo ad ea, quæ ut plurimùm accidunt, leges ferant, quas tamen in aliquibus casibus servari, æquitas non permittit. In ejusmodi adeò casibus oportet, prætermissis verbis legis, sequi id, quod justitiæ seu æquitatis ratio, & communis utilitas postulat, ad quod ordinatur Epikeia, quæ apud nos dicitur æquitas. ex Divo Thoma *2. 2. q. 120. ar. 1.* Quibus proinde positis, decidenda supersunt. *1. An ex quâdam quasi delegatione Cardinalium Congregationi sacri Concilij Tridentini decreta authoritativè interpretandi facultas competat?* 2. *Quænam Regulæ in doctrinali legis interpretatione sint servanda?* 3. *An, & qualiter per doctrinalem interpretationem, liceat legem extendere ad casus similes?* 4. *An ista legis extensio fieri possit etiam ad præterita?* 5. denique, *Qualiter in legibus locus sit Epikeiæ?*

The right-margin numbers 2, 3 and 4 stand beside "pal. cit. disp.", "ex Can. 2. de privil." and "da supersunt" respectively.

CONCLUSIO I.

VErisimilius est, sacræ Cardinalium Congregationi esse potestatem *authoritativè* declarandi Decreta sacri Tridentini Concilij, atque adeò tales declarationes habere vim legis, si legitimè sint promulgatæ. ita contra Sanchez *lib. 8. de Matrim. disp. 2. n. 10. circa finem,* & alios docet Rodriquez *to. 1. quæst. reg. q. 11. art. 3.* Garcias *tract. de Benef. Ecclesiast. in præf.* Salas *disp. 21. de leg. sect. 12. in fine.* Castropalaus *cit. disp. 5. punc. §. 1. n. 6.* & alij. 5.

Probatur ex Bullâ *In mensa. 7.* Sixti V. *de An. 1588.* ubi sic habetur, *Cardinalibus vero præfectis interpretationi & executioni Concilij Tridentini, si quando in his, quæ de morum reformatione, disciplinâ, ac moderatione, & Ecclesiasticis judicijs & alijs, quæ humana statuta sunt, dubietas, aut difficultas emerserit, interpretandi facultatem (nobis tamen consultis) impertimur.* Etenim ista concessio non potest procedere de doctrinali duntaxat interpretatione, siquidem ad istam non indigerent Cardinales speciali Pontificis facultate. Ergo procedit de potestate authoritativæ ac legislativæ declarationis. Et hinc ipsammet congregationem censuisse, quòd declarationes ejusmodi eam vim habeant, ac si à Romano Pontifice emanassent, refert Garcias *citatus.* Salas *cit. sect. 12.* & Bonacina *disp. 1. q. 1. punc. 8. n. 4.* 6.

Archiepiscopum tantummodò dispensare posse in casibus, in quibus dispensatio à Canone permittitur. Consequens proinde est, non nisi ex ex tacita, vel expressâ Papæ concessione posse Episcopum dispensare in sacris Canonibus.

CONCLUSIO I.

3 VErisimilius est, non posse Episcopum, aliumvè inferiorem Prælatum dispensare in lege Pontificis, alteriusvè superioris, nisi ex tacitâ, vel expressâ concessione.

Probatur. Quia Lex est quasi Jus superioris. At ex ipsâ rei naturâ nequit inferior authoritate suâ prævalere contra Jus superioris. Hoc autem fieret, si posset istud tollere per dispensationem. Quare Episcopus nihil valet ordinare seu facere adversùs sacros Canones, nisi quantum ipsi saltem tacitè concessum est à Papâ, eò vel maximè, quòd ab illo habeat totam suam jurisdictionem.
4. Et hinc falsum est, quòd Episcopus in suâ Diœcesi, quoad ea saltem, quæ expressè reservata non sunt, possit omnia, quæ Papa in toto orbe Christiano. Neque hoc evincitur ex Canone *Nuper 29. de sententia excommunicationis.* Nam licèt ibi dicatur, quòd ubi *conditor canonis absolutionem excommunicationis specialiter non retinuit, eo ipso videatur concessisse facultatem alijs relaxandi.* Nihilominus ista facultas non est extendenda ad dispensandum, eò vel maximè, quòd per dispensationem tollatur ipsum Jus Principis, quâ subditi obligatorium: econtra per absolutionem tollatur reatus aliquis merè personalis ad pœnam luendam. Unde à facultate absolvendi excommunicationem, dum nō est reservata, secundùm Canonis dispositionem Episcopis concessâ, non licet argumentari ad facultatem dispensandi.

5. Ex quo infertur, neque Episcopum, neque Archiepiscopum posse dispensare in lege Concilij provincialis. ex Suare *cit. lib. 6. cap. 15. n. 4. & 5.* Basilio *lib. 8. cap. 6. n. 10. 11. & 12.* Castropalao *cit. disp. 6. punc. 5. n. 10. & 11.* Ratio est; Tum quia Concilium Provinciale est superius quolibet Episcopo. *Ex cap. Salvo. 9. q. 3.* & *cap. Gravem. 1. de Prob.* Et hinc Episcopi etiam tenentur observare & facere leges Cōcilij provincialis, ex *cap. Sicut olim. de accusat.* & *Concil. Trident. sess. 24. cap. 2.* Tum quia licet Archiepiscopus sit Caput Concilij provincialis quoad Jus illud congregandi, ac præsidendi, non tamen quoad jurisdictionem; Veluti colligitur ex Concil. Trident. *cit. cap. 2.* Et hinc ab Archiepiscopo datur appellatio ad Concilium provinciale tanquàm ab inferiore ad superiorem; Uti ex Cardinale *in Clem. 1. §. Quod etiam interdictis. n. 1. notab. 5. de sententiâ excom.* tradit Navarrus *lib. 1. consil. de majorit. & obedientia. consl. 6.* Cùm proinde leges in Concilio provinciali latæ sint ab omnibus ibi congregatis, utpote *juxta cap. Sicut olim. de accusat.* votum decisivum habentibus: Consequenter solus Archiepiscopus non habet jus in tales leges ad dispensandum.

CONCLUSIO II.

EX concessione Papæ vel expressâ, vel tacitâ potest Episcopus in lege Papali dispensare pro casibus sequentibus.

6. Nam *primò* expressa dispensandi facultas in quibusdam sacris Canonibus reperitur concessa Episcopis, v. g. ut dispensare valeant cum sacerdotibus, qui nuptias de facto contraxerant; quatenus peractâ pœnitentiâ restitui valeant suo officio. *ex Can. Sane. 4. de Clericis conjug.* Et in Canone *Si alicujus 49. de elect.* habetur, quod cum electo per simoniam, cassatâ electione, dispensare non valeat Episcopus, benè tamen, si liberè resignavit. Item in Concilio Tridentino *sess. 24. cap. 6.* conceditur Episcopis facultas dispensandi in omnibus irregularitatibus occultis, exceptâ Bigamiâ & homicidio voluntario, dum causa nondum est deducta ad forum contentiosum. *Secundò.* Tacitè intelligitur concessa Prælatis inferioribus dispensandi facultas, quando Canon dicens, *posse dispensari*, loquitur *impersonaliter*, non adjiciendo, *per sedem Apostolicam*, vel *Romanum Pontificem*, veluti ex Abbate, Cardinale, & alijs docet Barbosa *cit. alleg. 33. n. 22.* Cujus ratio est. Quia dispensatio frustra concederetur summo Pontifici, qui de jure habet Potestatem dispensandi. *Cap. Proposit. de concess. prebend.* Hinc tamen *tertiò*
7. excipitur Canon *Concilij generalis.* Quamvis enim Concilium absolute permittat dispensationem, non posse ideirco dispensare Episcopum, cum Gutierre *pract. qq. lib. 3. q. 17. n. 231.* Cerolà *in prax. Episc. par. 2. verb. Absolutio. vers. dubio quinto* Rotâ *in Valentinâ decimarum. 8. Februar. 1582.* coram Orario, & alijs tradit. Barbosa *citatus. n. 24.*

Ratio est; tunc enim, licet facultas dispensandi negetur Episcopis, adhuc ea verba dispensationem concedentia operantur aliquid. atque duos habent effectus, quorum prior est, quòd ad derogandum tali Concilij decreto, non desideratur specialis ejus mentio: posterior autem est, ut Pontifex ad dispensandum eo facilior sit.

8. *Quartò.* Exemplum facultatis dispensandi *impersonaliter*, atq; adeò Episcopis *tacitè* concessæ, est *in cap. Potestatis. 4. de Clerico excom.* ubi dicitur; *Clericis excommunicatione* [illegible] *beneficia conferri non posse, nisi cum ipsis misericorditer fuerit dispensatum.* Ex quo Glossa hic argumentatur, *non dicit à quo: ergo videtur relicta potestas dispensandi Episcopis.* Item *in Can. In quibusdam. penult. de pœnis.* ubi prohibetur, *ne filij eorum*, [illegible] *Prælatum, vel Clericum Ecclesiæ occiderint*, [illegible] *ad quartam generationem in Clericorum collegium admittantur, neque in regularibus domibus Prælationis assequantur honorem, nisi cum eis fuerit misericorditer dispensatum.*

9. *Quinto.* Per Epikeiam *Tacitè & virtualiter* Episcopis concessa est facultas dispensandi contra canones, in negotijs seu materijs parvi ponderis ac momenti, ex Suare *cit. lib. 6. cap. n. 9.* Cajetano *q. 97. art. 4.* Castropalao *cit. disp. 6. punc. 5. n. 4.* Sex-
10. *to* in extraordinario etiam casu, dum urget dispensandi necessitas, periculumque subest in morâ, neque facilè potest ad legislatorem recurri, sive agatur de impedimento Matrimonium dirimente, sive de irregularitate, sive voti Reservatione: ex Sanche *lib. 8. de Matrim. disp. 6. n. 20.* Suare *cit. cap. 15. n. 10.* Barbosâ *cit. n. 3.* Castropalao *supra n. 7.* De quo, quatenus concernit impedimenta Matrimonij, ex instituto agemus *in tract. de Matrim.* *Septimò.* Si Dubium sit,
11. an casus indigeat dispensatione. In tali enim dubio stat possessio pro eo, cui *Moratur* non

ter non constat se obstrictum vinculo, cujus relaxatione per dispensationem opus habeat. Quinimò si aliqua sit facienda dispensatio, sufficiet Episcopalis, siquidem casus dubius non videatur Pontifici reservatus. ex Barbosâ & Castropalao *citatis.*

12. *Octa.* Si vò consuetudo præscripta sit, ut inferior dispensare possit in lege superioris: sic enim Parochi dispensare solent in Festorum & jejuniorum observatione. ex Suare *citato in fine.* Sic ut Episcopi possint pro suâ Diœcesi dispensare in legibus Concilij provincialis, consuetudine præscriptum esse, cum Suare & Bonacinâ asserit Castropalaus *n. n.*

CONCLUSIO III.

13. Potestas in legibus superioris dispensandi, de jure *Tacitè* vel *Expressè*, sive etiam *de consuetudine* concessa Prælatis inferioribus, non est delegata, sed ordinaria: ex Glossâ *in cap. fin. de off. ordin.* Felinus *Cap. Licèt. eod. tit.* Sanchez *lib. 2. de Matr. disp. 40. n. 4.* Suarez *cit. lib. 6. cap. 15. n. 1.* Castropalaus *cit. punc. 5. n. 12.*

Probatur. Quia potestas dicitur ordinaria, quæ est annexa officio & dignitati. Et hinc, sicuti officium est perpetuum, neque exspirat morte Prælati, sed transit in successorem; sic potestas etiam ordinaria est perpetua. At verò officio Prælati annexa est illa dispensandi facultas, sicuti ea quoque, quam Prælati regulares habent ex privilegijs ad dispensandum cum suis Religiosis. Unde cùm jurisdictio ordinaria sit delegabilis, consequenter illa in legibus superioris dispensandi facultas potest à Prælatis delegari.

CONTROVERSIA II.

Circa quos à Prælatis dispensari possit in lege præsertim superioris.

1. Aliter fit dispensatio *Directè*, & aliter *Indirectè*. *Indirectè* dispensat Prælatus cum suâ etiam personâ, quando in lege v. g. jejunij, aut festi dispensationem impertit toti communitati; tunc enim *per indirectum* tanquam præcipua pars comprehenditur etiam dispensatione, sicuti continetur concessione indulgentiarum, quas Communitati universæ impertit.

2. Insuper Prælatus *indirectè seu mediatè* dispensat secum, impertiendo alteri v. g. Confessario facultatem dispensandi cum suâ personâ. Qualem dispensationis delegandæ potestatem competere Episcopis, eruitur ex *Cap. fin. de pænit. & remiss.* declaravitque Congregatio Concilij Tridentini *sess. 24. cap. 6. de Reform.* Controversia igitur non de hac indirectâ, sed de directâ dispensatione procedit. Primò. *An Prælatus possit secum directè dispensare?* Secundò. *An cum Vagis ac peregrinis?* Tertiò. *Utrùm Archiepiscopo facultas sit dispensandi cum subditis suorum Suffraganeorum?* Quartò denique, *Quibus potestas sit dispensandi, cum Religiosis præsertim exemptis?*

CONCLUSIO I.

Verisimilius est, non tantùm supremum Principem seu Pontificem posse secum dispensare, sed hoc jus competere etiam Prælatis inferioribus respectu legum à superiore etiam latarum, suæ tamen dispensationi *Tacitè* vel *Expressè* concessarum, ita contra Gabrielem *in 4. dist. 38. q. 1. art. 5. circa finem* tenent S. Antonin. *3. part. tit. 20. cap. 2. §. 7.* Sylvester *verb. relig. 6. q. 1.* Turrecremata *in cap. de Monachis 16. q. 1.* Cajetanus *1. 2. q. 96. a. 5. in fine.* Suarez *cit. lib. 6. cap. 12. à n. 8.* Sanchez *lib. 4. in decal. cap. 437. n. 40.* Castropalaus *cit. disp. 5. punc. 7. §. 1. n. 2.* favetq; Divus Thomas *in 2. 2. q. 185. a. 8. in fine corp.* docens. *Prælatos Religionum posse secum dispensare in præceptis seu ordinationibus suæ regulæ.* 3.

Probatur. Nam ratio, cur Prælatus non posset secum dispensare, petenda foret ex eo, quod dispensatio sit actus jurisdictionis, nec adeò exerceri valeat nisi circa subditos; eò vel maximè, quod jurisdictio exigat personalem distinctione inter eum, qui illa exercet, & eum, circa quem exercetur. *Can. Cum inferior. de maj. & obed.* At hoc non procedit de jurisdictione voluntariâ, sed coactivâ. Hinc enim Pontifex potest sibi *immediate* ac *directè* concedere indulgentias, eo quod ista concessio sit actus jurisdictionis voluntariæ. Est autem etiam dispensatio actus voluntariæ non autem coactivæ jurisdictionis. Ergo non exigit personarum distinctionem, quo minùs possit Prælatus secum dispensare, nisi expressè hoc sit prohibitum, velut in materiâ ambitiosâ & fraudibus subjectâ, sic enim prohibentur Prælati, ne sibi ipsis conferant beneficia. ex *Cap. Per nostras. De jure Patronatûs.* Et *Cap. fin. de instit.* Sic etiam in *Clementinâ 2. De reb. Eccles. non alienandis*, approbatur unio alteri Ecclesiæ facta de consensu Episcopi & Capituli, secus verò si ipsi capitulo facta fuerit unio, eò quòd in proprio facto, uti Glossa habet, in materiâ ambitiosâ nemo sibi jus dicere possit. *Argum. legis. 1. ff. De auth. & consensu Tutorum.* ubi cavetur, *quòd in rem suam author fieri non possit Tutor.* 4. 5.

Circa quæ tamen venit notandum. I. quòd conclusio eatenus procedat etiam de dispensatione votorũ ac Juramentorũ, ut tamen extendi non debeat ad relaxationes Censurarum, imò & irregularitatis per sententiam contractæ, eò quòd in illis propriè non fiat dispensatio, sed absolutio. ex Castropalao *cit. n. 4. 2.* Illam dispensandi facultatem extendi ad Prælatos regulares, non Abbates duntaxat, Generales, Provinciales, Rectores, sed etiam illos, qui in absentiâ eorum vices gerunt, docet Suarez ex S. Thomâ *cit. n. 12.* & Castropalaus *n. 3.* eò quòd omnes isti habeant jurisdictionem quasi Episcopalem. 6.

CONCLUSIO II.

Cum vagis, non autem peregrinis, ac forensibus secundùm verisimiliorem sententiam dispensare potest loci Ordinarius. Prior pars à Sanche *lib. 3. de* 7.

matrim. disp. 25. n. 5. Lessio *lib. 2. de iust. cap. 40. dub. 18. n. 121.* tradita.

Probatur. Quia vagi nullibi habentes Domicilium, ubique locorum, in quibus pro tempore commorantur, forum, non conscientiæ duntaxat, sed etiam externum sortiuntur.

Posterior pars contra Basilium *lib. 8. cap. 5. n. 7.* habetur ex declaratione sacræ Cardinalium Concilij Tridentini interpretum Congregationis *sess. 24. cap. 6.* ubi referente Garciâ *de beneficijs 2. par. cap. 10. n. 139.* habetur, forenses & peregrinos posse absolvi ab Ordinario loci, quà transeunt, non tamen dispensari.

6. De quo tamen adhuc moveri potest dubium, an intelligendum sit de peregrinis solum transeunter in loco aliquo existentibus, vel etiam de illis, qui diuturniore tempore, majori scilicet anni parte studiorum, vel negotiorum causâ in loco aliquo commorantur. Etenim hos ab Ordinario loci dispensari posse in legibus, votis, Juramentis, & irregularitatibus, docent Heinriquez *lib. 6. de pœnit. cap. 14. n. 8.* Sanchez *lib. 3. de matrim. disp 23. n. 12. & 13.* Ratio est. Quia ratione habitationis diuturnæ, domo præsertim conductâ, contrahit quis quasi domicilium, vi cujus sortitur forum, uti Abbas probat *in Cap. Quod Clericis n. 5. de foro competente.* Ergo in ordine etiam ad effectus spiritualis jurisdictionis, scilicet dispensationes acquiritur quasi domicilium ratione diuturnæ habitationis.

Econtra Abbas *in Cap. Nullus n. 4. De Parochis.* Sylvester *ver. Domicilium.* Suarez *lib. 6. de voto. cap. 11. n. 11.* Castropalaus *cit. punc. 7. §. 2. n. 4.* Barbosa *cit. par. 2. alleg. 36. n. 18.* negat; Episcopum dispensare posse cum peregrinis, majori licet anni parte in locò commorantibus.

7. Ratio est. Nam ejusmodi peregrinum non esse subditum Episcopo loci, in quo moratur, exinde videtur evinci, quòd non possit ordinari à tali Episcopo absque licentiâ proprij sui Ordinarij. *ex Cap. Cum nullus. De tempor. Ordinat. in 6.* Ergo nec poterit Episcopus loci cum ipso dispensare in votis v. g. vel juramentis. Cui sententiæ propter sacræ Cardinalium congregationis declarationes *superius* ex Garciâ relatas subscribimus.

CONCLUSIO. III.

8. ARchiepiscopus non potest dispensare cum subditis suorum Suffraganeorum, nisi causa sit ad ipsum deducta per appellationem, eo quòd Suffraganeus dispensationem concedere noluerit: Sotus *lib. 7. de iustit. q. 4. art. 3.* Suarez. *præf. lib. 6. cap. 10. n. 7.* Sylvester *verb. votum. q. 3.* Sanchez *lib. 4. in Præcepta decal. cap. 38. n. 11.* Barbosa *cit. alleg. 30. n. 20.* & alij.

Probatur. Quia Archiepiscopus nullam habet jurisdictionem in subditos suorum Suffraganeorum, nisi in certis casibus à jure concessis *ex Cap. Pastoralis. de offic. Ordinarij & cap. 1. De foro compet. in 6.* Ejusmodi verò casus sunt tres, dum nimirum visitat alicujus Suffraganei Diœcesin, vel dum est necessitas supplendi negligentiam Episcopi Suffraganei, vel dum causa ad ipsum devolvitur per appellationem. At in casu visitationis conceditur quidem Archiepiscopo, ut possit confessiones subditorum Suffraganei audire, & absolvere pœnitentes, eisque salutarem pœnitentiam injungere. *Cap. final. de Censibus.* Verùm quoad dispensationes nihil disponitur. Unde Suarez *lib. 6. de Voto. Cap. 10. n. 9.* Sanchez *cit. lib. 4. in Decal. cap. 38. n. 14.* & alij inferunt; Archiepiscopi potestatem in illo casu non esse extendendam ad dispensandum. Deinde licèt in casu negligentiæ Suffraganeorum deferatur Archiepiscopo jurisdictio. *ex Glossa in Cap. Romana. de supplendâ neglig. Prælat.* & Abbate *in Cap. ex frequentibus. De institutione.* Quam ob causam Sanchez *cit. n. 12.* cum alijs concedit Archiepiscopo facultatem dispensandi, si Suffraganeo dispensationem ex causâ rationabili quæsitam concedere renuente, ejus imploretur auxilium. Nihilominus quia ista imploratio est per modum quasi appellationis, idcirco Castropalaus *cit. punc. 7. §. 3. n. 2.* reducit eam ad casum appellationis; in cujusmodi adeo casu, dum inferiore recusante dispensationem, causa ad Archiepiscopum est deducta per appellationem, posse dispensationem subditis Suffraganeorum concedere, ut pote cui secundùm sacros Canones speciatim *Cap. 1. De officio legat.* & *Cap. Duo de officio Ordinarij* competat tunc jurisdictio, ex communi sententia resoluit Castropalaus *citatus.*

10. Cæterum tametsi Barbosa *ubi supra* cum pluribus à se relatis teneat, posse Episcopum dispensare in votis ipsorummet Episcoporum Suffraganeorum, utpote sibi subjectorum, hanc tamen potestatem in effectu vix posse habere locum, rectè advertit Castropalaus *citatus in fine,* quod scilicet ipsimet Episcopi possint secum dispensare.

CONCLUSIO IV.

11. REligiosi Exempti dispensari possunt à suo Prælato regulari, non autem ab Episcopo, nisi ex speciali jure alicujus privilegij.

Probatur. Nam exemptio non est merè extinctiva jurisdictionis in Episcopo, sed est ejusdem translativa in Prælatum rei, seu Personæ exemptæ, uti docent Canonistæ communiter. Et hinc jurisdictio quasi Episcopalis competit Prælatis regularibus in suos subditos. Ergo eadem erga tales subditos exemptos competit ipsis ad dispensandum facultas & jurisdictio, quæ priùs competebat Episcopo. ex Suar. *cit. lib. 6. de Voto. cap. 10. n. 14. & 15.* Navarro *sum. cap. 12. n. 75.* Sanche. *cit. lib. 4. in Decal. cap. 39. n. 3.* & Castropalao *cit. punc. 7. §. 4.*

CONTROVERSIA III.

An, & qualis requiratur causa ad dispensandum?

1. EX dictis *praeced. art. concl. 2.* facilè constat, legislatorem, ejusve successorem, sivè superiorem posse sine causa validè, non tamen

tamen licitè dispensare in suâ lege. Unde Concilium Tridentinum *sess.* 24. *de Reform. matrim. cap.* 5. de matrimonij impedimentis dispensandis ait, *vel nulla dispensatio detur, vel rarò, idque ex causâ.* Et *sess.* 25. *cap.* 18. decernitur, *Si urgens, justaque ratio & major utilitas quandoque expostulaverit, tum aliquibus dispensandum esse, id causâ cognitâ & summâ cum maturitate à quibuscunque, ad quos dispensatio pertinebit, præstandum esse.* In quem sensum dicitur etiam in lege *Relegati. in fine. ff. de pœnis. Neminem posse commeatum, remeatumvè dare exuli, nisi Imperatorem ex aliquâ causâ.*

2. Verum difficultas est *primò. An legislator sine causâ dispensans in suâ lege sit reus peccati mortalis, vel venialis duntaxat?*

Secundò. *An dispensatio in lege superioris facta ab inferiore Prælato absque causâ legitimâ sit invalida?*

Tertiò. *Qualis requiratur causa ad dispensandum, & utrum hac subsistente, teneatur superior concedere dispensationem?*

Referuntur Sententiæ adversariæ.

3. Circa primum Salas *disp.* 20. *de legib. sect.* 5. *n.* 55. Valentia 1. 2. *disp.* 7. *q.* 5. *punc.* 9. *ad fin.* Castropalaus *cit. disp.* 6. *punc.* 8. §. 1. *n.* 5. putant, secluso scandalo, ac notabili aliorum damno, esse peccatum ex genere suo veniale duntaxat, si in lege propriâ concedatur dispensatio absque causâ. Fundamentum est. Quia non videtur gravis deformitas, partem Toti se non conformare.

4. Circa secundum Azor *lib.* 7. *instit. Moral. cap.* 29. *q.* 6. Sanchez *lib.* 8. *de matrim. disp.* 17. *n.* 8. existimant; dispensationem absque causâ rationabili concessam, tenere in lege superioris, si Prælatus inferior processerit bonâ fide, putans subesse causam legitimam. Fundamentum est. Quia præsumi tunc potest: quod Pontifex consentiat in talem dispensationem, cùm hac ratione partim consulatur securitati conscientiarum, partim gesta Prælatorum firmitatem hinc obtineant; quæ rectæ Ecclesiæ gubernationi non parum conducunt.

5. Circa tertium Joannes Sanchez *in selectis disp.* 43. *n.* 8. §. *praterea.* Sylvester *verb. Dispensatio. q.* 1. *in fine.* & alij indefinitè sentiunt, Prælatum obligari sub peccato ad concedendam dispensationem, si justa subsit causa.

Fundamentum est. Quia facultas dispensandi concessa est Prælatis in ædificationem & bonum tum communitatis, tum subditorum. Undę denegando dispensationem, videtur facere contra debitum sui officij.

Conclusio I.

6. Tametsi in praxi non facilè peccet mortaliter, in lege propriâ dispensans sine causâ legitimâ, ejusmodi tamen dispensatio ex genere suo est peccatum lethale. ex Covarruviâ *4. Decret.* 2. *par. cap.* 6. §. 9. *n.* 2. Rodriquez 1. *par. sum. cap.* 196. *in fine.*

Probatur. Quia peccatum ex genere suo mortale est, quod intra speciem suam admittit materiæ gravitatem, sub quâ contrahatur culpa lethalis. At eo ipso, quòd potestatem legislativam acceperit Princeps supremus & Civilis quidem à Republicâ, Ecclesiasticus autem à Christo, sub quasi contractu ad utendum illâ in ædificationem, non autem in destructionem: idcirco in legibus propter publicum bonum latis dispensando absque causa, fit reus fidelitatis violatæ, vi cujus tenetur curare Bonum publicum. At intra hanc peccati speciem potest de naturâ suâ dari materiæ gravitas, sub quâ concessio frequentioris dispensationis vel ex hoc capite posset grave nocumentum afferre reipublicæ, quòd lex indevilesceret, Sacro Concilio Tridentino *sess.* 25. *cap.* 5. *de Reform.* attestante, *Quod dispensare nihil aliud sit, quam unicuique ad leges transgrediendas aditum præbere.* Hinc autem evincitur, 7. quòd dispensatio saltem frequentata non tantùm per accidens, sed per suam intrinsecam naturam possit vergere in damnum notabile Reipublicæ, utpote cujus salus subsistat ex observantiâ legum. Quamvis proinde ista materiæ gravitas non ex unâ, alterâve duntaxat dispensatione constet, accrescere tamen potest ex ejus frequentatione. Ergo ex genere suo est peccatum mortale, quatenus non tantùm ab extrinseco, sed ex naturâ suâ pertingere potest ad culpam mortiferam.

Conclusio II.

Dispensatio sine causa non tantùm in votis & juramentis, sed etiam in lege positivâ superioris est invalida. 8. Innocentius *Cap. ad Monasterium n.* 4. *de Statu Monachorum.* Abbas *ibi. n.* 17. Covarruvias 2. *par.* 4. *decret. cap.* 6. §. 7. Sotus 7. *de justit. q.* 4. *a.* 3. *ad* 9. Sylvester *verbo Lex. q.* 3. *n.* 5. Salas *præs. disp.* 20. *sect.* 4. *n.* 31. & plures alij ab ipso relati.

Probatur. Quia tunc dispensans excedit suam facultatem; cum enim data sit data in ædificationem, non possit præsumi, sive Ius commune, sive præscriptionem, sive mandatum principis in suâ lege concedere inferiori potestatem dispensandi, nisi sub conditione causæ justæ, eo vel maximè, quod mandatum Pontificis ad jus sit referendum *ex Can. Multa. de præbendis.* Cùm igitur dispensatio absque rationabili causâ videatur facta sine potestate legitimâ, consequenter erit nulla. Quod fundamentum probat, nè 9. Legato quidem à latere, seu Nuncio Apostolico competere facultatem in casibus sibi à Pontifice concessis absque causâ dispensandi, veluti contra Emanuelem Rodriquez *in sum. to.* 2. *edit.* 2. *cap.* 24. *concl.* 3. *n.* 5. tradunt Salas *citatus n.* 32. & Castropalaus *cit. punc.* 8. §. 2. *n.* 3. Et hinc 10. licet Sanchez *supra n.* 4. asserens, dispensationem à Prælato bonâ fide, re ipsâ tamen citra justam causam procedente concessam, esse licitam, probabiliter sustineri possit: oppositum tamen ex præallegato nostræ conclusionis fundamento est probabilius, ita ut re ipsâ censeri debeat, nullum esse Matrimonium, quod celebratum est cum impedimento dirimente, in quo Prælatus inferior ex delegatione Papæ, bonâ quidem fide, citra tamen justam causam dispensavit.

Conclu-

CONCLUSIO III.

11. ETsi justâ dispensandi causâ intervien-
te, ut plurimùm sit obligatio dispen-
sandi, potest tamen dispensatio de se
licita, quandoque non esse debita, sed
gratuita. ex Abbate *in Cap. Consilium n. 4.
de observat. jejunij. & Cap. Ex parte in fine. de
Consuetudine.* Suarezio *lib. 6. de legib. cap. 18.
n. 20.* & alijs ab ipso relatis.

Probatur. Nam 1. dispensatio Prælato in-
feriori aliquando imponitur præcepto positivo,
uti notat Glossa *in Cap. Si quis. & Cap. Condemnan-
dum. dist. 50.* Cujusmodi præceptum intervenire
etiam solet in dispensationibus à summo Pon-
tifice delegatis vel Ordinario, vel Confessario;
executioni demandandis, si preces veritate ni-
12. tantur. 2. Ex necessitate boni publici, vel vi-
tandi scandali potest de jure naturali quando-
que necessaria esse dispensatio. ex Glossâ *in Cap.
ult. Constitueretur. dist. 50.* Turrecrematâ *ibi. n. 9.*
13. 3. Potest dispensatio ex officio debita esse se-
cundùm justitiam, ubi fuerit necessaria ad spi-
rituale bonum postulantis, vel ad vitandum
grave periculum animæ, tunc enim ex officio
tenetur prælatus providere saluti subditi. ex
14. Suare *citato n. 22.* 4. Potest esse debita ex cha-
ritate; dum proximus graviter indiget, ac sine
15. dispendio concedi potest. Verùm 5. extra hos
casus potest aliquando justa dispensandi causa
subesse, quin tamen inferat necessitatem juris vel
naturalis, vel positivi, dum scilicet causa par-
tim dispensandi, partim dispensationem dene-
gandi utrinque ferè æqualiter urgent. Et hinc
dispensatio, quandoque indulgentia dicitur. *Cap.
1. De statu Monach. in 6.* quandoque gratia. *Cap. Di-
dici. 1. q. 7. in fine.* Et *Cap. Licet Canon. de Elect. in
6.* Unde Sanchez *lib. 4. in Decal. cap. 54. n. 12.*
negat, eum, qui privilegium dispensandi habet
in sui favorem, teneri per se loquendo dispen-
sationem postulanti concedere, & sic excusari
Regulares nolentes pœnitentibus dare relaxa-
16. tionem votorum. Cæterùm, quæ causa justa
sit dispensandi, speciales regulæ tradi solent
circa vota, & impedimenta Matrimonij, de qui-
bus speciatim suis locis. Interea generatim hìc
notandum venit, debere quidem causam ejus-
m[odi] spectare bonum publicum: Cùm enim
lex [ins]tituta sit pro Bono communi, non debet
n[isi] [pr]o publicâ utilitate fieri ejus relaxatio. ex
Ab[bate] *in Cap. De Multa. n. 8. De Præbendis;* & So-
17. to *lib. 1. de just. q. [.] a. 3.* Hoc tamen non ita accipi-
endum est, qu[asi] causa dispensandi *immediatè* ac
directè debeat cedere in Bonum publicum, sed sa-
tis esse, si huic vel *indirectè* ac *mediate* conducat.
Hoc [au]tem fit, quatenus bona etiam particu-
laria Civium conducunt reipublicæ, utpote cujus
salus constet ex salute singulorum, expediatque
reipublicæ, fieri quibusdam singulares gratias
& exemptiones, ac sublevari quorumcunque
necessitates. Et hinc ob defectum dotis dispen-
satur in impedimento consanguinitatis, & ob
periculum incontinentiæ in voto Castitatis; &
ob majoris mali evitationem in aliquâ lege. ex
Sanche *lib. 8. de Matrim. disp. 19. in init.* Glossâ
pres. disp. 20. sect. 8. n. 75. Castropalao *cit. punc. 8.
n. 7.* Colligiturque ex Concilio Tridentino *sess.
25. de Reform. cap. 18.* Addit Serra *q. 97. a. 4. in
fine.* cum Sylvestro *verbo. Dispensatio. q. 14. ad finem,*
si dubium sit, an causa sit legitima, valde pro-
babile esse, quòd nullum sit peccatum etiam
veniale, dispensare in lege. Verùm hæc in par- 18.
ticulari prudentis arbitrio sunt relinquenda, qui
præsertim expendet tum pietatem, necessitatem,
& utilitatem dispensationis; tum personarum
etiam merita & dignitates, cùm bono publico
expediat, personas excellentes in gratijs conce-
dendis considerare, dum præsertim mediante a-
liquâ dispensatione potest per Matrimonium ali-
quod firmari fœdus pacis. ex Sancto Thomâ *2.
2. q. 63. a. 2. ad 2.* & Concilio Tridentino *sess. 24. de
Reform. cap. 5.* Denique in defectu causæ suffi- 19.
cientis ad dispensandum licere istam supplere
per impositionem collectæ pecuniariæ, vel eti-
am personalis, pro piâ aliquâ causâ, præter a-
lios notat Suarez *cit. lib. 6. de Legib. cap. 16. in princ.*
Ex quo infertur. Qualiter is, cum quo dispen- 20.
satum est, se gerere debeat in dubio, an legiti-
ma causa, ejusque cognitio debita ex parte di-
spensantis intervenerit. Nam 1. pro foro con-
scientiæ, dum contrarium non constat, credere
licet, dispensationem processisse ex causâ legi-
timâ, ac præviâ ejus examinatione. ex Soto *lib.
7. de just. q. 4. a. 3. ad 2. in fine.* Suarezio *lib. 6. de
legib. cap. 13. n. 16* & alijs. Ratio est. Non e-
nim delictum præsumitur, sed probari debet.
ex leg. Si merito. ff. pro socio. Unde cùm Prælatus non
dispensaret licitè absque causâ rationabili, con-
sequenter ex hujus præsumptione fundatâ in
jure catenus licet acquiescere, ut dispensatus
possit ac debeat cordatè procedere, eo vel maxi-
mè, quòd, cùm in dubio, an causa sit legitima,
superior dispensare valeat, multò magis liceat in
tali circa causæ legitimitatē dubio uti concessâ di-
spensatione. ex Serrâ & Sylvestro *superius citatis.*
2. Pro foro etiam externo creditur quidem 21.
superiori asserenti, justam se habuisse dispensa-
tionis causam, an verò admitti possit probatio
in contrarium, problema esto. Ratio est. Quia
assertio superioris facit gravem præsumptio-
nem, cui standum erit, nisi evidentibus rationi-
bus elidatur. ex Craveta *cons. 1[.] n. 42* Mascar-
do *concl. 1233. n. 190. & seq.* Quinimò Jason *lib.
2. cons. 227. col. 8.* A[lexa]nder *lib. 6. cons. 130. n. 11.*
& alij censent, Principis assertionem in tantum
probare, ut non admittat probationem in con-
trarium.

❁❁❁❁❁❁❁❁❁)(❁❁❁❁❁❁❁❁

CONTROVERSIA IV.

Quæ forma servanda sit in dispensationibus in foro præsertim externo?

DIspensatio alia est expressa, quæ fit ver- 1.
bis expressis, ad quam nulla certa ver-
borum formula est præscripta, nec o-
pus est scripturâ, nisi in certis casibus à Jure
expressis. Sic enim Concilium Tridentinum
sess. 24. de Regul. cap. 5. pro concedendâ dispensatio-
ne, seu licentiâ ingrediendi in clausuram Monia-
lium exigit, ut detur in scriptis. Sic plures
non tam Dispensationis, quàm alias materias
concernentes actus à Glossâ *in Can. 1. §. postquàm
verb.*

verb. In scriptis. de Censibus. recensentur, in quibus requiritur scriptura. Alia verò dispensatio est tacita, quæ ex facto, seu signo aliquo infertur ac præsumitur. De quâ duplici dispensatione sequentes occurrunt hîc decidendæ difficultates. 1. *Qualiter præmittenda sit causa cognitio, & an sine istâ teneat dispensatio?* 2. *Qualiter subsistat tacita dispensatio?*

CONCLUSIO I.

NOn est improbabile, dispensationem in lege superioris ex causâ legitimâ, absque tamen prævià hujus cognitione per Dispensantem factâ, esse validam in foro conscientiæ, donec in foro externo revocetur: at probabilius est, talem Dispensationem in utroque foro esse ipso facto nullam.

2. Prior conclusionis pars à Salâ *disp. 20. de Legibus. sect. 9. n. 79.* cum Innocentio *in Cap. Diversis. n. 1. de Clerico conjugato* & Sanche *lib. 8. de Matrim. disp. 17. n. 11.* tradita, probatur. Quia licèt Jus exigat cognitionem causæ pro dispensationibus expediendis, non tamen constat, illam exigi tanquàm formam pro valore dispensationis, sed pro licitâ hujus concessione.

3. Posterior pars à Glossâ *in Cap. Litteras. de Concess. præbend. & in Cap. 2. de Schismaticis.* Navarro *Cap. fin. n. 4. de simoniâ.* Covarruviâ *de Matrim. 2. p. cap. 6. §. 9. n. 12.* Barbosâ *2. p. de Potestate Episcopi. alleg. 33. n. 4.* Castropalao *cit. disp. 6. punc. 13. n. 4.* & alijs tradita probatur. Quia non videtur facultas dispensandi inferioribus concessa, nisi servato, Juris ordine. At Juris ordo exigit in dispensationibus præviam causæ cognitionem, ut colligitur *ex Cap. Necesse. & Cap. Dispensationis. 1. q. 7.* Item *ex Concil. Trident. sess. 14. de Reform. cap. 9. & sess. 25. de Reform. cap. 15.* Et hinc asserendum est, quòd causæ cognitio non quidem expressè, attamen tacitè requiratur à Jure tanquàm forma pro valore dispensationis. Quam nihilominùs cognitionem non debere Judicialem esse, adversùs Menochium *cons. 15. n. 15. & 16.* tenet Glossa *in Cap. Manifesta. 2. q. 1.* Abbas *in Cap. Præterea. n. 11. de testibus cogendis.* Bartolus *in leg. Barbarius. n. 8. ff. de officio Prætoris.* Sylvester *verb. Dispensatio in fine.* Castropalaus *cit. punc. 13. n. 6.* Ratio est. Quia cognitio causæ est requisita ad evitandam temeritatem, quæ vitatur eo ipso, dum etiam privata habetur notitia de causæ Justificatione. Etsi proinde ad

4. probationem Dispensationis legitimè factæ in foro externo opus sit publicâ per testes, vel instrumentum probatione, quâ ostendatur, à Delegato habita fuisse causæ cognitio cum cæteris ad Dispensationis valorem requisitis, attamen ad hunc ipsum valorem ista se habent merè extrinsecè. Unde etiam infertur, in Dispensationibus à Pontifice commissis Officiali Diœcesano; id est, Episcopi, vel alterius (uti Riccius *in praxi decis. 252.* ex declaratione Pontificiâ testatur) Jurisdictionem quasi Episcopalem habentis Vicario commissis, non requiri, ut talis expeditio fiat coram Notario & Testibus, sed quomodocunque de veritate causæ pro dispensatione allegatæ constet, potest Dispensationem exequi, veluti Castropalaus *præs. punc. 15. §. 2. n. 2.* tradit ex Parisio *volum. 4. cons. 75. n. 55.* Basilio *lib. 8. Cap. ult. n. 25.* Insuper posse veritatis 5.
indagationem, examinationem testium; non tamen dispensationem, neque legitimationem prolis, neque absolutionem ac impositionem pœnitentiæ, seu commutationem in pia opera delegari à Vicario, etiamsi ipsi nominetenus fiat commissio, contra Jasonem *in leg. à Iudice. n. 11. limit. 3. Cod. de Iudicijs.* & alios docent Abbas *in Cap. ult. §. 1. n. 7. de officio Delegati.* Garcias *6. par de Benef. cap. 2. à n. 100.* Castropalaus *citatus n. 4.* & alij ab ipso relati. Ratio est. Quia examen testium & indagatio veritatis est actus Jurisdictionis. Hic autem à supremo Principe delegatus potest subdelegari. Econtra Dispensationem, Legitimationem prolis, Impositionemque pœnitentiæ Castropalaus *supra* censet, esse nudum ministerium, quod subdelegari non possit, ex receptâ sententiâ *in Cap. fin. de officio Legati.* Verùm hæc ex instituto nos examinabimus *in tractatu de Matrimonio.*

CONCLUSIO II.

TAcita Dispensatio ex duplici præsertim capite inducitur.

Primò. Si Prælatus potens dispensare committat alicui actum, quem scit, non posse ab 6.
ipso exerceri absque dispensatione, v. g. concedendo Irregulari litteras Dimissorias, vel conferendo ipsi Beneficium. ex Abbate. Hostiensi, Innocentio, & alijs *in Clement. verb. Approbamus. de sent. Excom.* Rebuffo *in pract. tit. de Dispensat. à n. 5.* Suarezio *lib. 6. de Legibus. cap. 13. n. 23.* & alijs ab ipso relatis. Ratio est. Quia Princeps non præsumitur præcipere actum iniquum, seu invalidum. Et hinc *in Leg. Quidam. ff. de re judicatâ,* dicitur de Minore. *Princeps, qui illi dignitatem dedit, omnia gerere decrevit.*

Secundò. Si Princeps videat aliquem di- 7.
spositum ad actum legi repugnantem, nec, cùm facilè posset, impediat, sed taceat; tunc istam taciturnitatem reputari pro voluntate dispensandi, præter alios probabilius censet Salas *disp. 20. sect. 9. n. 87.* Quòd alioquin superior tacendo, vel non coercendo subditum peccaret, neque verò delictum ejusmodi præsumi debeat. E contrario verò istam taciturnitatem esse sufficiens signum dispensationis, negant Abbas, Hostiensis, Innocentius, & alij plures à Sanche *lib. 8. de Matrim. cap. 13. n. 18.* allegati: Quibus subscribimus ex eo, quòd Episcopus admittens ad Divina excommunicatum, non censeatur illum absolvere. *ex Can. Cùm desideres. de sent. Excomm.* Nisi ergo justa subsit dispensandi causa, & ex alijs conjecturis præsumi possit, superiorem, suâ taciturnitate, vel non contradictione consentire pro hic & nunc in legis relaxatione, nequit taciturnitas superioris esse sufficiens signum dispensationis, eò vel maximè, quòd æquè, vel etiam graviùs peccare posset dispensando; dum nulla scilicet fortè interveniret causa, quàm suâ taciturnitate permittendo peccatum subditi.



CONTRO-

CONTROVERSIA V.

Quæ conditiones servandæ sint in dispensationibus pro Foro Interno a Sede Apostolicâ Delegatis?

1. IN quadruplici præsertim casu à sacrâ sedis Apostolicæ Pœnitentiariâ committuntur ejusmodi dispensationes. *Primus* est in voto religionis, cujus forma ita se habet. Discreto viro confessori Magistro in Theologiâ, vel Decretorum Doctori ex approbatis ab ordinario per latorem præsentium specialiter eligendo, salutem in Domino &c. Nos discretioni tuæ committimus, quatenus si ita esse, ac latorem stimulis carnis adeò agitatum, ut maximè dubitet, continere non posse, ac propterea de ejus continentiâ, probabiliter timendum, per diligentem Oratoris examinationem, ac post monita & consilia opportuna illi præstita inveneris: eundem à mutatione propositi absolvas, hâc vice in formâ Ecclesiæ consuetâ, injunctâ ei pœnitentiâ salutari: sibique votum prædictum, ad hoc ut Matrimonium legitimè contrahere possit, in frequentiam Sacramentalis Confessionis peccatorum suorum, singulis scilicet mensibus semel, aut quoties tibi videbitur, & in alia pœnitentiæ opera perpetua per te injungenda, inter quæ sint etiam aliqua religionis, ut ea adimplens meminisse semper possit obligationis, quâ hujusmodi voto adstringebatur, prout secundùm Deum ipsius animæ saluti expedire judicaveris, dispensando commutes, in foro conscientiæ tantùm. Datum Romæ &c.

2. *Secundus* casus se tenet circa votum Castitatis, pro cujus dispensatione non nisi ob incontinentiæ periculum Romæ committi solitâ, sequens servatur forma. Quamvis si ita esse, ac Oratorem stimulis carnis adeò agitari, ut maximè dubitet, continere posse; & propterea de illius incontinentiâ probabiliter timendum, per diligentem Oratoris examinationem, ac post monita & consilia opportuna illi præstita inveneris, eundem à mutatione propositi absolvas hâc vice, & cum eodem, ut matrimonium sic contrahere, & in eodem postmodùm remanere, & debitum conjugale exigere licitè valeat, misericorditer dispenses in foro conscientiæ tantùm, ita quòd, si conjugi supervixerit, maneat postea cœlebs, & in castitate, utpote eodem voto, ut priùs, obligatus.

3. *Tertius* casus se tenet circa dispensationem in affinitate ex fornicatione occultâ ad ineundum matrimonium, ubi servatur sequens forma. Discretioni tuæ committimus, quatenus si est ita, dictum latorem absolvas hâc vice; dummodo impedimentum inde proveniens occultum sit: & cum eodem latore, quòd præmissis nō obstantibus, matrimonium cum dictâ sorore, & uterque inter se, servatâ formâ Tridentini, contrahere, & in eo postmodùm remanere licitè valeant, jure dispenses; prolem suscipiendam exinde legitimam nuntiando, in foro conscientiæ tantùm. Ita quòd hujusmodi absolutio & dispensatio latori in foro judiciario nullatenus suffragetur. Nullis super his testibus adhibitis, aut litteris datis, seu processibus confectis, sed præsentibus laniatis &c.

4. *Quartus* denique casus versatur circa Dispensationem occultæ affinitatis ex fornicatione committendâ post matrimonium inter Oratores jam contractum. Ubi forma sequentis est tenoris. Discretioni tuæ committimus, injunctâ eorum cuilibet pro tam enormi libidinis excessu gravi pœnitentiâ salutari &c. Quod diligenter experiantur, an sine scandalo possint separari? Quod si fieri potest, fiat omnino, sin autem fieri non poterit, saltem experiantur, an cohabitantes tanquàm frater & soror continenter vivere valeant? Quòd si neutrum fieri valeat, & ex cohabitatione incontinentiam, ex separatione verò scandala oriri posse, tibi visum fuerit, cum ipsis latoribus de nullitate prioris consensûs certioratis, sed ita cautè, ut, si illa adhuc ignorarit, latoris delictum nullatenus detegatur, dispensa, ut matrimonium inter se secretò contrahere valeant: prolem susceptam, si quæ sit, & suscipiendam exinde, legitimam decernendo in foro conscientiæ tantùm. Quibus taliter positis, expedit sigillatim discutere singulas in dispensationibus ejusmodi necessariò servandas conditiones.

CONCLUSIO.

IN expediendis dispensationibus à sacrâ Apostolicâ Pœnitentiariâ per rescriptum commissis Confessario per Pœnitentem eligendo, sequentes servari debent conditiones.

5. 1. Requiritur, ut is, cui tale Apostolicum rescriptum expedire licet, sit Doctor in sacrâ Theologiâ, vel jure Canonico, nec sufficit esse Licentiatum, vel Professorem & Jubilatum, nisi de speciali privilegio, cujusmodi competit Religiosis mendicantibus, ac privilegia eorum participantibus, ut cum licentiâ Superioris possint ejusmodi dispensationem validè exequi, cùm econtra Religiosus gradu Doctoratûs insignitus id possit, non petitâ tali licentiâ. Portel *verb. Confess.* 2. Debet Confessarius esse approbatus ab Ordinario. *ex contextu litt. sacr. pœnit.* 3. Dispensatio facienda est cum examinatione & approbatione Causæ in litteris Apostolicis expressæ: cujusmodi tamen cognitio nequè per testes, nequè per Juramentum dispensandi, sed per hujus, cui sub Divini Judicij interminatione seriò admonito credendum est in foro pœnitentiæ, affirmationem fieri debet, ex Castropalao *punc. 15. §. 1. n. 4.* Cæterùm quando dispensatio voti Castitatis conceditur ob periculum incontinentiæ, Bonacina *to. 2. disp. 1. q. 2. punc. 2.* notat, non sufficere quodcumque lapsûs periculum, sed requiri frequentiores lapsus, sive ex fragilitate, sive pravâ consuetudine accidentes. 4. Cùm in litteris sacræ Pœnitentiariæ habeatur, ut taliter dispensandus absolvatur à mutatione propositi Castitatis, injunctâ salutari pœnitentiâ, existimat nonnemo, opus esse absolutione Sacramentali cum præviâ Confessione: attamen oppositum probat Sanchez *disp. 34. n. 29.* 5. Ex præfatis litteris exactè observandum est, ut voti Castitatis fiat com-

mutatio in frequentiam confessionis scilicet singulis mensibus semel, vel quoties videbitur Confessario, aliave pietatis opera quotidiana. Unde arbitratur Sanchez *n. 33.* esse in potestate Confessarij, ut pensatis circumstantijs, imponat Confessionem tertio mense, possitque moderari pietatis quotidiana opera, prout sibi visum fuerit. 6. Cùm in prætactis litteris mandatur, ut à Confessario dilanientur, id non esse de substantiâ dispensationis, sed Pontificis mentem duntaxat esse, ne litteræ ejusmodi in foro externo Oratori suffragentur, docet Salas *disp. 20. de Legibus. sect. 10. n. 98. circa finem.* 7. Si ejusmodi Dispensationis litteræ sint concessæ pro Matrimonij impedimento v. g. Consanguinitate, affinitate, debet ista esse occulta, & non deducta ad forum contentiosum. *ex contextu litt. sac. pœnit.* At occultum dicitur, quod non potest probari, ex Garciâ *de Benef. p. 7. cap. 11. n. 46.* sive quod non est publicum, id est, à majori parte viciniæ, in quâ ad minimum sint decem personæ, cognitum, Sanchez *cit. disp. 34. n. 55. & alibi.* Quòd si per citationem sit deductum ad forum externum, sed non probatum, fueritque adeò reus absolutus, jam tunc impedimentum esse occultum, posseque proinde dispensari, docet Castropalaus *ex cit. §. n. 11.* 8. Cùm in præfatis litteris habetur, ut *Conjux impedimenti ignarus certificetur de nullitate prioris Matrimonij*, debet hoc ex sententiâ Sanchezij *cit. disp. 34. n. 61.* taliter accipi, ut clausula illa censeatur apposita non pro valore dispensationis, sed pro Matrimonij restauratione. Unde quia sine inimicitiâ, aliove gravi incommodo revelatio illa non potest quandoque fieri, expedit, ut consensus in Matrimoniũ alijs modis, *de quibus agitur in Tract. de Matrimonio.* per quos Matrimonium nulliter contractum occultè revalidari potest, procuretur. 9. Potestas legitimandi prolem in his dispensationibus cõcessa prodest pro foro duntaxat interno, non autem externo, Castropalaus *in fin. §. cit.* quamvis si ex parte unius conjugis fuerit bona fides pro utroque foro proles reputetur legitima. 10. Etsi in litteris præfatis caveatur, ut priusquàm fiat dispensatio, separentur Conjuges, si fieri possit absque scandalo, vel alioquin cohabitent ut Frater & Soror, nõ esse istud necessarium in periculo incontinentiæ, censet Sanchez *cit. n. 10.* maximè cùm istud in Bullâ committatur prudentiæ Confessarij per verba, *si fieri valeat*, vel, *si visum fuerit.* 11. Denique Dispensationes ejusmodi oportet omninò gratis fieri, adeò ut neque per modum recompensationis possit aliquid expostulari, *veluti ex communi stylo & verbis litterarum sacra pœnitentiaria* notat Castropalaus *citatus.*

***

QUÆ-

QUÆSTIO DECIMA OCTAVA.

DE

RESCRIPTIS AC PRIVILEGIIS.

1. DE his convenienter agitur in præ[illegible], tum quòd per rescripta Gratiæ ut plurimùm soleant committi aliquæ dispensationes; tum quòd per rescripta Justitiæ fiant commissiones pro litibus decidendis, pro cujusmodi adeo decisione jus dici debet secundum leges; tum quòd, sicuti lex est jus scriptum generale ad omnes subditos directum, sic rescriptum sit jus scriptum speciale de causis pecularibus, actibus, vel personis decernens: tum quòd Privilegium sit partim gratia, quandam à lege, seu jure aliquo communi exemptionem concedens, quasi legis Privium seu Privatio dictum, partim sit lex quædam privata pro certo hominum genere statuta.

ARTICULUS I.

DE

Rescriptis.

2. RESCRIPTUM definiri solet Concessio Principis per litteras authenticas legitime facta. Etenim ad preces, sive libellos supplicatorios, quæ *in Canone. Si[illegible]statur. de Rescriptis.* dici solent petitoria, insinuationes, & oblationes petitoriæ, Princeps respondendo, dicitur rescribere. Cujusmodi responsa in scriptis concessa Papæ, vel Imperatoris aliusve summi Principis dicuntur Rescripta, quæ in lege Civili subinde etiam vocantur Divinæ jussiones, affatus sacri, Imperiales concessiones. Circa cujusmodi adeo rescripta sequentes hîc decidemus controversias. *1. An, & qualiter rescriptum teneat alterius nomine impetratum sine mandato? 2. Ex quibus erroribus rescriptum vitietur? 3. an rescriptum sub- vel obreptitiè obtentum sit ipso jure nullum, vel annullandum? 4. Quænam causa pro rescripti impetratione sint necessariò exprimendæ, ita ut ex earum taciturnitate rescriptum vitietur? 5. Ex quorum expressione falsâ rescriptum vitietur?*

CONTROVERSIA I.

An, & Qualiter rescriptum teneat alterius nomine impetratum sine mandato?

PRo hàc, & sequentibus controversiis apprime notanda est differentia inter rescrip. Gratiæ & Justitiæ. Rescriptum autem Gratiæ dicitur, quod continet dispensationem, seu facultatem dispensandi, Præsentationem, aut collationem Beneficij, sive quamcunque aliam gratiam. Rescriptum verò Justitiæ est, quod dat Jurisdictionem ad lites, uti probat Menochius *lib. 2. centur. 3. casu* 201. *n.* 1. 3.

CONCLUSIO.

HOc discriminis est inter rescripta gratiæ & Justitiæ, quòd ista, non verò illa requirant speciale mandatum.

4. Prior pars de Justitiæ rescriptis clarè evincitur *ex Can. Nonnulli. §. fin. de rescriptis. ubi* Glossa sic habet. *Sic ergo generalis Procurator non sufficit ad impetrandas litteras.* Suffragatur etiam Canon. *Qui ad agendum. de Procuratoribus in 6.* Verùm hinc excipiuntur sanguine juncti, ita ut isti sine mandato (dum non agitur de causâ, quæ juxta *leg. Illud. & leg. Patri. ff. de minoribus.* non requirit speciale mandatum,) possint pro altero conjuncto impetrare rescriptum, veluti non obscure insinuatur *in cit. §. fin. Can. Nonnulli.* Quia nimirum propter affectionem, quæ naturaliter solet esse inter sanguine junctos, non præsumitur, quòd conjunctus pro conjuncto aliud impetret, quàm ipse Principalis impetraret. *ex leg. Si servus.* & *ibi Glossâ. ff. de Donat. inter virum, & uxorem.* In quo tamen debere conjunctum præstare cautionem pro rato, cum Speculatore tradit Viviatus *in cit. Can. Nonnulli in fine.* An verò in casu, quo rescriptum Justitiæ pro altero est impetratum sine mandato, tale rescriptum sit ipso Jure nullum, vel annullandum? non convenit omnino inter Doctores: videtur tamen ejus nullitas evinci *ex cit. Can. Nonnulli.* ubi statuitur, *ut ejusmodi litteræ non valeant.* Et *in Can. Ex parte. eod. tit.* dicitur, *tales litteras non valere.*

Poste-

6. Posterior pars de rescriptis gratiæ à Suaretio *lib. 6. de Legib. cap.13. n. 6.* Navarro *conf.* 14. *n. 4. de Rescriptis* & alijs tradita probatur. Tum quia Jus Canonicum in rescriptis duntaxat Justitiæ statuit, ne valerent, si pro altero impetrentur sine mandato. Hujus autem constitutionis ratio erat, ut lites potiùs amputentur, quàm ut Dominis ignorantibus suscitentur. At ista ratio non militat in rescriptis gratiæ. Tum quia *in lege. Universis. Cod. de Precibus Imperatori offerendis* exprefse cavetur, rescriptum ab Imperatore impetratum esse validum, per quemcunque impetretur. Hinc tamen excipiuntur
7. personæ, quæ de jure prohibentur impetrare rescriptum. Cujusmodi sunt 1. servus, nisi de cæde Domini vindicandâ agatur. *leg. Licèt servulus. Cod. de precibus Imperatori offerendis.* 2. Hæreticus. *ex Glossâ in Can. Super litteris. de Rescriptis.* 3. Excommunicatus. *ex Can. Ipso Jure 1. eod. tit. in 6.*

8. Advertendum hic porrò venit, quòd, licèt dispensatio, gratia, & privilegium absque mandato impetratum pro altero habeat valorem, non tamen sortiatur effectum quousque innotescat & acceptetur ab illo, pro quo est impetratum. Ratio est. Tum quia talis gratia est quædam donatio, quæ per acceptationem completur. Tum quia, ne gratiæ Principis vilipendantur, non expedit, eas concedi nolenti: Imò in dispensationibus convenit Principem esse difficilem, ut non nisi quasi coactus concedat; uti ex Mandosâ, Rodrique, Suare, & alijs notat Castropalaus *præs. disp. 6. punc. 11. n. 3.* addens in fine, tametsi gratia impetrata absque mandato valeat, ejus tamen acceptationem non valere nisi ex mandato illius, pro quo impetrata est, eò quòd gratiæ valor præcisè à concedente, acceptatio verò illius ab ipso, cui gratia confertur, dependeat. *ex Capit. Si tibi absenti de Præbendis. in 6.*

CONTROVERSIA II.

Ex quo errore vitietur Rescriptum?

1. ALter error in Rescripto contingens potest esse materialis circa linguam latinam; alter formalis circa rem ipsam rescripto significatam & intimatam. De quo duplici errore procedit præsens controversia.

CONCLUSIO I.

VItium, seu Error latinitatis fundat præsumptionem Juris de nullitate Rescripti.

2. Probatur. Cùm enim rescriptum Papæ transeat per multas manus, & magna maturitate decoquatur. *ex Cap. Apostolicæ. & ibi Glossâ 35. q. 5.* Ideircò non est verisimile, quòd aliquis illorum non viderit falsam latinitatem, eamque non emendaverit. *ex Glossâ præs. Can. Ad audientiam.* Et hinc si rescriptum Papæ habeat falsam latinitatem, præsumitur non emanâsse à Papâ, sed esse falsificatum ab alio. *Glossa ibidem.* Adduque Barbosa ex Felino & Baldo, tale rescriptum vitiari ex toto, & non solùm quoad illam partem, in quâ continetur vitium constructionis. In quo tamen casu, ut falsa latinitas vitiet rescriptum, debet esse manifesta, nec debet posse salvari per figuram. ex Abbate *in Can. cit. n. 2.* Secùs tamen est in rescriptis Imperatorijs, quæ ob vitium linguæ latinæ non illico invalidantur; uti Vallensis *tit. de Rescriptis. §. 7. n. 2.* probat. *ex lege. Imperator. ff. de statu hominum.*

CONCLUSIO II.

ERror circa materiam rescripti, si substantialis sit, facit rescriptum invalidum, non verò, si fuerit error duntaxat accidentalis.

Explicatur & probatur. Nam 1. si dispensatio sit petita pro voto Castitatis, cum tamen sit religionis, vel pro voto non nubendi, cùm tamen sit Castitatis, sive assumendi sacros Ordines, non tenet rescriptum; quia votum Castitatis & sacros Ordines sumendi est diversum, imò majus voto non nubendi, sicuti etiam votū religionis est superius voto Castitatis, ex Suare *lib. 6. de Voto. cap. 27. n. 6.* Sanche *lib. 4. in Decalogum. cap. 47. n. 28.* qui *n. 35.* addit, neque valere rescriptum pro voto profitendi, si petita sit dispensatio pro voto duntaxat religionis, cum illud sit inferius illo; cum tamen econtra, si ab habente votum religionis petatur dispensatio pro voto profitendi teneat rescriptum, eò quòd in isto contineatur illud, nec error adeò sit in substantialibus; veluti tradit etiam Suarez *citatus.* 2. Si 3.
petitio facta sit pro Beneficio simplici, cum tamen sit curatum, non subsistit rescriptum: sicuti etiam corruit dispensationis concessio, si habens unum impedimentum ad matrimonium seu Beneficium, petierit dispensationem in alio licèt graviori, quia error tunc est in materiâ substantiali. ex Castropalao *præs. disp. 6. punc. 16. §. 3. n. 5.* 3. Si error sit circa personam, cui committitur dispensatio seu executio rescripti, dum v. g. is, pro quo facta est insinuatio & petitio, est ex Diœcesi Constantiensi, & Pontifex rescribendo mandat executionem Officiali Augustano, invalidum est rescriptum. ex Sanche *lib. 8. de Matrim. disp. 21. n. 39.* contra Basilium Pontium *lib. 8. cap. 17. n. 43. in fine.* Ratio est, Quia neque Officialis Augustanus id valet expedire, eò quòd Pontifex secundum Concilium Tridentinum *sess. 22. de Reform. cap. 5.* non nisi ex certâ scientiâ deleget alteri executionem rescripti, quàm Ordinario Oratoris. Et hinc tale rescriptum processit ex errore substantiali. 4. Si in rescripto, loco Francisci positum sit nomen Petri, hic error in nomine, utpote merè accidentarius, non officit valori rescripti. ex Sanche *cit. lib. 8. disp. 21. n. 37.* Ratio est. Quia intentio Pontificis fertur super illum, pro quo facta est oblatio seu petitio, estque per accidens, quòd hoc, vel illo nomine appelletur, uti arguitur *ex Instit. de Legatis. §. Si quis in nomine. & leg. Si quis in fundi. 4. ff. de legat. 1.*

(MARIA)

CONTRO-

CONTROVERSIA III.

An rescriptum subreptitiè, vel obreptitiè obtentum sit ipso jure nullum, vel annullandum?

1. JAson *lib.1. cons. 2. in themate n.1. vers. Imò plus.* putat, obreptionem fieri per expressionem falsi, subreptioné verò per taciturnitaté veri, quòd alias fuisset exprimendum. Nihilominus subreptionem & obreptionem esse synonima, *ex l.1. Cod. de nuptiis*; probant Baldus *in principio ejusdem legis. in vers. obreptione*, & Decius *in cap. Cæterum. n. 25. vers. sed tamen talis differentia. de Rescriptis.* Quare Prosper Fagnanus *in Cap. Super litteris. de Rescriptis. n. 8.* ait, quod subreptio, vel obreptio sit expressio falsi, vel taciturnitas veri, quo non expresso, vel tacito, Papa nullo modo litteras concessisset, sed potiùs denegasset.

CONCLUSIO I.

REscriptum gratiæ est ipso Jure nullum, si per subreptionem, vel obreptionem sit obtentũ: ita multis alijs relatis Tiraquellus *in tract. cessante causâ. limit. 1. n. 12. ac sequent.* Garcia *8. par. de benefi. cap. 3. à princip.* Sanchez *lib. 8. de Mat. disp. 21. n. 10.*

2. Probatur ex *Canone fin. de Filiis Presbyterorum in 6.* ubi *rescriptum per subreptionem obtentum dicitur esse nullius momenti.* Et *in Can. Postulasti. De Rescriptis.* habetur, *quòd commodum reportare non debeat ex hujusmodi Litteris, utpote veritate tacita impetratas.* At verò licèt isti Canones procedant in materiâ beneficiali, ex omnium tamen Doctorum sententiâ fit eorundem extensio ad dispensationes, & quasvis alias materias gratiosas; uti videre est apud Fagnan. *in Cap. Ad audientiam. n. 26. De Rescriptis.* addens *n. 27.* hoc procedere etiamsi ignoranter & per simplicitatem fuerit subreptum; satis enim esse, ut aliàs princeps verisimiliter non esset concessurus, uti habetur *in Cap. Constitutus. eod. tit.* Cujus ratio est; quòd censeatur abesse voluntas concedentis, quando exprimitur falsum, vel tacetur, quod de jure erat exprimendum.

CONCLUSIO II.

REscriptum Justitiæ per subreptionem obtentum non est ipso Jure nullum, sed annullandum ope exceptionis. ex Castropalao *præcitato. punc. 16. §. 2. n. 2.* & Fagnano *supra n. 28.* & Canonistis communiter.

3. Probatur *ex Cap. Si autem. & Cap. Plerumque. de Rescriptis.* ubi secundum rescriptum impetratũm per subreptionem, id est, per taciturnitatem primi rescripti, non est ipso jure nullum, sed venit cassandum; alioquin enim, si esset ipso jure nullum, non convalesceret, datâ negligentiâ primi rescripti Impetrantis.

4. Ratio differentiæ, cur subreptio magis afficiat Litteras gratiosas, quàm contentiosas, deducitur à Fagnano *n. 37.* Quia in Litteris gratiosis, cùm non sit pars, quæ possit excipere de subreptione, Impetrans verisimiliter pergeret in detentione Beneficij injustè occupati. Unde cessante provisione hominis, necesse fuit, ut Lex provideret, inficiendo gratiam. At verò in Litteris Justitiæ adest pars, cujus interest, quæ potest opponere exceptionem subreptionis & appellare. Unde stante provisione hominis, non oportuit, ut Lex provideret irritationem Litterarum.

CONCLUSIO III.

IN rescripto subreptitiè obtento plurimùm interest, an subreptio sit dolosa, vel processerit ex simplicitate & ignorantiâ. 5.

Explicatur & probatur per aliquot regulas à Fagnano *in Can. Super Litteris. de Rescriptis.* expositas. Quarum *prima* est, quòd subreptio dolosa in Rescriptis tam Beneficialibus & gratiosis, quàm contentiosis, etiamsi fuerit causa partis duntaxat rescripti, imò licèt suppressio falsi, vel taciturnitas veri non fuerit causâ concessionis, vitiet rescriptum in totum.

Probatur. *ex Can. Super Litteris. De Rescript.* ubi cavetur, ut dolosè impetrantes rescripta in suæ perversitatis pœnam nullum ex illis Litteris commodum consequantur. Unde fit, quòd vi talis Rescripti Delegatus nec secundum specialem vel favorabilem in Litteris traditam formam, *summariè* scilicet ac *simpliciter*; nec secundum Juris ordinem de causâ cognoscere possit, ex Ioanne Andreâ *in præalleg. Can. n. 10. in ver. prorsus.* Fagnanus tamen *citatus n. 34.* limitat illam Regulam *primò*, ut locum non habeat, si subreptio non attingat substantiam & formam, sed sit de aliquo, quod est extra ea, quæ continentur in Litteris. *Secundò*, si plura in Rescripto fuerint narrata alternative, tunc, ait enim illâ duntaxat partem vitiari, super quam cadit subreptio. *Tertiò*, subreptionem etiam scienter ac dolosè factam non vitiare Litteras, si sint obtentæ *motu proprio* Papæ; modo subreptio se non teneat ex parte rei seu materiæ, sed ex parte impetrantis duntaxat, eò quòd *Motus proprius* Principis omnem subreptionem excludat. *Clement. Si Romanus De præbend. & Cap. si motu proprio. eod. tit. in 6.* Rota *decis. 353. n. 1. part. 4. recent.* 6.

7. *Secunda regula* est, quòd expressio falsitatis, vel taciturnitas veritatis ex simplicitate, vel ignorantiâ proveniens, si non sit causa concessionis, nec ad earum expressionem de Jure communi teneatur impetrans, in materijs etiam Beneficialibus rescriptum non vitiet. ex Innocentio *citato Can. Super Litteris. n. 1. vers. secunda Regula.* Hostiensi *n. 10.* Ioanne Andreâ *n. 25.* & alijs. Probatur ex textu præcitati Canonis ubi sic habetur. *Nos igitur inter eos, qui per fraudem vel malitiam, & illos, qui per simplicitatem vel ignorantiam Litteras à nobis impetrarunt, hujusmodi credimus discretionem adhibendam, ut hi, qui priori modo falsitatem exprimunt, vel supprimunt veritatem, in sua perversitatis pœnam nullum ex illis Litteris commodum consequantur. inter alios autem, qui posteriori modo Litteras impetrant, duximus distinguendum, quæ falsitas suggesta fuerit, vel quæ veritas sit suppressa; nam si talis sit expressa falsitas, vel veritas occultata, quæ quamvis fuisset tacita vel expressa,*

nos nihilominùs (*saltem in formâ communi*) *Litteras dedissemus, Delegatus non sequens formam in Litteris ipsis appositam, secundum ordinem Juris in Causâ procedat.*

8. *Tertia Regula* est, quòd expressio falsitatis, vel suppressio veritatis per simplicitatem, vel ignorantiam etiam in Beneficialibus vitiet rescriptum in totum, si substantiæ Rescripti sit inductiva, seu fundamentum, vel causa totius concessionis, ita ut Princeps tacitâ veritate, vel expressâ falsitate, nullo modo dedisset litteras, ex Innocentio hic *n. 4. in vers. Si verò tertia Regula.* Hostiensi *n. 10. ver. vel per simplicitatem.* Ioanne Andreâ *n. 11.* Abbate *n. 4. & 6.* Probatur ex textu præallegati Canonis, ubi pergit Pontifex: *Si verò per hujusmodi falsitatis expressionem, vel suppressionem etiam veritatis Litteræ fuerint impetratæ, quâ tacitâ, vel expressâ nullas prorsus Litteras dedissemus, à Delegato non est aliquatenus procedendum, nisi forsitan eatenus, ut partibus ad suam præsentiam convocatis de precum qualitate cognoscat, ut sic in utroque casu eadem ratio, quæ Delegantem moveret, moveat etiam Delegatum, & ubi Delegans suas Litteras denegaret, Delegatus etiam suæ cognitionis officium nullatenus interponat.*

9. *Quarta* denique *Regula* est, quòd subreptio per simplicitatem vel ignorantiam quæ non fuit causa totius concessionis, sed partis duntaxat, rescriptum non vitiet in totum, sed eatenus tantùm, quatenus fuit causa concessionis. ex Abbate *in prœcitato Can. n. 3.* Ioanne Andreâ *n. 8.* & alijs. Probatur ex eo, quòd Pontifex *ubi supra.* notanter dicat, si veritas occultata, vel falsitas expressa ita se habeat, ut hâc etiam tacitâ, & illâ expositâ saltem in formâ communi Litteras dedisset, Delegatum non quidem sequendo formam in Litteris appositam, sed secundùm ordinem Juris in Causâ procedere debere. Ex quo proinde videtur evinci, Rescriptum non vitiari quoad substantiam processûs, sed quoad formam & modum specialem procedendi. Cujus equidem ratio est. Quia vitium eatenus vitiare debet actum, quatenus ingreditur hujus substantiam, ut sic quantitas infirmitatis actûs mensuretur quantitati vitij: si ergo subreptio causet formam totam, debet istam duntaxat vitiare relictâ substantiâ. Uti tradit etiam Rota *par. 7. in recent. decis. 169. n. 5. vers. & benè applicatur elegans Doctrina Butrij.*

10. In quo tamen adhuc duplex adhibenda est cautela & limitatio, ita ut præadducta *quarta regula* non procedat *primò*, si obtentum per subreptionem etiam non dolosam habeat connexitatem cum reliquâ rescripti materiâ; tunc enim ratione talis connexitatis vitiatur totum rescriptum. ex *Cap. Constitutus. de Rescriptis.* Neque *secundò* in privilegijs, hæc enim per subreptionem etiam non dolosam vitiantur indistinctè, uti tradunt Butrius, Imola, & Dominicus relati à Felino in *Cap. Super Litteris. n. 7. De rescript.*

11. Cæterùm pro coronide hujus controversiæ venit adhuc decidenda difficultas; *An, dum dicitur, quòd, si causa concessionis vitiatur, debeat etiam Rescriptum ex simplicitate licèt ac ignorantiâ obtentum, pro talis vitij quantitate vitiari, hoc intelligi debeat de causâ duntaxat finali & inductivâ, seu motivâ, vel etiam de impulsivâ?* Etenim affirmant Glossa in *Cap. fin. in figuratione casûs. De Filijs presbyter. in 6.* Abbas *in Cap. Super Litteris. n. 7. de Rescriptis.* Seraph. *dec. 19. n. 2.* ubi dicidit, resignationem esse subrepticiam, si quis in impetratione Beneficij dicat se esse Romanum, & postea in resignatione dicat se esse forensem, eò quòd Papa fuerit motus ad faciliùs concedendum, quam si narrasset, se esse civem Romanum, cùm hoc casu opus esset derogatione. Verùm Sanchez *lib. 8. de Matrim. disp. 21. à n. 13.* Salas *de legibus. disp. 20. sect. 15. n. 115.* Suarez *lib. 6. de voto cap. 27. à n. 6.* Fagnanus *n. 69.* allegatis pluribus Canonistis, distinguunt, asserendo, quando tacetur id, quod de Jure erat exprimendum in Litteris, tunc taciturnitatem etiam non dolosam vitiare Litteras, licèt Papa eo expresso concessisset, quamvis nõ de facili. *Ex cap. Si motu proprio. De præbendis in 6.* Si verò per ignorantiam taceatur id, de quo non est cautum in jure, ut debeat exprimi, tunc Litteras non vitiari, licèt eo expresso difficiliùs fuissent obtentæ. ex Glossâ *in Clem. 1. in verb. vel alteri. post init. de præbendis.* Rotâ *decis. 32.* Et hinc Castropalaus *tit. §. 4. n. 3.* cum Garciâ *8. de Benefic. cap. 3. n. 50.* & pluribus ab ipso relatis sequentem statuit *regulam*, quòd illorum, quæ à Jure (sub hoc communi, intelligendo etiam stylum Principis seu Curiæ, nec non consuetudinem) mandantur exprimi, tum taciturnitas, tum expressio falsa vitiet rescriptũ; siquidem ex talibus Princeps secundum Jus moveatur in Rescripto, concedendo, vel denegando. Et hinc omne rescriptum juxta tales de Jure exprimendas conditiones habet subintellectam conditionem: *Si preces veritate nitantur.* ex *Cap. 2. de Rescriptis.*

✽✽✽✽✽✽✽✽✽)(✽✽✽✽✽✽✽✽✽

CONTROVERSIA IV.

Quænam Causæ de Jure, vel Consuetudine debeant exprimi pro Litteris Apostolicis obtinendis, quarum reticentia taciturnitas vitiet Rescriptum?

SUper hoc puncto per Felinum in *Can. Super Litteris. n. 8. ac sequen. De Rescriptis.* fusè traduntur sequentes *regulæ.* 1.
Prima. Ad cognoscendum, quibus expressis, Papa fortè gratiam non esset concessurus; attenditur stylus communis Principis, vel cursus Cancellariæ; cujus ratio esse potest. Quia stylus Curiæ jus facit. *Cap. Quàm gravi. De crimine falsi.* Unde eodem modo ac Jus, observandus est, uti præter alios notat Menochius *de arbitrar. lib. 2. cent. 3. casu. 201 n. 28.* Et hinc licèt stylus Curiæ quoad solennitates accidentales judicij non obliget, tenendus tamen est quoad qualitates in dispensationibus, vel litteris gratiæ, aut Justitiæ exprimendas, utpote quæ juxta stylum Curiæ, unde emanarunt, judicandæ sint veræ, vel falsæ. Sanchez *lib. 8. de Matrim. disp. 21. n. 16.*

Secunda Regula est. Quòd subreptio circa malam Juris communis deductionem non vitiet rescriptum, quòd Papa tunc non dicatur decipi, utpote *præsumptivè* sciens omnia Jura, ex Rotâ *decis. 67. in antiq.* Et hinc ea, quæ de jure certa sunt, non indigent expressione, veluti Archidiaconus non debet facere mentionem *Curæ*, utpote sibi annexæ de Jure. 2.

Tertia Regula. Non est necessarium exprimere ea, quæ sunt notoria in Curiâ Papæ, nisi aliquo modo posset cadere in Papam ignorantia alicujus 3.

alicujus individui, dum materia alioquin in genere est publica in Curiâ. Et hinc non sunt subreptitiæ litteræ Papæ, si non fiat mentio de reservatione, quam fecit Papa.

4. Quarta Regula. Omnis obstantia gratiæ quæ clarè intelligi possunt ex narratis, videntur tacitè esse sublata, licèt in gratiæ concessione de illis tollendis nihil fuerit expresse dictum. Et hinc si fuit petita absolutio à pluribus excommunicationibus, & concedatur simpliciter, censetur concedi ad omnes petitas: similiter si bannitus petijt salvum conductum per decem dies, & fuit simpliciter concessus, intelligitur pro decenio, juxta petitionem. *Inilit. §. præterea. De inutili stipulat.*

5. Quinta Regula. Si non est alteri Jus quæsitum, tollit omnem subreptionem, quæ posset allegari à tertio prætendente, Rescriptum esse præjudiciale, & non est opus aliâ mentione suæ coloratæ possessionis. ex Card. *cons. 94.*

6. Sexta Regula. De litis pendentiâ debet fieri mentio in rescripto ad lites. ex Glossâ *in cit. Can. Super Litteris.* Et hinc impetrans Rescriptum super causâ inchoatâ ab Ordinario, debet facere mentionem de processu Ordinarij. ex Rotâ *decis. 14. in antiq.*

7. Septima Regula. Impetratio tacens de sententiâ, extra causas tamen Matrimoniales, quæ transivit in rem judicatam, est subreptitia, nisi adjiciatur clausula, *non obstante tali sententiâ transactâ, sive transitâ in rem judicatam*, ita Doctores *in Cap. Exposita. de arbit.*

8. Octava Regula. Fundans subreptionem Rescripti alieni in taciturnitate actûs, quem priùs impugnavit, non auditur, nisi adhuc pendeat quæstio super ipsâ impugnatione, vel destitisset ab ipsâ impugnatione. Ægidius *conclu. 154.* & Rota *de appellat. decis 45. in antiq.*

9. Nona Regula. Generalis locutio rescripti non redditur subreptitia, si in aliquâ maximâ specie, inclusâ sub genere, verificari non possit. Glossa *in proœm. De rescriptis. in verb. Iudicijs.*

10. Decima Regula. Impetrans Rescriptum, ut possit expedire actum, qui realiter non potest expediri, nisi in certis casibus, debet exprimere, quòd ipse sit in aliquo illorum casuum. Et hinc quando impetrantur litteræ super appellatione à Correctione, debet exprimi casus justificans appellationem, quòd scilicet in corrigendo excedatur modus. ex Innocentio & Abbate *in Can. Ad nostram. in fine. de appellationibus.* Quibus proindè generatim ex Felino, ubi plura videri possunt, expositis, ad speciales aliquos Canones, ex quibus præsentis controversiæ punctum in singulis materijs dijudicare licebit, exponendos progredimur.

Conclusio I.

11. IN rescriptis ad lites ad subreptionem ex veri suppressione evitandam, singulariter notanda sunt sequentia exempla.

Primum Exemplum dolosæ subreptionis est in litigioso, qui dolosè impetrat secundum rescriptum, nullâ factâ mentione primi. *ex Can. Cæterum & Can. Ex honore. De Rescriptis*, item
12. *Can. 2. de Dolo. Secundum* dolosæ subreptionis exemplum est in eo, qui tacuit processum habitum super eodem negotio. *Cap. Inter. de re judicatâ.* Item qui dolosè tacuit litis pendentiam *Cap. 2. de testibus. Tertium* est in muliere, quæ impetravit Rescriptum super actione de Dote, cùm essent nuptiæ incestuosæ. *leg. Si quis incestuosus. Cod. De Incest.* Item in eo, qui impetravit tanquàm filius, cùm esset spurius. *leg. si qua illustris Cod. Ad orificianum. Quartum* subreptionis per ignorantiam, vel simplicitatem factæ Exemplum desumitur *ex Canone. Ex transmissâ, & Can. Verû. de foro competente*, si nimirum impetretur à Papâ Rescriptum Commissionis causæ super re feudali, non factâ mentione, quòd feudalis sit. 13. 14.

Conclusio II.

IN rescriptis ad Beneficia, ad subreptionem ex veri suppressione evitandam singulariter notanda veniunt sequentia Exempla. 15.

Primum dolosæ subreptionis exemplum desumitur ex Canone. *Ad aures.* Et *Can. Cùm adeò de Rescriptis.* ubi statuitur, non valere rescriptum impetratum ad Beneficia, si in eo taceatur Dignitas impetrantis. *Secundum* dolosæ subreptionis exemplum peti potest ex Canone. *Si motu proprio. 23. De preb. in 6.* ubi cavetur, obstare taciturnitatem Beneficij obtenti licèt modici, nisi constet, provisionem factam proprio motu Papæ. *Tertium* subreptionis per simplicitatem & ignorantiam factæ exemplum est in Canone *Constitutis. De rescriptis.* ubi decernitur, non valere impetrationem Beneficij in Ecclesiâ numeratâ, non factâ mentione de numero, si per eam frangatur numerus Canonicorum, licèt non frangatur numerus præbendarum. *Quartum* talis subreptionis Exemplum est ex Canone. *Ex litteris. 6. De transactionibus*, ubi cavetur, si Beneficium, quod per transactionem habetur, impetretur, ut vacans ab eo, qui fuit transactionis mediator, non valere impetrationem. *Quintum* denique Exemplum est in Canone *Cùm olim 11. De sent. & re judicatâ.* Ubi habetur, subreptitiam & invalidam esse Collationem, si Papa contra pronuntiationem suam confert beneficium. 16. 17. 18. 19.

Conclusio III.

IN rescriptis ad gratiosas Dispensationes, ad subreptionem ex veri taciturnitate vitandam singulariter veniunt observanda sequentia. 20.

Primò. Si quis fecit se legitimari tanquam simplicem naturalem, cùm esset incestuosus, ex vitio subreptionis non tenet rescriptum: ad defectus enim suppressos nunquam porrigitur dispensatio, sed oportet exprimi qualitatem defectuum, *leg. sed in hac §. Patronum. ff. De in Ius vocando.* Nihilominùs sufficit exprimere qualitatem in genere, nec opus est dicere, an sit illegitimè natus ex Moniali, vel Monacho, uti ex Baldo tradit Fagnanus *in cit. Can. Super litteris. De Rescriptis. n. 32. Secundò* tametsi Menochius *lib. 2. de arbitrar. cent. 3. casu 203. n. 6.* arbitretur, in impetratione Dispensationis fieri debere mentionem, quòd dispensatio priùs jam petita, fuerit negata: Oppositum tamen ex sententiis Sa- 21. 22.

 ris &

tis *de legibus. lib. 6. cap. 22. n. 1. ac seq.* Sanchis *lib. 8. de Matrim. disp. 22. n. 14.* Castropalai *cit. punc. 16. §. 4. n. 1.* est verisimilius, cùm neque Jus, neque stylus, neque consuetudo postulet illam
23. expressionem. *Tertiò* si dispensatio priùs fuit limitatè concessa, tunc secundam dispensationem absolutè datam priori tacitâ, fore subreptitiam, videtur dicendum cum Glossâ *in Cap. Si is. 2. De filijs Presbyterorum. in 6.* Gutierre *lib. 2. Canon. quæst. Cap. 15. n. 91.* Menochio *cit. cent. 3. casu 201. n. 19.* Covarruviâ *4. Decret. 2. par. cap. 8. §. 8. n. 5. vers. 7.* Ratio desumitur ex Canone 2. *de filijs Presb. in 6.* ubi deciditur, si illegitimus dispensandus ad unum Beneficium etiam curatum, deindè tacitâ istâ dispensatione aliam super pluralitate beneficiorum obtineat, non valere talem dispensationem. Verùm hoc nō obstante, Castropa-
24. laus *cit. §. 4. n. 3.* cum Suarezio *lib. 6. de legib. cap. 23. à n. 2.* existimat, secundam dispensationem non vitiari ex eo præcisè, quòd primæ dispensationis non sit facta mentio; siquidem in præallegato *Canone* secunda dispensatio declaretur nulla, non quia prioris dispensationis mentionem non fecerit, sed quia non meminerit illegitimitatis, in quâ solùm ad unum beneficium erat dispensatum. Unde defectu legitimitatis solùm in ordine ad unum beneficium dispensatæ, erat incapax ad pluralitatem Beneficiorum; ut super præallegatum *Canonem* docent Domi-
25. nicus *n. 7.* Francus *n. 2. notat. 3.* *Quartò.* Si Dispensatio prior cedat in præjudicium tertij, tunc priori tacitâ non tenet secunda Dispensatio, dum per hanc majus infertur præjudicium. Et hinc si quis obtinuit privilegium, ne teneretur solvere decimas ex agro, si suppresâ istâ dispensatione impetret secundam de non solvendis decimis ex vineâ, nulla erit dispensatio. *Argum: Canonis. Ad audientiam. De rescriptis,* ubi cessat rescriptum, vi cujus secundum beneficium concessum fuit, non factâ mentione concessionis de priori beneficio, quòd nimium talis concessio vergebat in præjudicium Ecclesiæ, cui damnosum est, plura obtineri ab uno beneficia, quæ pluribus adaptari possent. Pari ergo ratione dum in præjudicium tertij concessa est dispensatio, oportet, in secundâ dispensatione, ex quâ præjudicium tale augebitur, prioris facere mentionem. Ex Castropalao *citato n. 4.* & Doctori-
26. bus *ibi* allegatis. *Quintò.* Similem ob rationem facienda est mentio prioris dispensationis, si absque istâ non possit perfectè cognosci qualitas seu quantitas secundæ Dispensationis. ex Suare *cit. lib. 6. cap. 23. n. 11.* v. g. aliquis obtentâ dispensatione non residendi cum perceptione fructuum per quinquennium, si isto exspirante, petat prorogationem novi quinquennij, debet facere mentionem prioris gratiæ, cùm posterior concessio juncta priori æquivaleat gratiæ decennali, quam princeps, si exprimeretur, non esset fortè concessurus; similiter habens votum Castitatis, si obtentâ dispensatione contraxit Matrimonium, debet mortuâ conjuge, in novâ dispensatione impetrandâ facere mentionem prioris, cùm exinde augeatur voti relaxatio, quam princeps, si taceatur prior dispensatio, ritè pon-
27. derare non potest. *Sextò.* Qui pluribus ad Matrimonium contrahendum v. g. Affinitatis & Consanguinitatis duplicis impedimentis respectu suæ sponsæ arctatur, non potest unius impedimenti dispensationem validè obtinere, tacitis alijs, eò quòd singula impedimenta ex conjunctione aliorum reddantur difficiliora, velut Sanchez *lib. 8. de Matrim. disp. 23. n. 2.* Menochius *de arbit. lib. 2. cent. 3. casu 203.* Covarru. *4. Decret. 2. p. cap. 6. §. 4. in fine.* censent contra Navarrum *lib. 4. cons. tit. de Consang. cons. 7. n. 2. & 3.* & *cons. 8. & 9. eod. tit.* Emanuelem Sa *verb. Dispensatio. n. 16.* & alios. Excipi tamen debet casus, 28.
quo unum impedimentum sit occultum, tunc enim hujus per viam pœnitentiariæ, alterius verò publici impedimenti dispensationem per viam fori externi separatim petere licebit; uti rectè notat Castropalaus *cit. §. 4. n. 15.* esseque conforme stylo Curiæ Romanæ, refert Sanchez *citatus n. 23.* *Septimò.* Illum, qui duplex Castita- 29.
tis scilicet & Religionis votum habet, posse quidem istius dispensationem obtinere tacito Castitatis voto, non verò posse Castitatis dispensationem, tacito Religionis Voto, validè obtinere, censet Suarez *cit. lib. 6. cap. 24. n. 8.* Verùm Castropalaus *cit. §. 4. n. 13.* tenet contrarium, quòd, cùm Religionis Votum non obliget ad perseverandum, possit, hoc etiam non relaxato, Castitatis dispensatio utilis esse.

CONTROVERSIA IV.

Ex quorum expreßione falsâ Rescriptum annulletur?

EXemplum dolosæ subreptionis Rescrip- 1.
tum annullantis per falsi expressionē habetur in Canone, *Sedes Apostolica. 15. de Rescriptis.* vi cujus secundùm Baldum *ibi n. 7.* annullatur Rescriptum procedendi summariè ac de plano, obtentum ab eo, qui dixit se miserabilem Personam, cùm tamen callidè sit mentitus paupertatis ingenium. *arg. leg. 1. Cod. De mendicis validis.* Simili de causâ *in Can. Si proponente eod. tit.* pronuntiatur invalidum Rescriptum super beneficio obtentum ab illo, qui dixit, se non beneficiatum, cùm tamen haberet beneficium, licèt exiguum. Eandem ob causam *in Can. Ex litteris. de Transact.* invalidatur rescriptum super beneficio impetratum ab eo, qui mentitus est se Clericum, cùm tamen non esset tonsuratus.

Quibus adeò tanquàm certioribus positis, restat Difficultas, *An, si pluribus causis allegatis, una sit vera, & altera falsa, teneat Rescriptum desuper impetratum?*

CONCLUSIO

IN tali casu potest rescriptum quandoque, non tamen semper validum esse.

Explicatur & probatur. Nam 1. in allega- 2.
tione duplicis causæ quarum una sit vera, & altera falsa, fieri potest, ut ex ambabus conflectur una integra causa sufficiens ad dispensationem. In ejusmodi autem casu indubitatum est, corruere dispensationem, utpote corruente fundamento, cui nititur dispensantis voluntas. ex Covarruviâ *lib. 1. Variar. qq. cap. 20. n. 5.* Suare *lib. 6. de voto. cap. 27. n. 11.* 2. Fieri potest, ut in Re- 3.
scripto plures materias continente, pro unâ parte alle-

te allegetur causa falsa, pro parte verò alterâ causa vera. Tunc igitur si hoc fiat per dolum, vitiabitur Rescriptum ex toto, si verò id fiat per simplicitatem seu ignorantiam, vitiabitur ex illâ duntaxat parte, in quâ intervenit subreptio,
4. veluti pluribus *supra* expositum est. 3. Si causæ falsæ adinixta sit vera causa, quæ secundùm stylum & consuetudinem reputari soleat sufficiens ad dispensationem, Suarez *citatus* & Sanchez *lib. 8. de Matrim. disp. 21. n. 32.* pluribus alijs relatis, censent, dispensationem valere; quia utile non vitiatur per inutile. Verùm Castropalaus *cit. punc. 16. §. 5. n. 2.* distinguit, ita ut dispensationem validam dicat, si causa vera sit intrinseca & finalis, falsa verò sit solùm extrinseca & impulsi-
5. va. Quòd si verò æquè causa falsa ac vera sit movens Principem ad dispensationem concedendã, ita ut ex utrâque moveatur, tunc quâlibet ex illis non subsistente; Gutierrez *quæst. Canon. lib. 2. cap. 15. n. 129. & 130.* arbitratur, intentionem dispensantis, & consequenter dispensationem non subsistere. Idem tamen Author *n. 3.* ex Menochio *vol. 2. cons. 106. n. 91.* Sanche *cit. disp. 21. n. 20.* & alijs addit, in dubio, an causa sit finalis, intrinsecè se habens ad dispensationem, vel merè impulsiva & extrinseca, debere judicari solummodò extrinsecam, cùm pro valore actûs stare debeat præsumptio. *leg. Quoties. ff. de rebus du-*
6. *bijs.* Et *Cap. Abbate. de verb. signif.* 4. Denique si causa verè subsistat, sed probetur falsis testibus, talem falsitatem non officere valori rescripti, seu executioni Dispensationis; censent Suarez *cit. disp. 21. n. 33.* Basilius *lib. 8. de Matrim. cap. 17. n. 41. circa finem.* Cujus ratio desumi potest à pari: si enim subreptio commissa sit non à principali, qui rescriptum impetravit; sed à sollicitatore, qui illo ignorante causam falsam allegavit, valere Rescriptum, nec subreptitium esse, tradunt Felinus *in Cap. Super litteris. n. 7. vers. Demum. De Rescriptis* Soncinnas *vol. 2. cons. 170. ad finem.* Ergo pari ratione falsitas se tenens ex parte testium, non verò ex parte illius, qui Rescriptum obtinuit, dum causa secundùm rei veritatem
7. subsistit, non debet obesse. Verùm Castropalaus *cit. §. 5. n. 4.* improbat, quòd Rescriptum mediante subreptione non à Principali, sed à sollicitatore commissâ impetratum teneat, quia enim in falsâ causâ est fundatum, nequit esse validum, dum ignorantia Oratoris principalis prodesse quidem potest ad excusationem culpæ, non ad valorem rescripti. Cui equidem Castropalai sententiæ in tantùm subscribimus, ut videatur tamen malè intellexisse Felinum, qui sanè non loquitur de casu, quo rescripti causa in veritate non subsisteret, seu quo falsitas *positivè* commissa tolleret causam, ex quâ movetur Princeps ad concedendam gratiam, sed loquitur de casu, quo supplicans in supplicatione tacuit aliqua beneficia.

COROLLARIUM I.

Quid statuendum sit in casu, quo plures super eâdem re, per bonam fidem obtinuerunt plura rescripta.

1. INfertur. In tali concursu cæteris paribus, præferri debere Rescriptum antiquius. ex *Can. Ubi qui. 12. de Rescriptis in 6.* Ratio est. Nam gratia est ex parte concedentis, non exequentis, vel in possessionem mittentis. Ex hinc licèt secundus impetrans priùs præsentarit suum Rescriptum, cæteris paribus tamen præferendus est prior impetrans, juxta vulgatam Juris regulam. *Qui prior tempore, prior est jure.* Dixi tamen *cæteris paribus.* Nam 1. si præbendæ collatio fuit jam priùs facta secundum Rescriptum exhibenti, quàm prior suum præsentarit, tunc ille Jure
possessionis est præferendus. *ex cit. Can.* 2. Si priori impetranti imputari possit dolus, vel negligentia notabilis, dum v.g. alteri tacitè, vel expressè promisit præbendam proximè vacantem conferri, vel vacantem neglexit, intra terminum non acceptando, tunc secundùm *præallegatum Canonem* primus impetrans excidit jure suo, non tantùm quoad istam præbendam, sed quoad totam gratiam, siquidem extincta tunc sit executoris
potestas. *ex Can. Clericus. de præbendis in 6.* 3. Si Pontifex ex certâ scientiâ revocet prius mandatum, omnino præferri debet rescriptum; quæ tamen revocatio non stat, nisi factâ prioris Rescripti mentione. *Ex Can. Cæterum. de rescriptis.*
4. Præferendum est secundum Rescriptum, si hoc sit purum & absolutum, primum autem sub conditione sit concessum. *ex Can. Si pro te. eod. tit. in*
6. 5. Posterior gratia specialis prævalet priori generali, quia species derogat generi, ex communi axiomate Juris. 6. Si Papa realiter & cum effectu suis litteris Canonicatum contulit, est præferendus illi, qui prior litteras, non tamen actualem effectivam collationem continentes eâdem die cum illis expeditas obtulit, & in Canonicum jam receptus fuit. *ex Can. Si à sede. de præbendis in 6.* Ratio est. Quia talis est majori
suffultus gratiâ. 7. Quòd si duo litteras super Beneficio obtinuerunt, nec apparet, quis eorum fuerit prior, tunc præferendus est; qui primò eas præsentavit, partim quia Jura vigilantibus favent. *ex leg. Pupillus: ff. quæ in fraudem Creditorum,* partim quia in tali casu specialiter favet
possessio. *ex cit. Can. Si à sede.* 8. Denique si duo simul præsentent suas litteras eâdem die scriptas, nec appareat, quænã ex illis sint antiquiores, tunc electio alterutrius est penes illos, ad quos spectat receptio, altero omninò cárituro impetratis. *ex Can. Duobus in fine. de Rescriptis in 6.*

COROLLARIUM II.

An, & qualiter Rescripta durent, ac exspirent?

INfertur *primò.* Rescriptorum vim perpetuam esse de se, nisi vel tempus sit adjunctũ, vel intra annum quis per malitiam, vel negligentiam distulerit illis uti. Ratio est. Cùm enim Rescripta sint ad Jus, tendunt ad Juris observationem. *ex leg. Falsò. Cod. de diversis Rescriptis.* 1.

Infertur *Secundò.* Rescripta per modum *Canonis,* vel per modum *contractûs* emanantia non exspirare morte concedentis. Ratio est, tum quia *Canones* naturâ suâ perpetui sunt, tum quia successor non revocat *contractum* Prædecessoris legitimè factum. *ex Can. Ex epistolâ. de probat.* 2.

Infertur *Tertiò.* Rescripta ad lites, seu jurisdictionem delegatã exspirare *sex* modis. *Primò* per sententiam: Tum quia delegatus tũc functus est offici- 3.

ficio suo *Can. in Litteris. de officio Delegati*: Tum quia tunc exspirat potestas delegata, definitque esse Judex. *Leg. Judex. ff. de judiciis* quoad cognitionem saltem, licèt quoad executionem duret usque ad annum. *ex Canon. Quærenti. de Officio*
4 *Deleg.* *Secundò.* Per mortem Delegantis, dum tamen res adhuc integra est. *ex Can. Licèt. eod. tit.* Est autem res adhuc integra, dum nondum cœpta est Jurisdictio per solam etiam citationem. ex
5. *Can. Fin. de Officio legati.* *Tertiò.* Per mortem Delegati, dum tamen Delegatio facta est personæ, non autem sub nomine Dignitatis, hæc enim non moritur. *Can. Quoniam. & ibi Glossa. de Officio Deleg.* *Quartò.* Per mortem ejus, qui est conveniendus. *ex Can. Significavit. De Rescriptis.*

Quintò. Per revocationem Delegantis re adhuc
6. integrâ. *arg. Can. Fin. De procuratoribus. in 6.* *Sextò.* Per lapsum tẽporis præfixi *Can. de Causis. de Officio Deleg.*

Infertur *quartò.* Rescripta gratiæ subsequentibus modis exspirare. *Primò* gratia absolutè facta in favorem scilicet impetrantis independenter ab alio concessa, non exspirat morte concedentis, quia ab instanti acceptationis suæ jam habet Esse perfectum. At gratia facienda, id est in favorem tertij concessa, se habet ad instar mandati, cessatq; morte etiam civili concedentis, re tamen adhuc integrâ. *ex Can. Si cui nulla. & ibi Glossâ. De præb. in 6.* Quòd si Papa concedat gratiam usque ad beneplacitum Papæ, exspirat etiam mortuo Papâ, non autem si concessa sit usque ad beneplacitum Sedis Apostolicæ. ex *Can. Si gratiosè. 5. & ibi Glossâ de Rescript. in 6.* Plura de hoc videri possunt apud Sanchez *lib. 8. de Matrim.* Nos enim ista fusiùs tractanda, partim remittimus Canonistis, partim *in seq. art.* & fortassis alibi magis discutiemus.

COROLLARIUM III.

An, & quando Rescriptum morte Delegati, vel finito ejus officio exspiret, sive an transeat ad successorem?

1. INfertur *primò.* Certum esse, quòd, si Delegatio sit personalis, exspiret morte Delegati, ex communi Doctorum sententiâ, evinciturque ex *Cap. Privilegium. De reg. Juris in 6. & leg. fin. de verbo obligat.* Cæterùm delegatio personalis dignoscitur, si commissio fiat sub nomine proprio Delegati v. g. Ioanni, Petro &c. Si verò fiat sub nomine Dignitatis v. g. Episcopo Augustano, vel hujus Ecclesiæ Decano, censetur realis atque adeò transit ad successorem. ex *Can. Quoniam.* Ab-
2. bate *de Offic. Delegati.* Quòd si in commissione sit expressum nomen tam proprium personæ, quàm Dignitatis, Gutierrez *de Matrim. Cap. 125. n. 1. & 9.* Sanchez *lib. 8. de Matrim. disp. 27. n. 20.* & alij reputant pro personali, nisi ex circumstantijs, dum v. g. alioquin Delegatio foret inutilis seu injusta, aliud colligatur.

3. Infertur *Secundò.* In præadductâ regulâ, ut Delegatio sub Dignitatis nomine alicui concessa, transeat ad successorem; adhiberi debere cautelas sequentes. Nam *Primò.* Commissiones Legato factæ sub nomine etiam solius Dignitatis non transire ad successores, cum alijs docet Sanchez *citatus n. 11.* evinciturque *arg. Can. Præsenti. De officio Legati. in 6.* ubi provisiones ac reservationes beneficiorum à Legato factæ, si effectum non sint sortitæ, finitâ legatione dicuntur exspirare.
Secundò. Quia Canonicatus cum Canonico nascitur, & definit cum defuncto, ideò Delegatio 4.
facta Canonico sub nomine etiam Dignitatis, vi Juris non transit ad successorem, benè tamen ex legitimâ interpretatione Pontificis. ex Sanche ubi *supra n. 12.* & Bonacinâ *disp. 1. q. 3. p. 8. §. 1. n. 14.* *Tertiò.* Sicuti Dignitas Judicis synodalis, sic consequenter etiam commissio sub nomine 5.
Dignitatis etiam delegata transit ad successorem. ex Garciâ *9. p. de benefic. cap. 2. à n. 349.* refertque à sacrâ Cardinalium congregatione declaratum Barbosa *super Concil. Trid. sess. 25. de Reform. cap. 10.* *Quartò.* Quia Vicarij Dignitas utpote se ha- 6.
bens per modum Jurisdictionis ab Episcopo delegatæ de se non est perpetua, sed perit cum ejus personâ, idcirco de rigore Juris Commissiones Apostolicæ factæ Vicario Episcopi non transirent ad successorem, bene tamen ex consuetudine, ac stylo Curiæ; uti ex Abbate *in Cap. Quoniam Abbas. n. 11. de Officio Legati.* & Cardinale *ibi*, alijsque Canonistis tradunt Salas *disp. 20. de legibus. sect. 17. n. 124. vers. ex dictis.* Castropalaus *præs. disp. 4. punc. 16. §. 7. n. 6.* & alij. Verum *Quintò.* Nomine Vicarij Episcopi non venit 7.
ipse Episcopus, ita ut ille mortuo Vicario, nequeat exequi commissionem ipsi factam; licèt enim idem sit tribunal Episcopi & Vicarij, quoad ordinariam Jurisdictionem, non tamen quoad delegationem Pontificis. Navarrus *lib. 1. consil. 5. n. 4. tit. de officio Delegati.* Sanchez *supra. n. 30.* cum pluribus ibi relatis. Neque *Sextò* nomine Vica- 8.
rij Episcopi quoad Commissiones Apostolicas probabiliùs venit Vicarius Capituli sede vacante, licèt enim hic sit Vicarius Jurisdictionis Episcopalis, non tamen dici potest Vicarius Episcopi, veluti cum Glossâ *in Clement. 2. verb. Epis. de rescriptis.* docet Barbosa *de pot. Episc. par. 2. alleg. 54. n. 142.* contra Sanchen *citatum n. 10. 32. & 33.* *Sep-* 9.
timò tamen nomine Vicarij seu officialis Diœcesani in ordine ad exequendas commissiones Apostolicas, venire officialem Abbatis habentis Jurisdictionem quasi Episcopalem, cum alijs probat Barbosa *cit. alleg. 54. n. 133. &* Sanchez *n. 24.* *Octavò* denique. Cùm Vicarius forensis 10.
non obtineat Dignitatem, sed officium, ideò non potest expedire Litteras Apostolicas Vicario diœcesano commissas, *in praxi for. Eccles. decis. 577. n. 1.* benè tamen Vicarius Episcopi Electi, nondum confirmati: idem Barbosa *n. 138.*



ARTICULUS II.

De *Privilegiis.*

PRivilegium *ex Cap. Privilegia. dist. 3.* Et *Can.* 1.
In his. de privileg. Item *ex Can. Abbate* & *Can. Olim. De verb. significat.* describi solet Lex privata concedens speciale aliquod beneficium. Differt à Rescripto: tum quia istud attento nominis rigore, significat responsum Principis, scriptum ad decisionem alicujus dubij Juris communis, vel specialis; cùm econtra privilegium non tam constituat seu declaret Jus, quàm eximat ab isto: tum quia Rescriptum 2.
Justitiæ

Justitiæ datur ad Juris observantiam mediante juridico processu, cùm Privilegium econtrario non tendat ad Justitiam, sed conferat gratiam. Tum quia Rescriptum gratiæ persæpè datur pro unico actu, Privilegium autem pro multis acti-
4 bus. Imò istud dare solet facultatem, quæ non absorbetur per unicum actum, sed concedit Jus ad plures actus, econtra verò Rescriptum gratiæ non tam in Jure consistit, quàm facto, quod unico actu completur. Quibus suppositis, hîc decidenda veniunt.

5 Primò. *Quænam sint essentialia requisita Privilegij?* Secundò. *De perpetuitate Privilegij.* Tertiò. *De Communicatione Privilegiorum.* Quartò. *De usu Privilegiorum.* Quintò. *De eorundem interpretatione.* Sextò denique *de Cessatione Privilegij.*

CONTROVERSIA I.

Quæ sint substantialia Privilegij requisita?

1 PRivilegium duplicem causat effectum: alter est respectu Privilegiati, cui exinde confertur Jus exercendi actus sui privilegij; alter est respectu aliorũ, qui ex privilegio contrahunt obligationẽ, istud nõ infringendi, sive ab ejus exercitio non impediẽdi Privilegiatũ. Quæstio hîc movetur. Primò, *Quali, in ordine ad effectus ejusmodi, opus sit publicatione?* Secundò. *Utrùm ad valorem privilegij requiratur Causa?*

CONCLUSIO.

2 UT competat Privilegiato Jus faciendi actus vi Privilegij concessos, oportet, istud saltem indirectè ac virtualiter esse acceptatum, atque adeò publicatum Privilegiato ex Glossâ *in Cap. Quia cunctis. vers. ex parte. verb. vim suam. de cõcess. præbend.* in 6 Cardi *ibi.* Abbate *in Cap. Cognoscẽtes. n. 7. §. sed ego requirerem. De Constit.* Menochio *lib. 2. de arb. cent. 2. casu 185. n. 31.* Suarezio *lib. 8. de legibus. cap. 25. n. 15.* Sanche *lib. 1. de Matrim. disp. 6. n. 10.* Vasque *in 1. 2. disp. 146. cap. 4. n. 30. & 31.*

Probatur. Nam licèt Princeps de plenitudine suæ potestatis posset dare privilegium cum tantâ efficaciâ, ut statim operaretur suum effectum in privilegiato, necdum habente ejus notitiam. Nihilominùs hoc de facto non accidit. Etenim Privilegium est quædam Donatio, quæ non habet effectum absque acceptatione Donatarij, vel per se, vel Nuntium, aut procuratorem præstitâ, velut evincitur *argumento leg. Qui absens. ff. de acquirendâ possess.* ubi dicitur: libertatem non acquiri per Rescriptum manumissionis, donec servus sciat & acceptet. Idemque de legitimitate statuitur *in auth. Quibus modis naturales efficiuntur sui. §. illud tamen. verb. generaliter.* Et hinc à pari juxta communem Juristarum Regulam, quamdiu quis ignorat se habere Jurisdictionem, non tenet actus, siquidem usus Jurisdictionis non concedatur ignoranti, *ex leg. Hæc autem. §. non defendi. verb. constare debet Prætori. ff. Ex quibus causis in possess.* traditque. Bartolus *in leg. Multum. n. 2. ff. de condit. & demonstrat.* Simili ergo ratione non subsistit usus Privilegij ante hujus notitiam & acceptationem, uti eruitur *ex Can. 1. De concess. præbend.* ubi hoc generaliter de privilegijs supponitur in narratione. 3

CONCLUSIO II.

OBligatio de Privilegio non impediendo vel infrigendo, non potest alios afficere, nisi post sufficientem publicationem & promulgationem. 1

Explicatur & probatur. Nam *primò* Privilegium aliquando emanat per modum legis universalis; Cujusmodi est, quod habetur in *Clemen. Si quis suadente. De pœnis.* Item Privilegia fori immunitatis Clericis, eorumque bonis concessa, per modum legis obligantia universos fideles. In quibus adeò Privilegijs indubitatum est, opus esse tali promulgatione, qualis sequitur ad obligationem legis inducendam.

Secundò igitur Privilegium conceditur plerumque indulto duntaxat particulari. In ejusmodi autem Privilegio distinguere oportet adhuc, tùm ejus valorem quoad actus Privilegio concessos licitè ac validè efficiendos, tum ejusdem efficaciam de alij, ne contraveniunt obligandis. At verò in ordine ad priorem effectum, non requiri notitiam illorum etiam, in quorum damnum ac præjudicium cedit; evincitur ex *Can. 1. De Concess. præbend.* ubi sic habetur, *Si alicui à Sede Apostolicâ concedatur, quòd excommunicari non possit, licèt id forsitan ignoret suus Episcopus, non tamen propter hoc ligatur ejus sententiâ.* 4

Et infra. *Si alicui conferendi præbendam aliquam à Sede Apostolicâ tribuatur potestas, ex hoc ipso videtur, quod sit Episcopo conferendi tunc jam penitus interdicta facultas.* Verum in ordine ad effectum posterio-
rem obligandi nimirum alios, ne privilegio contraveniant, oportet, istud esse ipsis intimatum, non quidem publicâ promulgatione; sed manifestatione sufficiente, quæ in ordine ad forum externum fit per ostensionem Instrumenti, vel per testes omni exceptione majores de concessione factâ & litteris nullum vitium continentibus, vel de publico privilegij usu legitimè attestantibus. ex Suare *cit. lib. 8. cap. 24. n. 10.* & 5
Mascardo *de probat. concl. 845. n. 24.* At pro foro Conscientiæ sufficere potest quæcunque probatio faciens ex prudenti arbitrio moralem de Privilegio certitudinem. Suarez *citatus n. 9.* addens tamen cum Canonistis in *Cap. Ex parte. de verb. signif.* non sufficere propriam Privilegiati assertionem, cùm nemo in propriâ causâ sit testis omni exceptione major. 6

CONCLUSIO III.

AD licitum, non verò, nisi rariùs, ad validam Privilegij concessionem requiritur causa rationabilis. Suarez *cit. lib. 8. cap. 21.* Castropalaus *præs. disp. 4. punc. 5.* Pellizarius *in man. Regul. tract. 8. cap. 2. sect. 1. n. 2.* 7

Explicatur & probatur. Nam Privilegium quando-

quandoque est dispensativum legis communis. Tunc autem, ut licitè fiat, requiri causam, ex quâ compensetur bonum ex legis observantiâ Communitati eventurum, constat ex dictis *præc. q. ar. 2. conc. 3.*
8. Quandoque verò Privilegium est purum beneficium Principis, non cedens in ullum vel Juris communis, vel tertij præjudicium. Tunc autem, ne Princeps arguatur prodigalitatis & vitij acceptionis personarum, intervenire debet causa rationabilis. Quòd si verò in tertij præjudicium vergat privilegium, tunc, licet Princeps ex plenitudine suæ potestatis valeat derogare privato illius tertij juri, debet tamen id facere ex causâ rationabili, utpote in republicâ constitutus tanquàm fidelis bonorum publicorum dispensator.
9. Neque tamen causa ejusmodi *directè* debet spectare publicum Bonum, sed vel meritum privilegiati, vel aliam rationem privatæ Honestatis, seu utilitatis, siquidem bona ejusmodi particularia *indirectè* cedant in bonum publicum. Quare nullâ ejusmodi causâ subsistente, Privilegium est illicitè concessum. Et hinc contra ipsum stat præsumptiò de ejus nullitate ob defectum consensûs Principis, non enim præsumi potest Princeps, velle dare gratiam in casu, quo licitè citra peccatum nequit
10. eam conferre. Quòd si tamen omninò constet de Principis voluntate, nec ulla intervenerit subreptio, illi standum erit, partim quòd præsumptio tunc sit de legitimâ concessionis causâ, partim quòd in bonis Principi quoad Dominium saltem Jurisdictionis plenè subjectis possit validè disponere citra omnem etiam causam, imò ipsa etiam plenitudo potestatis rationabiliter quandoque ex merâ liberalitate exercenda, in Principe ad suam Majestatem inde monstrandam, possit supplere causæ defectum.

Verùm in bonis non omnimodè, sed quoad usum ac dispensationem duntaxat rationabilem subjectis Principi non subsistit Privilegium sine causâ concessum, veluti est concessio indulgentiarum ex meritis Christi ac Sanctorum, cùm enim Papa in his disponat nomine Christi, non habebitur à Christo Domino rata dispositio, nisi facta sit ex causâ justâ & rationabili.

CONTROVERSIA II.

De firmitate ac perpetuitate Privilegiorum?

1. PErpetuitas ac Firmitas Privilegij tum ex hujus tenore, ejusque clausulis, tum ex materiâ, circa quam versatur, tum ex subjecto, cui conceditur, ponderari debet. Hinc quia Privilegium Reale, ac Personale ratione quasi subjecti, cui per se *primò* sunt annexa, vel maximè quoad perpetuitatis, vel temporaneæ durationis rationem inter se differunt, eorum hic naturam specialiter indagabimus. Et quia privilegia *sub motu proprio*, vel *certâ Scientiâ* ex talibus, alijsve clausulis, nec non ex confirmatione specialem recipiunt firmitatem, operæ pretium duximus, hæc omnia ad unum de Privilegiorum firmitate ac perpetuitate punctum redigere.

CONCLUSIO I.

PRivilegium Reale ac Personale vel maximè differunt, quoad effectum temporaneæ ac perpetuæ durationis.

Explicatur & probatur. Nam *primò* licèt omne Privilegium concedatur personæ, personale tamen privilegium dicitur, quatenus confertur personæ ratione sui, cùm econtra privilegium reale concedatur personæ ratione alicujus rei, habentis cum ipsâ aliquam connexionem: Cujusmodi sunt, Beneficium, locus, Dignitas, & similia. At inter hæc duo genera privilegiorum hoc discriminis est, quòd Privilegium personale finiatur cum personâ. *ex Cap. Privilegium. De reg. Juris in 6. leg. unica. §. Ne autem. Cod. de caducis tollendis. leg. fin. ff. de verb. obligat. §. finitur. Instit. de usufructu.* 2.

Econtra *secundò* Privilegium reale durat toto tempore, quo durat res, cui annectitur. *ex leg. Imperatores. ff. De Publicanis*, traditque cum alijs Doctoribus Barbosa *in leg. Quia tale. 14. ff. soluto Matrim.* Undè cùm aliæ res, quibus annecti solent privilegia, sint corporeæ, veluti Ecclesiæ, Monasteria &c. aliæ verò sint incorporeæ, veluti Episcopatus, Clericatus, Doctoratus, Officium &c. Idcircò juxta rerum ejusmodi naturam & perpetuitatem mensurari debet duratio privilegij ipsis simpliciter annexi. 3.

Cæterum unde discerni possit, an Privilegium sit reale, vel duntaxat personale, videre licet *ex dictis præc. q. art. 2. in 1. resol. 3.* Hinc *tertiò* si privilegium concedatur Religioni, Monasterio, universitati seu Collegio, tunc privilegiū est perpetuum, sicut ipsa quoque communitas est perpetua. *ex leg. Proponebatur. 79. ff. de Judicijs.* Similiter *quartò* Privilegium Senatûsconsulto Macedoniano concessum generaliter filijsfamilias, ne ratione mutui obligentur, nec non fœminis ex Senatûsconsulto Vellejano universaliter datum, ne pro fidejussione teneantur, eo ipso, quòd non respiciat singulares personas, sed statum talium personarum, est reale, atque adeò perpetuum, uti præter alios advertunt Salas *disp. 17. sect. 2. à n. 6.* Suarez *cit. lib. 8. cap. 3. n. 6.* *Quintò.* Quamvis privilegium sit reale, adeòque perpetuum, si concedatur sub nomine dignitatis, vel officij, veluti patet ex dictis *ubi supra.* Nihilominùs si in privilegio personæ in dignitate constitutæ directò addatur, conferri ob singularia talis personæ merita, vel Sanctitatem ac scientiam, tunc etiamsi personæ nomen proprium non sit expressum, censetur privilegium esse personale, atque adeò finitur cum personâ in tali officio constitutâ. ex Sanchez *cit. lib. 8. disp. 24. n. 3.* eruiturque ex *Can. Mandata. de Præsumpt.* Quòd si *sextò* nomen officij ac personæ proprium nominetur in privilegio, Sanchez *citatus n. 4.* cum Decio censet, esse personale, eò quòd concurrente duplici præsumptione, alterâ speciali, & alterâ generali, prævalere debeat specialis: personalis autem præsumptio sit specialis. 4. 5. 6. 7.

Verùm Castropalaus *cit. disp. 4. punc. 2. § 1. n. 6.* distinguit, asserendo, præallegatam Sanchezij sententiam tenere, si privilegium vel in tertij præjudicium vergat, vel Juri communi deroget.

Si verò

Si verò sit favorabile, nec Juri communi, nec Juri tertij contrarium, debere in dubio reputari reale, veluti ex Bartolo & Baldo docet etiam Suarez *cit. cap. 3. n. 18.*

CONCLUSIO II.

SPecialis accedit firmitas privilegio, si concessum sit sub clausulâ *Motus propry, vel ex certâ scientiâ.*

8. Explicatur & probatur. Nam 1. motus proprius, (qui tamen secundum *Can. Si motu proprio. de Prabend. in 6.* in privilegio, seu gratiâ non præsumitur, nisi exprimatur) eam habet efficaciam, ut tollat vitium subreptionis etiam scienter factæ, se tenentis ex parte impetrantis, non verò illius, quæ oritur ex re ipsâ. *ex Clement. si Romanus. de Prabend.* Vitalino *in Clement. per litteras. n. 11. & 12. eod. tit.* Felino in *Cap. In naturâ. in 10. coroll. De rescriptis.* Unde fit 2. quòd gratia

9. motu proprio concessa, sit eo ipso valida & firma, nisi facta sit inhabili, v. g. collatio beneficij illegitimo, Excommunicato, aut Irregulari. ex Glossâ *in Cap. Si motu proprio. verb. ab hoc. de Præb. in 6.* Menochio *de arbit. lib. 2. cont. 3. cap. 201. n. 81. & 82.* vel nisi tendat in præjudicium tertij, nisi enim hoc exprimatur, Princeps non præsumitur velle tertio præjudicare. *ex leg. 2. §. Si quis à Principe. ff. ne quid in loco publico.* & *in Cap. super eo. de officio Delegati.* Vel certè nisi exceptio in contrarium apponi possit de defectu intentionis in Principe, cujusmodi defectus æquiparatur subreptioni Seraph. *decis. 390. n. 2.* & Fagnan. *in Can. super litteris n. 39. de rescriptis*, ubi ex Doctoribus à se relatis advertit, in tali exceptionis casu probationem de defectu intentionis reijci in partem adversariam, motu proprio relevante impetrantem ab onere justificandi gratiam, utpote quæ

10. solùm innitatur voluntati & verbo Papæ. 3. Major etiam firmitas accedit *motui proprio*, tum quòd æquiparetur clausulæ: *Non obstantibus.* ex Baldo *in leg. Omnes Cod. de Quadriennij præscript.* & Barbosâ *in tract. de clausul. 79. n. 13.* tum quòd habeat vim specialis expressionis, nec non clausulæ, *Ex certâ scientiâ.* ex Doctoribus relatis à

11. Barbosâ *citato n. 14. & 15.* Cæterùm 4. istâ clausula *Ex certâ scientiâ*, habet vim clausularum: *De plenitudine potestatis*; *Motu proprio*; *Non obstante*, & *Pro expressis.* Et tollit omne Juris obstaculum, facitque solemne, si non est solemne, dando robur quoad solemnitatem, adeòque quoad validitatem; prout hæc fusiùs videre licet apud Barbosam *in cit. tract. de clausul.*

12. *59.* cum Doctoribus *ibi* relatis. 5. Quamvis confirmatio de se non conferat novum Jus, sed sit mera roboratio privilegij pro statu pristino, nec adeò validum faciat privilegium, quod antea erat invalidum: si tamen ista invaliditas non fuerit ex subreptione, vel ex revocatione Concilij Generalis, tunc adjectâ clausulâ: *Ex certâ scientia*, sive *ex motu proprio*, confirmatio habet vim novæ concessionis ac innovationis, prout pluribus allegatis, docet Suarez *cit. lib. 8. cap. 18. n. 12. & cap. 19. n. 3. ac 5.* Barbosa *citatus n. 6.* & Castropalaus *cit. punc. 2. §. 10. à n. 3.*

IESUS

CONTROVERSIA III.

De Extensione & communicatione Privilegiorum.

CAstropalaus *cit. punc. 2. §. 9. n. 1.* advertit, communicationem dupliciter fieri posse. 1. Per quandam extensionem: ita ut unum idemque privilegium aliquibus personis concessum, extendatur ad alios, nō per novam concessionem, sed per aggregationem plurium subjectorum. Sic enim privilegia uni Monasterio Ordinis v. g. Sancti Hieronymi concessa, per extensionem communicantur reliquis etiam Monialium ejusdem Ordinis Monasterijs, ex speciali Privilegio *Pij IV.* relato à Rodrique *to. 1. quæst. regul. q. 55. a. 9.* & Tamburin. *to. 1. de Jure Abbatum. disp. 17. q. 1. n. 23.* Bassæo *verb. Privileg. 5. n. 12.* Quod extensionis privilegium quatenus alijs etiam ordinibus est communicatum, operatur, ut privilegia uni conventui seu Domui concessa, ad alios talis Ordinis conventus seu Domus extendantur. 2. Per novam Privilegij concessionem: quatenus alicui conceditur gratia utendi ac fruendi privilegio ad instar alterius, cui primò fuit concessum privilegium. Cujusmodi privilegiorum uni ordini concessorum communicatio alijs ordinibus facta refertur à Laertio Cherubino in suo Bullario, speciatim Bullâ Pij V. *Dum indefessa.* concessâ Societati Jesu, ac relatâ *to. 2. Bullarij. fol. 343.* Item Gregorij XIV. *Ex injuncto.* concessâ Monachis Congregationis Eremi Camaldulensis in prætacto Bullario relatâ *fol. 710.* Plures ejusmodi communicationes videre etiam licet apud Tamburin. *cit. to. 1. disp. 17. q. 1. n. 43.* Circa quod adeò oritur hic difficultas. *Quænam privilegia, & qualiter comprehendantur sub generali Privilegiorum communicatione?*

CONCLUSIO.

COmmunicatio Privilegiorum sequentibus regulis mensuranda est.

Primò. Tametsi communicatio Privilegiorum, quantum est de se, ac secundùm proprietatem verborum, non extendatur ad concedenda de futuro, sed ad concessa duntaxat de præterito: attamen ex speciali indulto hodie omnes religiones gaudere communicatione Privilegiorum tam concessorum, quàm concedendorum, testatur Pellizarius *cit. tract. 8. cap. 1. n. 42.* Quod specialiter à Pio V. concessum esse Societati Jesu, advertit Suarez *cit. lib. 8. cap. 16. n. 16. in fine.* 2.

Secundò. Sub privilegiorum alteri Ordini concessorum communicatione quantumvis generali non veniunt ea, quæ obsunt observantiæ regulari Ordini alicui propriæ, quia Pontifex illis non intendit religionem destruere, sed potiùs fovere. Suarez *lib. 8. cap. 17 n. 3. & 4.* Rodriquez *to. 1. quæst. regul. q. 55. a. 2.* Castropalaus *præs. §. 9. n. 3.* Pellizarius *citatus n. 45.* 3.

Tertiò. Si privilegium Ordini alicui, (veluti de Ordinibus extra tempora recipiendis Societati Jesu, sit concessum sub clausulâ) *ne ulli alij Ordini exinde communicetur*: Diana *part. 5. tract. 2.* 4.

tract. 2. resol. 81. cum Rodrique & Joanne de la Crux existimat (quod Pellizarius *n.* 77. non improbabile putat) non obstante tali clausulâ per amplam confirmationem & extensionem Privilegiorum alijs Ordinibus concessam hisce quoque competere tale Privilegium. Verùm Suarez *cit. cap.* 17. *n.* 8. & Castropalaus *n.* 5. oppositum tenent, eò quòd sub generali concessione non veniat, quod Princeps verisimiliter non esset concessurus.

5. *Quartò.* Si quod privilegium Ordini cuipiam collatum habeat restrictionem (veluti privilegia religiosis Societatis Jesu data, ex Decreto Gregorij XIII. habent limitationem, ut ijs uti non possint independenter à Generali ejusdem Societatis) tunc ista restrictio non habet locum in communicatione alijs Ordinibus factâ, ita ut ejusmodi ordinum religiosi possint ijs uti, licèt ipsis communicata non fuerint à suo Superiore regulari. Rodriquez *cit. q.* 55. *art.* 17. *vers. secundum dubium.* Suarez *cit. dub.* 17. *n.* 6. Miranda *to.* 2. *quæst.* 46. *a.* 6. Castropalaus *citatus n.* 4. Portel *verb. Privileg. communicatio n.* 23. Pellizarius *ubi supra. n.* 46. Ratio est. Quia illa restrictio est ex speciali conditione regiminis Societatis Jesu. Ergo non debet extendi ad alios ordines, quibus privilegiorum eidem Ordini competentium fit communicatio, nisi & tales Ordines, quoad singularem ejusmodi à Præposito suo dependentiam, essent in regimine pares Societati Jesu, ita ut privilegiorum usus independenter à superiore esset in damnū regularis observantiæ.

6. *Quintò.* Communicatio privilegiorum comprehendit etiam pœnas pro aliquo Ordine ex peculiari privilegio taxatas, si istæ sint quidem in odium omnium religiosorum delinquentium, sint tamen in favorem religionis. Secus est, si pœnæ etiam Religiosæ communitati sint odiosæ, siquidem in hoc posteriore casu habeant simpliciter rationem odij, in casu autem priori contineant causam favorabilem, ex Pellizario *citato n.* 48. & alijs.

7. *Sextò.* Quamvis hic author *n.* 52. existimet, sub communicatione Privilegiorum in generalibus, nullam Indulgentiarum, sub proprio nomine, mentionem facientibus, non venire Indulgentias, cùm istæ non tam sint facultas aliquid agendi, significari solita nomine privilegij, quàm absolutio quædam: nihilominùs Mantiosa *in tract. de Privil. ad instar. q.* 10. *Gloss.* 9. putat, quando verba communicationis sunt latissima, saltem sub verbo Gratiæ comprehendi etiam Indulgentias. Cui suffragantur Suarez *cit. cap.* 17. *n.* 7. Rodriquez *citatus art.* 20. pro suâ parte quandam Julij II. Bullam adducens, & Castropalaus *supra n.* 5. asserentes, privilegia, gratias, & Indulgentias alicui Ordini concessas in honórem aliquorum suæ religionis sanctorum, servatâ proportione transferri ad omnes alias religiones, quæ cum illo in privilegijs communicant.

8. *Septimò.* Si in communicatione, vel etiam confirmatione privilegiorum, additur illa clausula; *Quatenus sacris Canonibus, & Decretis Concilij Tridentini non adversentur*, tunc in his verbis particulam sumi *copulativè*, ita ut sub nomine sacrorum Canonum non veniant inserti in corpore Juris, sed inserti in Concilio Tridentino, veluti cum alijs probat Barbosa *in tract. de Claus.* 124. *n.* 2. addens cum Quarantâ *in summâ Bullar. verb. Concil. Trident. in confirm.* & Joanne à Cruce *de statu relig. lib.* 2. *cap.* 3. *dub.* 5. verba ejusmodi videri ad nullum alium finem apposita, nisi ad firmandam regulam in contrarium, id est, ut intelligantur confirmata seu communicata omnia alia privilegia alijs Concilijs generalibus contraria, Tridentino excepto.

9. Etsi *Octavò* denique sub generali privilegiorum communicatione veniant etiam vivæ vocis oracula; uti ex Sylvestro *verb. Privilegium. q.* 3. probat Pellizarius *supra n.* 31. Nihilominùs quia communicationi ejusmodi addi solet clausula: *Nisi sint revocata, vel sub ullis revocationibus contineantur*; vivæ autem vocis oracula sint revocata per Gregorium XV. & Urbanum VIII. Idcirco specialiter hic notanda venit doctrina Laurentij de Peyerinis, qui *to.* 3. *privil. cap.* 12. *ad constitut.* 18. *Urbani VIII. n.* 1. tenet, sub illâ vivæ vocis oraculorum revocatione non contineri vivæ vocis oracula, quæ ante Pium V. cōcessa sunt, cùm iste Pontifex illa omnia innovaverit, & de novo concesserit, cum clausulâ: *Quorum tenores ac si de verbo ad verbum*; Cujusmodi clausula operatur, ut confirmatio & innovatio sit *ex certâ scientiâ*, veluti hæc ab authore *prææallegato* ostenduntur *to.* 2. *Privileg. in constit.* 7. *Pij V.* § 31. Qui addit *ubi supra in to.* 3. neq; illam revocationem intelligi de vivæ vocis Oraculis concessis ante Gregorium XIII. imò ab ipso etiam Gregorio ante confirmationem mox referendam concessis. Nam iste Pontifex, prout apud eundem de Peyerinis *to.* 2. *in constit.* 1. *Gregorij XIII.* videre licet, Minimis concessit Bullam Privilegiorum suorum confirmatoriam sequentis tenoris. *Omnia & singula privilegia, immunitates, exemptiones, libertates, prærogativas, favores, conservationes, declarationes, facultates, dispensationes, gratias, concessiones, indulgentias & indulta spiritualia, & temporalia etiam per modum Communicationis ac extensionis inter se, & cum aliis ordinibus Mendicantibus, & non mendicantibus, eis eorumque Correctori Generali, & Zelosis ac aliis fratribus, Ecclesijs, domibus, conventibus, & locis dicti Ordinis Minimorum, ipsiusque Ordinis Minimorum Monialium Monasterijs & Ecclesijs, ac ipsis Monialibus seu sororibus, & locis eorum quibuscunque, in genere & in specie, etiam per solam signaturam, etiam vivæ vocis oraculo, aut aliàs, tam per præfatos & alios quoscunque Romanos Pontifices Prædecessores nostros, ac nos, & Sedem præfatam, quàm imperatores, reges, & alios Principes sub quâcunque formâ & expressione verborum concessa, ac etiam iteratis vicibus approbata, nec non cum omnibus in eis contentis clausulis, decretis & declarationibus, singulas desuper confectas litteras, & in eis contenta, & inde secuta quæcunque, illorum tenores, & formas datas, effectus & decreta in illis apposita, ac si de verbo ad verbum insererentur, præsentibus pro sufficienter expressis habentes, dictâ authoritate Apostolicâ ac potestatis plenitudine, quatenus sunt in usu, & sacris Canonibus, & Decretis sacri Concilij Tridentini non adversentur, approbamus, confirmamus, & innovamus, perpetuamque roboris firmitatem obtinere, & firmiter observari &c. Decernimus.*

Ex quâ proinde confirmatione ac innovatione, author præcitatus *to.* 3. *cap.* 12. *in constit.* 18. *Urbani VIII. n.* 1. infert vivæ vocis oracula eatenus transiisse in Privilegia Bullata, ut consequenter non sint comprehensa sub revocatione vivæ vocis oraculorum.

CONTRO-

CONTROVERSIA IV.

De Usu Privilegiorum.

TRia hic veniunt discutienda. Primum est. *Ad quas personas Privilegiorum Ordini alicui concessorum usus extendi possit?* Secundum; *Quinam ab Ordine prohibeantur ab usu Privilegiorum religioni suæ concessorum?* Tertium denique; *An liceat uti Privilegio adversus aquè Privilegiatum?*

CONCLUSIO I.

VSus Privilegiorum Ordini alicuj concessorum extendi potest ad personas sequentes.

1. *Primò.* Si Religiosus sit promotus ad Cardinalatum, Episcopatum, aliamve dignitatem, posse uti Privilegijs sui Ordinis, quantum tamen usus ejusmodi non cedit in damnum Religionis, contra Sanchen *lib. 6. in Decal. cap. 9. n. 53.* Rodriquen *to. 2. q. 58. a. 4.* Mandosam *de privil. ad instar. q. 10. Glossa 3. n. 11.* censent Naldus *verb. Privilegium. n. 6.* Pasqualigus *decis. 132. n. 4.* Pellizarius *cit. tract. 8. cap. 1. n. 63.* Cespedes *decis. 389. de Exempt. n. 2.* Ratio est. Tum quia tales religiosi adhuc subiacent oneribus religionis compatientibus cum illo novo assumpto statu. Tum quia, etsi non sint ampliùs simpliciter loquendo membra religionis, in ipsis tamen subsistit adhuc causa principalis, ob quam privilegia sunt concessa, utilitas scilicet Ecclesiæ, & animarum. Et hinc Pasqualigus *citatus* concludit, si religiosus, antequàm fieret Episcopus, fuit expositus pro audiendis confessionibus, frui in Episcopatu Privilegijs Ordinis, quoad absolvendum à reservatis. Secus esse, si, quando factus est Episcopus, necdum expositus fuit audiendis confessionibus, quia tunc necdum habeat Jus ad dicta privilegia, utpote actualibus confessarijs concessa. Tum quia per mutationem statûs non amittitur Privilegium compatibile cum statu recens assumpto; uti probant Cochier *de jurisdict. to. 2. par. 2. q. 69. a. 9.* & Rota Romana *decis. 144. n. 10.* Tum denique quia Ecclesia regularis ad sæcularem statum redacta non amittit exemptionem, & privilegia antea ipsi concessa, nisi expresse sint ipsi sublata? & hinc Abbatia regularis exempta sæcularizatà manet adhuc exempta, uti probat Tamburin. *de jure Abbat. to. 1. disp. 15. q. 11.*

2. *Secundo.* Privilegiorum usus etiam extenditur ad Novitios Religionis, cui sunt concessa. Ita contra Rodriquez *to. 3. q. 51. a. 2.* & Portellum *de dub. regul. verb. Novitius. n. 14.* tradunt Suarez *to. 3. de relig. lib. 5. cap. 16. n. 17.* Molina *to. 1. disp. 139.* Diana *par. 3. tract. 2. resol 73.* Pellizarius *citatus n. 71.* & alij. Ratio est. Nam licet Novitius realiter, ac in effectu non sit religiosus, in favorabilibus tamen venit nomine religiosi, & hinc continetur etiam sub Canone: *Si quis suadente diabolo.* testaturq; Rebuffus *in praxi Benef. tit. de dispensat. cum regul. n. 22.* Cancellariam Apostolicam vocare ipsum Monachum.

3. *Tertiò.* Monialibus etiam licet uti Privilegijs, quantum ipsis accomodari possunt, concessis viris Ordinis sui, modò non exprimatur in aliquo privilegio, concedi masculis, seu viris. ex Rodrique *to. 1. q. 13. a. 22.* & Suare *lib. 8. de Legibus. cap. 11. n. 7.* Ratio est. Quia Privilegium præsertim favorabile sub nomine masculino comprehendit etiam sexum fæmineum: hinc enim privilegium Filijs absolutè concessum commune est filiabus, quia Vox *Tò filij* nomen commune est filias complectens. *ex leg. Justa. 201. ff. de verb. signif.* Unde cum Pejeryno *to. 2. Privil. const. 8. Pij V. § 2. n. 3.* & alijs concludit Pellizarius *citatus n. 73.* Privilegium Monialibus alicujus ordinis concessum competere etiam viris talis religionis. 4. Advertit autem idem Pellizarius *n. 74.* quando religiosis conceditur aliquod Privilegium à Prælato regulari expediendum, tunc respectu Monialium non exemptarum, sub nomine seu vice Prælati regularis venire Ordinarium.

5. *Quartò.* Famuli, ac Familiares alicujus Monasterij (qui nimirum ejus expensis tanquàm commensales aluntur, ac ex authoritate Prælati, vel Officialium inserviunt Monasterio, sive etiam particulari hujus religioso) fruuntur non quidem omnibus, sed aliquibus, ipsis specialiter adaptabilibus Privilegijs Monasterio ejusmodi competentibus; veluti sunt de recipiendis Sacramentis, ipsâ etiam Extremâ Unctione, independenter à Parocho, nec non de lucrandis Indulgentijs: de quibus videri potest Rodriquez *to. 2. q. 67.*

6. Hinc à fortiori *Quintò* Privilegiorum Ordini concessorum usus competit Conversis, cùm vere sint religiosi; imò & Oblatis seu Donatis ejus ordinis etiam non religiosis ex Indulto Sixti IV. per Bullam quandam authenticam; quinimò etiam Tertiarijs, non illis duntaxat, qui emittunt tria substantialia Religionis vota, sed etiam ijs, qui extra congregationem degentes sunt obstricti tamen voto Continentiæ, vel simpliciter, vel saltem Conjugalis. ex Pellizario *supra n. 69. & 70.* 7. Ubi tamen venit notanda exceptio quædam Privilegiorum, quæ à Concilio Lateranensi ipsis specialiter sunt sublata, referunturque à Casarub. *in Compen. verb. Tertiarij. n. 19. & verb. Mulieres.*

CONCLUSIO II.

USus Privilegiorum Ordini alicuj concessorum est probibitus sequentibus de tali Religione personis.

8. *Primò.* Apostatas, qui recedunt à Religione, habitumque sub prætextu Professionis nulliter factæ dimittunt, non frui Religionis desertæ Privilegijs, evincitur ex Concil. Tridentino *sess. 25. de Regular. cap. 19.* ubi de tali sic statuitur: *Quòd si antea habitum sponte dimiserit, tanquam Apostata puniatur: interim verò nullo Privilegio suæ religionis utatur.*

9. *Secundo.* Privantur etiam usu Privilegiorum Ordini concessorum religiosi legitimè ejecti ab ordine, uti cum Suare probat Pellizarius *n. 68.* eò quòd, cùm isti non teneantur observantijs regularibus, nec consequenter frui debeant commodis, seu privilegijs religionis, juxta vulgatam Juris regulam, quòd non sentiens onus, neque debeat sentire commodum.

10. *Tertiò.* Privilegia in bonum commune Ordinis redundan-

redundantia obligare singulos religiosos ad sui observantiâ, Pellizarius *n. 84.* probat ex eo, quòd aliàs graviter læderet Bonum Religionis, cedendo suis privilegijs. Cujus argumentû est, quòd Clericus obligetur uti privilegio Fori, utpote quod non suæ singulari personæ sit concessum, sed statui Clericali. Pari ergo ratione tenetur quis uti privilegijs communitati alicui religiosæ concessis. Verùm suo speciali privilegio neminem teneri, evincitur *ex Cap. Si terra. de Privileg. & ex regul. 61. de reg. Juris*, ubi habetur, non debere, in gravamen alicujus retorqueri, quod in ejus favorem est factum.

11. Hinc tamen, advertente Bonacinâ *disp. 1. q. 2. punc. 4. in fine.* excipitur casus, quo urgente præcepto v. g. in die festo audiendi missam, sed interveniente Interdicti impedimento, quis habeat privilegium tempore etiam Interdicti interessendi sacris, tunc enim eatenus tenetur uti suo privilegio, ut hoc mediante satisfaciat præcepto Ecclesiæ.

12. *Quartò.* Si privilegium conferat exemptionem ab aliquâ lege, tunc in talis Privilegij usu extra concedentis territorium exercendo, specialiter annotandum venit, an lex, à cujus obligatione privilegium eximit, sit Juris communis, vel juris municipalis. Nam casu, quo privilegium eximit ab aliquo Jure communi, tunc æquè extra, quàm intra Territorium concedentis habere suam vim & efficaciam, probat præter alios Castropalaus *præs. disp. 4. punc. 6. n. 6. circa finem*, cùm enim obligatio tunc eadem sit tam extra, quàm intra proprium territorium, consequens est, exemptionem ab obligatione legis ubique suffragari. Quòd si verò Privilegium det exemptionem ab obligatione statuti alicujus municipalis, tunc si illud teneat etiam in alieno Territorio, sitque Forensium etiam obligativú, de quo *supra q. 16. a. 3. cons. 7.* egimus, nequit exemptio vi talis privilegij extendi ultra Territorium concedentis: siquidem iste nihil habeat Juris in alieno Territorio. ex Suare *cit. lib. 8. cap. 26. à n. 7.* Sala *disp. 17. de legibus. sect. 10. n. 54.* Castropalao *citato.*

CONCLUSIO III.

VTi licet Privilegio adversùs alterum, æquè ac privilegiatum. ex Covarruviâ *in reg. possessor. 2. p. §. 2. n. 4.* Suare *lib. 8. de legib. cap. 23. n. 3.* Castropalao *cit. disp. 4. punc. 8.* Pellizario *n. 78.* desumiturque *ex leg. ult. ff. ex quibus causis Majores.* & Bartolo & Baldo *ibi.*

13. Probatur. Quia similitudo in privilegijs est valde per accidens, nec unum adeò potest impedire usum alterius circa similem privilegiatum. Quod Suarez *citatus n. 4.* cum alijs Doctoribus extendit ad eos etiam, qui alterius religionis privilegijs gaudent per communicationem, seu concessionem ad instar; ita ut tales privilegijs per communicationem sibi concessis uti possint etiam adversus illos, quibus primo collata 14. erant. Et hinc si duæ religiones pares sint in privilegio, v. g. non solvendi Decimas, una contra alteram gaudebit suo privilegio de non solvendis alteri Decimis, nec poterit alterutra exigere ab alterâ Decimas, etiamsi habeat contra alios jus Decimarum. Similiter si duæ religiones æquè gaudeant privilegio, ut professus non possit transire ad aliam, mutuò gaudent privilegio contra se invicem, tenenturque sibi mutuò illud servare. Sicuti etiam Clericus obligatur servare Privilegium Canonis respectu Clerici pariter privilegiati.

Verùm in casu, quo fit concurrentia duorum Privilegiatorum habentium privilegia inter se contraria, tunc sequentes regulæ ex Pellizario *n. 78.* circa finem sunt annotandæ. 1. Si Privilegia sint imparia, tunc præfertur majus minori. Cacalup. *in Leg. Omnes populi. n. 22. ff. de Iustit.* 2. Si unus, non verò alter sit dupliciter privilegiatus, tunc ille præferendus est. Zephalus *cons. 148. n. 18.* 3. Quando ex unâ parte agitur de damno vitando, ex parte verò alterâ de lucro acquirendo, tunc præferri debere, qui damnum passurus est, tradit Bart. *in auth. Quas. n. 3. §. Primus autem. Cod. de Sacrosanctis Ecclesijs.* 4. Habens privilegium speciale præfertur habenti privilegium in genere. Bart. *citatus.* 5. Quando uni privilegio, non alteri assistit Jus commune, tunc istud cedit illi. ex Covarruviâ *pract. qq. cap. 7. §. sexto.* 15.

CONTROVERSIA V.

De Interpretatione Privilegiorum.

CONCLUSIO I.

CIrca Privilegiorum interpretationem sequentes præsertim regulæ sunt observandæ.

Prima est. Debere distingui inter Iudicialem & Doctrinalem interpretationem. Illa quoad privilegia regularibus a summo Pontifice concessa est solius Papæ; quia privilegium sapit naturam legis, cujus explicatio est duntaxat illius, qui eam condit. *leg. fin. Cod. de Leg.* At posterior Doctrinalis interpretatio fieri potest tum à Prælatis Religionum, tum ab alijs viris doctis sive Theologis, sive Jurisperitis, non verò ab Episcopis seu Ordinarijs, veluti ex varijs privilegijs referunt Rodriquez *to. 2. q. 63. a. 5.* Portel *de dub. reg. verb. Privilegium. n. 77.* Pellizarius *cit. cap. 1. n. 134.* 1.

Secunda regula est. Si verba Privilegij sint clara, tunc eorum tenor simpliciter servari debet. *ex Can. Recipimus. de regulis*; nisi manifestæ conjecturæ probent, aliam fuisse mentem concedentis, tunc enim potiùs menti, quam verbis inhærendum est. *ex Cap. In his. de verb. signif.* ubi sic habetur: *Non sermoni res, sed rei est sermo subjectus, & non intentio verbis, sed verba debent intentioni servire.* Quod si verba dubia, indifferentia sint, obscura & incerta, attendi debet supplicatio, cùm Princeps precibus sibi factis soleat se accommodare. *ex Can. Inter dilectos. §. Cæteri. de fide instrument.* & Felino *ibi. leg. Si præses. ff. de pænis. leg. Si preces. ff. de legibus.* Insuper initium indulti attentè considerandum, quia juxta illud reliqua solent adjungi. *ex leg. ult. Cod. de Hæred. instit.* & Bartolo *leg. Ambiguitas. Cod. de Decret. ab ord. faciend.* Item Abbate *in Cap. Adversus n. 2.* 2.

de Immu-

de Immunit. Eccles. Denique ex ipsa materiâ, nec non causarum ac personarum circumstantiis desumi possunt probabiles conjecturæ ad legitimam privilegij obscuri interpretationem faciendam. Suarez *cit. lib. 8. cap. 28. n. 14.* & aliis.

3. *Tertia* regula. In privilegij interpretatione quantum fieri potest, tenenda est verborum proprietas, cùm, si ad improprias significationes liceret recurrere, nihil in privilegiis esset firmum. *ex Glossâ in Clement. Litteras. verb. Dilectus. de Præbendis.* Thomâ Sanche *lib. 8. de Matrim. disp. 1. n. 1.* cum aliis ibi relatis. Et hinc privilegium ascendendi ad majorem dignitatem non intelligitur ad accipiendam æqualem. *Cap. Licet. de Translat.* Neque privilegium *ex vi Canon. Licet. de Regular.* concessum transeundi ad strictiorem Ordinem, intelligi potest de licentiâ transeundi ad æque arctum. Neque facultas providendi primam præbendam vacantem per decessum habet locum, si vacaverit per renunciationem, vel cessionem: siquidem disparata sint, præbendam vacare per decessum, vel per renunciationem. *ex Cap. Susceptum. de Præbendis. in 6.*

4. *Quarta* regula. Cum aliud privilegium fit favorabile, quòd *directè* non est derogatorium juris communis, nec tertio præjudiciale, neminique adeò nocivum, sed favorem seu gratiam nullo gravamine mixtam continens. Idcirco huic privilegio competit, quod latè sit interpretandum. *ex Cap. Olim. de verb. signif.* utpote purum Principis beneficium, eo ipso latam admittens interpretationem. *ex leg. Beneficium. ff. de Constit. Principum.*

5. Econtrario *Quinta* pro privilegio ex se odioso, utpote Iuri tertij præjudicante, vel Jus commune *directè* derogante militans regula est, quòd ordinariè debeat strictè interpretari. *ex Cap. Sanè. & Cap. Porro. de Privilegiis.* Unde si Illegitimo concedatur privilegium ad Ordines, accipiendum est de minoribus Ordinibus, quia permissio in genere Mediocritatem respicit. *ex leg. fin. §. 1. Cod. Communia. de legatis.* & *leg. Legato Generaliter. ff. De legat. 1.* Et quia supradicta regula probabilius extenditur etiam ad statuta Municipalia, seu Consuetudines speciales locorum, juri tamen communi non adversantes, idcirco dispensatio ab oneribus intelligi debet de oneribus extraordinariis, non autem ordinariis. ex Suare *cit. lib. 8. cap. 28. n. 16.* & Bart. *in leg. 2. ff. de Jure immunitat.*

6. Nihilominus *sexta* regula tenenda est, quòd interpretatio Privilegij etiam odiosi non debeat unquàm adeò stricta esse, ut reddat Privilegium inutile. *ex leg. Non dubium. Cod. de legibus.* Et hinc si Pontifex dispenset cum illegitimo jam initiato minoribus Ordinibus, dispensatio ad Ordines in genere intelligi debet de Majoribus. ex Sanche *lib. 8. de Matr. disp. 1. n. 25.* & aliis cùm non deceat, principis actionem esse frustraneam & inutilem. Insuper Privilegium & dispensatio quantumvis odiosa extendi debet ad ea, quæ sunt illi connexa & sine quibus effectum habere non potest, quia dans formam, dat etiam requisita ad eam. ex Suare *lib. 6. cap. 11. n. 10.* & Sanche *de Matrim. cit. disp. 1. n. 19.* ubi probat, dispensatum ad plura beneficia esse hoc ipso dispensatum in residentiâ utriusque sed satisfacere residendo in altero; Simili ratione *n. 27.* probat, si cum illegitimo, vel aliàs irregulari dispensatum sit ad omnes, vel Sacros Ordines, eo ipso dispensatum esse cum ipso ad Beneficium simplex, quo possit Ordinibus insigniri, siquidem talis titulus ex Tridentino *sess. 21. de Reform. cap. 2.* requiratur ad promotionem in Ordinibus sacris, neque titulus Patrimonij, aut pensionis sufficiat, nisi quasi Dispensativè ratione necessitatis, vel utilitatis Ecclesiæ.

Septima regula est. Quòd in Privilegio derogante Juri communi probabilius non exigatur clausula expressa Juris communis, cui opponitur derogatoria, sed sufficiat ipsius Privilegij concessio. ex Glossâ *in Cap. de constit. verb. Noscatur. n. 6.* Felino *in Cap. Nonnulli. reg. 2. fallent. 2. n. 11. De rescript.* Suare *cit. lib. 8. cap. 14. n. 4. & 5. punc. 9.* Cujus ratio est, quod princeps non præsumatur ignorare jus commune, sed habeat istud in scrinio pectoris sui. *ex cit. Can. 1. De constit. in 6.* Nisi ergo Jus commune resistat Privilegio, id derogando, seu revocando, ad Privilegij valorem non est opus clausula Juris communis derogatoriâ. ex Castropalao *tit. d. 4 punct. 10. n. 9. & 10.* qui *n. 11.* cum Doctoribus à se relatis ait, si tamen Privilegium sit contrarium Juri alterius, vel consuetudini, aut statuto speciali, non habere vim, nisi addatur clausula revocatoria talis Juris, consuetudinis, aut statuti, etiamsi Privilegium sit motu proprio concessum, eò quod Princeps ejusmodi specialia jura ignorare censeatur. *ex cit. Cap. 1. De constit. in 6.* 7.

Octava regula. Si Privilegium proprio motu, vel ex certa scientia sit concessum, quantumvis sit contra Jus commune, juxta Canonem *Motu proprio. De Præbendis*, latè est interpretandum, utpote proprium beneficium principis, cujus honorem & liberalitatem decet lata interpretatio. ex Sancto Anton. *Cap. At si Clerici. §. de adulteriis. n. 14. de Iudiciis. Cap. Cum in cunctis. §. Cum verò. n. 14. De Elect.* Abbate *ibi n. 8.* Felino *in Cap. Postulasti n. 13. limit. 6. de rescriptis.* & aliis relatis à Sanche *cit. lib. 8. disp. 1. n. 5.* 8.

Nona regula est. Privilegium quantumvis favorabile non extendi ad alios casus non expressos. Circa cujus tamen explicationem aliquæ emergunt difficultates *in 2. conclus.* mox discutiendæ: Sicut etiam circa quintam regulam, vi cujus dispensatio seu Privilegium tertio seu Juri Communi præjudicare dicitur esse strictæ interpretationis, occurrit difficultas per tertiam conclusionem expedienda, *An scilicet Privilegium concessum dispensandi, vel absolvendi à reservatis æque ac Privilegium dispensationis debeat strictè interpretari?* 9.

Conclusio II.

Extra specialem juris pro aliquâ materiâ constitutionem omnino verum est, quod ob similitudinem, vel majoritatem rationis Privilegium non extendatur nisi ad casus saltem *virtualiter*, in eo expressos. Ex Card. *in Clement. 1. q. 6. De Testament.* Bartolo *in leg. 1. & ult. ff. De constitut. Principum.* Baldo *in Cap. Inter cætera. n. 9. De Rescriptis*, & aliis, à Suare *lib. 8. cap. 28. n. 11.* relatis.

Probatur ex communi Juristarum & Theologorum axiomate, quo dicitur Privilegia tantum valere, quantum verba sonant: eò vel 10.

maximè, quòd menſura Privilegij non ſit niſi
voluntas concedentis. Unde fit 1. Quando Pri-
vilegium, ut quis tempore interdicti poſſit au-
dire Sacrum, juxta *Can. Licèt. de Privil. in 6.* ex-
tenditur ad familiares, tunc non tam fieri Pri-
vilegij extenſionem, quàm gratiæ *Virtualiter* con-
tentæ in privilegio explicationem, ſicuti vita-
lis explicationis in Privilegio alicui ad matuti-
num ſtatim à meridie recitandum conceſſo *Vir-
tualiter* incluſæ, talis licentia etiam ſocio reci-
tanti cum ipſo eſt conceſſa. ex Caſtropalao *cit.
diſp. 4. punc. 12. n. 3.* & Suare *lib. 8. cap. 11. n. 7.*
11. *& 8.* 2. Privilegium Nobilitatis viro conceſſum
extenditur quidem ad uxorem & Filios, non ta-
men ex vi Privilegij Nobilitatem viro conce-
dentis, ſed ex aliâ Juris diſpoſitione, quâ ſta-
tuitur, ut quoties Marito, aut Patri Privilegi-
um Nobilitatis conceditur, illo gaudere debe-
ant etiam uxor & Filij. *ex leg. fœmina. ff. De ſena-
toribus. & leg. 1. Cod. De dignitatibus.* Et hinc ſi
nobilitas ſit marito ingenita, uxor per partici-
pationem, mortuo etiam Marito nobilis per-
manet, ſi verò nobilitas non ſit ex ſanguine,
ſed ex officio ſit conjuncta, tunc iſta expirante
in viro, conſequenter in uxore, ac filijs ex-
ſpirat nobilitas. Suarez *cit. cap. 11. n. 2. 3. & 4.*
cum Abbate *in Cap. Licèt. de Cenſibus,* & alijs Docto-
ribus. Unde à contrario Privilegiũ viri de exemp-
tione à tributo, extra nobilitatis caſum, non ex-
tenditur ad uxorem & filios. cùm hujus exten-
ſionis non extet in Jure ſpecialis diſpoſitio.
12. ex Suare *citato.* 3. Quamvis Privilegium perci-
piendi Decimas de laboribus terræ Parochia-
rum ſuarum vi Canonis. *Ex parte tuâ. 27. De de-
cimis.* extendatur ad Novalia; hæc tamen non
tam eſt extenſio caſûs ad caſum, quàm expli-
catio materiæ *Virtualiter* contentæ, ac ſecundum
ipſam verborum proprietatem *implicitè* ſignifi-
catæ ſub Decimis. ex Caſtropalao *cit. diſp. 4. punc.*
13. *13. n. 6.* 4. Quando diſpenſatio facta Illegiti-
mo ad actus ſpirituales, vi *Canonis. Per Venerabi-
lem. Qui filij ſint legitimi.* extenditur etiam ad tem-
porales actus, non ideò fit, quòd ſit extenſio de
caſu in caſum, ſed cùm unus caſus ex decentiâ &
æquitate non poſſit ab altero ſeparari, ideo uni-
us conceſſio ſecum trahit aliam quoque conceſ-
ſionem, quia, ut ait Pontifex, monſtruoſum vi-
14. deretur, ut, qui legitimus ad actiones ſpirituales
fieret, circa actus ſæculares illegitimus rema-
neret. ex Caſtropalao *cit. n. 7.* 5. Proinde Pri-
vilegium diſpenſandi in votis extenditur etiam
ad vota jurata, nec non privilegium teſtandi
extenditur etiam ad Codicillum, tum quòd Ju-
ramentum ſe habeat reſpectu voti tanquàm ac-
ceſſorium etiam in diſpenſationibus. At verò
acceſſorium in tantum ſequitur naturam prin-
cipalis, ut Diſpenſatus in die jejunij ad come-
dendas carnes, poſſit, ſecundum Sanchen *lib.
8. diſp. 1. n. 38.* etiam veſci lacticinijs & ovis, ut-
pote non aliter prohibitis, niſi quatenus ſe-
mentinam trahunt originem à carnibus. *in Cap.
Denique. diſt. 4.* Tum quòd Codicillus ſe habeat ad
teſtamentum, vel tanquam acceſſorium, vel
tanquam ſub nomine Teſtamenti comprehen-
ſum, ſiquidem in vulgari ſignificatione ſub no-
mine Teſtamenti veniat quælibet ultima di-
ſpoſitio. *ex leg. Marcellus. ff. De donationibus causâ
mortis.*

CONCLUSIO III.

FAcultas diſpenſandi non æquè ac di-
ſpenſatio eſt ſtrictæ interpretationis,
ex communi ſent. Doctorum. ſpeciatim
Suarezij *lib. 8. de legib. cap. 17. n. 11.* Co-
varruviæ *4. Decret. 2. par. cap. 8. §. 8. n. 6.*
& Sanchezij *cit. lib. 8. diſp. 2. n. 1.* quam-
plures alios referentis, deſumiturque *ex
Cap. Per Venerabilem. Qui filij ſint legitimi.*
Et *Cap. fin. De Simoniâ.* ubi dum poteſtas
diſpenſandi ordinaria dicitur latè inter-
pretanda, videtur hoc extendi debere ad
poteſtatem etiam Delegatam.

Probatur. Hæc enim poteſtas non æquè, 15.
ac ipſa Diſpenſatio refragatur Juri communi;
Imò per ſuam naturam ita cedit in favorem a-
liorum, ut ex ſe præcisè nulli ſit præjudicialis;
ſed ex parte Diſpenſantis ſit, diſcernere cauſas di-
ſpenſandi, & taliter providere, ne Bono publico,
vel alijs inferatur aliquod præjudicium. Et hinc
Caſtropalaus *cit. diſp. 4. punc. 11. n. 6.* cum alijs
infert. 1. Poteſtatem à Concilio Tridentino *ſeſſ.* 16.
24. de Reform. cap. 6. Epiſcopis conceſſam eſſe
latè interpretandam. 2. Idem *n. 7. & 8.* con-
tra Sanchez *cit. diſp. 2. n. 7.* infert, poteſta- 17.
tem vi Jubilæi conceſſam eligendi Confeſſari-
um, qui abſolvat à reſervatis, vel diſpenſet in
votis & canonicis impedimentis; *latè* debere in-
terpretari. Ratio eſt. Quia Jubilæum eſt con-
ceſſum in favorem lucrandi efficaciùs Indulgen-
tias, quæ eſt cauſa favorabilis. Verùm 3. Ca- 18.
ſtropalaus *citatus n. 8.* cum Azore *lib. 5. cap. 13.
q. 2.* contra Bonacinam *diſp. 1. q. 3. punc. §. 1. n.
11.* cenſet, facultatem extra Jubilæum eligendi
Confeſſarium, qui eum abſolvat à cenſuris &
caſibus reſervatis, ſi conceſſa ſit ob bonum pri-
vatum Diſpenſati, *ſtrictè* interpretandam, at-
que adeò reſtringendam eſſe ad cenſuras &
peccata præcedentia, niſi aliter conſtiterit
de mente concedentis. Ratio eſt. Quia ta-
lis facultas eſt inchoata diſpenſatio, & ex-
emptio à lege communi de ſe obligatoriâ ad
ſuperiorem adeundum. Ergo ad inſtar diſpen-
ſationis eſt ſtrictæ interpretationis. Econtra
4. Si cui ſit poteſtas in favorem ipſius legiti- 19.
matoris, non autem legitimandi, conceſſa ad le-
gitimandum adulterinum & inceſtuoſum, poſ-
ſe legitimare aliquem, in quo concurrit utrum-
que vitium, niſi agatur de præjudicio tertij, con-
tra Doctores à ſe allegatos tradit Sanchez *lib. 8.
diſp. 2. n. 28.* cum alijs à ſe relatis. Ratio eſt.
Quia ſecundùm *Leg. Si ita. in princ. ff. De liberis &
poſthumis* ſub ſimplici mixtum comprehenditur,
præſertim in materiâ favorabili, cujuſmodi eſt
poteſtas legitimandi, conceſſa illimitatè, abſque
perſonarum expreſſione.

❊❊❊❊❊❊❊❊❊)(❊❊❊❊❊❊❊❊

CONTROVERSIA VI.

De Ceſſatione Privilegiorum?

PRima difficultas eſt circa lapſum tem- 1.
poris: *An ſcilicet privilegium unico actu finia-
tur, ſi in verbis privilegij aliqua ſubſit ambigui-
tas, ſi ...*

tas, ratione cujus dubitetur, utrùm ad plures, vel unũ duntaxat actum extendi possit? In quo Sanchez *lib. 8. de Matrim. disp. 31. n. 8.* & Suarez *lib. 8. de Legib. cap. 29. n. 8.* negant, Privilegium, vel dispensationem concessam unico actu finiri, dum non adjicitur clausula *semel in vitâ*, vel *in mortis articulo*, sive *in anno*, vel *pro hac vice* duntaxat, vel *ad talem effectum*, sive quidpiam simile clarè denotans restrictionem.

Probatio desumi potest ab inductione. Nam 1. si dispensetur ad obtinendum Beneficium, potest quis isto dimisso, aliud acquirere. 2. Dispensatus in voto Castitatis ad ineundum Matrimonium potest mortuâ conjuge novum inire Matrimonium. Et hinc si ob successionem regni dispensatum sit cum Religioso ad contrahendum Matrimonium, potest causâ dispensationis adhuc subsistente, inire secundas nuptias: secus foret, si causa dispensationis expirasset. ex Sanche *citato n. 8. & 9.*

2. Secunda difficultas hic emergit, *An causa, propter quam Privilegium seu dispensatio concessa fuit, tempore concessionis duntaxat, vel Executionis verificari debeat?* In quo Rebuffus *in prajat. de rescriptis n. 56. vers. 14.* Mascardus *de probat. concl. 1128.* Sa *verb. Gratia. n. 9. & 10.* tenent, sufficere, si narrata verificentur tempore impetratæ dispensationis. Fundamentum est. Quia Ordinario, vel Confessario tantùm committitur executio dispensationis. Hæc igitur jam antecedenter habebat suum vigorem.

3. Tertia difficultas est, *An in Privilegijs in solum favorem privilegiati cedentibus, ad horum cessationem sufficiat simplex Privilegiati renuntiatio, vel opus sit, talem renuntiationem esse acceptatam ab illo, qui concessit Privilegium?* In quo difficultatem facere videtur Præsumptio Juris. Ubicumque enim Jus ex usu, vel non usu externo præsumit voluntatem dimittendi Privilegium, statim declarat, fuisse perditum. *ex Can. Si de terrâ. verbo. si de Privilegio vobis detrahere volueritis. De Privilegijs.*

4. Quarta & quinta difficultas hic resultat, *Qualiter non usus Privilegij, vel usus contrarius inducat præscriptionem, vel tacitam renuntiationem, ut cujus tollatur valor Privilegij?*

5. Sexta difficultas est *de modo abusûs Privilegium tollentis. Et, An ipso facto, vel mediante sententiâ duntaxat tollat privilegium?* Septima denique difficultas est. *An, & quando per revocationem cesset valor privilegij?* Quas proinde difficultates singulis conclusionibus expediemus.

Conclusio I.

AN privilegium unico actu, vel lapsu temporis finiatur, decidi debet tum ex verbis Privilegij, tum ex alijs circumstantijs, ex quibus mens concedentis privilegium dijudicari potest.

6. Probatur. Nam cùm tota vis Privilegij dependeat ex voluntate concedentis, planum est, si privilegij verba sint restricta ad certum tempus, hoc finito, exspirare privilegium. ex *Cap. De Causis. De officio Delegati. & leg. 2. & 4. Cod. De precib. Imperatori offerendis.*

7. Et hinc fit 2. Si Privilegio sit apposita conditio ex parte privilegiati se tenens, hac cessante, cessare etiam privilegium: veluti privilegium concessum Monacho perit, si statum mutaverit. Secus verò est, si conditio apposita non se habeat penes concessionem, dum v. g. concessum est privilegium sub consensu Episcopi, siquidem isto semel præstito, eatenus vim obtinuerit Privilegium, ut refragante licèt Episcopo, deinceps tolli non possit. Quòd si tamen talis de consensu Episcopi conditio non tam afficeret substantiam Privilegij, quàm ejus usum, tunc iste impediri posset ob defectum talis consensûs. ex Suarezio *lib. 8. de legib. cap. 29. n. 4.*

8. 3. Indubitatum etiam est, si ex verbis privilegij clarè eluceat, non esse sermonem nisi de unico actu, tunc expirare per exercitium unius actûs, si iste sit tamen validus, cùm actus irritus habeatur pro nullo *ex vulgatâ Juris regula.* Quòd si 4. ista *pro hac vice duntaxat*, vel similis clausula non sit adiecta, ex qua eluceat privilegium pro uno duntaxat actu esse concessum, potest in tali ambiguitate in materijs præsertim favorabilibus Privilegium extendi ad plures actus: uti patet in exemplis *supra n. 1.* adductis.

9. Nihilominus 5. debet sub tali verborum obscuritate in materijs præcipue odiosis intelligi privilegium coarctatum ad unum duntaxat actum, uti ex Abbate. *Can. 2. De Treuga & pace* tradit Felinus *ibi. n. 3.* asserens, famosam esse Regulam, quòd simplex sermo realiter verificetur in primâ vice. *per leg. Boves. §. hoc sermone. ff. de verb. signif.* Unde securitatem veniendi datam Bannito intelligi in dubio pro primâ vice. ex Bartol. *in leg. 1. ff. Ad leg. Juliam.* Similiter dispensationem ad duo Curata Beneficia intelligi de primis. *ex Can. Nam potest. §. 1. De prab. in 6.* Pari ratione, si in aliquo Compromisso dictum fuit, quòd arbitri possint prorogare terminum, nec tamen expressum est, *semel*, vel *pluries*, id debet intelligi de unâ & primâ prorogatione. ex Baldo *in Capit. fin. De Consuetud. §. Dubitatur insuper.* Plura videre licet apud præcitatum Felinum.

Conclusio II.

PRivilegium cessat caussâ finali non subsistente pro tempore, in quo necdum effectum est sortitum.

10. Explicatur & probatur. Nam 1. Privilegia, absolutiones seu Dispensationes quandoque ex solâ concessione Principis plenum sortiuntur effectum, dum scilicet ipsemet Princeps dispensat in voto, vel irregularitate, sive absolvit ab excommunicatione. In tali proinde casu, modò impetrationis causa verificetur pro tempore concessionis, eatenus subsistit gratia, ut ex post facto, dum status rei est mutatus, non possit irregularitas, seu votum dispensatum, sive Excommunicatio sublata redire, uti tradunt Menochius *lib. 4. de Præsumpt. 189. n. 197.* Sanchez *lib. 8. de Mat. Disp. 30. n. 10.* Suarez *lib. 8. de Legib. cap. 30. n. 4.* & alij conformiter *ad Juris Reg. 73. de Reg. Juris in 6.* ubi dicitur; *Factum legitimè retractari non debere, licèt casus postea eveniat, quo non potuerit inchoari.*

11. Quòd si 2. Privilegium, vel Dispensatio non à primo statim concessionis instanti integrum obtinuerit effectum, sed ejus Materia dividua dependeat ex causâ successivùm temporis tractũ habēte, tunc cessante causâ finali cessare Privilegium, probant, pluribus relatis, Sanchez *citatum n.*

tat n. 14. Suarez *cit. cap. 30. n. 18.* Castropalaus *præs. disp. 4. punc. 15. n. 6.* Ratio est. Quia intentio dispensandi non est, nisi ex hypothesi causæ legitimæ, actus autem non operantur ultra intentionem agentium. ex *Cap. Quemadmodum. De Jurejurando.* Unde dispensatio jejunij & recitationis horarum facta ob infirmitatẽ dubiam, exspirat, cessante istâ causâ finali. Hinc etiam dicitur *in leg. Facto. in princ. ff. de Vulgar. & pupill. substitut.* Privilegium Patri concessum substituendi filio furioso, cessare, filio sanæ mentis effecto, ac evanescere substitutionem illi antea factam, quia, uti textus habet, *iniquum incæpit fieri beneficium Principis, si adhuc id valere dicamus, auferret enim Testamenti factionem hominis sanæ mentis.*

12\. 3. Si Privilegium vel Dispensatio ex solâ Principis concessione non sortiatur integrũ effectum, sed pendeat ab Executione Ordinarii, vel Confessario commissâ, probabilius est, oportere, causam verificari non tantùm tempore concessionis, sed etiam tempore executionis. ex Covarruviâ 4. *Decret. 2. p. cap. 6. §. 9. num. ult.* Thomâ Sanche *cit. disp. 30. n. 12.* cum pluribus Doctoribus ab ipso relatis.

Ratio est. Quia ante Executionem non tenet Dispensatio, sed extat duntaxat mandatum de dispensando. At mandatũ cessat, cessante causâ illius finali. ex *Can. Si pauper. De præb. in 6. & ibi.*

13\. Glossâ *ver. cesset.* Imò Sanchez *citatus n. 15.* addit, etiamsi Dispensatio de impedimento v. g. Matrimonij sit executioni demandata, sed causa cesset antè contractum Matrimonium, non subsistere ampliùs dispensationem, utpote quæ nondum sortita sit effectum plenum ac irrevocabilem. Verùm de his ex instituto disseremus *in tract. de Matrim.*

CONCLUSIO III.

NOn ex quavis renunciatione Privilegij auferri potest hujus valor & efficacia.

14\. Explicatur & probatur. Nam 1. aliqua sunt privilegia, quæ in Bonum publicum alicujus saltem Communitatis *per se primò* ordinata sunt. Ejusmodi verò privilegia renunciari nullatenus posse à particularibus, utpote quorum non sint propria bona, evincitur ex *Cap. Si diligenti. De foro compet. & leg. Cum publicum. ff. De Pactis.* Unde neque Clericus privilegijs v. g. *Fori & Canonis* statui Clericali concessis, neque Religiosus privilegijs suæ Religionis, neque filiusfamilias sub patria saltem potestate constitutus Privilegio Senatûsconsulti Macedoniani in favorem etiam parentum concessi, validè renunciare potest. 2.

15\. Tametsi Privilegiatus suo favori, atque adeò Privilegio in suum præcise favorem *per se primò* cedenti validè renunciet. ex *Cap. Ad Apostolicam. De Regularibus. Leg. Si Judex. ff. De minoribus. Leg. Pactis. ff. De Pactis. Leg. Quod favore. Cod. de Legibus.* Nihilominùs si Privilegij renunciatio cedat in præjudicium aliorum, velut accidit in privilegijs de Decimis & tributis non solvendis, tunc istam renunciationem non tenere firmiter, sed revocari posse, antequàm sit acceptata ab illo, cujus interest, cum Doctoribus à se relatis, probat Suarez *cit. lib. 8. cap. 33. n. 9.* & Castropalaus *cit. disp. 4. punc. 17. n. 6.* eò quòd talis renunciatio æquiparetur donationi, quæ revocabilis est, dum à Donatorio accepta non fuit. ex Glossâ *in Cap. Cùm venissent. verb. obtulit. De eo, qui mittitur in possessionem.* & Baldo *ibi. n. 8.* Quòd si 3. Privilegium respiciat solum Privilegiatum, nec alteri sit præjudiciosum, veluti de eligendo Confessario, recitandis horis ante tempus consuetum, ne tunc quidem renunciationem esse irrevocabilem, antequàm ab illo, qui concessit Privilegium, sit acceptata, docent Sanchez *cit. lib. 8. disp. 42. n. 2.* Suarez *lib. 8. cap. 33. n. 18.* Ratio est. Quia ante talem acceptationem subsistente moraliter priori illius, qui privilegium concessit, voluntate, potest privilegiatus de novo velle Privilegium sibi appropriatum: uti eruitur ex *Can. Licèt. de Procurat. in 6.* ubi statuitur, quòd is, qui ab absente constitutus procurator, mandatum sibi præsentatum accipere noluit, possit tamen, quandocunque placuerit, adhuc acceptare, quamdiu constituens in pristinâ perstiterit voluntate. Unde 17. fit, quòd electus, qui renuit consentire Electioni, possit mutatâ voluntate, eandem acceptare, dum Electores in eâdem voluntate persistunt; sicuti etiam Judex Delegatus priùs repudiatâ delegatione, & Beneficiarius priùs rejectâ collatione Beneficij sibi præsentatâ, potest perseverante adhuc voluntate Delegantis, vel conferentis Beneficium, posteà consentire, veluti *in cit. Can. Licèt,* tradunt Glossa *fin.* & Ioannes Andreas, item Sanchez *cit. lib. 8. disp. 31. n. 2.* addens *n. 6.* illum, qui obtentâ dispensatione ad ineundum Matrimonium cum Consanguineâ, duxit aliam, posse hâc mortuâ, adhuc uti dispensatione obtentâ.

16\.

CONCLUSIO IV.

VUlgata illa Regula, quod Privilegia deperdantur per non usum, non simpliciter tenet, sed sub restrictionibus mox exponendis.

18\. Explicatur & probatur. Nam 1. non amittitur Privilegium per non usum, si eo utendi non obtulerit se occasio, uti colligitur *ex leg. Unus ex socijs. §. ult. & leg. De servit. rust. præd.* ubi statuitur, non amitti servitutem Titio debitam de aquâ ducendâ in fundum ipsius, quando illâ usus non fuit, eò quòd fons exaruerit.

19\. 2. Privilegia in nullius præjudicium cedentia, v. g. de administrandis Sacramentis, utpote Jurisdictionem Ordinarij nõ lædentia, & alias in salutem animarum vergentia, non perduntur ex non usu quantumcunque continuato. Suarez *cit. lib. 8. cap. 34. n. 17.* Castropalaus *cit. disp. 4. punc. 18. n. 3.* & alij. Ratio est. *Quia lex 1. ff. De Nundinis,* & aliæ leges statuentes, privilegia amitti per non usum, procedunt de privilegijs cedentibus in aliorum gravamen ac præjudicium.

20\. Hinc 3. De talibus Privilegijs in aliorum præjudicium vergentibus dicendum est, amitti per non usum, quando gravati adversus Privilegiatum præscribunt. Suarez *citatus n. 16. & 20.* & plures alij, quos refert ac sequitur Castropalaus *citatus n. 1. & 4.* Ratio est. Quia actus contra Privilegium à tertio exercitus, Privilegiato tacente, seu non utente suo Privilegio, firmat in illo tertio possessionem adversus Privilegium; si proinde legitimum præscriptionis tempus interveniat,

veniat, ex tali non usu Privilegium istud æquè perimitur, atque mediante præscriptione dero-
21. gari possit Jus commune. Et quidem ad talem Privilegij peremptoriam præscriptionē requiri, & sufficere decennium, docent Abbas, Felinus & Decius in *Cap. Cùm accessissent. De Constit.* item Bartol. Jason & alij *in leg. 1. ff. de Nundinis. Et in leg. Falsò. Cod. De diversis rescript.* Quibus suffragatur præallegata *Lex 1. De Nundinis.* Ubi deciditur, facultatem à Principe concessam celebrandi nundinas, si per decenium quis non fue-
22. rit eâ usus, amitti. Nihilominùs quoad hoc eædem servandæ sunt regulæ, ac de præscriptione, adeò ut inter præsentes decennio, inter absentes vicennio perficiatur præscriptio ejumodi, & respectu Ecclesiarum ac Monasteriorum quadriennium sit necessarium, uti ex *Cap. Accedentibus. De Privil. & Cap. Fund. de præscript.* tenent Menochius *lib. 6. de præsumpt. 41. in fine. & lib. 8. conf. 727. in fine n. 13.* Suarez *cit. lib. 8. cap. 34. n. 20.* Castropalaus *citatus n. 7.*

Conclusio V.

23. Regula illa vulgaris, quòd Privilegia per usum contrarium amittantur, sequentibus indiget cautelis.

Nam 1. Usus contrarius non statim inducit tacitam Privilegij renunciationem, sed indifferens est ad hoc, ut possit ob alios fines fieri à Privilegiato. Et hinc Privilegium non statim amittitur per unum actum, seu usum contrarium veluti relatis Felino, & alijs, tradit Suarez *præs. cap. 35. n. 12.* Unde si quis habet Privilegium generale, ne subire debeat munera publica v. g. tutelæ, sed permittat se eligi ad tale munus, non præjudicat sibi quoad Privilegium, nisi quoad talem actum, quem sponte admisit, uti ex *leg. voluntariæ. Cod. de excusat. Tutor.* docet Suarez *citatus n. 14.* addens cum Jasone *in leg. ult. Cod. De constit. Principum.* eum, qui habet Privilegium non solvendi tributa, si permittat, se inscribi in libro talium gravaminum, & intra decem dies non appellet, non obinde amisisse Privilegium, sed talem permissionem ad summum valere ad unum actum Privilegio contrarium, de tributo pro illâ vice solvendo.

24. Unde fit 2. Quando Privilegium non uno actu consumnatur, sed exercitium Privilegij habet tractum successivum, non fieri abrogationem per usum contrarium, nisi interveniente præscriptione. ex *leg. 2. De privileg. Veteran.* Ubi habetur, Privilegium immunitatis ab oneribus Civitatis non labefactari, licèt quis sponte subeat aliqua munera. Quare ejusmodi actus ante tempus præscriptionis solummodò impediunt, ne pro tunc in contrarium allegari possit exceptio Privilegij. ex Glossâ *Cap. Gratum. De officio Delegati.*

25. Cæterùm ad præscriptionem ejusmodi introducendam non requiri pluralitatem actuum, sed sufficere unum actum tempore ad præscriptionem requisito continuatum absque retractatione, tradunt Suarez *cit. cap. 35. n. 20.* Castropalaus *cit. punc. 19. n. 8.* asserentes, si quis Privilegiatus semel solvit gabellam, etiamsi iteratò non solvat, eo quòd non occurrat occasio, sed in tali statu permaneat per tempus legitimum; amittere vi præscriptionis Privilegium saltem quoad speciem tributi à se soluti.

Conclusio VI.

Ex abusu Privilegij meretur quis hu- 26.
jus amissionem, non ipso tamen facto Regulariter incurrendam, sed mediante sententiâ saltem declaratoriâ abusûs, ob quem sit privandus Privilegio.

Explicatur & probatur. Nam 1. *in Cap. Ubi. dist. 74. Cap. Privilegium. 11. q. 3. Cap. Licèt. de Regularibus. Cap. Ut privilegia. De Privilegijs. Cap. Contingit. 2. De sent. Excommunic.* statuitur, quòd is, qui concessâ abutitur facultate, mereatur Privilegium amittere. Cæterùm Privilegij abusus potest tripliciter fieri, tum si fiat ejus extensio ultra id, quod vi Privilegij concessum fuit, tum si ex privilegio quis sumat occasionem delinquendi, tum denique si fini Privilegij suis pravis moribus resistat.

Hinc 2. Si Privilegij abusus fiat primo modo 27.
per quandam ultra concessa extensionem, planum est, actum utpote sine potestate factum esse ipso Jure nullum, an verò ex tali abusu Privilegij amittatur ipso facto, ex verbis Privilegij seu Canonis alicujus petendum est. Nam si Canon dicat: *Meretur amittere Privilegium, vel privetur,* sive *careat Privilegio,* tunc advertente Suare *præs. cap. 36. n. 8.* hujus amissio non inducitur ipso facto. Si verò dicatur in Canone. *Noverint se privatos,* tunc ipso facto incurretur ejusmodi privatio, veluti *in Can. 2. De Postul. Prælat.* Et *in Can. Cùm in cunctis. §. ult.* item *in Canon. Cùm Wintoniensis. De Elect.* cavetur, illos, qui indignum elegerint, pro illâ vice privari potestate eligendi. In cujusmodi tamen ac similibus casibus Suarez *in fine cit. cap. 36.* existimat, ordinariè necessariam esse sententiam saltem declaratoriam Criminis, quando priva-tio fuerit pœnalis, velut infra de lege pœnali
dicetur. 3. Si Privilegij abusus fiat secundo mo- 28.
do, ita ut quis exinde sumat occasionem peccandi, non ipso facto, sed mediante sententia criminis saltem Declaratoria, privatur Privilegio. Hinc enim in *Cap. Contingit. 2. De sent. Excom.* statuitur, quòd Clericus sine habitu & tonsurâ incedens occasione liberiùs vivendi, non amittat Clericale Privilegium, quousque ter monitus fuerit, imò advertente Castropalao *cit. disp. 4. punc. 20. n. 4* quousq; per sententiam declaretur. Insuper in *Cap. ult. De Immunit. Eccles.* privatur immunitate Ecclesiæ, qui in hac deliquit. Et *in Cap. Ex litteris. De vitâ & honestate Cleric.* statuitur, quòd Clericus Negotiator ter monitus (dū tamen cōstat de istâ trinâ monitione, sitque declaratum, quòd prætermissis Divinis officijs institerit sæcularibus negotiationibus) non sit defendendus à solvendis tributis, cùm ipso facto abjecerit clericale Privilegium.

4. Si abusus Privilegij fiat tertio modo, dum 29.
v. g. Clericus aliquis, cui ut litteris vacet, concessum est Privilegium non residendi, tempus frustra terendo, & vanis rebus se occupando, fini Privilegij resistit; tunc in quantum Finis ejusmodi ceu fundamentum Privilegij tollitur, in tantum cessat Privilegium, ex defectu scilicet intentionis in concedente tale Privilegium.
Hinc enim in Concilio Tridentino *sess. 23. de Re-* 30.
form. cap. 6. Clericus Privilegio Clericali sibi ali-

 às, si

às, ſi habitum deferat, & alicujus Eccleſiæ deſerviat, conceſſo privatus decernitur, quamdiu laicè vivit, & quouſque habitum Clericalem non reaſſumit, & Eccleſiæ alicujus ſervitio ſe
31. non addicit. Sic atteſtante Suare *cit. cap. 36. n. 7.* ſi Clericus, qui, ut ſtudijs vacet, obtinuit Privilegium abſque reſidentiâ lucrandi fructus ſui beneficij, non ſtudeat, eo ipſo amittit hoc privilegium, quoad fructus reſpondentes illi tempori, quo non ſtuduit, adeò ut pro tali amiſſione privilegij, dum clarum eſt, Privilegiatum ſuo abuſu tollere ejus finem, non opus ſit ſententiâ, ſed ipſo facto incurratur. Uti Suarez in *fine cit. cap. 36.* obſervat.

Conclusio VII.

Ut revocatio Privilegij per Superiorem facta ſortiatur effectum, ſequentes requiruntur conditiones.

32. Nam 1. oportet, in Privilegio diſcernere, an importet præcisè actûs alicujus delegationem, an verò transferat aliquod Dominium, ſeu Jus in privilegiatum. In priori proinde caſu indubitatum eſt, Privilegium ſeu Diſpenſandi v. g. facultatem, utpote ex Delegantis liberâ voluntate pendentem, poſſe ſine causâ validè revocari, quamvis inconſtantiæ ac levitatis, advertente Suare *cit. lib. 8. cap. 37. n.* 10. atq; adeò culpæ venialis notam incurreret Princeps, citra cauſam mutando mandatū, ſeu beneficium alteri factum, eò vel maximè, quòd beneficium Principis deceat eſſe manſurum. *ex Reg. Decet. de Reg. Juris in 6.*

33. Verùm in caſu poſteriori, ubi vi privilegij alteri conceſſum eſt aliquod Jus, vel Dominium, dicendum eſt 2. Non poſſe à Principe ſine causâ rationabili etiam validè revocari. ex Abbate Decio, Felino & alijs in *Cap. Novit. de Judicijs.* Suare *cit. cap. 37. n. 7.* Sanche *lib. 8. de Matrim. diſp. 33. n. 2.* Ratio eſt. Quia non poteſt Princeps ſuo arbitrio pro libitu à ſubditis tollere rem, cujus habent Dominium ex ſuâ licèt donatione quæſitum. Et hinc, ſi cui Privilegium ſit conceſſum decimandi, vel exigendi aliquod tributum, nequit Princeps pro placito ſuo id auferre.

34. Unde à fortiori 3. nequit Princeps ſine legitimâ publicæ utilitatis causâ, revocare Privilegium in vi contractûs, ſub onere alicujus v. g. pretij conceſſum, ſiquidem Princeps teneatur ſervare pacta, etiam cum ſubditis facta, veluti pluribus allegatis tradunt Suarez *citatus n. 5* & Caſtropalaus *cit. diſp. 4. punc. 21. §. 2. n. 1.* qui proinde *n. 2.* infert cum Sanche *diſp. 33. n. 13.* diſpenſationes à Pontifice pro foro externo conceſſas in gradibus prohibitis ad contrahendum Matrimonium, non poſſe ab eodem revocari, niſi juſtâ causâ interveniente ac reſtituto pretio.

35. Hinc 3. neque Privilegium remuneratorium, utpote cedens in contractum, poteſt abſque causâ Publici boni, imò ſecundùm Caſtropalaum *citatum n. 5.* etiam abſque compenſatione revocari, ex Felino *in cit. Cap. Novit. n. 12. De Judicijs.* Abbate *lib. 2. conſil. 3. circa finem.* & *in cap. Pervenit. n. 24. De immunit. Eccleſiaſt.* & alijs, quos referunt, ac ſequuntur Sanchez *ubi ſupra n. 5.* & Suarez *citatus n. 6.* Ratio eſt. Quia ſive remuneratio ſit ex juſtitiâ, ſive ex gratitudine, vi Privilegij remunerativi competit privilegiato jus, quod ipſi decedit per revocationem. Cæterùm ut Privilegium ſit remunerativum, non ſufficere generalem, ſed requiri ſpecialem meritorum mentionem, cenſent Tiraquellus *in leg. Si unquam. verb. Donatione largitus n. 85. Cod. De revocand. Donat.* Socinnas *lib. 2. conſ. 395. n. 8. verſ. quartò.* Caſtropalaus *cit. §. 2. n. 6.* qui *n. 7.* cum Jaſone *lib. 2. conſ. 227. verſu. pro iſtâ parte* cum alijs à ſe allegatis Doctoribus addit, ſi merita ſint ſpecialiter expreſſa, ſufficienter cenſeri probata ex principis aſſertione. 4. Non poteſt etiam inferior, 36.
dum ex facultate de Jure, vel per conſuetudinem ſibi conceſſâ, diſpenſavit in lege Papæ, niſi legitimâ interveniente causâ, talem Diſpenſationem revocare, adeò ut neque diſpenſationis ab Epiſcopo conceſſæ parocho ad non reſidendum, neque diſpenſationis à ſacrâ Pœnitentiariâ datæ revocatio, citra cauſam ab hiſce facta teneat. Ratio eſt. Quia lege Superioris per diſpenſationem ſolutâ, non poteſt hujus obligatio per inferiorem reſtitui, niſi ex causâ legitimâ, ſicut neque potuit eam tollere abſque rationabili cauſa. ex Gloſſâ *in Can. Cùm. ex eo. verb. Septennium. De Elect. in 6.* Archidiacono, Franco *ibi*, & alijs, quos refert, ac ſequitur Sanchez *cit. diſp. 33. n. 12.*

5. Præallegata doctrina procedit, tametſi 37.
revocationi adderetur clauſula generalis: *Non obſtantibus quibuſvis Privilegijs conceſſis per modum contractûs, ſive onerosis, ac remunerativis*: cùm enim iſta ob jus tertio in vi quaſi contractûs quæſitum citra cauſam publicam ſint irrevocabilia, non debet ipſorum revocatio præſumi, quouſque exprimatur, veluti ex Gloſsâ *in Clement. Dudum, verb. Pacta circa finem. De ſepulturis.* & Card. *ibi.* alijſque Doctoribus tradunt Sanchez *cit. diſp. 33. n. 8.* & Suarez *cit. lib. 8. cap. 38. n. 3.* Neque 6. Re- 38.
vocatio per præfatam Clauſulam Generalem tollit privilegia habentia Clauſulam, ut derogari non poſſint, niſi eorum ſpecifica mentio fiat, tunc enim in revocatione oportet addi verba quædam reflexiva ſuper talem clauſulam. ex Abbate *in Cap. Cùm inſtantia. n. 5. De cenſibus.* Felino *in Cap. Nonnulli. in 6. De Reſcriptis.* & alijs Doctoribus.
Neque 7. Pro Privilegijs inſertis in corpore Ju- 39.
ris ſufficit derogatio ſub præcisâ Privilegiorum mentione, ſed opus eſt derogatione conſtitutionum & Canonum, utpote quorum naturam ſapiant Privilegia ejuſmodi. ex Gloſſâ *in Auth. Quia. verb. omni Privilegio. Cod. ubi de crimine agi oportet.* Jaſone *in lege 1. ff. ſoluto Matrimonio.* & alijs.
Et hinc ſi Privilegia à Concilio aliquo Generali 40.
ſint ſtabilita, oportet, exprimi Concilium ſub generali ſaltem clauſulâ; *Non obſtante quâcumque conſtitutione in Concilio etiam Generali editâ.* Covarruvias *4. Variar. cap. 16. n. 6. & in Decret. 2. p. cap. 8. §. 9. n. 6.* Menoch. *vol. 3. conſ. 294. n. 11. & 12.* Sanchez *lib. 3. de Matrim. diſp. 16. n. 7.* cum alijs ab ipſo relatis: colligiturque ex *Cap. Ex parte. Cap. ult. De Capellis Monach.* & *Cap. Nonnulli. De Reſcriptis.* Hinc tamen 8. excipitur caſus, quo 41.
nullâ licèt ſpecificâ circa Concilij conſtitutionem mentione factâ, aliàs de jure, vel conſuetudine conſtet, velle Papam in aliquâ diſpenſatione ipſi derogatum, ſicuti in Diſpenſationibus impedimentorum Matrimonij eo ipſo derogatur Conſtitutionibus Conciliorum & Sacrorum Canonum,

bonum, nullâ licèt horum expressione factâ, uti advertit Sanchez *cit. disp. 26. n. 7. in medio*, habeturque in *decis.* Farinacij *to.3.decis.614.n.3.*

42. 9. Denique ut revocatio Privilegij effectum sortiatur, opus est publicatione. Et quidem, si fiat per legem, talis requiritur promulgatio, qualis necessaria est ad legis substantiam, si verò fiat privatim, requiritur ejus saltem intimatio per rescriptum, Epistolam, seu Nuntium ad id destinatum, uti cum pluribus à se relatis tradunt Sanch. *cit.lib.2.disp.3.n.12. & disp.36.n.9.* Castropalaus *præs.punc. 21. §.5.n.4.* Quamvis Suarezius *lib. 8.cap.40.n.7.* existimet, sufficere quamcunque revocationis notitiam à privilegiato habitam, eò quòd modus revocationis per Nuntium, vel Epistolam nullo jure sit constitutus.

QUÆSTIO DECIMA NONA.

DE STATUTIS MUNICIPALIBUS ET CONSUETUDINIBUS.



Statutum Municipale, & Consuetudo in hoc æquiparantur; quòd utrumque habeat partim vim derogandi jus commune, partim novum jus introducendi. Unde pro perfectâ legis intelligentiâ, vel maximè convenit de ipsis in præsenti tractare.

ARTICULUS I.

DE *Statutis Municipalibus.*

Nomine statutorum municipalium veniunt Decreta Civitatum & Magistratuum Principe inferiorum. De quibus duplicem hic instituemus Controversiam: In 1. quæsituri. *A quibus Communitatibus, & in quibus materiis ferri possint statuta ejusmodi?* In 2. specialiter investigaturi. *An, & qualiter teneant aliqua statuta alicubi lata?*

CONTROVERSIA I.

A quibus Communitatibus, & in quibus materiis ferri possint statuta municipalia?

CONCLUSIO I.

1. Communitatibus nullam Jurisdictionem habentibus non est potestas ferendi statuta in vi legis obligatoria; bene tamen in vi quasi contractûs, seu alicujus conventionalis obligationis.

Explicatur, & probatur. Nam 1. aliquæ sunt Civitates seu communitates Principi alicui subjectæ, quæ ex hujus concessione, vel consuetudine habent aliquam Jurisdictionem. Quibus proinde est potestas condendi veras leges. uti colligitur *ex §. Constat. Instit. De jure naturali.* & *Leg. Leges. Cod. De leg.* 2. Aliæ proinde sunt com- 2.
munitates, villæ, seu castra v.g. juxta *leg. Si dicas ff. de excus tut.* neque Forum Causarum regulariter habentia, neque Jurisdictione ad leges ferendas requisitam participantia. De quibus Bartolus *in dictâ leg. Omnes populi. de just. & jure.* censet, posse àmensacere statuta pertinentia ad rectam suam gubernationem. Verùm eo ipso, quòd jurisdictione careant, dici debet, statuta ejusmodi non posse obligare in vi legis, sed in vi alicujus duntaxat Conventionis, seu quasi contractûs, uti rectè tradit Suarez *lib. 3. de leg. cap. 9. n. 17.* De cujusmodi adeò statutis, sive à Magistratu alicujus Civitatis Jurisdictionem habente, sive à Communitate nullam Jurisdictionem obtinente emanantibus operæ pretium est per aliquot exempla indagare, in quâ materiâ legitimè procedant? Et prima quidem difficultas occurrit, 3.
An justum sit statutum, quo cavetur, ne Frumentum, aliave similes res extra urbis Territorium exportentur? Etenim Boss. apud Julium Clarum *lib. 5. sent. §. fin. Pract. crim. stat. 7.* arbitratur, tale statutum continere re ipsâ avaritiam, dum sub prætextu utilitatis publicæ quæritur aliquod vectigal. Secun- 4.
da difficultas est, *An subsistat statutum, quo cavetur, ne is, qui per tres, quatuor, quinque, aut decem annos debitum non petierit à debitore, non possit illud ampliùs postulare, vel in judicio non audiatur?* Nam quidam apud Filliucium *instit. moral. lib. 8. cap. 26. quæst. 7.* improbant tale statutum, tum quòd nemo possit jure bonis suis spoliari, tum quòd possessor malæ fidei usucapere non possit: debitor autem, creditore per quinquennium licèt, aut decennium nihil petente, scienter rem alienam possideat. Tertia difficultas est, *Utrùm statutum tene-* 5.
at, quò cautum est, ut famuli mercedem pactam aut debitam à Dominis petant intra annum, à die, quo servire cessaverint, post annum verò Salarium petere non possint, nisi scripturam producant in judicio, quâ probetur petitio? Etenim Castro *lib. 2. de leg. pæn. cap. 10. &* Covarru. *Reg. possessor. p. 1. §. 11. n. 3 & 4.* arbitrantur, tale statutum esse iniquum, cùm debitor

ſciens, ſe eſſe obligatum ad ſolvendum, malâ fide poſſideat, nec adeò præſcribere poſſit.

6. Quarta difficultas eſt, *An teneant ſtatuta Laicorum circa Matrimonium, quibus v. g. filia privatur dote, nubens ſine conſenſu Patris: vel contrahenti cum Forenſi imponitur pœna?* Nam de iſto poſteriore ſtatuti genere teſtatur Julius Clarus *cit. lib. 5. ſtat. 3. n. 2.* communem eſſe opinionem, quòd non valeat, neque quoad prohibitionem Matrimonij, neque quoad pœnam.

CONCLUSIO II.

7. Statuta prærallegata non abſolutè, ſed ſecundùm certam aliquam formalitatem Poteſtati Laicali ſubjectam ſubſiſtere poſſunt.

Explicatur, & probatur. Nam 1. ſtatutum de frumento, vel alijs victualibus non extrahendis è Provinciâ, poteſt eſſe conditum pro aliquâ neceſſitate publici Boni, ne ſcilicet ſequatur annonæ penuria, & caritas, quâ facilè laboraret Reſpublica, ſi libera frumenti exportandi facultas eſſet. In quo adeò caſu ſubeſt æquitas talis ſtatuti, eſto ex parte miniſtrorum, ſub onere alicujus lucri paſſim de extrahendo licentiam concedentium, ſubeſſe poſſit avaritia, vel iniquitas. Ex Julio Claro *citato* & Filliucio *cit. cap. 26. q. 2.*

8. 2. In ſtatutis, quibus cavetur, ut Creditor intra Decennium, vel famulus intra unum, alterumvè annum à die finiti famulatûs, non exigens debitum, cadat ſuo Jure, diſtinguere oportet. Si enim ſtatuta ejuſmodi Creditori ſolummodò denegent actionem in Judicio Civili contra debitorem, eò quòd intra certum tempus neglexerit petere debitum, ſuſtineri poſſunt.

9. Secus verò eſt, ſi abſolutè & ſimpliciter conſtituatur, ut Creditor intra certum tempus non petens debitum, Jure ſuo cadat, & debitum amittat: veluti contra Bartolum *in leg. Sequitur §. Si viam. ff. de uſucapionibus.* ſtatuta ejuſmodi approbantem, tenent Joannes Andreas, Antonius, Abbas, & Felinus *in Cap. ult. de Præſcript.* Covarruvias *in leg. Poſſeſſor. p. 2. §. 11. n. 3. 4. & 5.* Filliucius *cit. cap. 26. q. 7.* teſtaturque Angelus in *dictam leg. Sequitur*, illam Bartoli ſententiam improbari & damnari ab omnibus.

Ratio eſt. Quia Reſpublica ad lites quidem componendas & Dominiorum incertitudinem evitandam, pacemque tuendam, Jus habet, bona ex uno in alium transferendi, nec non actionem, vel ex causâ aliquâ, quæ abſque dolo & malâ fide contigerit, vel ex defectu formulæ ad ſtipulationis ſolennitatem requiſitæ, denegandi, non tamen Jus habet condendi legem, quâ quis occupet rem alienam cum malâ fide, vel detineat id, quod ſcit ſe alteri de-

10. bere. Et hinc Filliucius *citatus* infert: Statuta illa ſic intelligenda eſſe, ut Creditor, qui intra decennium v. g. non petijt debitum, non audiatur in Judicio, nec poſſit adeò debitor tranſacto illo tempore ad ſolvendum compelli in Judicio Civili, quamvis in foro Conſcientiæ & Jure Canonico adhuc teneatur ſolvere.

11. Simili ex ratione ſtatutû, ut Creditor pignus debitoris uſucapiat, ſi is intra certû tempus debitum non ſoluat; vel hæres ſcienter præſcribat rem legatam, ſi legatarius intra certum tempus non petat, non poſſe valere ad obligandum in conſcientiâ, rectè tradunt Covarruvias *lib. 1. Variar. Reſol. cap. 9. n. 5.* & Filliucius *ubi ſupra.*

3. Quoad ſtatuta Laicorum circa Matrimonium, certa & communis Doctorum ſententia apud Alexandrum *lib. 1. conſ. 71. poſt n. 3. verſ. Et quamvis.* tenet, non valere, quatenus diſponunt de Matrimonio, ita ut nullum ſit ſtatutum prohibens contrahi Matrimonium cum forenſi, ac pœnam contrahenti imponens; veluti ex communi docet Julius Clarus *ubi ſupra ſtat. 3. n. 1. & 2.* 12.

13. Nihilominùs Pariſius *lib. 3. conſ. 27. n. 42.* dicit, communem eſſe opinionem, quando lex Civilis in favorem tertij, qui ex tali Matrimonio læditur, pœnam imponit contrahenti matrimonium, talem pœnam de Jure Civili ſubſiſtere, neque de Jure Canonico eſſe ſublatam, vel correctam, licèt Jus Canonicum convalidet Matrimonium. 14. Addit author prærallegatus, quòd licèt ſtatuta Laicorum non poſſint imponere pœnam contrahenti matrimonium circa ſubſtantiam Matrimonij, ſcilicet ut Matrimonium ipſum non valeat, poſſe tamen diſponere ſuper dependentibus à Matrimonio, putà ſuper Dote. Et hinc Julius Clarus *ſupra n. 3. ac ſeq.* cum Joanne Andreâ *in Cap. Statutum. de hæret. in 6.* Felino *ibi. n. 13. & in Cap. Eccleſia Sanctæ Mariæ. poſt verſ. ſed contra. de Conſtit.* Decio *in eod. cap. Eccleſia Sanctæ Mariæ. n. 36.* Brunello *de Sponſalibus. concl. 17. n. 4. & 5.* Alexandro *lib. 1. conſ. 71. in fin. & lib. 3. conſ. 1. poſt n. 21.* cenſet, non valere ſtatutum Laicorum diſponens, vel quòd Filij non poſſint contrahere Matrimonium ſine conſenſu Patris, vel quòd Soror non poſſit nubere ſine conſenſu Fratris. Idem tamen author *n. 5.* ait, valere, neque de Jure Canonico reperiri correcta ſtatuta Laicorum privantia filiam dote, caſu, quo nubat indignè ſine conſenſu Patris, ſicque ſervari in Practicâ, atteſtatur Cardinalis *in Cap. 1. Rel. 4. de Sponſalibus.* quem refert Pariſius *lib. 3. conſ. 27. n. 34.*

CONTROVERSIA II.

De quibuſdam ſpecialibus ſtatutis Municipalibus?

Difficultas moveri poteſt 1. *An valeat ſtatutum, quo cavetur, ne contractus fœminarum, vel minorum ſubſiſtat, etiamſi juramento confirmentur, niſi intervenerit conſenſus Curatoris, & Decretum Iudicis, ſive duorum propinquorum placitum? 2. An, ſi ſtatutum ſit, ut ei, qui delictum ſponte confeſſus eſt, pœna minuatur, debeat mitior pœna imponi ei, qui primò negavit, deìn verò illud ſponte confeſſus fuit? 3. An juſtum ſit ſtatutum, quo cavetur, ut quiſque poſſit impunè occidere eos, qui publico Reipublicæ edicto ſunt proſcripti? 4. An teneat ſtatutum de bonis immobilibus non alienandis erga extraneos, & an tale ſtatutum afficiat etiam Clericos & Eccleſias? 5. An ſtatutum, quo cautum eſt, ut quiſquis externus receperit ſe, in hanc civitatem, ſit immunis ab omni onere gabellæ, & Vectigalis, poſſit abrogari? 6. Utrum ſubſiſtat ſtatutum, quo Patri ob delictum filij, & Domino ob ſcelus famuli pœna imponitur?* 1.

CONCL-

Conclusio I.

1. NOn valet statutum Civile irritans contractum juramento firmatum. Ex Communi Jurisconsultorum sententiâ apud Jasonem *in leg. Sacramenta puberum. Cod. Si adversùs Venditionem.* & Filliucium *cit. cap. 26. q. 7.*

Probatur. Quia tale statutum adversatur Juri Canonico præcipienti Iusiurandum esse servandum, quoties absq; peccato servari potest. *Ex Cap. Cum contingat. & Can. Mulieres. de Jurejurando. Can. Significante. de pignoribus. Can. Quamvis. de pactis in 6.* Et hinc pacta & conventa jurejurando firmata vim habent, etiamsi absque jurejurando facta secundùm leges alioquin habeantur irrita & inania.

Conclusio II.

3. CAsu, quò quis *primò* negavit crimen, quod postmodùm sponte fuit confessus, adhuc capax est beneficij legis mitiorem pœnam taxantis. Ita contra Bartolum *in leg. Eum qui n. 4. ff. de Jure jurando* tradunt Jason *in eand. leg. n. 8.* Julius Clarus *cit. lib. 5. §. fin. pract. crim. stat. 7. n. 5.*

Probatur. Quia negatio primo loco facta non impedit, quò minùs possit dici sponte confessus, atque adeò subsistat conditio, sub quâ lex mitiorem pœnam imponit.

Conclusio III.

4. REcepta Doctorum sententia est, quòd côtra illos, qui proscripti sunt tanquâ proditores Patriæ, vel tanquàm transfugæ, vel tanquàm prædones, vel tanquàm conjurati in Rempublicam, jure possit ferri publicum edictum, ut quicunque impunè possit illos occidere. Secus est de alterius generis facinorosis hominibus.

Prior pars, quam Filliucius *cit. lib. 5. cap. 28. q. 11.* dicit, esse omnium, ex eo probatur, quòd ejusmodi proscripti sint Patriæ seu Reipublicæ
5. hostes. Posterior pars, ut videre est apud Julium Clarum *lib. 5. §. homicidium. n. 54.* controvertitur inter Doctores. Nam Joannes Andreas *in rub. de condit.* tenuit, statutum, vi cujus permittitur, ut Bannitus impunè possit occidi, in foro conscientiæ non excusare, si occisus non fuerit hostis Reipublicæ; sed ob aliud crimen proscriptus, quamvis in foro exteriori non afficiatur aliquâ pœnâ occidens talem proscrip-
6. tum. Verùm alij à Julio Claro *citati* oppositam sententiam dicunt, esse veriorem & communem, dummodo non ex affectu privatæ vindictæ, vel ex animo effundendi humanum sanguinem, sed ex Zelo Reipublicæ quis occidat talem Bannitum. Ratio est. Quia saluti, paci & tranquillitati publicæ videtur congruere, ut ejusmodi nefarij & perditi homines è medio tollantur, utpote qui soleant tanquàm hostes Patriæ communisque salutis, multa mala, eaque atrocia commitere, omniaque Divina & humana Jura pervertere.

Conclusio IV.

Statutum prohibens, ne bona alicujus Territorij extraneis vendantur, est 7.
validum, non tamen nisi sub aliquâ limitatione potest afficere Clericos & Ecclesias, eorumque bona.

Prior pars ab Albert. *2 par. statutorum. q. 2. n. 10.* Barb. *in rub. de reb. Eccles. non alienandis.* Jasone *in leg. filiusfamilias. §. Divi. in 2. lect. n. 106. ff. de legat. 1.* Julio Claro *lib. 5. §. fin. pract. crim. statuto 5. n. 1.* tradita, fundamentum habet in Jure Communi, siquidem *in leg. 1. Cod. Non licet habito.* caveatur, ne fundus, vel alia res stabilis
ad externos transferatur. Posterior autem pars 8.
traditur a Filliucio *cit. c. 25. q. 14.* & à Julio Claro *citato*, ubi dicit, esse communem, quòd statutum prohibens, ne bona immobilia vendantur extraneis, non liget Clericos, & Ecclesias, nihilque valeat, quatenus resultat in eorum præ-
judicium. Verùm quia *supra q. 16. a. 7. conc. 5.* de- 9.
monstravimus, Clericos tanquam membra Politicæ Reipublicæ teneri legibus Civilibus non quidem ex istarum vi, prout emanant à Potestate sæculari, sed prout sunt quasi canonizatæ & ex Sacrorum Canonum approbatione vim habent, ligandi personas Ecclesiasticas. Idcirco quoad bona Clericorum, quæ sunt de Municipio alicujus Communitatis, & prout in Germaniâ est frequentatum, communibus oneribus alicujus Civitatis sunt obstricta, posset singularis esse difficultas, an non ex allegatâ ratione essent subjecta statuto prohibenti bonorum immobilium in exteros translationem? De quo ponderare licet, quæ *loco proximè citato* diximus.

Conclusio V.

Statutum illis, qui in Civitatem se re- 10.
ceperint, immunitatem à Gabellis promittens, nôn potest abrogari, quoad illos, qui sub tali statuto sunt recepti in Civitatem, bene tamen quoad illos, qui de futuro ad eam sunt commigraturi. ex Abbate *in Cap. Novit. de Iudicijs.* Sylvestro *verb. statutum q. 12.* Filliucio *cit. cap. 25. q. 10.*

Prior pars probatur. Quia statutum, seu Privilegium respectu talium transivit in quasi contractum, quo ipsimet etiam Principes tenentur. *ex Cap. de probat.* & Bartolo *in leg. quod semel. ff. de decretis ab ordine faciendis.* Ex cujus- 11.
modi fundamento idem Bartolus *in leg. Privilegia. Cod. de Sacrosanct. Eccles.* tradit, si Laici fecerunt statutum, ut singuli cives quotannis in usum Clericorum, vel Religiosorum erogent certam eleemosynam, non posse Laicos tale statutum (saltem quatenus transivit in Jus Clericorum.) denuò abrogare.

Conclusio VI.

12. NOn improbabile eſt, quòd teneat
ſtatutum, quo Domino ob ſcelus fa-
muli & Patri ob delictum filij pœna pe-
cuniaria intentatur, ex Julio Claro *cit.
lib. 5. §. fin. pract. crim. q. 46. n. 7.* cum
communi ſententiâ.

Probatur. Quia tale ſtatutum poteſt habe-
re æquitatem, ut Domini & Patresfamilias ſint
eò vigilantiores ad familiam ſuam in officio
13. continendam. Et hinc Albertinus *in 1. part. ſta-
tutorum. q. 50.* dicit, eſſe communem opinionem,
quòd valeat ſtatutum diſponens, quòd Domi-
nus teneatur pro familia delinquente, quoad
pœnam tamen pecuniariam, non autem cor-
14. poralem. Inſuper Didacus *lib. 2. reſol. cap. 8. poſt
n. 1. vers. 4.* tradit, communem eſſe ſententiam,
quòd lex humana poſſit propter publicam uti-
litatem & ex causâ ſtatuere, ut propter Paren-
tum culpam filij, vel nepotes pœnâ amiſſionis
bonorum, vel aliâ ſimili afficiantur. Denique
15. Alexander *in leg. Lex Cornelia. n. 8. ff. de Vulg.* at-
teſtatur, communem eſſe opinionem, quòd va-
leat ſtatutum diſponens, ut Pater teneatur ſol-
vere condemnationem pro filio uſque ad legi-
16. timam. Cujuſmodi adeò ſtatuta tenent, ſi ali-
cubi vigeant, alioquin adverſantur Juri commu-
ni, vi cujus, teſte Julio Claro *citato n. 1.* Domi-
nus non tenetur delicto ſamulorum, niſi Do-
minus teneret in domo viros ſceleſtos; ſicuti
neque Pater de Jure communi tenetur pro fi-
lio, etiam ex legitimâ poſt mortem Patris, Filio
debitâ, niſi fiat occaſione Patris, & eo ſciente,
tunc enim præſumitur factum de ejus volunta-
te; veluti hæc fuſiùs traduntur à Doctoribus
per Iulium Clarum *ſupra n. 3. & 4.* relatis, qui
ex communi etiam opinione aſſerunt, pro de-
licto filij, ne in peculio quidem adventitio ip-
ſiuſmet etiam filij, neque etiam in ejus proprie-
tate, poſſe fieri executionem.

ARTICULUS II.

DE *Conſuetudine.*

COnſuetudo alia eſt *Juris*, alia *Facti*. Hæc ſecundùm D. Thomam conſiſtit in frequentiâ operandi eodem modo, nulli tamen obligationi ſubjectâ, ſed liberâ, cujuſmodi Conſuetudo eſt, in initio Quadrageſimæ ſuſcipiendi ſacros Cineres, nec non de Manè & Veſpere dandi ſignum ſalutationis Angelicæ, Sanctiſſimamque Deiparam tunc trinâ vice ſalutandi. Illa ex Iſidoro *in cap. Conſuetudo. diſt. 1.* definitur. *Jus quoddam moribus inſtitutum.* De cujuſmodi adeo Jure in præſenti agemus, 1. quæſituri, *Quænam pro tali conſuetudinis Jure inſtituendo requirantur conditiones?* 2. *Quos effectus habeat Jus conſuetudinis?* 3. *Qualiter Jus conſuetudine firmatum mutari, vel abrogari poſſit?*

CONTROVERSIA I.

Quænam pro Conſuetudinis Iure introducendo requirantur conditiones?

COnditiones ad Conſuetudinis Jus in-
troducendum exprimuntur *in Cap. final.* 1.
de Conſuetudine, quod ſcilicet oporteat,
conſuetudinem eſſe legitimam & rationabilem.
Eſt autem rationabilis, dum eſt de re honeſtâ &
utili Reipublicæ, ita ut habeat honeſtatem mate-
riæ, ſaltem quoad nõ repugnantiam cum Divinâ,
vel naturali lege, uti cum Geminiano *in Cap. 1. de
Conſtit. in 6.* Antonio *in Cap. ult. de conſuetud.* tradit
Suarez *lib. 7. de legibus. c. 6. n. 17.*
Hinc non valet 1. Conſuetudo pugnans 2.
cum Eccleſiaſticâ libertate. *Cap. Cùm terra. de ele-
ctione.* ſeu inferens gravamen Eccleſijs. *Cap. Con-
ſuetudines. de Conſuetud.* eò quòd Conſuetudo, ut
ſit ſervanda, debeat eſſe rationabilis, & Reli-
gioni conveniens. *Cap. Erit autem. lex 4. diſt. &
arg. leg. Sunt perſonæ. ff. de Religioſis & ſumptibus fu-
nerum*: alioquin dicenda eſt potiùs corruptela,
& non ſervari, ſed magis extirpari debet *Cap.
mala. diſt. 8.* At verò Conſuetudo Eccleſijs one-
roſa, ſeu præjudicialis ratione caret. *Cap. 1. de his,
quæ fiunt à majori parte Capituli.* Unde Abbas *in* 3.
cit. Cap. conſuetudines. & Fagnanus *ibi. n. 19. de con-
ſuetud.* reſolvunt, non ſubſiſtere conſuetudinem,
quæ alicubi vigebat, quòd Plebanus cuilibet
Parochianorum dare deberet certas libras car-
nis porcinæ ante ſolutionem decimarum, quia
multùm gravat Eccleſiam. Secus tamen foret,
ſi quæ conſuetudo eſſet modicè præjudicialis,
cùm Eccleſia propter authoritatem conſuetudi-
nis tolerare debeat incommoda non multum
lædentia. *ex cit. Cap. Conſuetudines. juncta gloſsâ* Card.
in 2. oppoſit.
Neque 2. tenet conſuetudo, ſecundùm 4.
quam Prælati non revocant ad Monaſterium
ſuos ejectos & fugitivos, utpote quæ ſit nutri-
tiva peccati *in Cap. Ne Religioſi.* & ex Fagnano *ibi. n.
n. 7. de Regularibus.*
Neque 3. ſubſiſtit conſuetudo, per quam ſi- 5.
ne causâ Jus alterius aufertur, ex Hoſtienſi *in Cap.
Quæ Eccleſiarum. n. 4.* & Joanne Andreâ *ibi. n. 16.*
Fagnano *n. 115. de Conſtit.*
Neque 4. Valet conſuetudo dimittendi dig- 6.
nitatem, vel ad aliam ſe transferendi ſine ſu-
perioris licentiâ. *ex Cap. Cùm Venerabilis. de conſuet.*
& *ibi* Joanne Andreâ, Butrio, Abbate & alijs.
Quòd ſi porrò conſuetudo ſit legis alicujus ab- 7.
rogatoria, plus requiritur, ut cenſeri poſſit ra-
tionabilis, ſeu bono publico conveniens. Hoc
tamen prudentis arbitrio relinquendum eſſe, cen-
ſet Ioannes Andreas *Cap. ult. de Conſuetud.* & Me-
nochius *lib. 2. de arbit. cent. 1. caſu 82. in princ.* cum
pluribus alijs ab ipſo relatis. Pro ejuſmodi au- 8.
tem arbitramento prudenter faciendo apprimè
diſpiciendum eſt, an conſuetudo ſit ſolummo-
dò legi contraria, vel an inſuper ſit à lege pro-
hibita, aut reprobata? Et quidem in priori caſu,
ſi dubitetur, an conſuetudo ſit rationabilis, &
bono communi expediens? præſumi debere pro
favore conſuetudinis jam introductæ & firma-
tæ, eò quòd conſuetudo longæva licèt irratio-
nabilis

nabilis inducat probabilem dubitationem. *ex Cap. Cùm causam. de elect.* & Hostiensi *ibi. n. 3. in* 9. *vers. Et merito.* Ioañe Andreâ *n. 4.* In casu autem posteriori, dum dubium est, an consuetudo per legem anteriorem reprobata sit rationabiliter inducta, præsumendum esse pro lege contra consuetudinem, cum Canonistis à se relatis, tradit Suarez *cit. c. 6. n. 15.* Quinimò consuetudo à Iure specialiter reprobata est irrationabilis. *ex Cap. 1. de Sponsal.* & Gloss. *in cap. fin. verb. rationabilis, de consuetudine.* Quod tamen cum Alexandro *in Cap.* 10. *Quo Jure. dist. 6.* & alijs limitat Castropalaus *disp. 3. de legib. punc. 2. §. 1. n. 5. in fine.* asserens, si consuetudo immemorialis fuerit, præsumendam esse justam & rationabilem, etiamsi esset contra dispositionem legis anterioris, eò quòd ratione diuturni temporis præsumatur justus titulus. Imò consuetudinem immemorabilem habere vim tituli, seu privilegij etiam in his, quæ reservata sunt Principi, probat Fagnanus *in Cap.* 11. *Cùm contingat. n. 6. & 7.* Quibus adeò suppositis circa legitimitatem consuetudinis sequentia veniunt hic decidenda. 1. *An, & qualis ad consuetudinem Iuris requiratur consensus legislatoris?* 2. *Quale requiratur tempus?* 3. *Qualis frequentia actuum?* 4. *Quinam possint consuetudinem introducere?*

CONCLUSIO I.

12. AD consuetudinem legis constitutivam. vel derogatoriam requiritur consensus legislatoris, non quidem expressus ac personalis, sed tacitus & Juridicus. Ita Doctores communiter, desumiturque *ex Can. fin. de consuetud. & leg. de quibus. ff. de Legibus.*

Probatur. Quia lex nequit statui absque authoritate Juridictionis, nec sine istâ potest abrogari. Hæc autem authoritas impertiri potest, tum per expressum & personalem legislatoris consensum, qualem pro consuetudine firmandâ exigit Vasquez 1. *2. disp. 177. cap. 2. & 3.* tum per tacitum & Iuridicum consensum in eo se tenentem, quòd legitima præscriptio intervenerit, cujusmodi consensum sufficere ad firmitatem consuetudinis, tradit Abbas *in Can. fin. n. 13. de Consuetudine.* Gloss. *ult. in §. leges. post. Cap. In istis. dist. 4.* Felinus *in Can. Cùm ex officij. n. 11. de præscript.* Sanchez *lib. 7. de Matrim. disp. 4. n. 11. & 14.* Suarez *lib. 7. de legibus. cap. 13. n. 7.* & Doctores communiter. Fundamentum hujus à Castropalao *cit. punc. 2. §. 4.* deductum est. Quia Princeps supremus omninò poterat lege suâ stabilire, ut quoties populus in aliquâ consuetudine rationabili, tempore ad præscriptionem requisito duraverit, ea consuetudo pro lege suscipiatur. At tali lege factâ, nemini dubium esse potest, quin vi talis Juridici consensûs, ignorante licèt Principe, si consuetudo tempore ad præscriptionem necessario duraverit, vim legis obtineat absque ulteriori personali Principis approbatione. De facto autem esse constitutum tale Ius tam Canonicum, quàm Civile, constat tam ex sacris canonibus; 13. quàm ex legibus. Etenim *in Can. fin. de Consuetudine.* statuitur, ut teneat consuetudo rationabilis legitimè præscripta. Et *in leg. de quibus. ff. de legibus.* dicitur, rectissimè receptum esse, ut leges non solùm suffragio legislatoris, sed etiam tacito consensu omnium per desuetudinem abrogentur. Item *in leg. ult. Cod. Quæ sit longa consuetudo.* sic habetur: *Probatam & servatam tenaciter consuetudinem perpetuæ legis vicem habere statuimus.* Hinc autem patet, authoritatem pro lege tum abrogandâ, tum introducendâ à Principe tam Ecclesiastico, quàm Civili eo ipso impertitam esse consuetudini alicui, si legitima præscriptio, seu diuturnitas temporis intercesserit. Verùm 14. quantum tempus requiratur ad consuetudinem, non convenit inter Doctores. Nam Duarenus *de leg. cap. 11.* requirit tempus immemoriale, eo quòd ad legem inducendam requiratur consuetudo inveterata. *ex leg. de quibus. 23. ff. de legibus.* At consuetudo inveterata est illa, de cujus initio non est memoria. *ex leg. ult. Cod. Quæ sit longa consuetudo.* Econtra Castropalaus *cit. punc. 2. §. 2. n. 5.* cum alijs à se relatis tam Theologis, quam Canonistis censet, consuetudinem præscribi decennio, in ordine ad Jus etiam Canonicum abrogandum. Ratio est. Quia *in Can. fin. de Consuetudine.* solum requiritur, ut consuetudo sit legitimè præscripta. At talis præscriptio legitima introducitur per decennium.

CONCLUSIO II.

COngruentiùs videtur distinguendum inter Jus Civile & Canonicum, ita ut adversùs istud quadriennio, contra illud autem decennio possit præscribi consuetudo. ex Abbate *in cit. cap. fin. n. 11. de consuetudine.* Covarruviâ *lib. 1. var. cap. 17. n. 8. §. Quartò.* Molinâ *tom. 1. de Just disp. 77.* Salâ *disp. 19. de legibus. sect. 4.* & alijs ab ipso relatis.

Probatur. Quamvis enim leges ad inducen- 15. dam consuetudinem solùm expostulent longum tempus. *ex leg. 1. Cod. Quæ sit longa consuetudo. leg. de quibus. leg. sed ea, quæ. ff. de legibus.* & alijs. Secundùm Jus autem Civile longum tempus ad præscriptionem requisitum sit decennium. *ex tit. 6. lib. 2. instit. de usucap. leg. Super longi temporis. ff. de præscript. & toto tit. Cod. de Præscript. longi temporis.*

Nihilominùs cùm consuetudo abrogans le- 16. gem Canonicam, sit præscribens adversùs Jus Ecclesiæ, neque verò adversùs Ecclesiam detur præscriptio, nisi post quadraginta annos. *ex Cap. de quarta. Cap. Ad aures. de præscript.* Idcirco ad Jus aliquod Canonicum consuetudine, seu præscriptione contrariâ abrogandum requiritur tempus quadraginta annorum. Neque dicas 17. 1. cum Castropalao *cit. §. 2. n. 9.* & alijs ab ipso relatis Doctoribus, præscriptiones, quæ sunt in favorem Ecclesiæ, perfici decennio. *ex Rotâ in recent. p. 2. decis. 375. n. 8.* apud Farinacium. At legis abrogationem mediante consuetudine præscriptam esse eo ipso in favorem Ecclesiæ, quòd sit ex hujus consensu tradito. *in cit Can. final. de Consuetud.* Neque cum authore *citato* dicas 2. 18. quòd si abrogatio legis à summo Pontifice latæ per consuetudinem præscriptam esset contra Ecclesiam, adversaretur Romanæ Ecclesiæ, & consequenter exigeretur præscriptio centum annorum,

19. norum. Nam contra est, quòd lex Canonica in bonum publicum universalis Ecclesiæ cedens sit de Iure universalis, non autem Romanæ duntaxat Ecclesiæ. Unde metiri debet juxta regulas præscriptionis, quæ universalis Ecclesiæ
20. Juri derogat. Etsi verò legis per cõsuetudinem introductæ præscriptio sit in favorem Ecclesiæ, atque adeò decem annis perficiatur, attamen legis jam priùs firmatæ abrogatio est contra Jus universale Ecclesiasticum. Unde quia adversùs istud non præscribitur, nisi post quadraginta annos, fit consequens, consuetudinem pro lege Canonicâ abrogandâ non tenere in vi
21. præscriptionis, nisi post quadraginta annos. Cæterùm ut talis præscriptio effectum sortiatur, debere intra tempus præscriptionis nullam consuetudinis interruptionem intervenisse, constans est Doctorum sententia apud Suarezium *cit. lib. 7. cap. 8. n. 14.* At verò consuetudo censetur interrupta, tum si à totâ Communitate, vel majori ejus parte contra cõsuetudinem agatur. ex Abbate *in cap. fin. n. 19. de consuetud.* tum si à Principe introducentes consuetudinem puniantur, eò quòd tacitè tunc resistat ejus introductioni. ex Suare *cit. n. 15.* Verùm quando nulla intra legitimum Præscriptionis tempus intervenit consuetudinis interruptio, difficultas adhuc superest; *Quanta debeat esse frequentia actuum, & cujus isti debeant esse qualitatis?*

Conclusio III.

AD consuetudinem introducendam tot requiruntur actus, & ita notorij, ut verisimiliter transierint in notitiam populi. Ita ex communi tradit Abbas *in Cap. fin. n. 19. de Consuet.*

22. Explicatur & probatur. Quia non actus, sed tacitus consensus populi inducit consuetudinem. At ex uno actu quantumcunque notorio non potest elici consensus populi; quia fortè per errorem, vel causâ vitandi scandali populus primâ vice non contradicit. Quòd si tamen unicus aliquis actus habeat causam successivam, putat Abbas *citatus* sufficere, quòd sit continuatus tempore ad præscriptionem consuetudinis requisito. Sic enim beneficium sæculare, si confertur Regulari, & possideatur per Regularem tempore habili ad consuetudinem inducendam, efficitur beneficium Regulare, licèt unica collatio intervenerit: sicuti econtra Regulare beneficium collatum sæculari vi talis successivi actûs, seu continuatæ per sæcularem possessionis efficitur sæculare, veluti eruitur *ex Cap. Cum de beneficio. de præbendis in 6.*

23. Verùm Castropalaus *cit. punct. 2. §. 3. n. 5.* ait, hinc solùm probari, quòd præscriptio Dominij, nõ autem legalis cõsuetudo perfici possit unico actu perseverante. Etenim consuetudinẽ, quæ vim legis inducit, necessariò consistere in actuum frequentiâ, neque ad istam sufficere duos duntaxat actus, cùm id, quod semel, aut bis fit, non dicatur fieri frequenter, eruitur *ex leg. Item apud*
24. *Labeonem. §. aliud. ff. de Jurejurando.* Unde quando *in Cap. Ita nos. 25. q. 2.* & *leg. 3. Cod. de Episcop. aud.* geminatio actûs vocatur consuetudo & frequentia, non debere id taliter accipi, quasi sufficiat ad legem inducendam, sed ad graviorem criminis ex assuefactione aggravati punitionem, similesque non tam Juris, quàm facti effectus, veluti cum Bartolo *in leg. 2. Cod. Quæ sit longa consuetudo.* tradit etiam Suarez *præf. cap. 10. n. 3.* Quare pro difficultate præsenti definiendâ 25.
non displicet sententia Menochij *lib. 2. de arbit. cent. 1. casu 81. n. 4.* cum pluribus à se relatis existimantis, illam actuum frequentiam Judicis arbitrio relinquendam esse. Cui suffragari videtur Suarez *citatus n. 4.* asserens, quandò præscribenda est consuetudo, inprimis considerari debere numerum annorum præscriptioni necessarium: dein speculandum esse, an consuetudo requirat in singulis annis unum tantùm actum, an plures, si enim unum tantùm postulet, veluti præceptum observandi festum, vel tali die jejunandi, tunc tot actus esse necessarios, quot fuerint anni necessarij ad præscriptionem. Si ve- 26.
rò consuetudo singulis annis requirat plures actus in certo numero, cum eâdem proportione debere multiplicari in annis ad præscriptionem necessarijs. Quòd si numerus actuum in singu- 27.
lis annis non sit definitus & absolutè certus, sed sub cõditione vel opportunitate aliquâ, cujusmodi foret consuetudo publicè orandi, vel simile quid faciendi, tunc iuxta numerum & frequentiam occasionum, frequentiam actuum tempore necessario sine interruptione esse necessariam. Et quidem dum actus eiusmodi respectu Communitatis sunt per modum unius, eò quòd vel tota Communitas fit per modum unius fidæ personæ seu collegij, paucos sufficere actus respectu Communitatis. In singulis autem personis juxta populi magnitudinem fore actus multiplicandos. Quòd si denique actus, ex quibus 28.
cõsuetudo est inducenda, nõ requirant temporis successionem, tunc arbitrariam esse actuum frequentiam, juxta exigentiam materiarum, vel occasionum, pro quibus necessum est, consuetudinem quasi continuari. Ex quibus Author *citatus* cum Archidiacono *in Cap. 1. de Constitu 6.* Abbate *ubi supra.* Bartolo *in leg. 2. n. 12. C. Quæ sit longa consuetudo.* concludit, cùm consuetudo & populi & principis consensum requirat, illam actuum multiplicationem censeri sufficientem, per quam & consensus populi, & tacita voluntas Principis possit satis innotescere.

Conclusio IV.

VT frequentia actuum possit inducere Jus Consuetudinis, oportet ipsos habere sequentes conditiones.

Nam 1. actus ejusmodi debent esse externi, 29.
utpote facti à majori parte populi ex intentione inducendi, vel abrogandi obligationem, qui populi consensus publicus subsistere non potest, si actus clam fiant, & in abscondito. ex Suare *cit. cap. 10. in fine.* Vasque *disp. 177. c. 7. n. 56.* Quia 30.
verò alia Notoreitas est Juris, dum scilicèt actus fit authoritate publicâ seu juridicè, alia verò facti, dum, licèt actus sit privatæ personæ, fit tamen in conspectu aliorum, idcircò utraque notoreitas sufficere potest ad inducendam consuetudinem, dummodò à majore parte populi frequententur, resistente licèt minori parte, utpote adversùs quam debeat pars major prævalere, uti rectè advertit Castropalaus *cit. punc. 2. §. 3. in fine.* non obstante

stante decisione Rotæ apud Farinacium *in recent.* *68. n. 13. & 16.* quæ in ordine ad præscriptionem, non verò ad consuetudinem legalem exigit, ut actus sint uniformes, pacifici & non controversi.

Quòd si actus sint publici notoreitate Juris;
31. Glossa *in leg. De quibus. verb. inveterata. ff. de legibus.* & alij tribuunt ipsis majorem pro Consuetudine inducendâ vim & efficaciam, adeò ut putent, duos actus Judiciales constituere stylum, atque adeò Jus consuetudinis. Verùm Suarez
32. *praes. cap. 11. n. 12.* Castropalaus *cit. punc. 2. §. 3. n. 6.* & alij distinguunt. Nam aliter est sentiendum de actu Judiciali, qui procedit à supremo Legislatore, siquidem hujus sententia, etiamsi unica sit, ratione suæ voluntatis sufficienter declaratæ, obtineat vim Legis. Et hinc stylus Curiæ Romanæ Bullis & Decretis Pontificum manifestatus continet Jus commune, neque ad sui vigorem indiget diuturnitate. *Ex Cap. Quàm gravi. de crimine falsi.* traditque alijs relatis Sanchez *lib. 8. de Matrim. disp. 21. n. 16.* Aliter verò sentiendum
33. est de actubus Judicialibus non ab ipsomet supremo Principe, sed inferiore Judice latis, hi enim non constituunt ex se Jus, nisi accedat præscriptio Consuetudinis per tempus legitimum continuatæ. Et hinc Suarez *in fine cit. cap. 11.* Vasquez *1. 2. disp. 177. cap. ult. n. 75.* & alij docent: Decisiones Rotæ & Declarationes Cardinalium, nec non sententias Cancellariæ ac Regij Senatûs, licèt magnæ sint Authoritatis, non esse habendas pro Lege, utpote non procedentes à Judicibus habentibus Authoritatem Legislativam.

2. Communis quidem Doctorum, speciatim
34. Bartoli & Iasonis *in leg. De quibus. ff. de legib.* Abbatis *in cap. final. De consuet.* & aliorum sententia est: Solum populum, qui potestatem habet condendi legem, posse jus Consuetudinis introducere. Hoc tamen non est taliter accipiendum, quòd talis Communitas debeat actu habere jus ferendi leges, sed quòd de se, & ex naturâ rei sit capax talis potestatis. Est autem Communitas secundùm rei naturam eo ipso capax potestatis Legislativæ, si capax sit recipiendi legem. In quem sensum Divus Thomas *1. 2. q. 97. a. 3. ad 3.* docet, Communitatem, à quâ potest Consuetudo
35. introduci, debere esse aut Rempublicâ liberam & supremam, aut si inferior sit, hoc posse in vi taciti cõsensûs illius Principis, cui subest. Et hinc omnis Cõmunitas perfecta potest inducere jus Consuetudinis, secus verò est de Cõmunitate imperfectâ, qualis est aliqua familia, quæ neque Legis ferendæ, neque recipiendæ, utpote ad perfectam Communitatem spectantis, habet capacitatem. Et hinc etiam Mercatorum Communitas sicuti Legis recipiendæ est capax, sic consequenter potest per Consuetudinem ex tacito Legislatoris consensu se eximere ab aliquâ Lege; uti cum Doctoribus à se relatis tradit Castropalaus *cit. disp. 3. punc. 3. in fine* idem asserens de Communi-
36. tate Monialium.

3. Ex communi & receptâ Doctorũ sententiâ docet Suarez *cit. lib. 7. cap. 12.* actus Consuetudinis inducendæ vim habentes debere esse voluntarios, Unde actus ex ignorantiâ, vel errore factos, utpote involuntarios, nõ inducere consuetudinem, habet Glossa *in Cap. final. de Consuet.* & *ibid.* Card. item Glossa Bartol. *in leg. 2 Cod. Quæ sit longa Consuetudo.* Nec adeò populus, si ignoret, esse legem latam, quam violat, potest adversùs istam præscribere, vel servando legem, quam erroneè putat obligare, potest suâ observantiâ Consuetudinem Juris, seu obligationem introducere.

Similiter si populus per vim, aut metum cogatur, actionem aliquam præstare, & in eâ longo tempore persistere, nunquã præsumi potest præstitisse consensum sufficientem introducendæ Consuetudini. Ex Suarez *cit. cap. 12. in fine.* & Castropalao *praes. §. 3. n. 11.* 37.

4. Requiritur, ut actus Consuetudinis Jus introducentes, facti sint ex intentione statuendi Legem, seu inducendi obligationem. Ex Glossâ *in Cap. Frustra. dist. 8.* Abbat *in Cap. fin. n. 17. de Consuet.* & alijs. Et hinc Consuetudines in populo Christiano, ad signum Campanæ noctis initio salutandi Virginem Deiparam, sumendi Cinerem benedictum in primo die Quadragesimæ, & ramum in Dominicâ Palmarum, & Aquam benedictam in ingressu Ecclesiæ; in die Animarum deferendi ad Ecclesiam pro Defunctis oblationem; non sumendi ante Missam die festivo jentaculum, recitandi Matutinum ante Missam, non esse obligatorias, sed devotionales duntaxat, tradunt Bellarminus *lib. 4. de Rom. Pontif. cap. 18.* Sotus *lib. 9. de Just. q. 3. a. 1.* Suarez *cit. lib. 7. cap. 14. n. 6.* Castropal. *cit. §. 7. n. 14. in fine,* addens cum Menochio *lib. 2. de arbit. cent. 5. cas. 454. n. 4.* neque induci obligationem ex consuetudine, quâ solitus populus fuit ex urbanitate, vel liberalitate præstare alicui obsequium, vel beneficiũ, veluti eruitur ex *Cap. Petivit. de Locat. & leg. Creditores. Cod. de Pignoribus.* Item *leg. Civile. Cod. de furtis.* An porrò Consuetudo sit introducta ex animo se obligandi, vel ex devotione duntaxat? prudentis arbitrio relinquendum arbitratur Suarez *cap. 15. n. 13.* quatuor pro isto judicio ferendo assignans Conditiones. Quarum *prima* sit, si Consuetudo de re gravi ac difficili sit longi temporis, & communiter servata à populi majore parte, cùm populus non soleat vnanimiter convenire in ejusmodi actibus, nisi credat, se obligatum. *Secunda.* Si viri prudentes ac timorati malè sentiant de his, qui non servant consuetudinem, vel populus communiter scandalizetur. *Tertia.* Si Prælati & Gubernatores graviter reprehendant, vel puniant non servantes Consuetudinem. *Quarta* deniq; si Materia Consuetudinis sit multùm utilis Reipublicæ, adeò ut obligatio ejus credatur valdè expediens communi Bono, Ex ejusmodi adeo conjecturis author *citatus* ait: eatenus posse probabile de animo se obligandi argumentum fieri, ut tamen in dubio præsumi debeat, Consuetudinem non animo se obligandi, sed ex devotione vel liberalitate inductam fuisse. Ratio est. Tum quia facta non præsumuntur, sed probanda sunt. Tum quia nemo præsumitur, sibi velle onus & obligationem imponere, nisi id manifestè constet. 38. 39. 40.

CONTROVERSIA III.

Quosnam Effectus Consuetudo habeat?

TRiplex distingui solet Consuetudo, ita ut una sit *Contra Legem,* inducta ex actibus sub animo legem abrogandi frequentatis. Altera verò est *Præter Legem* dispo-

 nens

nens de casu per legem omisso, utpote consistens in frequentatione actuum nulli legi subjectorum. Tertia denique est *Secundùm Legem*, habens vim legis declarandæ. Cui adeò triplici Consuetudini evidenter patet, respondere triplicem effectum, *inducendi* scilicet, *abrogandi* ac *interpretandi* legem. De primo proinde in antecedentibus sufficienter exposito effectu superest difficultas: *An possit consuetudo quodcumque genus Legis etiam Pœnalis ac Irritantis esse introductiva?* Et, *An extendi possit de Personâ ad Personam, vel de loco ad locum?* De secundo effectu actum quidem est *in præced.* restat tamen decidendum, *An illa vis Abrogandi legem convenire possit consuetudini respectu cujusvis etiam pœnalis ac irritantis, imò consuetudinem contrariam prohibentis Legis?*

Conclusio I.

2. INdubitatum est, posse vi consuetudinis introduci Legem etiam pœnalem ac irritantem. Glossa *Cap. fin. verb. Cognovisse. De Sponsâ duorum.* Et *Cap. Super eo. verb. Consuet. de Cognat. spirit.* Abbas *ibi. n. 4.* & plures alij, quos refert ac sequitur Sanchez *lib. 7. de Matrim. disp. 4. n. 8. & 11.*

Probatur. Nam ex *Cap. Cùm olim. de Clericis conjug.* manifestum est, posse ex vi Consuetudinis induci inhabilitatem ad beneficium. Item ex *Cap. Super eo. de cognat. spirituali.* decernitur, ut, si alicubi vigeat consuetudo impediens & dirimens Matrimonia inter filios duorum compatrum, per quorum neutrum fuerit deventum ad compaternitatem, debeat servari talis consuetudo, licèt modò correctum sit per Concil. Tridentinum *sess. 24. de Reform. Matrim. cap. 2.*

Conclusio II.

3. EXtensio consuetudinis fieri potest non præcisè ex vi consuetudinis, sed ex speciali circa Materias, alterius præsertim Juri non præjudicantes, Juris dispositione.

Explicatur & Probatur. Nam 1. Consuetudo & præscriptio tantum habet de potestate, quantum de usu & actu, uti ex Baldo & alijs probat Menochius *de retinendâ possess. remed. 3. not. 51.* & Rota in *recent.* apud Farinacium *decis. 288. n. 4.* Ergo consuetudinis Jus *per se ex propriâ suâ virtute* non potest extendi de loco ad locum, vel
4. de personâ ad personam. Nihilominus 2. Consuetudinem, quæ non præjudicat Juri alterius, & Legi non est contraria, extendi ad casus similes, ex Sacris Canonibus probat Fagnanus *in Cap. Litteras. not. 33. De concess. prabend.* cum Abbate *in Cap. Translato in fine de constit.* & Felino *in Cap. Auditis. in secundâ declarat. de præscript.* Unde infert, Consuetudinem obtentam in Monasterijs alicujus Religionis, extendi etiam ad nova ejusdem Reli-
5. gionis Monasteria. 3. Si in aliquâ Civitate non extet statutum, Lex, aut Consuetudo, quibus causa decidatur, recurrere debere Judicem ad vicinarum Civitatum consuetudinem, dum hæc tamen rationabilis sit, evincitur ex *Cap. Cum eo. De Consib.* & *Cap. Cùm olim. de Consuet.* traditque Abbas *ibi. n. 1.* Consonat etiam Canon *Super eo. de Cognat. spirit.* ubi Pontifex vult, ut Episcopus pro decisione casûs *ibidem* expressi inquirat & imitetur Consuetudinem suæ Metropolitanæ Ecclesiæ, vel aliarum circumpositarum Ecclesiarum. Verùm Salas de *legib. disp. 19. sect. 14. n. 102.* advertit, istam Consuetudinis extensionem de unâ ad aliam Civitatem seu Diœcesin, non esse Authenticam, nec subesse obligationi, sed esse de convenientiâ & æquitate duntaxat. De quo etiam videri potest Suarez *præs. cap. 16. n. 17.*

Conclusio III.

COnsuetudo rationabilis ac legitimè præscripta habet vim abrogandi quamcunque legem humanam. *Ex Can. fin. de Consuet. & lege. De quibus. lege Ea. ff. de legibus.* 6.

Probatur. Nam 1. Consuetudo legis abrogatoria potest quandoque fieri per conniventiam Legislatoris, scientis legis à se latæ non observantiam, nec tamen contradicentis, aut punientis talem transgressionem. In quo casu licèt peccent tales transgressores, nec adeò ex iniquitate ejusmodi debeant commodum reportare, nihilominùs si duo, vel tres actus sint taliter facti à populo, seu hujus majori parte, ac Princeps taceat, tunc ex tacito ejus personali consensu censetur Lex abrogata, uti supra ostendimus. 2. Consuetudo Legis abrogatoria fit plerumque per viam præscriptionis, 7.
In quâ viâ licèt transgressores legis peccent, tamen accedente tandem consensu Juridico Legislatoris, per legitimum præscriptionis tempus consummato, Consuetudo ex hujus efficaciâ obtinet vim abrogandi legem, uti *loco proximè citato* fusiùs deduximus. Quæ proinde cōsuetudinis ad legē abrogandā vis & efficacia 3. Valere potest ad leges etiam pœnales, vel irritantes tollendas; sic 8.
enim aliqua ex Impedimentis Matrimonij impedientibus hodie per consuetudinem legitimè præscriptam sublata esse, ostendemus *suo loco.* 4. Si 9.
lex improbet consuetudinem futuram (quod per ista, ad præteritam & futuram consuetudinem, de se indifferentia verba, *Non obstante contrariâ consuetudine*, sufficienter fieri putat Castropalaus *præs. puncto 4. §. 2. n. 8. ex Cap. Ad nostram. 3. de consuet.*) non posse consuetudinem prævalere adversùs legem, nisi tanta sit facta mutatio in rebus, ut prudenter arbitrari liceat, Principem connivere legis mutationi, tradunt Glossa *in Cap. 1. de Constit. in 6.* & *in Extrav. 2. Joan. 22. de Elect.* Abbas *in cap. 2. n. 7. & 8. de Probat.* Covarruvias *3. variar. cap. 13. n. 4.* & alij. Ratio est. Quia Consuetudo non potest abrogare legem, nisi ex tacito consensu Principis, hic verò consensus præsumi non potest, ubi Princeps per verba legis Consuetudinem reprobantis resistit. Nihilominùs doctri- 10.
nam istam limitat Suarez *præsenti cap. 19. n. 21.* cum Navarro *in Comment. de spolijs. §. 14. n. 8.* & alijs docens, si lex sistat in purâ prohibitione futuræ Consuetudinis, & illam non reprobet, posse legem mediante subsequenti Consuetudine abrogari, eò quòd talis prohibitio non tollat jus, quod Consuetudini legitimè præscriptæ tribuit vim abrogandi legem.

CONCLUSIO IV.

11. CONsuetudini diversimodè competit vis interpretandi legem.

Explicatur & probatur. Nam consuetudinem esse optimam legum interpretem, habetur *in Can. Cùm Dilectus. de Consuet.* Et in *leg. de Interpret. ff. de legibus.* Unde fit, quòd dispositio ambigua recipiat declarationem ab observantiâ subsecutâ, uti præter alios tradit Fagnanus *in cap. Cùm Dilectus. n. 7. De consuet.* Imò in legibus interpretandis primo loco recurrendum esse ad consuetudinem, dein ad verborum propriam significationem, docent Glossa unica *in leg. Non possunt. ff. de legibus*, & Doctore communiter *in Cap. 1. de Constit.* speciatim Ancharan *ibi. n. 34. vers. Quædam autem sunt commissa.* & Abbas *n. 14.* Hæc porrò legis per consuetudinem interpretatiò dupliciter fieri potest scilicet *Authenticè* & *Conjecturaliter* seu *Probabiliter.* Primo modo fit per consuetudinem legitimè præscriptam, seu novâ lege firmatam. Secundo autem modo accidit per consuetudinem usu communi receptam, nondum tamen præscriptam. Si enim Doctoribus licet leges interpretari, eò validior stabit legis interpretatio, dum plures in unum conspirant, uti argumentatur Castropalaus *cit. punct. 4. §. 3. n. 2.* 12.

***

QUÆSTIO VIGESIMA.

DE

LEGE IRRITANTE, AC POENALI.

1. LEx pœnalis ac Irritans comparantur ad invicem tanquàm Excedens & Excessum. Nam multa etiam sub pœnis sunt prohibita, quæ tamen, si fiant, facta tenent. *Cap. ad Apostolicam. De Regularib. Cap. unic. de voto. in 6.* Econtra dantur leges irritantes contractum, vel actum aliquem, quin sint pœnales. Sic enim lex irritans actum ob non servatam formam præscriptam (uti contingit in Matrimonio ob defectum Parochi & Testium, & in Testamento non habente Testes requisitos, in alienatione rerum Ecclesiæ sine solennitate præscriptâ, & in professione ante decimum sextum ætatis annum emissâ) non est censenda pœnalis, sed irritatio ejusmodi absque respectu ad culpam etiam Juridicam, est imposita ob bonum Religionis, Reipublicæ, vel etiam aliquorum privatorum.
2. Nihilominùs datur lex aliqua irritans in vi pœnalis constitutionis, velut accidit in lege irritante Matrimonium ob uxoricidij & Adulterij crimen cum promissione futuri Matrimonij, nec non in lege electionem ad Beneficium irritante ab Simoniam commissam. Constat proinde, legem irritantem ac pœnalem quandoque concurrere in uno præcepto, quandoque verò se habere tanquàm disparata. De quâ proinde utrâque lege agemus 7. articulis. In Primo quæsituri *De lege irritante.* In Secundo *De lege Pœnali in genere.* In Tertio *de lege pœnali inferente Censuram.* In Quarto *De lege infligente Excommunicationem.* In Quinto *De lege pœnali Suspensionis & Depositionis.* In Sexto *De lege Interdicti & Cessationis à Divinis.* In septimo denique *de Lege inferente Irregularitatem.*

ARTICULUS I.

DE

Lege Irritante.

DUabus istum articulum controversijs expediemus. In Primâ investigaturi, *Sub quibus verbis seu formis inducatur lex irritans aliquem actum?* In Secundâ, *Quinam sint, & qualiter teneant effectus legis irritantis?* 1.

CONTROVERSIA I.

Sub quibus Verbis & Formis inducatur lex Irritans aliquem Actum?

TRia hic veniunt discutienda. 1. *An ex ipso, quòd lex sit probibens, irritet actum?* 2. *Qualiter ob non servatam formam à lege præscriptam actus sit irritus?* 3. *Sub quibus verbis censeatur lex actum annullare?*

Primâ difficultatem ingerit Lex. *Non Dubium. Cod. De Legibus.* ubi sic statuitur. *Nullum pactum, nullam conventionem, nullum contractum inter eos valere dicimus subsecutum, qui contrahunt lege contrahere probibente: quod ad omnes legum interpretationes tam veteres, quàm novellas trabi generaliter imperamus, ut Legislator, quod fieri non vult, tantùm probibuisse sufficiat, cætera quasi expressa ex Legis liceat voluntate colligere.* Quæ equidem Lex refertur etiam *in Cap. Imperiali, 25. q. 2.* ubi sic habetur 1.

tur. *Imperiali conſtitutione apertè ſancitum eſt, ut ea, quæ contra leges fiunt, non ſolùm actu inutilia, ſed etiam pro infectis habenda ſint.* Unde in *Reg. 64. de Reg. Juris in 6.* dicitur: *Quæ contra jus fiunt, pro infectis haberi.*

2. Circa Secundum difficultas movetur ex eo, quòd Nonnulli apud Caſtropalaum *præſ. diſp. 2. punc. 13. n. 1.* exiſtiment, levem formæ ſubſtantialis omiſſionem non violare actum, ècontra verò idem author *n. 2.* arbitretur, implicare, quòd detur levis omiſſio formæ ſubſtantialis; cùm enim ex tali omiſſione actui deficiat forma ſubſtantialis, conſequens ſit, actum non poſſe ſubſiſtere, atque adeò illam omiſſionem non
3. levem fore, ſed gravem.

Circa Tertium dubitatur de illis verbis: *Nullius ſit momenti, nullius ſit efficaciæ & valoris:* Item de iſtis: *Careat omni robore, omni Jure, firmitatem Non habeat*, nec non de his; *non poteſt, non poſſit*, an ipſo jure inducant nullitatem actûs? In quo puncto triplex eſt Doctorum ſententia. Prior Navarri *in Comment. De alienat. Rerum Eccleſiaſtic. notab. 11. n. 17.* & aliorum ſententia tenet, ſi actus nihil contineat contra naturalem Juſtitiam & æquitatem, vi legis irritantis non eſſe *ipſo facto, & jure* invalidum, quouſque reſcindatur. Fundamentum eſt. Quia Lex irritans fundatur in falsâ præſumptione, quòd ſcilicet Electio ſit de Indigno, Alienatio ſit in damnum Eccleſiæ, Hæreditas ſit fraudulenter relicta. Quòd ſi proinde Electio ſit de digno, & alienatio cedat in utilitatem Eccleſiæ, nec aliqua in Teſtamento fraus fuerit commiſſa, non videtur credibile, le-
4. gem irritare talem actum.

Secunda Caſtropalai *cit. diſp. 2. punct. 10. n. 7.* & aliorum ſententia eſt, Leges irritantes aliquem actum ſtatim ſortiri effectum, nec indigere aliquâ ſententiâ. Fundamentum eſt. Quia Princeps habet poteſtatem, mediante ſuâ lege inhabilitandi perſonam ad donandum & contrahendum aliâ formâ, quàm ipſe præſcribit; ſiquidem hoc pertineat ad Bonum commune. Quando igitur hanc intentionem ſuam ſuffi-
5. cienter explicat, ſine dubio habebit effectum, redderque irritum actum.

Tertia partim Suarezij *cit. lib. 5. cap. 32. n. 7.* partim aliorum à Caſtropalao *cit. punct. 10. n. 7.* relatorum ſententia diſtinguit inter actus publicæ poteſtatis, veluti ſunt Electio Prælati, Alienatio rerum Eccleſiaſticarum: & actus Privatæ poteſtatis ſeu Dominij, veluti ſunt Inſtitutio Hæredis in Teſtamento, Venditio & alienatio propriarum rerum. De prioris ergo generis actibus, ait Suarez *citatus*, ſi lex ipſis reſi-
6. ſtat irritando, ſtatim operari, cùm non fundetur in falsâ præſumptione, & ita expediat Bono communi. In alijs verò legibus, quæ magis conſulunt ſingulorum commodis, & ponunt formam Contractibus, Teſtamentis, ac ſimilibus actibus, aliquando ſolere leges non irritare obligationem internam, nec impedire naturalem valorem actûs, ſed tantùm vel negare actionem in judicio, vel irritare inſtrumentum ſic factum; aliquando verò omnino irritare a-
7. ctum. In quo proinde verba Legis *rigorosè* penſanda eſſe, & *ſtrictè* ſemper interpretanda, cùm materia ſit odioſa. Addit ille Author, ſibi tamen ſemper videri verum, quòd in conſcientiâ licitum ſit, uti illis legibus ad irritandos actus, & eum, qui ab aliquâ obligatione, vel promiſſione excuſatur, vel per ſententiam juſtam ſecundùm illam legem obtinet, tutâ conſcientiâ rem obtinere, excuſarique ab obligatione ſolutionis.

CONCLUSIO I. 8.

EX eo præciſè, quòd Lex ſit prohibitiva actûs, non inducit hujus nullitatem ipſo jure, ſeu ipſo facto. Ex Richardo *in 4. diſt. 32. a. 5 q. 2. in fine.* Paludano *in 4. diſt. 34. q. 1. a. 1 n. 4.* Divo Antonino *3. par. lib. 1. cap. 16.* Soto *lib. 4. de juſt. q. 1. a. 2.* Turrecremata *Cap. Nonoſ ... tet. 33. q. ... n. 2. in ſol. ad 2.* Covarruviâ *in reg. Peccatum. 2. p. §. 4.*

Probatur. Nam in *Cap. 1.* & in *Cap. Ex litteris de eo, qui cognovit conſanguineam..* deciditur, ut inceſtuoſi nunquam poſſint ad alias nuptias tranſire, & tamen certum eſt, validas eſſe, ſi contra eam prohibitionem fiant. Similiter quamvis jura prohibeant ludum, lucrata tamen per ludum non ſunt in conſcientiâ obnoxia reſtitutioni ante ſententiam Judicis; ſed leges ad ſummum dant actionem ad repetendum, uti patet ex *leg. Alearum. Cod. de Religioſis & ſumptibus funerum.* Niſi ergo in lege prohibente aliquem actum addatur clauſula irritans, vel præſcribatur forma ad ſubſtantiam actûs requiſita, non inducitur *ipſo jure* annullatio actûs, ſed ope duntaxat exceptionis venit hic annullandus per ſententiam Judicis, ſi tamen per naturam ſuam (velut in matrimonio) non ſit indiſſolubilis, atque hoc modo intelligendam eſſe legem, *Non dubium. Cod. de legibus.* tradit 10.
Caſtropolaus *cit. diſp. 2. p. 8. n. 4.* Ita ut contractus, qui fiunt, lege contrahere prohibente, eatenus non valeant, quatenus ope exceptionis judicis invalidari poſſunt. At verò *Capitulum Imperiale* loquitur de quodam Teſtamento, quod ſecundùm leges ipſo jure erat nullum, unde dum additur ratio generalis ex legibus petita, debet *reſtrictivè* pro ſubjectâ materiâ accipi reſpectu legum ſub verbis actum irritantibus latarum. Denique regulam *de reg. juris. in 6.* quâ dicitur; *Pro infectis habenda eſſe, quæ contra jus fiunt.* Sanchez *lib. 3. de matrim. diſp. 5. n. 4. ad 4.* notat intelligendam eſſe de his, quæ fiunt contra jus dans formam actui.

CONCLUSIO II.

EO ipſo, quòd per legem ſtatuatur forma, quæ actui ſit ſubſtantialis, oportet, 11.
talem legem irritare actum, cui in minimo etiam deeſt forma ejuſmodi. Ex Decio *in leg. Hac conſultiſſimâ. n. 12. Cod. qui Teſtamentum facere poſſunt.* Tuſco *verb. Forma concl. 415. n. 13. & 421. nu. 7.* Suare *lib. 5. de legibus. cap. 32. n. 9.* cum alijs *ibi* relatis.

Probatur. Sic enim, ſi unicus in Teſtamento, vel contractu Matrimonii, ad horum actuum ſolennitatem requiſitus teſtis deficiat, actus eſt *ipſo jure* nullus. Et ſi præſcribatur, ut petatur conſilium ante actum, ſi hoc intermittatur, actus eſt *ipſo jure* nullus. Ex *Cap. Cum dilecta. De reſcript.* cui conſonat Lex. *Cum hi. §. ſi prætor. ff. de Tranſact.*

Transact. ubi Transactio censetur nulla, si non de
omnibus, sed de aliquibus duntaxat, secùs ac
præscriptum erat, inquisierit, scilicet de Causâ,
12. de Modo & de Personis. Vnde concludendum
est, Formam in statuto requisitam ad unguem,
prout jacet, exequendam, ita ut *specificè* adim-
pleri debeat, nec sufficiat æquipollens, nihilque
addi, aut minui possit, quin corruat actus. Ex
Mascardo *De General. statut. interpret. concl. 9. nu. 56.
& 61.* Tusco *verb. Forma. concl. 415.* & aliis. Ve-
13. rum quia duplex ad contractum aliquem po-
test requisita esse forma, substantialis scilicet, &
accidentalis: sic enim præsentia Parochi & Te-
stium ad Matrimonij contractum se habet per
modum formę substantialis, utpote quâ deficien-
te, Matrimoniũ sit nullum; econtra vero Denun-
tiationes se habent per modum formæ duntaxat
accidentalis, utpote quibus deficientibus,
Matrimonij contractus illicitè quidem, non ta-
men invalide fiat. Idcirco ad dignoscendum,
An forma sit substantialis, vel accidentalis? sequentes
14. statui possunt Regulæ. *Prima est.* Dum lex aliquid
præscribendo dicit esse servandum pro formâ; vel
si forma præcipiatur sub clausulâ aliàs irritante,
vel Lex loquatur *conditionaliter*. reputatur for-
ma esse substantialis, hinc enim conditione
non impletâ, corruet actus: ex communi sen-
tentiâ apud Farinacium. *2. par. fragment. verb.
15. lex. n. 203.* *Secunda est.* Quoties lex tribuendo
facultatem faciendi actum, simul præscribit mo-
dum, censetur talis modus inductus ut forma
substantialis, ita ut, licèt non addatur clausula
irritans, corruat actus. Ex Felino *in Cap. Ex parte,
penult. De Constit.* ubi *in principio* notat ex com-
muni sententiâ, quod executor habens expedire
actum cum consilio alterius, si id omittat, faciat
actum nullum, tanquam non servatâ formâ man-
dati: juxta *Cap. Cum dilecta de Rescript.* & hinc idem
16. Author *in dict. Cap. Cum dilecta. col. 2. vers. octavum sig-
num.* cum Baldo, contradicentibus Castropalao *cit.
disp. 2. punc. 5. n. 8.* & aliis ab eo relatis, censet, quan-
do dispositio apponit certum tempus, tunc, si
hoc non servetur, non servari formam, atque
adeò actum invalidum esse. E contrario quan-
do aliàs habenti potestatem præscribitur for-
ma, sub quâ actus aliquis sit perficiendus, ex de-
fectu formæ non censeri actum irritum, tradunt
Doctores, quos refert ac sequitur Castropalaus *cit.
p. 5. n. 2.* Et hinc Episcopum non servatâ formâ
requisitâ in *Canone 1. De sent. Excom. in 6.* hoc est,
sine scripturâ & sine expressione causæ valide, il-
licitè tamen excommunicare, præter alios pu-
tat Sanchez *lib. 3. de matrim. disp. 5. n. 4.* Similiter
processum factum, juramento in principio litis
judicibus *juxta Leg. Rem non novam. Cod. de Ju-
dic.* faciendo omisso, tenere, unà cum Glossâ in
lege prædictâ tenet Suarez *cit. lib. 5. c. 32. n. 3.*

Conclusio III.

IRritatio actûs inducitur per Legem sub
sequentibus verborum formulis.

17. *Primò.* Si statuatur in lege, ut actus *ipso jure*,
vel *ipso facto*, vel *ex tunc* sit nullus seu irritus, siqui-
dem verba ejusmodi clarè sonent actûs annulla-
18. tionem. *Secundò.* Tametsi Tiraquellus in *leg. Si
unquam. verb. revertatur. n. 37. De revocandâ Donat.* tra-
dat ista verba *Nullius sit momenti, nullius sit efficaciæ &
valoris*, ipso jure importare nullitatem: Hoc
tamen distinguendum est, si enim Irritatio ver-
bis ejusmodi intentata, cadat super actum prius
non subsistentem, verum est, *ipso jure* nullum fore
actum legi taliter irritanti adversantem: si ve-
rò cadat super actum, qui jam prius obtinuerat
firmitatem, tunc verbis ejusmodi non intenta-
tur irritatio *ipso jure*, sed ad instar pœnæ per sen-
tentiam Judicis infligenda. Et hinc, si sub
præcepto intentante privationem Beneficij jam
obtenti quis astringeretur ad residentiam, non
ipso jure annullaretur titulus Beneficij, sed veni-
ret in pœnam cassandus per sententiam judicis.
Tuscus *verb. Comminatio concl. 4. n. 1.* Farinacius
2. par. Frag. verbo Lex. n. 100. & 101. Hinc *Tertiò* Ca- 19.
stropalaus *præs. punct. 17. n. 3.* censet, pari ratione,
Si lex statuatur hisce verbis: *Careat omni robore,
seu omni jure*: item *Firmitatem non habet*; Ita distin-
guendum, ut si verba ejusmodi non cadant super
actum, sed super rem, quâ quis privandus est,
non importent annulationem ipso jure. Vnde 20.
Quartò. Si lex dicat: *Privetur omni Jure, omni commo-
do, omne jus amittat*, cum verba sint indifferentia,
possintque æquè ad Judicem, & ad reum referri,
ac importare sententiam à Judice ferendam, in-
telligi de privatione non *ipso facto* incurrendâ,
sed per sententiã infligendã, cum Doctoribus à se
relatis, tenet Author *citatus*. *Quintò.* Verbis *non 21.
possit*; vel, *Aliter fieri non possit* Author *præcitatus
n. 4.* cum aliis à se allegatis censet, actûs utpote
sine potestate legitimâ facti nullitatem regulari-
ter induci *ipso jure*.

CONTROVERSIA II.

Quinam sint, & qualiter teneant Effectus Legis irritantis?

DIfficultates sequentes hic veniunt di- 1.
scutiendæ. Prima. *An lex irritans sta-
tim à puncto promulgationis habeat effe-
ctum ad irritandum actus contrarios etiam factos ab igno-
rantibus legem?* Secunda. *An lex irritans eatenus obli-
get in conscientiâ, ut quoties aliquis facit actum de jure
nullum, sit reus Peccati?* Tertia. *An irritatio actûs per
legem inducta, etiam ante judicis sententiã eatenus teneat,
ut salvâ conscientiâ nullum quis possit commodum ex actu
nulliter facto, v. g. Testamento minùs solemni, reportare?*

Conclusio I.

LEx irritans, dum aliud specialiter non 2.
cavetur, in Jure Canonico statim à
tempore Promulgationis debitæ, in Ju-
re autem civili à tempore bimestri post
Promulgationem habet suum irritatio-
nis Effectum. Ita, quoad leges præser-
tim Canonicas, sentiunt Abbas, Decius,
Felinus & alij, *in Cap. 2. de Constit. & in
Cap. Noverint. de sent. Excom.* Navar. *in sum.
cap. 23. n. 44. & lib. 3. de Regul. cons. 31. nu. 5.* So-
tus *lib. 1. de Just. q. 1. nu. 4.* Suarez *cit. lib. 5.
c. 33. n. 5.*

Probatur. Tum quia Authentica *Ut novæ Con- 3.
stitutiones* statuens, ut Lex tempore bimestri post

promulgationem in Curiâ Principis factam sortiatur effectum, loquitur de lege irritante. Sicuti ergo vi talis authenticæ leges Civiles ante illud tempus non habent efficaciam obligandi, sic neque habent vim irritandi actus contrarios.

4. Tum quia licèt irritatio actûs secundùm rei naturam non dependeat à nostrâ scientiâ, ad instar obligationis, quæ vires suas exercere non potest, nisi erga illos, qui vel habent, vel habere possunt legis notitiam. Nihilominùs irritatio actûs alicujus inducta per legem est huic annexa. Unde dum Lex nondum subsistit in substantiâ legis, nec habet vim irritandi actum contrarium. At substantia legis non priùs subsistit, quam factâ legitimâ promulgatione, sub quâ incipit habere obligandi efficaciam. Ab hoc igitur promulgationis secundùm jus Canonicum sufficientis tempore primùm incipit Lex in foro Canonico irritans habere suum effectum, nisi aliud in speciali aliquâ lege sit provisum, veluti in Decreto Matrimonium clandestinum absque præsentiâ Parochi & Testium celebratum irritante *vi Concil. Tridentini sess. 24. de Reform. Matrim. cap. 1. in fine.* cautum est, ut in unaquâq; Parochiâ suum robur habere incipiat post triginta dies à die publicationis in eâdem Parochiâ factæ numerandos.

Conclusio II.

5. Ex eo præcisè, quòd Lex sit irritans actum aliquem, non est in conscientia obligans ad non faciendum actum ejusmodi. Ex Suare *cit. lib. 5. cap. 20. n. 11.* Castropalao *cit. disp. 2. punc. 11.*

Probatur. Nam irritatio actûs & obligatio conscientiæ ad non faciendum actum, sunt effectus disparati. Unde dari potest Lex merè irritans, non autem prohibens actum. Hoc autem fit vel maximè, dum irritatio fit in favorem alicujus, non autem in odium materiæ, vel sub expressis verbis præceptivis. Hinc enim Matrimonium & Professio Religiosa, si facta sint ex metu gravi, per Sacros Canones sunt *ipso Jure* nulla, & tamen Professionem emittens, vel Matrimonium contrahens ex tali metu excusatur in conscientiâ. Sic Testamentum sine debitâ solemnitate est per Jus Civile invalidum, & tamen condens Testamentum ejusmodi, non est in conscientiâ reus de violatâ lege ejusmodi. Sic quando filia contenta dote renuntiat hæreditati paternæ; & uxor cum licentiâ Mariti alienat fundum dotalem, per leges est irrita renuntiatio & alienatio, nec tamen in conscientiâ contrahitur aliquis reatus adversùs ejusmodi irritantes Leges.

6. Econtra verò dari potest Lex aliqua eatenus irritans, ut sub culpâ etiam conscientiæ sit prohibens talem actum. Hoc autem fit, dum Lex fertur verbis præceptivis *directè* latis ad personas, vel continet materiam ita execratam à lege, ut in ipsius odium fiat irritatio. Sic enim Lex irritans collationem beneficij faciendam per *Confidentiam* prohibet illam in conscientiâ: similiter Jus invalidans Electionem Religiosi ad Episcopatum acceptatam, licentiâ priùs non obtentâ, prohibet illam. Sic denique turpia legata dum irritantur in odium scribentis, prohibentur, vel saltem prohibita esse supponuntur. *Ex leg. Turpia ff. de Legat. 1.*

Conclusio III.

Lex verbis claris *ipso Jure* & *Facto* irritans aliquem actum, statim effectum sortitur pro foro etiam conscientiæ, ita ut ex tali actu, in quantum per legem ejusmodi irritatur, nullum commodum habere quis possit. 7.

Probatur. Cùm enim ista potestas irritandi actum *ipso Jure* & *Facto* sit penes Jurisdictionem tam Civilem, quàm Ecclesiasticam, oportet, in utriusque hujus fori materiâ legis verba in tantum ad obligandas etiam conscientias subditorum valere, in quantum sonant. Nihilominùs quia effectus irritationis est materia odiosa, Juri de valore actûs præsumere solito repugnans, oportet, verba legis irritantis *strictè* interpretari, & advertente Castropalao *cit. punc. 10. n. 7.* apprimè ponderare. 1. *An reddat actum nullum ex odio ipsius actûs*; tunc enim juxta superiùs dicta tenendum est, actum vi talis legis *simpliciter* irritari. 2. *An reddat actum irritum in favorē alicujus partis, seu unius duntaxat contrahentis?* Tunc enim contractus v. g. Minorum, vel Ecclesiæ non dissolvitur, si pars illa, in cujus favorem lata est irritatio, velit stare contractui, utpote sibi utili. ex Castrop. *citato. 3. An irritatio fiat quoad solam probationem externam & fidem faciendam in Judicio, seu foro exteriori?* Sic enim aduertente Molinâ *tom. 1. de just. disp. 8. vers. in hac gravi & difficili materiâ.* Testamenta minus solemnia non sunt invalida ex vi legis quoad naturalem obligationem, sed solum quoad obligationem civilem, & quoad forum exterius, adeò ut hæres sic institutus possit retinere hæreditatem, dum non exigitur ab eo, licèt ubi hæreditas per Judicem applicatur hæredi ab intestato, extinguatur eo ipso Jus hæredis instituti. 8.

ARTICULUS II.

DE

Lege Pœnali.

Ex dictis *supra q. 16. a. 3 concl. 1.* constare licet, qualiter impositio pœnæ pro aliquo facto possit vel subsistere in vi legis merè pœnalis, vel sufficiens extet fundamentum de aliquâ conscientiæ culpâ subinferendâ. Quare superest duntaxat decidendum. 1. *An lex humana possit obligare in conscientiâ ad pœnam ipso facto incurrendam ante sententiam Judicis?* 2. *An, & qualiter Judex teneatur ad infligendam pœnam lege taxatam?* 3. *Utrùm, & quomodo Reus post sententiam Judicis teneatur ad pœnam subeundam?* 4. *Utrùm pœna apposita ex mutuo contrahentium consensu debeatur ante sententiam Judicis?*

(MARIA)

CONTROVERSIA I.

An Lex humana poßit obligare in Conscientiâ ad pœnam ipso facto incurrendam ante sententiam Judicis?

1. NOn est difficultas de Censuris ac Irregularitate, has enim absque ullâ Judicis sententiâ contrahi posse à transgressoribus legis, ipso Jure & facto eas intentantibus, constat ex toto titulo *de Sententiâ Excommunicationis*, & *de Homicidio*. Quare de alijs pœnarum generibus procedit Controversia.

Referuntur Sententiæ.

2. SOtus *lib. 1. de Just. q. 6. a. 6.* negat, extra pœnas Censurarum ac Irregularitatum posse Legislatorem humanum obligare ad pœnam ipso facto incurrendam ante sententiam Judicis.

3. Econtra Cajetanus *2.2. q. 62. a. 3.* Bannes *2.2. q. 12. a. 2. ad 1.* & alij distinguunt, asserendo, pœnas Privativas contrahi posse ante Judicis sententiam, non verò pœnas positivas, quæ ad sui executionem requirunt actionem. Verùm Navarrus *in Summâ cap. 23. n. 7. & cap. 25. n. 117.* Covarruvias *2. par. de Sponsal. cap. 6. §. 8. n. 10.* Suarez *praes. lib. 5. cap. 5. à n. 15.* Vasquez *disp. 168. cap. 2.* Amicus *disp. 5. sect. 10.* Castropalaus *cit. disp. 2. punc. 1. n. 4.* & alij tenent, posse legem humanam obligare ad pœnam tam privativam, quàm positivam subeundam ante Judicis sententiam; modò sit moderata, & humanæ conditioni non admodùm difficilis, ex quâ nimirum fama, honor, seu vita non graviter periclitatur.

Fundamentum est. Cùm enim Lex Ecclesiastica possit delinquentes ipso facto privare administratione ac receptione Sacramentorum, in quæ Christianus jus habet, cur non posset ipso etiam jure privare hominem aliquem facinorosum summâ peccuniariâ, vel imponere in satisfactionem sceleris obligationem Eleemosynæ faciendæ, vel jejunandi.

Conclusio I.

4. ABsolutè loquendo, potestati humanæ Legislativæ inest vis obligandi ad pœnam subeundam ante Judicis sententiam. Hæc tamen *moraliter loquendo* vix potest locum habere quoad pœnas positivas, actionem aliquam pro suâ executione exigentes.

Probatur. Quia executio pœnæ est actus publicus, non nisi per authoritatem publicam faciendus. Nisi ergo Lex habeat quasi paratam executionem, non potest hæc fieri, nisi post delictum perpetratum interveniat Authoritas publica per Judicis sententiam. At neque expediens, neque rationabile foret, pœnas præsertim positivas statui per leges paratam executionem habentes: siquidem ad istam opus sit cognitione causæ, propter quam sit quispiam meritus pœnæ reatum. Ejusmodi verò cognitionem privato Rei Judicio permittere, ad se ipsum condemnandum, vel absolvendum, videtur irrationabile. Quamvis proinde *absolutè loquendo* fieri posset, ut Lex positivam etiam pœnam intentans, haberet executionem paratam, vi cujus statim à contracto scelere deberet Reus Pœnam v. g. Pecuniariam exequi, hoc tamen *moraliter loquendo*, habet quandam repugnantiam seu disconvenientiam. Juxta quam proinde distinctionem conciliari possunt Authores superiùs allegati.

Unde infertur; Leges imponentes pœnam, cujus executio requirit actionem delinquentis, *regulariter* non obligare Reum ad pœnam subeundam ante Judicis sententiam, etiamsi per verba de præsenti intentetur pœna cum particulis, *Ex nunc*, sive *Ex tunc*, sive *ipso facto*, vel *ipso Jure*, nisi addatur explicitè clausula: *Ante ullam Declarationem*: Amicus *cit. disp. 5. sect. 11. n. 258.* Suarez *cit. lib. 5. cap. 8. n. 3. & 5.* cum Innocentio & alijs ibi relatis Doctoribus. Ratio est. Nam verba Legis, pœnam de præsenti intentantia habent effectum aliquem, tum ex eo, quòd tunc non sit necessaria sententia condemnatoria, sed sufficiat declaratoria, ita ut condemnatoria per ipsam Legem lata sit, tum quòd consequenter condemnatio post factam declarationem extendatur, seu retrotrahatur usque ad diem commissi criminis, uti eruitur ex *lege vlt. Cod. Ad Legem Juliam.* Confirmatur. Quia in *Cap. Cùm secundùm Leges. de Haeret. in 6.* pœna confiscationis bonorum dicitur *ipso Jure* imposita propter hæresin, & tamen statuitur *ibidem*, non debere bonorum occupationem fieri, donec sententia super tali crimine per Episcopum loci fuerit promulgata. Constat proinde, pœnam positivam præsertim, ipso etiam Jure impositam, non habere paratam executionem, ex vi Legis præcisè, nisi sententia criminis saltem declaratoria priùs facta sit. 5.

Verùm quoad Leges pœnam præcisè Privativam imponentes, major est Controversia, *An scilicet ipso facto in Conscientiâ ante sententiam Judicis quandoque obligent ad subeundam pœnam?* Nam 1. *in Extravag. Ambitiosæ. de rebus Ecclesiæ non alienandis.* decernitur, ut Prælati inferiores & Ecclesiarum Rectores alienantes bona suorum Beneficiorum contra præscriptum illius Juris, Beneficijs privati existant *ipso facto*, & absque aliâ declaratione. Contra quod tamen facit, quòd Castropalaus *praes. punc. 2. n. 10.* ex mente Doctorum *ibi relatorum* notat, illas pœnas non esse usu receptas. 7.

2. Navarrus *cap. 23. Summae. n. 110.* refert Constitutionem Pij V. statuentis, ut committentes Simoniam confidentialem priventur Beneficijs obtentis *ipso facto*. Quam equidem pœnam incurri absque prævià sententià criminis declaratoriâ, docet Author *citatus*. Econtrario autem stat Castropalaus *cit. n. 10. circa Medium.* docens, illam constitutionem quoad pœnam privationis Beneficiorum, & inhabilitatem ad alia, non contrahi ante sententiam Criminis declaratoriam. 8.

Conclusio II.

DAntur casus, in quibus est obligatio subeundi pœnam Lege taxatam ante Judicis sententiam. 9.

Proba-

Probatur inductione. Nam 1. Dantur aliquæ Leges pœnales quasi conditionales, ita ut conditione appositâ non subsistente, quis *ipso Jure & Facto* debeat esse privatus aliquâ prærogativâ, seu bono aliquo. Sic enim in *Cap. fin. §. Si quis verò. De Clandestin. Depensatione.* declarantur filij illegitimi, qui nati sunt ex Matrimonio clandestino invalido. Hæc autem pœnalis declaratio tenet ante omnem Judicis sententiam, eò quòd filijs taliter natis desit conditio, sub quâ habendi forent legitimi. Ex Sanche *lib. 3. de Matrim. disp. 53. n. 8. & lib. 8. disp. 31. n. 77.* Suare *cit.*
10. *lib. 5. cap. 6. n. 10.* Et in Concil. Tridentino *sess. 23. de Reform. cap. 6.* statuitur, ut Clericus Minorum Ordinum, carens Beneficio, si non gestet habitum Clericalem, non gaudeat Privilegijs fori; uti neque conjugatus, si non contraxit cum Virgine, vel si iteratum inijt Matrimonium, nec alicujus Ecclesiæ servitio est addictus.

Hæc autem constitutio *ipso Jure & Facto* absque ulteriori declaratione est eatenus privans Fori privilegio, quatenus deficit conditio, sub quâ Privilegium illud est concessum.

11. 2. Aliæ dantur Leges Pœnales non tam privantes Jure quæsito, quàm impedientes Juris acquisitionem, ex ejusmodi autem Legibus sunt plures ante omnem sententiam etiam declaratoriam obligantes in Conscientiâ ad pœnam subeundam. Sic enim recipiens Beneficium Parochiale, si intra annum suâ culpâ non curat se ordinari Sacerdotio, Ecclesiâ sibi commissâ, nullâ etiam præmissâ monitione, privatur, Authoritate Canonis, *Licèt Canon. De Elect. in 6.*

12. Sic Episcopus electus, si intra sex menses à Confirmatione non curet se consecrari, privatur Episcopatu. ex Concil. Trident. *sess. 23. de Reformat. Cap. 2.* Sic Beneficiatus non residens in suâ Ecclesiâ, pro ratâ absentiæ non facit fructus suos, ita ut absque ulteriori declaratione non possit tutâ conscientiâ eos percipere. *ex eod. Cap. 2.*
13. *Tridentin.* Sic Canonici privantur voce activâ in Capitulo, si non existant in Sacris. *ex sess. 22.*
14. *Trident. de Reform. cap. 4.* Sic Religiosus habens prioratum, vel Ecclesiam curatam, si recipit secundum sine licentiâ Papæ, tunc *ipso jure* vacat primum, quòd, si statim non dimiserit, efficitur ineligibilis, & privatur utroque. *ex Can. Cùm singula.*
15. *De prebendis. in 6.* Sic inhabilitas ad Matrimonium *ipso jure* contrahitur ab illo, qui vel uxoricidium commisit sub intentione ducendi concubinam, vel sub promissione futuri conjugij, cum quâ rem habuit; *ex Cap. 1. Cap. Super eo. Cap. Significasti. De eo, qui duxit in Matrim. quam polluit per adulterium.*
16. Sic Beneficiarius non recitans Horas Canonicas, *ipso jure* pro ratâ omissionis Horarum est privatus fructibus Beneficij, ita ut illos non faciat suos, & in conscientiâ restituere teneatur, ex Bullâ Pij V. quæ incipit. *Ex proximo Lateranensi Concilio.* editâ Romæ *An. 1571.*
17. *12. Cal. Octob.* 3. Pœna jure etiam quæsito privans potest quandoque *ipso facto* induci per legem absque sententiâ Judicis etiam declaratoriâ, sic enim conjunx incestuosus, qui cognovit consanguineam suæ uxoris intra secundum gradum, nullâ exspectatâ Judicis sententiâ, *ipso jure* privatur debiti petitione. *ex Cap. Transmissæ. De eo, qui cognovit consanguineam.*

18. Nihilominus 4. præter istam debiti conjugalis privativam pœnam, Castropalaus *citatus n. 8.* arbitratur, vix ullam esse pœnam jure jam quæsito privativam, quæ Judicis sententiam non requirat ad plenam sui executionem: etiamsi lex apponat clausulam, *ipso facto*, vel *ante declarationem*: deberé enim, ait *author ille*, intelligi ante declarationem pœnæ, non verò ante declarationem delicti. Cujus ratio est, quod in pœnis semper sit benignior interpretatio facienda.

CONCLUSIO III.

Non improbabilis est sententia Castropalai *ubi supra* & *n. 12.* item & Sanchis 19.
lib. 7. de Matrim. disp. 89. n. 11. ex communissimâ Doctorum sententiâ, speciatim Farinacij *2. par. frag. crimin. n. 157. & n. 164.* docentium, usu & praxi receptum esse, quòd ultra pœnam privationis Debiti Conjugalis, & ultra censuras ac irregularitatem, nulla pœna etiam privativa contrahatur ante sententiam criminis declaratoriam, si de propriâ pœnâ, qualis est privatio alicujus juris quæsiti, vel incepti possideri sermo sit; etiamsi lex, aut statutum dicat contrahi *ipso facto* absque aliâ declaratione & processu.

Probatur ab exemplo. Nam Simoniaci spoliantur Beneficijs obtentis, & inhabiles redduntur ad alia obtinenda: ex Trident. *sess. 24. de Reform. cap. 8.* & *constit. Pij IV.* Hoc tamen non obstante, licitè persistunt in Beneficio, possuntque administrare Sacramenta, & fructus Beneficij percipere, quousque facta sit sententia criminis declaratoria, ut adeò in pœnis privantibus Jure quæsito, semper exspectanda sit sententia declaratoria criminis, ut integre incurrantur, debeatque, si textus Canonis alicujus habeat annexam istam clausulam, *absque aliâ declaratione*, accipi de declaratione pœnæ, non verò de declaratione criminis. Et hinc ex veriori per Covarruviam *4. Decret. 2. par. cap. 6. §. 8. n. 10. vers. Tertiò.* relatâ sententiâ non posse pœnam ejusmodi mandari executioni, nisi sententia criminis declaratoria intervenerit; docet Castropalaus *citatus* ex Julio Claro *in pract. §. fin. q. 31. n. 3.* addens, ad talem sententiam declaratoriam faciendam requiri etiam partis citationem.

*********)(*********

CONTROVERSIA II.

An Judex teneatur ad infligendam pœnam lege taxatam?

Affirmant Theologi communiter cum S. Thoma 2. 2. *q. 67. a. 4.* ubi tamen discrimen constituit inter supremum, ac inferiorem Judicem, quòd iste non habeat potestatem absolvendi reum à pœnâ contra leges à Superiore sibi impositas: ille verò, utpote habens plenariam in Republicâ potestatem, possit reum absolvere à pœnâ, si ille, qui passus est injuriam, velit eam remittere, videritque hoc publicæ utilitati non esse nocivum.

CONCLU-

Concluſio.

2. **N**On tantùm inferior, ſed etiam ſupremus Judex tenetur ad infligendam pœnam lege taxatam, ita ut neuter poſſit ſine cauſâ remittere, vel minuere pœnam lege taxatam.

Explicatur & probatur. Nam licèt Princeps ſupremus poſſit diſpenſare in lege: hæc tamen diſpenſatio, ſi fiat ſine cauſâ rationabili, eſt quidem valida, ſed illicita, continens culpam ſaltem venialem, imò & mortalem, ſi Bono communi ſit valdè nociva, dum nimirum ex ejus indulgentiâ invaleſcunt homines ſcelerati. Quinimò poteſt fieri reus injuriæ contra partem læſam, ſi huic non ſatisfiat ſecundùm juſtitiæ
3. æqualitatem. Etſi verò in Judice etiam inferiore poſſit ſubeſſe cauſa ad pœnam lege taxatam non infligendam, in caſibus ſcilicet Jure, vel conſuetudine exceptis, vel dum per Epikejam præſumere poteſt de Principis, ad quem non datur facilis recurſus, voluntate, quòd nolit in tali caſu lege ſuâ obligare. Extra ejuſmodi tamen caſum vix poteſt ſubeſſe cauſa, quò minùs obligetur ad pœnam lege definitam imponendam. Et hinc Pontifex *Cap. In iſtis. diſt. 4.* ait, *In iſtis temporalibus legibus, quamquàm de his homines judicent, cùm eas inſtituunt: tamen cùm fuerint inſtituta & firmata, non licebit Judici de ipſis judicare, ſed ſecundùm ipſas.* Verùm de his plura diſſeremus, ubi agemus *de Jure & Juſtitiâ.*

CONTROVERSIA III.

Utrùm Reus ſtatim poſt ſententiam Judicis in Conſcientiâ teneatur ſubire pœnam?

1. **T**Ria hic veniunt examinanda. 1. *Ad quarum pœnarum executiones per ſe ipſum faciendas poſſit mediante ſententiâ reus obligari? 2. Utrum aliquando poſſit reſiſtere ſententiæ contra ſe latæ? 3. An poſt ſententiam latam poſſit reus fugere, carcerem etiam infringendo?*

2. Circa 1. convenit inter Doctores, tum quòd in pœnis pecuniarijs factâ ſententiâ ſive condemnatoriâ, ſive etiam Declaratoriâ duntaxat, dum per appellationem, ſive aliud Juris remedium infirmari non poteſt, teneatur reus ad ejus executionem, dum vel à privato, cui adjudicata eſt, vel à Miniſtro publico exigitur: tum quòd neque per legem, neque per ſententiam condemnatoriam obligari poſſit reus ad pœnam mortis, mutilationis, & infamiæ ſibi inferen-
3. dam. Verùm controverſia eſt, *Utrùm obligari poſſit reus ad venenum ſibi propinandum, vel abſtinendum à cibo, ut inediâ extinguatur?* In quo affirmant nonnulli, tacitis nominibus relati ab Amico *praſ. diſp. 5. n. 276.* Econtra negant Sylvius *2. 2. q. 69. a. 4.* Suarez *cit. lib. 5. cap. 7. n. 13.* Amicus *ubi ſupra;* Caſtropalaus *cit. diſp. 1. punc. 4. n. 2. in fine.*

4. Circa 2. conveniunt Doctores, tum quòd ſententiæ juſtæ non poſſit reſiſtere reus, ſe defendendo, cùm Judex habeat jus exequendi ſententiam juſtam, nec adeò Reo poſſit eſſe jus reſiſtendi, quin potiùs Dei ordinationi reſiſteret, juxta illud ad *Rom. 13. Qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit.* Tum quòd ſententiæ tam *Formaliter* ex parte modi procedendi, quàm *Materialiter* quoad rem ipſam injuſtæ poſſit Reus, ſe
5. defendendo, reſiſtere, cùm in talis ſententiæ executionem Judex nullum habeat jus, ſed æquiparetur perſonæ privatæ. ex Divo Thomâ *2. 2. q. 69. a. 4.* & alij communiter.

6. Verùm Controverſia eſt, *An ſi ſententia ſit Materialiter ex parte cauſæ injuſta, ſed Formaliter quoad allegata & probata ſecundùm modum procedendi juſta, poſſit reus in rei veritate innocens, licitè reſiſtere?* In quo negant Sotus *lib. 5. de Juſt. q. 6. a. 4.* Vaſquez 1. 2. *diſp. 144. cap. 1.* Sanchez *lib. 6. conſ. cap. 4. dub. 17.* & alij. Ratio eſt. Quia pro tali caſu Judex licitè ac de jure inſequitur reum. Si ergo poſſet Reus licitè reſiſtere, dari poſſet bellum utrinque juſtum: quod non videtur admittendum.

7. Econtra affirmant Leſſius *lib. 2. de iuſt. cap. 31. dub. 4.* Caſtropalaus *cit. punc. 4. n. 1.* & alij. Ratio eſt. Tum quia Judex licitè tunc invadit reum ex præſumptione falsâ. Ergo ſciens veritatem ex oppoſito licitè reſiſtit. Tum quia Princeps, qui invaditur ab alio Principe putante, ſe habere juſtam cauſam belli, licitè ſe defendit, ſi ſciat re verâ, ſe non eſſe dignum tali occiſione. Item milites obedientes ſuo Principi, quem putant habere juſtam cauſam belli, licitè occiduntur ab adverſarijs ſcientibus belli injuſtitiam. Pari ergo ratione reus ſciens cauſæ injuſtitiam, poteſt ſe defendere contra miniſtros, licèt iſti putent, ſententiam eſſe juſtam.

8. Circa tertium Major *in 4. diſt. 15. q. 21.* & alij univerſaliter negant; reum, quando juſtè detinetur, poſſe è carcere fugere, cùm faciat contra obedientiam Judici debitam. Alij apud Cardinalem de Lugo *to. 2. de jure. diſp. 40. ſect. 4. n. 41.* admittunt, poſſe fugere, non tamen carcerem effringere. Quibus ſuffragantur aliquæ leges civiles ſtatuentes graviſſimam pœnam in
9. effractores carceris. Verùm Sylvius 2. 2. *q. 69. a. 4.* Vaſquez 1. 2. *diſp. 173. cap 2.* Suarez *cit. lib. 5. cap. 10. n. 16.* Amicus *cit. diſp. 5. n. 279.* Caſtropalaus *ubi ſupra n. 5.* Card. de Lugo *cit. ſect. 4. an. 42.* tenent, poſſe reum non tantùm fugere, ſed etiam carcerem perfringere, dum ipſi ſubeunda foret pœna mortis, ſeu mutilationis, aliudvè grave ſupplicium, damnationis v. g. ad triremes.

Concluſio I.

NEquit reus per ſententiam Judicis aliquando obligari ad venenum ſi- 10.
bi propinandum, vel ad mortem mediante cibi ſibi fortè obvij abſtinentiâ inferendam.

Probatur. Quia in eo, quòd quis ſibimet deberet inferre mortem, vel cibo obvio non poſſet illam arcere, eſt quædam incrudelitas, naturali ad vitam propriam defendendam juri repugnans. Ergo ſententia ad tale quid condemnatoria excederet limites authoritatis Judiciariæ. Ergo nullius foret efficaciæ & valoris.

***

Conclusio II.

11. TAmetsi sententia secundùm allegata & probata, quoad modum procedendi foret justa, si tamen ex parte rei & causæ contineret injustitiam, posset Reus, secluso scandalo, se defendere ac resistere. ex Card. de Lugo *cit. sect. 4. n. 49.*

Probatur. Quia tali Reo secundùm rei veritatem infertur injuria. Unde licèt non possit resistere, dum primò comprehenditur, cùm Judex intervenientibus indicijs, possit etiam innocentem comprehendere, quia tamen pœna secundùm rei naturam supponit culpam, potest hâc non subsistente, vim vi repellere cum moderamine tamen inculpatæ tutelæ: dum scilicet non intervenit ponderosior Boni publici jactura, propter scandalum inde emergens.

12. An verò possit Reus in tali casu non tantùm armis terrere, sed etiam vulnerare ministros ac Executores, non convenit inter Doctores, nonnullis apud Castropalaum *citatum n. 1.* negantibus, cùm non liceat actualem facere injuriam Judici, ejusque ministris, dum non infert injuriam. Econtrario verò Bannes 2. 2. *q. 64. a. 4.* & alij relati à Covarruviâ 1. *var. cap.* 2. *n.* 13. affirmant.

13. Quibus suffragari videtur exemplum, quòd liceat se defendendo etiam occidere milites, quando bellum *Materialiter* ex parte rei cognoscitur injustum, dum tamen illi ex fundamentis etiam rationabilibus putant, se fovere causam justam. Et hinc Card. de Lugo *ubi supra. n. 40. in fine* ait; in casibus ejusmodi posse dari bellum utrinque justum, non quidem *per se*, sed *per accidens*, ratione ignorantiæ, quam v. g. Judex habet, condemnando innocentem secundùm allegata & probata à se putatum nocentem.

Conclusio III.

14. REus timens inflictionem mortis, seu mutilationis aliúsvè gravis similis pœnæ, damnationis scilicet ad Triremes, potest non tantùm fugere, sed etiam rumpere vincula, & effringere carcerem, non tamen vim inferre custodibus.

Probatur. Quia obedientia Judici debita non eousque potest obligare, ut tollat jus naturale cuique concessum ad conservandam vitam. Si ergo absque injuriâ ministris Justitiæ inferendâ possit Reus habere viam evadendi mortis, mutilationis ac similis pœnæ inflictionem, id omnino licebit, cum carceris etiam
15. effractione. Et hinc quando leges effractores carcerum graviter puniendos decernunt, putat Card. de Lugo *n. 45.* non tenere in casu, quo talis effractio facta est ad evitandam pœnam mortis, vel mutilationis, sed quoad alias mitiores pœnas duntaxat. Verùm de his fusiùs, Deo dante, agemus in materiâ *de Jure & Justitiâ.*

(MARIA)

CONTROVERSIA IV.

Utrùm pœna ex mutuo contrahentium consensu apposita sit debita ante sententiam Judicis?

POEnam Sponsalium contractui adjectam à resiliente solvendam non teneri, constat ex *Cap. Gemma. de Sponsalib.* junctâ Glossâ *verb. stipulatio.* Verùm in alijs contractibus receptum est, posse ex mutuo contrahentium consensu statui; ut resiliens teneatur ad pœnam aliquam. Cujus equidem solvendæ ante Judicis sententiam, vel etiam dependenter à Partis petitione, esse in conscientiâ obligationem, si taliter sit expressè conventum inter partes, est indubitatum. Si verò de hoc nihil sit expressum in contractu, controvertitur inter Doctores, *Utrùm pœna ante Judicis sententiam, vel etiam ante partis petitionem solvi debeat?* 1.

Referuntur Sententiæ.

FElinus *in Cap. 1. n. 46. De constit.* cum Ancharano affirmat. Fundamentum est. Quia perinde est, ac si condemnatio intervenisset; postquam pacto se alteri obligavit. Menochius *lib. 2. de arbit. cent. 3. casu 260. n. 40.* Covarruvias 4. *Decret. cap. 6. §. 8. n. 11.* Suarez *de legib. lib. 5. cap. 6. n. 8.* tenent, in conscientiâ esse obligationem pœnæ, pro illo casu solvendæ ad petitionem Partis, non exspectatâ Judicis sententiâ. Fundamentum est. Quia ista petitio succedit quasi sententiæ, videturque intentio contrahentium fuisse ad se mutuò obligandum independenter à Judicis sententiâ, cùm alioquin id expressissent. 2. 3.

Castropalaus *præs. punc. 3. n. 4.* cum aliis tenet tanquam probabilius, quòd pœna ejusmodi non debeatur, quousque à Judice declaretur. Fundamentum est. Tum quia ista conventio est ad instar legis pœnalis, cujus Transgressio non obligat ad pœnam præsertim positivam, nisi post sententiam Judicis. Tum quia ejusmodi pœnas sæpe moderatur Judex, tanquam exorbitantes. Imò stylus Curiæ obtinet, ut non imponantur, nisi quatenus interest. Ergo opus est sententiâ Judicis declarantis, an pœna sit exorbitans, vel an etiam damnum aliquod innocenti sit secutum. 4.

Unde Author citatus *n. 5.* cum alijs infert, Debitorem pœnæ conventionalis præscribere posse solutionem, si non petatur coram Judice. ex *leg. Omnes. Cod. de prescript. 30. annorum.* eò quòd dum non petitur, possideat bonâ fide. 5.

Imò præscribi posse etiam post condemnationem, si à Parte interessente non petatur, spatio triginta annorum, cum credere possit Debitor, Creditorem nolle jure suo uti, sed gratis remittere: sicuti contingit in hærede, à quo Legatarius non petit legatum, & in Domino, qui scit Feudatarium cecidisse in commissum.

Conclusio.

NIsi ex parte debitoris subsit aliqua circa causam resiliendi à contractu, 6.

vel

vel pœnæ excessum, aliavè similis exceptio justa per Judicis sententiam decidenda: videtur verosimilius, ex solâ Creditoris petitione ante Judicis sententiam esse obligatum ad solvendam pœnam conventionalem.

Probatur. Quia talis pœna debetur in vi contractûs: si ergo iste sit justus, nec ulla circa ejus æquitatem subsit legitima, imò nec aliqua rationabilis ad resiliendum causa allegari possit, quam oporteat Judicis arbitrio definiri, planum est, talem obligationem ad instar contractuum obligare in Conscientiâ ante omnem sententiam Judicis. Verùm de hoc fusiùs, *ubi tractabimus de Contractibus.*



ARTICULUS III.

DE

Lege pœnali inferente Censuram.

1. Censura est pœna medicinalis, Ecclesiastica privativa Bonis Spiritualibus Ecclesiæ subjectis. Ejusmodi verò Bona Jurisdictioni Ecclesiasticæ subjecta sunt usus tam activus, quàm passivus Sacramentorum, Ecclesiæ suffragia, satisfactiones pro Pœnis ex Thesauro Ecclesiæ, ac Fidelium sanctis operibus in alios impendendæ, Jurisdictio Spiritualis, Beneficia Ecclesiastica & similia, quibus in pœnam subinde privat Ecclesia, non verò internis gratiæ Donis, seu virtutibus infusis, utpote Jurisdictioni Ecclesiasticæ *per se* ac
2. *Directè* minimè subjectis. Et quidem si ejusmodi Bonorum privatio sit de se perpetua, veluti fit in Depositione, Degradatione, & Irregularitate, non habet rationem pœnæ medicinalis, nec adeò est censura, utpote quæ intenditur ob reprimendam contumaciam, & ad fideles mediante pœnitentiâ & obedientiâ reducendos ad emendationem. Cujus proinde triplex datur species, Excommunicationis scilicet, Suspensionis, ac In-
3. terdicti, *ex Can. Statutum. de sent. Excom.* De quibus sigillatim in *sequentibus articulis* disseremus, in *præsenti* de Censuris in genere disquisituri. Primò. *Quo, & quibus modis, ac sub quibus conditionibus ferri possit censura?* Secundò. *In quos, & quibus ex causis ferre liceat censuram?* Tertiò. *Qualiter excusetur quis ab incursione censuræ?* Quartò. *Quibus, & sub quo modo, ac formâ sit potestas absolvendi à censuris?*

CONTROVERSIA I.

A quo, & quibus modis, ac sub quibus conditionibus ferri possit censura?

1. IN Ecclesiâ penes summum Pontificem esse potestatem ferendi censuras, indubitatum inter Orthodoxos dogma est definitum in Concilio Constantiensi *sess. 8. errore 30. & sess. 15. errore 19.* Fundatur autem ista potestas in eo, quòd *Matth. 16.* Petro, ejusque successori sit generaliter concessa potestas ligandi & solvendi. Quam equidem potestatem pro foro etiam externo tenere, evincitur ex *Matth. 18.* ubi Christus pronunciavit, *Eum, qui Ecclesiam non audierit,* id est, inobediens & contumax fuerit, *habendum esse, sicut Ethnicum & Publicanum,* atque adeò Bonis spiritualibus ex communione fidelium participandis, ad instar Ethnici eorum incapacis, privandum
fore. Quâ proinde potestate usum fuisse Paulum 2.
1. Cor. 5. incestuosum quendam Sathanæ tradendo, cum Sanctis Chrysostomo, Theophylacto & alijs testatur Cornelius à Lapide in istum locum, cum præallegatis Patribus asserens, illam traditionem fuisse effectum Excommunicationis, quam Apostolus tunc intentârat.

Hanc igitur ad ferendas censuras potestatem 3.
respectu totius orbis Christiani *immediatè* à Christo concessam summo Pontifici, constat ex dictis *præc. q. 16. a. 1. cont. 1. & 2.* ex ejusdem Papæ concessione eatenus derivatam esse in reliquos Ecclesiæ Prælatos, ut 1. talis potestas tanquam ordinaria competat Episcopo & Archiepiscopo in suâ Diœcesi quoad sibi subditos, *ex Cap. 1. & alijs. de Officio Ordinarii.* Item ex Concil. Tri-
dent. *sess. 14. cap. 4.* Verùm 2. Archiepisco- 4.
pus respectu subditorum Suffraganei non potest ferre censuras, nisi dum visitat Diœcesin sui Suffraganei, vel dum causa per viam appellationis ad ipsum devoluta est, *ex cap. Venerabiles de sent.*
Excommunic. 3. Potestas ejusmodi, tanquam or- 5.
dinaria est etiam penes Cardinales in proprijs Ecclesijs. ex *cap. His, quæ. de majorit. & obedient.* nec non penes Legatos seu Nuntios Apostolicos respectu suæ provinciæ, ex *cap. Legatus. De*
offic. Legati in 6. 4. Cùm Vicarius Episcopi 6.
idem cum isto constituat tribunal, consequenter ejusdem in ferendis censuris participat potestatem, ex *Cap. Romana. de appellat. in 6.* Et hinc sicut penes Capitulum Cathedrale sede vacante talis est potestas, ex *Cap. unic. de Majorit. in 6.* sic consequenter est penes ejus Vicarium pro tunc constitutum, ex Concil. Trid. *sess. 24. de Reform. cap. 16.*
5. Alij insuper inferiores Prælati, velut Abbates 7.
& Præpositi gaudentes Jurisdictione quasi Episcopali, ex communi Doctorum sententiâ possunt ferre censuras. Et hinc vi Privilegiorum saltem Apostolicorum habent ex potestate ordinariâ utpote Officio annexâ superiores Religiosorum ta-
lem facultatem. At Parochus cùm pro foro ex- 8.
terno nullam habeat Jurisdictionem, sed in foro duntaxat pœnitentiæ, consequenter est expers potestatis ad ferendas leges & censuras. ex Suare *disp. 2. de Censuris. sect. 2.* Sylvestro *verb. excommun. 1. n. 5.* Navarro *cap. 27. sum. n. 5.* Castropalao *disp. 1. de*
Cens. punc. 4. n. 2. Verùm 6. ex delegatione, ab illis, 9.
qui ordinariam habent, concessâ potestate, facultas ferendi censuras competere potest quibusvis alijs, qui tamen de jure sunt capaces. Ad istam verò capacitatem requiritur, ut quis sit baptizatus, siquidem non baptizati, utpote extra Ecclesiam constituti, sunt incapaces ad munera Ecclesiastica. Insuper opus est, esse insignitum primâ saltem tonsurâ, per quam constituatur Clericus; eò quòd merè Laicus sit inhabilis ad talem Jurisdictionem. *ex Cap. Ecclesia Sanctæ Mariæ. De Constit.* Et *Cap. Decernimus. De Judicijs.* Item *Cap.*

indicatum. 89. dist. Oportet etiam Clericum, ut Jurisdictionis ejusmodi capax sit, non esse Conjugatum, hic enim licèt, si minores ordines
10. habeat, & obsequio alicujus Ecclesiæ sit addictus, habitumque Clericalem gestet, secundùm *Can. un. De Cleric. Conjug. in 6. juncto* Trident. *sess. 23. de Reform. cap. 6.* gaudeat Privilegio fori & Canonis: est tamen incapax Ordinum, Beneficiorumque susceptionis, ac Jurisdictionis Ecclesiasticæ. *ex Can. Sanè. 1. De Cleric. Conjug.* adeò ut ne Episcopus quidem possit cum istis dispensare. uti tradunt Abbas *in proximè cit. Can.* Cavarru. *in Cap. Alma. 1. p. §. 11. n. 3.* Suarez *disp.*
11. *2. de cens. sect. 3. n. 1.* & alij. Denique fæminam esse illius Iurisdictionis incapacem, statuitur *in Cap. Nova. de Pænit. & remiss. Cap. de Monialib. De sent. excom. & Cap. Dilecti. De Majorit. & obedientiâ.* Quibus adeò suppositis, duo adhuc supersunt hîc decidenda. 1. *Quibus modis ac formis ferri possint censuræ?* 2. *Quænam requirantur conditiones ad censuram ferendam?*

Conclusio I.

Censura generaliter potest duobus modis ferri, ita ut alius modus sit *à Jure*, alius *ab homine*. Ex *com. Doctorum sent.*

12. Explicatur & probatur. Nam censura dicitur *à Jure*, quæ annexa est alicui Legi, seu Juri, vi cujus fertur adversùs transgressorem talis legis seu præcepti. Econtra censura *ab homine* dicitur, quæ fertur per sententiam. Est autem inter ista duo censurarum genera hoc discriminis, tum quòd censura *à Jure* nunquàm ferri possit pro delictis præteritis, sed futuris duntaxat, cùm econtrario censura *ab homine* ferri possit tam pro delictis præteritis, per modum sententiæ adversùs delinquentem, servatis tamen prævijs monitionibus, alijsque solemnitatibus per modum sententiæ latæ, quàm pro delictis futuris per modum comminationis, seu sententiæ commi-
13. natoriæ. Et hinc inter censuram *à Jure* & *ab homine* altera resultat differentia, quod illa utpote Juri per naturam suam perpetuò annexa habeat ex se perpetuitatem, Censura verò *ab homine*, si necdum sit effectum consecuta, expiret per mortem, sive naturalem, sive Civilem illius, qui eam comminatur, utpote à cujus authoritate ac Jurisdictione per mortem expirante sit dependens. Etsi verò ubi semel contracta est, ossibus quasi inhæreat, nec tolli possit, nisi per absolutionem, est tamen eo ipso per naturam suam temporalis, quòd absolutio debeatur, dum exhibetur debita satisfactio. Et hinc cẽsura *à Jure*, si in sui quasi causâ scilicet in Jure, cui est annexa, spectetur, perpetua est, cùm econtra censura *ab homine* in sui præsertim causâ, sententiâ scilicet ejus comminatoriâ sit temporalis, utpote dependens ab authoritate, & voluntate superioris eam comminantis.

Conclusio II.

Censura tam *à Jure*, quàm *ab homine* alia est *latæ*, alia *ferendæ sententiæ*.

14. Explicatur & probatur. Nam censura *latæ sententiæ* dicitur, quæ trahit secum executionem, *ex cap. Pastoralis. §. Verùm. de Appellat.* adeò ut per ipsam Juris seu præcepti, cui annexa est, transgressionem, ipso facto contrahatur, nec opus sit ulteriori sententiâ. Econtra censura *ferendæ sententiæ* non incurritur ipso facto per Juris, seu præcepti, cui annectitur, violationem, sed hâc suppositâ, ferenda est per sententiam. Cæte- 15.
rùm ad discernendum, an censura sit *latæ*, vel *ferendæ sententiæ*, observari debet sequens Regula; quòd, cùm in pœnis facienda sit benignior interpretatio, censeatur censura *ferendæ* duntaxat *sententiæ*, nisi claris & manifestis verbis exprimatur, esse *latæ sententiæ*. Et hinc 1. si præcipiatur aliquid sub 16.
pœnâ Excommunicationis, vel suspensionis nullâ adiectâ aliâ particulâ censuram *latæ sententiæ* significante, debet intelligi de censurâ *ferendæ sententiæ*. Ex Sylvestro *verb. Excommunicatio. 1. n.* 17.
21. Suare *de censur. disp. 3. sect. 3. n. 6.* & communi Doctorum sententia. 2. Ex illis verbis, *sit excommunicatus: sit anathema*, utpote indifferentibus, nõ concludi censuram *latæ*, sed *ferendæ* sententiæ, contra Coninch *disp. 13. dub. 2. n. 22.* docet Navarrus *sum. cap. 24. n. 12.* Sanchez *lib. 7. de Matrim. disp. 12. n. 2.* & Castropalaus *disp. 1. de cens. punct. 2. n. 6.* Idem foret, si dicatur, *qui hoc fecerit, excommunicationem se noverit incursurum*; vel, *qui hoc fecerit, excommunicetur, suspendatur.* ex Felino in *cap. Rudolphus. de Rescript.* & Glossâ *in cap. 2. §. 1. verb. Innodetur. de Hæret. in 6.*
Quare 3. Ut censura intelligatur esse *latæ sententiæ*, oportet, ut præcipiens actum *sub excommunicatione incurrendâ*, addat *ipso facto*, sive *latæ sententiæ*, vel non utatur verbis duntaxat de futuro, sed excommunicationis incursionem de præsenti significantibus dicendo: *Excommunicamus eum, qui tale delictum commiserit*, sive, *subjaceat Excommunicationi*, sive *Excommunicationem incurrat*, sive, *noverit, se esse excommunicatum*, ut ex communi sententiâ tradunt Doctores *superiùs* allegati, desumiturque ex *cap. unic. de injurijs. in 6. & cap. 2. de Hæret. in 6.* 18.

Conclusio III.

Ad hoc, ut censura legitimè infligatur, sequentes requirũtur cõditiones.

Prima est, ut feratur voluntariè ac liberè ab habente potestatem. *Ex can. Cum voluntate. 54. de* 19.
sent. Excom. Unde nonnulli inferunt, nullam esse excommunicationem ex metu gravi in virum constantem cadente latam, eò vel maximè, quòd absolutio à censurâ, si fiat ex tali metu, sit nulla. *ex Can. un. de his, quæ vi, metúsq; causâ fiunt.* Par autem debeat esse Judicium ligandi & solvendi. *ex cap. verb. dist. 1. de Pænit.* Verùm his non 20.
obstantibus, communis sententia, speciatim Abbatis *in cap. 2. De ijs, quæ vi.* Coninch *cit. disp. 13. dub. 5. n. 26.* tradit, censuram esse validam, justè tamen ex metu gravi latam, cùm nec de Jure naturali invalidetur per metum, utpote qui non tollat voluntarium simpliciter, nec Jus positivum, vi cujus absolutio à censurâ per metum extorta irritatur, trahi debeat ad lationem censuræ, eò quòd nullitas absolutionis metu extortæ sit favor Ecclesiasticæ potestatis, non verò irritatio censuræ alicuius justè latæ. *Secunda* conditio 21.
est, ut ferens, censuram existat intra proprium Territorium. ex Glossâ *in cap. Novit.* & Abbate *ibi. n. 3. De officio Legati.* Navarro *cap. 27. n. 6.* Ratio est, Quia latio censuræ est actus Jurisdictionis

dictionis contentiosæ, utpote facienda in & cum cognitione causæ. *arg. leg. Inter stipulantem. §. 1. ff. de verb. obligat.* At Jurisdictionis contentiosæ actus exerceri non potest extra proprium Territorium, cùm Judici loci inferretur injuria. *ex cap. Novit. de officio Legati. & leg. 2. ff. de officio Proconsulis.*

Verùm Castropalaus *cit. disp. 1. punc. 5. n. 3.*
22. cum Doctoribus *ibi* relatis duas ponit limitationes; altera est, si feratur censura absque cognitione causæ, vel per modum statuti causæ cognitionem non exigentis, vel pro notoriâ, seu manifestâ contumaciâ causæ cognitionem non requirente, vel præmissâ cognitione causæ in Territorio. Juxta quam adeò limitationem vix discordat à sententiâ Barbosæ, prout videre licet
23. *ex loco superiùs allegato.* Altera limitatio est, si Episcopus sit à suis expulsus, tunc enim petitâ, licèt non obtentâ licentiâ Ordinarij loci, posse in suos subditos stringere censuras, evincitur *ex Clement. unic. de foro compet.* *Tertia* conditio est, ut præcedat monitio. *ex cap. Constitutum. & cap. Statutum. de sententiâ Excommunicationis in 6. cap. Reprehensibilis. de appellat.* Cujus ratio est, quòd censura non feratur, nisi ob contumaciam & inobedientiam, quæ non subsistit absque præviâ monitio-
24. ne. Nihilominùs à censuris à Jure latis, sive Juri, vel legi alicui annexis ipsum Jus subit vicem monitionis. Uti præter alios advertit Castropalaus *cit. punc. 5. n. 10. in fine.* Unde in ijs duntaxat censuris, quæ per sententiam ferendæ sunt, requiritur, ut Judex ante sententiam faciat monitionem sub comminatione censuræ, velut habet *Canon. Reprehensibilis 26. de Appellat.* sic statuendo; *Præsenti Decreto statuimus, ut nec Prælati nisi Canonicâ comminatione præmissâ, suspensionis, vel excommunicationis sententiam proferant in subjectos, nisi forte talis sit culpa, quæ ipso suo genere suspensionis, vel Excommunicationis pœnam inducat.* Ex quo
25. Suarez *disp. 3. de cens. sect. 10. n. 19.* & Castropalaus *n. 7.* cum alijs concludit contra Abbatem *in cap. Cum sit Romana. n. 28.* ne tunc quidem, quando sub excommunicatione, vel suspensione, ferendâ prohibetur, aut præcipitur aliquod factum, posse Judicem, nullâ aliâ monitione præmissâ, Excomunicationis, vel suspensionis sententiam proferre adversùs inobedientem.

26. Cæterùm oportet, monitionem censuræ præviam trinam esse, vel unam pro trinâ vice, concesso tamen secundùm circumstantias sufficiente ad deliberandum temporis intervallo. *ex Cap. Constitutionem. De sent. Excomm. & Cap. Sacro. eod. tit. in 6. junctâ* Glossâ *in cap. Reprehensibilis. De appellat. &*
27. *Cap. Romana. eod. tit. in 6.* Etsi verò Excommunicatio adversùs participantes & communicantes cum excommunicato ab eodem Judice lata invalida sit, dum trina monitio non est præmissa. *ex Cap. Statuimus. & cap. Statutum. De sent. Excomm. in 6.* Extra hunc tamen casum censura ex defectu trinæ monitionis (modò una saltem sit facta admonitio) lata est valida, licèt injusta. ex Glossâ *in cit. Cap. Romana. de appellat. in 6.*

28. Debet porrò monitio illa fieri in scripto exponente causam censuræ ferendæ, debetque tradi Reo, cui censuræ fit comminatio. *ex Cap. Cum medicinalis. 1. de sent. Excomm.* Ubi etiam statuitur: *Ut, si Judex absque urgenti causâ solo verbo & scripto Excommunicationem protulerit, ab ingressu Ecclesiæ & Divinis officijs ipso Jure suspendatur per mensem, & si infra illud tempus se divinis ingesserit, fiat irregula-*
ris. Sub quo tamen Decreto, cùm non fiat mentio Episcopi, non comprehenditur Episcopus. *arg. Can. Quia periculosum. De sent. excomm. in 6.* Imò cùm exigat temeritatem per 29.
ista verba, *Si quis Judicum hujusmodi constitutionis temerarius extiterit violator.* ideo tum ex illo capite, tum ex eo, quòd disponat de casu urgentis causæ. Idcirco extra casum urgentis causæ, ferens censuram sine trinâ in scriptis factâ monitione, non tantum non incurreret prætactam suspensionem, sed validè ac licitè excommunicaret solùm verbotenus, ex Glossâ *in cit. can. Cum medicinalis.* Imò Avila *de cens. 2. p. cap. 2. dub. 3.* cum alijs docet contra Sayrum *lib. 1. thesauri. cap. 7. n. 16.* ne tunc quidem fore invalidam, sed illicitam duntaxat censuræ lationem, quando extra casum urgentis causæ fuit 30.
solùm verbotenus lata. Insuper *ex Can. Sacro. de Excommunicatione.* requiritur, ut censura cōtra personam determinatam ferenda, coram testibus, qui de monitione testari possint, personaliter intimetur Reo, dum fieri potest; cùm aliàs ipso latitante, sufficiat monitionem fieri ad ejus domum, vel in Ecclesiâ, seu plateâ, aliovè loco publico, ex quo in ejus notitiam devenire possit.
Covarruvias *in cap. Alma mater. 1. par. §. 9. n. 4.* 31.
Coninch *disp. 13. dub. 9. concl. 1.* *Quarta* conditio est circa tempus, ne scilicet censura feratur die feriato, quòd plerumque causæ cognitionem requirat die feriato prohibitam. *ex cap. fin. de ferijs.* Nihilominus cùm ea, quæ ad sui valorem non exigunt causæ cognitionem die feriato, gesta teneant, *ex lege Actus. Cod. de ferijs.* Idcircò censuram die feriato latam non esse invalidam, cum alijs putat Castropalaus *cit. punc. 5. in fine.* addens, Denuntiationem, si causæ cognitio die non feriato præcesserit, fieri frequenter die feriato; ut 32.
in plurium notitiam devenire possit. *Quinta* conditio est circa denuntiationem censuræ. Ad quam faciendam tunc solùm obligari Episcopum, quando prudentis arbitrio est necessaria vel ad excommunicati correctionem, vel ad aliorum damnum præcavendum, tradit Castropalaus *cit. disp. 1. punc. 91.* tum *ex Clement. 2. de pœnis. & Clement. ult. de usurib.* in quarum priori de censurâ suspensionis, in posteriori autem de censurâ interdicti sermo est; tum ex eo, quòd licet *in cap. Cura. 11. q. 3.* Honorius Papa statuerit, denuntiationem illius, qui nominatim scilicet excommunicandus est, faciendam esse; in hoc tamen
Decreto nullum extat verbum, quo indicetur 33.
præceptum. Etsi porro *in cap. Pastoralis. 53. de appellat.* sit statutum, ut Judex post latam sentētiam Excommunicationis realiter contractam, atque adeò executionem secum trahentis non possit mediâ appellatione impediri à Denuntiatione. Nihilominùs hoc intelligendum esse de Judice duntaxat Ordinario, non verò Delegato; utpote cujus Jurisdictio, admissâ appellatione ex-
pitet, docet Abbas *in cit. cap. Pastoralis. & in cap. Cum autem. n. 13. De offic. Delegat.* Insuper in cen- 34.
suris *à Jure* non tantùm opus est sententiâ criminis declaratoriâ, ut Judex procedere possit ad denuntiationem, sed illâ sententiâ Declaratoriâ etiam positâ, Judicem tam Ordinarium, quàm Delegatum non posse interpositâ legitimâ appellatione, procedere ad Denuntiationem, cum Covarruviâ *in cap. Alma Mater. 1. p. §. 10. n. 4.* & Sua-
rezio *disp. 3. de cens. sect. 14. n. 20.* tenet Castropa- 35.

laus *citatus. n. 3.* Quinimò Navarrus *in cap. Cùm contingat. Remed. 6. n. 7. De rescriptis.* arbitratur, post Extravagantem Martini V. *Ad evitanda scandala.* (*ut cuius notorij duntaxat Clerici percussores, ac specialiter Denuntiati Excommunicati sunt devitandi*) denuntiationem Excommunicationis jam semper impediri per appellationem, eò quòd Denuntiatione factâ, Excommunicatus jam ampliùs ligetur ad evitandam communionem fideliū, quę obligatio ante illam Extravagentem statim tempore incuriæ Excommunicationis afficiebat quoslibet
36. excommunicatos. Verùm quia illa Extravagans non ipsos Excommunicatos solvit obligatione abstinendi à Communione fidelium, sed in horum duntaxat favorem est lata, ideo illa ratio non subsistit, quò minus possit Judex Ordinarius post inflictam Excommunicationis sententiam, non attentâ appellatione, procedere ad Denuntiationem. Uti Suarez *cit. n. 20.* tradit.

❀❀❀❀❀❀❀❀(❀)❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀

CONTROVERSIA II.

In quem, & quibus de causis censura ferri possit?

1. CErtum est *primò*, censuram non posse ferri nisi in subditum, cùm nequeat actus Jurisdictionis exerceri erga non subditum *cap. A nobis. 2. de sent. Excomm. & cap. Cùm inferior. 16. De Majorit. & Obedient.* Et hinc ne Papa quidem potest in non baptizatum, bene tamen in hæreticum & schismaticum stringere sententiam Excommunicationis, cùm isti, non ille sit Ecclesiæ subjectus. ex *Cap. De Judæis. 45.*
2. *distinct.* Certum est *secundò*, non posse censuram (Excommunicatione minore, & aliqualiter suspensione, ac interdicto Personali minoribus duntaxat commodis spiritualibus privantibus, juxta inferiùs dicenda, exceptis) ferri ob culpam venialem, cùm sint pœnæ gravissimæ, quibus culpa levis improportionata est. Unde si vel ex ignorantiâ, vel inadvertentiâ, vel aliâ de causâ excusetur quis à gravitate culpæ, ex consequenti est immunis a censurâ ejusmodi alioquin annexâ. ex Layman. *lib. 1. sum. tract. 5. cap. 5. n. 1.* Quod si quando, velut *in cap. Si quis. 23. dist.* dicitur, anathematizatur Clericus relaxans comam, videatur Excommunicatio ferri ob causam levem, oportet, saltem ex circumstantijs intervenire gravitatem, uti præter alios expendit Coninch *cit. disp. 13. dub. 8. concl. 1.* Quibus positis, restat examinandum 1. *Utrum ante annum pubertatis puer sit capax ad contrahendam censuram?* 2. *Utrum Ecclesia possit actum merè internum afficere censura?* 3. *Qualiter oporteat actum externum esse qualificatum, ut in ipsum cadat censura?*

Conclusio I.

3. IMpubes est capax censuræ non tantùm *à Jure* latæ, sed specialis etiam in ipsum ferendæ *ab homine*, licèt usus obtineat, ut *directè* non soleat affici censurâ specialiter in ipsum ferendâ ab homine. Ita Suarezius *disp. 5. de cens. sect. 1. n. 17.* Coninch *cit. disp. 13. n. 45.* Hurtadus *tract. de cens. diff. 7. n. 30.* Castropalaus *cit. disp. 1. punc. 6. n. 2.* contra Ugolinum *de cens. cap. 17. §. 3 n. 1.* existimantem, impuberem eo ipso incapacem esse censuræ, quòd ante pubertatis ætatem nemo satis percipiat ordinem Judiciarium, nec in Judicio admittatur ad se defendendum, vel agendum. *ex cap. ult. de Judicijs. in 6.*

Nostra Conclusio probatur. Tum quòd ista Ugolini ratio non sit convincens, cum impubes possit vel de ordine Judiciario, si forte ad subeundam censuram sit necessarius, instrui, vel ejus quoad hoc imbecillitas æquè ac in puero pubertatem proximè egresso suppleri per Tutorem, seu Procuratorem. Tum quod non tantum nullo Jure cautum sit, pueros pubertatis annum necdum excedentes esse immunes à censuris Juri annexis, sed contrarium satis insinuetur *in Can. 1. & ult. de sent. Excomm.* Unde quod sententia Excommunicationis contra tales *directè* stringi non debeat, nullum in Jure habet fundamentum, sed in usu duntaxat & consuetudine, cujusmodi tamen usus non impedit, quò minùs sub generali populi interdicto etiam impuberes *indirectè* comprehendantur.

Conclusio II.

6. ACtus merè interni non sufficiunt ad incurrendam censuram: ex D. Antonino *in sum. part. 3. tit. 24. cap. 4.* Caiet. *in sum. verb. hæresis. in fine* & Theologi communiter, contra nonnullos Canonistas, quos refert, ac refutat Barbosa *2. par. de pot. Ep. sc. alleg. 40. n. 6.*

Probatur. Nam Ecclesia non habet vim legislativam seu Jurisdictionem præsertim coactivam nisi de his, de quibus potest judicare, ex S. Tho. *1. 2. q. 91. a. 4.* At de peccatis adeò occultis, ut maneant intra limites mentis, non potest judicare. Cùm proinde de his Ecclesia non habeat Jurisdictionem præsertim coactivam, non possunt affici aliquâ pœna, seu censurâ Ecclesiasticâ. Et hinc fit, quòd peccatum hæresis, cùm non sit reservatum Papæ, nisi habeat annexam Excommunicationem, possit à quolibet approbato Confessario absolvi, dum est purè mentale: Secùs verò est, si vel occultissimè, nemine etiam audiente, proferatur ore, tunc enim, licèt per accidens non posset in foro externo subesse Ecclesiasticæ coactivæ Jurisdictioni, ex se tamen jam esset in illo statu, secundum quem Ecclesiæ judicio subjacere valeret, atque adeò contraheret Excommunicationem Papæ reservatam, uti pluribus probat Barbosa *citatus a n. 9.* De quo videre etiam licet, quæ nos *supra q. 16. a. 2. com. 1. concl. 3.* deduximus.

Conclusio III.

UT censura cadere possit super aliquem actum, oportet, sequentibus conditionibus esse stipatum.

Primò debet specialiter sub comminatione censu-

ne censuræ esse prohibitus ab Ecclesiâ. ex communi speciatim Soti *in 4. dist. 22. q. 1. a. 2. concl. 4.* Suarezij *disp. 5. de cens. n. 6.* sententiâ, colligiturque Ex *Can. Ex parte. de Verb. signific. Et Can. 1. de sent. Excom. in 6.* Ratio est. Quòd censuræ sint institutæ in medelam contumaciæ, ac inobedientiæ adversùs Ecclesiam, cujus inobedientia subsistere nequit absque Ecclesiæ præcepto actum specialiter prohibente, vel præcipiente sub
9. censuræ comminatione. Et hinc 2. nisi ratione peccati præteriti veniat imponenda aliqua satisfactio, aliavè in futurum exequenda actio, non potest propter culpam ejusmodi quà præteritam intentari censura: quamvis coerceri possit alijs, v. g. Depositionis pœnis, non habentibus censuræ rationem. ex Covarruviâ *in cap. Alma Mater. 1. p. §. 9. n. 4. & §. 10. n. 1. et seq.* Castropalao *cit. disp. 1. p. 7. n. 9.* refutante aliquos Canones in contrarium adductos, utpote qui vel loquantur de diversâ a censuris pœnâ, vel propter aliquid ex occasione peccati præteriti de
10. futuro faciendum, intentent censuram. 3. Ad contrahendam censuram exigitur, peccatum, cui est annexa, esse in suo genere completum, ex Navarro *lib. 5. consil. 37. n. 2. tit. de sent. Excom.* Avilâ *par. 2. de Cens. dub. 11.* & Sanche *lib. 3. de Matrim. disp. 2. n. 5. circa finem.* Ratio est. Quia verba intelligenda sunt cum effectu, debentque leges restringi potiùs, quàm extendi. Nisi ergo secundùm proprietatem verborum intelligatur delictum esse completum, non intelligitur cadere sub censuram. Et hinc *in Cap. Perpetuo sanctionis oraculo. 7. de Elect. in 6.* decernitur, non esse privandos eligendi potestate eligentes indignum, nisi adeò perstiterint in suo proposito, ut ex eorum votis communis subsequatur electio.
11. Quocirca 4. dicendum est, censuram latam ob delictum aliquod, non tenere consulentes seu mandantes, nisi in Jure, seu præcepto censuram inferente sit expressum, vel lex ejusmodi aliàs reddatur fermè inutilis & frustratoria, ex Navarro *cap. 27. sum. n. 1.* Thomâ Sanche *lib. 3. de Matrim. disp. 49. n. 2.* Avilâ *2. part. cap. 5. disp. 3. dub. 2.* Hurtado *de cens. diff. 14. n. 62.* & alijs, contra Rosellam *verb. Excom. 1. casu 43. n. ult.* Ratio est. Quia mandans & consulens morali quidem, non autem physicâ factione est faciens delictum, uti latè probat Pacianus *tract. crimi. lib. 9. cap. 32. n. 2.* At verba legis imponentia censuram ob delictum, in sensu proprio & rigoroso intelliguntur de factione physicâ. Ergo non debent extendi ad factionem moralem mandati,
12. vel consilij. Quòd si tamen 5. censura intentata sit etiam contra mandantē, vel consulentē, ne tunc quidem contrahitur censura, si mandatum saltem efficaciter sit revocatum, uti ex communi tradit Castropalaus *cit. disp. 1. punc. 7. n. 15.* Verùm istud limitant nonnulli à Suarezio *disp. 44. sect. 3. n. 7.* relati asserentes, mandantem, licèt revocarit mandatum, non tamen excusari ab irregularitate, sive censurâ, si revocationem suam non intimaverit Mandatario, qui ex man-
13. dato processit ad perpetrationem delicti. Econtra Suarezius *citatus* cum Innocentio, & alijs *in cap. Ad audientiam. De homicidio. & cap. Mulieris. de sent. Excomm.* item Hurtadus *diff. 15. n. 68.* & Castropalaus *citatus* arbitrantur, modò ante perpetratum delictum, ex parte mandantis sufficienter facta sit revocatio mandati, non contrahi à mandante irregularitatem, aut censuram. Ratio est. Quia positâ revocatione ac pœnitentiâ, mandatum, seu consilium *moraliter* culpabiliter jam non influit, siquidem iste culpabilis influxus non possit subire rationem culpæ, nisi quatenus est voluntarius in causâ; quæ Voluntarij ratio *moraliter* sublata est per pœnitentiam.

❊❊❊❊❊❊❊❊❊)(❊❊❊❊❊❊❊❊❊

CONTROVERSIA III.

Quibus ex causis excusetur quis à Censuræ incursione?

DE quinque potissimùm capitibus est difficultas. 1. *Qualiter appellatio possit impedire incursionem censuræ?* 2. *Qualiter per ignorantiam excusetur quis à censurâ incurrendâ?* 3. *Qualiter metus excuset?* 4. *Quomodo, & quibus ex causis possit suspendi censura?* 5. *Qualiter excusetur quis à censurâ inflictâ ex causâ falsâ, quæ tamen in judicio legitimo probata sit vera?* 1.

CONCLUSIO I.

APpellatio adversùs censuram intentatã legitimè interposita habet quidem effectum Devolutivum, non verò suspensivum censuræ jam latæ, benè tamen ferendæ. 2.

Explicatur & probatur. Tum quia censura jam contracta per solam absolutionem tolli potest, nec adeò Appellatio habere potest vim ejus suspensivam: *ex cap. Præterea. & cap. Pastoralis. de Appellat.* Item *cap. Ad reprimendam. de offic. Iud. Ordin. Et cap. Is cui. de sent. Excomm. in 6.* Quare Appellatio quantumvis legitimè interposita nequit habere tunc effectum nisi Devolutivum, adeò, ut Iudex non obstante tali Appellatione, possit etiam procedere ad Denuntiationem, juxta dicta *præced. controvers. in fine.* Tum quia, priusquam Iudex tulerit absolutè censuram ipso facto incurrendam, delicto jam perpetrato, tunc 3.
per appellationem eximitur reus ab ejus Iurisdictione, atque adeò appellatio habet vim eatenus Devolutivam ad Iudicem *Ad quem* ut simul habeat vim Suspensivam Jurisdictionis Iudicis *A quo*, nisi huic sit concessa facultas procedendi sub clausulâ *non obstante appellatione.* Ex 4.
quo proinde fit consequens, fieri quoque suspensionem censuræ ferendæ, seu contrahendæ, sive ab aliquâ, de solvendis v. g. certis pecunijs conditione, adhuc pendentis, uti tradunt Covarruvias *in cap. Alma mater. 1. p. §. 10.* Suarez *disp. 3. sect. 6. n. 1.* Castropalaus *cit. disp. 41. punc. 8. n. 2.* Hurtadus *diff. 25. n. 106.* desumiturque *ex Cap. Ad præsentiam. 16. ex Cap. Præterea. 2. de Appellat. cap. Per tuas. de sent. Excomm. & cap. Solet eod. tit. in 6.* Cæterùm ut appellatio ejusmodi 5.
legitima sit, debet interposita fuisse ante tempus signatum censuræ incursioni, cùm post hujus effluxum censura jam contracta tolli ampliùs non possit. Etsi verò securior, & ad tollendas lites aptior via sit, ut appellatio inter decendium pro appellationis interpositione à

Jure

Jure definitum interponatur, eò vel maximè, quod Canonistæ aliqui & inter hos Abbas *in cap. Præterea. de Appellat.* pro casu etiam præsenti
6. exigunt, ut tale tempus observetur. Nihilominùs Suarez *citatus n. 4.* tenet, in rigore & pro conscientiæ foro satis tutum esse, si non servato decendij tempore, sit interposita appellatio ante expletum tempus conditionis, quo censuræ sententia manet adhuc suspensa, ita ut ante temporis ejusmodi effluxionem valeread-huc possit Appellatio ad suspendendam censuram, quæ per sententiam fuit lata sub conditione.

CONCLUSIO II.

7. NOn est improbabile, quòd vincibilis etiam ignorantia censuræ, sive sit Juris, sive Facti, excuset à censurâ; ita contra Suarezium *disp. 4. de cens. sect. 10. n. 10.* tradunt Sanchez *lib. 9. de Matrim. disp. 32. n. 31.* & Castropalaus *præs. punc. 8. n. 7.*

Probatur. Nam *in cap. Ut animarum. 2. de const. in 6.* statuitur, quòd ignorans ab omnibus sententijs, seu statutis pœnalibus quorumcunque ordinariorum excusetur, modò ignorantia non sit crassa, nec supina. At nomine ordinarij venit etiam Papa, utpote ordinarius ordinariorum. Ergo Papalis censura excusatur ob ignorantiam, quæ non sit crassa & supina. Et hinc
8. infert Castropolaus *citatus*, si quis dubitet, an censura adversus aliquod delictum sit lata, vel an tale factum comprehendatur sub censurâ, nec factâ aliquali diligentiâ dubium vincere potuit, excusari non quidem à culpâ delicti, sed à censurâ huic annexâ, eò quòd talis ignorantia nequeat dici affectata, seu crassa & supina, quæ dolo æquiparetur.

CONCLUSIO III.

9. QUi sciens censuram delicto annexam, ex metu licèt in virum constantem cadente, scelus committit, non excusatur à censuræ incursione, nisi per per accidens, quatenus pro tali casu non viget obligatio præcepti Ecclesiastici. ex Suarezio *cit. disp. 4. sect. 3. à n. 12.*

Probatur. Nam *in Cap. Sacris. De his, quæ vi, metùsque causâ fiunt.* statuitur, quod communicans cum excommunicato per vim seu coactionem excusetur, non verò per metum. At hujus non est alia ratio, nisi quod metus pro tunc non excusaret à culpa transgressione præcepti Ecclesiastici transgressione, uti colligitur *ex textu alleg. can.* Quamvis proinde metus in virum constantem cadens possit juxta dicta *q. 4. a. 7 corol. 1.* quandoque excusare a præcepti Ecclesiastici transgressione, & consequenter censuræ huic annexæ incursione. Nihilominus quando actus non jure tantùm Ecclesiastico, sed & Naturali prohibitus est, nequit metus excusare ab incursione Censuræ. Uti adversù Coninch *disp. 13. dub. 11. concl. 2.* tradit Hurtadus *tract. de cens. diff. 23. n. 11.*

CONCLUSIO IV.

SUspensio Censuræ, vel ejus effectus potest fieri modo sequenti.

Etenim si in favorem cujuspiam lata sit Censura v. g. ad instantiam Creditoris alicui, nisi intra certos dies solvat, intentata sit Excommunicatio, posse Creditorem ejusmodi absque Judicis consensu prorogare Debitori terminum præfixum, ita ut tunc excusetur a Censurâ, docet Hurtadus *diff. 26.* cum alijs à se relatis. Cujus ratio est. Quia Censura non incurritur nisi ob contumaciam, quæ in casu præallegato non intervenit. An verò, si post terminum etiam prorogatum Debitor non solvat, adhuc incidat in Excommunicationem à Judice intentaram, non convenit inter Doctores. Navarro *cap. 27. & nu. 15.* & alijs negantibus, eò quòd superioris Decretum fuerit alligatum certo termino. Econtra affirmantibus Hurtado *ubi supra.* Suarezio *disp. 3. sect. 6. n. 8.* & Castropalao *cit. punc. 8. n. 6.* Eò quòd, illa temporis designatio non fuerit à Judice facta ad finiendam obligationem, sed ne ultra illud tempus absque consensu Creditoris differretur, ut adeò prorogatio temporis per Creditorem concessa non remittat præcepti obligationem, sed proroget duntaxat ejus executionem. 10.

CONCLUSIO V.

SI causa, propter quam censura infligitur, secundùm rei veritatem & in Conscientiâ non subsistat, in foro tamen externo sit legitimè probata, nõ est improbabile, subesse eatenus obligationem parendi sententiæ Censuram infligenti, ut tamen ista ab actibus per Censuram prohibitis abstinendi obligatio non sit ex vi Censuræ, sed ex vi Juris naturalis obligantis ad parendum sententiæ latæ à Judice servante debitum ordinem Judiciarium. 11.

Prior pars à Divo Antonino *3. par. tit. 24. cap. 73.* Glos. *in Cap. 1. verbo. propter quam. de sent. Excom. in 6.* & alijs Doctoribus, censuram in tali casu etiam validam asserentibus tradita probatur. Quia Authoritas publicæ Potestatis & ratio disciplinæ Ecclesiasticæ exigit, ut quilibet pareat sententiæ Judicis justè procedentis, tametsi interveniat reipsâ error aliquis materialis. Posterior pars a Castropalao *citat. nu. 15.* asserta probatur. 12.
Non enim potest sententia secundùm rei veritatem & quoad Conscientiæ obligationem subsistere, dum causa, propter quam lata est, non tenet. Ita cum Soto *in 4. dist. 22. q. 1. a. 3. corol. 3.* & alijs probat Suarez *cit. disp. 8. sect. 7. n. 18.* Unde tantum per accidens, tum ratione evitandi scandali, tum ex obligatione non resistendi Judici in foro externo legitimè procedenti, potest pro casu prætacto esse obligatio in Censurato abstinendi ab actibus per Censuram prohibitis. Et 13.
hinc, si quis per sententiam in rei veritate injustâ, secundùm allegata tamen & probata justam constringatur Censurâ Excommunicationis, non est quoad forum Conscientiæ privatus Ecclesiæ suffragijs, Communione Fidelium, Spiritualiq; Jurisdictione, nec incapax beneficij recipiendi; neque

neq; si celebret sub tali Excommunicatione, fit irregularis. Attamen in foro externo eatenus censetur hisce bonis privatus, ut, si collatio Beneficij propter Excommunicationem taliter latam declaretur irritâ, sortiatur effectum; debeátq; is, contra quē lata est sententia, reputare se beneficio privatum, non quidem ex vi Censuræ, sed ex respectu ad commune Ecclesiæ bonum, cujus vel maximè interest, ne beneficium invalidè conferatur. Uti rectè tradit Castropalaus *cit. n. 16. in fine.* cum Suare *ubi suprà. n. 20.* Avilâ *2. p. cap. 6. disp. 1. dub. 3. concl. 4.* & alijs.

CONTROVERSIA IV.

Quibus, & sub quâ formâ, ritu, ac modo sit potestas absolvandi à Censuris;

1. RECeptum est inter Doctores, Censuram semel incursam non tolli nisi per absolutionem. Et hinc, quia mortuus non amplius est sub jurisdictione Ecclesiæ, nequit, si Censurâ notatus existat, *Directè* liberari, sed *Indirectè*. Cum enim vi Excommunicationis non sublatæ teneantur fideles ad corpus excommunicati non tradendum sepulturæ Ecclesiasticæ, ad non fundendas preces publicas, seu non offerenda sacrificia pro tali Defuncto, po est Ecclesiasticâ potestate tolli ista fidelium obligatio, & defunctus *indirectè* absolvi. In quo adeò

2. sensu de indirectâ scilicet absolutione, vel ligatione Excommunicati Defuncti, accipiendus est Canon Innocentij III. *A nobis. de Sent. Excom.* statuentis, Excommunicatum post mortem absolvi posse. *Cùm Ecclesia possit solvere & ligare defunctos.* Quòd si cui sit imposita Excommunicatio, *quousque satisfaciat parti læsæ*, docet Covarruvias *cap. Alma Mater. 1. par. §. 11. n. 3.* Avila *2. par. de Censuris. cap. 7. disp. 2. dub. 6.* politâ satisfactione, tolli hoc ipso excommunicationem; advertit tamen Hurtadus de *Excom. disp. 14. diff. 1. in fine.* hoc non fieri absque absolutione *implicitè* importatâ sub illis verbis, quibus Excommunicatio duntaxat lata est, quousque probetur satisfactio. Quòd si denique Excommunicatio *absolutè* lata sit ad-

3. versùs illum, qui parti læsæ renuit satisfacere, tollenda quidem est, secutâ correctione & satisfactione, non tamen ipso jure cessat, sed per absolutionem auferri debet. *ex Cap. Ex literis. de Constit. ex Cap. Quâ frontè. de Appellat. & Cap. Cùm desideres. de sent. Excommunicat.* Quibus adeò suppositis, quatuor veniunt hîc examinanda. 1. *Cui sit Potestas absolvendi à Censuris ab homine latis?* 2. *Quinam possint absolvere Censuras à Jure latas?* 3. *Quibus modis fieri possit absolutio à Censuris?* 4. *Quâ forma utendum sit in absolutione à Censurâ?*

CONCLUSIO I.

4. CIrcà potestatem absolvendi à Censuris ab homine latis sequentia sunt notanda.

1. Si Censura specialiter, id est ob particulare delictum in determinatas personas lata sit, indubitatum est, posse ejus Authorem, qui eam tulit, regulariter absolvere. *Ex cap. Verùm. dist. 1. de pœnit. Et cap. Pastoralis. §. Præterea. de Officiis Ordinarij.* Quod equidem verificatur, etiamsi interposita fuerit appellatio, cùm ista jurisdictionem Judicis *à quo* non suspendat quoad ea, quæ non tam obstant appellationi, quàm eam juvant, ejusmodi verò sit absolutio Censuræ, ratione cujus interposita est appellatio. *Ex cap. Si à Judice. de Appellat. in 6.* Et quia successor reputatur eadem Persona cum Prædecessore. *arg. Can. 1. de solut.* potest consequenter successor in munere & dignitate absolvere a Censurâ per suum antecessorem latâ. *Ex cap. Si Episcopus. 11. qu. 3.* Insuper quia superior ferentis Censuram habet authoritatem super actus Prælati inferioris, potest auferre Censuram ab isto specialiter latam, nisi ex privilegio & consuetudine contrarium habeatur, uti contingit in Regularibus Episcopo subjectis, si enim ex causâ ad disciplinam Religiosam spectante sint à suo Prælato excommunicati, vel suspensi, nequeunt ab Episcopo absolvi, nisi mediâ appellatione interpositâ, cùm prima Instantia competat Prælato Regulari. Ex Glossâ *in cap. 4. vers. Si Prælati. de Officio Ordinarij.* & Abbate *in cap. Reprehensibilis. De Appellat.* Quam ob rationem neque Archiepiscopus absolvere potest à Censurâ per suum Suffraganeum specialiter latâ nisi vel tempore Visitationis. *ex cap. Cùm Officijs. de præscript.* vel casu interpositæ appellationis, ubi tamen oportet, Archiepiscopum vocatis partibus procedere cum causæ cognitione, ita ut absolutio aliàs non teneat. Ex *cap. Romana. & cap. Venerabilib. de Sent. Excom. in 6.* 2. Præter Censuræ Authorem, ejusque successorem, superiorem, vel etiam delegatum nequit alius absolvere à Censurâ specialiter latâ, adeò ut ne mutato quidē Domicilio, à Prælato novi Domicilij possit impendi absolutio. *ex Cap. Propossuisti & Glossâ ibi. verb. citat. de foro competente.* Quod si verò Censuratus offerat satisfactionem, & ratione infirmitatis, vel alterius impedimenti pro absolutione adire non possit Censuræ Authorem, potest ab æquali Judice, vel etiam inferiore absolvi; præstito tamen Juramento, quòd, quàm primùm poterit, velit se præsentare Judici, cui de jure competit absolutio. Ex *cap. Quod de his. cap. Ea noscitur. Et cap. Quamvis. de sent. excom.* 3. Dantur aliqui speciales casus, in quibus Author Censuræ absolvere non potest. Sic enim ubi quis à Delegato sedis Apostolicæ fuit excommunicatus, eò quòd suæ sententiæ definitivæ recuset parere, nequit ab ipso absolvi post annum ab incursâ excommunicatione, benè tamen ante annum elapsum, vel ante definitivā sententiam, uti *ex cap. Quærenti. de Officio delegati.* colligunt Glossa, Innocentius, Abbas *ibi.* & alij Doctores. Similiter incendiarius excommunicatus ab Ordinario, & ut talis denuntiatus remitti debet sedi Apostolicæ pro impetrandâ absolutione. *Ex cap. Tuanos. de sent. excom. & Glossa ibidem.* Si denique Pontifex Censuram ab Ordinario latam ex certâ scientiâ confirmet, eo ipso reservare sibi absolutionem, talique confirmatione facere sententiam suam, eruitur *ex cap. 1. de confirm. utili, vel inutili.* & *ex cap. Apostolicæ. de Præbend. in 6.* Verùm 4. Si sententia Censuræ *ab Homine* sit lata *generaliter*, id est indeterminatè in quoscunque, qui v. g. in casu furti ab ipsis commissi non restituerint, tunc quoad absolutionem talis Censuræ perinde

perinde sentiendum est, ac in Censurâ à *Jure* la-
tâ: ex Covarruviâ *citato. p. 1. §. 12. n. 4.* Suare
disp. 7. sect. 2. n. 23. Cujus ratio est. Quod in ta-
li absolutione, quæ impenditur Reo, neque cita-
to per Judicem, neque specialiter notato Cen-
surâ, non præjudicetur Tribunali Judicis feren-
tis talem Censuram generalem. Et hinc in *cap.
Ex frequentibus. de instit.* insinuatur, Excommuni-
cationem contractam ratione sententiæ genera-
lis adversùs illos, qui sine consensu Episcopi Diœ-
cesis, vel ejus officialium, recipiunt, ab Archiepi-
scopo latæ, posse etiam ab inferioribus Prælatis
absolvi.

Conclusio II.

Quoad Absolutionem Censuræ à Ju-
re latæ, apprimè observandum est,
an sit, vel non sit reservata?

11. Explicatur & probatur. Nam 1. Si Censura
Juris non sit reservata, quilibet superior habens
Jurisdictionem in foro externo, adeòque non
Episcopus duntaxat, sed Prælatus Regularis
etiam localis potest ab illâ absolvere. Ex Glos-
sâ, Abbate, Felino, & alijs Canonistis *in cap. Nuper.
de sent. Excomm.* Soto, & Suare *disp. 7. de Cens. sect. 4. n.
9.* asserente, esse communem antiquorum Theo-
12. logorum. An verò Parochus, aliusvè sacerdos
nullam in foro externo Jurisdictionem habens,
si possit absolvere à peccato mortali, possit eo
ipso etiam absolvere à Censurâ huic annexâ non
reservatâ? non convenit inter Doctores; negan-
tibus Abbate *in cap. 2. n. 3. & cap. Nuper. n. 6. de sent.
Excom.* Covarruviâ *in cap. Alma Mater. 1. p. §. 12. n.
5.* & alijs, eò quòd æquè ad absolvendum à
Censurâ, atque ad eandem ferendam exigatur
Jurisdictio pro foro externo: ècontra affirman-
tibus Innocentio *in dict. cap. Nuper. n. 6. de sent. ex-
13. com.* Hostiensi *ibidem.* Suare *ubi supra.* Navarro *cap.
27. sum. n. 39.* Hurtado *disp. 15. difficul. 2.* Castro-
palao *disp. 1. de Cens. p. 5. §. 5. n. 2.* eò quòd *in cap.
Nuper. de sent. Excom.* statuatur, ut, dum Conditor
Canonis absolutionem Excommunicationis spe-
cialiter sibi non retinuit, eo ipso judicetur con-
cessisse alijs facultatem relaxandi. Etsi verò iste
textus loquatur de Excommunicatione minori,
ratio tamen decisionis valet pro omni Censurâ
14. majoris Excommunicationis. Verùm istæ con-
troversæ sententiæ videntur posse conciliari, si
dicatur, Parochum, aliumvè sacerdotem, qui in
foro duntaxat interno, non autem exteriore
Jurisdictionem habet, posse à Censuris Juris
non reservatis absolvere, non quidem ex Jure
Ordinario, sed ex Delegatione Juris, uti cum
Vgolino *tab. 1. de Cens. cap. 10. §. 5. n. 3.* notat Ca-
stropalaus *cit. disp. 1. de Cens. punc. 5. §. 5. n. 4.*
15. 2. Si Censura Juris sit reservata, per se no-
tum, & communi Doctorum sententiâ recep-
tum est, non posse absolvi, nisi tum ab illo, qui
eam tulit, tum ab hujus successore, ejusvè supe-
riore, tum ab illius Delegato. Cujusmodi
equidem Delegatio ex Jure habetur inprimis,
quòd Episcopus possit mulieres & impuberes in
Excommunicationem Canonis: *Si quis suadente
diabolo. 17. q. 4.* latam lapsos etiam post puberta-
tem absolvere. Ex *cap. Si verò. Cap. Mulieres. Cap.
16. Quamvis. de sent. Excom.* Eadem facultas conce-
ditur Abbatibus & Prælatis Regularibus ad ab-
solvendum ex consilio Episcopi Religiosos, qui
se mutuò percusserint. Ex *cap. Monacho. cap. Cum
illorum. de sent. Excom.* Deinde omnibus Episco-
pis vi Concilij Tridentini *sess. 24. de Reform. cap. 4.*
competit potestas absolvendi ab omnibus cen-
suris & pœnis sedi Apostolicæ reservatis, modò
non fuerint publicæ, nec ad forum contentiosum 17.
deductæ. Insuper Religiosis Mendicantibus,
eorumque Privilegia participantibus, vi privi-
legiorum Apostolicorum facultas data est absol-
vendi ab omnibus Censuris sedi Apostolicæ re-
servatis, exceptis ijs, quæ in Bullâ Cœnæ Do-
mini continentur. Ex Castropalao *cit. punc.
10. §. 5. n. 6.* De quo plura videre licet *in collect.
Privileg. Patris Ijonis Santgallensis verb. Absolutio. §.
4. ac seq.*
Porrò Episcopis à Censuris Papæ reservatis 18.
licet, quoslibet impeditos adire Pontificem ab-
solvere, cum obligatione tamen, se postea re-
præsentandi coram Pontifice. ex *can. Ea. quæ no-
scitur.* Et *can. Quamvis. de sent. Excom.* Nam licèt
isti Canones solum disponant de Excommuni-
catione incursâ ob percussionem Clerici, ex
communi tamen Doctorum, speciatim Navarri
cap. 27. n. 81. Coninch *disp. 14. dub. 16. n. 240.* Ca-
stropalai *cit. §. 5. n. 6.* sententiâ extendi solet ad
quamlibet censuram Pontifici reservatam.
Denique ex Concil. Trident. *sess. 14. cap. 7.* 19.
constat, in Ecclesiâ semper servatum fuisse, ut in
articulo mortis nulla esset reservatio, atque ideo
cuilibet sacerdoti esset facultas absolvendi quos-
libet in articulo mortis ab omni Censurâ sive
Juris, sive Hominis, quamvis hosce oporteat
tunc medio Juramento cavere, quòd impedi-
mento cessante, velint se præsentare illi, ad quem
absolutio Censuræ de Jure spectat, adeò ut hoc
omisso, reincidat in Censuram, uti colligitur ex
cap. Eo qui. de sent. Excom.

Conclusio III.

Modus absolvendi à Censurâ gene- 20.
ratim est duplex, Absolutus scilicet,
& Conditionatus.

Explicatur & probatur. Nam 1. non tan-
tùm simpliciter & absolutè, sed etiam sub condi-
tione satisfactionis v. g. priùs præstandæ in-
juriato potest quis à Censurâ absolvi etiam
licitè, si causa rationabilis subsit, cùm non minùs
absolutio, ac latio censuræ validè fiat sub con-
ditione, uti patet *ex cap. Præterea. & ibi* Glossâ *de
appellat.* Et *cap. Romana verbo. caveant. De sent. Ex-
com. in 6.* 2. Per modum absolutionis conditio- 21.
natæ se habet absolutio ad *cautelam*, quæ præ-
mitti solet ante absolutionem Sacramentalem,
dum ignoratur, pœnitentem esse Censurâ ligatũ,
si enim hic censuræ à se contractæ notitiam, seu
certitudinem habeat, nõ prodest ipsi absolutio *ad
cautelam. Ex cap. Cùm desideres. Ex cap. Tuos. De sent. Ex-
com.* 3. Naturâ conditionatæ Absolutionis sortitur 22.
etiam absolutio ad *reincidentiam*, ita ut is, qui sub
cõditione opus aliquod exequendi fuit absolutus
à Censurâ, in hanc reincidat, neglecto opere in-
juncto. Cujusmodi Absolutionis exemplũ habe-
tur in *Can. Quod de his. De sent. Excom.* & *Can. Eos, qui.
eodem tit. in 6.* ubi si à Censurâ reservatâ Papam
adire impeditus absolvatur per Prælatũ inferio-
rem,

rem, dicitur reincidere in Censuram, si amoto impedimento, se non repræsentet Papæ. Sicut etiam ille, cui, dum à Sede Apostolicâ, vel ejus Legato Absolutionis à quibusvis sententijs beneficium obtinet, injungitur, ut Ordinarij sui, vel alterius superioris pœnitentiam ab eodem suscepturus, se conspectui repræsentet, & passis injuriam, seu quibus obligatur, satisfactionem exhibeat, reincidit in Censuram, cùm, primùm commodè poterit, non curaverit hæc adimple-
23. re. ex *cit. can. Eos qui.* Cæterùm impositâ tali obligatione se præsentandi, sufficere, si ista præsentatio, utpote pro foro duntaxat externo necessaria, fiat medio Procuratore, censet Cajetanus *verbo. Excommunicatio. casu 69.* Navarrus *cit. cap. 27. n. 49.* Econtra verò negant Ugolinus *de Censuris. lib. 1. cap. 14.* Castropalaus *cit. punc. 11. §. 2. n. 8.* Eò quòd Personalis Præsentatio videatur exigi, ut cautiores deinceps fiant Ex-
24. communicati. 4. Denique Absolutio ad *reincidentiam* taliter concedi potest, ut fiat pro tempore duntaxat limitato, vel in ordine ad aliquem duntaxat effectum, nempe beneficij alicujus, seu privilegij collationem, vel in ordine ad dicendum testimonium. ex *cap. Veniens. 2. de Testibus. juncto cap. Præterea. De officio Delegati.*

CONCLUSIO IV.

Quoad formam absolvendi à Censuris sequentia sunt notanda.

25. 1. Nullo Jure statuta est certa forma absolvendi a Censuris, sed modò per eum, qui absolvendi potestatem habet, sufficienter exprimatur absolutio sive verbis, sive scripto, tenet pro foro tam Externo, quàm interno, nec tamen censebitur absolutus, si Papa sciens aliquem Excommunicatum, communicet cum ipso. *Ex Clement. Unicæ De sent. Excom.*
26. 2. Modus absolvendi à Censurâ in foro externo habetur *in cap. A nobis. de sent. Excom.* ubi dicitur, debere fieri cum Psalmo pœnitentiali & Oratione Dominicâ, alijsq; consuetis ibidem, tum in Pontificali Romano, quod consuli potest, descriptis
27. solennitatibus. 3. Pro foro tam Judiciali, quam Pœnitentiali singulariter observandum est, ut, si Excommunicatio incursa sit ob grave delictum, v.g. ob percussionem Clerici, vel Incendium, exigatur Juramentum ab eo, qui absolvendus est, de non reincidendo in simile facinus. ex *cap. Ex tenore. cap. De cætero. & cap. Cum desideres. De sent. Excom.* Ejusmodi tamen Juramentum non esse necessarium in absolutione censuræ ob minùs grave delictum incursæ, censent Avila *2. p. de Cens. cap. 7. disp. 3. dub. 2.* Coninch *disp. 14. dub. 16. n. 204.* Hurtadus *disp. 14. de Excom. diff. 4. &* Castropalaus *cit. punc. 11. §. 3. n. 4.* ibi cum Doctoribus à se relatis putans: ab obligatione talis juramenti præstandi eximi etiam Impuberes, eò quòd in *cap. 1. & fin. De sent. Excom.* pueri ob percussionem Clerici jubeantur absolvi, nullâ factâ
28. mentione Juramenti. 4. Dum alicui potestas absolvendi à censurâ delegatur sub conditione satisfaciendi Parti læsæ, non sufficere juratoriam cautionem, sed opus esse reali satisfactione, si censuratus ad hanc præstandam potens exciterit, censent Suarez *disp. 7. sect. 5. not. 42.* Sanchez *lib. 3. disp. 32. n. 4.* Qui tamen Author cum alijs censet satis probabile, Absolutionem valituram, si delegatus Juratoriâ cautione contentus absolverit. 5. requiritur, ne Absolutio per vim, seu 29.
metum extorta sit, ita ut aliàs sit invalida. ex *cap. Unico. De ijs, quæ vi, metusve causâ fiunt.* 6. Exi- 30.
gitur, ne per deceptionem sit obtenta Absolutio, foret enim invalida, si ex subreptione impetraretur ab eò, qui fingeret, se satisfecisse parti, vel habere propositum satisfaciendi. ex *cap. Ex parte. De officio Ordin. Et cap. Officij. De sent. Excom.* 7. 31.
Potest Absolutio Censuræ etiam absenti conferri per Litteras. ex *cap. De Manifestâ. 12. q. 1. & cap. Quando. 2. q. 5 & cap. Quisquis. 2. q. 9.* & Glossâ *ibi.* Extra casum tamen urgentis causæ fore illicitum, ut absenti etiam medio Procuratore conferatur absolutio Censuræ, cum pluribus à se relatis probat Castropalaus *cit. punc. 11. §. 3. n. 10.* Qui author *n. 9.* etiam docet, posse quidem invito etiam impendi absolutionem Censuræ, non tamen expedire, ut conferatur nisi ad petitionem Censurati, utpote quem deceat, ut ante absolutionem humilietur, aliaque exhibeat, quæ Pœnitenti congruunt.



ARTICULUS IV.

DE

Lege Pœnali intentante Excommunicationis Censuram.

Excommunicatio describi potest ex *cap. Omnis Christianus. & cap. Canonica. 11. q. 3.* quòd sit Censura instituta ab Ecclesiâ, separans Excommunicatum à communione fidelium. Etsi verò per modum pœnæ Medicinalis in eos soleat duntaxat regulariter ferri, quorum speratur correctio. ex *cap. Notandum. 24 q. . & cap. 1. de sent. Excom. in 6.* Si tamen aliquando stringitur in illum, cujus emendationis nulla spes est, tunc istud fit in eum finem, ne alij ejus communicatione inficiantur. ex *cap. Resecandæ. cap. Corripiantur. 28. q. 3.* 1.

Cæterùm Excommunicatio per se neque privat bonis internis animæ, adeò ut Excommunicatus propter peccatum mortale, possit mediante contritione perfectâ restitui gratiæ sanctificanti, ac virtutibus cum eâ connexis, antequàm absolvatur ab Excommunicatione; Neque privat suffragijs privatis Fidelium, adeò ut pro Excommunicatis etiam Denuntiatis liceat privatâ intentione, seu proprio nomine orare, nec non sacrificij actum quoad privatum Impetrationis saltem fructum applicare, sed privat duntaxat publicis Ecclesiæ bonis, quæ partim consistunt in convictu humano ac externo, partim in Sacramentis, Orationibus, alijsque Divinis Officijs nomine Ecclesiæ faciendis. Ejusmodi proinde Bonorum communicatione privatur Excommunicatus, ut exinde à contumaciâ & inobedientiâ resipiscat. *ex Cap. Cum non ab homine. de Sent. Excom.* Et hinc Excommunicatio major summis spiritualibus bonis privans 2.
3.

dicitur

dicitur omnium pœnarum Ecclesiasticarum gravissima, adeò ut *in cap. Cùm non ab Homine. De iudic.* dicatur, Ecclesiam post latum Anathema non habere, quod faciat. Quæ causa est, ut Concilium Tridentinum *sess. 25. cap. 3.* statuerit: Ne Judices Ecclesiastici pro rebus temporalibus utantur Censurâ Excommunicationis, nisi præmissâ maturâ consideratione, & quando aliud remedium non superest.

4. Eandem ob causam fit, quòd Excommunicatio major nequeat ferri nisi ob culpam lethalem. ex D. Thomâ *in supplem. 3. part. q. 21. a. 3.* Et hinc, quando sub pœnâ Excommunicationis Devastatores vineæ alicujus obligantur ad restitutionem, Censuræ comminatio eatenus tenet singulos sub mortali ad suam portionem restituendam, licèt singillatim spectatæ sint modicæ, quatenus ex respectu ad totum Damnum reparandum, atque adeo ex fine præcepti in singulas illas portiones redundat materiæ gravitas. ex Soto *in 4. dist. 22. q. 1. a. 2. §. arguitur.* Medinâ *Cod. de restit. q. 10. vers. occurit hic casus. ad 1.* Suarezio *de Cens. disp. 20. sect. 2. n. 4. ac seq.* Barbosâ *3. par. de potest. Episcopi. allegat. 96. n. 29.* & alijs.

5. Quibus adeò positis, ad illius Censuræ gravitatem magis ponderandam sequentes circa effectus ejusdem instituemus Controversias. 1. quæsituri, *Qualiter Excommunicatio major privet communibus Ecclesiæ suffragijs? Ubi etiam agetur de Differentiâ inter Excommunicatos vitandos, & non vitandos.* 2. *Qualiter privet usu tam Passivo, quàm Activo Sacramentorum, & Sacrificij Missæ?* 3. *Quomodo privet officijs Divinis, & rebus sacris?* 4. *Qualiter privet Titulo, & Fructibus Beneficij?* 5. *Quomodo privet Iurisdictione, ejusque exercitio?* 6. *Quomodo causet privationem Communicationis Forensis, & cujuscumque usûs officij Publici?* 7. *Qualiter inhabilitet ad contractus, aliamvè Politicam communicationem?* 8. *Utrùm Excommunicationis effectus redundet in Fideles, in his producendo obligationem non communicandi cum Excommunicatis?* 9. denique, *Quinam sint effectus Excommunicationis Minoris, & à quibus possit ista relaxari?* Quibus tandem ad Materiam istam ex integro expediendam, aliqua Corollaria subnectemus.

CONTROVERSIA I.

Qualiter Excommunicatio Major privet communibus Ecclesiæ suffragijs? Ubi de Differentiâ inter Excommunicatos vitandos, & non vitandos?

1. Cum Excommunicationis effectus non immediatè ortum habeant ex Jure Divino, sed ex Jure Ecclesiastico, consequens est, posse ab Ecclesiâ extendi, vel restringi, uti pro temporum varietate factum esse colligitur *ex Cap. Quoniam multos. 11. q. 1.* Unde etiam fit, non nisi ex Ecclesiæ instituto ac præcepto provenisse, ut Fideles tenerentur ad vitandos Excommunicatos, eò vel maximè, quòd, licèt Paulus *ad Titum 3.* dicat Hæreticum post unam, vel alteram admonitionem esse devitandum, & Joannes Apostolus *in 2. Epist. 11. vers.* adhortetur; *Nolite Eum.* (qui scilicet Doctrinam Christi non recipit) *domo recipere, neque Ave ei dixeritis.* Ejusmodi tamen verba non continent præceptum, sed admonitionem, veluti Castropalaus *disp. 2. de Cens. punc. 8. n. 2.* probat, ex eo, quòd alioquin omnes rebelles Ecclesiæ & incorrigibiles essent necessario devitandi.

2. Hinc proinde antiquitùs in Ecclesiâ receptum fuit, ut fideles tenerentur vitare quoscumque Excommunicatos, in secreto quidem, quos secretè duntaxat novissent Excommunicatos, aliàs etiam in publico, quando publicè constabat de illorum Excommunicatione. *ex Cap. Cum non ab homine. De sent. Excom.* Glossâ & Abbate *ibi 1. 2. 3. & 7.* & *Cap. Cum desideres eod. tit.*

3. Verùm hunc rigorem temperavit Concilium Constantiense Martino V. approbante per Constitutionem passim a Doctoribus, speciatim S. Antonino *tit. 3. p. 26. cap. 3.* relatam, quæ sic se habet. *Ad evitanda scandala, & multa pericula, quæ conscientijs timoratis contingere possunt, Christi fidelibus, tenore præsentium misericorditer indulgemus, quòd nemo deinceps à Communione alicujus, Sacramentorum administratione, aut alijs quibuscumque Divinis intus & extra, prætextu cujuscumque sententiæ, aut Censuræ Ecclesiasticæ à Jure, vel ab homine generaliter promulgatæ teneatur abstinere, vel aliquem vitare, aut interdictum Apostolicum observare, nisi sententia hujusmodi, vel censura illata contra Personam, Collegium, Universitatem, Ecclesiæ, Communitatem, aut locum certum, fuerit à Iudice publicata, vel denuntiata specialiter & expressè: constitutionibus Apostolicis, & alijs in Contrarium facientibus, non obstantibus quibuscumque, salvo si quem sacrilegâ manuum injectione in Clericum, in sententiam latam adeò notoriè constiterit incidisse, quod factum non possit aliquâ tergiversatione celari, nec aliquo suffragio excusari, nam à communione illius, licet denuntiatus non fuerit, volumus abstineri juxta Canonicas Sanctiones:* Cui tamen constitutioni, uti notat Suarez *disp. 9. de Censuris. sect. 2. n. 15.* ex Concil. Basileensi adjecta sunt sequentia. *Per hoc tamen, hujusmodi Excommunicatos, suspensos, aut interdictos non intendimus in aliquo relevare, nec quomodolibet suffragari.* Ex quibus manifeste patet, Fideles non obligari, nisi aliquando per accidens, dum citra causam rationabilem inducendo Excommunicatum ad actum, quem pensatis circumstantijs noscitur illicitè facturus (de quo infra *Cont. 9.*) ad abstinendum a communicatione Excommunicati, nisi fuerit Notorius Clerici percussor, vel publicè denuntiatus à Iudice tanquàm Excommunicatus.

Cæterùm pro isto effectu vitandi Excommunicatum, sufficere notorietatem de Clerici percussione, vel publicam Excommunicati Denuntiationem haberi ex famâ a fide dignis ortâ & plenè probatâ, utpote moralem certitudinem inducente, tradunt Covarruvias *in cap. Almâ Mater. 1. par. §. 2. n. 4.* Navarrus *cap. 27. n. 25.* & Castropalaus *cit. punc. 4. n. 8.* cum alijs à se relatis, qui tamen *n. 9.* cum Sanche *lib. 2. in Decal. cap. 11. n. 20.* & Avilâ *2. par. de Cens. cap. 6. disp. 11. dub. 12.* contra Vasquem *de Excom. dub. 2. n. 2.* & alijs superaddit, Excommunicatum publicum in uno loco, in ordine ad effectum abstinendi ab ejus communione non esse censendum publicum in alio loco. 4.

Quibus adeo taliter constitutis in præsenti Contro-

Controversiâ restat decidendum. *Qualiter Excommunicatio privet communibus Ecclesiæ suffragijs, & an pro Excommunicato saltem tolerato, seu non vitando, præsertim contrito, applicari possint saltem in genere?*

Referuntur Sententiæ.

5. Covarruvias *cap. Alma Mater. 1. p. §. 6. n. 3.* Sylvester *verb. Excommunicatio 1. n. 2.* censent, licere pro Excommunicatis in genere applicare publicas Ecclesiæ preces, ac Missæ Sacrificia. Fundamentum est. Tum ex praxi Ecclesiæ in Parasceve orantis pro Excom̃unicatis, Schismaticis, & Hæreticis; Tum ex eo, quòd tali precandi formulâ expostuletur pro Excommunicatis pœnitentia duntaxat & reductio ad Ecclesiam, cujus boni consecutionem Ecclesia intendit obtinere, mediante ipsâmet etiam Excommunicatione.

6. Divus Antoninus *3. par. tit. 24. cap. 76.* Covarruvias *citatus*, & alij censent, publicas Ecclesiæ preces licitè posse offerri pro Excommunicatis contritis, dum per ipsos non stat negatio Absolutionis ab Excommunicatione. Fundamentum est. Cùm enim Excommunicatio lata sit ob contumaciam, hâc per sententiam sublatâ, videtur Ecclesia, nolle ipsos privatos suis suffragijs.

7. Hurtadus *disp. 3. de Excom. diff. 4. n. 10.* Castropalaus *cit. disp. 2. punc. 6. n. 10.* cum alijs à se relatis existimant saltem probabilius, quòd post Concilium Constantiense Fidelibus sit permissum offerre pro Excommunicatis toleratis publicas Ecclesiæ preces, ac Missæ Sacrificium. Fundamentum desumitur ex Canone. *Cùm ab homine. de sent. Excom.* ubi statuitur, Excommunicatis occultis non denegari suffragia publica. Hinc autem patet, quòd Excommunicatio de jure Antiquo non impedierit, quo minùs Excommunicato applicari possent suffragia publica. Cùm igitur de jure novo Excommunicatus duntaxat denuntiatus, vel Notorius Clerici percussor sit exclusus à publicâ & secretâ Fidelium communicatione, consequens fit, Ecclesiæ suffragiorum communionem posse Excom̃unicatis toleratis applicari à Fidelibus.

Conclusio I.

8. Excommunicatio privat communione illorum duntaxat suffragiorum, quæ fiunt nomine Ecclesiæ. ex Suare de *Cens. disp. 3. sect. 4.* Hurtado *disp. 3. diff. 1.* Castropalao *cit. punc. 6. n. 3.* & alijs ab ipso relatis.

Explicatur & probatur. Nam ejusmodi suffragia sunt in triplici genere: Primum est valor sacrificij Missæ quà oblati nomine Christi. Ut sic autem applicatio istius eatenus est posita sub intentione sacerdotis consecrantis, ut Ecclesia de hoc nihil disponat, nec adeò vi Excommunicationis præsumi possit quædam Ecclesiæ prohibitio de fructu ejusmodi non applicando Excommunicatis. Secundum genus suffragiorum
9. continet fructum Impetrationis, vel Satisfactionis, respondentem cuivis operi in gratiæ statu elicito. Etsi vero fructus ejusmodi satisfactionis prodesse non possit peccatori, secus tamen est de fructu impetrationis. Unde cùm Ecclesia nullo suo præcepto afficiat intentionem de fructibus ejusmodi cuiq; fideli & sanctoproprijs, ac sub eorum quasi dominio existentibus, liberum est cuilibet applicare tum fructum satisfactionis Excommunicato vi contritionis forte in gratiam restituto, tum impetrationis fructum in ordine ad impetrandam gratiam contritionis ac Pœnitentiæ. Tertium denique genus est suffragiorum vice Ecclesiæ faciendorum, veluti sunt preces ex ipsius institutione ac nomine peractæ, nec 10.
non valor sacrificij qua oblati nomine Ecclesiæ: Cujusmodi adeò suffragijs omnino privatum existere excommunicatum, constat *ex cap. A nobis. & cap. Sacris. de sent. Excom.* Unde nihil valerent, si à quoquam contra intentionem Ecclesiæ applicarentur excommunicato.

Conclusio II.

Ne quidem in genere Excommunicatis, etiam contritis, imò & toleratis valide applicantur Ecclesiæ suffragia.

Prima pars per Vasquez *cit. dub. 2. de Excom.* 11.
Avilam *2. par. cap. 6. disp. 6. dub. 3.* tradita probatur. Cùm enim intentio Ecclesiæ sit privandi quoscumque suis suffragijs, neque licitè, neque validè possunt contra ipsius intentionem suffragia ejus applicari Excommunicatis, nec etjam in genere, nisi ipsamet Ecclesia hoc aliquando permittat, velut ad Christi Passionis pro omnibus oblationem repræsentandam facit in die Parasceves. Quare extra istum casum *Indirectè tantùm* possunt Excommunicatis Ecclesiæ suffragia applicari orando scilicet; seu Missæ sacrificium nomine Ecclesiæ offerendo pro hæresum extirpatione, ac fidei dilatatione.

Secunda pars à Soto *in 4. dist. 22. q. 1. art. 1. §. Attamen dubium.* Suare *disp. 9. de Censuris. sect. 3. nu. 5.* 12.
tradita probatur. Quia Excommunicatio semel incursa, ne quidé per mortem tollitur, nisi per absolutionem erga defunctos, non quidem *directè*, sed *indirectè* faciendâ. Ergo quantumvis contritus decesserit excommunicatus, debet adhuc privatus censeri suffragijs Ecclesiæ, nisi mediante absolutione reducatur ad hominum consortium. Innocentio II. *in cap. A nobis. 28. de sent. Excom.* expresse statuente, pro Excommunicato decedente in Excommunicatione, quantumcunque contritus decesserit, non esse communicandum ante absolutionem, nec pro eo instituendas publicas orationes, licèt quoad Deum sit absolutus.

Tertia pars à Soto *cit. q. 1. art. 4. Concl. 2.* Suare *cit. disp. 9. sect. 2. n. 16.* Covarruviâ *in cap. Alma Mater 1. p. §. 6. n. 6.* Bellarmino *lib. 2. de Missâ cap. 6.* & alijs asserta probatur. Quia Concilium Constantiense concedendo Fidelibus, ut cum Excommunicatis toleratis possent communicare, *directè* ac *per se* nullum in hoc facere voluit favorem Excommunicatis. At si pro excommunicatis, ex quo tolerati sunt, liceret *directè* applicare Ecclesiæ suffragia, hoc videretur *directè* cedere in ipsorum favorem, siquidem ista communio non tam faveret fidelibus suffragia illa applicantibus, quàm ipsismet excommunicatis. 13.
Et hinc nullius valoris est fundamentum *n. 7.* 14.
oppositum, eò vel maximè, quòd Canon *Cùm à nobis.*

nobis ibi relatus ſolùm intenderit, evitare diffamationem Excommunicati adhuc occulti, non autem conceſſerit, ut Eccleſiæ ſuffragia poſſent
15. validè pro ipſo applicari. Neque verò Concilium Conſtantienſe quoad iſtam validam ſuffragiorum pro excommunicatis toleratis applicationem aliquid innovare voluit, ut conceſſio ſua quomodolibet ſuffragaretur excommunicatis toleratis. Ergo æquè poſt Concilium Conſtantienſe excommunicati etiam tolerati manent
16. privati Eccleſiæ ſuffragijs. Ex quibus infertur 1. *Qualiter ſit prohibitum Excommunicatis impendere Eccleſiaſticam Sepulturam.* Nam 1. *in cap. Sacris. de Sepult. & Clement. 1. eod. tit.* Item *in cap. Conſuluiſti. de Conſecr. Eccleſia, vel Alt.* interdicitur, ne excommunicati, etiamſi deceſſerint cum ſignis contritionis, poſſint ante abſolutionem tradi Eccleſiaſticæ ſepulturæ. Cujus equidem ratio *in cit. cap. Sacris*, inſinuatur per hæc verba. *Quibus non communicamus vivis, non debemus communicare defunctis.* Ex quibus proinde verbis 2. Caſtropa-
17. laus *cit. punc. 6. n. 12.* cum Suarezio *diſp. 12. de Cenſ. ſect. 4. n. 5.* & alijs concludit, omnibus excommunicatis, qui denuntiati non ſunt, nec manifeſtè Clerici percuſſores, concedi poſſe Eccleſiaſticam ſepulturam, ſi ſignis Contritionis exhibitis deceſſerint, cùm alioquin niſi talia ſigna ediderint, utpote peccato mortali, ob quod Excomunicatio in eos lata eſt, obnoxij, atq; adeò Eccleſiæ ſuffragiorum incapaces, ex hoc capite arcendi veniant ab Eccleſiaſticâ ſepulturâ.

Quam equidem Caſtropalai doctrinam 3.
18. approbamus, non tamen rationem *ibi* expoſitam, & in eo ſe tenentem, quòd talis Excommunicatus utpote toleratus ſit capax Eccleſiæ ſuffragiorum. Quare potiùs dicendum, tali Excommunicato tolerato etiam non præmiſsâ abſolutione, concedi quidem poſſe Eccleſiaſticam ſepulturam quoad ſolemnitatem extrinſecam, non tamen ipſi prodeſſe ſuffragia Eccleſiæ quoad valorem ſatisfactionis, vel impetrationis Eccleſiæ proprium, ſed privatum duntaxat cuique Fidelium ex ſuis bonis operibus competentem, uti patet ex dictis *concl. 3.* videturque evinci *ex Can.* Innocentij III. *ibi citato.*

19. Quòd ſi 4. Excommunicatus denunciatus, Notorius Clerici Percuſſor cum pœnitentiâ deceſſerit, ne tunc quidem ante abſolutionem capax eſt Eccleſiaſticæ ſepulturæ, ſed oportet, inſuper exhumari, ſi in loco ſacro ſepultus fuerit. Imò ſi impœnitens fuerit defunctus, tunc locus ſacer ex ſepulturâ ipſius pollutus, per aquæ benedictæ aſperſionem modo in Pontificali præſcripto eſt reconſiliandus, ejecto priùs corpore talis excommunicati, ſi tamen ab alijs Fidelium corporibus diſcerni poſſit, cùm alioquin toleranda ſint, ut ait Pontifex, Zizania, ne comburatur ſimul & triticum ex *cap. Conſuluiſti. De Conſecr. Eccleſ. vel Altar. cap. un. eod. tit. in 6. cap. A*
20. *nobis. & cap. Sacris. de ſent. excom.* Et hinc 5. Dum *in Clement. 1. de ſepult.* excommunicantur, qui ſcienter excommmunicatum ſepeliunt, nec non *in cap. Quicumque. de Hæret. in 6.* innodantur excommunicatione, qui ſepeliunt hæreticos, eorumque fautores, non debent iſta Decreta ex vi Extravagantis *Ad evitanda* hodie extendi ad eos, qui notorium hæreticum, & excommunicatum etiam impœnitentem, ſi tamen denuntiatus non ſit, nec notorius Clerici percuſſor, ſepeliunt. Ex Navarro *cap. 27. ſum. n. 37.* Suare *cit. ſect. 4. à n. 5.* Caſtropalao *cit. punc. 6. n. 14.*
& alijs ibi relatis. 6. Denique nomine ſepe- 21.
llentium pro causâ præſenti non venire illos, qui comitantur corpus, vel etiam Clericos canentes, vel foſſam aperientes, ſed immittentes corpus in ſepulturam, & terrâ cooperientes, vel etiam de hoc mandatum facientes, cum Doctoribus à ſe relatis tradit Caſtropalaus *cit. n. 15.* contra Navarrum ubi *ſuprà* exiſtimantem, ne mandantem quidem ligari illa Cenſurâ excommunicationis latæ adverſus ſepelientes.

❊❊❊❊❊❊❊❊❊)(❊❊❊❊❊❊❊❊

CONTROVERSIA II.

Qualiter Excommunicatio Major privet uſu tam Paſsivo, quam Activo Sacramentorum, & Sacrificij Miſſæ?

EXcomunicato interdictá eſſe tam receptioné quam adminiſtrationé Sacramētorū, nec nō ſacrificij Miſſæ celebrationem, 1.
conſtat, tū *ex cap. Illorum. & cap. Si quem. de ſent. Excom.* Tum ex *Can. Si celebrat. & Can. Latores. De Clerico excom. miniſtrante.* Quia tamen valor ſacramentorum non pendet ab inſtitutione Eccleſiæ, indubitatum eſt, ſacramentum non reddi invalidum ex vi Excommunicationis, excepto Pœnitentiæ ſacramento, hoc enim eo ipſo redditur invalidum, quòd in ſuſcipiente exigat actum Contritionis, qui non poteſt ſubſiſtere in excommunicato, adverſùs Eccleſiæ præceptum abſolutionem ſacramentalem recipiente, in Miniſtro autem requirat Juriſdictionem, quam tollit Excommunicatio. Verùm
difficultas eſt 1. *An caſu, quo excommunicatus ignorans Cenſuram, bonâ fide abſolvitur à peccatis, non præmiſsâ abſolutione Cenſuræ, teneat ſacramentum Pœnitentiæ? 2. An Excommunicatus toleratus non validè, ſed aliquando etiam licitè poſſit adminiſtrare Sacramentum præſertim Pœnitentiæ? 3. Quænam ſint à Jure conſtitutæ pœnæ adverſùs illos, qui excommunicatis conferunt aliquod ſacramentū, vel cōtra illos, qui cum excommunicati ſint, ſacramenta illicitè, vel etiam invalidè adminiſtrant?* 2.

CONCLUSIO I.

VAlida eſt Abſolutio ſacramentalis collata pœnitenti excommunicato, 3.
nullam Cenſuræ notitiam habenti. Ex Cajetano *in ſum. verbo. Abſolutio.* Covarruviâ *in cap. Alma Mater. p. 1. §. 6. à n. 7.* Navarro *in Cap. 1. n. 23. de pœnit. diſt. 5.* Petro Soto *lib. 4. de Excom.* Suare *diſp. 10. de cenſ. ſect. 3. n. 9.* & alijs contra Sotum *in 4. diſt. 22 q. 1. a. 1. in fine.* & Hurtadum *diſp. 4. de excom. diff. 3. n. 28.*

Probatur. Si enim Abſolutio Sacramentalis in præallegato caſu eſſet invalida, hoc eſſet ex defectu Juriſdictionis, quam oportet eſſe ademptam Sacerdotibus, imò & Prælatis erga excommunicatos. At non videtur veriſimile, ob Excommunicationem ſubditi extrahi iſtum à Juriſdictione Prælati, vel Parochi, ſeu ſacerdotis habentis delegatam à Prælato ſuo Juriſdictionem,

dictionem. Nequit ergo absolutio sacramentalis excommunicato data esse invalida, si ex parte absolvendi sufficiens sit dispositio, veluti accidit, dum excommunicatus cum debito Contritionis actu & Confessione *formaliter* integrâ, excomunicationis suæ omninò immemor, recipit talem absolutionem, siquidem tunc nec ex parte pœnitentis possit esse defectus, nec ex parte Confessarij, utpote suâ Jurisdictione non destituti ob excommunicationem pœnitentis.

CONCLUSIO II.

4. EXcommunicatus toleratus ad petitionem alicujus interveniente causâ rationabili, licitè administrat quodlibet Sacramentum. Secus verò est de Excommunicato vitando, publicè scilicet denuntiato, seu notorio Clerici percussore.

Prior pars probatur. Nam ex quo Concilium Constantiense dedit Fidelibus facultatē cū Excōmunicatis toleratis cōmunicandi, tam in Divinis, quàm in alijs rebus ac functionibus, ex conse-
5. quenti ac per indirectum ipsis etiam Excommunicatis permisit, ut ad instantiam Fidelium possint licitè administrare Sacramenta, cùm alioquin ipsimet etiam Fideles ex virtute tum Religionis, tum charitatis arcerentur, ne peterent Sacramenta ab ijs, qui non absque peccato, præsertim Sacrilegij, Religionis virtuti oppositi possent conferre Sacramentum, ut adeò talis Excommunicatis toleratis facta de Sacramentis ad fidelium instantiam conferendis licentia *directè* non cedat nisi in horum favorem, veluti præter alios tradunt Hurtadus *præsent. disp. 2. diff. 4.* & Castropalaus *cit. disp. 2. punc. 5. n. 5. & punc. 8. n. 4.* Et hinc, si dies festus occurrat, posse alio sacerdote Missam celebraturo non præsente, excōmunicatum celebrare, docet Suarez *disp. 11. sect. 4. n. 13.* Filliucius *tract. 12. cap. 3. q. 7. n. 73.* Eò quòd populus tunc præsumatur petere Sacrificium necessarium pro exequendo præcepto audienti Sacrum.

6. Posterior pars à Coninch *disp. 14. dub. 5. in fine.* asserta probatur. Cùm enim Fidelibus nullatenus liceat extra casum saltem necessitatis communicare cum Excommunicatis vitandis, neque per indirectum, ac ex consequenti possunt licitè Sacramentum conferre ad alicujus petitionem, nisi interveniente casu necessitatis. Et quidem si necessitas sit extrema in proximo, posse Excommunicatum vitandum ipsi impendere Sacramentum Baptismatis, vel Pœnitentię, quo aliàs esset cariturus, docet communis sententia Doctorum apud Castropalaum *cit. disp. 2. punc. 8. n. 5.* eò quòd Ecclesia nolit extremè pericli-
7. tantibus denegare necessaria salutis remedia. Verùm extra ejusmodi necessitatis casum invalidam esse absolutionem Sacramentalem ab Excommunicato vitando concessam, ex eo evincitur, quòd careat Jurisdictione. *Ex cap. Ad probandum. De sent. & re judicatâ, cap. Romana. de officio Vicarij in 6. cap. Si celebrat. De Clerico Excom. minist.* junctâ expositione Doctorum istos textus de fori contentiosi Jurisdictione loquentes, extendentium ad quamlibet etiam voluntariam Jurisdictionem. Quare nulla erit absolutio nisi 8.
in tali Excommunicato vitando suppleatur Jurisdictio per Ecclesiam, veluti fit casu, quo ignoratur, confessarium esse Excommunicatum vitandum, tunc enim ratione hujus erroris publici juxta *legem Barbarius. ff. de officio Prætoris.* concedit Ecclesia Jurisdictionem, ne fideles bonâ fide procedentes decipiantur, uti ex communi tradit Suarez *disp. 11. sect. 2. n. 12.* An porro in ca- 9.
su necessitatis, alio sacerdote non præsente, posit Excommunicatus vitandus moribundo conferre Sacramentum Eucharistiæ & Extremæ Unctionis, non convenit inter Doctores. Etenim Hurtadus *disp. 4. de Cens. diff. 2. n. 22.* cum Avilâ *2. par. de Cens. cap 6. disp. 3. dub. 3. con. 4.* negant, posse Eucharistiam vel Extremam Unctionem tunc administari moribundo, si iste potest Sacramentum Pœnitentiæ recipere, eò quòd per illud sufficienter juvetur ad salutem consequendam. Econtra verò Suarez *cit. disp. 11. sect. 3. n. 17. & 23.* & Castropalaus *cit. pun. 8. n. 7. & 8.* affirmat, posse in allegato casu per Excommunicatum vitandum licitè conferri Eucharistiam, non verò Extremam Unctionem. Ratio est. Quia Extrema Unctio non est Sacramentum necessitatis, sicuti Eucharistia est necessaria, non quidem necessitate Medij, sed necessitate præcepti, ac pro tentationibus seu suggestionibus Diaboli vitandis. Unde non est præsumendum, velle Ecclesiam tali remedio destitutum moribundum, dum nequit recipere illud, nisi ab Excommunicato vitando.

CONCLUSIO III.

DUm vel sacerdos excommunicatione innodatus indebitè administrat sacramenta, vel ea confert excommunicato, in sequentes incidit pœnas.

Nam 1. Interdicitur ab ingressu Ecclesiæ, 10.
imò & majori Excommunicationi Papæ etiam reservatæ subijcitur, qui excommunicato sacramentum administrat. *ex Cap. Episcoporum. de Privil. in 6. juncto Cap. Significavit. de sent excom. & Clement. 3. eod. tit.* Quinimò *in Cap. Excommunicamus. 1. §. credentes. de Hæreticis.* decernitur ab officio suspendendus, non nisi Papæ dispensatione restituendus, qui alicui ob hæresim, vel ejus fautoriam excommunicato ministrat sacramentum.

Nihilominùs 2. ubi per *Extravag. Ad evitanda scandala.* concessa est communicatio cum Excommunicatis publicè non denuntiatis, nec notorijs Clerici percussoribus, non incurruntur pœnæ prætactæ ab eo, qui sacramentum administrat excommunicato non vitando, licèt graviter peccet contra reverentiam sacramenti, dum indigno confert Sacramentum. 11.

3. Irregularitatem incurrit excommunicatus etiam non vitandus, si illicitè sacramentum administret, vel officium Ordinis sacri, quo insignitus est, exerceat. *ex Cap. Si quis. 11. q. 3. & Cap. ult. de Cleric. excom. ministrant.* 12.

Hac tamen pœnâ 4. non comprehenditur Parochus excommunicatus assistens matrimonio, cùm talis assistentia non sit actus Ordinis, sed Jurisdictionis; secus foret, si nuptias solenniter benediceret, *ex Cap. 1. & 3. de secundis Nuptijs.* sicuti

incurrat ab illâ irregularitate utpote in pœnam injunctâ excusatur etiam Excommunicatus sacramentum conferens, vel actum Ordinis exercens, dum aliquam ob causam excusatur à culpâ. *ex Cap. Apostolicæ. de Cleric. Excom. minist.*

CONTROVERSIA III.

Quomodo Excommunicatio privet Divinis Officijs?

1. Nomine Divinorum officiorum hic veniunt Missæ sacrificium, Horæ Canonicæ, Processiones publicæ, Benedictiones Chrismatis, aquæ benedictæ, ac solenne cujuscumque Ordinis exercitium. A quorum proinde Divinorum Officiorum non tantùm celebratione, sed etiam assistentiâ arceri Excommunicatum, evincitur. *ex Cap. Nihil. Cap. Meritò. & alijs. 11. q. 3. Cap. Significavit. Cap. Nuper. Cap. Responso. de sent. Excom. Cap. Alma Mater. Cap. Is cui. eod. tit. in 6. & Cap. Sacris. de ijs, quæ vi, metúsve causâ fiunt.* Verùm de Missæ sacrificio specialiter est provisum *in Cap. Illud. de Clerico excom. minist. Et Cap. ult. de sent. Excomm. in 6.* ne illi intersit excōmunicatus, adeò ut graviter in censuram Ecclesiæ delinqueret Excommunicatus etiam toleratus, si sacro interesset, novam etiam excommunicationem Pontifici reservatam incursurus, dum monitus exire nollet. *ex Cap. Eos. de sent. Excom. & Clement. 2. eod. tit.* Quinimò Irregularitatem contraheret sacerdos excommunicatus, authoritate suâ faciens, ut Missa coram se celebraretur, ut tradit Glossa *in Clement. 1. verb. celebrare. de Privileg.* Abbas *in Cap. Illud. de Cleric. excom. minist.* & alij ducti eo argumento, quòd talis fictione Juris reputaretur, ac si ipsemet celebraret. Quibus taliter constitutis, restant decidenda. 1. *Qualis sit obligatio, Excommunicatum sacro interesse præsumentem excludendi ab Ecclesiâ?* 2. *An, & qualiter excommunicatus obligetur ad recitationem Horarum Canonicarum?* 3. *Utrùm excommunicatus prohibeatur etiam à privato Ecclesiæ ingressu ad preces ibi fundendas, nec non ab usu Reliquiarum, aquæ benedictæ, ac similium rerum?*

CONCLUSIO I.

EO ipso, quòd vi Extravag. *Ad evitanda scandala* sit permissa communicatio cum Excommunicatis toleratis, non est vi censuræ obligatio, eos arcendi à Divinis, bene tamen Excommunicatos denuntiatos, vel manifestos Clerici percussores.

2. Probatur. Nam fideles, qui permitterent excommunicatos vitandos assistere missæ sacrificio, reputarentur cum ipsis communicare in Divinis. Hoc autem grave foret sacrilegium. Unde Castropalaus *cit. disp. 2. punc. 9. n. 5.* cum pluribus Doctoribus à se relatis concludit, si talis excommunicatus interesse vellet missæ, monendum esse, ut exeat, quòd si nolit, etiam vi, si opus sit, expellendum esse, cùm licita sit defensio Ecclesiasticæ Jurisdictionis & censuræ. *Cap. Venimus. de sent. Excommun.* Quòd si nullâ ratione expelli possit, Missæ sacrificium intermittendum esse, dum consecratio nondum est peracta, vel, ut nonnulli autumant, dum canon saltem nondum est inceptus; oportereque factâ consecratione, & sumptione Eucharistiæ recedere in sacristiam, omissis orationibus, & alijs post communionem dici solitis. *ex Cap. 2. Is, cui. de sent. Excomm. & Clement. 2. eod. tit.* Quòd si, qui forent, qui impedirent, ne Excommunicatus admonitus recederet à sacrificio, subjacerent excommunicationi Papæ reservatæ. *ex Cap. Eos. de sent. Excomm.* Sicuti etiam sacerdos celebrans coram excommunicato vitando ultra peccatum mortale ac minorem Excommunicationem contraheret Interdictum ab ingressu Ecclesiæ. *ex Cap. Episcoporum. de Privileg. in 6.* 3.

CONCLUSIO II.

1. EXcommunicatus etiam non vitandus deobligatur, imò prohibetur à publicâ, non tamen privatâ recitatione horarum, ad quas tenetur titulo Ordinis, Beneficij, vel Professionis. ex Covarruviâ *in Cap. Alma Mater. 1. p. §. 3. n. 8.* Navarro *cap. 25. sum. n. 102.* & Doctoribus communiter.

4. Probatur. Cùm enim privata horarum recitatio nullam importet communicationem cum fidelibus, non est, cur ratione Excommunicationis dicatur quis ab eâ impeditus, quò minùs teneatur satisfacere suæ ad recitandum obligationi; sicuti econtra Excommunicatio extenus tollit facultatem audiendi Missam, ut non peccet in tali statu intermittens auditionem sacri, etiamsi negligens sit in procurandâ absolutione, seque adeò habilem reddendo ad missæ auditionem, eò quòd præceptum Missæ solùm obliget illos, qui liberi sunt, ac dispositi ad ejus executionem, non autem ad instar præcepti sacræ Communionis adstringat, ut quis impeditus censurâ tollat impedimentum ejusmodi, uti cum pluribus à se relatis tradit Castropalaus *cit. punc. 9. n. 3.* contra Nugnum *3. p. q. 83. a. 6. post. 2. dub. §. Dubium tamen.* Cæterùm in horarum recitatione privatâ non posse excommunicatum uti *Dominus vobiscum*, sed loco hujus debere dicere: *Domine exaudi orationem meam*; monent Doctores, speciatim Suarez *disp. 12. de cens. sect. 2. n. 13.* addens tamen cum Navarro, non nisi Venialem culpam contracturum dicendo: *Dominus vobiscum*, nec adeò Irregularitatem utpote pœnam gravissimam incursurum. 5.

CONCLUSIO III.

EXcommunicatus non arcetur à privato Ecclesiæ ingressu ad preces ibi fundendas, nec ab usu Reliquiarum, seu sacramentalium, v. g. aquæ benedictæ.

Explicatur & probatur. Nam licèt sacramentalibus v. g. aquæ benedictæ sint annexa Ecclesiæ suffragia, quibus excommunicatus exsistit 6.

ſtit privatus, ex alio tamen fine aſſumi poteſt eorum uſus pro cultu ſcilicet Divinorum proteſtando, & excitandâ interiore pœnitentiâ, & alijs ejuſmodi ſalubribus effectibus. Sub cujuſmodi adeò fine uſus aquæ benedictæ, aliorumq; ſacramentalium, ſicuti uſus etiam Reliquiarum nullibi invenitur interdictus Excommunicatis. ex Suare *cit. diſp. 12. ſect. 3.* & alijs contra Bonacinam *diſp. 2. de cenſ. q. 2. punc. 5. §. 2. n. 8.* negantem id de uſu ſacramentalium, ſeu aquæ benedictæ.

CONTROVERSIA IV.

Qualiter Excommunicatio privet titulo & Fructibus beneficij?

1. EFfectus Excommunicationis quoad privationem tituli, ac fructuum beneficij aliter ſe habet in ordine ad beneficium jam quæſitum, & aliter in ordine ad beneficium acquirendum. Nam in ordine ad obtinendum beneficium eatenus impedimento eſt cenſura Excommunicationis, ut ex *Canone Poſtulaſti, de Cleric. Excom. miniſt.* ipſo facto ac jure irrita ſit electio, præſentatio, nominatio Excommunicati ad Beneficium, nec non illius collatio, litterarumve impetratio, & quælibet alia ex causâ etiam permutationis ac reſignationis acquiſitio beneficij, uti alijs relatis, docent Covarruvias *in Cap. Alma mater. 1. p. §. 4. n. 1.* Garcias *de Benef. 7. p. cap. 13. n. 15.* Unde fit conſequens, non poſſe de jure poſſideri, ſed ante omnem ſententiam Judicis in foro conſcientiæ reſtituendos eſſe fructus beneficij ab Excõmunicato utpote nulliter impetrati, quamvis Garcias *citatus n. 101.* præter alios exiſtimet, ſi quæ ſervitia ſint ab illo Excommunicato impenſa in Beneficium nullo aliàs jure poſſeſſum, poſſe ex titulo non quidem beneficij, ſed obſequij præſtiti retineri de fructibus, quantum correſpondet ſervitio & labori taliter impenſo.

2. Econtrario cenſura Excommunicationis poſt beneficium jam obtentum incurſa non ipſo facto privat jure ac titulo Beneficij, tametſi veniat arbitrio Ordinarij privandus, ſi in Excommunicatione inſordeſcat, & gravis ſit contumacia, ex Gloſsâ, & Innocent. *in Cap. Cùm Bona. verb. ſpoliare. de ætate & qualit. ordinandorum.* Abbate *in Cap. 1. n. 24. ac ſeq. de Judicijs.*

3. Ex quibus adeò ſequentes emergunt difficultates. 1. *An jus ad beneficium mediante electione, vel collatione eatenus ſit quæſitum, ut Excommunicatio poſtea contracta non impediat ejus acceptationem?* 2. *An jus privans Excommunicatum habilitate acquirendi beneficium, extendatur quoq; ad penſionem, & ad officia ſeu munera non tantùm Eccleſiaſtica, ſed etiam ſæcularia?* 3. *An ipſo jure, & facto privetur Excommunicatus fructibus beneficij legitimo titulo poſſeſſi; vel an veniat privandus per ſententiam Judicis?*

CONCLUSIO I.

SI quis poſt legitimam & Canonicam Electionem ſeu collationem Beneficij in ſe factam inciderit in Excommunicationem, non poteſt pro iſto ſtatu validè illam acceptare, veluti contra Covarruviam *in cit. Cap. Alma Mater. §. 7. n. 4.* & graviſſimos Doctores ab eo relatos tenent Suarez *diſp. 13. de cenſ. ſect. 1. n. 18.* Hurtadus *diſp. 6. de Excomm. diff. 9. n. 8.*

Probatur. Quia, ut videre eſt apud Covarruviam *citatum*, tota ratio, cur electionis ſeu collationis legitimè factæ acceptatio validè fiat in ſtatu Excommunicationis, ex eo deſumitur, quòd, ubi tractatur de Beneficij acceptatione, non jam agatur *de Jure*, ſed *de Facto*. At iſtam rationem haud ſubſiſtere, evincitur *ex Can. Si tibi abſenti. de Præbend. in 6.* ubi ſic ſtatuitur. *Si tibi abſenti per tuum Epiſcopum conferatur beneficium, licèt per collationem hujuſmodi (donec eam ratam habueris) jus in ipſo beneficio, ut tuum, dici valeat, non acquiras.* Ex quo ſanè evincitur, per ipſam collationis ratihabitionem, ſive, uti Gloſsâ *ibidem* loquitur, acceptationem acquiri Jus. Et hinc Covarruvias *loc. cit. & lib. 3. variar. cap. 16. n. 4.* non negat, quòd acceptatio beneficij jam collati jus ad acquiſitionem inducere videatur. Sicut ergo electio & collatio beneficij eſt invalida ad juris acquiſitionem Excommunicatò tribuendam, ſic neque valida erit talis electionis ſeu collationis acceptatio. 4.

CONCLUSIO II.

EFfectus Excommunicationis privans acquiſitione Beneficij extendi debet ad quævis officia, & dignitates Eccleſiaſticas, non verò ad munera ſæcularia, nec etiam probabiliter ad penſiones per modum ſubſidij duntaxat temporalis ſe habentes.

Prima pars per Garciam *de Benef. 7. p. cap. 13. n. 1.* Ugolinum *lib. 2. de cenſ. cap. 13. §. 9. n. 3.* Caſtropalaum *cit. punc. 8. n. 9. & Doctores* communiter tradita probatur. Cùm enim officium detur propter exercitium, fit conſequens, eum, qui ad officium exercendum eſt incapax, eſſe etiam inhabilem ad acquiſitionem officij. At Excõmunicatus excluditur ab exercitio officij dignitati Eccleſiaſticæ annexi. *ex Cap. Poſtulaſti. & Cap. de Cleric. Excom. miniſt.* Ergo excluſus etiam cenſetur ab officij ejuſmodi acquiſitione. 5.

Secunda pars contra Garciam *citatum*; & nonnullos alios à Suarezio *diſp. 16. ſect. 1. n. 1.* Hurtado *diſp. 8. diff. 2. in fine.* Caſtropalao *cit. punc. 8. n. 11.* aſſerta probatur. Nam licèt Excommunicatus non poſſit licitè exercere Juriſdictionem erga ſubditos, utpote quorum communicatione ſit privatus, actus tamen ex Juriſdictione ſæculari procedentes nullo Iure inveniuntur invalidi, quamvis non improbabiliter dici poſſit, ſi proveniant ab Excommunicato vitando, venire irritandos; ſicuti etiam electio Imperatoris Excommunicatione innodati decernitur irritanda. *Cap. Venerabilem. 34. de Elect.* 6.

Tertia pars per Layman *lib. 1. ſum. tract. 5. par. 2. cap. 2. n. 8.* & Caſtropalaum *cit. punc. 8. n. 8.* contradicentibus licèt Suarezio *diſp. 13. ſect. 1. n. 9* Garciâ *de benef. 1. p. c. 5. n. 106. ac ſeq.* & pluribus 7.

pluribus alijs tradita probatur ex eo. Quia nullus extat Juris textus, per quem invalidetur collatio pensionis Excommunicato facta, cùm Canon in initio hujus controversiæ allegatus loquatur solùm de beneficio. At nomine beneficij non venit pensio: uti evincitur ex declaratione sacræ Congregationis Concilij Tridentini *sess. 14. cap. 7.* decidentis, Decretum de incapacitate Homicidij ad beneficia non extendi ad pensionem. Nisi ergo pensio aliqua habens rationem præstimonij sit collata ob exercitium alicujus spiritualis officij, atque adeo imitetur perfectè naturam beneficij, ejusque loco succedat, tunc ejus collatio Excommunicato facta non est ipso jure invalida.

Conclusio III.

EXcommunicatio nō ipso facto privat fructibus beneficij legitimo jure possessi, sed mediante sententiâ Judicis. Ita contra Abbatem *in Cap. Pastoralis. §. verùm. de Appellat.* Innocentium *in Cap. 1. de Judicijs.* Suaren *de Censf. disp. 13. sect. 2. n. 2.* & alios tenent Glossa *in præalleg. Cap. Pastoralis. verb. subtrahuntur.* Avila *de cens. 2. p. cap. 6. disp. 6. dub. 1.* Sanchez *lib. 3. de Matrim. disp. 51. n. 12.* cum alijs à se relatis.

8\. Probatur. Quia opposita sententia nititur decisione *præfati Canonis Pastoralis.* At iste canon dicit solummodò, quòd Ecclesiastici proventus meritò subtrahantur illi, cui Ecclesiæ communio denegatur. Hæc autem verba non inferunt spoliationem fructuum ipso facto, & jure, sed per sententiam. Cùm igitur in pœnis benignior sit facienda interpretatio, non est, cur dicatur Excommunicatus ipso facto ante sententiam privatus fructibus beneficij.

CONTROVERSIA V.

Qualiter Excommunicatio privet Jurisdictione Ecclesiasticâ, ejusque exercitio?

1\. JUre antiquo non poterat ullus Excommunicatus validè exercere Jurisdictionem Ecclesiasticam utpote sibi ademptam vi Excommunicationis, deciditur *in Cap. 1. de Officio Vicarij. Cap. De supplendâ neglig. Prælat. Cap. Ad probandam. de sent. & re judic. in Cap. Audimus. 24. q. 1.* Unde fit consequens, exercitium Jurisdictionis cujuscumque Ecclesiasticæ ab Excommunicato vitando factum esse ipso jure invalidum, uti fatentur Doctores communiter apud Castropalaum *cit. disp. 2. punc. 13. n. 7.* Verùm quia per Extravagantem *Ad evitanda scandala* permissa est fidelibus communicatio cum Excommunicatis, idcirco isti, quando sunt requisiti ab aliquo fideli licitè, imò etiam non requisiti, dum non eliduntur aliquâ exceptionis oppositione, validè exercent Jurisdictionem voluntariam, seu non coactivam, Ex Navarro *lib. 5. consil. de Hæreticis. cons. 15. q. 2.* Suare *disp. 11. sect. 4. n. 9. & disp. 14. sect. 2.* Gutierre *lib. 1. canon. quæst. c. 1. n. 82.* Hurtado *disp. 7. diffic. in fine.* Castropalao *cit. disp. disp. 2. punc. 13. n. 3.* cum pluribus ab ipso relatis. Ratio desumitur ex *Cap. Exceptionem. de Exceptionibus*, ubi statuitur, ut exceptionem Excommunicationis in Dilatorijs reus scienter omittens, in quâlibet parte Judicij proponere possit. At inter exceptiones dilatorias aliquæ sunt contra Judicem. ex Glossâ *ibidem. verb. in Dilatorijs.* Cùm igitur ille supponat, Iudicium esse validum ante exceptionem Excommunicationis, consequens est, subsistere actus Iurisdictionis Ecclesiasticæ exercitæ à Judice Excommunicato tolerato, dum non repellitur per exceptionem, eò vel maximè, quòd, cùm Ecclesia permittat ejusmodi Excommunicatis, ut ad petitionem fidelium possint cum istis communicare tam in humanis, quam in Divinis, oporteat, in tali Excommunicato v. g. Parocho, vel Episcopo Ecclesiasticam conservare Jurisdictionem, mediante quâ possit in genere Judicialium pro foro tam Interno, quàm Externo cum fidelibus ad ipsorum instantiam communicare. Cœterùm manet discutienda difficultas: *Utrùm actus Jurisdictionis etiam coactivæ ab Excommunicato tolerato, dum per exceptionem Excommunicationis non repellitur, præstitus valeat?*

Conclusio I.

SAtis probabile est, exercitium Jurisdictionis coactivæ in prætacto casu non valere, tametsi oppositum non careat probabilitate.

2\. Prior pars per Suaren *cit. disp. 14. sect. 2. n. 15.* & Layman *lib. 1. sum. tract. 5. p. 2. cap. 4. n. 7. §. sed contrarium.* Hurtadum *præs. disp. 7. difficult. 2. in fine.* probatur ex eo, quòd, cùm per Extravag. *Ad evitanda scandala* nullus sit favor factus Excommunicatis, nisi quatenus cedit in utilitatem fidelium, & ab his acceptatur, nequeat actus Jurisdictionis coactivæ non tam favorem, quam onus, seu præceptum, ac pœnam continentes habere plus valoris, quàm de Jure antiquo, vi cujus tales actus erant invalidi, uti eruitur ex Canonibus *supra n. 1.* allegatis.

3\. Posterior pars per Gutierrez *lib. 1. canon. quæst. cap. 1. n. 81.* Coninch *disp. 14. dub. 10. n. 91.* Castropalaum, & alios tradita probatur. Nam ipsis etiam adversarijs fatentibus, tenent præcepta ab Excommunicato occulto lata, cùm boni publici intersit, ne acta ab eo, qui officium Judicis exercet, ob impedimentum occultum infirmentur. ex Glossâ *in Cap. Ad probandum. de sent. & re Judicatâ.* At si Excommunicatus etiam toleratus non posset Fideles suis præceptis ac pœnis ligare, tunc ista neque subsisterent, dum ab ejusmodi quantumvis occulto Excommunicato sunt lata. Ergo dicendum potiùs, dum à fidelibus non excipitur, ejus præcepta esse valida: eò vel maximè, quòd Fideles, quibus vel solâ exceptione permissum est, repellere Judicem, non excipiendo videantur consentire ejus sententiæ.

4\. Verùm argumentum hujus sententiæ non tenet, cùm alia longe diversa sit ratio in Excommuni-

municato occulto, utpote cui ob publicum errorem vi legis: *Barbarius. ff. de offic. Prætoris.* quasi canonizatæ Ecclesia tribuat Jurisdictionem. Quare actus Jurisdictionis coactivæ Ecclesiasticæ ab Excommunicato publico, sed tolerato exerciti ex isto duntaxat capite possunt fortassis subsistere, quòd, dum non apponitur exceptio Excommunicationis, per implicitam quasi approbationem Fidelium exerceatur, cujus adeò taciti quasi consensûs Fidelium per Extravagantem: *Ad evitanda.* firmetur pro tunc in Excommunicato tolerato Jurisdictio coactiva, ejusque exercitium.

5. Ex quibus infertur 1. Actus Jurisdictionis Ecclesiasticę ab Excõmunicato vitando exercitos eatenus esse Jure ipso invalidos, ut consequenter Episcopo per censuram publicè denuntiatam privato suâ Jurisdictione, non possit ejus Vicarius generalis, utpote unum habens cum ipso tribunal, ulteriùs procedere in causis etiam inceptis: *Arg. Cap. Romana. de offic. Vicarij. in 6.* Secùs verò est in alijs Delegatis, quibus, si post factam delegationem Delegans incidit in Excommunicationem de Jure vitandam, exspirat quidem Jurisdictio, non tamen in causis jam cœptis. *ex Cap. Relatum. Cap. Gratum. Cap. Licet. de offic. Delegati.* Imò verò Jurisdictio interior, seu fori Pœnitentialis, & quævis alia non Judicialis ob Excommunicationem à Delegato postea incursam non suspenditur etiam re integrâ, eò quòd talis Jurisdictio sit gratia jam facta, nec adeo per impedimentum Deleganti superveniens, vel etiam mortem infirmetur. ex Soto *in 4. dist. 18. q. 4. a. 3.* Hurtado *disp. 7. diff. 2. circa finem.* Castropalao *citato. n. 10.*

6. Infertur 2. Collationem Beneficij ab Excommunicato vitando factam ipso facto esse irritam. *ex Cap. Un. Ne sede vacante.* Idem fore de electione, habetur *ex Cap. Cùm dilectus. de Consuet. Cap. Cùm inter. de Elect.* Excipitur tamẽ electio summi Pontificis, quæ valida est, nec irritari potest, licèt fiat à Cardinalibus excommunicatis. *ex Clement. Ne Romana. §. Cæterùm. de Elect.*

7. Hinc quando plures concurrere debent ad electionem, tunc exclusis Excommunicatis, totum Jus eligendi recidit in non excommunicatos, adeò ut si electio competeret Episcopo simul & Capitulo, tunc alterutro ex illis excommunicato, electionem facere possit pars non excommunicatá. *ex Cap. un. Ne sede vacante. in 6.* Quòd si pluribus ad electionem concurrentibus unius suffragium de se necessarium, ratione excommunicationis sit invalidum, non potest subsistere electio. *arg. Cap. Ad probandum. de sent. & re judic.* Item *Cap. Super abbatiâ. de offic. Delegati.* Si verò talis Excommunicati suffragium eatenus supersit, ut cæterorũ eligentiũ suffragia attingant sufficientẽ à sacris canonibus constitutũ numerum, tunc juxta regulam Juris utile non vitiari per inutile, esseq; adeò validam electionem, censent Richardus *in 4. dist. 18. a. 7. q. 1. ad 3.* Layman *lit. tract. 5. p. 2. c. 2. n. 13. versu. Quoad Electionem.* Hurtadus *cit. disp. 7. diffic. 3. n. 8.* contradicentibus Suare *disp. 14. sect. 2. n. 3.* & pluribus alijs ab ipso relatis, qui ex *argum. Cap. fin. de Procuratoribus. & Cap. Messana. de Elect.* asserunt, electionem fore irritam, dum non excommunicati ad electionem scienter admiserunt excommunicatum vitandum.

8. 3. Ex dictis proximâ ac præcedenti *4. Conc.* infertur. Rescriptum tam Justitiæ, quàm Gratiæ, seu privilegium Excommunicato concessum esse invalidum. *ex Cap. 1. de Rescriptis. in 6.* Cujus ratio esse potest, tum quòd sit incapax Jurisdictionis Ecclesiasticæ; tum quòd omnis gratiæ sibi concedendæ debeat talis expers esse, ut ne toleratus quidem excommunicatus, utpote cui per Extravagantem: *Ad evitanda scandala:* nullus ex parte sui factus sit favor, validè impetret ejusmodi rescriptũ, uti aliàs diximus: *supra de rescriptis. q. 18. a. 1.* Excipitur tamen rescriptum in causâ Excommunicationis, & Appellationis, nec non si Pontifex, uti consuevit, adijciat clausulam absolutionis ab omnibus censuris ad effectum valoris rescripti.

CONTROVERSIA VI.

Quomodo Excommunicatio privet communicatione Forensi, ac usu cujuscumque officij publici?

1. Sub communicatione Forensi veniunt actus personæ publicæ in Judicio scilicet Iudicis, Actoris, Advocati, Procuratoris, Tabellionis, Testis, & Rei. Officium autem publicum est munus Tutoris, Curatoris, & similium, quorum exercitium per se fit absque interventu Iurisdictionis, veluti etiam est assistentia Parochi ad Matrimonium, & admissio alicujus ad professionem Religiosam.

CONCLUSIO I.

Communicatio Forensis ex parte personarum ad Judicium publicum concurrentium vi Excommunicationis prohibentur sequentibus modis.

2. Nam 1. Iudex etiam Civilis ac Temporalis Excommunicatione innodatus à judicando arcetur, cum hoc tamen discrimine, ut, si toleratus sit, ex omnium Doctorum sententiâ, ejus acta teneant. Si verò sit vitandus, ejus gesta non tantùm, uti Victoria *de Excom. n. 16.* contendit, ope exceptionis sint invalidanda, sed ipso Jure sint nulla. ex Abbate *Cap. Ad probandum. n. 2. de sent. & re judic.* Innocentio *in Cap. 1. circa finem. de Except. in 6.* Suare *disp. 16. n. 2.* & alijs ab ipso relatis asserentibus, praxi receptum esse, quòd annullatio actuum à Iudice Ecclesiastico Excommunicato vitando factorum extendatur etiam ad Iudicem sæcularem, eò vel maximè, quòd, cùm *in Can. Nos sanctorum. 15. q. 6.* Pontifex liberet subditos à fidelitate Dominorum Excommunicatorum, præcipiatque, ne ipsis obediant. Non ergo possunt tenere actus facti à Iudice etiam sæculari, qui ob Excommunicationem est vitandus, nisi in casu speciali Canonis *Præsidentes. de Hæret. in 6.* ubi statuitur, ut executio sententiæ adversùs hæreticùm latæ fiat per Judicem sæcularem licèt excommunicatum.

3. 2. Judex Excommunicatus toleratus, sicut & Actor repelli potest exceptione Excommunicationis, quam in omni parte Judicij facere licet. *ex Cap. Exceptionem. de Except.* Modus autem opponendi hanc exceptionem traditur in *Cap. Pia eod. tit.*

eod. tit. in 6. ut scilicet exprimatur species Excommunicationis majoris, ac illius author; probenturque apertissimis probationibus infra octo dies eatenus computandos, ut dies etiam feriales veniant sub isto termino, *ex cit. Cap. Pia. junctâ* Glossâ. *verb. Octo dierum. Et Leg. Sive pars. Cod. de Dilationibus.* Item *Leg. 1. ff. de Ferijs.* Quòd si opponens Excommunicationem defecerit in probatione, tenetur reo ad omnes expensas ob dilationem factas. *ex cit. Cap. Pia.*

4. 3. Actor Excommunicatus toleratus in Judicio etiam sæculari sive civiliter, sive criminaliter agatur, potest repelli exceptione Excommunicationis. *ex Cap. Exceptionem. de Except. & Cap. Pia. eod. tit. in 6.* Quod tamen adversùs nonnullos limitant: Suarez *disp. 16. sect. 3. n. 1.* Hurtadus *disp. 8. diffic. 3.* & Castropalaus *cit. disp. 2. punc. 14. §. 2. n. 9.* casu, quo probare velit nullitatem excommunicationis, vel ab intolerabilem errorem, vel ob interpositam legitimam appellationem: tunc enim iustæ defensionis ratio vix permittit, ut actor pro tali casu repelli possit; eò vel maximè, cùm nequeat actor quantumvis Excommunicatus à Iudicio repelli, dum ad sui defensionem duntaxat intervenit. *ex Cap. Cùm inter. Cap. Significavit. Cap.*
5. *Dilecti Filij. de Except.* Quòd si actor Excommunicatus toleratus à parte adversâ non repellatur, non potest ab alio excludi; secus est in Excommunicato vitando, utpote quem Iudex ex officio teneatur à Judicio repellere. *ex cit. cap. Exceptionem. de Except. & Cap. Decernimus. de sent. Excom.* Et hinc si Iudex sæcularis dissimulet, cogi debere à Iudice Ecclesiastico ad Excommunicatum à Iudicio repellendum, evincitur ex *Cap. Si celebret. de Cleric. excom. minist. & Cap. Sacris. de ijs, quæ vi metûsve causâ fiunt.*

6. 4. Etsi Advocatus etiam toleratus vi excommunicationis sub gravi culpâ prohibeatur fungi munere Advocati, hæc tamen prohibitio vi Extravagantis *Ad evitanda* cessat, dum id facit ad petitionem alterius non excommunicati. Secus est in Excommunicato vitando, qui & à Iudice, & ab alijs in Iudicio intervenientibus est repellendus. *ex Cap. Decernimus. & ibi Glossa verb. Patrocinando. de sent. Excom.* Nihilominùs acta ejus, sicut & actoris tenere, dum non repellitur per exceptionem Excommunicationis, colligitur *ex Cap. Pia. de Except. in 6.* traduntque Avila *2. p. de Cens. c. 6. disp. 7. dub. 2. & 3.* & Castropalaus *cit. §. 2. n. 12. & 14.*

7. 5. Par est ratio de Tabellione Excommunicato, ita ut, si fuerit toleratus, possit ad petitionem fidelium & licitè & validè conficere instrumenta, quæ ad probationem duntaxat sunt necessaria. Secus verò est de Instrumentis ad valorem actûs; velut in Testamento, ac definitivâ Judicis sententiâ, cùm enim in ejusmodi actibus exigatur firmitas irrefragabilis, nequit stare instrumento confecto per Excommunicatum etiam toleratum, utpote adversùs quem tanquàm nullius fidei excipi possit. ex Coninch *disp. 14. de Cens. dub. 11. n. 113.* Castropalao *cit. §. 2. n. 20.*
8. Quòd si tabellio sit Excommunicatus vitandus, confectionem scripturarum ipso jure invalidam esse, tradunt Avila *2. p. de Cens. cap. 6. disp. 6. dub. 5.* Hurtadus *disp. 3. de Excom. diff. 5.* videturque concludi *ex Cap. Nullus. 2. q. 3.* ubi dicitur, *Nullum anathematizatorum esse suscipiendum, nec à quoquam*
credenda esse, quæ ab eis dicuntur, vel creduntur. Ve- 9.
rùm Coninch *cit. dub. 11. concl. 2. & 3.* & Suarez *disp. 16. de Cens. sect. 5. n. 5.* existimant, hinc solùm evinci, quòd tales scripturæ ope exceptionis sint annullandæ, fidem alioquin facturæ, dum à partibus non excipitur.

6. Etsi Testis Excommunicati vitandi testi- 10.
monio secundùm præcitatum *Cap. Nullus.* non sit fides adhibenda, hinc tamen solùm concluditur, esse irritabile exceptione partium, uti contra Hurtadum *cit. disp. 8. diff. 6.* probant Suarez *disp. 16. sect. 6. n. 6.* & alij. Eò quòd speciale sit in Excommunicato ob hæresin, seu fautoriam hæreseos, quòd ipsius testimonium sit nullum. *ex Cap. Excommunicamus. §. credentes. de Hæreticis.*

7. Reus Excommunicatus etiam vitandus 11.
non potest quidem pro suo libero arbitrio, & commodo stare in Judicio, trahi tamen potest ad Judicium, ne ex suâ excommunicatione commodum reportet. *ex Cap. Intelleximus. de Judicijs.* Tunc autem comparens in judicio licitè & validè utitur omnibus Juris remedijs ad defensionem suam necessarijs, interpositâ etiam appellatione, si opus sit. *ex Cap. Cùm inter. de Except. & Cap. Significavit. eod. tit.* Neque potest per procuratorem duntaxat, sed per seipsum comparere ac respondere in Judicio; uti contra Decium *in Cap. Intelleximus. n. 7. de Judicijs.* Felinum *ibi. n. 3.* Hurtadum *disp. 8. de Excom. diff. 4.* tradunt Glossa, Innocentius, Hostiens. & Abbas in dictum *Cap. Intelleximus. verb. Conventus.* Suarez *disp. 16. sect. 4. n. 6.* Castropalaus *citatus. n. 26.* & alij asserentes, ex præcitato Canone *Intelleximus* solùm evinci, quòd ad effectus Excommunicationis magis observandos sit convenientius, ut talis Excommunicatus respondeat per alium, cùm alioquin *in Cap. Dilecti filij. & Cap. Ult. de Except.* absolutè permittatur Excommunicatus respondere in Judicio.

Conclusio II.

Usus officij publici vi Excommunicationis interdicitur sequentibus modis.

Nam 1. Quia per officiorum publicorum usum 12.
fit communicatio cum fidelibus, indubitatum est, Excommunicatis toleratis non nisi ad aliorum utilitatem ac petitionem saltem virtualem licere eorum exercitia. 2. Cùm Officia Tutoris, Curatoris, & Hospitalarij publicâ quidem authoritate, attamen in utilitatem privatam constituantur, actus ejusmodi officiorum, sicut etiam Procuratoris, & Advocati non ipso jure sunt invalidi, sed per exceptionem duntaxat veniunt irritandi, uti contra nonnullos tradunt Suarez *cit. disp. 16. sect. 8.* Sayrus *lib. 2. de Excom. cap. 2. n. 2.* & Castropalaus *præs. punc. 15. n. 1.*

Similem ob rationem 3. assistentia ad Ma- 13.
trimonium præstita à Parocho Excommunicato etiam vitando est valida. ex Sanche *lib. 3. de Matrim. disp. 21.* Layman *cit. tract. 5. par. 2. cap. 2. n. 13. in fine.* Hurtado *disp. 7. diff. 2.* Castropalao *cit. n. 2.* Ratio est, quòd talis assistentia non sit actus Jurisdictionis, sed mera executio conditionis à Concilio Tridentino requisitæ. Et licèt concurrat tunc Parochus ut testis, non tamen

men pro tunc subit exercitium testis in aliquo Judicio, sed aptum solummodo mediante illâ assistentiâ se facere debet, ut, si opus esset, tem-
14. pore habili posset ferre testimonium. 4. Tametsi Avila *2. p. de Censf. cap. 6. disp. 3. dub. 1. concl. 4.* neget, Parochum Excommunicatum vitandum posse alteri sacerdoti validè dare licentiam assistendi Matrimonio, eò quòd ista licentia foret actus quasi Jurisdictionis. Nihilominus Sanchez & Hurtadus *citati* cum alijs negant, concessionem licentiæ ejusmodi esse actum Jurisdictionis, sed Dominij ad instar constitutionis Procuratoris: atque adeò validè præstari à Parocho Excommunicato non tantùm tolerato, sed etiam vitando.
15. 5. Prælatum Excommunicatum, quamvis vitandus sit, non tantùm validè recipere professionem sui religiosi coram se emissam, sed hanc facultatem pro tunc quoque validè committere alteri, rectè tradunt Sanchez *lib. 5. in decalog. cap. 4. n. 18.* Layman *cit. cap. 2. n. 13. in fine.* Castropalaus *in fine cit. punc. 15.* Eò quòd actus ejusmodi non sint Jurisdictionis propriæ, sed cujusdam superioritatis non tantùm Prælato, sed etiam Abbatissæ Jurisdictionis spiritualis incapaci competentes ratione sui officij.

CONTROVERSIA VII.

Qualiter Excommunicatio privet facultate ad ineundos contractus, & Communicationem politicam?

1. EXcommunicationem privare communione etiam Civili & Politicâ, evincitur *ex toto ferè titulo de sent. Excom.* Unde fit, pro gravitate materiæ gravem contrahi culpæ reatum, si excommunicatus etiam toleratus, utpote cui Extravagans *Ad evitanda* nullum fecerit favorem, ingerat se tali communioni. Cùm autem communicatio Civilis alia sita sit in contractibus, alia verò in conversatione, oportet hic determinare 1. *Qualiter contractus ab Excommunicato initi teneant?* 2. *Sub quâ culpâ tum in rebus Politicis, tum & Divinis sit Excommunicato prohibita communio cum Fidelibus?*

Referuntur Sententiæ.

2. CIrca 1. Hostiensis *in cap. Veritatis. de Dolo, & contum. & Cap. Si verò. de sent. Excomm.* Cardinalis *in cap. 1. de except. in 6.* arbitrati sunt, contractus ab excommunicato celebratos esse validos, non quidem in istorum favorem, sed in favorem non excommunicatorum. Fundamentum est. Nam excommunicato non datur actio ex contractu in excommunicatione celebrato, sed repellitur per exceptionem excommunicationis, quâ tempore contractûs erat innodatus. *ex Cap. Pia. de Except. in 6.* Econtra verò ratione contractûs datur contra ipsum actio, ne commodum reportet ex suâ excommunicatione. *cap. Intelleximus. de Judicijs.* Signum igitur est, contractum ejusmodi validum esse ex parte innocentis, non ex parte excommunicati.
3. Sayrus *lib. 2. de Excom. cap. 9. n. 13.* existimat, hoc tenere saltem in contractibus ratione officij publici, seu authoritate publicâ initis. Alij ab Authore *citato n. 1.* relati censent, Testamentum ab excommunicato vitando confectum esse invalidum.

Circa 2. Suarez *disp. 12. sect. 2. n. 18.* existimat 4.
probabile, & in praxi tutum, quòd non sit materia gravis, nec adeò peccatum mortale, si excommunicatus communicet cum alijs in oratione privatim factâ, v. g. horas Canonicas recitando cum socio. Fundamentum est. Nam licèt sacerdos excommunicatus ex præcepto recitet officium, cùm tamen privatim id faciat, non est peculiariter prohibitum ex ratione speciali, vi cujus communicatio in sacris, & divinis Officijs publicis est prohibita: sed ex ratione duntaxat generali, quâ generatim communicatio cum fidelibus est excommunicato interdicta. Unde per se, ac secluso scandalo, seu contemptu, non videtur esse materia lethalis, quòd, licèt actio recitandi horas sit gravis, tamen in eâ juvari ab alio, vel juvare alium privatim, in ratione communicationis videatur quid esse leve.

CONCLUSIO I.

EXcommunicatio non impedit valorem contractûs ab excommunicato etiam vitando celebrati, quò minùs ex parte alterius contrahentis pariat obligationem. ex Abbate *in cap. Ad probandum. n. 8. de sent. & re judicata.* Felino *ibi.* Vasque *de excom. dub. 8.* Coninch *disp. 14. dub. 12. n. 119.* Hurtado *disp. 9. de Excomm. diff. 2. n. 5.* Sayro *cit. cap. 9. n. 11.* Castropalao *cit. disp. 2. punc. 16. n. 3.*

Probatur. Quia irritatio actûs non debet præsumi absque solido fundamento. At nullum extat jus irritans contractum ab excom- 5.
municato etiam vitando celebratum, ita ut isti nullum exinde jus acquiratur. Nam licèt, stante Excommunicatione, per hujus exceptionem repellendus sit à Judicio, non sequitur, ipsi nullam competere actionem ex contractu, sed istam posse duntaxat elidi exceptione Excommunicationis, cùm tamen post absolutionem Excommunicationis, exceptione privatâ cessante, possit Jus & actionem suam ex contractu partam efficaciter prosequi. Dicendum proinde, contractus tempore excommunicationis authoritate etiam publicâ celebratos esse omninò validos, parereque regulariter ex parte alterius contrahentis firmam obligationem, uti colligitur *ex cap. Quoniam multos. 11. q. 3. cap. Si verò. de sent. Excom. & Cap. Inter dilectos. de Donationibus.* Et hinc, licèt Excommunicatus condens 6.
testamentum peccet communicando cum Testibus, & Notario à se vocatis, hinc tamen non evincitur, nullam esse Testamenti factionem, utpote de jure omnibus permissam, nisi specialiter quis interdicatur: veluti interdicitur 1. Hæreticis, eorumque fautoribus. *Cap. Excommunicamus. verb. Credentes. & leg. Manichaeos. Cod. de Hæreticis* 2. Insequentibus Cardinalem. *Cap. Felicis. de Pœnis. in 6.* 3. Reis læsæ Majestatis. *leg. Quisquis. §. fin. Cod. ad legem Juliam Majestatis.* 4. Denique usurarijs manifestis, dum cautionem non præstant. *in Cap. Quanquam. de Usuris. in 6.*

Concluſio II.

IN communicatione Excommunicati
cum fidelibus datur etiam levitas mate-
riæ, ſub quâ communicatio ejuſmodi ſit
culpa duntaxat venialis. ex Suare *ſupra ci-
tato*.

Probatur. Nam 1. gravis quidem, adeò-
8. que mortifera eſt communicatio Excommuni-
cati cum fidelibus in Sacramentis, in officijs Di-
vinis publicis, alijſque ſimilibus actibus, ſub
formali communicationis ratione gravitatem
moralem præſeferentibus, quocumque modo
ad fidelium etiam petitionem ab Excommuni-
cato vitando, imò & ab Excommunicato
tolerato citra virtualem ſaltem, & tacitum
9. fidelium conſenſum ac petitionem exerci-
tis. Nihilominùs 2. quoad privatam Ex-
communicati cum fidelibus communicationem
10. in ipſis etiam Horis Canonicis poſſe dari levi-
tatem materiæ, patet ex ijs, quæ ex Suarezio *ſu-
pra* deduximus. Hinc 3. communicationem
in rebus humanis etiam Eccleſiaſticis, velut in
collatione Beneficij, ejuſque receptione, uſu &
exercitio Juriſdictionis Eccleſiaſticæ per ſe, &
ex vi communicationis utpote per Excommu-
nicationem ſolùm ſecundariò prohibitæ non eſ-
ſe mortalem, videtur evinci ex ijs, quæ contra
Coninch *diſp. 17. dub. 14. n. 147.* tradunt Covar-
ruvias *in Cap. Alma mater. 1. p. §. 3. n. 8.* Avila *2. p.
de Cenſ. cap. 6. diſp. 8. dub. 3.* Hurtadus *diſp. 9. de Ex-
com. diff. 2.* Quamvis ex ratione nullitatis, quæ
in actibus ejuſmodi induci ſolet per excommu-
nicationem vitandam, ſubſit peccatum mortalè.
11. ex Sayro *cit. lib. 2. cap. 11. n. 19.* Unde à fortiori
4. non erit gravis, & mortifera materia in Poli-
ticâ & Civili communicatione Excommunicati
cum fidelibus, uti concludi videtur ex Covarru-
12. viâ *citato*. Navarro *cap. 27. ſum. n. 30.* Hurtado
cit. diff. 2. Caſtropalao *punc. 18. n. 2.* Quinimò
5. Excommunicato etiam vitando permiſſum
eſt, aſſiſtere concioni. *ex Cap. Reſponſ. de ſent. Ex-
com.* Secùs verò eſt de aſſiſtentiâ ad lectionem
Theologicam, utpote non ita directè neceſſa-
riâ ſaluti. ex Suare *diſp. 12. ſect. 2. n. 3.* addens
n. 5. Excommunicato tolerato, non autem vi-
tando, ſi ipſi ex officio incumbat concionari, vel
Theologiam, ſive Jus Canonicum docere, nec
alius ſit, qui vires ipſius ſuppleat, licere munia
ejuſmodi obire, cùm cenſendus ſit, requiri ab au-
ditoribus.

❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀

CONTROVERSIA VIII.

An, & qualiter effectus Excommunicationis in alios redundet ipſos obligando ad non communicandum cum Excommunicatis?

1. COmmunicationem, ſeu converſatio-
nem etiam Politicam cum Excommu-
nicato eſſe fidelibus prohibitam, con-
ſtat *ex Cap. Cùm excommunicatos. 11. q. 4. Cap. Omnis.
24. q. 1.* Et hinc neque colloqui licere cum Ex-
communicato vitando, neque ipſum ſalutare,
ſeu litteris, ac ſcripto cum ipſo agere, commu-
nis eſt Doctorum ſententia. Nihilominùs Ex-
communicato aliquem ſalutanti reſponderi poſ-
ſe, Deus te illuminet; imò hiſcè, vel ſimilibus
verbis poſſe etiam ſalutari, tradit Sayrus *cit. lib. 2.
cap. 13. n. 2. & 6.* eò quòd verbis ejuſmodi non
tam fiat collocutio cum Excommunicato, quàm
cum Deo. Inſuper non carere probabilitate,
quòd, ne inurbanus quis videatur, poſſit Ex-
communicato aſſurgere, caput aperire, locum
cedere, contra Sylveſtrum, & Navarrum *cit. cap.
27. n. 2.* Suarez *diſp. 15. ſect. 1 n. 3.* tradunt S. An-
tonin. *3. p. tit. 25. cap. 2.* Sotus *in 4. diſt. 22. q. 1. a.
4.* Sayrus *cit. cap. 13. n. 7.* & Caſtropalaus *punc. 17.
n. 4.* cum alijs *ibi* relatis, addens *n. 5.* ſocietatem
& communicationem in negotijs peragendis,
in habitatione, in convictu, in itinere, in men-
sâ, & ſimilibus erga Excommunicatos eatenus
eſſe fidelibus interdictam, ut tamen hoc accipi
debeat de participatione formali, id eſt, per mo-
dum unius, nec adeò agi adverſus cenſuram, ſi
caſu in eâdem domo, itinere, vel mensâ quis in-
cidat cum Excommunicato. Ex quâ ratione
cenſet etiam præter alios Suarez *diſp. 12. ſect. 2.
n. 3.* contra Caſtropalaum *punc. 9. n. 15.* Si lectio-
ni v. g. Theologicæ interſit Excommunicatus
vitandus, non debere idcirco cæteros diſcipu-
los recedere; cùm ſinguli ex diſcipulis ſeorſim
interſint, nec ad unum opus intelligantur con-
currere.

Quibus proinde poſitis, duo adhuc reſtant
expedienda. Alterum eſt; *Sub quâ culpâ tenean-
tur fideles abſtinere à communione Excommunicati vi-
tandi?* Alterum eſt. *Quænam ſint cauſæ excuſantes
à tali communione?*

Concluſio I.

FIdeles communicantes cum Excom-
municato vitando peccant ſequenti-
bus modis.

Nàm 1. Communicans cum ipſo in Divinis 2.
officijs publicis, ſeu uſu Sacramentorû, indubiè
eſt reus mortalis adverſùs cenſurâ tranſgreſſio-
nis. Quinimò Clericus cum Excommunicato
cômunicans in Divinis, ipſum, quê à Papâ nomi-
natim Excommunicatum novit, ſponte ac liberè
admittendo ad Divina, majorê contrahit Excô-
municationem; uti colligitur ex *Cap. Significaſti.
de Sent. Excom.* traditurque ab Avilâ *citato. cap. 6.
diſp. 10.* Hurtado *diſp. 9. de Excom. diff. 3. n. 15.* & Na-
varro *cit. cap. 27. n. 98.* 2. Excommunicationem 3.
majorem incurrit, adeòque peccati mortalis
reus eſt, qui cum aliquo nominatim Excommu-
nicato, & ut ſic Denuntiato communicat in cri-
mine, ob quod perculſus eſt excommunicatio-
ne. *ex Cap. Si concubinæ. de ſent Excom. & Cap. Statui-
mus. eod. tit. in. 6.* 3. Si Excommunicatio tali 4.
modo feratur, ut etiam participantes pronunti-
entur ſub ipſâ contenti, tunc, ſi poſt monitio-
nem ſaltem trinam ſingulariter intimatam quis
non deſiſtat à communicatione talis Excommu-
nicati, tunc eidem Excommunicationis vincu-
lo ſubijcitur, atque adeò talis communicatio
ſupponit peccatum mortale. *ex cap. Quod in dubijs.
30. de ſent. Excom.* Verùm 4. extra caſus præta- 5.
ctos communicatio cum Excommunicato pro-
hibita quidem eſt ſub Excommunicatione mi-
nore. *Ex Cap. A nobis. de Except.* Quia tamen iſta
cenſura infligi poteſt ob peccatum duntaxat ve-
niale, non videtur communicatio cum Excom-
munica-

municato esse interdicta nisi sub culpâ veniali. Et hinc communicatio cum Excommunicato vitando in rebus humanis etiam Ecclesiasticis, v.g. collatione ac receptione Beneficij, & exercitio ac usu Jurisdictionis Ecclesiasticæ, non sub ratione communicationis, sed duntaxat sub ratione nullitatis actuum continet culpam mortalem. ex Covarruviâ *in Cap. Alma mater. 1.p. §. 3. n. 8.* Hurtado *disp. 9. de Excom. tit. 2.* Sayro *lib. 2. de Excom. cap. 11. n. 22.*
6. A fortiori Civilis & Politica cum Excommunicato communicatio utpote non *per se* ac *directè* prohibita vi Excommunicationis, non est lethalis. ex Hurtado *citato*, & Navarro *cap. 27. n. 3.* qui tamen author addit, fore mortalem, si frequens sit, dum nimirum ex tali communicatione Excommunicatus sumet occasionem perseverandi in suâ contumaciâ, uti habet Castropalaus *punc. 18. n. 5.*

CONCLUSIO II.

Communicatio cum Excommunicato vitando excusatur in sequentibus casibus.

Primò non tantùm ratione necessitatis, sed etiam utilitatis præsertim spiritualis, tum
7. Communicanti, tum Excommunicato indè provenientis excusatur communicatio cum Excommunicato. Hac enim de causâ licet ipsi consilia salutaria præbere, concionem coram ipso facere, petere consilium ab Excommunicato, dum alius non æquè bonum consilium creditur suggesturus. Licitum etiam est Excommunicato dare eleemosynam, vel ab ipso recipere, dum non æquè commodè ab alio impetrare poterit; Denique licet debitum ipsi solvere, vel ab ipso exigere. *Ex cap. Responso. de sent. Excom. & cap. Quoniam multos. 11. q. 3.* traduntque Avila *2. p. cap. 6. disp. 11. dub. 3.* Suarez *disp. 15. sect. 4. n. 8.* Hurtadus *disp. 7. diff. 4. n. 18.* & alij. *Secundò* ratione obligationis, quæ est inter Con-
8. jugatos, excusatur communicatio uxoris cum marito Excommunicato tam quoad petitionem debiti, quàm quoad commune in mensâ, gubernatione domûs, colloquijs, alijsque domesticis obsequijs consortium. *Ex cap. Quoniam multos. 11. q. 3. & cap. Inter alia. de sent. Excom.* Qui Canones, licèt loquantur de communicatione uxoris cum marito excommunicato, extendi tamen debent etiam ad communicationem mariti cum uxore Excommunicatâ, uti contra Hostiensem *in sum. lib. 5. tit. de sent. Excom. n. 12.* & S. Antoninum *3. p. tit. 25. cap. 1.* docent Divus Thomas *in supplem. 3. p. q. 23. a. 2.* Sanchez *lib. 9. de Matrim. disp. 14. n. 26.* & alij, eò quòd dispositum in uno correlativo censeri debeat dispositum etiam in alio, ubi eadem intervenit ratio. Quinimò licere ipsimet u-
9. xori, vel marito Excommunicato in præfatis communicare cum conjuge, dum ob aliam causam, quàm Matrimonij, v.g. ob probabile hujus impedimentum lata est Excommunicatio, probant Cajetanus. *verb. Excommunicatio. cap. 81. circa finem.* Suarez *disp. 15. sect. 4. n. 2.* Siquidem communicatio inter conjuges excommunicatos, juxta *cit. cap. Quoniam multos.* fit concessa ob periculum incontinentiæ, quæ ratio militat quoque ex parte conjugis Excommunicati. *Tertiò* ratione famulatûs seu subjectionis eatenus licet communicatio cum Excommunicato, ut famulis concedatur communicatio cum suis 10.
Dominis Excommunicatis, quando ante Excommunicationem contraxerunt subjectionem. *Ex cap. Inter alia. De sent. Excom.* Unde Navarrus *cap. 27. n. 27.* Suarez *disp. 15. sect. 5. n. 13.* & alij arguunt, non licere talem communicationem famulis, qui absque urgente necessitate cum scientiâ Excommunicationis Domini jam priùs Excommunicati famulatui se addixerunt. Verum Castropalaus *cit. disp. 2. punc. 19. n. 15.* putat, istam 11.
communicationem tunc etiam licere ex vi Capituli *Quoniam multos. 11. q. 3.* utpote non sublati per Canonem *Inter omnia.* Idem tamen Author *n. 20.* contra alios negat: istam communicationem extendi posse ad Vasallos respectu Domini Excommunicati, nisi quoad solutionem. Simili ex causâ excusatur communicatio Familiæ cum Patrefamiliâs, nec non Militum cum Excommunicato suo Duce in causâ justi belli communicatio. Item si Clericus cum Episcopo, in cujus est famulatu, tempore Excom- 12.
municationis, vel religiosus cum suo superiore Excommunicato communicet. *ex Cap. Si vere. 34. De sent. Excom.* Parem ob rationem licere Domino, seu Patrifamilias cum filijs, & servis excommunica- 13.
tis communicare, docent Divus Thomas *in suppl. 3. p. q. 23. a. 1.* Navarrus *cit. n. 27.* Suarez *sect. 5. n. 22.* ubi præter alios talem Domini cum servo, sive servi cum Domino reciprocam communicationem extendit ad servitia in Divinis etiam præstari solita, ita ut famuli possint non obstante Excommunicatione, Dominum comitari ad Sacrum audiendum, cum illoque Horas Canonicas privatim recitare. Imò posse famulos Excommunicatos sub unâ familia constitutos, utpote in simul habitare moraliter obligatos inter se quoque communicare, cum Suare *cit. sect. 5. n. 13.* Hurtado *disp. 9. diff. 4. n. 25.* Navarro *ubi supra.* & alijs docet Castropalaus *cit. punc. 19. n. 23.*

Quartò. Communicationem Fidelium cum Excommunicatis excusat ignorantia quæcumque sive Juris, sive Facti etiam vincibilis, modò non sit crassa & affectata, uti *ex cit. cap. Quoniam multos* probat præter alios Castropalaus *cit. n. 24.* consequenter inferens, neminem obligari ad abstinentiam à communione alterius, nisi moraliter certò constet ipsi de ejus Excommunicatione, ejusmodi verò certitudinem moralem haberi tum ex formâ publicâ à viris fide dignis ortâ, tum ex duorum, vel trium testium de Excommunicatione publicè annuntiatâ asserentium. Tum denique ex scripto, non autem vocali duntaxat Parochi testimonio, eò quòd uni testi quantumvis digno nemo teneatur fidem adhibere. *Ex cap. A nobis. de Testib. & Attestat.* 14.

CONTROVERSIA IX.

Quinam sit Effectus Excommunicationis Minoris, & à quibus possit relaxari?

Vnicus est hodie casus, in quo incurritur Excommunicatio Minor, communicatione scilicet, licèt solùm veni-aliter

aliter culpabili habitâ cum Excommunicato vitando, sive Vivo, sive Mortuo. *Ex cap. Excommunicatus. cap. Cum Excommunicato. & alijs. De Clerico Excom. minist. Cap. à Nobis.de Except. & Cap. Nuper. de Sent. Excom.* Ad cujus proinde Censuræ naturam ab effectibus indagandam disquiremus. *Quinam sint ejus effectus?*

Conclusio.

Excommunicationis Effectus Directus ac Proprius est unicus, Privatio nimirum Passivæ Receptionis Sacramentorum; at ex consequenti ac per indirectum privat Activâ quoque Sacramentorum Administratione, ac Electione ad Beneficium.

2\. Explicatur & probatur. Nam 1. minori Excommunicatione innodatum prohiberi à passivâ Sacramentorum perceptione evincitur *ex cap. Si celebrat. De Cleric. Excom. Minist. & cap. Penult. De Sent. Excommunicat.* At eo ipso, quod ista prohibitio sit in materiâ gravi, oportet, inducere obligationẽ sub culpâ lethali. Undè, licèt illâ Censurâ obstrictus *per se* ac *directè* non reddatur inhabilis ad Sacramentum Pœnitentiæ validè recipiendum, *per accidens* tamen, dum sciens ageret contra præceptum Ecclesiæ, sub tali Censurâ contentum, se constituendo ineptum ad Contritionem, ex consequenti absolutio Sacramentalis impensa sine prævia illius absolutione redderetur nulla.

3\. 2. Excommunicationem Minorem *Indirectè & Consequenter* privare activo Sacramentorum usu contra Navarrum *cap. 27. n. 24.* Suarem *disp. 24. sect. 2. n. 12.* Hurtadum *disp. 16. diff. 1. n. 4.* docent Cajetanus *Verb. Excommunicatio minor.* Sylvester *eod. Verbo. ad 3. notab.* Covarruvia *in cap. Alma Mater. §. 1. n. 2.* & alij, ducti eâ ratione, quòd indecens sit, quempiam conferre Sacramentum, ad cujus receptionem est inhabilis. In quo tamen casu non peccari mortaliter, sed solùm venialiter cum Andrea *in cit. cap. Si celebret.* putat Covarruvias *citatus* contra Vasquen *de Excom. dub. 4.*

4\. 3. Cùm omne Beneficium Ecclesiasticum saltem *remotè* ordinetur ad Sacramenta, ex consequenti Excommunicatio minor passivâ Sacramentorum receptione *Directè*, & activâ eorundem administratione *Indirectè* privans inducit privationem Electionis, atque adeò Collationis, seu Præsentationis ad Beneficium. *ex cit. Cap. Si celebret.* Cujusmodi tamen privatio non inducit ipso jure nullitatem Electionis, seu Collationis, sed hæc ope Exceptionis venit per sententiam irritanda, uti contra Hostiensem *in dicto cap. Si celebret.* Covarruviam *supra n. 3.* & alios tradunt Felinus *in Cap. Dilecta. col. 3. de Excep.* Sotus *in 4. dist. 22. q. 2. a. 3.* & alij, quos refert & sequitur Castropalaus *punc. 21. n. 15.* Eò quòd præallegatus Canon *Si celebret* dicat Electionem irritandam, cujusmodi loquendi formula propriè non significat irritationem ipso Iure & Facto, sed mediante sententiâ.

Corollarium I.

Quænam incomoda sequantur illum, qui Excommunicationis Absolutionem non procurat?

Infertur. 1. Eum, qui in Excommunicatione *ab homine specialiter* latâ per Annum obdurato animo perseverat, incurrere suspensionem Hæresis. Concil. Trid. *sess. 25. de Reform. c. 3.* Vi cujus adeò suspicionis eatenus potest citari ad faciendam purgationem, ut, si post citationem iteratam comparere recuset, & in hâc contumaciâ per Annum persistat, nullo allegato impedimento, possit condemnari ut Hæreticus. uti *ex Cap. Cum Contumacia. de Hæret. in. 6.* tradunt Avila *2. p. de cens. c. 6. disp. 9. dub. 12.* & Hurtadus *disp. 11. in fine.* 1.

2\. Ex tali obduratâ in statu Excommunicationis a Iudice latæ per Annum perseverantiâ induci plenam probationem in causâ tam Civili, quam Criminali, ita ut talis obduratus Excommunicatus nullo allegato impedimento, vel satisfactionis signo exhibito, habendus sit pro convicto & confesso. *ex Cap. Rursus. & Cap. Quicumque. 11. q. 3.* 2.

3\. Excommunicatus per triennium animo obdurato perseverans in Excommunicatione, debet per Iudicem omni Beneficio privari, *ex cap. Bonæ Memoriæ. De ætate & qualit. Ordinand.* 3.

Corollarium II.

De Excommunicationibus Bullæ Cœnæ Domini.

Ejusmodi Excommunicationem summo Pontifici reservatam contrahunt Schismatici, Hæretici, eorum Credentes, Receptores ac Defensores; item legentes, imprimentes, tenentes, aut defendentes libros Hæresin continentes. 2. Appellantes à summo Pontifice ad futurum Concilium. 3. Piratæ discurrentes per Mare Pontificium, eorumque fautores & receptores. 4. Surripientes bona naufragantium in mari. 5. Imponentes, augentes, ac exigentes extra casus à Jure, seu speciali Sedis Apostolicæ licentiâ concessos, in terris suis nova Pedagia & Gabellas. 6. Falsificantes litteras Apostolicas. 7. Deferentes arma & alia instrumenta usui bellico idonea ad Infideles. 8. Impedientes, ne Romanæ Curiæ victualia, aliaque necessaria deferantur. 9. Illi, qui offendunt accedentes, vel recedentes à Romanâ sede, vel commorantes in Curiâ. 10. Offendentes Romipedas & peregrinos accedentes ad Urbem, vel in eâ commorantes, aut ab eâ recedentes. 11. Offendentes Cardinales Episcopos, ac Sedis Apostolicæ Nuntios, aut eos à suis terris ejicientes, vel ad hoc consilium, vel auxilium conferentes. 12. Qui offendunt ad Romanam Curiam accedentes pro suis negotijs. 13. A gravamininibus, ac Executione litterarum Apostolicarum appellantes ad Potestatem sæcularem & impedientes accedentem ad Romanam Curiam pro negotiorum & gratiarum expeditione. 14. Illi, qui causas à Judicibus Ecclesiasticis avocant, 1.

vel earum cursum, executionemque litterarum Apostolicarum impediunt. 15. Trahentes, vel procurantes trahi Personas Ecclesiasticas ad sæculare Tribunal, nec non condentes statuta libertati Ecclesiasticæ præjudicantia, eisq; utentes. 16. Impedientes, ne Prælati Ecclesiastici suâ Jurisdictione utâtur. 17. Usurpatores ac sequestratores sine legitimâ superiorum licentiâ, redditu um, fructuum, ac proventuum ad Pontificem, sedemque Apostolicam, vel alias Personas Ecclesiasticas pertinentium. 18. Imponentes Decimas, Collectas, & alia onera Ecclesiasticis personis. 19. Judices sæculares, qui in causis capitalibus, seu criminalibus Clericorum se interponunt. 20. Occupantes Bona & terras Ecclesiæ Romanæ, ejusque supremam Jurisdictionem usurpantes. 21. Absolventes sine legitimâ facultate à præfatis Bullæ Cœnæ Excommunicationibus. De quibus adeò Excommunicationibus compendiosè hîc recensitis, per aliquot illationes disseremus, brevem quandam singularum expressionem facturi.

2. Infertur 1. Circa primam Excommunicationem sequentia esse adnotanda. 1. Eâ comprehendi Hæreticos, eorumque credentes, qui scilicet suum fidei adversantem consensum, vel pertinacem de Fidei veritate dubitationem, aliquo extrinseco signo, non ambiguo duntaxat, ac indifferenti, sed claro ac evidenti manifestant. ex Lessio *lib. 2. de Just. cap. 12. dub. 8. n. 128.* Sayro *lib. 3. de Excom. cap. 4. n. 26.*

2. Sub illâ Excommunicatione contineri Hæreticorũ Receptatores, qui animo occultandi Hæreticos, ne à Judicibus capiantur ac debitas luant pœnas, ipsos recipiunt. ex Castropalao *disp. 3. de Cens. punc. 2. n. 5.*

3. 3. Fautores ac Defensores Hæreticorum, quà talium, quoad Hæresin seu Errorem Fidei adversantem spectatorum, ita ut ex tali defensione firmari possint in suâ pertinaciâ. ex Sanche *lib. 2. in Decalogum. c. 10. n. 5.* qui tamen *n. 9.* existimat, ad pœnas Hæreticis constitutas oportere, quòd favor Hæretico præstitus, cum effectu foverit Hæreticum. Econtra verò Suarez *disp. 24. de fide. sect. 1. n. 14.* arbitratur, sufficere, si favor sit exhibitus cum intentione fovendi Hæreticum, nullo licèt effectu inde secuto.

4. 4. Legentes, imprimentes, retinentes ac defendentes libros Hæreticorum. In quo circa lectionem librorum Hæreticorum dari parvitatem materiæ in legente paucas lineas, putat Suarez *disp. 20. de fide. sect. 2. n. 2.* Sanchez *cit. c. 10. n. 3.* contradicente tamen Ugolino apud Castropalaum *de fide disp. 2. punc. 10. §. 2. n. 6.* qui *n. 11.* contra Suarezium *cit. disp. 20. sect. 1. n. 22.* affirmat, casu, quo per breve tempus quis retinuit librum Hæreticum, animo tamen absolutè retinendi, non incursurum Excommunicationem, eò quòd ad hanc requiratur retentionis gravitas cum effectu, ut sic importans moram temporis. Verùm de his fusiùs ex instituto, ubi agemus *de Fide.*

5. Infertur 2. Circa secundam Excommunicationẽ requiri, ut Appellatio ad futurum Concilium sit ab Ordinationibus, seu Mandatis, id est, sententijs, præceptis, legibus, censuris, & pœnis specialiter seu generaliter latis à Pontifice, non tantùm quà supremo Ecclesiastico Principe, sed etiam quà Principe Temporali, uti contra Reginaldum *lib. 9. sum. n. 263. vers. notandum* tenet communis sententia, apud Bonacinam *tom. 3. de Cens. in part. disp. 1. q. 3. punc. 2. n. 3.* Eò quòd injuria, intuitu cujus lata est illa Excommunicatio, inferatur Pontifici per quamcumque Appellationem, ab ipso etiam quà Principe Temporali interpositam ad futurum Concilium.

Infertur 3. Circa tertiam Excommunicationem observari debere, Piratas ex intentione deprædandi per mare discurrentes, probabiliter non incidere in istam Excommunicationem, quousque aliquam, & quidem fidelibus Catholicis, non verò Infidelibus ac Hæreticis fecerint deprædationem, mutilationem, seu occisionem, cùm verba in legibus præsertim pœnalibus intelligenda sint cum effectu, veluti contra Reginaldum *lib. 9. Praxis Fori pœnit. n. 265.* Bonacinam *cit. disp. 1. q. 4. punc. 2.* tenent Cajetanus *Verbo Excommunicatio. c. 18.* Castropalaus *cit. disp. 3. de Cens. punc. 4. n. 5.* 6.

Infertur 4. Circa quartam Excommunicationem requiri, ut Bona, ex quorum surreptione iniquâ, eâque gravi duntaxat & mortali incurritur ista Excommunicatio, sint Catholicorum, sintque ex metu naufragij ejecta in mare, vel ad littus, atque hinc, non verò extra mare, seu litus ablata. ex Filiucio. *tract. 16. cap. 5. n. 37.* Bonacina *citato q. 5. p. 2. à n. 6.* 7.

Infertur 5. Circa quintam Excommunicationem notari debet 1. non ob quamcumque Tributi v.g. Collectarum, sed Pædagij & Gabellæ, (strictè pro instituto præsenti Tributum pro transitu personæ, seu mercium dilatione, Translatione, Venditione, ac Emptione impositum significantium) impositionem, eamque novam incurri illam Excommunicationem. ex Castropalao *citato punc. 6. n. 3.* & Doctoribus *ibi* relatis. 8.

Neque 2. Incurri in casibus à Jure permissis, cujusmodi facultas de Jure conceditur omnibus illis, qui in temporalibus non agnoscunt superiorem; vel ex consuetudine immemoriali tale jus præscripserunt. *ex Cap. Super quibusdam.* junctâ Glossâ *in verbo. Non extet memoria. De verb. signif.* & *leg. Vectigalia. Cod. de Vectigalib. lib. & commiss.* Etsi verò 3. Navarrus *c. 27. sum. n. 21.* cum alijs arbitretur, ex injustâ Gabellarum impositione ab eo, cui jus est, factâ, non incurri illam Excommunicationem. Oppositum tamen videtur verisimilius; eò quòd tunc nequeat dici Gabellæ impositio, facta in casibus à Jure permissis, uti cum alijs tenent Suarez *disp. 21. de Censuris. sect. 2. n. 37.* & Castropalaus *cit. disp. 3. punc. 6. n. 7.* 9.

Infertur 6. Circa sextam Excommunicationem requiri, ut litteris Apostolicis ab ipso summo Pontifice, sive ejus nomine, non verò à sacrâ Congregatione, Pœnitentiariâ, Inquisitione, Concilio, Datario, Nuntio Apostolico, seu Legato à Latere expeditis, aliquid addatur, vel dematur, unde sensus litterarum mutetur, cùm verborum mutatio, retento sensu, non inducat falsitatem. *Arg. Cap. Ex Conscientiâ De Crimine Falsi*, uti cum pluribus à se relatis Doctoribus contra nonnullos tradit Castropalaus *punc. 7* 10.

Infertur 7. Circa septimam Excommunicationem notandum esse, quòd triplex actio veniat sub istâ Censurâ, quarum prima est Armorum 11.

morum, ferri, ſtanni, chalybis, aliorumque me-
tallorum, nec non bellicorum Inſtrumentorum,
etiam Equorum, ſeu Animalium Bello inſervi-
entium delatio ad Infideles, ſeu Hæreticos facta,
non verò Victualium, ac Mercium. Uti con-
tra Suaren *de Cenſ. diſp. 21. ſect. 2. n. 56.* proba-
biliter tenent Sayrus *lib. 3. c. 26. n. 10.* Cajetanus
12. *verbo Excommunicatio. c. 20.* *Secunda* actio illi Ex-
communicationi obnoxia eſt, ſi Infideles, ſeu
Hæretici certificentur de ſtatu Temporali Chri-
ſtianorum, ſeu Catholicorum in ejus damnum
& detrimentum, adeò ut ipſe etiam Tabellio
litteras ſecretum Chriſtianæ Reipublicæ conti-
nentes Infidelibus deferens, teneatur iſtâ Cen-
ſurâ. uti contra Caſtropalaum *cit. punc. 8. n. 19*
13. tradit Suarez *citatus n. 58.* *Tertia* Actio compre-
hendit tum illos, qui Conſilium, Auxilium, vel
Favorem faciunt Hæreticis, ſeu Infidelibus Ca-
tholicos impugnantibus, dum tamen ex tali
Conſilio, ſeu Auxilio Catholici reipsâ fuerint
damnificati. ex Caſtropalao *ſupra. n. 21.* qui ta-
men *n. 22.* arbitratur, ob periculum vitæ, al-
teriuſve graviſſimi damni excuſari poſſe a Cen-
ſurâ conſulentes, & faventes Hæreticis, ſeu In-
fidelibus in damnum Reipublicæ Chriſtianæ.
Verùm oppoſita à Suare *cit. ſect. 2. n. 60.* Sanche
lib. 1. in Decal. c. 7. n. 18. poſt medium. & alijs aſſer-
ta opinio videtur omninò tenenda, eò quòd
Bonum privatum anteponendum ſit publico
Eccleſiæ Bono. Hinc autem fit, quòd præalle-
gatum diſcrimen in dato caſu non excuſet à cul-
pâ, nec conſequenter à Pœnâ & Cenſurâ.
14. Infertur 8. Circa octavam Excommunica-
tionem obſervari debere, quòd afficiat illos
duntaxat, qui citra juſtum titulum, & quidem
directè, non autem *conſequenter* duntaxat ac *indi-
rectè* impediunt, ne Romanæ Curiæ victualia,
aliaque neceſſaria deferantur. Si enim Princeps
impediat, ne ex ſuâ Provinciâ Româ deferantur
victualia ſuorum ſubditorũ ſuſtentationi neceſ-
ſaria, non eſt obnoxius illi Cenſuræ. ex Cajetano
verbo Excommunicatio. cap. 19. Suare *diſp. 21. ſect. 2. n. 63.*
Caſtropalao *præſenti punc. 9. n. 5.* qui author *n. 8.* cõ-
tra Bonacinam *diſp. 1. q. 3. punc. 2. n. 20.* concludit, ne
tunc quidem Principem incidere in Cenſuram
præfatam, dum victualia, quæ ex alieno Territo-
rio ad Romanam Curiam advehenda per ſuum
Territorium tranſeunt, detinet ob ſuorum ſub-
ditorum neceſſitatem, eò quòd, licèt Romana
Curia æquali, vel etiam graviori neceſſitate pre-
matur, non poſſit tamen impedire Principem,
ne eorum detentione conſulat ſuis ſubditis gra-
15. viter indigentibus.
Infertur 9. Sub nonâ & duodecimâ Ex-
communicatione contineri illos, qui acceden-
tes ex causâ alicujus etiam Temporalis negotij
ad Romanam Curiam, ſive ſedem Apoſtolicam,
vel ab hâc recedentes, ſive ibi commorantes,
non in ſuis duntaxat perſonis, ſed in uxore,
filijs, ſervis, & familiaribus ad negotia ibi per-
agenda neceſſarijs, per ſe, vel per alios *Directè*,
vel *Indirectè*, cum effectu tamen offendunt, ipſos
interficiendo, mutilando, ſeu ſpoliando, uti
pluribus exponit Caſtropalaus *punc. 10.* cum
Doctoribus *ibi* relatis. Differt autem iſta Cen-
ſura à Decimâ Bullæ Cœnæ Excommunicatio-
ne, quòd hæc non ad inſtar prioris lata ſit
in favorem Pontificis, ſeu Curiæ Romanæ, ſed
in Cultum locorum ſacrorum Romæ exiſten-
tium, adeò ut Curiâ & Pontifice alibi etiam
commorantibus, incurratur, non quidem ex
quâcumque offenſione Romipetarum, ſed ex
iſtorum interfectione, mutilatione, vulneratio-
ne, detentione, captione, ſeu deprædatione.
Infertur 10. Excommunicationem deci- 16.
mam Mandantibus, etiam ac Conſulentibus, ſeu
favorem, cum effectu tamen, præſtantibus, in-
fligi, ex Cardinalium, Epiſcoporum, & Nuntio-
rum Apoſtolicorum occiſione, vulneratione,
capturâ, aliavè hoſtili inſecutione, ac ejectione
è ſuis Diœceſibus, ſeu Territorijs, quæ non mo-
dò ratione originis duntaxat, ſed ratione Dig-
nitatis Eccleſiaſticæ ſint ipſorum propria, uti
contra Bonacinam *diſp. 1. de Cenſ. q. 12. punc. 1.*
n. 12. tradit præter alios Navarrus *c. 27. ſumma. n. 67.*
Infertur 11. Excommunicationem Decimam 17.
tertiam, prout a Nonâ & Duodecimâ diſtin-
guitur, ferri 1. adverſus illos, qui à gravamine
& executione litterarum Apoſtolicarum, ſub
prætextu frivolæ Appellationis recurrunt ad
poteſtatem Laicam. In quo caſu licet Sayrus
lib. 3. Theſauri Caſuum Conſcientiæ. cap. 17. n. 3. pro-
babile putet, non eſſe locum illi Excommuni-
cationi, quando Appellatio ex parte Judicis *ad
quem*, Laicæ ſcilicet Poteſtatis duntaxat, non
verò ex parte appellantis, ſeu Cauſæ eſt frivo-
la: Attamen oppoſitum videtur cum Bonaci-
nâ *cit. diſp. 1. q. 14. punc. 1. à n. 2.* omninò aſſe-
rendum, eò quòd ſimpliciter dicenda ſit fri-
vola Appellatio, quæ a gravamine litterarum
Apoſtolicarum interponitur ad laicalem Po-
teſtatem. 2. Adverſùs impedientes litterarum 18.
Apoſtolicarum, & aliorum Decretorum à Se-
de Apoſtolicâ, ſeu Legatis, Nuntijs, Præſiden-
tibus &c. alijſq; Judicibus, & Delegatis Apoſtoli-
cis emanatorum Executionem, ſeu Decreta: in
ejuſmodi tamen caſu requiri impeditionem
cum effectu, decidit Caſtropalaus *præſ. punc. 15.*
n. 15. contra Bonacinam *cit. diſp. 14. punc. 2. n.*
27. Cui Affinis eſt Excommunicatio Decima 19.
Quarta, quatenus fertur in illos, qui litterarum
Apoſtolicarum executionem non ex privatâ
duntaxat præſumptione, ſed publicâ Autho-
ritate impediunt, prout cum alijs advertunt Sua-
rez *diſp. 21. ſect. 2. n. 75.* Bonacina *cit. diſp. 1. q.*
15. punc. 1. n. 4. & 19.
Infertur 12. Decimam Quartam Excom- 20.
municationem potiori ex parte ferri contra il-
los, qui cauſas à Sede Apoſtolicâ, ejuſque Au-
ditoribus, Commiſſarijs, ejuſque Judicibus Ec-
cleſiaſticis avocant, vel citando, vel inhibendo
partes, ne ibi ulteriùs litigent, & cohibendo Iu-
dices, ne procedant, vel aliàs impediendo cau-
ſarum ejuſmodi curſum. An verò ſub iſtâ Ex-
communicatione veniat avocatio & impeditio
cauſarum coram Apoſtolico duntaxat, vel quo-
libet alio Eccleſiaſtico Judice pendentium? non
convenit inter Doctores: Filiucio *tract. 16. cap.*
10. q. 1. n. 250. affirmante ſufficere, quòd à quo-
vis Judice Eccleſiaſtico ſit cauſa avocata: econ-
tra Caſtropalao *præſ. punc. 16. n. 8.* exiſtimante 21.
neceſſarium, avocari cauſam pendentem co-
ram Judice Apoſtolico, ſiquidem particula *Alijs*
uſurpata in illâ Excommunicatione ſaltem ob
Materiam ſubſtratam repetat præcedentem
qualitatem, non autem fuerit in præcedentibus
ſermo niſi de judicibus Eccleſiaſticis.
Etſi verò Filiucius *cit. cap. 10. n. 253.* cum 22.
alijs

alijs putet, Excommunicationem præfatam contrahi, dum etiam ab Episcopo, vel Archiepiscopo fit avocatio, seu impeditio causarum coram Sede Apostolicâ pendentium. Alij tamen specificatim Navarrus *cap. 27. n. 70.* Suarez *disp. 21. sect. 2. n. 76.* verisimilius docent, oportere, actionem ejusmodi fieri Laicâ potestate, eò quòd Pontifex videatur in isto, ac sequentibus Canonibus statuisse in Defensionem Ecclesiasticæ libertatis, voluisseque hâc Defensione primùm exordiri à Causis ad Judices Apostolicos devolutis.

23. Infertur 13. Decimam quintam Excommunicationem incurri 1. ab ijs, qui Personas Ecclesiasticas Authoritate Laicali ad sæculare Tribunal trahunt, vel trahi procurant etiam *indirectè*, in ordine ad hunc finem vexando eorum Consanguineos, vel intimos Amicos, ut exponunt Suarez *cit. sect. 2. n. 76.* & Castropalaus *punc. 16.* cum alijs *ibi* relatis. 2. Ab illis, qui condunt, & publicant statuta libertati Ecclesiasticæ præjudicantia, ijsque utuntur. Sub quâ tamen Censurâ non comprehendi Consiliarios ad statutà

24. ejusmodi concurrentes, neq; Præcones voce publicantes, contra Filiucium *tract. 16. cap. 10. q. 7. n. 267.* tradit Suarez *cit. n. 79.* eò quòd Excommunicatio prætacta contineat eum duntaxat, qui Authoritative, non merè Ministerialiter, vel Executivè ordinat & publicat statuta libertati Ecclesiasticæ adversantia. 3. Denique contrahi ab ijs, qui talibus statutis utuntur, usu non privato duntaxat, sed per publicam Personam præ-

25. stito, uti contra Sayrum *lib. 3. cap. 19. n. 10.* censet Castropalaus *ut. punc. 16. n. 8.* eò quòd sub eâdem clausulâ contineatur statutorum ejusmodi factio, & usus, atque adeò videatur illa Censura & quoad usum, & quoad factionem illorum afficere easdem Personas.

26. Infertur 14. Excommunicationem Decimamsextam pro Defensione Jurisdictionis Ordinariæ latam esse contra illos, qui Prælatos Ecclesiasticos ab usu suæ Jurisdictionis etiam *indirectè*, hunc in finem Consanguineos vexando, vel Consilium, Auxilium, Favorem ad hoc præstando, impediunt. In quo tamen casu oportere, impedimentum authoritate publicâ, non merè privatâ præstitum esse contra nonnullos à Castropalao *punc. 17. n. 4.* citatos, tradunt Suarez *cit. sect. 2. n. 75.* Navarrus *cap. 27. n. 69. & 70.* & alij. Eò quod ista Censura sit annexa præcedenti, in quâ sermo duntaxat erat de ijs, qui prætextu Jurisdictionis Laicæ Personas Ecclesiasticas tra-

27. hunt ad Tribunal sæculare. 2. Adversùs eos, qui pro revocatione sententiarum, seu Decretorum à Jurisdictione Ordinariâ emanatorum recurrunt ad Tribunal sæculare, vel præstant Consilium, Auxilium & Favorem. In quo tamen casu non sufficere recursum, sed necessariam esse impetrationem mandati, ejusque executionem; contra Reginaldum *lib. 9. praxis fori pœnit. cap. 24. n. 296.* tradit cum alijs Castropalaus *punc. 17. n. 10.* cùm ex solo ad sæcularem Magistratum recursu nondum turbetur Ordinarij Jurisdictio, ex cujus tamen perturbationis respectu lata fuit illa Censura.

28. Infertur 15. Decimam septimam Excommunicationem comprehendere illos, qui Jurisdictiones, seu Fructus, redditus, & Proventus ad Sedem Apostolicam & quascumque Ecclesiasticas Personas ratione Ecclesiarum, Monasteriorum & Beneficiorum Ecclesiasticorum, pertinentes usurpant, vel sine expressâ Romani Pontificis, aliorumvè ad id legitimam facultatem habentium licentiâ sequestrant. Circa quod tamen venit notandum 1. non procedere pro- 29.

babiliter de bonis, quæ Pontifici, alterivè Ecclesiasticæ Personæ, tanquam Domino Temporali competunt, uti contra Bonacinam *disp. 1. de Cens. Bullæ. q. 18. punc. 2. n. 33.* tradit Castropalaus *pun. 18. n. 13.* Eò quod textus Bullæ in hoc Canone loquatur de usurpatoribus, & sequestratoribus bonorum Ecclesiasticis Personis ex titulo Ecclesiæ, Monasterij, vel Beneficij obvenientium.

2. Licentiam sequestrandi Proventus Personarum Ecclesiasticarum dari posse etiam Episcopo, 30.

ejusque Vicario, ac Nuntio Apostolico, si causa tamen rationabilis interveniat, *arg. cap. 1. de sequestrat. possess. & fruct. & cap. 1. Ut lite pendente.* Causas verò rationabiles sequestrationis esse præcipuas, si vacet Beneficium. *ex Cap. Cùm Vos. de offic. Ord.* Item si probabilis sit timor de dilapidandis fructibus, quos postea non sit facile recuperare. *ex cap. 2. & fin. De sequestrat. possess. & fruct.* Item ad coërcendam alicujus contumaciam. *cap. 2. de Dolo & Cont.* Denique quoties visum est Judici, subesse justam sequestrandi causam. ex Bartolo. *ex leg. Imperatores. §. fin. n. 3. ff. de Appellat.* Gonzalez *reg. 8. Cancell. §. 7. Proœm. n. 27.* & Castropalao *citato n. 6.* ubi plura videri possunt.

Infertur 16. Decimam octavam Excommunicationem ferri adversùs illos, qui per se, vel 31.

per alios *directè*, vel *indirectè*, prætextu tamen laicæ potestatis (uti Filiucius *tract. 16. cap. 14. q. 3. n. 300.* observat) Personis Ecclesiasticis imponunt, exigunt, vel recipiunt Decimas, Collectas, vel alia onera. Etsi verò Bonacina *cit. disp.* 32.

1. q. 19. punc. 1 n. 12. putet, dari in hoc passu Materiæ parvitatem, ratione cujus excusari quis possit ab incursione Excommunicationis. Oppositum tamen ex sententiâ Alterij *lib. 5. disp. 19. cap. 3. circa finem.* & Castropalai *punc. 19. n. 13.* verius videtur, cùm gravitas illius Exactionis non ex quantitate Tributi, sed ex injuriâ libertati Ecclesiasticæ illatâ, ejusque contemptu ponderari debeat.

Infertur 17. Excommunicationem Decimam nonam afficere Judices Sæculares, qui in 33.

causis capitalibus, seu Criminalibus Clericorum, hos banniendo, capiendo (extra casus tamen à Jure permissos) vel aliàs procesando se intromittunt. Sunt autem casus à Jure permissi, ad Clericum potestate laicâ capiendum. 1. Si fiat de mandato Superioris Ecclesiastici. 2. Si post delictum commissum Clericus in flagranti præsertim deprehensus, capiatur ad effectum præsentandi Prælato Ecclesiastico. 3. Si Prælatus Ecclesiasticus consuli non possit, Clericum, mox tamen præsentandum Judici Ecclesiastico, capere licet pro solutione debiti etiam Civilis, dum suspectus est de fugâ. 4. Si delictum in tertiam Personam committendum aliàs impediri non potuit, uti cum Doctoribus à se relatis fusius tradit Castropalaus *tract. 12. de Relig. disp. un. punc. 6.* nosque suo loco expendemus.

Infertur 18. Excommunicationem Bullæ Cœnæ Vigesimam ferri adversùs illos, qui vel 34.

bona, aut terras Ecclesiæ Romanæ occupant, vel

vel jurisdictionem ejus supremam usurpant, vel ad hæc auxilium, consilium, vel favorem quomodolibet præstant. Etsi verò Castropalaus *punc. 21. n 8.* arbitretur, hâc Censurâ innodari etiam eos, qui Legatos, Commissarios, &
35. Gubernatores à Sede Apostolicâ pro Jurisdictione tamen spirituali, non autem Temporali exercendâ constitutos perturbant, vel impediunt in Jurisdictionis exercitio, eò quòd illâ Jurisdictione perturbatâ, consequenter turbetur Jurisdictio ipsius summi Pontificis, seu Apostolicæ Sedis, utpote cujus nomine illa exerceatur. Nihilominùs oppositum verius videtur Bonaci-
36. næ *cit. disp. 1. q. 21. punc. 1. n. 20.* Eò quòd illorum Jurisdictionem, utpote non supremam oporteat esse distinctam ab Ecclesiæ Romanæ Jurisdictione. Unde ejusmodi Commissariorum Jurisdictio ad supremam Sedis Apostolicæ Jurisdictionem se habet solummodo ut effectus, qui ad Censuræ illius incursionem non sufficit, si Apostolicæ Sedis Jurisdictio Temporalis non in se, sed in aliquo quasi effectu perturbatur.

Infertur 19. Excommunicationem ipso jure latam in eos, qui absque legitimâ facultate absolvunt à Censuris Bullæ Cœnæ, hodie non esse reservatam saltem extra Italiam. Ex Navarro *cap 27. n. 74.* Suare *disp. 20. de Cens. sect. 3. n. 6.* & alijs, quos refert ac sequitur Castropalaus *cit. disp. 3. punc. 22. n. 5.* An verò facultas absolvendi à Bullis Cœnæ occultis vi Concilij Tridentini Episcopis concessa, sit per eandem Bullam revocata, controvertitur inter Doctores. Quam equidem Controversiam decidemus in materiâ *de Pœnitentiâ*, interim unicum hoc admonendo, in mortis quidem articulo posse istas Censuras à quovis Sacerdote absolvi, oportere tamen, ante Absolutionem præstari cautionem de stando Ecclesiæ mandatis, & satisfaciendo parti offensæ, uti fusiùs diximus *præc. art.*

COROLLARIUM. II.

De reliquis Summo Pontifici reservatis Excommunicationibus.

1. INfertur. 1. Præcipuam ex his Excommunicationibus esse illam, quæ ob violentam manuum in Clericum injectionē contrahitur vi Canonis *Si quis suadente. 17. q. 4.* Sic autem habet iste Canon. *Si quis suadente Diabolo manus violentas in Clericum, vel Monachum injecerit, anathematis vinculo subjaceat, & nullus Episcoporum illum præsumat absolvere, nisi mortis urgente periculo, donec Apostolico conspectui præsentetur.*

2. Circa quem Canonem difficultas est. 1. *An Privilegium hujus Canonis pari passu incedat cum Privilegio Fori?* In quo affirmant Suarez *de Censuris. disp. 22. sect. 1. n. 11.* Coninch *disp. 14. de Censuris. dub. 15. n. 164.* adeò ut, sicut ad Privilegium Fori, seu Exemptionem à Iurisdictione Laicali, sic ad Privilegium illius Canonis exigant, quòd Clericus Primâ Tonsurâ, vel Minoribus Ordinibus initiatus, communiter gestare debeat Tonsuram, & habitum Clericalem, nec non alicui Ecclesiæ ex licentiâ Episcopi addictus esse, vel in aliquâ Academiâ publicâ litteris vacare. Verùm ex opposito sentiunt Navarrus *lib. 5. Cons. 24. De Privileg.* Avila *2. p. de cens. cap. 1. disp. 2. dub. 9. concl. 3.* & Castropalaus *præs. pun. 23. §. 1. n 8.* 3.
cum alijs à se relatis. Ratio est. Cùm enim Concil. Trident. *sess. 23. de Reform. cap. 6.* solùm disposuerit de Privilegio Fori, videtur consequenter Privilegium Canonis relictum in statu Juris Communis, vi cujus ab utroque tam Canonis, quàm fori Privilegio excluduntur, tum Clerici conjugati habitum & Tonsuram non deferentes, neque alicujus Ecclesiæ servitio ex deputatione Episcopi addicti, *Ex cap. Unico. De Clericis Conjugatis. in 6.* Tum in minoribus constituti Bigami, Bigamiâ verâ & interpretativâ, non autem fictâ, & similitudinariâ. *Ex cap. Unico. de Bigamis. in 6.* Tum illi, qui habitu Clericali deserto, gravibus facinoribus se immiscent. *Ex cap. Perpendimus. Cap. Cum non ab homine. De sent. Excom.* Tum Joculatores, Goliardæ, aut Busones per Annum huic ignominioso officio vacantes. *Ex cap. Un. De vitâ & honestate Clericorum.* Tum illi, qui ter ab Episcopo moniti habitum Clericalem depositum non reassumunt, vel ab officio vili non desistunt, vel sæcularibus negotijs se immiscent. *Ex cap. In audientiâ. cap. Contingit. de sent. Excom. & Clement. 1. de vitâ & honestate Clericorum.*

Difficultas 2. est, *Quænam sint causa excusantes ab illius Excommunicationis incursione?* In quo 4.
triplex generatim afferri potest excusationis causa. Prima est ratio excusans à peccato mortali Sacrilegij, quod fit tum ex parvitate materiæ, cujusmodi Sotus *in 4. dist. 22. q. 1. a. 2. §. cùm verò.* existimat, plerumque intervenire, si pueri Clerici rixantes se invicem percutiant pugno etiā in templo, ita ut sanguis è naribus eliciatur. Nihilominùs quia talis percussio potest aliquando gravis esse. *Arg. cap. ult. De sent. Excom.* Idcirco eius gravitatem ex circumstantijs colligendam esse, advertunt Coninch *disp. 14. dub. 15. n. 19.* & Castropalaus *cit. punc. 23. §. 3. n. 2.* Tum ex defectu pleni voluntarij, dum ex subitâ passione citra perfectam malitiei advertentiam, vel causâ joci, seu ludi Clericus etiam graviùs percutiatur, uti *Arg. Cap. 1. de sent Excom.* tradit præter alios Suarez *cit. disp. 22 sect. 1. n. 50.* Ex quo capite etiam excusatur ignorans, esse Clericum, quem percutit, esto intenderit, si fortè obvium haberet, Clericum percutere, cùm, si hujus statum probabiliter ignorarit, illa intentio non possit *moraliter* influere in externam percussionem. ex Suare *cit. n. 54.* 5.

Secunda ratio Excommunicationem prædictam excusans est causa defensionis, dum ex necessitate defendendi tum propriam, tum alienam salutem, honorem, famam, seu bona fortunæ, quis percussit Clericum Aggressorem. *Ex cap. Si verò. cap. Ex Tenore. De sent. Excom.* & *cap. Dilecto. eodem tit. in 6.* Hinc mulieri licet percutere Clericum, tentantem suam pudicitiam, dum aliâ viâ averti non potest. Pari ratione Excommunicationi non fore obnoxium, qui Clericum expellit è domo injustè occupatâ, vel è Sede iniquè usurpatâ, cum alijs tradit Castropalaus *cit. punc. 23. §. 3. n. 7.* ubi plura videre licet. 6.

Tertia ratio illius præallegati Canonis Excommunicationem excusans est causa Correctionis. Etenim Prælato Ecclesiastico & Magistro 7.

gistro licere Clericum in Sacris etiam constitutum vinculis alligare, & castigatione moderatâ punire, prout ratio culpæ & qualitas personæ postulat, & consuetudo approbat. *Ex cap. 1. cap. Ex tenore. cap. Cum voluntate. De sent. Excom.* tradit Suarez *citatus n. 48.* Navarrus *cap. 27. n. 81.* & Castropalaus *ubi supra n. 6.* In cujusmodi tamen correctione, quatenus cõsuetudo legitima non est in contrarium, attendi debet Canon *Universitatis. de sent. Excom.* vi cujus inhibetur, ne Prælati illam punitionem faciant per alium, nisi urgente necessitate, & tunc quidem per Clericum, non autem per Laicum. Insuper posse in Minoribus

8\. Ordinibus constitutos, si Officium Divinum perturbent, leviter puniri, constat *ex cap. Cum voluntate. ult. de sent. Excom.* ubi hæc ad Filium Clericum moderate puniendum facultas conceditur etiam Patri, imò & consanguineis Clericum ejusmodi sibi subjectum tenentibus. Etsi verò Sanctus Antoninus *3. par. lib. 24. cap. 1. §. 2. casu 2.* Suarez *citatus n. 40.* & alij illam Patris potestatem extendant ad Filios in Sacris etiam constitutos, hæc tamen extensio videtur reijcienda, eò quòd præallegatus Canon *Cum voluntate* non nisi respectu Clerici in Minoribus Ordinibus constituti faciat exceptionem Canoni *Si quis suadente.* contrariam, uti cum Glossâ *in cit. cap. Cum voluntate. verb. Inferiorum graduum*, Felino, Hostiensi, & Abbate *ibi.* tradunt Sotus *lib. 5. de Just. q. 1. a. 2.* & Castropalaus *citatus n. 8.*

9\. Quarta ratio Excommunicationem prætactam excusans est ex difficultate temperandi dolorem, cohibendique vindictæ impetum, in eo, qui videt suam uxorem, matrem, aut filium à Clerico turpiter pollui, non duntaxat per actum fornicationis, sed oscula, aliosque turpes actus, uti præter alios notant Sylvester *verb. Excommunicatio 6. in 5. casu 10.* & Suarez *citatus n. 37.* tunc enim licèt in percussione talis Clerici peccetur mortaliter, Jus tamen Canonicum in detestationem criminis, & ob difficultatem temperandi dolorem, cohibendique vindictam, non vult percussionem in illo casu affici Excommunicationis censurâ. *Ex cap. Si verò. junctâ Glossâ, de sententiâ Excom.*

10\. Difficultas 3. est. *Quibus sit Potestas absolvendi ab Excommunicatione præfatâ?* In quo apprimè distinguendum est, inter percussionem atrocem, seu enormem, ac levem. Et quidem si atrox seu gravis percussio fuerit (dum scilicet fit cum gravi læsione corporis, vel abundanti sanguinis effusione, vel Clericus fustibus impetitur, pedibus conculcatur, ictibus premitur, in caliginoso loco violenter diu detinetur, vel in dignitate constitutus percutitur, vel denique percussio gravem ignominiam præfefert, uti pluribus exponit Castropalaus *citatus §. 4. n. 8.*) tunc regulariter absolvi potest à solo Pontifice, vel ejus Legato à Latere. Juxta *Can. ad Eminentiam. de*

11\. *sent. Excom.* Verùm si percussio fuerit levis, posse Episcopum suos subditos in utroque foro absolvere, Abbas & alij Doctores colligunt *Ex cap. Pervenit. de sent. Excom.* Quinimò posse impuberes ob enormem etiam Clerici percussionem post pubertatem, sicut & mulieres absolvi ab Episcopo, eruitur *ex cap. 1. cap. Quamvis. Cap. Mulieres. cap. Nostitur. & cap. fin. de sent. Excom.* Cæterum quid hâc in parte possint Religiosi maximè Prælati tum de Jure communi, tum ex Privilegijs; expendemus in Materiâ *de Pœnitentiâ.*

Infertur 2. Excommunicationem Papæ reservatam præter allegatos casus contrahere sequentes. Nam 1. ejusmodi censuræ obnoxius est is, qui renuit parere sententiæ Definitivæ Delegati Papæ, & in tali contumaciâ perseverat per Annum. *Ex cap. Querenti. De officio Delegati.* 2. Litteras Apostolicas falsas penes se existentens intra 20. dies non destruens, aut resignans. *Ex cap. Dura. De Crimine Falsi.* 3. Qui vexant ferentes Censuram Excommunicationis, Suspensionis, aut Interdicti. *ex cap. Quicumque. De sent. Excom. in 6.* 4. Religiosi in casibus per Privilegia Apostolica non concessis ministrantes Sacramentum Extremæ Unctionis, seu Eucharistiæ absque licentiâ Parochi. *in Clem. Religiosi. De Privileg.* 5. Domini Temporales procurantes in terris suis violari Interdictum. *Clem. Gravis. De sent. Excom.* 6. Truculenter exenterantes corpus Defuncti. *Extravag. De Sent. Excom.* 7. Asserentes, Beatissimam Virginem peccato Originali maculatam fuisse, seu opinionem hanc, rationes in ejus favorem indissolutas asserendo, defendentes, exceptis tamen Patribus Dominicanis, quibus inter se, non autem inter alios de hac sententiâ conferre licet. Ex Bullâ Gregorij XV. *Eximia. de Die* 28. *An* 1622. 8. Dantes, vel accipientes aliquid ob ingressum Religionis. Extravag. *Sanè 1. de Simoniâ.* 9. Simoniaci Reales. *Extravag. Cùm detestabile. 3. de Simoniâ.* 10. Tentantes absque Sedis Apostolicæ concessione absolvere à casibus Summo Pontifici reservatis, & commutare Vota Papæ reservata. *Extravag. Etsi Dominici Gregis. 2. de Pœnit. & Remiss.* 11. Dantes, vel recipientes aliquid pro obtinendâ gratiâ, vel Justitiâ apud Sedem Apostolicam. *Extravag. Excommunicamus. 1. de Sent. Excom.* 12. Præsumentes explicare Sacram Scripturam contra proprium sensum ab Ecclesiâ intentum, *ex Concil. Lateranensi. sess. 11. in Bullâ Leonis X. Supremâ Majestatis.* 13. Impedientes Executionem litterarum Sacræ Pœnitentiariæ. *ex Bullâ S. Julij III. Rationi congruit.* 14. Publicantes Indulgentias receptâ pecuniâ. *ex Bullâ Pij V. 95. Quàm plenum.* 15. Exigentes, seu recipientes aliquid occasione novæ provisionis in Cathedralibus, seu Collegiatis Ecclesijs. *ex Bullâ Pij V. 149. Licèt omnibus.* 16. Duellantes, seu concedentes locum Duello. *Ex Concil. Trident. sess. 25. cap. 19. de Reform.* 17. Violantes Immunitatem locis Sacris debitam. *ex Bullâ Gregorij XIV. Cùm alias nonnulli.* 18. Extrahentes Reliquias ex Cœmeterijs Romanæ Urbis. *Ex speciali Decreto Romæ edito An. 1613.*] 12.

COROLLARIUM III.

De Excommunicationibus summo Pontifici non reservatis.

Infertur. Ejusmodi Excommunicationem vi Sacrorum Canonum seu constitutionum Apostolicarum contrahere Fideles in sequentibus potissimùm casibus. 1. Usurpantes oblationes intra Ecclesiam factas. *ex cap. Hanc consuetudinem. 10. q. 1.* 2. Religiosos, imò & Sacerdotes sæculares duorum mensium spatio in publicâ saltem Scholâ audientes Jus Civile, aut Medicinam. *ex* 1.

cap. Non magnopere. & cap. Super Specula. Ne Clerici vel Monachi. 3. Gravantes Electores Ecclesiasticos, eo quòd noluerint eligere, pro quo erant rogati. *ex cap. Sicut cuncti. de Elect. in 6.* 4. Vocatos ad Monialium Electiones, si in his aliquid egerint, ex quo posset oriri discordia. *ex cap. Indemnitatibus. §. postremo. De Elect. in 6.* 5. Conservatores potestatis sibi traditæ limitem excedentes. *cap. Hâc Constitutione. de Officio Delegati. in 6.* 6. Extorquentes revocationem alicujus Censuræ. *Cap. Absolutionis. De iis, quæ vi metusve causâ fiunt. in 6.* 7. Judices seu Dominos Temporales præcipientes subditis suis, ne aliquid Personis Ecclesiasticis vendant, aut emant ab eisdem. *cap. ult. De Immunit. Ecclesiar. in 6.* 8. Religiosos habitum suæ Religionis temerè dimittentes, vel ad studia sine debitâ licentiâ accedentes. *cap. Ne periculosa. 2. Ne Clerici vel Monachi in 6.* 9. Scienter præsumentes sepelire Hæreticos, eorumque defensores post Concilium Constantiense nominatim denuntiatos. *cap. Quicumque. de Hæret. in 6.* 10. Dominos temporales cognoscentes ac judicium ferentes de crimine hæresis. *cap. Inquisitioni. de hæret. in 6.* 11. Clericos usurariis alienigenis locantes domus. *cap. Usurarum. De Usuris. in 6.* 12. Concedentes repræsalias contra personas Ecclesiasticas. *cap. un. de injuriis, in 6.* 13. Sepelientes mortuos tempore Interdicti, vel Excommunicatos, sive Usurarios. *ex Clement. 1. de Sepult.* 14. Monachos adeuntes Curias Principum animo nocendi suis Monasteriis, aut Prælatis. Item tenentes arma intra septa Monasterii. *Clement. Ne in agro. de statu Monach.* 15. Contrahentes Matrimonium intra Gradus prohibitos. *Clement. de Consang. & Affinit.* 16. Officiales Communitatum usuris faventes. *Clem. Ex gravi. un. de Usuris.* 17. Impedientes Legatos Sedis Apostolicæ, ne in Regna, vel Provincias, ad quæ missi sunt, ingrediantur, vel officium ibi liberè exerceant. *Extravag. Super Gentes. un. de Consuetud.* 18. Prælatos alienantes bona Ecclesiæ sine debitâ solennitate. *Extravag. Ambitiosæ. de rebus Ecclesiæ non alienand.* 19. Imprimentes seu retinentes libros sine nomine Authoris, aut debitâ Approbatione. *ex Concil. Trident. sess. 4. in Decr. de Reform.* 20. Raptores fœminarum, eisque favorem præstantes. *ex Trident. sess. 24. de Reform. cap. 6.* 21. Cogentes ad contrahendum Matrimonium. *ex cit. sess. 24. cap. 9. de Reform.* 22. Ingredientes Monasteria Monialium sine licentiâ Prælati. *ex eodem Concil. sess. 25. de Regular. cap. 5.* 23. Cogentes Fœminas ad religiosam vitam, vel earum Professionem impedientes. *ex cit. sess. 25. cap. 18.* 24. Concurrentes ad Duellum. *ex cit. Concil. sess. 25. de Reform. cap. 19.* 25. Doctores permittentes aliquê gradu Doctoratûs insigniri, non præmissâ Fidei Professione. *ex Bullâ Pii IV. In Sacrosanctâ.* 26. Nuntios Apostolicos impetrantes à Principibus litteras pro dignitatibus à Romano Pontifice obtinendis. *ex Bul. à Pii IV. Etsi Romanum Pontificem.* 27. Glossatores Concilii Tridentini. *ex Bullâ Pii IV. Benedictus Deus.* 27. Incantatores, Divinatores, & Judiciarios *ex Bullâ Sixti V. Cœli & Terræ Creator.* 29. Causantes abortum fœtûs animati. *ex Bulla Sixti V. Effrænatam.*

ARTICULUS V.

DE

Lege pœnali inferente Censuram Suspensionis.

SUspensio definiri solet censura Ecclesiá- 1.
stica, quâ minister Ecclesiæ *formaliter* ut
talis cohibetur à functionibus Ecclesiasticis,
& alicujus potestatis exercitio. Differt ab
Excommunicatione non ex eo duntaxat titulo,
quòd ista plures pariat effectus, nec uti suspensio ad personas duntaxat Ecclesiasticas, sed etiam Laicas se extendat, sed quòd functionis Ecclesiasticæ, & potestatis spiritualis exercitio, sub aliâ privet formalitate; quatenus scilicet sunt quædam cum fidelibus communica-
tiones. Insuper discrepat ab *Interdicto*, quia istud 2.
privat administratione sacramentorum, non quà usu potestatis Ecclesiasticæ, sed quà hujus cooperatione personis etiam laicis communicabili. Et hinc quoad effectus suspensione latiùs extenditur, cum passivam quoque sacramentorum receptionem, nec non Ecclesiasticam se-
pulturam, officiaque Divina interdicat. Di- 3.
stinguitur denique a *Depositione*, & *Degradatione*, cùm istæ non subeant rationem Censuræ ad instar pœnarum medicinalium, sed sint pœnæ in vindictam eatenus impositæ, ut, oblatâ etiam emendatione, non tollantur per absolutionem, sed solâ dispensatione extingui valeant, velut infra exponitur.
Est porrò triplex suspensionis divisio. Nam 1. 4.
alia est *ab Officio*, alia *à Beneficio*, alia denique *ab utroque*. 2. Suspensio *ab Officio* quandoque est absoluta, privans omnis spiritualis Jurisdictionis, Ecclesiasticæque administrationis, seu officii usu ac exercitio. Quandoque verò suspensio *ab officio* est duntaxat partialis, privans aliquâ duntaxat ordinis, vel Jurisdictionis functione, uti patet *ex Cap. Sane. 2. de offic. Deleg. & Cap. 2. eod.*
tit. in 6. & Glossâ *ibidem*. Similiter suspensio à 5.
Beneficio est aliquando absoluta, privans omnis beneficii administratione, ejusque fructuum perceptione. Aliquando autem suspensio *à beneficio* est partialis tantùm, privans certi duntaxat beneficii, vel partis illius fructibus, & administratione. Quòd si verò suspensio aliqua omnimodè
beneficii & officii Ecclesiastici fructibus, & exerci-
tio privet, vocari solet Totalis. 3. Denique 6.
Suspensio tam partialis, quàm totalis fertur subinde pro determinato duntaxat tempore. Ut sic autem non habet rationem Censuræ, sed pœnæ in sceleris vindictam impositæ, ita ut absque ullâ prævià absolutione cesset elapso termino, pro quo inflicta fuit. Quæ proinde suspensio non habet rationem censuræ, sed pœnæ duntaxat, cujus naturam *infra coroll. 1.* declarabimus: acturi priùs de suspensione, quæ per modum pœnæ medicinalis lata nullum habet præfixum certum durationis suæ tempus, sed ad reprimendam contumaciam *indefinite*, & *absolutè* inflicta respicit correctionem suspensi, ita ut hac subsecutâ, tolli debeat per absolutionem. De quâ proinde suspensionis censurâ primam hîc

hîc instituêmus controversiam quæsituri; *Quinam sint ejus effectus?* Exinde subjunctis nonnullis corollarijs, succedet secunda controversia *de Pœnâ Depositionis, & Degradationis.*

CONTROVERSIA I.

Quinam sint Effectus Suspensionis?

7. Expedit ad hoc expediendum apprimè attendere, an suspensio sit totalis, an partialis duntaxat, eaque vel ab officio, vel a Beneficio duntaxat? Et quia illa hujus utriusque effectus importat, difficultas erit, 1. *Quinam sint effectus suspensionis ab officio?* 2. *Quos habeat effectus suspensio a beneficio?* Quibus decisis, facilè patebunt effectus totalis suspensionis.

Conclusio I.

Suspensio ab Officio *absolutè* ac *simpliciter* absque aliquâ limitatione lata, privat exercitio omnimodi Officij tam Ordinis, quàm Jurisdictionis spiritualis. Ex communi sententiâ, speciatim Divi Thomæ *in supplem. 3. part. q. 22. a. 3.* Innocentij, & Abbatis *in Cap. Cùm Dilectus. de Consuetud.*

8. Probatur ex Can. *1. de sent. Excom. in 6.* ubi pœna Irregularitatis indicitur illi, qui, cùm *absolutè* suspensus fuit, Divina officia sicut priùs exequitur. At sub nomine Divinorum hic veniunt, quæ propria sunt Clericorum, atque adeò ut sic important exercitium solemne actûs Ordini alicui proprij. Patet igitur, ejusmodi suspensionem privare exercitio actuum Ordinis. Deinde nomen Officij *absolutè* ac *indefinitè* positum vel maximè importat Jurisdictionem, seu potestatem aliquam officio annexam. Consequens igitur est, suspensionem ab officio privare etiam usu Jurisdictionis, seu potestatis officio Ecclesiastico annexæ. Et hinc suspensus ab officio neque potest administrare sacramenta, neque celebrare, neque eligere, cùm hæc omnia spectent ad officium Clericale: non tamen prohibetur recipere sacramenta, assistere Divinis officijs, ingredi Ecclesiam, canere in choro more laicorum, ac uti temporali, quam fortè habet, Jurisdictione, cùm suspensio, licèt sub hisce verbis: *Suspensus sit ab officijs Divinis, & Jurisdictione,* lata fuerit, intelligi debeat de Jurisdictione duntaxat Ecclesiasticâ & de officijs Divinis, prout à Clericis quà talibus exercetur, uti cum Abbate *Cap. fin. de Cleric. excom. minist.* tradunt Navarrus *lib. 5. consil. 64. de sent. Excom.* Suarez *disp. 26. de Cens. sect. 3. n. 9.* & alij.

9. Etsi porrò Hurtadus *tract. de suspens. diff. 4. n. 8.* existimet, collationem Beneficij suspenso factam non validam duntaxat, sed licitam esse, eò quòd *in Cap. Vel non est compos. 14. de temporibus ordinat.* statuatur, ut ordinatus in Diaconum ante legitimam ætatem, in injuriam ordinantis debeat quidem usque ad ætatem legitimam ab executione officij Diaconi manere suspensus, debeat tamen provideri de competente Beneficio Ecclesiastico. Nihilominùs opposita sententia communiter à Doctoribus, speciatim ab Avilâ *3. p. de Cens. disp. 2. dub. 1. concl. 5.* Coninch *disp. 15. dub. 2. concl. 3.* Castropalao *disp. 4. de Cens. punc. 5. §. 1. n. 2.* tradita probatur ex eo, quòd Beneficium detur propter officium. *Cap. fin. de Rescriptis. in 6.* Unde impedito officium exercere, meritò denegatur Beneficium. *arg. Can. fin. de Cleric. excom. minist.* Consequens proindeest, illicitè conferri Beneficium suspenso ab officio. Et hinc Castropalaus *citatus* adversùs prææallegatum Canonem *Vel non est compos,* catenus procedere ait, quatenus ordinatus ante legitimam ætatem non tam sit propriè suspensus, quàm prohibitus, ne ante legitimam ætatem exerceat Ordinem taliter susceptum: vel certè, si quæ sit suspensio, non sit *absolutè*, sed pro determinato tempore lata, nec adeò impediat collationem illius Beneficij, cujus officium illo intermedio tempore non erat exercendum.

Verùm, an collatio Beneficij suspenso facta non tantùm illicita sit, sed etiam invalida, non convenit inter Doctores, Abbate *in cit. Cap. Vel non est compos. n. 4.* Suare *cit. disp. 26. sect. 3. n. 8.* & alijs existimantibus, non esse quidem *ipso facto, & jure* irritam, sed venire irritandam. Econtra Glossa *in Cap. Cùm bona memoriæ. verb. Suspensio. de ætate, & qualitate ordin.* Garcia *de Benef. 7. p. cap. 14. n. 1.* allegatis quibusdam Rotæ decisionibus, arbitrantur, fore ipso facto nullam & irritam, eò quòd *in cit. Cap. Cùm bona memoriæ* statuatur, ut is, qui durante suspensionis obtinuerat Beneficium, non possit illud retinere; præcipiaturque adeò, ut spolietur Beneficio taliter obtento. 10.

An porrò suspensus ab officio sit etiam suspensus à Beneficio? controvertitur inter Doctores, affirmantibus Glossâ *in Cap. Latores. verb. ab Officio. de Cleric. Excom. minist.* & Navarro *l. 1. cons. 44. de tempor. ordin.* quòd, cùm Beneficium sit officio accessorium, *ex cap. fin. de Rescript.* consequenter prohibito officio tanquàm principali, debeat etiam accessorium seu Beneficium prohibitum esse, *ex Cap. Accessorium. de reg. Juris in 6.* 11.

Econtra Suarez *cit. sect. 3. n. 4.* Avila *cit. disp. 2. dub. 1. concl. 6.* Castropalaus *cit. §. 1. n. 5.* cum communi sententiâ negant. Ratio est. Nam suspensionem diversimodè in ordine ad diversos effectus ferri posse, constat ex sacris Canonibus, speciatim *ex Cap. Quisquis. de Elect. & Cap. Quia sæpe. eod. tit. in 6. Cap. Quanto. de offic. Ordinarij. Cap. Tam litteris. de Testibus & attestat. Cap. de Fidejussoribus. Cap. Inter. de Purgat. Canon.* Hinc autem fit, effectus suspensionis non esse extendendos ultra proprietatem verborum, quibus indicitur suspensio, eò vel maximè, quòd in pœnis benignior interpretatio sit facienda. Quòd si proinde suspensio sit solùm ab officio, non debet parere effectus suspensioni à Beneficio proprios, sed taliter suspensus adhuc capax est percipiendi illos saltem fructus, qui Beneficij titulo sunt annexi. Quinimò suspensum ab officio, etsi illicitè exerceat tale officium, posse etiam fructus seu distributiones ejusdem officij exercitiô correspondentes validè lucrari, contra Rebuffum *prax. benefic. de simon. in resignat. n. 15.* Covarruviam *in 4.* 12.

am *in 4. Decret. 2. par. cap. 6. §. 1. n. 7. in fine.* tradit Avila *cit. concl. 6.* & Castropalaus *n. 7.* cum alijs à se relatis: qui author *n. 9.* contra Felinum *in Cap. Apostolica. de Exceptionibus.* addit, probabilius sibi videri, quòd suspensus ab officio retineat adhuc jus suffragij in Capitulo, cùm istud non sit per se annexum Ordini, utpote etiam laico, & Monialibus competens. ex Glossâ *in Clement. Ut ij. de ætat. & qualit. ordinand.*

14. Quòd si verò suspendatur quis ab Ordine, non censetur statim suspensus à Jurisdictione; cùm ista sint disparata. ex Divo Thomâ *in cit. q. 22. a. 3.* Suare *cit. disp. 26. sect. 4. n. 5.* & alijs. Sicuti econtra suspensus à Jurisdictione non reputatur suspendi ab usu Ordinum. Et hinc suspensus ab Ordine, licèt non possit conferre sacramentum pœnitentiæ, potest tamen dare facultatem eligendi Confessarium: potest insuper eligere, cùm iste actus non sit Ordinis, sed Jurisdictionis, ex Glossâ *in Cap. Presbyterum. verb. Habere. dist. 28.* Similiter suspensus à Jurisdictione, licèt non possit ferre censuras, absolvere ab his, vel à peccatis, facere beneficiorum collationem, potest tamen celebrare, aliaque Ordinis propria facere, *ex Cap. Transmissum. & ibi* Glossâ *verb. Talibus. de Elect.* Avila *cit. disp. 2. dub. 2. concl. 12.*

15. Si porrò quis suspendatur ab altari, solùm est suspensus à celebratione, potestque alia sacerdotalis officij munia exercere. *ex Cap. Significavit. de corpore vitiatis. & ibi* Abbas. Si verò suspendatur ab officio sacerdotis, consequenter ac per indirectum est suspensus ab ordine Diaconatûs, & Subdiaconatûs exercendo in Missâ: sicuti etiam suspensus à Pontificalibus ita prohibetur *per se* ac *directè* pontificalia exercere v. g. Ordines conferre, chrisma conficere, formare altaria, consecrare Ecclesias, benedicere virgines, ut *indirectè* cohibeatur etiam ab usu sacerdotalis Ordinis, quatenus iste necessarius est ad illorum exercitia. ex Glossâ in Extravag. *Suscepti regiminis. verb. à Pontificalibus.* & Castropalao *cit. §. 1. n. 13.* cum alijs *ibi* relatis. Denique suspensum ab Ordinibus Minoribus ex consequenti suspendi ab exercitio Majorum quoque Ordinum, præter alios tenet Navarrus *cap. 27. n. 163.* eò quòd dedeceat, majora concedi ei, cui res minoris momenti est prohibita. *ex Cap. Cui licet. de reg. Juris. in 6.* Nihilominùs cùm suspensio ab inferiori Ordine arguat minus delictum, quàm suspensio ab Ordine superiore, Idcirco istam non inferri ex suspensione inferioris Ordinis, rectè probant Suarez *cit. sect. 4. n. 11.* Hurtadus *cit. diff. 4. n. 9.* & Castropalaus *n. 15.* contra Abbatem *in Cap. Vel non est compos. n. 4. de temp. ordinat.* consequenter ex sacris Canonibus subinferentes, Episcopum suspensum à collatione inferioris Ordinis non esse suspensum à collatione superioris, vel econtra, quando unum sine altero exerceri potest.

CONCLUSIO II.

Suspensio à beneficio non privat titulo, sed fructibus beneficij. ex Abbate *in Cap. Cùm dilectus. n. 20.* Sayro *lib. 4. Thesauri. cap. 6. n. 2.* Castropalao *præs. punc. 3. §. 2. n. 1.*

16. Probatur ex *Cap. Cupientes. de Elect. in 6. §. Cæterùm.* ubi statuitur; ut, si eligentes electionem intra octo dies, postquàm commodè poterunt, electos præsentare culpabiliter distulerint, ab omnibus beneficijs suis in illâ Ecclesiâ obtentis per triennium sint ipso Jure suspensi. At istam suspensionem operari privationem ejusmodi beneficiorum tantùm quoad fructus, non verò quoad titulum, evincitur ex eodem Canone, mox enim subjungitur, ut, si intra illud tempus propriâ temeritate, vel alio quæsito colore se ingesserint, illis ipso jure sint perpetuò privati. Cæterùm nomine fructuum, quibus privat suspensio à beneficio 1. veniunt non tantùm redditus beneficij, sed hujus quoque administratio, debetque adeò tunc constitui œconomus, veluti ex sacris Canonibus tradunt Suarez *disp. 27. sect. 1. n. 31.* & Castropalaus *cit. punc. 3. §. 2. n. 4.* addens cum Geminiano *in dict. Cap. Cupientes. §. Cæterùm. n. 7.* talem suspensum ne quidem permutare, seu resignare posse beneficium, cùm hæc quoq; sint usus, seu fructus beneficij. 2. 17.

Sub fructibus beneficij cōprehendunt aliqui etiam collationem seu electionē, titulo beneficij competentem: oppositum tamen docetur à Glossâ *in cit. Cap. Cupientes. verb. Beneficijs.* Abbate *in Cap. Cùm Wintoniensis. verb. admiserunt. n. 20. de Elect.* Suare *citato. n. 34.* Hurtado *cit. diff. 4. n. 9* Castropalao *ubi supra. n. 6.* videturque concludi *ex Cap. Cum in cunctis. §. ult. de Elect.* ubi privatio potestatis eligendi inducitur tanquàm diversa à suspensione beneficij. 3. Nomine fructuum, quibus privat suspensio beneficij, Glossa *in Clement. 2. verb. suspensus. de vitâ & honestate Clericorum.* Felinus *in Cap. Apostolica. n. 27. de Except.* & alij putant, venire etiam distributiones quotidianas. Hoc tamen Castropolaus *n. 4.* cum Covarruviâ *lib. variar. cap. 13. n. 8.* Hurtado *cit. diff. 4. n. 10.* limitat ad illas duntaxat distributiones, quæ ex fructibus beneficij extrahuntur: cùm reliquæ distributiones non tam intuitu beneficij, quàm in stipendium officij concedi soleant. 4. Suspensus à beneficio de fructibus beneficij ne congruam quidem sustentationem accipere potest, si suspensio lata sit in contumaciâ, potest enim hac depositâ, pro suo placito liberari à censurâ; uti cum Abbate *in Cap. Pastoralis. §. Verum. n. 26. de Appellat.* tradit Sayrus *cit. cap. 6. n. 13.* Secus est, si non in contumaciam, sed in pœnam delicti commissi fuerit eatenus lata suspensio, ut eam tollere, pro hac vice non sit in potestate suspensi; tunc enim, ne Clericus mendicare cogatur, posse ex fructibus beneficij sumere portionem congruæ sustentationis, cum Glossâ *in cit. Cap. Cùm Wintoniensis. verb. admiserunt.* & Abbate *ibi. n. 10.* probant Suarez *disp. 27. sect. 2. n. 3.* Castropalaus *citatus n. 6.* Hoc saltem 5. incumbit suspenso à beneficio, ut quantumcumque hujus fructibus debeat esse privatus, non tamen liberetur ab obligationibus beneficio annexis, ne aliquod commodum ex suspensione consequatur, ut cum Glossâ *in Cap. Cùm universalis. verb. admiserunt. de Electione.* & Abbate *ibi n. 10.* tradunt Suarez *cit. disp. 26. sect. 1. n. 3.* Hurtadus *cit. diff. 4. n. 9.* Castropalaus *cit. §. 2. n. 6.* Denique privatio fructuum beneficij, quam inducit suspensio, extenditur ad fructus illorum quoque beneficiorum, quæ durante suspensione quis obtinuit: uti non obscurè insinuat Suarez *cit. disp. 27. sect. 1. n. 28.* cùm statim ab instanti incursæ 18. 19. 20. 21. 22.

incursæ suspensionis contrahatur privatio fructuum Beneficij, in actu quidem ab ijs, qui Beneficij jam obtinent possessionem, in habitu verò ab ijs, qui Beneficium aliquod ex post facto sunt consecuturi. Quod tamen ita accipiendum est, ut, dum ex verbis suspensionis constare potest, hanc esse solummodò latam super Beneficijs obtentis, non debeat extendi ad futura: cùm in pœnis non tam facienda sit extensio, quàm restrictio. Pari ex ratione, licèt suspensio à Beneficio absolutè lata comprehendat omnia Beneficia possessa, ex circumstantijs tamen intelligi potest subinde aliqua limitatio, vi cujus accipi debeat de Beneficijs unius duntaxat Ecclesiæ, v. g. illius, adversùs quam erat delictum, uti *ex Cap. si Compromissarius. Cap. Capientes. verb. Cæterùm. de Elect. in 6. Cap. 2. & Cap. Nihilominùs. de reb. Eccles. non alienandis.* colligit Castropalaus *cit.* §. 2. *n.* 2. Nihilominùs 7. suspensio nō eatenus inducit inhabilitatem ad nova Beneficia consequenda, ut ipsorum collatio sit ipso jure nulla, uti contra aliquos à Coninch *prae. disp. 15. dub. 2. n. 14.* relatos tenent Suarez *cit. sect.* 1. *n.* 26. & Castropalaus *cit.* §. 2. *n.* 3. cum alijs asserentes, collationem Beneficij sub tali suspensionis statu factam, non ipso facto irritam esse, sed ope Judicis venire irritandam, eò quòd nullus sit textus, ex quo irritatio ipso Jure colligatur.

COROLLARIUM I.

De Suspensione non absolutè, sed limitate latâ.

1. INfertur. Posse suspensionem ferri *Limitatè* quoad certum ac definitum tempus, quo durare debeat. Quamvis autem Cajetanus *in sum. verb. Suspensio.* Navarrus *cap. 27. sum. n. 151. 159. & 165.* Avila 3. *p. disp.* 3. *dub.* 3. *concl.* 1. existiment, suspensionem posse æquè, ac minorem Excommunicationem infligi ob culpam etiam venialem: Hoc tamen admittendum non est, nisi de suspensione limitatâ, quæ fertur ad modicum duntaxat tempus, cum minori quoad effectus inde orituros præjudicio, alioquin enim cùm suspensio sæpe inducat irreparabile damnum, imò aliquam etiam infamiam, nec ad instar minoris Excommunicationis auferri possit à quolibet approbato sacerdote, omnino dicendum est, suspensionem, prout communiter infligitur, ferri non posse, nisi ob culpam lethalem. veluti tradunt Sotus *in* 4. *dist.* 22. *q.* 3. *a.* 1. Suarez *disp.* 28. *de cens. sect.* 4. *n.* 6. Hurtadus *de cens. diff.* 7. *n.* 19. Castropalaus *cit. disp.* 4. *punc.* 3. *n.* 4. cum alijs ab ipso relatis.

Est insuper speciale suspensioni pro determinato tempore latæ, quòd durante isto tempore auferri non possit, nisi ab eò qui eam tulit, vel ejus superiore, utpote solo habente facultatem immutandi sententiam ab inferiore Judice latam. Verum elapso temporis definiti tempore non indiget absolutione, sed cessat statim tempore finito. ex Glossâ *in Capit. Sacro. de sent. Excom.* Innocentio, & Abbate *in cap. Cum bona. de ætat. & qualit. ordinand.* Sayro *lib.* 4. *thes. cap.* 8. *n.* 2. 23. Suarez *disp.* 26. *sect.* 1. *n.* 14. Castropalao *cit. disp.* 4. *punc.* 7. §. 3. *n.* 2. Quòd si verò quis suspensionem ab Ordine sacro, etiam limitatam pro determinato duntaxat tempore latam violet, actum Ordinis ejusmodi solemniter exercendò, incurrit Irregularitatem, uti pro certo tradit Suarez *cit. disp.* 26. *sect.* 2. *n.* 4. contra Emanuelem Sa. *verb. Irregularitas ex Ordinis abusu n.* 7. cum alijs existimantem, illam irregularitatem non contrahi ex violatione suspensionis ab Ordine sacro. pro determinato duntaxat tempore impositæ, sed absolutè latæ pro contumaciâ suspensi coercendâ. Quæ tamen Emanuelis Sa doctrina facilè redarguitur ex textu *Cap.* 1. *de sent. & re judic. in 6. & cap. 1. de sent. Excom. eod. lib.* Quia verò ista pœna Irregularitatis non cujuscunque, sed suspensionis ab Ordine sacro duntaxat est annexa, ideò si suspensus actum Jurisdictionis sibi interdictæ exerceat, aut suspensionem à Beneficio violet, arbitrariâ Judicis pœnâ venit puniendus, uti præter alios advertit Suarez *citatus.* Verùm ab ejusmodi pœnis liberatur suspensus non denominatus, dum tamen 3. non suâ sponte, sed ad petitionem Fidelium se ingerit actibus per suspensionem alioquin interdictis, eò quòd post Extravag. Ad evitanda scandala ipsismet etiam suspensis non denuntiatis licitum sit exercere officium tam Ordinis, quam Iurisdictionis, dum a Fidelibus sunt requisiti.

COROLLARIUM II.

De Absolutione, vel Dispensatione Suspensionis.

INfertur, in ordine ad istam absolutionem oportere apprimè distinguere inter suspensionem 1. tum à Jure, tum ab homine, quæ absolutè lata est, & suspensionem, quæ pro determinato tempore fuit imposita. Nam 1. suspensionem 2. ab homine specialiter latam absolvere non potest nisi is, qui eam tulit, ejusque successor, ita ut secundùm Glossam *in Cap. Cùm ab Ecclesiarum. verb. non relaxet. de officio Ordinar.* superior validè quidem, non tamen licitè possit suspensionem ab inferiore Judice latam relaxare, nisi in duplici casu. Quorum alter habetur *in Cap. Cùm medicinalis. de sent. Excom. in 6.* quòd scilicet relaxari possit à superiore suspensio ab inferiore Judice lata sine debitâ solemnitate: Alter verò casus habetur *in Cap. Ad reprimendum. de offic. Ordin. Et in Cap. Venerabilibus. §. Porrò. & §. fin. eod. tit. in 6.* quòd nimirum in casu Appellationis possit superior relaxare suspensionem à Iudice inferiore inflictam, utpote factâ tunc causæ ad suum tribunal devolutione. 2. Dantur etiam aliqui speciales casus, in quibus 3. Episcopi non possunt absolvere à suspensione à se specialiter latâ. Sic enim si Clerici etiam regulares suis officijs sint privati, eò quòd Hæreticis, denuntiatis tamen, ministraverint Sacramenta, vel ab eis receperint oblationes sive eleemosynas, vel admiserint ipsis Ecclesiasticam sepulturam, non possunt restitui nisi à summo Pontifice. *ex cap. Excommunicamus. §. Credentes. de Hæreticis.* Sic quando aliquis conferens Beneficia indignis semel ac iterum, à Concilio Provinciali à Beneficiorum collatione suspensus fuit, non potest à Concilio Provinciali, sed à summo duntaxat Pontifice, vel Patriarchâ restitui. *ex Cap. Grave nimis. 27. de Præbendis.* 3. Suspensio lata à Jure non absolutè, sed pro determinato 4. tempore, potest ante elapsum hunc terminum

 à nullo

à nullo alio relaxari, nisi à summo Pontifice. *ex Glossâ communiter receptâ in Cap. Cupientes. §. Cæterùm verb. suspensos. de Elect. in 6.* Quòd si 4. suspensio in Jure lata sit absoluta, non verò ad tempus determinatum restricta, nec sit à Pontifice reservata,
5. posse ab Episcopo absolvi, evincitur *ex Canone Nuper. de sent. Excom.* ubi habetur, quòd, dum conditor Canonis absolutionem sibi non reservat, tacitè concedat eam inferiori. Etsi verò Abbas *in Cap. Tam litteris. n. 3.* & Felinus *ibi. de test. & attestat.* Navarrus *in. Cap. 27. n. 162.* Hurtadus *de suspens. diff. 12. n. 32.* & alij hoc limitent ad censuram suspensionis, ob contumaciam alicujus comprimendam, non verò in puram delicti pœnam impositæ: Alijs tamen Doctoribus, specialiter Suarezio *disp. 29. sect. 1. n. 19.* Avilæ *3. p. disp. 6. dub. 1. concl. 4.* & Castropalao *præs. punc. 9. n. 6.* una cum Glossâ *in Clement. 1. §. Verùm. verb. Excom. de Hæreticis. & Cap. Cupientes. §. Cæterum.*
6. *verb. suspensos. de Elect. in 6.* videtur opposita sententia verisimilior, cùm Pontifex aliquando ferat suspensionem sub expressâ conditione perpetuitatis. At ista expressio debet aliquid operari. Neque verò alia videtur intervenire differentia inter suspensioné absolutè latam, & eá, quæ sub conditione expressæ perpetuitatis lata fuit, nisi quòd ista, non verò illa sit Pontifici reservata.
7. 5. Ex constitutione Concilij Tridentini *sess. 24. de reform. cap. 6.* hodie potestas facta est Episcopis per se, vel suos Vicarios à quâlibet suspensione à Jure, vel ab Homine generaliter latâ absolvendi, seu dispensandi, dummodo ex delicto occulto proveniat, neque ad forum contentiosum fuerit deducta. Notat etiam Castropa-
8. laus *cit. punc. 9. n. 1.* Confessarijs per suos superiores deputatis vi Privilegiorum Apostolicorum, à quibuscumque sententijs & pœnis ex delicto provenientibus absolvendi facultatem ipsis concedentium, & ex consequenti Religiosis eorundem privilegia participantibus esse potestatem relaxandi suspensiones à Jure latas, Pontifici licet reservatas. Etsi verò 6. *in Cap. Nuper. de sent. Excom.* sacerdoti proprio concedatur potestas absolvendi ab Excommunicatione non reservatâ, quòd nimirum hujus absolutio sit necessariò præmittenda peccatorum absolutioni; quia verò ista ratio non militat pro suspensione. Idcirco nulli Sacerdoti, in foro externo Jurisdictionem non habenti, de Jure communi est facultas relaxandi censuram suspensionis, uti præter alios tradunt Avila *cit. disp. 6. dub. 1. concl. 2.* Hurtadus *de suspens. diff. 12. n. 32.* Castropalaus *cit. punc. 9. n. 8.*

COROLLARIUM III.

De Præcipuis Suspensionibus à Jure latis.

1. INfertur 1. Suspensiones ob iniquam Ordinum susceptionem incurri in sequentibus casibus. Nam 1. Ab executione Ordinis suscepti suspenditur recipiens Ordinem ab Episcopo, qui renunciavit Episcopali Dignitati, vel Majori Excommunicatione, suspensione, vel Interdicto innodatus, post Extravag. tamen, *ad evitanda*, denuntiatus est. *ex Can. 1. de Ordinatis ab Episcopo qui renuntiavit.* 2. Suspenditur, qui dum Majori Excommunicatione ob Clerici percussionem est ligatus, Ordinem recipit. *Cap. Cùm illorum. De sent. Excom.* 3. Suscipiens Ordinem ab Episcopo sine Licentiâ Ordinarij, suspenditur ab exercitio suscepti Ordinis. *ex Concil. Trident. sess. 23. cap. 8. de Reform.* 4. Item Ordinatus ab Episcopo exercente Pontificalia in alienâ Diœcesi, absque licentiâ Ordinarij Loci. *ex cit. Concil. sess. 6 de Reform. cap. 5.* 5. Ordinatus sine dispensatione ante legitimam ætatem, vel extra Tempora per Ecclesiam designata. *ex Extrav. Py II. Cùm Sacrorum.* 6. Promotus ad Ordines per saltum *Can. un. de Clerico per saltum promoto.* 7. Ordinatus carens Titulo Patrimonij, vel Beneficij ad Ordines Sacros requisiti, pacto inito cum Oratore seu Præsentatore, de non petendis alimentis. *Cap. Per tuas & cap. penult. de Simoniâ.*

Infertur 2. Ob pravum Ordinis Usum sequentes præcipuè incurri Suspensiones. Etenim Suspensionem ejusmodi incurrit 1. Sacerdos assistens Matrimonio sine licentiâ Parochi Sponsorum. *ex Concil. Trident. sess. 24. de Reform. cap. 1.* 2. Benedicens secundas Nuptias, incurrit Suspensionem ferendæ, non latæ sententiæ. *ex cap. Sacellanum De secundis Nuptijs.* 2.

Infertur 3. Ob violationem Obligationum Clericis incumbentium sequentes esse præsertim latas suspensiones. Nam. 1. Suspenduntur eligentes contra Formam Canonis. *Cum in Cunctis. §. Clerici. de Electione.* 2. Eligentes per abusum Secularis Potestatis afficiuntur Suspensione non latæ, sed ferendæ sententiæ. *ex cap. Quisquis. de Electione. junctâ Glossâ ibi.* 3. Gravantes debitis alienis Ecclesias curæ suæ commissas. *Cap. si quorumdam 2. de solutionibus.* 4. Malitiosi opponentes contra Personam Electi *Cap. Statuimus §. Adjicientes de Elect. in 6. & cap. Si Compromissarius eod. tit.* 5. Judices Ecclesiastici facientes aliquid in gravamen Partis contra Justitiam & Conscientiam. *ex cap. Cùm æterni. de sent. & re judic. in 6.* 6. Clerici Episcopo inferiores, occasione Visitationis recipientes pecuniam, seu munus etiam sponte oblatum, præter sui suorumque Victum moderatum, nisi intra mensem Ecclesiæ gravatæ duplum restituerint. *ex cap. Exigit. de Censib. in 6.* 7. Clerici Beneficiati absque rationabili causâ utentes veste Sæculari. *Clem. Quoniam. de vitâ & honest. Cleric.* 3.

Infertur 4. Suspensiones adversùs Episcopos à Jure latas esse sequentes. 1. Suspenditur Episcopus conferens Ordinem Simoniacè. *Extravag. 1. & 2. de Simoniâ.* 2. A collatione primæ Tonsuræ suspenditur per annum, si conferat primam tonsuram Infanti, illitterato, & Conjugato. *Cap. Nullus Episcopus. de Tempore Ordinat.* 3. Suspenditur conferens Ordinem non subdito absque litteris dimissorijs, vel in alienâ Diœcesi absque licentiâ Ordinarij Loci. *ex Concil. Trident. sess. 14. de Reform. cap. 2. & sess. 6. de ref. cap. 5.* 4. Conferens Ordinem Bigamo, & publico Pœnitenti prohibetur à Celebratione Missæ per annum. *Cap. Nullus pœnitens. dist. 55.* 5. Conferens Sacros Ordines sub promissione ab Ordinato acceptâ, quòd nihil ab ipso exiget in defectum Patrimonij aut Beneficij, suspenditur per Triennium à collatione Ordinum. *Cap. Si quis ordinaverit. De simoniâ.* 6. Conferens duos sacros Ordines eodem die, suspenditur per triennium à collatione utriusque Ordinis. *ex cap. Litteras. de Temporib. Ordinat.* 4.

Infer-

5. Inferitur 5. Suspensiones contra Religiosos specialiter à Jure latas præcipuè esse sequentes: 1. Recipientes aliquem Simoniacè in Religionem, suspenduntur ab Officio Capitulariter. *Extravag. 1. & 2. De Simoniâ.* 2. Apostatæ in Apostasiâ suscipientes Sacrum Ordinem, etiam reversi ad Religionem, manent suspensi quousque à Romano Pontifice dispensationem obtinuerint. *Cap. consultationi De Apostatis.* 3. Religiosi Prælati, imò & Sæculares ab Officio suspenduntur, si jura aut possessiones suorum Monasteriorum sive Ecclesiarum ad longum tempus alicui concedunt. *ex cap. Hoc consuluisti. de rebus Eccles. non alienandis in 6. & Clement. 1. eod. tit.* 4. Religiosi assistentes venationi, vel aucupationi Clamorosæ, si fuerint Abbates, à Collatione Beneficiorum per Biennium suspenduntur; si inferiores ab administratione Temporaliũ, si quàm habent, removentur, si verò illâ careant, inhabiles per biennium ad quamlibet administrationem redduntur. *ex Clement. 1. §. si quis autem. De statu Monachorum.* 5. Religiosi præsumentes introducere Mulieres in Claustra virorum suspenduntur à Divinis, & privantur Beneficijs, & ad ejusmodi redduntur inhabiles. *ex Bullâ Pij V. quæ incipit. Regularium.*



CONTROVERSIA II.

De Depositione & Degradatione.

1. DEpositio alia est Simplex, quæ est Pœna Ecclesiastica privans Clericum Officio & Beneficio in perpetuum, ac ex jure Ordinario Irremissibiliter. Unde differt à suspensione: Tum quòd hujus utpote Censuræ, atque adeò pœnæ Medicinalis Relaxatio de Jure Ordinario impetrari possit post pœnitentiam & satisfactionem competentem: Tum quòd suspensio, fructibus duntaxat Beneficij, Depositio autem Beneficio in radice privet, uti notat Suarez, 2. *disp. 30. sect. 1. n. 4.* Nihilominùs potest dari Depositio, quæ sit tantùm ab officio, In quo casu non ipso jure Depositus spoliaretur Beneficio, quamvis, cum Beneficium sit propter Officium, tunc veniret spoliandus, uti ex Abbate *in Cap. Veritatis n. 3. De Dolo & Contum.* observat Castropalaus *cit. disp. 4 punc. 11. n. 1.* Etsi verò Sayrus *lib. 4. thesauri cap. 22. in fine* & Avila *4. p. disp. un. dub. 1. concl. 3.* putent: Deposito subministranda esse alimenta, etiam post Beneficij spoliationem, ne cum opprobrio Clericatûs mendicare cogatur;
3. Oppositum tamen tradunt Covarruvias *3. varia. cap. 13. n. 8.* & Castropalaus *citatus.* Eò quod depositus sibi debeat eam, quam patitur, necessitatẽ, vel in opprobrium Cleri cedat, dum Depositus in Pœnam suæ Incorrigibilitatis punitur alimentorum privatione.

4. Alia verò Depositio est Solemnis, differens à Simplici, quòd ista non denudet Clericum Privilegio Fori & Canonis, id est, Immunitate Fori sæcularis, & violentæ Manuum injectionis; illa verò, Degradatio dici solita, Clericum de Gradu & statu Clericali deijciens, fit quædam Authentica & solemnis Privatio Officij, Beneficij, & cujusvis Ecclesiastici Priuilegij, adeo ut Degradatus in Potestatem Sæcularem transeat, à quâ ad instar Laici capi, incarcerari, & pœnâ etiam capitali plecti possit. ex Glossâ *cap. 2. Verb. Privilegio Clericali. de pœnis in 6.* Abbate *cap. Cùm non ab Homine. n. 5. De Judicijs.*

Hæc porrò solemnis Depositio, seu Degradatio dividitur in Verbalem & Actualem. Illa est Authentica Degradationis Sententia. Hæc 5. verò est hujus executio. Juxta quam proinde Depositionis diversitatem, sequentes hic discutiemus Difficultates. 1. *Ob quæ Crimina inferri possit Depositio simplex?* 2. *Ob quæ scelera infligi possit Depositio solemnis seu Degradatio?* 3. *Cui & sub quâ Formâ sit potestas ferendi Degradationem Verbalem?* 4. *A quo & Quomodo fieri debeat Degradatio Actualis?* 5. *Quis possit Depositum & Degradatum restituere in Gradum pristinum?*

CONCLUSIO I.

CRimina, ob quæ Depositio in perpetuum inferri potest, de Jure antiquo erant Furtum, Homicidium, Perjurium Adulterium, stuprum, & alia præsertim majora Crimina. *Ex cap. At si Clerici. & cap. Cùm non ab Homine. De Judicijs.*

Probatur ex expresso textu citati Canonis *Cùm non ab Homine* ubi sic statuitur: *Consultationi tuæ respondemus, quòd, si Clericus in quocumque Ordine constitutus, in Furto, vel Homicidio, vel Perjurio seu alio Crimine fuerit deprehensus legitimè, atque convictus, ab Ecclesiastico Judice deponendus est.* Verùm hodiè 6. ob ista præcisè scelera non infligi Depositionis 7. pœnam, nisi ex circumstantijs scandalosa & atrocia fuerint, veluti esset Homicidium voluntarium, Furtum Ecclesiæ in magnâ quantitate, Adulterium, & Stuprum, quibus de Jure Civili pœna Mortis est annexa, ex Abbate *in cap. At si Clericis n. 33. ac seq. de Jud.* tradit cum alijs Castropalaus *cit. punc. 11. n. 4.*

A Fortiori, Depositionis perpetuæ Pœnâ puniendus est Clericus notorius Concubinarius, 8. si post Monitiones, & Privationem Fructuum ac Proventuum, in hoc scelere perseveret. *ex cap. Si autem Clerici. De cohabit. Cleric.* & *Concil. Trident. sess. 22. in Decret. De observand. & evitand. in celebr. Missarum.* Item *sess. 25. de Reform. cap. 14.*

CONCLUSIO II.

DEpositio Solemnis seu Degradatio Clerici in Sacris Ordinibus constituti ferri potest ob sequentia Crimina.

Primum est Hæresis, accedente vel Contumaciâ, vel Relapsu. *ex cap. Cùm ad abolendum. Cap. Excommunicamus. de Heret. & cap. 1. eod. tit. in 6.* 9. 2. Falsificatio litterarum Apostolicarum, nisi Pontifex pœnam Mortis commutet in perpetuum carcerem. *ex cap. Ad Falsariorum. De crimine falsi. juncto cap. Novimus §. pro illo. De verb. signif.* 3. Sodomia aliquoties commissa. *ex Const. 7. Pij V. contra Sodomitas.* 4. Calumnia seu Conspiratio in proprium Episcopum, accedente tamen incorrigibilitate. *ex cap. Si quis Sacerdotum 11. q. 1. junctâ Glossâ ibi, verbo Mox. & in cap. Novimus verb. traditur. De verb. signif.* An verò 5. Ob alia

crimina possit Clericus, præsertim Sacerdos degradari & Curię Sæculari tradi, non convenit inter Doctores, negantibus Julio Claro *lib. 5 q. 36. n. 31.* Sayro *lib. 5. Thes. cap. 22. n. 20.* Barbosâ *3. p. de Potest. Episcopi. alleg. 110. n. 13.* & alijs, posse Sacerdotem præsertim ac Religiosum, nisi in casibus à Jure expressis, tradi Curiæ Sæculari, nisi accedat Incorrigibilitas. Ejusmodi verò Incorrigibilitatem Barbosa *citatus n. 18.* observat, duobus modis fieri posse, à parte nimirum rei & ex præsumptione Juris. Et quidē Primo modo sive à parte rei dici incorrigibilem, qui reverà ita obduratus in peccato perseverat, ut nullo modo velit ad correctionem perduci: Secundo autem modo ex præsumptione Juris, in ordine ad effectum ut à Potestate Sæculari judicetur & comprimatur, dici Clericum incorrigibilem, quando in gravi crimine deprehensus, depositus fuit, & deinde propter contumaciam excommunicatus, ac insuper, crescente contumaciâ, Anathematis mucrone percussus, tandemque impœnitens ac obduratus, in profundum malorum veniens, contemnat: Tunc enim, cùm Ecclesia ulteriùs non habeat, quid faciat, absque eo, quòd exuatur Privilegio Clericali, aut alia subsequatur expressa Curiæ Sæculari traditio, posse per Potestatem sæcularem comprimi.

11. Verùm extra Casus à Jure statutos, pro quolibet enormi crimine, & notabiliter scandaloso (cujusmodi sit v. g. Homicidium qualificatum Prælati, Sacerdotis, Fratris, Patris assassinium, deprædatio Bonorum communium, & quævis alia scelera de Jure Civili pœnæ mortis obnoxia, pluries repetita ac enormitatem singularem continentia) Clericū etiam in Sacris constitutum degradari actualiter & Curiæ Sæculari tradi posse, docent Abbas *in cap. Cùm non ab homine. & cap. At si Clerici. n. 39. de Jud. cijs.* Ancharan. *ibi n. 10.* Roman. *cons. 26. a n. 1.* Sylvester *verb. Degradatio. q. 2.* Molina *tract. 3. disp. 9. n. 19.* Castropalaus *cit. disp. 5. punc. 11. n. 13.* & alij relati à Barbosâ *cit. n. 13.* cujus meminit, allegatâ etiam praxi & consuetudine.

Conclusio III.

Sententiam Degradationis, sive Verbalem Degradationem ferre possunt sequentes.

12. 1. Adversùs Episcopum, cognitione Causæ per Metropolitanum, convocatis omnibus Provincialibus, vel duodecim saltem Episcopis, priùs habitâ, solus Summus Pontifex ferre potest sententiam Degradationis. *ex cap. Accusatus. Cap. Quamvis. 3. q. 6.* juncto Abbate *in cap. Grave nimis. n. 4. De præbend. & cap. Non potest. n. 5. de sent. &*
13. *re judicatâ.* 2. Contra Religiosos Exemptos non nisi à Pontifice posse ferri Degradationis sententiam, nisi fortè ex consuetudine, vel Privilegio talis potestas competat ipsorum Prælato Regulari, tradit Navarrus *lib. 5. cons. 88. n. 3. de Regularib.* testaturque Castropalaus *cit. punc. 11. n. 7.* extare penes Societatem Jesu Privilegium, quod ad ta-
14. lem casum extendi possit. 3. Respectu reliquorum Clericorum, Episcopo etiam non consecrato, imò ex hujus delegatione simplici etiam Sacerdoti, imò Sede vacante etiam Capituli Vicario ad hoc specialiter deputando competit potestas ferendi Degradationis sententiam, utpote quæ non sit actus Ordinis, sed Jurisdictionis. ex Suare *disp. 30. sect. 1. n. 18.* Avilâ *4. p. disp. un. dub. 2. concl. 4.* & Castropalao *ubi supra.* contra Abbatem *in cap. At si Clerici. § de Adult. verb. sed circa hoc. De Judicijs.* Immolam *in cap. Transmissam. de electione.* & alios existimantes sententiā Degradationis soli E-
piscopo consecrato convenire. 4. Quòd si Cle- 15.
rici in Minoribus constituti Degradatio Verbalis sit facienda, sufficit Episcopus proprius, præsentibus tamen aliquibus de Clero Capitulum repræsentantibus, nisi fortè consuetudo aliud tulerit. *ex cap. 2. de præbend. in 6.* juncto *cap. penult. 15. q. 7 & cap. 1. De excess. Prælat.* Verùm 5. In 16.
sententiâ Degradationis contra Presbyterum, sex, & contra Diaconum, sive Subdiaconum, tres Episcopi de Jure antiquo requirebantur. *ex cap. Fœlix. & cap. Si quis. 15. q. 7.* traditque Julius Clarus *Pract. Crim. lib. 5. q. 74.* & Coninch *disp. 16. n. 8.* De jure autem novo Concilij Tridentini *sess. 23. de Reform. cap. 4.* sufficit, ut interveniant totidem Abbates Mitræ usum habentes, vel, si isti haberi non possint, Personæ graves in scientiâ commendabiles, ac in Dignitate Ecclesiasticâ constitutæ, quibus pro tali Degradationis sententiâ tunc competere votum, non duntaxat Consultivum, sed Decisivum, cum pluribus à se relatis probat Barbosa *cit. allegat. 110. n. 16* & Suarez *cit. disp. 30. sect. 1. n. 20.* eo quòd succedant in locum Episcoporum, qui ut Judices cum Voto adeò Decisivo antiquitùs assistere debebant. *ex cap. 3. De sent. & re judic.* Requiritur etiam ut omnium istorum sit concors sententia. *ex cap. Non potest. de sent. & re judicatâ* & Abbate *ibi. n. 16.* Hinc tamen excipitur crimen Hæresis, in quo convocatis Abbatibus, alijsque Prælatis, & Religiosis, ac litteratis suæ Diœcesis, de quibus expedire videtur, potest solus Episcopus Clericum in Sacris constitutum, etiam Sacerdotem, degradare. *ex cap. 1. de Hæreticis. in 6.*

Conclusio IV.

Degradatio Actualis fieri potest à solo Episcopo Consecrato. Ex Glossâ *in cap. Transmissā. verb. de talibus.* Abbate *ibi. n. 4. de Elect.* Suare *disp. 30. sect. 1. n. 18.* Castropalao citato *n. 9.* & alijs ab ipso relatis.

Probatur. Quia non est actus Jurisdictio- 17.
nis duntaxat, sed Ordinis, ex institutione Ecclesiæ annexus consecrationi Episcopali. Cæterùm forma hujus Degradationis describitur in Pontificali Romano, statuiturque in *Can. 2. de Pœnis. in 6.* quò Lectorem remittimus, unicum hic observaturi contra Bonacinam *disp. 4. de Censuris. punc. unic. n. 16.* quòd frustra pro isto Degradationis actu exigat assistentiam Episcoporum, vel Abbatum, cùm istius non meminerit præallegatus, vel etiam alius Canon, uti advertunt etiam Suarez *citatus sect. 2. n. 6.* Castropalaus *n. 10.* & alij.

Conclusio V.

Depositus ob Adulterium & hoc minora crimina per Episcopum, Degradatus autem, per solum Papam restitui potest.

18. Prior Pars patet, *ex cap. At si Clerici. de Judicijs.* ubi statuitur in hæc verba : *De Adulterijs verò & alijs Criminibus, quæ sunt minora, potest Episcopus cum Clericis post peractam Pœnitentiam dispensare*, scilicet quoad Depositionem, uti constat ex contextu. Etsi verò ad hanc restitutionem faciendam Abbas, *in cit. cap. At si Clerici. n. 16.* exigat consensum Capituli seu Cleri, eò quòd ibi dicatur, posse Episcopum cum Clericis
19. dispensare : Nihilominùs istud *Tò cum Clericis* accipiunt alij *passivè*, non *activè*, ut adeò Cleri seu Capituli concursum non necessarium esse, putent Glossa *in cap. Cùm ex eo. verb. Episcopus. De Elect. in 6.* Romanus *cons. 325. in fine* Castropalaus *cit. punc. 11. n. 15.* cum alijs a se relatis asserens, consuetudine quoquè receptum, ut Episcopus absque consensu Capituli seu Cleri cùm talibus depositis disponat.
20. Posterior Pars evincitur ex præallegato Canone. Non enim unquam fit Degradatiò, sive Verbalis sive Realis nisi ob crimen Adulterio atrocius. At Episcopo non est quoad pœnam Depositionis relaxandâ potestas, nisi in Depositis ob crimina Adulterio minora. Nequit ergo Episcopus, sed solus Pontifex restituere Degradatum, uti colligitur etiam. *ex cap. Si lapsis. & Cap. Qui semel 50. dist.* Quòd si tamen quis injustè fuisset Degradatus, talem Degradationis injustæ sententiam revocari posse à solo Episcopo, sine interventu eorum, qui ad talem sententiam concurrerunt, cum Speculatore *in tit. de accusat.* & Alterio *tom. 2. disp. 2. cap. 9. sub finem.* tenet tanquam probabile Castropalaus *citatus n. 16.* quamvis opposita sententia non careat aliquo Juris fundamento, videturque colligi *ex cap. Episcopus, Presbyter. 11. q. 3.*

ARTICULUS VI.

DE

Legibus Pœnalibus indicentibus Pœnam Interdicti & Cessationis à Divinis.

1. INterdictum differt ab Excommunicatione ac Suspensione 1. *Subjectivè.* Tum quia Suspensio afficere potest Personas duntaxat Ecclesiasticas ; Interdictum verò est commune Clericis & Laicis. Tum quia Excommunicatio non potest ferri in Communitates, nec *Directè* in locum, sicuti Interdictum. 2. *Effectivè.* Tum quia Excommunicatio privat Communicatione non tantùm in *Divinis*, sed etiam in *Humanis*; Interdictum verò privat duntaxat usu rerum Sacrarum, non omnium quidem, sed in Jure expressarum, ac infra exponendarum. Tum quia Suspensio privat Sacrorum usu, ut proprio Ecclesiasticæ Potestatis. Interdictum verò indifferenter est privans rerum Sacrarum usu. 3. *Formaliter.* Tum quia Excommunicatio privat rebus Sacris sub Formalitate alicujus inter Fideles Communicationis, Suspensio autem sub Formalitate usûs rei Sacræ, per se non attendendo ad mutuam inter Fideles communicationem, vel Ecclesiastici Ministerij functionem. Unde Interdictum non incongruè definiri potest, quòd sit Censura Ecclesiastica prohibens usu rerum Sacrarum, prout simpliciter, id est absque aliquo mutuæ Communicationis, vel Ministerij Ecclesiastici respectu, à fidelibus haberi possunt. Ex Suare *disp. 32. de Cens. n. 4.* & Castropalao *disp. 5. de Cens. punc. 1. n. 2.* Dividi porrò solet Interdictum. 1. In *Locale* & *Personale.* Hoc *immediatè* & *Directè* afficit Personam, cui interdicitur Divinorum participatio. Illud verò *Directè* ac *Immediatè* afficit Locum, in quo propter alicujus culpam celebratio Divinorum eatenus interdicitur, ut talis interdicti seu prohibitionis obligatio consequenter redundet in Personas. 2.
Utrumque ex istis interdictis subdividitur in *Generale* & *Speciale.* Istud in locum determinatum, seu certam Personam fertur. Illud, si *locale* sit, fertur in Parochiam, Castrum, Civitatem, Provinciam, aliumve locum plures sub se Ecclesias continentem. Si verò sit *Personale*, fertur in Communitatem, ceu unum Corpus Politicum. Cujusmodi esse etiam Familiam aliquam, atque adeò Interdictum adversùs ipsam latum esse Generale, non autem Speciale contrà Avilam *5. par. de Cens. disp. 1. dub. 4. concl. 8.* & alios censent Coninch *disp. 17. dub. 1. n. 11.* & Castropalaus *cit. punc. 1. n. 6. in fine.*

Denique Interdictum Personale subdividi etiam solet in *Totale*, eò quòd omnes Interdicti effectus infligat, & *Partiale* privans uno duntaxat rerum Sacrarum usu, v. g. Celebratione Missarum, vel receptione Sacramentorum. 3.
Quibus adeo positis, sequentes hic veniunt discutiendæ Controversiæ. 1. *Quænam bona sub interdicto Locali Generali, quave Personæ sub Interdicto Personali Generali comprehendantur?* 2. *Quænam sint effectus Interdicti?* Quibus tandem, ubi, quæ de Interdicto supersunt, per Corollaria quædam exposuerimus; subnectetur. 3. Controversia *De Cessatione à Divinis.*

CONTROVERSIA I.

Quænam Loca sub Interdicto Locali Generali, quæve Personæ sub Interdicto Personali generali comprehendantur?

NOn est difficultas de Interdicto Speciali, tam Locali, quàm Personali, siquidem planum sit, isto teneri tum locum, tum Personam *specificè* ac *nominaliter* interdictam. 1.
Unum duntaxat de hoc venit observandum, quòd Interdicto Speciali teneantur etiam illi, qui locali interdicto, vel etiam generali personali causam dederunt. *ex cap. Si sententia. De sent. Excom. in 6.* Qui proinde re quidem extra locum interdictum Sacris interesse possunt. Secus verò de illis est, qui locali duntaxat interdicto tenentur, cùm per se isti non afficiantur in suis personis, sed duntaxat in ordine ad locum interdictum, ut adeò extra istum possint liberè participare Divina. Ita ex communi tradunt Sotus *in 4. dist. 22. q. 3. a. 2. concl. 1.* Covarruvias *in cap. Alma Ma-*

ma Mater 2. p. §. 1. n. 7. Suarez *cit. disp. 32. sect. 2. n. 32.* Verùm de Locali Generali Interdicto Difficultas est, *Ad qua loca ejusmodi interdictum se extendat, quave inde excipiantur?* Similiter de Personali Generali Interdicto est Difficultas, *Quænam Personæ vel comprehendantur, vel excipiantur, si Populus, seu Communitas aliqua sit interdicta?*

CONCLUSIO I.

SUb Interdicto Generali Locali veniunt omnia illa Loca, dum, si exciperentur, vis Interdicti foret eneruanda.

3. Probatur *arg. Cap. Si civitas. De sent. Excom. in 6.* Ibi enim statuitur, ut Civitate interdictâ, comprehendantur etiam suburbia & ædificia continentia. At hujus non est alia Ratio, nisi quòd Interdictum alioquin eneruaretur, cùm extra Civitatem facilè quis posset se conferre ad suburbia, ut ibi celebraret Divina. Ex quâ proinde causâ cautum est, ut licèt Suburbia seu loca contigua essent alterius Dominij & Potestatis, interdictum Civitatis ad ea extendi deberet; veluti de Ecclesijs Exemptorum Regularium, & Equitum S. Joannis, statuit Concil. Trident. *sess. 28. de Regularib. cap. 12. & cap. 21.* Unde Infertur 1. In-
4. terdictâ Civitate vel Diœcesi subjici Interdicto Ecclesiam quoque Cathedralem, cùm alioquin tota vis Interdicti enervaretur, uti cum alijs tradunt Suarez *citatus n. 22.* & Sayrus *lib. 5. thes. cap. 3. n. 11.* contra Covarruviam *cit. §. 1. n. 4.* ductum Argumento *Cap. Quamvis. de prabend. in 6.* ubi dicitur, sub nomine Ecclesiarum non comprehendi Cathedralem in odiosis. Verùm quoad hunc Canonem, disponere de particulari duntaxat casu, nec debere adeò extendi ad præsentem casum, rectè probat Castropalaus. *cit. disp. 5.*
5. *punc. 2. §. 1. n. 3.* 2. Infertur sub interdicto locali etiã speciali alicujus Ecclesiæ venire Capellas, & Cœmeterium contiguum, utpote illius quasi partes. *ex cit. cap. Si Civitas de sent. Excom.* Secus fore, de aliâ licet contiguâ, non tamen eius quasi accessoriâ Ecclesiâ; ex communi Sententiâ, nominatim Suarezij *cit. n. 25. & 27.* Avilæ *cit. 5. p.*
6. *disp. 1. dub. 3. concl. 4.* 3. Interdictis omnibus Terris alicujus Domini, non venire Territoria sibi cum alio indivisim communia. *Arg. Cap. fin. t. q. 4.* Sicuti sub tali Interdicto neque veniunt Terræ, in quas ille tantùm habet Usumfructum, vel solum Directum, non autem Plenum Dominium. Minùs extendi poterit tale Interdictum ad Terras de novo post Interdictum jam latum acquisitas, nisi aliud sit expresſè cautum in Interdicto, uti cum alijs à se relatis probat Castropa-
7. laus *cit. §. 1. n. 6.* Verum 4. Sub Interdicto alicujus Territorij veniunt etiam Templa de novo exstruenda, utpote inhærentia Terræ interdictæ: sicuti Ecclesiâ quoque interdictâ, comprehenditur Pars de novo adjecta, utpote *moraliter* eadem cum illâ. Ex Sayro *cit. lib. 5. cap. 3. n. 22.* Bonacina. *de Cens. disp. 5. p. 1. n. 19.* & alijs.

CONCLUSIO II.

8. INterdictum Generale Personale, quantum est de se, comprehendit omnes, qui quovis modo sunt Membra Communitatis interdictæ. *Ex cap. si Sententia. De sent. Excom. in 6.*

Probatur. Quia Personale Interdictum afficit Personas, ita ut quasi ossibus ipsarũ inhæreat, atque adeò interdictâ Communitate afficiat singulos de commodis & oneribus illius Communitatis participantes, Nobiles quoque & Marchiones, imò & absentes, quatenus sunt Partes illius Communitatis. Nec obest, quòd sint innocentes, cùm Censura in ipsos non quidem specialiter, sed generaliter lata sit, non quà innocentes, sed quà partes nocentis Communitatis. Et hinc tali Interdicto subjiciuntur etiam illi, qui durante Censurâ ejusmodi, fiunt Cives seu partes interdictæ Communitatis. ex Glossâ. *in cit. cap. si sententia. verb. non compeṫant.* Abbate *in cap. Quoniam. De Officio Ordinarij in Inn. & cap. Cum in partibus. in princ. De Verb. signif.* Dixi tamen in Conclusione, *quantum est de se.* Nam 1. Ab In- 9.
terdicto Generali Personali excipitur Episcopus, dum ejus non fit mentio expressa. *ex cap. Quia periculosum. De sent. Excom. in 6.* 2. Infantes doli 2.
nondum capaces, & amentes, utpote in quos nulla cadere possit obligatio, ut adeò prohibitio de eis non tradendis Ecclesiasticæ sepulturæ, non tam ipsos, quàm Clericos afficiat. ex Covarruviâ *cit. cap. Alma Mater 2. p. §. 4. n. 5.* Avilâ *cit. 5. par. disp. 1. dub. 4. concl. 5.* 3. Mutantes Domicilium, utpote cessantes esse Cives, seu partes Communitatis Interdictæ, sicuti etiam probabiliter Scholares & Mercatores habitationem, non tamen Domicilium ibi habentes. Sayrus *cit. lib. 5. cap. 4. n. 5. 6. & 13.* Castropalaus *cit. punc. 2. §. 2. n. 5. & 6.* 4. In duobus locis habentes Domicilium, teneri Interdicto Civitatis, cujus sunt 3.
Cives; contra Sylvestrum *verbo Interdictum n. 19.* & alios tenent Angelus *verbo Interdictum 1. n. 4.* Rosella *eod. Verb. n. 8.* Quod tamen cum alijs rectè limitat Suarez. *cit. disp. 32. sect. 2. n. 16.* ut non teneat, nisi tempore habitationis in loco Interdicto, in quo habent Jus Civitatis seu Municipij. 5. Interdicto Populo, non venit Clerus, & 4.
& econtra, uti colligitur *ex dicto cap. si sententia, de sent. Excom. in 6.* Et hinc Clerum posse, interdicto populo, in Ecclesijs adhuc facere Sacra, contra Covarruviam *in Cap. Alma Mater 2. par. §. 1. n. 7.* tenent Navarrus *sum. cap. 27. n. 167.* Hurtadus *tractatu de Interdicto diff. 3.* & alij. Neque 6. Interdicto Clero, venire Religiosos, nisi qui obtinent Beneficium Sæculare, benè tamen, sub generali Personarum Ecclesiasticarum interdicto, contra Covarruviam *cit. n. 8.* Suarez *cit. 2. sect. 2. n. 13.* tradunt Avila *cit. disp. 1. dub. 4. concl. 7.* Coninch *disp. 17. dub. 1. n. 2.* Hurtadus *de Interdicto diff. 4. in fine.* & Castropalaus *cit. §. 2. n. 9.* cum alijs à se relatis.

CONTROVERSIA II.

Quinam sint Effectus Interdicti?

QUatuor numerari solent Effectus Interdicti, Ita tamen, ut non oporteat omnes cuilibet Interdicto annexos esse, sed plures vel pauciores pro libitu illius 1. 5.

illius, qui indicit illam Censuram. 1. Est privatio usûs tam activi, quàm passivi Sacramentorum. *ex cap. Responso. de sent. Excom. & cap. Si Sententia. eod. tit. in 6.* 2. Est privatio Activa Divinorum Officiorum. *ex cap. Permittimus. de Sent. Excom. ex cap. Quod in te. de Pœnit. & Remiss. cap. Cum. & plantare §. Quod si. cap. Ut Privilegia. cap. Episcoporum. & Cap. Episcopus de Privileg. in 6. Clemen. 1. de sepult.* 3. Est privatio activa & passiva Ecclesiasticæ Sepulturæ. 4. Denique est privatio ingressus Ecclesiæ. *ex cap. Sacro De sent. Excom. & cap. Is cui. eod. tit. in 6.* Verum quia isti Effectus non ita strictè accipiendi sunt, quin aliquas Exceptiones admittant, de singulis speciatim disseremus.

Conclusio I.

Dantur plures casus, certi & liquidi, in quibus Tempore Interdicti licet administrare ac recipere aliqua Sacramenta.

2. Explicatur & Probatur. Nam 1. Tempore cujuscumque Interdicti Parvulis ob necessitatem concedi posse Baptismum, statuitur *in cap. Non est vobis. de Sponsal. & in cap. Quod in te. de Pœnit. & Remiss. & in cap. Quoniam. de sent. Excom. in 6.* ubi hæc concessio reperitur extensa ad Adultos. Quam equidem Baptismatis administrationem debere fieri cum solemnitate solita, utpote à Jure præscriptâ, probat præter alios Suarez *disp. 33. de Cens. sect. 1. n. 2.* addens, licere in ordine ad Baptismatis Solennitatem, tunc Fontem benedicere, si fortè non sit benedictus. In ejusmodi porrò casu posse *generaliter*, non verò *Specialiter* Interdictum, nisi necessitas id privatim exigat, Baptismum conferre, putant Suarez *citatus n. 8.* & Ca-
3. stropalaus *præs. punc. 4. n. 5.* 2. Licere tempore etiam Interdicti conferre Sacramentum Confirmationis: Imò & Chrisma conficere, habetur *in cap. Quoniam. de sent. Excom. in 6.* 3. Quamvis Sacramentum Pœnitentiæ Jure antiquo, solis moribundis ac Peregrinis tempore interdicti potuerit concedi, *ex cap. Quod in te. de Pœnit. & Re-*
4. *miss.* Attamen Jure novo omni licet recipere, & conferre omnibus, exceptis duntaxat ijs, qui interdicto causam dederunt, in horum enim Absolutione præexigenda est cautio Satisfactionis. *ex cap. Alma Mater. de sent. Excom.* Etsi vero in isto Canone excipiantur etiam Excommunicati, hæc tamen exceptio vel illos duntaxat comprehendit, qui pertinaciter Interdicto causam dederunt, uti tradit Sylvester *verb. Interdictum. 5. n. 9.* vel si illimitatè accipi debeat de Excommunicatis, solùm intendit prohibere tempore Interdicti solemnem ab Excommunicatione absolutionem, veluti docet Suarez. *cit. sect. 1. n. 15.* eruiturque *ex cap. Quod in te. De Pœnit. & Remiss. & cap. Permittimus.*
5. *de sent. Excommun.* 4. Sacramentum Eucharistiæ posse ac debere tempore Interdicti Localis, & Personalis Generalis, cum debitâ ac solitâ Solennitate administrari ijs, qui in probabili Mortis periculo ob causam etiam extrinsecam, v. g. Præliationem, vel partum difficilem constituti sunt, dum tamen causam Interdicto non dederint, nec aliunde fuerint specialiter interdicti, talibus enim concedi posse exhibitâ satisfactione, vel Pignoratitiâ, seu Fidejussoriâ, aut si hanc præstare non possint, juratoriâ de satisfaciendo cautione; constat *ex cap. Alma Mater de sent. Excom. in 6.* Verum extra Mortis pericu- 6.
lum non licere in loco interdicto, seu personis generaliter interdictis ministrare, seu recipere Eucharistiam, evincitur *ex cit. cap. Quod in te.* Nec favet præcitatum *cap. Alma Mater* utpote non nisi Celebrationem Missæ tempore Interdicti, non verò extra Sacrificium, Eucharistiæ sumptionem concedens, nisi fortè in summis Festivitatibus.
de quo in seq. Concl. 5. *ex cap. Non est vobis. de Spon-* 7.
sal. & cap. Quod in te. de Pœnit. & Remiss. evincitur, Extremam Unctionem extra speciale Privilegium, in nullo Interdicto sive Locali sive Personali posse administrari saltem Laicis. Quid verò de Clericis sit sentiendum? *sequenti concl.* patebit. Verum Religiosis Mendicantibus eorumque Privilegia communicantibus, esse Privilegium tempore interdicti recipere atque adeò inter se ministrare hoc Sacramentum, refert Castropalaus *cit. §. 1. n. 19.* addens *n. 20.* Si infirmus nullum aliud Sacramentum recipere posset, Extremam Unctionem posse tunc ipsi ministrari ex præsumptâ Ecclesiæ voluntate; cùm enim salus Infirmi tunc pendere possit ex hoc Sacramento, non esse præsumendum de Ecclesiâ, velle moribundum tali remedio destitutum.
6. Quamvis Sacramentum Ordinis non liceat 8.
in loco interdicto, vel Personis *Specialiter* interdictis conferre: posse tamen dari in loco non interdicto ijs, qui *generaliter* duntaxat sunt interdicti, videtur evinci *ex cap. Si sententia de sent. Excom. in 6.* ubi indefinitè statuitur, posse *generaliter* interdictos, extra locum interdictum, licitè interesse Divinis: Quid denique de Sacramento Matrimonii sentiendum? *concl. proximè sequenti* decidemus.

Conclusio II.

Casus incerti & controversi, de Sacramentis tempore Interdicti conferendis ac recipiendis, sunt sequentes.

Nam 1. Cùm *in cit. cap. Alma Mater.* permis- 9.
sum sit omnibus Fidelibus, ut tempore Interdicti possint in die Natalis Domini, Paschæ, Pentecostes & Assumptionis B. Virginis, participare Divinis, dum tamen non dederint causam interdicto, aut aliàs non sint personaliter interdicti: hinc oritur dubitatio; *An in prætactis diebus liceat, in loco Interdicto Personis generaliter etiam in-*
terdictis sumere sacram Eucharistiam? Circa quod 10.
Covarruvias *cit. 2. p. §. 5. n. 2.* Hurtadus *præs. diff. 7. n. 26.* & alij negant, eò quòd Canon præfatus solùm permittat celebrationem Divinorum Officiorum, & participationem in ijsdem. Et hinc Doctores prætacti ne sacerdoti quidem permittunt, ut illis diebus possit extra Missam communicare. Econtra affirmant Sua-
rez *cit. disp. 33. sect. 1. n. 35. 36. 37.* Filliucius *tract.* 11.
18. cap. 2. n. 32. & 42. Cum enim de jure antiquo solitum fuerit, ut Fideles Missæ interessentes communicarent, consequenter factâ licentiâ illis diebus assistendi Missæ, tacitè permissum fuit, ut non obstante interdicto, possent communicare.

Hinc tamen 2. inferre non licet, quòd in 12.
prætactis Festivitatibus Extremam unctionem & in Sabbatho Sancto, in quo Festivitas Paschalis

à Missa

à Miſſâ incipit, Ordines ſacros tempore interdicti conferre liceat: cùm in Canone *Alma Mater* non permittatur illis diebus quorumlibet Divinorum participatio, ſed officij duntaxat Divini & ſacrificij, ſub quo non venit Extrema unctio, vel Ordinis ſacri collatio: Uti ex parte contra Sylveſtrum *verbo Interdictum* tradunt cum alijs Covarruvias *cit. §. 5. n. 4. & 6.* Sayrus *lib. 5. Theſ. cap. 7. n. 33. & 39.*

13. Verùm 3. licere tempore Interdicti, ac in loco interdicto, pro caſu neceſſitatis, ob penuriam Sacerdotum Sacramentum Pœnitentiæ & Euchariſtiæ infirmis miniſtrantium, conferre ſacros Ordines, contra Covarruviam *cit. 2. p. §. 3. n. 4.* Sylveſtrum *verbo Juriſdictum 5. q. 7.* docent Abbas *in cap. non eſt vobis n. 8. de ſponſal.* & Caſtropalaus *præs. punc. 4. §. 1. n. 23* cum alijs à ſe relatis, ducto fundamento, quòd cùm vi Canonis *Alma mater* tempore interdicti permittatur celebratio Miſſæ Sacrificij, ex conſequenti debeat eſſe permiſſa Miniſtri ſacrificantis ordinatio, dum

14. hæc ob penuriam Sacerdotum fuerit neceſſaria.

4. Ex eò, quòd ſacramentorum receptio & adminiſtratio tempore interdicti, niſi in caſibus à Jure exceptis, ſit interdicta *ex cap. ſi ſententia. de ſent. excom. in 6.* neque verò Matrimonium reperiatur alicubi exceptum, Suarez *cit. ſect. 1. n. 55.* Sayrus *cit. lib. 5. cap. 7. n. 45.* & alij concludunt, ſacramentum Matrimonij non poſſe in

15. loco interdicto, vel à Perſonis generaliter etiam interdictis adminiſtrari & recipi. Verùm quia Matrimonium per Naturam ſuam eſt contractus Politicus, cui ratio Sacramenti ex inſtitutione Chriſti eſt annexa, idcirco in loco interdicto, & à Perſonis generaliter interdictis, utpote quibus contractus non ſint prohibiti, poſſe Matrimonium celebrari, tradunt Abbas *in cap. non eſt vobis n. 8. De ſponſal.* Sanchez *lib. 7. de Matrim. diſp. 8. n. 2.* Hurtadus *de Interdicto diff. 8.* Caſtropalaus *cit. §. 1. n. 25.* addens *n. 27.* ne ſpecialiter quidem Interdictos, ſi contriti ac pœnitentes ſe faciant gratiæ ſacramentalis capaces, cohibendos eſſe à Matrimonio celebrando, cùm ejus receptio vi cenſuræ Interdicti non ſit prohibita.

16. 5. Cùm Benedictio Nuptialis ſit acceſſoria Matrimonio, conſequenter ac æquè licere illam tempore Interdicti adhibere, ac ex conceſſione Confirmationis tempore interdicti, fuerit conſequenter licita facta Chriſmatis confectio, docent Angelus *verbo Interdictum 6. n. 3.* & Roſella *eodem verb. 2. n. 7.* Verùm quia Benedictiones ejuſmodi habent rationem Divini officij, extra quatuor anni præcipuas Feſtivitates earumque Octavas prohibiti, idcirco veriſimilius non licet, illis uti in loco interdicto, imò ne quidem extra locum interdictum, dum alteruter ex ſponſis *ſpecialiter*, vel etiam *generaliter* eſt interdictus, nec prævià abſolutione à ſpeciali interdicto, ſive per Domicilij mutationem ab Interdicto generali fuit liberatus; Ex Sanche *citato n. 15.* Caſtropalao *ubi ſupra n. 29. & 30.* & alijs ab ipſo relatis.

Conclusio III.

Ex vi Interdicti indicitur extra Caſus à Jure exceptos Privatio Officiorum Divinorum publicorum, non autem privatorum.

Explicatur & probatur. Nam ſub nomine Officij Divini publici veniunt, quæ de ſe Ordinem ſacrum requirunt, & à ſolis Clericis ex Chriſti vel Eccleſiæ Inſtitutione fieri permittuntur, adeò ut hæc duntaxat ſint tempore Interdicti prohibita, uti ex Abbate *in cap. fin. de Eccleſ. Prælat.* & Anchar *in cit. cap. Alma Mater. n. 7.* tradit Suarez *diſp. 34. de Cenſ. ſect. 3. n. 7. & 8.* Et hinc vi talis Cenſuræ prohibentur quidem Sacrificium Miſſæ, Benedictio olei, Chriſmatis, Fontis Baptiſmalis, Benedictio Eccleſiæ, Veſtium ſacrarũ, aquæ benedictæ, Conſecratio altaris, recitatio Horarũ Canonicarum, imo & Officij Beatæ Mariæ Virginis, nec non Litaniarum, ſi in Eccleſiâ & loco publico cum conjunctâ ſolemnitate quaſi nomine Eccleſiæ à Monialibus etiam recitentur: Non verò ſi in privatâ domo vel in Campo ipſarum etiam Horarum Canonicarum fiat recitatio, cùm non habeat tunc rationem publicæ, ſed privatæ Orationis, veluti cum Suare *citato* & Sayro *dict. lib. 5. cap. 5. n. 12.* tradit Caſtropalaus *cit. punc. 4. §. 2. n. 1.* 17.

Et hinc à fortiori, neque Concionem, utpote ordinatam ad populum inſtruendum, non verò *Directè* ad Deum publico cultu honorandum; neque Benedictionem Menſæ, Litaniarum, aliarumq; pro ſanctis colendis inſtitutarum precum recitationem privatam, neque crucis in Die veneris ſancto Adorationem, ſine tamen publicis Eccleſiæ precibus perficiendam, neque Beatiſſimæ Virginis, ſub publico etiam Campanæ ſigno, Matutinam & Veſpertinam ſalutationem prohiberi tempore Interdicti, tenent Suarez *ubi ſupra.* Navarrus *cap. 27. n. 176.* Sayrus *cit. cap. 5. à n. 31.* & Caſtropalaus *citatus.* 18.

Conclusio IV.

In ſequentibus Caſibus per ſacros Canones conceditur Tempore Localis interdicti, Divinorum Officiorum Celebratio.

Nam 1. Ex vi Canonis *permittimus de ſent. Excom.* permiſſum eſt in Interdicto locali etiam ſpeciali, januis tamen clauſis, voce ſubmiſsâ, abſque pulſu campanarum & excluſis Excommunicatis ac Interdictis, Miſſam ſemel in hebdomadâ celebrare ad conficiendam Euchariſtiam pro infirmis. 19.

2. Vi Canonis *Alma Mater. de ſent. Excom. in 6.* In Interdicto locali generali duntaxat, non autem ſpeciali, conceſſum eſt Clericis, ut ſingulis diebus poſſint celebrare Miſſam, aliaque Divina Officia in quibuſcumque Eccleſijs, & Monaſterijs (non tamen in oratorijs privatis, uti contra Suaren *cit. diſp. 34. ſect. 1. n. 9.* Avilam *5. par. diſp. 4. ſect. 2. dub. 3. conc. 3.* tradunt Covarruvias *cit. 2. p. §. 4. n. 1.* Caſtropalaus *cit. §. 2. n. 7.* cum alijs ibi relatis) peragere, januis tamen clauſis, voce ſubmiſsâ, campanis non pulſatis, nec non Excommunicatis & Interdictis, denuntiatis tamen, etiam Clericis, imò omnibus, nullâ licet excommunicatione, vel Interdicto perſonali innodatis Laicis excluſis, niſi ex ſpeciali quodam Privilegio, ſeu Juris conceſſione admitti poſſint. Etenim. 20.

3. Ad Divina Officia à Clericis dicto modo celebranda admitti poſſunt, laici rationis defectum 21.

factum habentes, utpote impotentes præstare moralem respectu Sacri præsentiam. Item Laici ad primam Tonsuram, seu ad Ordinem Religiosum sub tali Officio recipiendi, utpote qui inchoativè jam sint Clerici. Insuper Minister Laicus altari interviens, dum alius haberi non potest, necnon habentes de hoc speciale Privilegium. Ac denique vi Canonis *Alma Mater* universus Populus, in Festivitatibus Paschatis, Pentecostes, Assumptionis Beatæ Virginis Natalis Domini, & secundùm *Eugenij V.* constitutionem, Corporis Christi.

CONCLUSIO V.

QUoad effectum privationis Ecclesiasticæ sepulturæ, hoc discriminis est inter Locale & Personale Interdictum, ut vi Localis Interdicti non liceat quemquam sepelire in loco sacro Interdicto, vi autem Personalis etiam generalis interdicti sit prohibitum sepelire affectos tali Censurâ.

22. Pars prior de Interdicto Locali desumitur præcipuè *ex Cap. Quod in te. De pœnit. & remiss.* Cùm enim tale interdictum involvat prohibitionem, vi cujus sit Fidelibus prohibitum, ne cuiquam in loco non quidem profano, sed sacro concedant sepulturam, idcirco nemo quantumvis innocens potest in tali loco obtinere Ecclesiasticam sepulturam, tametsi interdicto postea sublato, corpora Fidelium extra locum sacrum sepulta, postea exhumari, & in loco sacro sepeliri debeant, uti cum alijs à se relatis notat Ca-
23. stropalaus *cit. punc. 4. §. 3. n. 1.* Hinc tamen excipiuntur Clerici, qui interdicto non dederunt causam, nec Personali speciali interdicto sunt obnoxij, quos etiam specialis (uti contra Innocentium *in cit. Cap. Quod in te.* tradunt Abbas *ibi.* Covarruvias *cit. 2. p. §. 2. n. 7.* & Castropalaus *cit. §. 3. n. 1.* cum alijs à se relatis) Interdicti tempore, vi *Can. Quod in te. de pœnit. & remiss.* permissum est, sepelire in cœmeterio Ecclesiæ, imò jam ex consuetudine in quolibet sacro sepulturæ Fidelium destinato loco, modò sepultura ejusmodi contingat sine pulsu Campanarum, & absque solemnitate Ecclesiasticâ, non autem Humanâ, ac denique cum silentio sine Officijs Divinis, nisi eo modo celebrandis, quo cautum est *in Cap. Alma Mater.* & *cit. Cap. Quod in te.* junctâ expositione Suaris *disp. 35. sect. 1. n. 7.* &
24. Avilæ *5. par. disp. 4. sect. 3. dub. 2. & 3.* Posse insuper tempore interdicti Localis generalis in quatuor præcipuis Festivitatibus, in quibus vi Canonis *Alma Mater* permissa est publica Divinorum Celebratio, non tantùm pro Clericis solenniter celebrare, sed etiam pro laicis, tradunt S. Antoninus *3. p. tit. 29. cap. 4. ante med.* Navarrus *cit. cap. 27. n. 181. in fin.* Sayrus *cit. lib. 5. c. 8. n. 11.* cùm illud Canonis *Alma Mater* privilegium sit favorabile, videaturq; adeò extendendum ad officia Divina non tantùm pro vivis, sed etiam pro Defunctis.

Verùm Glossa *in Clem. 1. verb. à Jure. de Sepult.* Covarruvias *cit. 2. p. §. 3. n. 6.* Suarez *cit.*
25. *sect. 1. n. 13.* Hurtadus *de Interdictio. diff. 9.* Castropalaus *cit. §. 3. n. 5.* negant, istam extensionem pro Laicis admittendam esse, eò quòd pri- [illegible]

vatio Ecclesiasticæ sepulturæ sit unus ex præcipuis Interdicti effectibus, distinctus à privatione Divinorum Officiorum. *ex Cap. Si Civitas. de sent. excom. in 6. & Cap. Episcopus. de Privileg. in 6.* neque verò sit tempore Interdicti generalis localis permissa Ecclesiastica sepultura, nisi solis Clericis. *ex Cap. Quod in te. de pœnit. & remiss.* maneatque proinde sepultura ejusmodi interdicta, dum præsertim hujus prohibitionis revocatio non habetur *in Cap. Alma Mater.*

Posterior pars de Interdicto Personali habetur *in cap. Episcopus. de Privileg. in 6. & Clem. 1. De sepult.* atq; probatur ex eo, quod, cùm tale Interdictû, sive specialiter, sive generaliter afficiat ipsam Personam, ex parte hujus producat effectum privationis Ecclesiasticæ Sepulturæ, dum tamen Persona taliter interdicta fuerit denunciata, siquidem, ubi per Extravag. *Ad evitanda scandala* hodie concessa est communicatio cum Interdictis non Denuntiatis, consequenter debeat esse licitum, eos tradere Ecclesiasticæ sepulturæ. 26.

CONCLUSIO VI.

INgressus ab Ecclesiâ, qui non ipso tamen jure, & facto inducitur per interdictum, sed mediante speciali sententiâ, sequentes habet effectus.

Primò vi talis Interdicti excluditur quis ab exercitio Ordinis sacri, ab auditione Divinorum Officiorum, & à Sepulturâ in Ecclesiâ, ejusque Cœmeterio. *ex Can. Præsenti. 5. q. 2. Can. Is cui. De sent. Excom. in 6.* Ubi tamen adnotandum venit, cum Divinorum auditio & celebratio, vi præfatorum Canonum prohibeatur tantùm in Ecclesiâ, non debere istam prohibitionem, utpote odiosam extendi ad Cœmeterium, contra Paludanum *in 4. dist. 18. q. 7. a. 3. concl. 2.* tradunt Ancharan. *in cit. Cap. Is cui. n. 4.* Covarruvias *cit. §. 1. n. 3.* Suarez *cit. disp. 36. sect. 4. n. 12.* & Castropalaus *cit. punc. 4. §. 4. n. 3.* cum alijs à se allegatis, addens *n. 4.* non posse tamen ab ingressu Ecclesiæ Interdictum extra Ecclesiam constitutum audire sacrum in templo celebratum, cùm talis quoad moralem existimationem censeatur formaliter ingressus Ecclesiam. 27.

Cæterùm ab ingressu Ecclesiæ duntaxat Interdictum posse sine absolutione cum pœnitentiâ tamen defunctum tradi Ecclesiasticæ sepulturæ, probat Castropalaus *præc. §. 3. n. 12.* Eò quòd videatur tale Interdictum impositum sub tacitâ conditione, quousque pœnitentia exhibeatur. *arg. Can. Is cui. de sent. Excom. in 6.* 28.

Secundò licèt Abbas *in Cap. Cum Ecclesia. n. 3. de immun. Eccles.* Suarez *cit. sect. 4. n. 23.* & alij existiment, per Interdictum ab ingressu Ecclesiæ, esse quempiam Interdictum eo etiam tempore, quo Divina non celebrantur, ad preces privatas ibi fundendas: cum *in Cap. Latorem. 31. q. 4.* cuidam Matricidæ ingressus Ecclesiæ per annum fuerit eâ conditione interdictus, ut tamen ante fores Ecclesiæ Deum deprecari posset: Nihilominus opposita Innocentij *in Cap. Sacro. verbo. Ingressum. De sent. Excom.* & Covarruviæ *cit. §. 1. n. 3.* Avilæ *cit. disp. 4. dub. 5. concl. 7.* Castropalai *cit. §. 4. n. 5.* & aliorum sententia videtur verisimilior, eò quòd intentio Ecclesiæ sit, 29. 30.

privare illo duntaxat Eccleſiæ ingreſſu, quo
removeatur quis à participatione Divinorum,
pro quibus Eccleſia eſt deputata, non à precum
privatâ duntaxat perſolutione, atque adeò ille
Matricida ſub Divinorum ſolummodò celebra-
tione fuerit juſſus foris ſtare, ac deprecari Deum.

Ex quo proinde fundamento videtur *Tertiò*
31. minimè probanda ſententia Avilæ *cit. dub.*
5. concl. 6. & Caſtropalai *ubi ſupra. n. 7.* docen-
tium, vi Interdicti ab Ingreſſu Eccleſiæ non eſ-
ſe quempiam prohibitum ingredi Eccleſiam ad
Sacramenta ibi recipienda, ſed tale Interdictum
eſſe reſtrictū ad prohibitionem intereſſendi Cele-
brationi Divinorum. Nam contra iſtam opinio-
nem cum Suare *cit. ſect. 4. n. 5. circa finem.* Syl-
veſtro *verb. Interdictum, q. 5. in fine* & alijs me-
ritò opponitur, quòd formalis ſit ingreſſus Ec-
cleſiæ, ſi fiat ex Intentione recipiendi ibi ſacra-
menta, cùm ad hoc vel maximè ſit deputata
Eccleſia.

COROLLARIUM I.

De Cauſis Interdicti.

1. INfertur 1. Etſi in Canone 1. *De Exceſſib. Præ-*
lat. adſtipulantibus *cap. Novit. Cap. Quanto. de*
his, quæ fiunt à Prælato ſine conſenſu Capituli. & Cap.
Cum in cunctis. De his, quæ fiunt à maiore parte ca-
pituli. Epiſcopus Juris rigore ſpectato, non poſ-
ſet niſi Laicos, non autem Clericos interdicere
abſque conſenſu Capituli, conſuetudine tamen
receptum jam eſſe, ut ſe ſolo interdicere etiam
poſſit Clericos. ex Gloſſâ *cit. Can. 1. verbo Capi-*
tuli. de Exceſſ. Prælator. & Abbate *ibi.* Suare *diſp.*
2. *36. de Cenſ. ſect. 1. n. 6.* & alijs. Deinde Capitu-
lum Sede vacante, mediante Vicario à ſe depu-
tato poſſe interdicere, patet ex Concil. Trid.
ſeſſ. 24. de Reform. cap. 16. Denique Prælati Re-
ligioſorum poſſunt quidem ferre interdictum
Perſonale in ſibi ſubjectos, non autem Locale,
ſaltem de conſuetudine, niſi erga Populum ha-
beant Juriſdictionem quaſi Epiſcopalem, ex
Suare *citato n. 2.* Sayro *cit. lib. 5. cap. 10. n. 22.* Hur-
tado *de Interdicto. diſſ. 14.* Caſtropalao *præs. punc.*
5. §. 1. n. 4. & alijs.

3. Infertur 2. Interdictum Generale, imò &
ſpeciale Locale, ceu graviſſimam, Excommuni-
catione *Extenſivè* graviorem, utpote innocentes
etiam, ſaltem indirectè complectentem pœnam
nunquam eſſe ferendam, ni ob culpam letha-
lem. uti colligitur *ex Cap. Quæſivit. De his,*
quæ fiunt à Majori parte Capituli. Cap. Medicinalis. de
ſent. Excom. in 6. & Concil. Trident. *ſeſſ. 25. De*
Reform. cap. 3. traduntque Sotus *in 4. diſt. 22. q.*
3. a. 1. concl. 3. Suarez *diſp. 36. ſect. 3. n. 2.* Caſtro-
4. palaus *cit. diſp. 5. punc. 3. §. 2. n. 2.* Neque In-
terdictum ejuſmodi, niſi à ſummo Pontifice ob
aliam, quàm capitis, ſeu Communitatis culpam
ferri poſſe, *ex Cap. Non eſt vobis. de ſponſalib.* ar-
guit author proximè *citatus* cum alijs Doctori-
bus, deciditurque in Concilio Baſileenſi *ſeſſ. 20.*
Quinimò ob æris alieni retentionem iniquam
non poſſe Communitatem ſupponi Locali ge-
nerali Interdicto, patet ex Extravag. *Providè atten-*
dentes. de ſent. Excom. eſtque ſtatutum à Clemente
VII. *in Bullâ. Licèt ea, quæ. 35.* in Bullario. Quæ
equidem conſtitutio, ob rationis paritatem, ex-
tenditur etiam ad Interdictum Generale Perſo-
nale. Secus eſt de Interdicto Perſonali ſpecia-
li, hoc enim ob debitum pecuniarium Autho-
ritate Ordinariâ imponi poſſe; communis eſt
Doctorum ſententia apud Caſtropalaum *cit. §.*
n. 6. qui addit *n. 5.* interdictum Locale ſpecia-
le validè & licitè, non tamen congruè indici
pro Debito pecuniario.

Quamvis denique Avila *5. p. de Cenſuris. diſp.* 5.
3. dub. 2. & Hurtadus *de Interdicto. diſſ. 13.* putent,
ob culpam etiam venialem infligi poſſe Inter-
dictum ſpeciale Perſonale, utpote quod non
privet Majoribus bonis, quàm Excommunica-
tio Minor: Quia tamen iſta ratio, prout Inter-
dicti naturam expendenti patebit, non ſubſi-
ſtit, conſequenter negandum eſt, illud Interdi-
ctum indici poſſe ob peccatum veniale. ex Sua-
re *diſp. 36. ſect. 3. n. 2.* Sayro *cit. lib. 5. cap. 11. n.*
4. & 16. Caſtropalao *citato n. 9.* & alijs.

COROLLARIUM II.

De Culpâ & Pœnâ violantium Interdictum.

INfertur 1. Violationē Interdicti pro materiæ le- 6.
vitate ac gravitate eſſe quandoq; venialē, quan-
doq; mortalem. Explicatur & Probatur. Nam 1.
in adminiſtratione ac receptione Sacramentorum
contra interdicti prohibitionem factâ, imò &
in aſſiſtentiâ ac celebratione Divinorum, ſubeſ-
ſe Materiæ gravitatem, atque adeò culpam le-
thalem, eſt omninò indubitatum, traditurque
à Suare *diſp. 34. ſect. 4. à n. 10.* Hurtado *præſ. diſſ.*
10. n. 32. & Caſtropalao *præſ. punc. 5. n. 1. &*
2. Et hinc peccati mortalis redarguendus eſſet, 7.
qui pulſatis campanis convocaret populum ad
Divina in loco interdicto audienda; vel ſi In-
terdictus violenter ſe ingereret Divinis, ſive à
Clero juſſus exire è loco ſacro, renuat. Quòd
ſi verò Laicus Divini Officij parti non notabi-
li Interdictus intereſſet, vel ſacerdos in loco in-
terdicto vi Canonis *Alma Mater* celebrans, ſine-
ret ſub Offertorio, vel Evangelio, vel ſub ora-
tionibus poſt communionem dici ſolitis apertum
eſſe templi oſtium, ex levitate Materiæ fieret
culpa venialis, ſicuti Exercitium alicujus Mi-
noris Ordinis, ratione parvitatis materiæ, vix
unquàm excedit peccatum veniale. uti cum Sua-
re *cit. ſect. 4.* & alijs tradit Caſtropalaus *citatus,*
audens *n. 6.* ad hoc, ut Interdictum locale ob-
ſervare, & perſonaliter Interdictum vitare te-
neamur, debere poſt Extravag. *Ad evitanda* Inter-
dictum eſſe denuntiatum.

Infertur 2. Ex violatione Interdicti ſequen- 8.
tes incurri pœnas. Nam 1. Clerici Interdictum
ſive Locale ſive Perſonale violantes celebrando,
aliumvè ſacri Ordinis actum proprium exer-
cendo, incurrunt Irregularitatem. *ex can. 1. De ſent.*
& re judic. in 6. Can. Cum Medicinalis. Can. Is qui. §.
Is verò. Et Can. Is cui. de ſent. Excom. in 6. 2. Clericus
admittens interdictum ad celebrationem, ſive
huic ſacramentum aliquod miniſtrans, aut ſe-
pulturam Eccleſiaſticam concedens, non quidem
Irregularitatem, ſed Interdictum ab Eccleſiâ in-
currit, quouſque ſatisfaciat illi, cujus ſententi-
am contempſit. Ex canone *Epiſcopum. De Pri-*
vileg. in 6. 3. Religioſus, vel Clericus violans
interdictum Locale, contrahit inhabilitatem ad
Electionem tam activam, quàm paſſivam *ex. cit.*

Cap. De

Cap. De postulat. Prælat. & cit. cap. Is qui. 4. Religiosi etiam exempti violantes interdictum à Sede Apostolicâ, vel etiam Ordinario loci impositum, & in Cathedrali seu Matrice Ecclesiâ observatum, ipso facto incurrunt Excommunicationem. *ex Clement. 1. de sent. Excom.* 5. Clerici Interdictum Locale violantes sunt privandi Beneficijs. *Cap. Postulastis §. quæsivistis. De Cleric. Excom. Minist.* 6. Domini Temporales, qui cogunt aliquos in loco interdicto celebrare Divina, vel qui per Præcones faciunt tunc ad illa audienda populum convocare, vel prohibent, ne publicè Excomunicati & Interdicti, Denuntiati tamẽ super hoc per illos, qui Missas celebrant, moniti, Ecclesias exeant, imò & ipsi nominatim moniti non exeuntes contrahunt Excomunicationem Papæ reservatam. *ex Clement. Gravis. 2. de sent. Excom.* 7. Violantes Interdictum quoad Ecclesiasticam sepulturam, vel Interdictum denuntiatum Ecclesiasticæ sepulturæ tradendo, vel sepeliendo etiam non interdictum in loco sacro interdicto, subjiciuntur Majori Excommunicationi. *ex Clement. 1. de sepult.*

COROLLARIUM III.

9. INfertur 1. Interdictum absque Absolutione tolli. 1. Si latum sit pro determinato tempore, vel sub aliquâ conditione. Tunc enim hoc finito, vel hâc cessante, eo ipso sublata est Censura interdicti ex Glossâ *in Cap. Non est vobis. verb. Donec. de sponsal.* & Abbate *ibi n. 7.* Suarez *disp. 38. sect. 1. n. 3.* & alijs. 2. Interdictum Locale, destructo loco, cui est impositum, non adeò tolli, quin adhæreat solo & pavimento, adeò ut Ecclesia noviter substructa eidem subjaceat Censuræ. ex Suarez *cit. n. 13.* & Castropalao *prat. punc. 6. n. 3.*

10. Infertur 2. Absolutione tolli posse ac debere Interdictum præstitâ satisfactione 1. quidem à solo habente in foro externo Jurisdictionem, si Interdictum sit Locale, sive Generale sive speciale, vel Personale, adeò ut Religiosi habentes Privilegium absolvendi à Censuris Interdicti, nihil possint circa quodvis locale & personale Generale Interdictum, eò quòd neque locus, neque Communitas, quibus Interdicta hujusmodi primariò inhærent, subjici possint absolutioni sacramentali, in ordine ad quam concessa sunt illa Privilegia: ex Suarez *cit. disp. 32. sect. 2. n. 5. & 6.* & Layman *lib. 1. sum. tract. 5. par. 4. cap. 5. n. 1.*

11. Verum 2. si Interdictum sit personale & quidem reservatum, poterit absolvi ab eo, qui tulit istam censuram, ejusve superiore ac Delegato, cujusmodi facultatem à Papâ delegatam absolvendi Censuram Interdicti à Jure latam habent Religiosi privilegiati; Quibus proinde à fortiori erit potestas absolvendi à quibusvis non reservatis specialibus personalibus interdictis. Imò cùm Interdictum ejusmodi impediat etiam à receptione Sacramenti Pœnitentiæ, æquè debebit Parochis potestas esse, absolvendi ab Interdictis, atque ab excommunicationibus non reservatis. uti cum alijs tradit Castropalaus *citatus n. 7.*

❧ IESUS ❧

COROLLARIUM IV.

In quibus Casibus ipso Jure latum sit Interdictum?

INfertur 1. Interdictum Locale incurri præcipuè in Casibus sequentibus. 1. Si Civitas, vel universitas ab Ecclesiasticis Personis, vel Ecclesijs, de rebus suis asportandis, vel exportandis extra causam negotiationis exigat Tributum. *ex Cap. Quamquam. de censib. in 6.* 2. Ob hostilem insecutionem Cardinalium. *cap. Felicis. de pœnis in 6.* 3. Ob concessionem habitationis alienigenis usurarijs factam. *ex cap. 1. De usuris in 6.* 4. Ob injuriam corporalem Episcopo factam. *Clem. 1. de pœnis.* 5. Si impediatur Nuntius Apostolicus, ne suum Officium liberè exerceat. *Extravag. Super Gentes. de Consuet.* 12.

Infertur 2. Interdictum personale generale præcipuè incurri de Jure in sequentibus casibus, 1. Ob concessionem, vel Extensionem Repræsaliũ in Clericos, ipsorumque bona. *In cap. un. De injurijs. in 6.* 2. Ob appellationem à Mandatis summi Pontificis ad futurum Concilium. *ex Bullâ Cœnæ Domini. claus. 2.* 3. Ob Concessionem Dimissoriarum à Capitulo Sede vacante factam non arctatis ratione Beneficij. ex Concil. Trident. *sess. 7. de Reform. cap. 10.* 13.

Infertur 3. Interdictum personale speciale à Jure latum esse in sequentibus præsertim casibus. 1. Interdicitur Judex proferens sententiam Excommunicationis non servatâ debitâ formâ, nimirum in scriptis exprimendo causam, tradendo Excommunicato Exemplum scripturæ intra mensem, si postulat. *ex Can. Cum Medicinalis 1. de sent. Excom.* 2. Recipiens Dignitatem Ecclesiasticam de manu Laici. *Cap. Si quis deinceps 16. q. 7.* 3. Episcopus usurpans bona Ecclesiarum vacantium *cap. Præsenti. De offic. Ordin. in 6.* 4. Faciens celebrari Divina in locis interdictis ab Ordinario. *cap. Episcoporum. de Privileg. in 6.* 5. Episcopus recipiens ab Ecclesiâ, quam visitat munera, seu alia sibi non debita, *Extravag. un. de Censib.* 6. Ordinarius conferens Beneficia eorum, qui pro suis negotijs Romam proficiscuntur. *Extravag. 3. de Privileg.* 7. Episcopus, vel Abbas alienans bona Ecclesiæ sine debitâ formâ, *Extravag. Ambitiosæ. De rebus Ecclesiast. non alienand.* 8. Prælatus edens Glossas seu Commentaria in Concilium Tridentinum, *ex Bullâ Pij V. Confirmatoriâ Concilij Tridentini.* 9. Ordinans Simoniacos. *ex Bullâ Sixti V. quæ incipit: Sanctum & salutare.* 14.

✿✿✿✿✿✿✿✿✿):(✿✿✿✿✿✿✿✿✿

CONTROVERSIA III.

De Cessatione à Divinis.

CEssatio à Divinis, quam ex *Cap. Quærenti. de verb. signif.* constat, censuram non esse, describi solet, quòd sit prohibitio Ecclesiastica Clericis imposita abstinendi à Divinis Officijs in aliquo loco. Causa finalis hujus pœnæ est, quòd Ecclesia, dum in signum doloris, ex gravi sibi vel honori Divino illatâ injuriâ concepti, injungit in aliquâ provinciâ, vel 1.

loco particulari abstinentiam à Divinis Officijs, intendat hac ratione delinquentem compellere
2. ad satisfactionem. *ex Clement. 1. de sent.* Distinguitur hæc cessatio in eo etiam ab interdicto, quòd istud nequeat aliquando indici, quin personam aliquam determinatam, quæ nimirum Interdicti causa fuit, *Directè* ac *Specialiter* afficiat, cùm econtra Cessatio à Divinis non teneat *Specialiter* ullam certam personam.

3. Etsi verò talis Cessatio censura non sit, in eâ tamen ferendâ oportet, præmitti monitionem, aliasque servari conditiones *in Cap. Cùm medicinalis. 1. de sent. Excom. in 6.* præscriptas, ut scilicet sententia feratur in scriptis sub expressione causæ, redigaturquè in publicum authenticum instrumentum, ejusque exemplum intra mensem, si petatur, illi, cujus interest, tradatur. Quòd si aliqua istarum conditionum deficiat, Sayrus *cit. lib. 5. cap. 18. n. 16.* & Castropalaus *cit. disp. 5. punc. 9. §. 3. n. 3.* contra Suaren *cit. disp. 38. sect. 3. n. 8. & 11.* existimant, sententiam esse nullam & invalidam. De hac proinde Cessationis pœnâ discutiendum superest. *Quinam sint ejus immediati, vel etiam remoti effectus?*

CONCLUSIO.

CEssationis à Divinis sunt sequentes effectus.

Primus est Prohibitio Divinorum officiorum, *ex Cap. Non est vobis. de sponsalibus.* An verò quoad
4. istum effectum relaxandùm habeat locum Canon *Alma Mater. de sent. Excom. in 6.* ita ut Clerici januis clausis, submissâ voce, & campanis non pulsatis, in loco huic pœnæ obnoxio celebrare possint, cum Archidiacono & alijs affirmat Navarrus *cit. cap. 27. n. 189.* Verùm cum Covarruviâ *in Cap. Alma Mater. 2. p. §. 4. 7.* Suare *disp. 39. sect. 2. n. 27.* & alijs, videtur illa extensio gratis asserta, cùm exceptio illa per Canonem *Alma Mater* facta, utpote Juris communis correctoria debeat esse strictæ interpretationis, nec adeò extendi debeat ad Cessationem in Divinis, nisi ex firmo fundamento, cujusmodi tamen non extat pro allegato casu, nisi tum quòd in hebdomade semel pro renovandâ Eucharistiâ ad ægrotos deferendâ liceat, vi Canonis *Permittimus. de sent. Excom.* in quâlibet Ecclesiâ celebrare, tum quòd consuetudine receptum testentur Covarruvias *citatus n. 5.* & Castropalaus *cit. punc. 9. §. 2. n. 6.* ut in festivitatibus Natalis Domini, Paschæ, Pentecostes, & Assumptionis B. virginis vi Canonis *Alma Mater* possint tempore Cessationis à Divinis peragi sacra.

5. *Secundus* Cessationis à Divinis effectus est Privatio Sacramentorum. *ex dicto Cap. Non est vobis.* In quo tamen Canone permittitur collatio Baptismi, Sacramenti Pœnitentiæ, & Viatici: nam consuetudine receptum esse, ut omnia, quæ tempore interdicti licent, Sacramenta ministrari ac recipi possint, testantur Covarruvias *ubi supra.* & Suarez *cit. sect. 2. n. 22.*

6. *Tertius* Cessationis à Divinis effectus numerari solet Privatio Ecclesiasticæ sepulturæ. Verùm quia in præallegato Canone *Non est vobis* sola Divinorum privatio annectitur Cessationi, idcirco istam, dum non est conjuncta Interdicto, non arcere ab Ecclesiasticâ sepulturâ, tradunt Suarez *supra n. 34.* Coninch *disp. 17. dub. 7. n. 84.* Castropalaus *in fine. cit. §. 2.*

Quartus remotus ac *indirectus* Cessationis à Divinis effectus est, quòd Clerici ac religiosi etiam Exempti cessationem à Divinis generalem ab Ecclesiâ matrice quoquè observatam violantes, incurrant ipso facto Excommunicationem, *ex Clement. 1. de sent. Excom.* non tamen Irregularitatem, cùm ista pœna non contrahatur, nisi in casibus expressis à Jure. *ex Can. Is cui de sent. Excom. in 6.* neque verò æquè cessationis ac interdicti violationi reperiatur à Jure annexa Irregularitas. 7.



ARTICULUS VII.

DE

Legibus Pœnalibus imponentibus Irregularitatem.

IRregularitas describi potest Impedimentum Canonicum primò, & per se impediens Ordinis susceptionem, & secundariò ejus usum, ex Archidiacono, & Joanne Andreâ *in Cap. 1. de sent. & re judic. in 6.* Dividitur generaliter in eam, quæ est ex delicto, & eam, quæ est ex defectu. Illam incurri non posse, nisi ubi culpa gravis intervenit, adeò ut, si ex aliquâ circumstantiâ excusetur aliquis à malitiâ peccati mortalis, immunis sit ab Irregularitate aliàs incurrendâ, contra Armillam *verb. Irregularitas. n. 14.* rectè tradunt Suarez *disp. 40. de cens. sect. 3. n. 17.* Navarrus *cit. cap. 27. n. 212.* & plures alij. Quibus adstipulantur Abbas *in Cap. Pastoralis. § Verùm. n. 15. de Appellat.* & Felinus *in Cap. Rodulphus. n. 43. de rescriptis.* ad irregularitatem ex delicto incurrendam requirentes dolum seu contemptum. 1.

Verùm Irregularitatem ex defectu contrahi absque ullâ culpâ, constans est Doctorum sententia. Et hinc Irregularitas non tantùm non est censura, sed nec universim est pœna, sed impedimentum ex jure vel Divino, vel Positivo inducens inhabilitatem suscipiendi Ordines, vel in ijs jam susceptis ministrandi. De quo proinde duplici Irregularitatis genere, hîc differemus, inprimis per tres Controversias discussuri generatim naturam Irregularitatis, exinde per aliquot corollaria specialiter, sed breviter expositurі Irregularitates tam ex delicto, quàm ex defectu. 2.



CONTROVERSIA I.

Quinam sint Effectus Irregularitatis?

CErtum est, Irregularitatem non arcere ab actionibus, quæ laicis, & clericis sunt communes, uti sunt receptio aliorum, quam Ordinis, Sacramentorum, auditio Divinorum Officiorum, sepultura Ecclesiastica, baptizatio 1.

zatio non solemnis, & similia clericali statui non annexa. ex Covarruviâ *in Clement. Si furiosus. 1. p. §. 1.* Suarez *cit. disp. 40. sec. 2. n. 8.* Econtra verò cùm prima Tonsura non quidem *inchoativè*, sed *terminativè* spectata, sit propria Clericis, imò non quidem *strictè*, sed *latè* veniat nomine Ordinis, *ex Cap. Cùm contingat. de ætat. & qualit. ordinand.* Idcirco Irregularitas indubitanter inducit inhabilitatem ad primam quoque Tonsurã, uti contra nonnullos tradunt Navarrus *lib. 1. cons. 24. n. 1. & 3. de temp. ordinat.* Suarez *cit. disp. 40. sect. 1. n. 11.* & alij.

2. Verùm difficultas est 1. *Qualiter Irregularitas privet receptione, & usu Ordinis?* 2. *Qualiter inducat inhabilitatem acquirendi, vel retinendi Beneficium, & Jurisdictionem Ecclesiasticam?*

CONCLUSIO I.

OMni quidem Irregularitati æqualiter convenit, quòd respectu Ordinum suscipiendorum inducat inhabilitatem: attamen respectu exercitij circa Ordines jam susceptos, aliqua est differentia inter Irregularitatem ex Delicto, ac ex Defectu.

3. Explicatur & probatur. Nam *ex Cap. fin. de temp. Ordin. & Cap. 1. de accusat.* eruitur, Irregularitatem ex Delicto præstare omnimodum Irregularitatis effectum, adeò ut non solùm arceat ab Ordinis cujuscumque susceptione, sed, si superveniat Ordini jam suscepto, privet quolibet hujus exercitio. Econtra verò Irregularitas ex defectu, in laico quidem causat absolutam irregularitatem, in Clerico autem duntaxat partialem, inhabilitatem scilicet suscipiendi reliquos Ordines, ac exercendi susceptos, quatenus ratione Irregularitatis contractæ decenter exerceri ampliùs non possunt. Sic enim patet *ex Cap. 2. de Clerico ægrotante.* eum, cui duo digiti cum medietate palmi fuerant abscissi, exinde factum fuisse irregularem ad celebrandum, non verò ad reliqua sacerdotij munia obeunda.

CONCLUSIO II.

IRregularitas ipso jure, & facto, privat Beneficiorum consecutione, non verò jam priùs obtentorum possessione.

4. Prior pars traditur à Covarruviâ *in Cap. Alma Mater. 1. p. §. 7. n. 1. & §. 8. n. 3.* Suare *cit. sect. 2. n. 30.* Avilâ *7. p. de cens. disp. 2. dub. 6. concl. 3.* & alijs, contra Castropalaum *cit. disp. 6. punc. 5. n. 7.* existimantem, nullum extare Juris textum, ex quo evincatur, Beneficij collationem Irregulari factam esse irritam, sed irritandam duntaxat. Quo tamen non obstante, probatur nostra assertio. Quia ex sacris Canonibus, præsertim *Can. 2. de Cleric. pugnante in duello.* & Concil. Trident. *sess. 14. de Reform. cap. 7.* patet, prohibitum esse, ne conferatur Irregulari Beneficium Ecclesiasticum. At licèt ex eo præcisè, quòd aliquid sit à Jure prohibitum, non arguatur nullitas actûs; attamen pro casu præsenti, usus & consuetudo, ceu optima legum interpres, attestante Suare *citato n. 36.* jam obtinuit, ut illi Sacri Canones intelligantur non de nudâ prohibitione, sed irritatione Beneficij irregulari collati.

Posterior pars contra aliquos à Castropalao *citato n. 9.* tacitè allegatos, à Suare *cit. sect. 2. n. 15.* Avilâ *ubi supra. n. 249.* Hurtado *de Interd. diff. 5. in fine.* & alijs tradita probatur. Tum quia, licèt *in Can. 1. de Homicidio* Assasinus, Item *in Can. Cùm Secundùm leges. de Hæreticis. in 6.* Hæreticus, Et *in Cap. Si quis Episcopus. 1. q.* Simoniacus ipso jure privetur beneficijs. Hoc tamen non est ex naturâ Irregularitatis, sed ex speciali ratione criminis qualificati. Tum quia licèt Concilium Tridentinum *sess. 14. de Reform. cap. 7.* decernat, quòd is, qui perpetravit Homicidium voluntariũ, debeat perpetuò carere omni Ordine, Beneficio & officio Ecclesiastico. Ex hoc tamẽ non arguitur, voluisse sacrum Concilium inducere novum Jus, sed in antiquo statu reliquit Irregularitatem ex homicidio voluntario contractam, vi cujus adeò, absque ullâ etiam spe dispensationis, esset ipso jure privatus susceptione Ordinũ, Beneficijs verò jam possessis veniret privandus per sententiam. Unde cùm nullum extet jus, ex quo argui possit, vi irregularitatis ipso jure indictam esse beneficiorum priùs obtentorum, & proventuum ac Jurisdictionis Ecclesiasticæ privationem, consequenter iste effectus non est tribuendus irregularitati, utpote cui non plures assignandi sint effectus ac pœnæ, quàm in jure exprimantur, uti præter alios expendit Suarez *n. 30.* Et hinc Beneficiatus contractâ irregularitate, si non possit impetrare dispensationem, potest Beneficium, etiam pendente lite intentatâ super irregularitate, renuntiare in favorem Tertij, cùm antequàm lata sit sententia condemnatoria, retineat jus in Beneficium. ex Abbate *in Cap. Nisi cùm pridem. n. 1. de renunciat.* Felinus *in Cap. Inquisitionis. col. 3. de Accusat.* Sayrus *lib. 6. cap. 2. n. 14.* Castropalaus *cit. punc. 5. n. 16.* cum alijs ibi relatis.

5.

CONTROVERSIA II.

Quænam sint causæ excusantes ab Irregularitate?

1. IN principio hujus articuli *n. 1.* diximus, Irregularitatem ex delicto nunquam contrahi, nisi interveniat culpa Mortalis, adeò ut causa excusans à culpâ lethali, consequenter excuset ab incursione Irregularitatis. Imò Irregularitatem peccato alicui indictam non contrahi, nisi peccans sciat, tale delictum Ecclesiæ præcepto esse prohibitum, Coninch *disp. 18. de Irregular. dub. 4. concl. 1.* probat ex eo, quòd *in Cap. 2. de Constit.* decidatur, ignorantes Ordinariorum, & à fortiori summi Pontificis constitutiones, hisce non teneri quoad pœnam ipsis annexam, cùm æquitati non sit consonum, æquali pœnâ punire transgressorem legis ex ignorantiâ, & ex malitiâ, uti arguit Castropalaus *præs. punc. 6. n. 1.* Verùm difficultas est 1. *An ignorantia Irregularitatis legi annexæ excuset ab hujus incursione?* 2. *An in dubio Irregularitatis excusetur quis ab ejus observantiâ?*

Ttt 3 Referun-

Referuntur Sententiæ.

2. Circa *primum* Navarrus *cap.27. sum.n.274.* absolutè, & Suarez *disp 4. de Cens. sect. 9. n. 22.* Sanchez *lib. 9. de Matrim. disp.32. n. 21.* Castropalaus *cit. punc. 6. n. 3.* tanquàm probabile tenent, ignorantem probabiliter Irregularitatem suo delicto impositam, excusari ab Irregularitate. Fundamentum est. Quia delinquens subditur pœnis delicto proportionatis, non extraordinarijs delicti gravitatem excedentibus. At Irregularitas est pœna extraordinaria, nec adeò respondet delicto, nisi quatenus perpetratur cum tali malitiâ, quæ accrescat ex notitiâ, vi cujus noscatur, delictum ejusmodi esse causam Irregularitatis.

3. Circa *secundum* Heinriquez *lib. 14. de Irregul. cap.3.n.3.& 4.* Item *cap 14.n 3.* simpliciter, & Covarruvias *in Clement. Si furiosus. 2. p. §. 2. n. 5.* cum alijs ibi relatis probabile putat, in dubio Irregularitatis, sive sit Juris, sive Facti, post adhibitam moralem veritatis inquirendæ diligentiam, non debere quemquam se reputare Irregularem ante Judicis sententiam. Fundamentum est. Quia Irregularitas non incurritur nisi in casibus a Jure expressis. *ex Cap. Is qui. de sent. Excom. in 6.* At textus Canonis *Ad audientiam. de Homicidio.* statuens, ut in dubio quis se gerat irregularem, non videtur locutus nisi pro foro externo, cùm ibi à Superiore dicatur injungendum Presbytero, ut in dubio Homicidij non ministret in Sacris Ordinibus. Cùm igitur alius non supersit Juris textus, vi cujus evincatur, in dubio teneri quempiam in foro conscientiæ se reputare Irregularem, consequens est, id frustra asserendum fore.

4. Econtrà Abbas *in Cap. Ad audientiam. n. 2. de Homicidio.* Sylvester *verb. Dubium. q. 4. n. 7.* Covarruvias *in cit. Clement. Si furiosus. in init. n. 3.* Hurtadus *de Irregul. diff. 3. & 4.* in dubio Facti non tantùm in materia Homicidij, sed quibuslibet alijs materijs, Irregularitatis pœnam annexâ habentibus, debere in foro tam interno, quàm externo quemvis se reputare Irregularem. Fundamentum est. Quia esto præcitatus Canon *Ad audientiam* loquatur de foro externo: attamen Canon *Significasti 2. de Homicidio.* loquitur de foro tam interno, quàm externo: ibi enim dicitur, quòd in dubio Homicidij, nullâ etiam facta denuntiatione, seu delatione ad forum externum, debeat quis ex proprio suo salutari consilio reputare se irregularem. Hujus verò decisionis ratio est, quod in dubio tutior pars sit eligenda. At ista ratio, & consequenter decisio procedit de casu habente annexam Irregularitatem.

Conclusio I.

Simpliciter negandum est, quòd probabilis ignorantia Irregularitatis excuset ab hujus incursione, dum delictum alioquin est taliter qualificatum, ut ratione suæ fœditatis de Jure habeat annexam ejusmodi pœnam. ex Suare *cit. disp. 40. sect. 5. n. 9.* Avilâ *cit. 7. par. disp. 2. dub. 7. concl. 2.* Hurtado *de Irregul. diff. 8. n. 29.* & alijs.

5. Probatur. Hoc enim discriminis est inter Censuram, & Irregularitatem, quòd, cùm illa sit pœna medicinalis ad contumaciam adeò comprimendam intentata, per suam naturam exigat scientiam ad sui incursionem. Econtra verò Irregularitas non est pœna medicinalis, sed ob delicti fœditatem ac indecentiam in ministro Ecclesiæ tùm coram Deo, tum coram hominibus inde resultantem, est pœna removens à gradu & ministerio Clericali. At tota ista malitia cum integrâ suâ fœditate, non Juri duntaxat Divino, sed etiam Ecclesiastico repugnante, inobedientiæ adeò respectu Ecclesiæ rationem continente, subsistere potest cum ignorantiâ Irregularitatis. Si proinde delictum sit taliter in opere externo consummatum, non est, cur dicatur, ignorantiam Irregularitatis excusare posse ab hujus incursione. Et hinc facilè patet responsio ad fundamentum *n. 2.* oppositum.

Conclusio II.

Circa Homicidium duntaxat, non verò circa alia delicta verificatur, quòd in dubio Facti reputare quis debeat se Irregularem. ex Suare *cit. disp. 40. sect. 6. n. 8. & 13.* Navarro *in Cap. Si quis autem n 41. de Pœnit. dist. 7.* Avilâ *cit. disp. 2. dub. 5. concl. 2.* Sanche *lib. 1 in Decal. cap. 10. n. 43.* Castropalao *cit. disp. 6. punc. 3. n. 7.* & alijs ab ipso relatis.

Probatur. Nam licèt Pontifex in præallegato Canone *Significasti*, ex illo principio, quòd in dubio tutior pars sit eligenda, decideric, ut in dubio Homicidij quis se gerat tanquàm irregularem. Nihilominùs vi istius decisionis ad casum ibi propositum eatenus pro ratione applicavit illud universale morale principium, ut tamen decisionis obligatio non possit extendere se ultra materiam ibidem expressam. Probatur istud sublumptum. Quia in omni lege subest ratio ex principio aliquo morali universali petita, & ad materiam particularem applicata. Hinc tamen non sequitur, obligationem legis extendere se ad omnes Materias Morales, quibus ejusmodi principium est applicabile. A fortiori igitur ex illâ rationis universalitate non licet prætacti *Canonis* decisionem extendere ultra materiam ibi expressam, eò vel maximè, quòd in Canone *Is qui. de sent. Excom. in 6.* apertè sit decisum, irregularitatem non incurri nisi in casibus à Jure expressis. 6.

Quare in alijs ab Homicidio distinctis materijs verificatur quidem, quòd in dubio sive Juris, sive Facti teneatur quis ad moralem pro veritate indagandâ diligentiam, ita ut hac non præstitâ, non possit absque peccato exercere functiones, à quibus per Irregularitatem fortè arcetur, cùm manifesto alioquin Ecclesiastici Irregularitati annexi præcepti violandi periculo se exponeret, uti cum alijs tradunt Sanchez *citatus n. 37.* & Suarez *cit. disp. 40. sect. 5. n. 12.* Colligiturque *ex Cap. Illud Dominus. 5. de Cleric. excom. minist.* ubi graviter reprehenditur Episcopus, qui, cùm dubitaret de suâ excommunicatione, absque inquisitione celebrabat. Nihilominùs si dubium sit Juris, dum scilicet dubitatur, an lex aliqua subsistat, vi cujus delicto alicui sit annexa Irregularitas, tunc factâ morali 7.

circa

circa veritatis inquisitionem diligentiâ, nemo, Sanche *citato n. 42. & 49.* Suare *sect. 5. n. 4.* alijsque Doctoribus attestantibus, debet in quocumque etiam mutilationis dubio casu se reputare Irregularem, cùm non nisi in casibus à Jure expressis contrahatur Irregularitas. *ex cit. Can. Is, qui.* Quòd si verò dubium est Facti, nec per sufficientem moralem inquisitionem superari potuit, tunc in casu duntaxat Homicidij quis gerere se debet irregularem, uti patet ex dictis *supra n. 4.* Et hinc, si post moralem diligentiam dubitans, an sit excommunicatus, celebret, non incurrere irregularitatem, cum Suare, & Sanche præcitatis, docet Castropalaus *cit. punc. 3. n. 10. in fine.*

CONTROVERSIA III.

De Relaxationibus Irregularitatis.

DUplex est modus hujus relaxationis. Primus est ex dispensatione Juris per Professionem religiosam. Secundus est per expressam hominis in foro externo Jurisdictionem habentis, vel ab hoc delegati dispensationem.

CONCLUSIO I.

VI professionis religiosæ, sola irregularitas ex defectu Natalium orta tollitur in ordine ad suscipiendos sacros etiam Presbyteratûs Ordines, non verò in ordine ad dignitates & prælaturas recipiendas.

Probatur ex *Can. 1. de filijs Presbyterorum*, ubi [1.] hoc expressè decisum habetur, traditurque partim etiam *in Can. fin. eod. tit.* & Glossâ *ibi.* communique Doctorum sententiâ contra Sotum *in 4. dist. 25. q. 1. a. 3.* asserentem, usu receptum esse, quòd per ingressum religionis tollatur omnis Irregularitas, exceptâ Bigamiâ, & eâ, quæ oritur ex homicidio voluntario. Verùm ista sententia, utpote nullo Juris fundamento nixa reprobatur, nisi quòd vi privilegiorum Apostolicorum Religionibus Societatis Jesu, aliorumque Mendicantium, & ipsorum privilegia communicantium Ordinum sit facultas, ut ipsorum superiores, saltem supremi, possint cum suis Religiosis dispensare pro foro conscientiæ, in omnibus irregularitatibus, etiam Bigamiæ, & homicidij voluntarij, prout patet ex privilegijs à Castropalao *cit. disp. 6. punc. 7. n. 2.* relatis.

CONCLUSIO II.

IRregularitas per Dispensationem tollitur sequentibus modis.

Primò Indubitatum est, Pontifici esse pote- [2.] statem dispensandi in omni Irregularitate, quæ est Juris positivi Ecclesiastici, quamvis in Irregularitate Bigamiæ propriâ, utpote descendente ex Apostolicâ traditione, sicuti & in irregularitate Homicidij voluntarij, utpote gravem indecentiam continente, nunquàm soleat dispensare.

Secundò, Licèt Episcopis de Jure antiquo ordinario nulla esset facultas dispensandi in irregularitate: [3.] attamen de jure novo Concilij Tridentini *sess. 24. de Reform. cap. 6.* acceperunt facultatem dispensandi in omnibus irregularitatibus, ex delicto occulto provenientibus, neque ad forum contentiosum deductis, exceptâ eâ, quæ oritur ex homicidio voluntario. Etsi verò in istâ sacri Concilij constitutione dicatur, posse Episcopos in Diœcesi suâ per se, aut Vicarium specialiter deputandum uti illâ facultate erga subditos suos: attamen Sanchez *lib. 2. in Decal. cap. 11. n. 17.* Castropalaus *cit. punc. 7. n. 9. in fine.* cum alijs taliter exponunt illum textum, quasi diceretur, posse Episcopum quoscunque sibi subditos, sive ratione domicilij in suâ diœcesi habiti propriè subjectos, sive ratione existentiæ in suâ diœcesi subjectos, ibi licèt Domicilium non habentes, absolvere, & dispensare in casibus *ibi* expressis. Juxta quam adeò expositionem fit; tum quòd particula *in Diœcesi* non ita sit restrictiva illius concessionis, quin facultas Episcopo ibi concessa, utpote se habens per modum Jurisdictionis voluntariæ, possit erga subditum extrà Diœcesin exerceri; tum quòd, licèt vagi eatenus in ordine ad Dispensationes sint Episcopo, in cujus diœcesi existunt, subjecti, ut cum ipsis possit in prætactis casibus dispensare: attamen quoad peregrinos, majori etiam anni parte in diœcesi comorantes, Episcopo quidē conveniat facultas absolvendi à peccatis & censuris, nō verò dispensandi in casibus prætactis. ex Suare *disp. 41. sect. 2. n. 11. & 12.* Sanche *cit. lib. 2. in Decalog. cap. 11. n. 8. & 9.* Castropalao *citato n. 8.* Cæterùm nomine Epis- [4.] copi in illâ constitutione Tridentinâ venire etiam Abbates, aliosque Prælatos habentes proprium territorium, & in eo Jurisdictionem quasi Episcopalem, contra Suarem *cit. sect. 2. n. 7.* tenent Sanchez *cit. cap. 11. n. 5.* & Barbosa *in remiss. Concilij.* Hoc saltem tenendum est, quòd vi cujusdam Motûs proprij *a Pio V.* emanati, & a Rodrique *to. 1. quæst. regul. q. 6. a. 9.* relati extendatur illa facultas ad Prælatos regulares etiam locales Religionum exemptarum in ordine ad Religiosos sibi subjectos. Quia porro facultas prædu- [5.] cta est restrictâ ad Irregularitates ex delictis occultis, & ad forum contentiosum non deductis provenientes, oportet observare, delictum censeri occultum, dum, licèt testibus probari possit, ignoratur tamen à majori parte populi seu communitatis, in quâ, ubi delictum est commissum, ad minus decem resident; uti tradit Castropalaus ubi *supra. n. 10.* addens contra Sanchen *cit. cap. 11. n. 21.* si in uno loco sit delictum publicum, non posse absolvi ab Episcopo, etiam in alio loco, ubi adhuc manet occultum. Censetur autem crimen deductum ad forum contentiosum non solâ delatione ad Judicem, sed citatione parti intimatâ; utpote quæ sit primus actus judicij, veluti cum alijs tradit Sanchez *lib. 8. de Matrim. disp. 34. n. 58.* Imò cùm juxta Glossam *in Cap. Relatum. de Offic. Delegati*, & Glossam *in leg. Judicium. ff. de Judicijs.* Judicium à litis contestatione incipiat, Castropalaus *citatus n. 11.* arbitratur, posse Episcopum, factâ etiam citatione, dum tamen lis nondum est contestata super delicto, Irregularitatem huic adhuc occulto annexam dispen-

dispen-

dispensare. Imò si delictum in foro contentioso discussum non fuerit probatum, exinde secutâ absolutione, posse ab Episcopo dispensari irregularitatem ex ipso provenientem, tenent Sanchez *supra n. 21.* Avila *7. par. disp. 10. dub. 8. §. 3. ... notandum.* Filiucius *tract. 20. cap. 10. n. 163.* & alij, eò quòd delictum tunc sit occultum, perindeque se habeat, ac si non esset deductum ad forum contentiosum.

6. *Tertiò.* Quamvis plures Doctores apud Suarezium *disp. 43. sect. 1. n. 5. & 7.* existiment; quòd in illo generali Concilij Tridentini concessione non veniat Irregularitas ex hæresi contracta, attamen contrarium ex universali loquendi modo, adstipulantibus Sanche *lib. 2. in Decal. cap. 25. n. 18* Farinacio *de heresi. q. 194. n. 79.* Castropalao *cit. disp. 6. punc. 19. §. n. 4.* videtur verisimilius, ut adeò in casu hæresis occultæ Episcopo sit facultas tollendi irregularitatem inde contractam. Similiter cum homicidium casuale strictè loquendo non debeat reputari voluntarium, sequitur, Irregularitatem exinde contractam posse vi Tridentinæ concessionis simpliciter dispensari ab Episcopo, uti præter alios tradit Castropalaus *punc. 12. §. 7. n. 7.* dummodò crimen ejusmodi sit occultum: quamvis, si notorium sit, in ordine ad Minores Ordines & beneficium simplex, ab eodem quoque dispensari valeat. *ex vi Can. 2. & Can. Ad audientiam. de Homicidio.* Imò Irregularitatem ex mutilatione etiam voluntariâ, occultâ tamen, incursam contineri sub prætactâ dispensandi Tridentinâ facultate contra Sanchen *lib. 1. sum. cap. 10. n. 4.* tradunt Suarez *disp. 44. sect. 4. n. 31.* refertque à sacrâ Cardinalium Congregatione decisum Castropalaus *cit. punc. 12. §. 3. n. 3.*

7. *Quartò.* Tametsi Irregularitas proveniens ex usu Ordinis, quem quis non habet, extra concessionem Tridentinam sit reservata summo Pontifici quoad effectum ascendendi ad superiores ordines: attamen quoad effectum ministrandi in ordinibus jam susceptis, posse auferri per Episcopum, videtur evinci *ex Can. 2. de Clerico non ordinato ministrante.*

8. *Quintò.* Cum Irregularitas ob infamiam Juris contracta requirat delictum notorium, sequitur, non posse unquam vi Tridentinæ concessionis dispensari ab Episcopo quoad effectum ascendendi ad Ordines superiores, sed quoad effectum duntaxat ministrandi in susceptis Ordinibus posse, peractâ pœnitentiâ, dispensare Episcopum, dum delictum, ex quo infamia ejusmodi est contracta, minus est adulterio, colligitur *ex Cap. At si Clerici. §. de adulterijs. de Judicijs,* traditque præter alios Abbas *Cap. Cum te. n. 15. de sent. & re judicatâ.* Verùm infamiam *facti* secutâ emendatione per triennium continuatâ, aboleri, cum Abbate *Cap. Inquisitionis. n. 2. de Accusat. & Cap. Ex diligenti. n. 6. de Simoniâ.* docent Suarez *disp. 48. sect. 2. n. 6.* Garcias *disp. 6. punc. 20. n. 14.* cum alijs ibi relatis, eruiturque *ex Cap. Si duo. 15. q. 6.*

9. *Sextò* denique. Eo ipso, quòd secundùm Concil. Trident. *sess. 21. de Reform. cap. 2.* non deceat quemquam ordinariè initiari, nisi habeat Beneficium. Idcirco dispensatus ad ordinem sacrum, est consequenter dispensatus etiam ad Beneficium non quidem Curatum, sed simplex, uti tradunt Divus Antonin. *in Cap. Postulasti. n. 10. de Rescriptis.* Felinus *ibi. n. 10.* Sanchez *lib. 8. de Matrim. disp. 1. n. 27.* cum alijs à se relatis.

COROLLARIUM I.

De irregularitatibus ex Delicto provenientibus.

INfertur 1. Irregularitatem ex delicto incurri in casibus sequentibus. 1. Ob iterationem Baptismi tam ex culpâ latâ rebaptizans, quàm scienter rebaptizatus est irregularis. *Cap. Ex literarum. De Apostatis. & Cap. Confirmamus. dist. 50. & Cap. Si vis. de Consecrat. dist. 4.* 2. Ob Ordinem furtivè susceptum, id est, sine admissione & approbatione Episcopi. *ex cap. 1. De eo, qui Ordinem furtivè suscepit.* 3. In Ordine non habito ministrans seriò, solenniter, & ex officio. *cap. 1. de Clerico non ordin. minist.* 4. Hæretici *ex Cap. Saluberrimum. 1. q. 7. & Cap. Nos consuetudine. dist. 12.* reputantur Irregulares, imò secundùm Suarezium *disp. 43. sect. n. 9. & 10.* etiam suspecti de Hæresi, dum non purgant suspicionem. 5. Hæc irregularitas extendi quidem solet etiam ad filios ex Hæreticorum stirpe masculinâ descendentes, ad hoc tamen requiritur, ut parentes ipsorum in hæresi, eâque notoriâ decesserint, ac inde infamiam contraxerint, uti præter alios pluribus tradit Castropalaus *disp. 6. de cens. punc. 19. §. 2.* 6. Irregulares reputantur etiam Neophyti *ex Cap. Sicut Neophyti. dist. 48.* quamvis determinare tempus, pro quo Neophytus quis censendus sit, arbitrio Episcop. relinquatur; uti præter alios advertit Suarez *cit. disp. 43. sect. 7. n. 6.* 7. Irregularitati subduntur infames. *ex Cap. Infame. 6. q. 1. & reg. Infamibus. De reg. Juris. in 6.* Verùm qualiter infamia tam Juris, quàm facti, ac irregularitas inde orta aboleri possit? *supra* diximus. 8. Denique, Homicidium perpetrantes Irregularitatis pœnæ obnoxios esse, passim constat ex sacris Canonibus, uti mox explicabitur. 1.

Infertur 2. Irregularitatem contrahi non ex Voluntario duntaxat, sed etiam casuali Homicidio, vel mutilatione. Explicatur. Nam 1. Homicidio Voluntario sicut & mutilationi annexam esse irregularitatem, constat *ex Cap. In Archiepiscopatu. De raptorib. & Clement. un. De Homicidio.* Dicitur autem Homicidium voluntarium, quando fit ex intentione expressâ occidendi, vel apponendi causam de se illativam mortis. uti cum alijs tradit Castropalaus *prat. disp. 6. punc. 15. §. 1. n. 1.* Et hinc si in rixâ inopinatâ accidat Homicidium, vel quis etiam intendat vulnerationem, seu percussionem, ex qua mors plerumque contingit, dum hæc tamen ex proposito non sit quæsita, non esse Homicidium voluntarium, colligunt Doctores *ex Cap. 1. & Cap. Sicut dignum. De homic.* & Concil. Trident. *sess. 14. de reform. cap. 7.* 2. Ad mutilationem, pro incurrendâ irregularitate, requiri membri (sumpto membro pro eâ parte corporis, quæ aliquam actionem habet ab aliâ distinctam; cujusmodi sunt Auris, Nasus, Pes, Oculus, Manus & similia, non autem Digitus) abscissionem, nec sufficere debilitationem solam, cum alijs à se relatis Doctoribus, contra Suarezium *disp. 44. sect. 2. n. 7. & 10.* tradit Castropalaus *cit. §. 1. n. 4. & 5.* 3. Ex Homicidio, vel mutilatione voluntariâ Irregularitatem contrahi etiam à mandante, vel consulente, dum tamen mandatum, vel consilium est moraliter actu influens in talem effectum, patet

ex Cap.

ex Cap. Sicut dignum. §. Qui verò. & §. ult. De Homicid. Item ex Cap. fin. eod. tit. in 6. 4. Ex Homicidio, vel mutilatione etiam casuali, contrahi
6. Irregularitatem, constat ex Cap. Quaesitum. De poenit. & remiss. & Cap. Continebatur. De Homicidio. Etsi verò Glossa in Cap. Significasti. 1. De Homicidio. Abbas ibi. & alij hanc poenam extendant ad casum, quo Homicidium ejusmodi ex culpâ etiam levi acciderit: verius tamen est, exigi culpam Theologicè gravem seu mortalem, uti colligitur ex Cap. Lator. De Homicid. traduntque praeter alios Avila 7. p. de cens. disp. 6. sect. 1. dub. 11. conc. 3. & Suarez disp. 45. sect. 5. n. 8.

7. Quòd si tamen 5. Mutilatio, vel Homicidium casuale proveniat ex opere illicito, juxta Divi Thomae 2. 2. q. 64. a. 8. sententiam imputatur eo ipso ad culpam & reatum Homicidii, & consequenter secundùm Canonistas, nominatim Innocentium in Cap. Tua nos. de homicid. infert irregularitatem, etiamsi in eo praecavendo non intervenerit culpa gravis, sed levis.
8. Verùm ista doctrina alijs, speciatim Soto lib. 5. de Just. q. 1. a. 9. Covarruviae in Clement. Si furiosus. 2. p. §. 4. n. 10. videtur distinguenda: ita ut teneat, si actio illicita de se sit periculosa, & homicidij causativa: veluti si Clericus exerceat torneamenta, aliaq; pugnae simulachra, venationem Aprorum, & Ursorum: cùm enim istae actiones sint Clericis prohibitae ob periculum homicidij, consequens est, hoc secuto, incurrere irregularitatem. Secus est, quando opus de se non habet periculum, & diligentia adhibita est ad praecavendum homicidium. ex Castro lib. 2. de leg. poen. cap. 14. Suarez disp. 45. sect. 6. n. 9. Ca-
9. stropalao cit. punc. 15. §. 4. n. 4. & 5. Hinc 6. cùm Clericis & Religiosis prohibitum sit, officium Medicinae & Chirurgiae exercere cum adustione ac incisione, consequens est, fieri irregulares, si ex ejusmodi actione utpote illicitâ, & ob periculum prohibitâ sequatur mors, quantumlibet alioquin pro evitandâ morte, vel mutilatione diligentiam adhibuerint, ex Glossâ & Abbate in Cap. Tua nos. de Homicid. Suarez cit. sect.
10. 6. n. 12. 7. Subministrans aegroto medicinam, vel poculum, maximè contra praescriptum medici, ex quibus notabiliter acceleratur mors, contrahit irregularitatem, nisi ignorantiâ excusetur. ex Covarruviâ in cit. Clem. Si furiosus. 2.
11. p. §. 4. n. 3. Navarro cap. 27. sum. n. 128. Neq; tamen habendus est scrupulus, si quis mutavit, aut revolvit infirmum, animo subministrandi cibum, vel alleviandi infirmum, ut comodiùs vel quiescat, vel cibum sumat, licèt aliqualiter mors accelerata sit, siquidem acceleratio ejusmodi neque notabilis esse queat, neque congruat, infirmû ob levem mortis accelerationem sustinere talem incommoditatem, ex Castropalao cit. punc. 15. §. 5. n. 6. & Doctoribus ibi re-
12. latis. 8. Non impediens (dum posset) homicidium, fit irregularis, si ad illud impediendum obligatur ex justitiâ, siquidem tunc fit causa moralis Homicidij, uti ex Cap. Non inferenda. & Cap. Qui potest. 23. q. 3. probant Suarez disp. 46. sect. 4. n. 3. & 5. Avila 7. p. disp. 6. sect. 2. dub. 7. conc. 1. & 2. Secus verò est, si ex solâ Charitate tenebatur impedire. ex Cap. Si quatuor homines. 23. q.
13. 8. 9. Occidens ex necessitate defensionis cum moderamine inculpatae tutelae neque ratione delicti, neque ex defectu lenitatis potest contrahere irregularitatem. Quòd si verò in defensione excedendo, culpabiliter occidat, non est censenda irregularitas contracta ex Homicidio voluntario, sed casuali duntaxat, uti cum alijs fusè tradit Castropalaus citatus §. 8.

COROLLARIUM II.

De Irregularitatibus ex defectu.

Infertur 1. Irregularitatem ex defectu contrahi in casibus sequentibus. 1. Ex defectu Natalium. ex Cap. 1. & fin. De filijs Presbyterorum. & Cap. Per tuas. Qui filij sint legitimi. Circa quod tamen notandum venit, tum quòd ista Irregularitas non stet in dubio illegitimitatis, uti patet ex dictis supra cont. 2. n. 6. traditque Sayrus lib. 6. thesauri. cap. 10. n. 39. tum quòd non tantum dispensatione Pontificis tollatur, sed quoad Ordines suscipiendos, non autem quoad Praelaturam, professione etiam Religionis, uti superiùs cont. 3. probavimus, desumiturque ex cap. 1. De filij. Presb. 14.
2. Ex defectu animae, id est, ignorantiâ usum Ordinis omninò impediente. ex Cap. Illiteratos. 36. dist. vel amentiâ non tantùm perpetuâ, sed etiam temporali, adeò ut, licèt sanitatem recuperarit, non possit absque dispensatione promoveri. ex Cap. Maritum. 33. dist. licèt jam promotus, rationis usu rest tuto, possit in Ordine ministrare, dum abest irreverentiae periculum. ex Castropalao cit. disp. 6. punc. 10. n. 4. & alijs ibi relatis. 3. Ex defectu Corporis: Si nimirum sit carentia aetatis ad quemvis Ordinem à Jure requisitae, aut membri privatio congruum Ordinis usum impediens, vel deformitas notabilis, seu causans gravem horrorem. ex Cap. 1. De Cleric. aegrot. & Cap. 2. ac fin. De corpore vitiatis. Quòd si quis per indignationem, aut ex zelo indiscreto absciderit sibi membrum, etiamsi ex hoc non impediatur Ordinis usus, & culpa sit occulta, redditur tamen irregularis. ex Cap. Si quis absciderit. 55. dist. Secus est, si talis abscissio acciderit absque culpâ, ex Avilâ 7. par. disp. 3. dub. 1. 15.
4. Ex defectu libertatis; dum quis alicui Domino est obstrictus tanquàm servus, seu ob administrationem à Republicâ acceptam est obligatus ad reddendam rationem; quamdiu enim ejusmodi status, ac obligationes durant, arcendus est à susceptione Ordinum. ex toto Tit. De servis non ordinandis. & cap. un. De obligatis ad ratiocinia. 5. Ex defectu significationis in Bigamo, de quo in proximè sequenti illatione. 6. Denique ex defectu lenitatis, de quo in illat. 3. 16. 17.

Infertur 2. Bigamiam non tantùm propriam, sed interpretativam ac similitudinariam importare defectum in repraesentatione unionis Christi cum Ecclesiâ, ratione cujus defectûs Bigamum contrahere irregularitatem, vi cujus privetur omni Privilegio Clericali. ex Cap. un. De Bigamis. Explicatur & probatur. Nam unio Christi cum Ecclesiâ est unius cum unâ: cùm econtra Bigamus duplici conjugi copulatus fuerit. Caeterùm Bigamia alia est propria, consurgens ex binis nuptijs validè contractis & consummatis, ex quâ secundùm traditionem Apostolicam contrahi irregularitatem, constat ex cap. 2. & 3. de Bigamis. Quae equidem Bigamia 18.

à solo

à solo summo Pontifice, non autem ab Episcopo dispensari potest. *ex cap. Super eo. de Bigamis.*

19. Alia verò Bigamia est interpretativa, quam incurrit 1. contrahens Matrimonium cum viduâ, quæ Matrimonium consummaverat, vel cum aliquâ priùs per alium corruptâ. *ex Cap. Debitum. eod. tit.* 2. Cognoscens propriam uxorem, postquàm commisit adulterium. *ex Cap. Si laico. dist. 24.* 3. Is, qui post mortem conjugis sacris initiatus, postea tentavit contrahere Matrimonium. *ex Cap. Nuper. de Bigamis.* Etsi verò Bigamia interpretativa æquè ac propria juxta *cit. Cap. Super eo. De Bigamis. & cap. Lector. dist. 34.* sit Papæ dispensationi reservata: attamen ortam ex delicto, si hoc fuerit occultum & non deductum ad forum contentiosum, potest ex jure novo Concilij Tridentini *sess. 24 cap. 6.* Episcopus di-

20. spensare. Alia denique Bigamia est similitudinaria, quam contrahit, qui post Castitatis Votum in Religione approbatâ emissum intentat Matrimonium & consummat: cujusmodi Irregularitatem posse dispensari ab Episcopo, patet *ex Cap. Diacono. Qui Clerici vel voventes. & Cap. Sané. De Clerico conjugat.*

21. Infertur 3. Ex defectu lenitatis contrahi Irregularitatem ab illis, qui Authoritate publicâ faciunt Homicidium, vel Mutilationem. Ratio est. Quia proferens, vel exequens sententiam sanguinis, vel aliàs ad istam in Judicio publico concurrens, non potest repræsentare perfectam Christi lenitatem & mansuetudinem.

22. Hinc tali irregularitate tenetur 1. Judex, imò & Assessor. *ex Cap. Aliquantos. dist. 51.* Quòd si tamen Prælatus Ecclesiasticus Jurisdictionem Temporalem habens, constituat Judicem & ministros, ut causam sanguinis judicent, & exequantur juxta legis & Juris dispositionem, non fit irregularis hàc ministrorum constitutione factâ, pro casu etiam particulari, modò non mandet Judici à se deputato, ut sententiam sanguinis proferat. *ex Cap. Sententiam sanguinis, ne*

23. *Cleric. vel Monachi.* 2. Accusator, & Denunciator, si ex vi talis Denunciationis secuta sit occisio, seu mutilatio denunciati. ex Glossâ *in Cap. Ex litteris. Verb. Ne judicent: Ne Clerici vel Monachi.* Quòd si tamen Clericus, passus injuriam in propriâ personâ, seu Consanguineorum usque ad quartum gradum, causam Civiliter agat, cum protestatione expressâ non intentæ pœnæ sanguinis, sed satisfactionis, tunc immunis est ab Irregularitate. *ex Cap. Sententiam. & Cap. Clerici.*

24. *Ne Clerici vel monachi.* 3. Testis, cujus Testimonium cooperatur ad sanguinis sententiam, uti cum Doctoribus à se relatis probat Castropalaus *disp. 6. de cens. punc. 14. §. 2.* Quòd si tamen laicus in causâ Criminali, Judicis præcepto compellatur ferre testimonium, non fore irregularem, satis probabile judicat Author *citatus*

25. *§. 3. n. 3.* 4. Advocatus, si occidatur, vel mutiletur reus, contra quem advocat, *ex Cap. Præ-*

26. *latis. De Homicidio in 6.* 5. Consultor, si ex ejus consilio moveatur Judex ad proferendam sententiam sanguinis. ex communi Doctorum sententiâ. Quod tamen à Castropalao *ubi supra. n. 7.* & Hurtado *de Irreg. diff. 11. n. 40.* limitatur, si consilium expostuletur Juridicè: dum enim privatim petitur, & Judex tanquàm qualibet alia persona informatur de justitiâ, Author *citatus* cum alijs existimat, non carere probabilitate, quòd irregularitati non sit locus: siquidem in tali casu neque delictum interveniat, neque defectus lenitatis, utpote ab Officialibus duntaxat authoritate publicâ fungentibus contrahi solitus. Hinc à fortiori, ex Judicio Avilæ *7. par.* 27.
disp. 5. sect. 2. dub. 46. concl. 4. Suaris *disp. 47. sect. 1. n. 8.* & aliorum liber est confessarius, partim eo casu, quo negat Judici absolutionem, nisi proferat sententiam sanguinis, ad quam tenetur in conscientiâ, partim illo casu, quo pœnitentem obligat ad deferendum delictum morte dignum, ad cujus manifestationem jure naturali tenetur.
6. Notarius depositiones testium, vel sententiam scribens, tanquàm officialis Justitiæ; non 28.
autem famulus transcribens scripturam à Notario factam: insuper tortor Rei; ac omnes deferentes Reum ad mortem, nec non comitantes Judicem ad carcerem tanquàm ministri, non verò spectatores, sicut nec ille, qui moneret Reum, ut ascenderet scalam, etiamsi citiùs exinde Reus sit moriturus, nec confessarius instigans equum, quo ducitur Reus ad supplicium, vel dicens carnifici, posse jam fungi suo officio, uti alijs relatis, tradit fusiùs Castropalaus *cit. §. 3. n. 8. & 9.* Item *§. 4. n. 2.* 7. Miles pugnans in 29.
bello justo: nam si bellum fuerit injustum, contrahitur irregularitas ex delicto, quæ ab illâ eatenus discriminatur, ut hanc omnes quomodocumque ad occisionem, vel mutilationem in bello injusto concurrentes contrahant; econtra verò nullus sacerdos in bello justo ad occidendum exhortans, aut propriâ manu pugnans irregularis fit, nisi per se occiderit, aut deformaverit. ex Molinâ *tract. 2. de Just. disp. 109. concl. 2. & 110. conc. 2.* Covarruviâ *in Clement. Si furiosus. 2. p. §. 3. n. 2.* Abbate *Cap. penult. & ult. De Clerico percussore,* & alijs, quos refert ac sequitur Castropalaus *cit. punc. 14. §. 5. n. 1. & 2.* Imò in bello merè de- 30.
fensivo, Clericos etiam occidentes, excusari ab Irregularitate, utpote quibus juxta Canonem 2. *De immunit. Eccles.* sit pugnare; & consequenter occidere, tradit præter alios Hurtadus *diff. 12. de Irreg. n. 44.* eò vel maximè, quòd defensio Patriæ jure naturali debita non videatur habere annexum Canonicum impedimentum, uti etiam arguit Castropalaus *citatus n. 5.* 8. denique, cùm irregularitatis hujus utpote non ex delicto 31.
provenientis dispensatio non veniat sub Concilij Tridentini *sess. 24. de Reform. cap. 4.* Episcopis factâ concessione; Idcirco facultatem dispensandi in hac irregularitate non esse penes Episcopos, sed Papam duntaxat, ac ex Privilegio Apostolico penes Prælatos Regulares respectu suorum Religiosorum, docet præter alios Suarez *præs. disp. 47. sect. 6. in fine.*

FINIS.

IN

INDEX
RERUM ET VERBORUM
NOTABILIUM.

Prior numerus Paginam, posterior numerum Marginalem denotat.

A

Quali-

Qua-

Vi-

Ele-

Actus

Divi-

Index Rerum & Verborum.

Ejus

Pruden-

FINIS.

Omnia ad maiorem DEI, Deiparæque Virginis ac S. P. N. BENEDICTI gloriam.

Typis Monasterij EINSIDLENSIS,

Per NICOLAUM WAGENMANN, 1668.